CORNELII A LAPIDE

COMMENTARII

IN

SCRIPTURAM SACRAM

4

BS1145
L3
v.4
1891

85392

EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

1080014744

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

COMMENTARIA

IN

SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UNIVERSIDAD AUTONOMA D'NVEVO LEON
ALERE FLAMMAM VERITATIS

COMMENTARIA
IN
SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE
E SOCIETATE JESU,
SANCTÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANI, POSTEA ROMÆ PROFESSORIS.
ACCURATE RECOGNOVIT AC NOTIS ILLUSTRAVIT
JOS. MAX. PERONNE
CANON. HONORARIUS STRASBURGENSIS, OLIM SCRIPTURÆ SACRÆ PROFESSOR.

EDITIO NOVA
ACCURATE EMENDATA NOTISQUE QUIBUS EX PRIORIBUS DESIDERIANTUR.

TOMUS QUARTUS

IN LIBRUM IV REGUM, I ET II PARALIPOMENON
I ET II ESDRÆ, TOBIÆ, JUDITH, ESTHER
ET II MACHABÆORUM

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Universitaria y Tolleri

PARISIIS
APUD LUDOVICUM VIVES, BIBLIOPOLAM EDITOREM
13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13
M.DCCC.XCI

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
CAPILLA ALFONSINA
85392

BS145
.C3
V.4
1891

COMMENTARIA
IN
LIBRUM QUARTUM REGUM.

ARGUMENTUM.

Hebræi hunc librum jungunt libro tertio, et cum eo unum efficiunt. Verum Latini aptius dividunt, et hic quartum inchoant. Hic enim cœpit prolapsus regni Juda, quod, sub Salomone cæterisque hucusque regibus, fuerat forte, amplum et opulentum. Porro libro primo Regum audivimus gesta Heli, Samuelis et Saulis per 80 annos; libro secundo gesta Davidis regis per 40 annos; libro tertio gesta Salomonis, Roboam, Abiæ, Asæ et Josaphat, per annos 126; jam vero hoc libro quarto audiemus gesta Joram, Ochoziæ, Athaliæ, Joas, Amasiæ, Oziæ, Joatham, Achaz, Ezechiæ, Manassis, Amon, Josiæ, Joachaz, Joakim, Joachin et Sedeciæ per annos 304, ex Davide recta generationis serie successive descendentium; quibus in Israele sive in decem tribubus regnarunt Ochozias filius Achab, Joram, Jehu, Joachas, Joas, Jeroboam, Zacharias, Sellum, Manahem, Phaceia, Phacee et Osee, sub quo desiit regnum Israel anno sexto Ezechiæ, cum totus ejus populus a Salmanazar abductus est in Assyriam, ut audiemus cap. XVIII, 10. Regnum vero Juda desiit anno ultimo Sedeciæ, cum ejus populus abreptus fuit a Nabuchodonosor in captivitatem Babylonicam, ut audiemus capite ultimo.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
ALERE FLAMMAM VERITATIS
CAPILLA ALFONSINA
FONDO CASTERIO
VALVERDE Y TELLEZ

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ochoziæ ægrotanti, et de sanitate per nuntios consulenti Beelzebub, Elias per eosdem mortem denuntiat; mox, vers. 9, duos quinquagenarios ab eo ad se capiendum missos, igne cœlesti cum 50 militibus comburit; tertio vero ubi supplex parcit ac cum eo Ochoziam adit, eique necem intentat. Moritur ergo Ochozias, eique succedit frater Joram.

1. Prævaricatus est autem Moab in Israel, postquam mortuus est Achab. 2. Ceciditque Ochozias per cancellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria, et ægrotavit; misitque nuntios, dicens ad eos: Ite, consulite Beelzebub deum Accaron, utrum vivere queam de infirmitate mea hac. 3. Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge, et ascende in occursum nuntiorum regis Samariæ, et dices ad eos: Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron? 4. Quam ob rem hæc dicit Dominus: De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Et abiit Elias. 5. Reversique sunt nuntii ad Ochoziam. Qui dixit eis: Quare reversi estis? 6. At illi responderunt ei: Vir occurrit nobis, et dixit ad nos: Ite, et revertimini ad regem, qui misit vos, et dicetis ei: Hæc dicit Dominus: Numquid, quia non erat Deus in Israel, mittis ut consulatur Beelzebub deus Accaron? Idcirco de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. 7. Qui dixit eis: Cujus figuræ et habitus est vir ille, qui occurrit vobis, et locutus est verba hæc? 8. At illi dixerunt: Vir pilosus, et zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias Thesbites est. 9. Misitque ad eum quinquagenarium principem, et quinquaginta qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum; sedentique in vertice montis, ait: Homo Dei, rex præcepit ut descendas. 10. Respondensque Elias, dixit quinquagenario: Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te, et quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cœlo, et devoravit eum, et quinquaginta qui erant cum eo. 11. Rursumque misit ad eum principem quinquagenarium alterum, et quinquaginta cum eo. Qui locutus est illi: Homo Dei, hæc dicit rex: Festina, descende. 12. Respondens Elias ait: Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te, et quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de cœlo, et devoravit illum, et quinquaginta ejus. 13. Iterum misit principem quinquagenarium tertium, et quinquaginta qui erant cum eo. Qui cum venisset, curvavit genua contra Eliam, et precatus est eum, et ait: Homo Dei, noli despicere animam meam, et animas servorum tuorum qui mecum sunt. 14. Ecce descendit ignis de cœlo, et devoravit duos principes quinquagenarios primos, et quinquagenos qui cum eis erant; sed nunc obsecro ut misereris animæ meæ. 15. Locutus est autem Angelus Domini ad Eliam, dicens: Descende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, et descendit cum eo ad regem, 16. et locutus est ei: Hæc dicit Dominus: Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, a quo posses interrogare sermonem, ideo de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. 17. Mortuus est ergo juxta sermonem Domini, quem locutus est Elias, et regnavit Joram frater ejus pro eo, anno secundo Joram filii Josaphat regis Judæ: non enim habebat filium. 18. Reliqua autem verborum Ochoziæ, quæ operatus est, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israel?

1. PRÆVARICATUS EST AUTEM MOAB IN ISRAEL, — id est, ut vel Chaldæus, Moabiter rebellarunt Israeli, puta Ochoziæ filio Achab, qui regnabat in Israel. Cum enim viderent Achab in prælio cæsum, et exercitum ejus dissipatum, ac Ochoziam juvenem, animos sumpserunt, et ei, cui hucusque subjecti fuerant, rebellarunt, negando tributum, sibique proprium regem constituerunt: sicut sub idem tempus Idumæi a Davide subacti rebellarunt Joram regi Juda, ut audiemus cap. VIII. Ita Abulensis.

2. CECIDITQUE OCHOZIAS (filius Achab rex Israel) PER CANCELLOS COENACULI SUI, — id est per fenestras cancellatas et reticulatas tabulati, inquit Pagninus, Vatablus et alii. Aut « cœnaculum » vocat solarium sive tectum, quod in Palæstina erat planum, ut in eo ambulare, cœnare, dormire possent. Porro hoc tectum circumcirca cingebatur lorica sive muro, ne quis incaute ex eo laberetur juxta legem *Deuteronomii* XXII, 8. Murus hic reticulatus et cancellatus erat, ex quo, laxis centibus vel rupto cancello, lapsus est Ochozias. Ita Sanchez.

Tropologice, Eucherius: « Ochozias, inquit, rex Samariæ, qui se a domo David reparavit, et per cancellos decidit, hoc significare videtur: quod hæretici, sive schismatici, et si aliquam bonæ actionis arcem conscendere videntur, quia tamen compagem Ecclesiæ unitatis non habent, quasi palentibus et non solidis laterum præsidiis, semper ad vitiorum infirma relabuntur, dum divino destituti auxilio suæ pertinaciæ fastu intereunt. »

Beelzebub qui?

CONSULITE BEELZEBUB DEUM ACCARON. — Septuaginta, *consulite Baal muscam, deum Accaron*, Josephus, *consulite Myodis* (*id enim Deo nomen erat*) *oraculum*; pro est musca, inde *Myodes* est deus muscarum, qui scilicet invocabatur ad abigendas muscas, quibus abundabant Accaronitæ ob solum humidum et calidum, ex maris vicinia. Idem dicebatur Jupiter *Apomyus*, teste Pausania, lib. V, et Plinio, libro XXIX, cap. VI, ubi *Myodem* vocat *Achoram*, forte quia in Accarone, ut hic dicitur, colebatur. Similo modo colebatur deus Smintheus, ad abigendos mures, hos enim creteuses vocant Samithus; et Parnopius ad abigendas parnopas, id est culices, vel, ut alii volunt, locustas, teste Pausania in *Atticis*. Gentiles enim rebus omnibus deos præficiebant, adeoque colebant Febrim, Cloacinam, Pavorem et Pallorem quasi numina, teste S. Augustino, lib. IV *De Civit. Dei*, cap. XVI et XXIII. Sic *Beelzebub* Hebraice idem est quod *Baal* sive *Bel* et *Bel* בעל *Zebub*, id est musca, vel *Baal Musca*, ut vertunt Septuaginta; idolum enim hoc instar muscæ erat efformatum, ait Nazianzenus, lib. II *Contra Julianum*, et Theodoretus, *Quæst.* III. Hinc et Philastrius inter hæreses numerat « Myolatras, » id est muscæ adoratores, sive « Muscacaronitas, » *Hæresi* 43. Vide dicta *Matth.* X, 25. Quibus adde nonnullos cum Serario sentire, quod *Beelzebub* sive *Myodes*, id est *Deus muscæ*, fuerit libidinis deus, aut dea quæpiam, ob impudicitiam et libidinem quæ in muscis notatur; unde Lucianus in Encomio muscæ tradit olim fuisse meretrices, quæ *muscæ* vocabantur. Insuper dii (dæmones) omnes propter multitudinem, insolentiam, impudicitiam, mordacitatem, sordes, fetorem, muscæ vocari possunt: unde hoc sæculo dæmon specie magnæ muscæ vel crabronis involans in eum, qui relicta fide orthodoxa Anabaptismum profitebatur, illico eum quasi possidens, S. Scripturæ peritum efficiebat, eumdemque hac peritia privabat, si ab Anabaptismo ad fidem rediret, uti oculati testes narrant. Rursum dæmones « muscæ » vocantur, quia, ut ait, lib. *De Sacrificiis*, Lucianus, « victimarum sanguini muscarum instar inhiarent. Adde, in Gentilium vates, muscæ instar dæmones quandoque involasse, ut oracula ederent; quemadmodum Sacerdotale Romanum tradit, eum interdum ad energumenos obsidendum accedere. Hinc scitur apud Judæos, qui contemptus et detestabilis erat, vocatur Beelzebub, *Matth.* cap. X. Ipse dæmonum princeps, *Matth.* XII, tanquam omnium salacissimus, impudentissimus, contemptissimus, » ait Serarius; aut quia *Myodes* erat *Jupiter* ἀπόμυιος, ut dixi; Jupiter autem est deorum omnium primus et princeps.

Tropologice, colunt Beelzebub, id est deum muscam vel muscarum, impudentes, luxuriosi, insolentes, inquieti, litigiosi. Audi S. Gregorium lib. XVIII *Moral.* cap. XXV, explicantem quartam Ægypti plagam, quæ fuit muscarum, *Exod.* VIII, 21: « Ægyptus, quæ hujus mundi speciem tenet, muscis percutitur. Musca enim nimis insolens et inquietum animal est. In qua, quid aliud, quam insolentes curæ desideriorum carnalium designantur? Unde alias dicitur: Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti; quia cogitationes superfluæ, quæ assidue in animo carnalia cogitante et nascuntur et delectant; eam suavitatem qua unusquisque intrinsecus per spiritum est, perdunt; quoniam integritate ejus perfrui non permittunt. Ægyptus ergo muscis percutitur; quia eorum corda qui terrenam vitam diligunt, duro desideriorum morum inquietudinibus lacerantur, turbis cogitationum carnalium ad ima depressa sunt, et ad quietis lucem desiderium non levatur. Unde cum ope pietatis ad cor veritas venit, prius ab eo cogitationum carnalium æstus ejicit, et post in eo virtutum dona mira disponit. » Plura de muscarum symbolis dixi *Eccles.* X, 1, ad illa: « Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. »

3. QUIA NON ERAT (quia scilicet relicto Deo consulendi Beelzebub) etc., MORTE MORIERIS. — Elias intentat mortem Ochoziæ ob consultum dæmonem; quod potent ii qui consulunt divinos et magos; hos enim Deus plectet morte æterna et sæpe temporali. Sic enim Saul occisus est in prælio, eo quod consuluisset Pythonissam, I *Reg.* XXVIII, 16. Sic Achab telo confossus est, quod a pseudoprophetis Baal eventum belli asset scisciatus, lib. III *Regum* capite ultimo. Est enim hæc consultatio scelus grave, et Deo valde injurium; quia per illud præscientia futurorum et divinatio adimitur Vers. 4.

ejus divinitati, cum propria est, ac traditur diabolo. Unde Deus ostendit quam aeriter hanc sui contumeliam sentiat, dum eam tam atrociter castigat.

8. VIR PILOSUS ET ZONA PELLICEA ACCINCTUS. — Incedebat enim Elias intonsus, prolixa barba et capillis, hispido vestitu et piloso, puta melote, sive pelle ovina vel caprina intonsa circumdatus, et zona pellicea accinctus, id est corio non apparato, sed adhuc piloso et villoso, quasi crematis mundi contemptor, et pauperatis præcone simplicitatis amator. Vide Cassianum, libro I *Instit.* cap. 1. Faluitabat R. Eliezer cap. XXXI, zonam hanc Eliæ fuisse ex pelle illius arietis, quem pro Isaac immolavit Abraham, *Genes.* XXII.

9. Hanc DEI, (ironice ita eum vocat, *q. d.* O Elia, qui te vocas pietasque virum Dei) REX PRÆCEPIT UT DESCENDAS — ex vertice montis Carmeli ad nos, ut te quasi captivum deducamus ad regem Ochoziam, cui mortem prænuntiasti, ut hujus funesti oraculi rationem reddas, et pœnas luas. Itaque quinquagenarius hic peccavit primo impietate, quia impietati Ochoziæ volentis Eliam castigare consensit, ejusque fuit administer. *Secundo*, fastu, quia imperiose et superbe quasi regii mandati executor jussit eum descendere; ideoque ab Elia uno a Deo igne cœlesti sideratus occubuit.

10. RESPONDENSQUE ELIAS DIXIT QUINQUAGENARIO: SI HOMO DEI SUM, DESCENDAT IGNIS DE COELO ET DEVORET TE ET QUINQUAGINTA TUOS. — Elias titulum ironicum sibi datum, serium efficit, eumque in caput dicentis per serium vindictam retorquet. Unde nota: pro *Dei* Hebraice est, *Elohim*, quæ vox significat Deum qua judicem et vindicem, *q. d.* Si ego sum minister *Elohim*, id est summi judicis et vindicis, ut tu ironice dixisti, ipse *Elohim* me, ut suum ministrum, defendat, ac puniat tuam insolentiam et violentiam qua me ejus ministrum vis capere, et ad regem invitum pertrahere. Hæc enim violentia in Deum ipsum, qui meus est herus et Dominus, redundat. Quare hanc sui, imo Dei injuriam Elias ultus est, spiritu vehementi igneque e cœlo devocans. Idem faciet in fine mundi cum Enoch decertans contra Antichristum ejusque asseclas; unde *Apocal.* XI, 5, de utroque dicitur: « Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore (jussu) eorum, et devorabit inimicos eorum, » et *Eccli.* cap. XLVIII, vers. 4: « Surrexit Elias propheta, quasi ignis et verbum ipsius quasi facula ardebat, » et vers. 3: « Dejecit ignem de cœlo ter. » Vide ibi dicta.

Symbolice, S. Ambrosius, lib. *De iis qui mysteriis initiantur*, IX, cum Elia comparat sacerdotem consecrantem Eucharistiam. Sicut enim Elias igne cœlesti consumpsit quinquagenarium cum suis, sic sacerdos, vi divini verborum Christi, consumit substantiam panis et vini, illamque in Christi corpus convertit: nam, ut ait Lanfrancus *Contra Berang.*: « Si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret; non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? »

11. FESTINA, DESCENDE. — Impudentior fuit hic secundus pentacontarchus priore; tum quia audito ejus supplicio non resipuit, tam quia auxit impudentiam, addendo: *festina*; ideoque eadem pœna plexus, ac igne cœlesti consumptus est.

14. OBSECRO UT MISEREARIS ANIMÆ MEÆ. — Hic tertius duorum præcedentium supplicio territus, et sapientior factus, fit supplex Eliæ: unde non audet petere dicereque ut descendat, sed misericordiam postulat, ut scilicet sibi parcat, et dicat quid sibi facto sit opus: quid scilicet regi renuntiare debeat. Quare ei Elias non tantum pepercit, sed et monente Angelo ultro se comitem ad regem adjunxit.

17. REGNAVIT (in Israel) JORAM FRATER EJUS PRO EO, ANNO SECUNDO JORAM FILII JOSAPHAT REGIS JUDÆ, — qui scilicet cum patre Josaphat adhuc vivente, sed eunte cum Achab ad pugnam contra Syros, ideoque absente, regnabat in Jerusalem, de quo cap. III, vers. 1. Cæso enim Achab in bello, illico successit ei in regnum filius Ochozias, et eo primo regni sui anno e morbo moriente, frater ejus Joram.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Elias curru igneo rapitur in cœlum; succlamat ei Eliseus: pater mi! currus Israel et auriga ejus. Mox, vers. 14, pallio Eliæ dividens Jordanem, sicco pede eum pertransit. Inde, vers. 19, aquas pessimas in meliores sale persanat. Denique, vers. 23, pueros 42 sibi insultantes: Ascende, calve, immissis duobus ursis dilacerat.

1. Factum est autem, cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cœlum, ibam Elias et Eliseus de Galgalis. 2. Dixitque Elias ad Eliseum: Sede hic, quia Dominus misit me usque in Bethel. Cui ait Eliseus: Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cumque descendissent Bethel, 3. egressi sunt filii prophetarum, qui erant in Bethel, ad

Eliseum, et dixerunt ei: Numquid nosti quia hodie Dominus tollet dominum tuum a te? Qui respondit: et ego novi, silete. 4. Dixit autem Elias ad Eliseum: Sede hic, quia Dominus misit me in Jericho. Et ille ait: Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cumque venissent Jericho, 5. accesserunt filii prophetarum, qui erant in Jericho, ad Eliseum, et dixerunt ei: Numquid nosti quia Dominus hodie tollet dominum tuum a te? Et ait: Et ego novi, silete. 6. Dixit autem ei Elias: Sede hic, quia Dominus misit me usque ad Jordanem. Qui ait: Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. Ierunt igitur ambo pariter, 7. et quinquaginta viri de filiis prophetarum secuti sunt eos, qui et steterunt econtra, longe: illi autem ambo stabant super Jordanem. 8. Tulitque Elias pallium suum, et involvit illud, et percussit aquas quæ divisæ sunt in utramque partem, et transierunt ambo per siccum. 9. Cumque transissent, Elias dixit ad Eliseum: Postula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar a te. Dixitque Eliseus: Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus. 10. Qui respondit: Rem difficilem postulasti; attamen si videris me, quando tollar a te, erit tibi quod petisti: si autem non videris, non erit. 11. Cumque pergerent, et incedentes sermocinarentur: ecce currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque; et ascendit Elias per turbinem in cœlum. 12. Eliseus autem videbat, et clamabat: Pater mi, pater mi! currus Israel et auriga ejus. Et non vidit eum amplius: apprehenditque vestimenta sua, et scidit illa in duas partes. 13. Et levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei: reversusque stetit super ripam Jordanis, 14. et pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas, et non sunt divisæ, et dixit: Ubi est Deus Eliæ etiam nunc? percussitque aquas, et divisæ sunt huc atque illuc, et transiit Eliseus. 15. Videntes autem filii prophetarum, qui erant in Jericho econtra, dixerunt: Requievit spiritus Eliæ super Eliseum. Et venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram, 16. dixeruntque illi: Ecce, cum servis tuis sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire, et quærere dominum tuum, ne forte tulerit eum spiritus Domini, et projecerit eum in unum montium, aut in unam vallium. Qui ait: Nolite mittere. 17. Coegerunique eum, donec acquiesceret, et diceret: Mittite. Et miserunt quinquaginta viros: qui cum quæsissent tribus diebus, non invenerunt. 18. Et reversi sunt ad eum; at ille habitabat in Jericho, et dixit eis: Numquid non dixi vobis: Nolite mittere? 19. Dixerunt quoque viri civitatis ad Eliseum: Ecce habitatio civitatis hujus, optima est, sicut tu ipse, domine, perspicis; sed aquæ pessimæ sunt, et terra sterilis. 20. At ille ait: Afferte mihi vas novum, et mittite in illud sal. Quod cum attulissent, 21 egressus ad fontem aquarum, misit in illum sal, et ait: Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, et non erit ultra in eis mors, neque sterilitas. 22. Sanatæ sunt ergo aquæ usque in diem hanc, juxta verbum Elisei, quod locutus est. 23. Ascendit autem inde in Bethel, cumque ascenderet per viam, pueri parvi egressi sunt de civitate, et illudebant ei, dicentes: Ascende, calve: ascende, calve. 24. Qui cum respexisset, vidit eos, et maledixit eis in nomine Domini; egressique sunt duo ursi de saltu, et laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. 25. Abiit autem inde in montem Carmeli, et inde reversus est in Samariam.

2. SEDE HIC. — Elias ex modestia et humilitate voluit occultare suum raptum, ideoque Eliseum a se dimittere. Bona enim Dei, quæ pertinent ad aliqualem, inquit Abulensis, persœpe excellentiam, occultari debent, ne homines videantur in eis gloriari; quia Dei est ea manifestare, uti hic manifestavit raptum Eliæ per filios prophetarum. Nonnisi circa Elias non tam præcipit, quam hortatur Eliseum, dicens « sede, » id est mane « hic; » non est necesse ut me comiteris. Verum Eliseus sapienter ab Eliæ latere discedere noluit, ut eius benedictionis fieret particeps et zeli spiritusque hæres; unde ait:

VIVIT DOMINUS, ET VIVIT ANIMA TUA (id est juro per vitam Dei et animæ tuæ), QUIA (quod) NON TE RELINQUAM TE. — Hinc liquet Deum Eliseo revelasse Eliam propediem rapiendum fore, illique suggessisse ut caveret, ne eum desereret.

3. EGRESSI SUNT FILII PROPHETARUM. — Erant hi discipuli Eliæ, Elisei, aliorumque prophetarum, qui quasi viri religiosi totos se dabant Deo: quorum multa jam erant collegia in Galgalis, Bethel,

Jericho, Carmelo, etc., ab Elia et aliis instituta, ideoque Elias ante raptum ea hic visitavit, ut suos alumnos in vera fide, et aspero vitæ eremiticæ instituto confirmaret, ultimaque salutis et perfectionis monita eis daret, et Elisæum successorem suum promulgaret. Exhortationem Elias ad eos graphice hic repræsentat Sallanus. Porro inter eos erant aliqui veri prophetæ, qui hic raptus Eliæ revelationem a Deo acceperunt, eamque Eliseo et aliis revelarunt, ut patet ex sequenti.

Vers. 7. 7. ILLI AUTEM (Elias et Eliseus) STABANT SUPER (id est juxta) JORDANEM, — ut cum Elias divideret, et sicco pede transiret.

Vers. 9. 9. OBSECRO UT FIAT IN ME DUPLEX SPIRITUS TUUS. — « Duplex, » id est duplo major, aiunt nonnulli cum Theodoreto, *Quæst.* VII, et Græcis. Accedit B. Petrus Damiani, serm. 2 *De Nativit. S. Joannis Baptistæ* : « In Eliseo, ait, fuit duplex Eliæ spiritus, non meritorum cumulo, sed exhibitione miraculorum, quia 24 miracula fecit, cum Elias fecerit 12 duntaxat, » licet alii paciora numerent. Unde Anastasius Nicenus, *Quæst.* LV, numerat Eliæ signa septem, Elisei vero 14. Accedit et S. Ambrosius, serm. 2 *De Eliseo*, qui exclamat : « O hereditas pretiosa, in qua plus hæredi relinquitur quam habebat : plus consequitur qui accipit, quam possideret qui largitur! Pretiosa plane hæreditas, quæ, dum a patre transfertur ad filium, meritorum quadam fenore duplicatur! Igitur Elias, cum simplicem sanctitatis ipse haberet spiritum, Eliseo duplicem dereliquit. Mirum ergo in modum plus Elias gratiæ dimisit in terris, quam secum portavit ad cælos : et licet ipse ad altiora totus transferatur corpore, aliud filium tamen majore manet sanctitate. » Alii : « duplex, » inquiunt, respectu tertiæ partis residuæ : ita ut si spiritus Eliæ in tres divideretur partes, Eliseus postularet sibi duas, idque videtur innuere : *in duorum*, quod est in II hæreo. Unde Pagninus vertit : *Erit sacrificium duarum partium de spiritu tuo super me.* Melius alii : *in duplice* tribuunt Eliæ, *q. d.* Oro, o Elia, ut *tuus spiritus duplex*, id est multiplex, validus et eximius, in me derivetur, ut, te absente, ego quasi filius tibi in spiritu tuo exstans, quasi in hereditate spirituali succedam, eoilemque zelo, quo tu, cultum veri Dei contra falsos propugnem. Unde Angelomus : « Spiritus duplex, inquit, est spiritus prophetici et miraculorum. » Pro*Secundo.* Tertio et quarto. batur id *genio* ex Hebræo qui habet : *Os duorum in spiritu tuo fiat mihi*; pri. egenitus enim duplicem habebat portionem hæreditatis paternæ, cæteri vero filii simplicem id quam duntaxat, *q. d.* Peto ut ego quasi primogenitus tuus, o Elia, tibi in utroque tuo spiritu succedam. *Secundo*, quia *Eccli.* XLVIII, 4, dicitur de Elia : « Quis poterit gloriari ut Elias? » Ergo ille major fuit spiritu, quam Eliseus; *tertio*, quia ibidem vers. 13, dicitur : « Et in Eliseo completus est spiritus ejus. » Vide ibi dicta.

Vers. 10. 10. SI VIDERIS ME, QUANDO TOLLAR A TE, ERIT TIBI QUOD PETISTI : SI AUTEM NON VIDERIS, NON ERIT. — Gratio hujus conditionis a Deo et Elia proposita Eliseo fuit, ut magis accenderet Elisei desiderium et studium, itaque eum præpararet ad tantum spiritus Eliæ duplicis donum, utque ipsius Eliæ preces crescerent pro Eliseo, proque hoc spiritu ei impetrando, ad ipsius et totius Israelis bonum. Erat enim uterque incertus an Eliseo præsente raperetur Elias, ut ejusdem spiritus hæres et successor fieret. Ita S. Chrysostomus, hom. 4 *in Acta*; qui et addit Eliam hic præfigurasse Christum, qui non statim post resurrectionem misit Spiritum in Apostolos, sed voluit prius eos videre suam ascensionem in cœlum, indeque decimo die, puta in festo Pentecostes, misit in eos Spiritum Sanctum, ut ad eum per plures dies se compararent.

Vers. 11. 11. ECCE CURRUS IGNEUS, ET EQUI IGNEI DIVISERUNT UTRUMQUE. — Non erat hic currus vere igneus, sic enim arripuisset Eliam; sed habebat formam et speciem ignis, sicut habent meteora in aere formata. Erant enim revera Angeli, qui assumendo formam ignis, sursum vertabant Eliam, juxta illud : « Qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem, » *Psal.* CIII, 4. Fuit ergo hic ignis nec crassior, splendens, rubensque ut ignis, ait Abulensis, *Quæst.* XVII, Serarius et alii. Hic ergo currus igneus ab Angelis ex nubibus fuit formatus, quo Elias, quasi triumphator et civis cœli, raptus est in altum. « Igneus enim currus congruebat igneo Eliæ animo, ad eum vehendum in cœlum, » ait S. Chrysostomus, hom. 1 *De Elia*. Item officio ad quod Elias reservatur, videli. et ad persecutendum secundum Christi ad judicium adventum. Plures alias hujus currus raptusque causas litterales, allegoricas, tropologicas et anagogicas recensui *Eccli.* XLVIII, 9, ad illa : « Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. » Porro Elias hoc curru igneo non tantum de Achab, Jezabele et idololatris, sed et de morte, ipsoque igne triumphavit : fuit enim hic currus triumphi, uti fuit currus Cherubim *Ezechielis* I. Ait noster Prado ibidem, *q. d.* Par est ut tu, o Elia, qui in vita imperaveras igni in cœlo, jam ab igne quasi ejus imperator et triumphator, velueris in cœlum : unde patet quam inepte dicat R. Kimchi, Eliam in sphæra ignea ob ignis fusse consumptum. Audi S. Ambrosium, serm. 2 *De Eliseo* : « Elias magister Eliseo nonne Angelis ducentibus raptus ad cœlum est, et quadriga ignea impositus quasi in quodam triumpho victor ascendit? Victor enim existerat non gentium barbararum, sed scelerum voluptatum. Siquidem graviores inimici sunt pravi mores, quam hostes infesti : ut facilius mutiligamus hoc tempore malignitatem hostium vinci posse, quam morum. »

Currus igneus quis?

ET ASCENDIT ELIAS PER TURBINEM IN CŒLUM. — Septuaginta, *et assumptus est Elias in commotione usque ad cœlum*. Chaldæus, *ad summitatem cœlorum*, *Eccli.* cap. XLVIII, 9, habetur : « Qui receptus es

in turbine ignis. » Græce *in lælam*, id est *procella ignea*. Videtur ergo Deus emisisse fulgetra, coruscationes et fulgura, simulesque igneas procellas, quæ Eliam raperent et vehorent in cœlum. Unde Vatablus ibidem vertit : *Qui procella ignea sublatus es in curru equorum ardentium*. Sic ergo Elias turbine sive vento impellente, curru igneo vehente, et Angelo auriga utrumque moderante, vectus est in cœlum, ait Abulensis, Vatablus, Serarius, Sallianus et alii. Auct S. Ambrosium *in Symb. Apost.* sub finem : « Enoch translatus est, inquit, ne videret mortem : similiter et Elias in corpore isto positus, curru igneo, id est Angelorum subvectione, qui sunt spiritus et flamma ignis, qui faciunt voluntatem Dei, in illa commotione usque ad cœlum assumptus est. » Auctor *mirabilium Scripturæ*, lib. II, cap. XXII : « eam jamque Elias igneo curru receptus velut ad cœlum, considerante Eliseo, rapitur. » Rursum Ambrosius, lib. *De Nabuthæ*, cap. XIV : « Cum reciperetur Elias, et curru quasi ad cœlum ferretur, clamavit ad eum Eliseus : Pater, pater, agitator Israel, et eques ejus, hoc est, qui populum Domini bono ductu regebas, constantiæ merito hos accepisti currus, hos eques ad divina currentes, quia moderatorem te humanarum mentium Dominus comprobavit. Ideo tanquam boni auriga certaminis, victor æterno præmio coronaris. »

IN CŒLUM. — Septuaginta, vers. 1, vertunt *quasi in cœlum*. Hinc *primo* nonnulli censent Eliam vere raptum in cœlum, non aerem, sed æthereum, ibique quasi cœlitem degere. Ita Dorotheus in synopsi, cap. *De cœlo Eliæ*; S. Hieronymus in cap. IX *Amos*; S. Ambrosius, lib. *De Paradiso*, cap. III; Alcimus, lib. IV, et Serarius. *Secundo* alii censent Eliam raptum « in cœlum, » id est in aerem, indeque traductum in paradisum terrestrem; in illum enim raptus fuit Enoch, *Eccli.* XLIV, 16. Ita Irenæus, lib. V, cap. V, S. Justinus, *Quæst.* LXXXV, Isidorus, lib. *De ortu et obitu Sanctor.* cap. V, S. Thomas, I *part. Quæst.* CII, art. 2. *Tertio* alii censent Eliam ductum in secretam aliquam terræ regionem. Ita S. Gregorius, hom. 29 *in Evang.* et Rupertus, lib. III *De Trinit.* cap. XXXIII. *Quarto*, certius alii dicunt incertum esse Eliæ et Enoch locum. Ita S. Chrysostomus, hom. 22 *in epist. ad Hebr.*, ibique Theophylactus et Œcumenius, S. Augustinus, *De gratia Christi*, cap. II et III, S. Cyprianus, *De mortibus Sion et Sina*, Theodoretus, *Quæst.* XLV *in Genes.* sive ergo in terra, sive in aere sit Elias, vitam agit quietam et sanctam, in jugi Dei contemplatione, uti ex S. Augustino ostendi *Genes.* V, 22.

Quarto variat. *Tertio.*

Ex hoc Eliæ raptu in cœlum, poetas accepisse fabulas de solis quadriga asserit Beda, *Quæst.* XXXVII, et S. Chrysostomus, hom. 1 *De Elia*; ubi docet *Eliam* dici quasi ἅλιος, id est solem, imo ab *Elia* solem dictum esse ἅλιος.

Anagogice, raptus Eliæ fuit expressus typus ascensus Christi in cœlum, uti docet S. Bernardus, serm. 3 et 6 *De Ascens.* ac S. Gregorius, hom. 29 *in Evang.* quem audi : « In cœlum aereum Elias sublevatus est, ut in secretam quamdam terræ regionem repente duceretur, ubi in magna jam carnis et spiritus quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, et mortis debitum solvat. Ille etenim mortem distulit, non evasit. Redemptor autem noster, quia non distulit, superavit; eamque resurgendo consumpsit, et resurrectionis suæ gloriam ascendendo declaravit. » Deinde Christi ascensum præfert raptui Eliæ, subjiciens : « Notandum quoque est quod Elias in curru legitur ascendisse; ut videlicet aperte demonstraretur, quia homo purus adjutorio indigebat alieno. Per Angelos quippe facta illa et ostensa sunt adjumenta : quia nec in cœlum quidem aereum per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas gravabat. Redemptor autem noster non curru, non Angelis sublevatus legitur : quia is qui fecerat omnia, nimirum super omnia sua virtute ferebatur. Ille etenim revertebatur ubi erat : et inde redibat ubi remanebat; quia cum per humanitatem ascenderet in cœlum, per divinitatem suam et terram pariter continebat et cœlum. » Et nonnullis interjectis : « Nam Enoch translatus, Elias vero ad cœlum subvectus esse memoratur; ut veniret postmodum, qui nec translatus, nec subvectus cœlum ætherium sua virtute penetraret. »

Vias Eliæ ist quales.

Addit deinde in hisce tribus sensim crevisse castitatem et sanctimoniam usque ad summum : « Translatus namque est Enoch, inquit, et per coitum genitus, et per coitum generans. Raptus est Elias per coitum genitus, sed non per coitum generans. Assumptus vero est Dominus, neque per coitum generans, neque per coitum generatus. »

An mortui sint?

Denique Elias et Enoch jam sunt æternitatis candidati, et paradisi (sive illius primi, de quo *Genes.* II, sive alterius simillis aut melioris) coloni, confirmati in gratia, ait Franciscus Suarez : ac licet non videant Deum, nec sint Beati, multa tamen a Deo lumina et solatia hauriunt; versantur enim quasi « in atrio domus Domini. » Unde crebrius ab Angelis, quam cæteri mortales visitantur, cum eisque colloquuntur. Illinc et vivunt ex verbo Dei, sine cibo et potu corporeo. Deus enim eos conservat incorruptos (æque ac vestes eorum, uti servavit vestes Hebræorum per 40 annos in deserto) sanos, vegetos, alacres, et de suo gradu, statu, et officio gaudentes et exultantes. Juges enim agunt gratias Deo, quod soli ipsi deo ex tot millibus hominum electi sint, qui in fine mundi pro Christo contra Antichristum certaturi sint, ac gentes et Judæos conversuri, tandemque martyrio glorioso coronandi, quique fidem et spem resurrectionis sua translatione, incorruptione et longævitate hominibus persuadeant, et reipsa repræsentent.

An sint in statu merendi necne, problema est

Affirmant Abulensis, *Quæst.* XXIV, Viegas in cap. XI *Apoc.* com. 3, Malvenda, lib. IX *De Antichristo*, cap. V, Henriquez, lib. ult. *De fine hominis*, cap. XXIII, et alii. Ratio est, quia adhuc sunt viatores, ac cum differatur eorum beatitudo, quæ aliis eorum comitis jam pridem data est, videtur hujus dilationis vice eis concessa facultas augendi sua merita. Negant Franciscus Suarez, tom. II in III part. disp. LV, sect. 1, Vererius, lib. VII *in Genes.*, disp. *De Enoch*, Quæst. V, Gabriel Vasquez, I II, disp. CCXVI, cap. I, et alii. Ratio est, quod raptus eis reputetur quasi mors, in qua cessat omne meritum : et quia alioqui ipsi continue augendo sua merita per tot annorum millia, omnes sanctos gratia et gloria superarent, excepta B. Virgine.

Vers. 12. 12. ELISEUS AUTEM VIDEBAT ET CLAMABAT : PATER MI, PATER MI! CURRUS ISRAEL ET AURIGA EJUS. — Hebraice, *currus Israel et equites ejus* : Septuaginta, *et cynes ejus*, q. d. Vale, o Elia, pater mi, qui eras totum robur Israelis, ac magis Israelem juvabas tuo zelo et oratione, quam magna curruum et equitum multitudo. Ita Procopius, Vatablus, Cajetanus et alii.

Unde Chaldæus vertit : *Magister mi, magister mi, qui melior eras Israeli oratione tua curribus et equitibus.* Sic et Joas rex, visitans Eliseum morientem, ei succlamavit cap. XIII, 14 : « Pater mi! currus Israel et auriga ejus. » Talis enim post Eliam fuit Eliseus.

Tropologice, Elias, id est doctor et prædicator mores populi corrigens, currus est : quia eum tolerando portat : auriga, quia eum exhortando agitat. Audi S. Gregorium, lib. II *in Ezech.* hom. 21 : « Quid est, quod Elias currus Israel et auriga dicitur, nisi quia auriga agitat, currus portat? Doctor ergo qui mores populi et per patientiam sustinet, et sacri eloquii verbis docet, et currus dicitur et auriga. Currus, quia tolerando portat; auriga, quia exhortando agitat. Currus, quia mala sustinet; auriga, quia populum bonis admonitionibus exercet. » Hinc et S. Cyrillus *in Collectan.* : « Currus, inquit, significat excelsum et illuminatam vitæ rationem Eliæ. » Rursum S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. VIII : « Currus, inquit, est anima sancta, auriga et agitator est Christus; equi sunt quatuor, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia : hi animam ad cœlum evehunt. Velociores, inquit, prudentia tardat, justitia admonet flagello proprio segniores; temperantia mansuetiores, fortitudo duriores reddit : novit populare discordes, ne forte curruum suum dissipent. Itaque licet intelligibili spectaculo videre unamquamque animam cum summo certamine ad cœlum rapi, festinantes equos, quibus priores perveniant ad brabium Christi, quorum prius imponatur palma cervicibus. Isti sunt equi subjecti fidei jugo, adstricti vinculo charitatis, justitiæ frenis, retinaculis sobrietatis. »

Politice : « currus Israel et auriga ejus, » est princeps, qui sustinet quasi currus onera Reipublicæ et populi, ac dirigit, ut auriga, jugales : aurigatur, et præsidet, et simul bajulat et portat. Princeps et prælatus ergo sit ut mater, quæ regit et portat infantem. Hinc princeps Hebraice dicitur : נָשִׂיא *nasia*, q. d. portitor, bajulus, qui populi onera levat. Sic *Isaiæ* IX, de Christo dicitur : « Cujus imperium super humerum ejus. »

Moraliter hic significat quo 3, si te totum divino imperio subdideris, facile a tuis subditis debita obsequia impetrabis. Elia per turbinem in cœlum abeunte, exclamat de terra Eliseus : « Pater mi, pater mi! currus Israel et auriga ejus. » Currum appellat simul et aurigam; currum, qui regitur; et aurigam, qui regit : ut ostenderet eum optimi principis munia explevisse, quod non solum alios prudenter regeret, sed etiam seipsum ab ipso Deo regi facile pateretur. Unde Lyranus in Commentario moralí ad I lib. *Reg.* cap. IX : « Currus, inquit, qui ducitur, hic ponitur primo; et auriga, qui ducit, secundo : ad ostendendum quod ille bene ducit regendo, qui primo fuit ductilis in obediendo. »

Quæres quo anno, mense et die Elias sit raptus in cœlum. Respondeo, raptus est ante finem regni Josaphat : nam ejus gesta hucusque audivimus et audiemus cap. seq., ubi post Eliæ raptum, coram eo prophetavit Eliseus. Videtur ergo raptus paulo post mortem Ochoziæ regis Israel, quam ipse ei prædixerat cap. I : post illam enim statim ejus raptus hoc cap. II, subjungitur. Mortuus est autem Ochozias anno regni sui secundo, qui fuit regni Josaphat annus 18, et filii ejus Joram cum patre regnantis secundus, ut patet hoc libro, cap. III, vers. 17, et lib. III, cap. ult. vers. 32, unde Salianus, Genebrardus et alii asserunt Eliam raptum sub annum 19 regni Josaphat, qui fuit a creato mundo, ait Salianus, annus 3139, post raptum Enoch 2102, ante Christi ortum 914. Illisce fere consentiunt Hebræi in Seder Olam, Josephus, Abulensis, Tornielius, Serarius et alii. Hoc ergo anno Christi 1638. Elias a raptu suo agit annum 2552. Inde Syri, cum longam et felicem alicui vitam precantur, optant ei Eliæ annos et vitam. Vivit enim adhuc Elias et vivet usque ad finem mundi, quando pro Christo certans contra Antichristum ab eo martyrio laureabitur. Raptus est Elias mense Julio, ac die ejus vigesima : illa enim die raptus ejus consignatur in Martyrologio Romano et Menologio Græcorum : quin et Græci in honorem Eliæ templa erexerunt, ut docet Baronius *in Martyrol.* ad diem 20 julii. Quoto anno vitæ suæ raptus sit Elias præcise definiri nequit. Cæpit ipse prophetare paulo post initium regni Josaphat, ait Salianus, anno ejus tertio, vel quarto, ut vult Torniellus : raptus est anno ejus 19, quare per sedecim annos prophetavit. Adde his triginta annos, et plures quos habebat cum cæpit prophetare (nemini enim ante annum ætatis trigesimum apud Hebræos prophetare licebat), habebis ut minimum annos Eliæ ante raptum 46.

Elias raptus anno ejus Josaphat.

Elias 20 Julii.

Denique Elias in multis fuit typus Christi, ut ostendunt Patres, præsertim S. Cyprianus, lib. *De Spiritu Sancto*, et S. Augustinus, serm. 204 *De Temp.*, atque ex iis exacte noster Salianus, anno mundi 3139, num. 33 et seq.

Successit Eliæ Eliseus dignus tanto magistro discipulus, annos natus 40, qui sub sex regibus Juda scilicet sub Josaphat, Joram, Ochozia, Athalia, Joas et Amasia (quibus synchroni et coævi fuerunt Jehu, Joachas et Joas regnantes in Israel) prophetavit per annos 66, mortuusque est anno ætatis 106, qui fuit annus Amasiæ regis octavus, mundi 3204, ante Christum 849, uti ex S. Cyrillo, lib. *Contra Julian.* et Clemente Alexandrino, lib. I *Strom.*, docet Salianus anno mundi jam dicto, schol. 1. Porro S. Epiphanius in *Vita Elisei*, ait, eo die quo natus est Eliseus, vitulum aureum a Jeroboem conflatum, vocem ediditse tam sonoram, ut audiretur Jerosolymis, qua significabatur illo die natum esse infantem, qui vitulos aureos cæteraque idola everteret.

APPREHENDITQUE (Eliseus) VESTIMENTA SUA, ET SCIDIT ILLA IN DUAS PARTES, — in signum luctus, quod tanto magistro, scilicet Elia, per ejus raptum foret orbatus. Hic enim raptus erat instar mortis Eliseo : privabat enim eum solita instructione, colloquio et consolatione Eliæ. Vestis scissione ergo Eliseus luxit Eliæ abitum, indeque suam orbitatem et solitudinem.

Vers. 13. ✠ 13. ET LEVAVIT PALLIUM ELIÆ, QUOD CECIDERAT EI, — quod scilicet Elias ascendens dimittebat Eliseo, ad sui memoriam, ac ad Elisei solatium et auxilium. Abulensis censet hoc pallium fuisse cilicinum ex pilis camelorum, uti fuit vestis S. Joannis Baptistæ. Verisimilius Serarius et alii censent fuisse meloten, id est vestem factam ex pelle ovina. Nam Septuaginta vertunt, *et tulit melotem Eliæ, quam ceciderat super eum.*

ET NON SUNT DIVISÆ. — Sic et Septuaginta. Hæc tamen verba desunt in Hebræo et Chaldæo, sed subintelliguntur : ideo enim Eliseus secundo percussit aquas, quia prima percussione non fuerant divisæ. Noluit enim Deus in prima aquas dividi, ne novus propheta Elias ex patento miraculo superbiret de novo suo spiritu, sed per preces ad Deum recurreret. Rursus ut sciret se hanc aquarum divisionem, cæteraque miracula secutura, non suis, sed Eliæ meritis obtinere. Ita Abulensis et Cajetanus.

Vers. 14. 14. UBI EST DEUS ELIÆ ETIAM NUNC? — Hebræa et Septuaginta, *etiam ipse*, qui scilicet semper idem est, fidelis, omnipotens, et servos suos se invocantes exaudiens : « Non quod Deum putaret absentem, sed quia præsentiam ejus in beneficiis requirebat, » ait S. Ambrosius *in Psal.* XXXVII. Unde Chaldæus vertit : *Suscipe petitionem meam, Domine Deus Eliæ etiam ipse.* Hoc est primum Elisei miraculum, scilicet quod pallio Eliæ pervadens Jordanem, cum adiverit et sicco pede transierit. Nota : pro *etiam ipse*, Hebræum est אַף־הוּא *aph hu*, quam vocem Hebræam retinent Septuaginta vertuntque ἀφὼ (quam proinde perperam Theodoretus accipit ut Græcum vertitque *occultum*), quasi illud sit nomen proprium Dei. Dei enim nomen est illud : « Ipse est qui fecit nos, ipse fecit eniam et terram, ipse est Dominus Deus noster, » הוּא Ait enim derivatur ab הָיָה *haia* : quare idem est quod *Jehova*, sive *Jo*, id est *qui est*, *Exodi* III, 6.

Ipse nomen Dei, scilicet הוּא qui est.

19. AQUÆ PESSIMÆ SUNT ET TERRA STERILIS, — quia scilicet terra hæc juxta aquas pessimas est sita; unde in Hebræo et Chaldæo est : *terra orbatrix*, sive *terra orbat*, vel perimit, scilicet semina in se jacta, per suam amaritiem vel putredinem. Quocirca sanatis ab Eliseo aquis, sanata et fecundata pariter fuit terra : alioqui enim ager Jerichuntis erat fertilis et dives; tantum ergo aqua salsuginosa terræ sibi vicinæ nocebat, eamque sterilem reddebat. Porro Aristoteles in *Polit.*, docet in fundandis urbibus et domibus duo maxime esse spectanda, scilicet an aer sit bonus, et aquæ salubres; aqua enim in potu, et aer in respirationem penetrant intima hominis, itaque ea bene vel male afficiunt, ac sanitatem vel morbum mortemque conciliant.

20. AFFERTE MIHI VAS NOVUM, ET MITTITE IN ILLUD SAL, — Vasis novitas significabat per preces et merita Elisei deinceps fore novitatem aquarum et terræ, ut ex sterili fieret fertilis. Quare videtur Eliseus vas totum cum sale in fontem immersisse, ut asserit Josephus, S. Ambrosius, Beda, Angelomus et Eucherius.

Vers. 20.

21. EGRESSUS AD FONTEM AQUARUM, MISIT IN ILLUM SAL, ET AIT : HÆC DICIT DOMINUS : SANAVI AQUAS ISTAS. — Videntur enim aquæ istæ, si non salsæ, certe putres et oliđæ fuisse, ideoque convenienter salem adhibuit, licet miraculo, aquarum tantum perpurgarit, et perpurgatas tam diu conservarit, ut ait cap. XXXIV *Sacræ Paginæ*. Franciscus Vallesius, imitator hoc Ecclesiæ in benedictione salis et aquæ, cum benedicitur aqua lustralis, dum orat ut aqua sic benedicta sit salus mentis et corporis. Ita Abulensis.

Vers. 21.

FONTES. — Hinc patet non omnes aquas fœlichunis fuisse pravas, sed hujus fœlis duntaxat quem fuse describit Josephus multamque addit more suo amplificatio et Romanorum auribus accommodatio. Audi eum, lib. V *De bello*, IV : « Hunc fontem aliquando ferunt non solum ferax atque lignorum fructus, sed etiam feminarum partum, obtundere solitum, cunctaque pariter morbo ac peste corrumpere; postea vero mansuevisse, contraque salubérrimum ac feracissimum esse factum ab Eliseo quondam propheta, qui Eliæ notus fuerat atque successerat, deceptus enim hospitio ab Hierichuntinis habitatoribus, quod humaniores eos expertus erat, ipsos et omnem illam regionem perpetua gratia remuneratus est : progressusque ad fontem, lagenam fictilem salis plenam in profluentem aquam misit. Juxta deinde ad cœlum dextram tendens, fontique invergens

blanda libamina, ipsum quidem precabatur ut fœcunda leniret, ac dulciores aquarum venas aperiret. Deum vero, ut fœcundioribus auris flumina temperaret, orabat; tamque ubertatem fructuum quam successionem prolis daret indigenis, ne eos genitrix filiorum aqua deficeret, quoad justi manerent. Ad has preces ex disciplina manibus quoque multa operatus, fontem immutavit : et qui antea causa erat his orbitatis ac famis, idem victus ac fœcunditatis auctor est effectus. » Et nonnullis interjectis : « Optimos autem in ea paradisos ac densissimos educat, palmarumque irriguarum genera, tam sapore quam nominibus varia; quarum pinguissimæ calcibus pressæ plurimum mellis emittunt, non multum allo melle deterius; quanquam et mellis altrix est illa regio, et opobalsami ferax, qui omnium carissimus est fructus ibi nascentium; itemque cyperus et mirobolanum gignit : ut qui divinum esse illum tractum dixerit, non erraverit, ubi et larga et optima generantur, quæ sunt carissima. Sed nec in aliis ei fructibus aliqua facile toto orbe regio certaverit : adeo multiplicatum quod satum est, reddit. Cujus rei causa mihi videtur esse aquarum vis læta et aeris calor. » Ubi ridicule, si non impie, Josephus asserit Eliseum precatum esse fontem ut cœlum ut manna aceret et dulceret; nimirum voluit se accommodare Romanis Gentilibus, qui sacros fontes et cœlum precabantur, imo solitude ut manna adorabant. Porro quod sit aquas has steriles facisse feminas, colligit ex textu Hebræo Sic, qui habet teeam fuisse מְשַׁכֶּלֶת *mecchelleth*, id est *orbatricem*, quod directe de terræ fructibus dicitur. Josephus autem idipsum extendit ad feminas; hæc enim proprie dicuntur orbæ, dum filiis orbantur. Josephum secutus S. Ambrosius, serm. 2 *De Exeo* : « Videte, ait, quanta Elisei sint merita, cujus prima in civitate hospitalitas, magna est filiorum fecunditas. Dum enim sterilitatem averlit aquarum, successionem largitur hæredum. » Censet ergo ipse cum Josepho Eliseum non tantum terræ, sed et feminis sterilibus fœcunditatem dedisse. Pergit Ambrosius : « Non enim hoc facto unum Eliseus sanavit hominem, aut unius domus prostitit medicinam, sed totius civitatis populum repsravit. Si enim fœdus hoc fecisset, intervenientie sterilitate, senescentibus cunctis civitas sine habitatore remansisset. Igitur Eliseus, dum curavit aquam, curavit et plebem : at dum fontem benedixit undarum, fontem quemdam indulsit animarum. Nam sicut sanctificatione ejus de occultis terræ venis aqua sana prodivit, ita de occultis vulvæ visceribus soboles sana processit. Non enim sola tantum fluenta benedixit Eliseus, quæ fontium jam gremio tenebantur, sed et illa quæ humido terræ solo adhuc indiscreta, paulatim erant in posterum defluxura. »

Tropologice S. Ambrosius, serm. 87, qui est *De Eliseo*, per sol accipit Christum et Apostolos, qui suo sapientiæ sale condierunt et fœcundum effecerunt totum orbem : « Sterilis civitas, ait, fuit Ecclesiæ ante Christi adventum; at ubi venit Christus velut vas fictile assumens corpus humanum, sanavit aquarum vitia, id est rescavit sacrilegia populorum; et statim Ecclesia, quæ erat sterilis, cœpit esse fœcunda insperso sale, id est Apostolis de quibus dicitur : Vos estis sal terræ. » Sic et Beda in *Quæst.* qui per sal accipit sapientiam Christi : Eliseus enim fuit typus Christi tam factis quam nomine proprio; *Eliseus* enim Hebraice idem est quod *salus Dei*, vel *Deus Salvator*. Ita ex Beda Encherius et Angelomus. Elisæus, inquiunt, vasi indidit sal, illudque in aquam immittens; itaque eam sanans et fœcundans significabat quod omnes aquæ, id est, omnes populi, antea virtutibus steriles, per Christi incarnationem, fœcunditatem et benedictionem accepturi essent. Hinc in nomine *Eliæ*, id est *Eliseus* continetur nomen *Jesu* : *Elisei* enim idem est quod *El Jesus*, id est *Deus*, vel *potens* (omnipotens) *Jesus*. Paulo aliter S. Augustinus, lib. *Contra Fulgentium Donatistam*, non longe ante finem, per fontem Elisei accipit Jordanem, in quo baptizatus Christus aquas baptismi salutares effecit : « Eliseus, ait, est Christus Salvator, qui aquarum sterilitatem, id est gentium infœcunditatem discussa morte sanavit. Accepit vas fictile, hoc est corpus fragilitatis humanæ : sal misit, id est sapientia divina replevit. In aquam projecit, hoc est, in Jordanem descendit : aquas suo descensu sanavit, id est gentes suo adventu redemit, et mirifante sermone, Ecclesiam ex gentibus congregavit, et in fœtus uberes longe lateque diffudit. »

23. ASCENDIT AUTEM INDE ELISEUS IN BETHEL, — ubi Jeroboam rex alterum ex vitulis suis aureis quasi idolum constituerat, ut contra illud depugnaret.

PUERI PARVI EGRESSI SUNT DE CIVITATE, ET ILLUDEBANT EI DICENTES : ASCENDE, CALVE. — Calvities est capitis depilatio, ideoque deformitas, sicut ejus pulchritudo et quasi corona est cæsaries et coma; præsertim apud Syros et Palæstinos, ubi, utpote in regione calida et sicca, plerique omnes comati sunt, densoque et duros habent capillos. Unde Ovidius :

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus
Et sine fronde frutex, et sine crine caput.

Et Aristoteles, lib. V *De gener. animal.*, asserit in homine idem esse calvescere, quod in avibus deplumari, aut in arboribus frondes defluere. Hinc olim Romani servis caput radebant; et Caligula Imperator, ait Suetonius in ejus Vita, cap. XXXV, adolescentulos pulchros et comatos, quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat ad lædibrium. Ex adverso quantus capitis decor sit coma, ostendit S. Ambrosius, lib. VI *Hexam.* cap. IX : « Ipse autem vertex, ait, capitis quam suavis et gratus! quam speciosa cæsaries, quam reverenda in senibus, quam veneranda in sacerdotibus, quam terribilis in bellatoribus, quam decora in adolescentibus, quam compta in mulieribus, quam dulcis in pueris! » Deinde addit quod proxime Aristoteles : « Ex arboribus licet quæ humani sit gratia capitis æstimare. In quibus arboris omnis est fructus; ibi omnis est pulchritudo : tollo arbori comam, tota arbor ingrata est. »

Hoc ergo puerorum in Eliseum probrum et convicium : « Ascende, calve, » partim physicum est, partim ethicum. Physicum, quia exprobrant ei vitium naturæ, quia calvitiem; ethicum, quia tacite exprobrant ei libidinem. Calvi enim a nimis habebantur luxuriosi. Ende illud Juvenalis, *Satyra* IV de Domitiano imperatore luxurioso et crudeli : Calvi luxuriosi.

Cum jam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus, et calvo serviret Roma Neroni.

Et illud Suetonii de Julio Cæsare : « Urbani, servate uxores, mœchum calvum deducimus. » Imo Plinius et Aristoteles propriam calvitiei causam assignant libidinem : Plinius enim, libro XI, cap. XXXVII, sic ait : « Defluvium eorum (pilorum) in muliere rarum, in spadonibus non visum, nec in ullo ante Veneris usum. » Idem tamen ibidem ait : « quædam animalia naturaliter calvent, sicut struthio, camelus, et servi aquatici. » Aristoteles, lib. V *De gener. anim.* cap. III : « Nemo, inquit, antequam coire incipiat, calvescit; sed a venereo coitu potius evanit, sellicet iis qui sua natura sunt copropensiores. » Causam subdit : « Cum enim cerebrum frigidissimum omnium corporis partium sit, tum rei veneræ usus refrigerat, quo fit ut calor cerebro ad producendos in capite pilos deficiat, itaque fiat calvities. » Et mox : « Qui semen fœrunt, ea ipsa ætate calvescunt, qua semen emittunt. » Verum hi auctores sic explicandi sunt, quod velint calvitiem in multis oriri ex nimia venere, non tamen in omnibus; rursus, quod proni in venerem citius calvescant quam alii; insuper quod nemo calvescat, antequam potens sit semen emittere, hoc est ante pubertatem. Sic Aristotelem explicat Cardanus, libro IV *De sanitate tuenda*, cap. XV. Nam etiam castos calvescere patet experientia, ut Eliseus fuit calvus, quem tamen S. Ignatius, epist. *ad Philadelph.* Virginibus annuntiat. Alioquiens enim virgines, sic ait : « Virgines, solum Christum pro crotis habete, et ejus Patrem in animabus vestris, illuminate a Spiritu Sancto. Memor cum sanctitatis vestræ sicut Elias, sicut Jesu Nave, sicut Melchisedech, sicut Eliseus, sicut Jeremias, sicut Joannes Baptista, sicut discipulissimi discipuli S. Joannis, sicut Timothei, sicut Titi, sicut Evodii, sicut Clementis, et eorum qui in castitate de vita exierunt; non detrahe autem ceteris beatis qui nuptiis copulati fuerunt, quorum nunc non meminit. » Avicenna docet calvitiem in nonnullis esse hereditariam affectionem, ideoque calvescere, qua a calvis progeniti sunt, sicut vice versa Æthiopes et ab eis progeniti ob magnum calorem vix calvescunt. Sic constat alios senio, alios morbo, alios continuo intensoque studio, alios profunda meditatione, etc., hoc enim cerebrum desiccant et debilitant, calvescere. Variis enim ex causis potest caput infrigidari, cerebrum debilitari et contenui, ac cranium capitis siccitate durari, quæ tres sunt calvitiei causæ, ut docet Aristoteles, Galenus, XIV *Meth.* cap. XVIII, cæterique medici. Unde S. Thomas Aquinas ex parte fuit calvus ob continuum contentumque studium, qui tamen perpetim fuit virgo, imo virginitatis zona ab Angelis cinctus, ut habet ejus Vita. Porro alii prisci et moderni calvitiem æque ac cæsariem non probrum, sed decus senectutis æstimant, imo calvos olim habitos fuisse pulchros, quasi luna splendenti similes, ideoque eos a luna adamari docet vetus illo versus : Calvi ob similitudinem lunæ.

Mavors imberbes et calvos, luna, adamavit.

Idem docet Lucianus cujus verba recitat Robertus Titius lib. II *Controver.* capite XVII. Lucianus enim agens de hominibus, qui fabulose in luna habitare dicuntur : « Pulcher, inquit, apud illos habetur calvus, et sine coma : comatos autem abominantur. Apud eos vero, qui cometas inhabitant stellas, comati contra formosi habentur. » Unde etiam factum puto, ut calvi a Synesio lunulæ nuncupentur, nisi quis malit hujus appellationis causam ad splendorem cranii depilis referre, quod lucet instar lunæ : certe de leocrate dicterium commemoratur, quod per calvam ejus cerebrum elucereat. Valerius quidem Maximus, de Æschylo poeta loquens, ait : « In Sicilia incolibus urbis, in qua morabatur egressus, aprico in loco resedit; super quem aquila testudinem ferens, elusa splendore capitis (erat enim capillis vacuum), perinde atque lapidi eam illisit. » Itaque Petronius arbiter epigrammate quodam calvariam ridere dixit, id est splendescare; id enim interdum significat vox illa, sicut apud Horatium : « Ridet argento domus. » Denique Nicetas Choniates agens de Unoa : « Cæterum Ducas, inquit, cujus ante meminimus, illi adstans, detracto capite pileo, orabat ut sibi diadema imponeretur, calvitio ostenso, quod instar plenæ lunæ relucebat. »

Denique nonnulli putant Eliseum non natura vel ætate et senio, sed pro religiosorum et Nazæorum ritu caput rasisse, idecque fuisse calvum, id est rasum. Sicut illius illorumque veterum exemplo in nova lege Pontifices, Sacerdotes et Monachi per tonsuram Ecclesiasticam orbiculariter raso, et quasi calvo cum capite, tum ut christi coronam spineam repræsentent, tum ut mundo valedicentes, totos se Deo dedicent, uti olim fecere Nazæri : ab eis enim tonsuram hanc acceptam esse tradit S. Isidorus, lib. *De divinis officiis ac Conc. Aquisgran.* cap. I, quem audi : « Tonsuræ Ecclesiasticæ usus a Nazæreis, ni fallor, exortus est; qui prius crine servato, deinde post vitæ magnam continentiam, devotione completa, caput radebant, et capillos in ignem sacrificii porro- Nazæi rasi calvi. Ab eis tonsura ecclesiastica.

nere jubebantur; scilicet ut perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent. Hujus ergo exempli usus ab Apostolis introductus est, ut qui divinis cultibus mancipati, Domino consecrantur, quasi Nazarei, id est Sancti Dei, crine præciso inoventur. Hoc quoque et Ezechieli prophetæ jubetur, dicente Domino : Tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum, et duces super caput tuum et barbam. Videlicet quia ipse Sacerdotali genere Deo in ministerio sacrificationis serviebat. Hoc et Nazaræos Priscillam et Aquilam in actis Apostolorum primos fecisse legimus. Paulum quoque Apostolum, et quosdam discipulorum Christi, qui hujusmodi cultu imitandi extiterunt. Est autem clericis tonsura signum quoddam quod in corpore figuratur, et in anima agitur : scilicet ut hoc signo et religione vitia resecentur, et criminibus carnis nostræ quasi crinibus exuamur, utque inde innovatis sensibus, ut comis rudibus, enitescamus; exspoliantes nos, juxta Apostolum, veterem hominem cum actis suis, induentes novum, qui renovatur in agnitione Dei; quam renovationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, ubi ipsa mens noscitur habitare. Quod vero detonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur, sacerdotium regnumque Ecclesiæ in eis figurari. »

Quare sicut hæretici jam Sacerdotes et Monachos irridentes, vocantque rasos et calvos, juxta illud unius ex ipsis. « Turba Sacerdotum vertice rasa caput : » sic quoque hi pueri, a parentibus hæreticis et idololatris instructi, videntur Eliseum ejusque discipulos Nazaræos, indeque eremitas, ideoque capite tonsos et rasos, per ludibrium vocasse calvos. Hi enim pueri erant Bethelitarum idololatrarum, vitulum aureum colentium filii; teste S. Augustino cujus verba mox citabo. Eliseo ergo quasi viro religioso illudentes succlamarunt: « Ascende, calve, » scilicet in montem nostræ urbis Bethel, aut etiam, ascende in aerem, uti ascendit magister tuus Elias, *q. d.* Rapiat et auferat te malus aliquis genius in auras, uti abstulit Eliam magistrum tuum : sequere discipulus magistrum, ut nobis desinas esse molestus, nec amplius nos ob cultum vituli aurei castiges et objurges. Ita S. Justinus in Quæst. 80 *ad Orthodoxos* : « Proscindendæ, inquit, per detractionem Eliæ assumptionis gratia proferebant, perinde ac si dicerent: Abripiat te quoque spiritus, et in juga montium invia inaccessa abjiciat, quemadmodum illum adjecit, ut itidem a te liberemur, sicut ab illo liberati sumus. »

Porro vocantur hi pueri parvi, quia non erant adolescentes, sed pueri novem vel decem annorum, ideoque doli et culpæ capaces, ut patet tum ex ipsa petulanti et maledica irrisione, tum ex ejus acerrima punitione.

Allegorice, Judæi Christo a se depilato et corona spinea coronato illuserunt, dicentes : Ascende in crucem. Unde S. Bernardus, serm. 1 *ad milites templi*, cap. 1, ait : « Ascenoit itaque crucem calvus noster, mundo pro mundo expositus, et revelata facie ac discooperta fronte purgationem peccatorum faciens, probrosæ et austeræ mortis tam non erubuit ignominiam, quam nec pœnam exhorruit, ut nos ab opprobrio sempiterno eriperet, restitueret gloriæ. Nec mirum; quid enim erubesceret, qui ita lavit nos a peccatis, non quidem ut aqua diluens, et retinens sordes, sed veluti solis radius desiccans et retinens puritatem? Est quippe Dei sapientia ubique altingens propter munditiam suam. »

22. QUI CUM RESPEXISSET, VIDIT EOS, ET MALEDIXIT EIS IN NOMINE DOMINI, — id est imprecatus est eis a Deo justam punitionem et vindictam. Fecit hoc Eliseus ex justo religionis zelo : *primo*, quia dum servi et prophetæ Dei irridentur, Deus ipse irridetur. Ita S. Thomas, II, II *Quæst.* CVIII, art. 1, ad 4. *Secundo*, magis parentes quam pueros punire voluit; parentes enim idololatræ pueris instillabant suam idololatriam, et contemptum veri Dei, ejusque prophetarum. Nam ut ait S. Augustinus, serm. 204 *De Tempor.* : « Rem parentibus instigantibus fecisse pueri contumeliosi credendi sunt. Neque enim illi clamarent, si parentibus displiceret. » Et S. Justinus, *Quæst.* LXXX citata : « Deus, ait, puerorum clade parentes flagellavit, ac simul posteros monuit ut in vero Dei cultu, modestia et probitate filios suos educent, ne similiter castigentur. » Unde S. Gregorius, lib. IV *Dial.* cap. XVIII, narrat parvulum quemdam blasphemare solitum e sinu patris a dæmonibus abreptum. « Quatenus, inquit, reatum suum pater ejus agnosceret, qui parvuli filii animam negligens, non parvulum peccatorem gehennæ ignibus nutrivisset. » Addit Auctor *Mirabil. S. Script.* lib. II, cap. XXII, forte pueros istos a parentibus vitulo aureo et idolis fuisse consecratos. *Tertio*, Eliseus bene consuluit pueris; effecit enim ne impunitate deteriores fierent, ait Theodoretus, *Quæst.* XIII. Si enim diutius vixissent, sceleratiores et idololatræ parentum doctrina et exemplo evasissent, ideoque gravius damnandi.

Vers. 22. Eliseus culpabilis puer. Cur? Causa prima. Secunda. Tertia.

EGRESSIQUE SUNT DUO URSI DE SALTU, ET LACERAVERUNT EX EIS QUADRAGINTA DUOS PUEROS. — Apposite ursos immisit Deus ad devorandos pueros ante ora patrum, ut quos ad informandos pueros imitari neglexerant, eosdem experirentur in illorum internecione lictores. Ostendit enim hosce parentes, qui in formandis filiis fuerant socordes, imo impii, ursis esse pejores. Ursi enim informes fœtus suos lambendo formant et figurant, teste Plinio, lib. VIII, cap. XXXVI, et lib. X, cap. LXIII. Unde S. Ambrosius : « Ursa, ait, partus suos (lambendo) ad sui effingit similitudinem, tu filios tuos instruere similes tui non potes? »

Allegorice, Abulensis, Serarius et alii passim : Eliseus, inquiunt, ascendens in montem, est Christus montem Calvariæ ascendens, ibique crucifixus; illuserunt ei 42 pueri, id est Judæi dicentes :

Eliseus typus Christi crucifixi

« Si tu es Christus Dei Filius, descende de cruce. » Maledixit eis Christus ordinando eis in pœnam, excidium Jerusalem, ut scilicet post quadraginta annos ab ascensu suo in « Bethel, » id est « in domum Dei, » puta in cœlum, de sylva gentium venirent duo ursi, scilicet Titus et Vespasianus, qui eos lacerarent et perderent. Ita Angelomus, Eucherius, Beda, Rupertus, et S. Hieronymus *in tit. Psalm.* XLVI : « Eliseus, ait, figuram Christi tenet; pueri, Judæorum qui dixerunt : Ave, rex Judæorum : ursi proprie dæmones intelliguntur; quia devoraverunt corda illorum, ideoque Psalmus ille inscribitur pro filiis Core, qui sunt filii Calvi. » Et S. Augustinus, lib. XII *Contra Faustum*, cap. XXXV : « Eliseo, ait, pueros insultantes et clamantes : Calve, calve, bestiæ comedunt; pueruli, stultitia deridentes Christum in loco Calvariæ crucifixum, invasi a dæmonibus pereunt. »

Tropologice Origenes, homil. 4 *in Ezech.*, per duos ursos accipit dæmones et bestias vitiorum, quæ in animam peccatricem immittuntur. Denique Marcion hæresiarcha, ut probaret Moysen Christo, et vetus Testamentum novo contrarium, illudque a malo et crudeli Deo, hoc a bono et benigno editum : Christus, inquit, jubet nos esse ut parvulos; at vero Deus ille vetus immisit ursos in parvulos Eliseum irridentes : hic ergo illi est contrarius. Respondet Tertullianus, lib. IV *Contra Marc.* cap. XXIII : « Satis impudens antithesis, cum tam diversa committit, parvulos et pueros; innocentem adhuc ætatem, et judicii jam capacem, quæ conviciari poterat, ne dicam blasphemare. Quia ergo justus Deus, nec pueris impiis pepercit, exigens majori ætati honorem, et utique magis a minore. Quia vero bonus, adeo diligit parvulos, ut apud Ægyptum bene fecerit obstetricibus protegentibus partus Hebræos, periclitantes edicto Pharaonis. Ita et hæc affectio Christi cum Creatore est. »

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliseus exercitui regis Israel siti laboranti dat aquam, et victoriam contra Moab. Unde versu 26, rex Moab undique circumsessus filium suum immolat; quare rex Israel indignans ab eo recedit.

1. Joram vero filius Achab regnavit super Israel in Samaria anno decimo octavo Josaphat regis Judæ, regnavitque duodecim annis. 2. Et fecit malum coram Domino, sed non sicut pater suus et mater : tulit enim statuas Baal, quas fecerat pater ejus. 3. Verumtamen in peccatis Jeroboam filii Nabath, qui peccare fecit Israel, adhæsit, nec recessit ab eis. 4. Porro Mesa rex Moab nutriebat pecora multa, et solvebat regi Israel centum millia agnorum, et centum millia arietum, cum velleribus suis. 5. Cumque mortuus fuisset Achab, prævaricatus est fœdus quod habebat cum rege Israel. 6. Egressus est igitur rex Joram in die illa de Samaria, et recensuit universum Israel. 7. Misitque ad Josaphat regem Juda, dicens : Rex Moab recessit a me, veni mecum contra eum ad prælium. Qui respondit : Ascendam; qui meus est, tuus est : populus meus, populus tuus; et equi mei, equi tui. 8. Dixitque : Per quam viam ascendemus? At ille respondit : Per desertum Idumææ. 9. Perrexerunt igitur rex Israel, et rex Juda, et rex Edom, et circuierunt per viam septem dierum, nec erat aqua exercitui, et jumentis quæ sequebantur eos. 10. Dixitque rex Israel : Heu, heu, heu, congregavit nos Dominus tres reges, ut traderet in manus Moab. 11. Et ait Josaphat : Estne hic propheta Domini, ut deprecemur Dominum per eum? Et respondit unus de servis regis Israel : Est hic Eliseus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ. 12. Et ait Josaphat : Est apud eum sermo Domini. Descenditque ad eum rex Israel, et Josaphat rex Juda, et rex Edom. 13. Dixit autem Eliseus ad regem Israel : Quid mihi et tibi est? vade ad prophetas patris tui, et matris tuæ. Et ait illi rex Israel : Quare congregavit Dominus tres reges hos, ut traderet eos in manus Moab? 14. Dixitque ad eum Eliseus : Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Josaphat regis Judæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem. 15. Nunc autem adducite mihi psaltem. Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, et ait : 16. Hæc dicit Dominus : Facite alveum torrentis hujus fossas et fossas. 17. Hæc enim dicit Dominus : Non videbitis ventum, neque pluviam, et alveus iste

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Universitaria y Tellez

repletur aquis, et bibetis vos, et familiæ vestræ, et jumenta vestra. 18. Parumque est hoc in conspectu Domini : insuper tradet etiam Moab in manus vestras. 19. Et percutietis omnem civitatem munitam, et omnem urbem electam, et universum lignum fructiferum succidetis, cunctosque fontes aquarum obturabitis, et omnem agrum egregium operietis lapidibus. 20. Factum est igitur mane, quando sacrificium offerri solet, et ecce aquæ veniebant per viam Edom, et repleta est terra aquis. 21. Universi autem Moabitæ audientes quod ascendissent reges, ut pugnarent adversum eos, convocaverunt omnes qui accincti erant balteo desuper, et steterunt in terminis. 22. Primoque mane surgentes, et orto jam sole ex adverso aquarum, viderunt Moabitæ econtra aquas rubras quasi sanguinem. 23. Dixeruntque : Sanguis gladii est ; pugnaverunt reges contra se, et cæsi sunt mutuo ; nunc perge ad prædam Moab. 24. Perrexeruntque in castra Israel : porro consurgens Israel, percussit Moab ; at illi fugerunt coram eis. Venerunt igitur qui vicerant, et percusserunt Moab. 25. Et civitates destruxerunt, et omnem agrum optimum, mittentes singuli lapides, repleverunt : et universos fontes aquarum obturaverunt ; et omnia ligna fructifera succiderunt, ita ut muri tantum fictiles remanerent : et circumdata est civitas a funditoribus, et magna ex parte percussa. 26. Quod cum vidisset rex Moab, prævaluisse scilicet hostes, tulit secum septingentos viros educentes gladium, ut irrumperent ad regem Edom, et non potuerunt. 27. Arripiensque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum : et facta est indignatio magna in Israel, statimque recesserunt ab eo, et reversi sunt in terram suam.

Vers. 1. 2. JORAM VERO FILIUS ACHAB REGNAVIT SUPER ISRAEL IN SAMARIA ANNO DECIMO OCTAVO JOSAPHAT REGIS JUDA. — Dices : Hic versus pugnare videtur cum versu 17, cap. 1, ubi dicitur Joram rex Israel cœpisse regnare anno secundo Joram filii Josaphat, qui utique post patrem Josaphat regnavit : quomodo ergo hic dicitur cœpisse regnare anno 18 Josaphat? Respondeo, Joram in Juda cœpisse regnare cum patre Josaphat anno 17 regni ejus : quare annus 18 Josaphat fuit annus secundus regni Joram filii ejus, quo Joram filius Achab cœpit regnare in Israel. Josaphat enim pergens ad bellum cum Achab contra Syros, ut dictum est supra ultimo, lib. II, surrogavit sibi filium Joram, eumque constituit regem in Juda, tum ne se absente regnum destitueretur rege, tum ne cæderet successus ira, si contigisset ipsum in bello mori, uti supra fit. Ita Abulensis, Cajetanus, Sanctius et alii.

Ita patet hic Abulensis, Quæst. XXI, nu decent religiosos, qualis erat Eliseus, in actis Principum versari, ac respondet decere, si sint magnæ solidæque prudentiæ et virtutis, uti erant Elias et Eliseus quos Deus ad reges mittebat, ut eos in Dei cultu erudirent, vitia castigarent, sana consilia suggererent. Sic Plutarchus scripsit libellum hoc titulo : « Maxime cum principibus viris philosopho esse disputandum. » Unde Pericles usus est Anaxagora, Dionysius Tyrannus Scribe Platone, Pythagoræ Principes Italiæ, Cato Athenodoro, Scipio Panætio. Ceterum ad castra magis religiosos probatæ virtutis mittiexpedit, ut militesinstruant, confortent, sacramenta ministrent ; unde multi militum per eos salvantur, qui sine eis damnamentur, ut patet ex missionibus castrensibus in Belgio, Germania, Italia, Gallia, etc. Adde religiosorum exempla sanctitatis, preces et sacrificia multum prodesse exercitibus, uti profuit hic Eliseus. Cæterum Religiosi, qui honoris, libertatis vel voluptatis causa nullas subeunt, tam nullas quam scipsos perdunt, ac religionum Superioribus magnas creant molestias, ut satius esset eos esse sæculares, quam religiosos, ut experientia docet.

2. TULIT ENIM STATUAS BAAL, — scilicet libenter Vers. 2. et amovit e Samaria et regno Israel idola et simulacra Baal ; quia viderat patrem suum Achab ob ejus cultum in prælio cæsum.

3. VERUMTAMEN IN PECCATIS JEROBOAM, etc., AD- Vers. 3. HESIT, — colendo vitulos aureos in Jerusalem evectos, et populum ad eorum cultum impellendo, ne a se deficeret ad Josaphat regem Juda, si Jerosolymam ejus metropolim ad colendum verum Deum in templo adiret. Marcus fuit regum Israel judicii perversitas, cæcitas et obstinatio in sustentandis hisce vitulorum idolis, ideoque omnes perierunt et exesi sunt.

5. CUMQUE MORTUUS FUISSET ACHAB, PREVARICATUS Vers. 5. EST JORAM, — hoc est, ex Moab rebellavit, ut vertit Chaldæus, Joramo regi Israel, aque solitum tributum negavit ; quia eum ob juventutem, et ob cæcum in prælio Achab patrem contempsit.

8. PER DESERTUM IDUMÆÆ. — imprudens fuit hoc Vers. 8. responsum et consilium. « Desertum » enim est locus aridus, ubi desunt aquæ pro lautis cœpiis, quantæ erant in tribus exercitibus, scilicet regis Juda, regis Israel, et regis Edom ; unde milites mox siti laborarunt et defecerunt, ut sequitur.

Permisit id Deus, ut puniret Joram regem Israel idololatram, atque viam sterneret ad miraculum abundantiæ aquarum dandæ per se et Eliseum ; ut et eo rex agnosceret se esse verum Deum, ac idola vitulorum abdiceret.

11. EST HIC ELISEUS, etc., QUI FUNDEBAT AQUAM SUPER MANUS ELIÆ, — id est qui Eliæ quasi ministerviebat : ministrorum enim est fundere aquas super manus dominorum, cum eas mane vel ante prandium abluunt.

13. QUID MIHI ET TIBI EST, — quasi dicat : Quæ mihi societas vel communio est tecum? Tu enim colis vitulos aureos, ego vero verum Deum : « Vade ergo ad prophetas patris tui, » puta sacerdotes et cultores vitulorum, quos hucusque in consilium adhibuisti : illos etiam nunc consule, cum tibi oraculum et consilium in rebus naturaliter desperatis dare non poterunt ; unde in iis confugis ad me et ad Deum verum, quem hucusque spernebas. Mira fuit hic dicendi et regem arguendi libertas in Eliseo, digna tanto propheta, et viris Apostolicis imitanda, cum ab hæreticis principibus ad temporalia communeda evocantur. Vide hic de re exempla Moysis, Eliæ, Pauli aliorumque, quæ recenset S. Gregorius, VII *Moral.* XV.

14. VIVIT DOMINUS (id est juro per Dominum) IN CUJUS CONSPECTU STO (quem ut mihi præsentem semper in monte habeo, reverenter, celo et amo, neque ne magister meus Elias, a quo hoc didici) QUEM SI NON VOLTUM JOSAPHAT REGIS JUDA (qui mecum Deum verum colit) ERUBESCEREM, NON ATTENDISSEM QUIDEM TE, NEC RESPEXISSEM, — sed despexissem, nec te dignatus essem responso, multo minus oraculo, quia tu Deum meum negligis et despicis. Qui enim Deum habet præsentem nullius præsentiam timet aut curat. Quocirca Sextus Philosophus *in Sententiis*, (quas falso Sixti Pontificinomine impressæ exstant) num. 293 : « Ad omnia quæ agis, inquit, Deum invoca testem. » Et mox 378 : « Exordium in agendo a Deo sume. Ore autem prius Deum habeto et mente quam respexeris. » Et num. 277 : « Sapientum animæ insatiabiles sunt in amore Dei. » Et num. 304 : « Participes Dei est vir sapiens. » Et num. 430 : « Sapientis manus speculum est Dei. » Et numer. 805 : « Optime honorat Deum, qui mentem quoad potest, similem Deo facit. »

15. NUNC AUTEM (in honorem et auxilium fidelis pliquæ regis Josaphat) ADHIBETE MIHI PSALTEM, — qui instrumentum musicum manu pulset (nam enim significat Hebraice נגן *nenagen*) ; unde Chaldæus vertit, *adhibete mihi virum, qui sciat psallere cithara*. Jussit Eliseus *psaltem* psallere, ut sono suavi et harmonia musices, animum mentisque indignatione in regem Israel commotum colligeret, sedaret, eumque in Deum orando sustolleret, et ad recipiendam a Deo prophetiam disponeret. Fuit enim hic psalles Levita, ait Theodoretus, qui Psalmos plus a Davide compositos psallere solebat. Ita Rupertus, Abulensis et alii. Audi S. Gregorium, hom. 1 *in Ezech.* : « Cum enim (Eliseum) Josaphat de futuris requireret, et prophetiæ ei spiritus deesset, psaltes fecit applicari, ut prophetiæ ad hunc spiritus per laudem psalmodiæ descenderet, atque ejus animum de venturis repleret. Vox enim psalmodiæ, cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Domino ad cor iter paratur, ut intento mentis, vel prophetiæ mysteria, vel compunctionis gratiam infundat. » Sic S. Franciscus audiens harmoniam lyræ, mente in Deum sustollebatur. Idem de se fatetur S. Augustinus in *Confession.* dum audiret psalmodiam.

CUMQUE CANERET PSALTES, FACTA EST SUPER EUM MANUS (id est operatio et illustratio) DOMINI, — q. d. Canente et personante psalte, Deus Elisei mentem illustravit, atque futura revelavit, ac aquam victoriamque promisit. Sic sæpe de Ezechiel et aliis prophetis, dum prophetant, dicitur : « Facta est super eum manus Domini, » hoc est Deus ei lumen propheticum indidit.

16. FACITE ALVEUM TORRENTIS HUJUS FOSSAS ET FOSSAS, — quasi dicat : Facile multas et profundas fossas in alveo hujus torrentis, ut iis excipiatis copiam aquarum, quam Deus mox daturus est vobis.

20. FACTUM EST IGITUR MANE, QUANDO SACRIFICIUM OFFERRI SOLET, — ut intelligamus, ait Cajetanus, virtutem sacrificii matutini, quod jugiter ex lege mane Deo offerebat Josaphat in templo, cooperatam esse ad hoc miraculum.

ET ECCE AQUÆ (adductæ per Angelos) VENIEBANT PER VIAM EDOM, — in castra Josaphat et regum sociorum, ut ex iis satis redundarent.

22. PRIMOQUE MANE SURGENTES, ET ORTO JAM SOLE Vers. 22. EX ADVERSO AQUARUM, VIDERUNT MOABITÆ E CONTRA AQUAS RUBRAS, QUASI SANGUINEM, — ex reflexione radiorum solis matutini, qui ob vapores nocturnos, per quos transparebant, rubri videbantur, sicut idem rubri videntur, cum transeunt per vitrum rubrum ; rubri quoque nobis apparent, cum e nube vel terra ad oculum repercutiuntur. Hoc enim est ratio optica, ut patet ex perspectiva et ex quotidiana experientia. Unde Hebræice est, *sol illuminavit super aquas et viderunt aquas rubras*. Et Josephus, « aquæ, inquit, vicle ramor rubræ, eo quod illo tempore (mane) maxime aquæ radiis solis icta rutilat. » Non ergo vere rubræ erant aquæ, sed ob radiorum reflexionem rubræ apparebant, ita Abulensis et alii. Porro hæc aquarum rubedine decepti Moabitæ, putarunt illas sanguine hostium inter se dimicantium rubricari, ideoque in eos irruentes ab eis cæsisunt ad internecionem.

25. ITA UT MURI TANTUM FICTILES REMANERENT. — Vers. 25. Hebraice est, *donec dimitterent lateres ejus in pariete charsirth*, id est *fictili*, sive laterilio, scilicet ex lateribus fabricato (1). Ita Septuaginta, Pag-

(1) Ad verbum juxta hebraicum textum : Donec, vel

ninus et alii. *Secundo*, Rabbini et Vatablus vertunt, *duntaxat in Kir Hareseh reliquos fecerunt lapides ejus*, quasi *Kir Hareseh* fuerit primaria civitas Moab, quæque lateritios habebat muros, ad quam proinde cæteris omnibus ab Hebræis vastatis, rex Moab cum suis profugerat; unde de ea mox subdit : « Et circumdata est civitas a fundibularis (1); » utraque ergo versio consonat, utraque vera est, ut dixi *Isaiæ* XVI, 7, et *Jerem.* XLVIII, 31.

27. ARRIPIENSQUE FILIUM SUUM PRIMOGENITUM, etc., OBTULIT HOLOCAUSTUM SUPER MURUM. — Tum ut Dii placati hoc tam dilecto et insigni holocausto tutarentur murum, tum ut Israelitis murum obsidentibus commiserationem moveret, dum viderent regem, ad tantas angustias redactum, ut filium suum primogenitum immolaret, itaque cum obsidere, et persequi desinerent, eoque relicto domum redirent, uti et fecerunt. Hoc etiam in extremis angustiis facere solitos reges Phœnicum, ut rem dilectissimam, scilicet filium, Deo suo sacrificarent, tradit Porphyrius apud Eusebium, libro IV *De Præpar.* cap. VII : « Phœnices, inquit, ubi gravius sive bello, sive fame, sive etiam æstu laborarent, necessariorum suorum aliquem Saturno communibus adhuc suffragiis immolabant : cujusmodi exemplorum plena est Phœnicum historia, quam Pharnacia linguæ Sanchoniathonis conscripsit, » etc. Ita Josephus, Theodoretus, Procopius, Abulensis et alii.

Porro R. Salomon et cum eo alii nonnulli בנו *bano*, id est *filium suum*, vertentes : *filium ejus*, regis Edom scilicet, fabulantur regem Moab erumpentem ex urbe cum 700 viris filium ejus Edom cepisse, eumque in urbem captivum duxisse; quare regem Edem, ut filium liberaret, obsidionem deseruisse, ac indignatum regi Israel obsidionem pertinacius urgenti ab eo recessisse; eo vero abeunte, regem Moab filium ejus captivum super murum mactasse et immolasse. Verum hoc non habet speciem veri similitudinis.

ET FACTA EST INDIGNATIO MAGNA IN ISRAEL, STATIMQUE RECESSERUNT AB EO, — *q. d.* Israelitæ indignati sunt ob tam crudele et indignum facinus, quod scilicet rex Moab filium suum immolasset, ideoque miserti sunt ejus, cum viderent eum ad tantam necessitatem et miseriam redactum, ut filium suum immolaret. Ita Josephus : « Reges vero, inquit, hoc viso, tantam necessitatem miserati, et humanarum vicissitudinum memores, soluta obsidione, domum quisque suam reversi sunt. » Eum secutus Theodoretus : « Cum Moabitæ, inquit, funditus de medio tollerentur, tentavit quidem fugere rex eorum. Postquam autem valida et strenua cohors ei non permisit, filium primogenitum et regni successorem, in quadam turre obtulit in holocaustum. Hæc cum conspexisset multitudo hostium, miserata est casum illum, et solvit obsidionem. » Ita quoque Abulensis, Serarius, Vatablus, Salianus et alii. Quocirca Moabites postmodum ossa regis Idumææ exhumarunt et tot ederunt (eo quod ipse regem eorum ad immolandum filium suum compulisset), ut ait *Amos*, cap. II, vers. 1. Vide ibi dicta. Audi nunc aliorum sententias. *Primo*, R. Salomon et ex eo Lyranus censent regem Moab Deum verum in tanta necessitate invocasse eique sacrificasse, eo quod nec homines nec Dii eum ex illa eripere possent, ad illudque impulsum fuisse exemplo Abrahæ, qui illudque volens Isaac filium Deo, mire illi placuit mactaque ab eo dona recepit. Verum Abraham id fecit jussu Dei, sine quo id fuisset illicitum, imo homicidium et parricidium. Ita Abulensis et Burgensis. Adde : rex Moab non colebat Deum verum, sed idola, id est dæmonem qui eum impellebat ad hoc scelus; dæmon enim hujusmodi sanguine sibi libato delectatur, eumque a suis cultoribus exigit, ideoque eis persuadet se, cum offensus est, talibus hostiis placari, et inductas calamitates avertere, ac optata bona largiri.

Secundo, Burgensis ait regem Moab consuluisse suos sacerdotes, cur Hebræi adeo fortes forent et felices, illosque respondisse, eo quod ipsi colerent Deum Moloch, illique suos filios immolarent et concremarent; regem ergo voluisse eos imitari, et Deum simili filii victima in tantis angustiis sibi conciliare. Verum Moloch erat Deus Ammonitarum, Moabitarum vero erat Chamos, quem sacerdotes regi Moab, ut proprium et domesticum, commendasse, non est dubium. Addit Burgensis indignationem magnam, cujus hic fit mentio, non fuisse hominum, puta Israelitarum, sed Dei : Deus enim, inquit, indignabatur Israelitis, quod ipsi immolarunt filios idolo Moloch, Moabitis dedissent exemplum idem faciendi. Sic et Lyranus indignationem Dei accipit, non Israelitarum. Ait enim Deum indignatum Hebræis, eo quod Angelus ei representaret peccata Hebræorum, eaque graviora esse ostenderet sceleribus Moabitarum; idcirco Deum immisisse pestem in castra Hebræorum, ut coacti fuerint deserere obsidionem urbis Moab.

Tertio, Cajetanus et ex eo Pererius in cap. XLII *Genes.* num. 105, indignationem Israelitarum contra se invicem intelligit, et ejus causam et modum sic explicat : Quia, inquit, causa iræ narratur holocaustum primogeniti regis, et effectus illius, narratur recessus ab oppugnatione regis Moab; intelligere licet Israelitas idololatras, viso illo holocausto, cooperante diabolo, magni pendisse illud, et desperasse de victoria adversus regem, munitum præsidio tanti holocausti. Quocirca commoti sunt ad iram contra Israelitas volentes persistere in bello : denique magnitudo iræ vicit, et fecit recessum a bello. Intelligo tamen recessum hunc esse factum, renovato fœdere cum rege Moab de tributo dando regi Israel; ita ut finem susceperit belli recessus non abstulerit.

Hæc sententia duabus prioribus est verisimilior; sed prima, quam initio assignavi, est verisimillima.

Denique sacrilegum et execrabilem hunc filios in gravi calamitate immolandi ritum imitati sunt Carthaginenses, utpote a Phœnicibus (quorum hic ritus fuit proprius, ut paulo ante dixi) oriundi. Carthago enim fuit Tyriorum colonia. Audi Q. Curtium, lib. IV : « Sacrum multis sæculis intermissum repetendi anctores quidam erant, ut ingenuus puer Saturno immolaretur : quod sacrilegium verius quam sacrum Carthaginenses a conditoribus traditum, usque ad excidium urbis suæ fecisse dicuntur. » Et Diodorus, lib. XX *Historiæ*, de Carthaginensibus loquens, sic ait : « Dicebant autem Saturnum illis iratum fuisse, quoniam prius ipsi excellentiores ex filiis suis sacrificabant. Postea vero clam emptis infantibus, atque educatis, liberorum loco immolabant. » Unde Imilce Annibalis uxor, cum Aspar filius ejus esset mactandus, apud Silium Italicum in calce lib. IV *Punicorum*, sic lamentatur :

> Si satis ante aras casus vidisse juvencæ;
> Aut si velle nefas superis fixumque sedetque,
> Me mea, quæ genui vestris absumite votis;
> Cur spolisse juvat Lybicas hac inde gentes?

Porro in sacrilegum et parricidale hoc sacrificium detonant Patres, ut Tertullianus, *Apolog.* cap. IX, Cyrillus, lib. IV *Contra Julian.*, Lactantius, lib. I *De falsa religione*, cap. I, S. Augustinus, lib. VII *De Civitat.* cap. XIX, Theodoretus, lib. VII *De Providentia*.

(1) Hæc vox non solum significat eos qui funda lapides jaciunt, sed qui etiam tormentis contorquent ingentia saxa in muros.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliseus primo viduæ pauperi oleum multiplicat, cap. II, *vers.* 8. *Sunamitidi hospitæ suæ sterili filium impetrat, eumque mortuum ad vitam revocat, cap.* III, *vers.* 38. *Olla coloquinthidarum amarissimam infecta farina dulcorat, cap.* IV, *vers.* 42. *Panes per miraculum multiplicat, ut centum viris sufficiant.*

1. Mulier autem quædam de uxoribus prophetarum clamabat ad Eliseum, dicens : Servus tuus vir meus mortuus est; et tu nosti quia servus tuus fuit timens Dominum; et ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi. 2. Cui dixit Eliseus : Quid vis ut faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa respondit : Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo ungar. 3. Cui ait : Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca. 4. Et ingredere, et claude ostium tuum, cum intrinsecus fueris tu, et filii tui : et mitte inde in omnia vasa hæc; et cum plena fuerint, tolles. 5. Ivit itaque mulier, et clausit ostium super se, et super filios suos : illi offerebant vasa, et illa infundebat. 6. Cumque plena fuissent vasa, dixit ad filium suum : Affer mihi adhuc vas. Et ille respondit : Non habeo. Stetitque oleum. 7. Venit autem illa, et indicavit homini Dei. Et ille : Vade, inquit, vende oleum, et redde creditori tuo; tu autem, et filii tui, vivite de reliquo. 8. Facta est autem quædam dies, et transibat Eliseus per Sunam : erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum ut comederet panem; cumque frequenter inde transiret, divertebat ad eam ut comederet panem. 9. Quæ dixit ad virum suum : Animadverto quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. 10. Faciamus ergo ei cœnaculum parvum, et ponamus ei in eo lectulum, et mensam, et sellam et candelabrum, ut, cum venerit ad nos, maneat ibi. 11. Facta est ergo dies quædam, et veniens divertit in cœnaculum, et requievit ibi. 12. Dixitque ad Giezi puerum suum : Voca Sunamitidem istam. Qui cum vocasset eam, et illa stetisset coram eo, 13. dixit ad puerum suum : Loquere ad eam : Ecce, sedule in omnibus ministrasti nobis, quid vis ut faciam tibi? numquid habes negotium, et vis ut loquar regi, sive principi militiæ? Quæ respondit : In medio populi mei habito. 14. Et ait : Quid ergo vult ut faciam ei? Dixitque Giesi : Ne quæras; filium enim non habet, et vir ejus senex est. 15. Præcepit itaque ut vocaret eam : quæ cum vocata fuisset, et stetisset ante ostium, 16. dixit ad

eam : In tempore isto, et in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in utero filium. At illa respondit : Noli quæso, domine mi, vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ. 17. Et concepit mulier, et peperit filium in tempore, et in hora eadem qua dixerat Eliseus. 18. Crevit autem puer. Et cum esset quædam dies, et egressus isset ad patrem suum, ad messores, 19. ait patri suo : Caput meum doleo, caput meum doleo. At ille dixit puero : Tolle, et duc eum ad matrem suam. 20. Qui cum tulisset, et duxisset eum ad matrem suam, posuit eum illa super genua sua usque ad meridiem, et mortuus est. 21. Ascendit autem et collocavit eum super lectulum hominis Dei, et clausit ostium; et egressa, 22. vocavit virum suum, et ait : Mitte mecum, obsecro, unum de pueris, et asinam, ut excurram usque ad hominem Dei, et revertar. 23. Qui ait illi : Quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt Calendæ, neque Sabbatum. Quæ respondit : Vadam. 24. Stravitque asinam, et præcepit puero. Mina, et propera, ne mihi moram facias in eundo : et hoc age quod præcipio tibi. 25. Profecta est igitur, et venit ad virum Dei in montem Carmeli; cumque vidisset eam vir *Dei* e contra, ait ad Giezi puerum suum : Ecce Sunamitis illa. 26. Vade ergo in occursum ejus, et dic ei : Rectene agitur circa te, et circa virum tuum, et circa filium tuum? Quæ respondit : Recte. 27. Cumque venisset ad virum Dei in montem, apprehendit pedes ejus, et accessit Giezi ut amoveret eam. Et ait homo Dei : Dimitte illam; anima enim ejus in amaritudine est, et Dominus celavit a me, et non indicavit mihi. 28. Quæ dixit illi : Numquid petivi filium a domino meo? numquid non dixi tibi : Ne illudas me? 29. Et ille ait ad Giezi : Accinge lumbos tuos, et tolle baculum meum in manu tua, et vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum : et si salutaverit te quispiam, non respondeas illi, et pones baculum meum super faciem pueri. 30. Porro mater pueri ait : Vivit Dominus, et vivit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergo, et secutus est eam. 31. Giezi autem præcesserat ante eos, et posuerat baculum super faciem pueri, et non erat vox, neque sensus : reversusque est in occursum ejus, et nuntiavit ei, dicens : Non surrexit puer. 32. Ingressus est ergo Eliseus domum, et ecce puer mortuus jacebat in lectulo ejus : 33. ingressusque clausit ostium super se, et super puerum; et oravit ad Dominum. 34. Et ascendit, et incubuit super puerum : posuitque os suum super os ejus, et oculos suos super oculos ejus, et manus suas super manus ejus; et incurvavit se super eum, et calefacta est caro pueri. 35. At ille reversus, deambulavit in domo, semel huc atque illuc : et ascendit, et incubuit super eum; et oscitavit puer septies, aperuitque oculos. 36. At ille vocavit Giezi, et dixit ei : Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata, ingressa est ad eum. Qui ait : Tolle filium tuum. 37. Venit illa, et corruit ad pedes ejus, et adoravit super terram : tulitque filium suum, et egressa est, 38. et Eliseus reversus est in Galgala. Erat autem fames in terra, et filii prophetarum habitabant coram eo, dixitque uni de pueris suis : Pone ollam grandem, et coque pulmentum filiis prophetarum. 39. Et egressus est unus in agrum ut colligeret herbas agrestes : invenitque quasi vitem silvestrem, et collegit ex ea colocynthidas agri, et implevit pallium suum, et reversus concidit in ollam pulmenti : nesciebat enim quid esset. 40. Infuderunt ergo sociis, ut comederent; cumque gustassent de coctione, clamaverunt, dicentes : Mors in olla, vir Dei. Et non potuerunt comedere. 41. At ille : Afferte, inquit, farinam. Cumque tulissent, misit in ollam, et ait : Infunde turbæ, ut comedant; et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla. 42. Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, et frumentum novum in pera sua. At ille dixit : Da populo, ut comedat, 43. reponditque ei minister ejus : Quantum est hoc, ut apponam centum viris? Rursum ille ait : Da populo, ut comedat; hæc enim dicit Dominus : Comedent, et supererit. 44. Posuit itaque coram eis : qui comederunt, et superfuit juxta verbum Domini.

1. MULIER AUTEM QUÆDAM. — Josephus, lib. IX, cap. II, quem sequuntur Hebræi, Theodoretus, Lyranus, Abulensis et alii, asserit hanc mulierem fuisse uxorem Abdiæ dispensatoris Achab, III *Reg.* cap. XVIII, vers. 3, illamque hoc beneficium et miraculum multiplicati olei obtinuisse ab Eliseo, ob merita et eleemosynas mariti sui, qui in persecutione Jezabelis absconderat et alucrat centum prophetas Domini. Deus enim liberalitatem liberalitate remunerat, ne in misericordes summe misericors est, juxta illud : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, » *Matth.* cap. V.

2. ET ECCE CREDITOR VENIT. — Hebræi tradunt hanc creditorem fuisse Joram regem Israel, qui pecunias deberit Abdiæ, quas ille erogarit in alendis secreto centum prophetis, ideoque illas ab uxore ejus jam a rege repeti. Verum id confutat Abulensis, *Quæst.* IV.

UT TOLLAT DUOS FILIOS MEOS AD SERVIENDUM SIBI. — Solebant Hebræi filios vendere aut servos abducere pro debitis parentum, ut patet *Matth.* cap. XVIII, vers. 25, et *Isaiæ* L, 1. Idem olim fecere Romani, teste Dionysio Halicarnassio, libro II, et Athenienses, teste Plutarcho in *Solone* : quia et Christiani, ut patet ex lege 2 de patribus qui filios distraxerunt, lib. IV *Cod.* tit. 43. Quod et suo tempore factum graviter queritur et deplorat S. Ambrosius, lib. *De Job* cap. VIII.

NISI PARUM OLEI QUO UNGAR. — Sic et Septuaginta, Hebraice est, *nisi lecythus olei*. Noster et Septuaginta addunt : *quo ungar*, id est quo semel duntaxat ungi possim, ut significent modicum esse vas, et modicum esse olei. Olei enim usus proprie est ad unctionem, quæ apud Hebræos erat multa et frequens. Alii cum Sanchez, *quo ungar*, scilicet post mortem illico, quæ mihi ob famem imminet. Moris enim Hebræis atque ac gentibus erat mortuos ungere ante sepulturam.

3. PETE MUTUO AB OMNIBUS VICINIS TUIS VASA VACUA NON PAUCA. — Ego enim dilucium ut omnia oleo impleantur : et quo plura vacua attuleris, eo plura oleo plena rependes. Tropologice significatur cor vacuandum esse a cupiditatibus terrenis, ut Deus illud oleo gratiæ suæ impleat. Audi S. Bernardum, serm. 6 *De Advent.* : « Unde spiritualis gratiæ copia tanta quibusdam, cum alis copia tanta exuberet? Profecto nec avarus, nec inops est gratiæ distributor; sed ubi vasa vacua desunt, stare oleum necesse est. Undique se ingerit amor mundi cum consolationibus, imo desolationibus suis, observat aditus; per fenestras irrupit, membra occupat; sed non ejus qui dixit : Remisit consolari anima mea; memor fui Dei, et delectatus sum. Præoccupatum nempe sæcularibus desideriis animum delectatio sancta declinat : nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis, ut pariter sapias quæ sursum sunt, et quæ super terram. » S. Gregorius vero, hom. 3 in *Ezech.*, per oleum accipit doctrinam quæ per doctores in vacuas hominum mentes effunditur. « Quia dum, inquit, ab unius ore doctoris, parvum quid de amore divinitatis multorum vacuæ mentes audiunt, exuberante gratia, unguento divini amoris usque ad summum replentur. Etiam multorum nunc corda, quæ prius fuerant vacua vascula, unguento spiritus plena sunt quæ ex paucitate olei sólummodo infusa videbantur. » Unde S. Augustinus, serm. 206 *De Temp.*, docet viro Apostolico quærenda esse « vasa vacua, » id est homines instructione indigentes, in quos olium doctrinæ infundat : sic enim ille crescentibus hominibus crescet.

4. ET CLAUDE OSTIUM TUUM, — tum ne quis superveniens tuam infusionem olei in vasa interturbet, vel remoretur et sistat; tum ut meminerint hoc et beneficium sit secretum, utpote videas solum Deum illud operari, nec illum hominem ei cooperari; tum ut solo oleo fruaris, ne quis quippiam ex eo postulet aut decerpat. Mystice S. Augustinus, serm. 206 *De Temp.* : « Significatur, inquit, ut unusquisque eleemosynam clauso ostio faciat, id est pro solo Dei amore, non ideo ut laudetur ab hominibus, sed ut apud Deum invenire gratiam mereatur. Qui enim pro laude humana eleemosynam facit, aperto ostio facit, quia apertum omnibus patet. Qui vero pro sola vita æterna, et pro remissione peccatorum bona opera fecerit, etiamsi publice faciat, clauso ostio fecit; quia de illa eleemosyna non hoc quærit quod videtur, sed quod non videtur : laus enim humana videtur, æternum præmium non videtur. »

5. ILLI OFFEREBANT VASA, ET ILLA INFUNDEBAT; — infundendo ergo crescebat oleum. Aggredi enim continuo aliud et aliud oleum lecytho suggerebant et indebant, donec omnia vasa implerentur, quo facto stetit oleum, subducente se Angelo. Allegorice S. Augustinus, serm. 206 *De Temp.* : « In oleo, ait, misericordia intelligitur. Ergo viduæ illi ideo debitum creverat, quia oleum misericordiæ peccando perdiderat. Considerate, fratres : Defecit oleum et debitum crevit. Crevit oleum, et periit debitum. Creverat cupiditas, et periit charitas : redit charitas, et perit iniquitas. Veniente vero Eliseo Christo homine videlicet, hoc est Ecclesia, per augmentum olei, id est donum gratiæ et misericordiæ, vel charitatis pinguedine de peccatorum debito liberatur. »

Tropologice, idem S. Augustinus ibidem per oleum accipit charitatem, quæ erogando non minuitur, sed sui diffusione semper accrescit. « Considerate, inquit, fratres charissimi, quamdiu vidua illa oleum in vasculo proprio habuit, nec sibi sufficiebat, nec debitum reddere poterat. Verum est, charissimi. Qui se solum diligit, nec sibi sufficit, nec peccatorum suorum debitum reddit. Cum vero in alienis vasculis, id est omnibus vicinis et propinquis, et omnibus omnino hominibus cœperit oleum charitatis infundere, tunc et sibi sufficere, et ab omnibus se debitis poterit li-

largiré. Et vere, fratres, talis est natura sancti amoris, et vere charitatis, ut erogando crescat, et quantum in aliis plus expenditur, tantum in se abundantius cumuletur. » Idem confirmat ex antithesi cibi et olei, sive charitatis : « Cibum corporis si volueris egenti tribuere, ad præsens, quod illi dederis, tu habere non poteris. Panem charitatis si dederis centum hominibus, integer manet. Si universo mundo largiri volueris, tibi nihil deficit, imo non solum non deficit, sed omnium illorum quibus largitus fueris, lucrum tibi multipliciter crescit. Verbi gratia : Unum panem charitatis habebas; si nemini dedisses, ipsum solum habores. Mille hominibus dedisti, mille panes acquisisti. » Rationem a priori subjicit : « Quia tanta est possessio charitatis, ut et singulis tota sit, et omnibus integra esse possit. Ergo et aliis dedisti, et tu nihil penitus perdidisti : imo non solum non perdidisti, sed sicut jam dixi, quidquid aliis a te collatum est, tu cumpluriter acquisisti. » Unde subdit quærendos esse homines pane corporali vel spirituali egentes, ut eis charitatem exhibentes, faciamus eam tam in nobis, quam in ipsis continuo crescere. Eadem habent et ex S. Augustino transcripsere Eucherius, Angelomus, Beda, Rupertus et alii.

Vers. 8. 8. TRANSIBAT ELISEUS PER SUNAM : ERAT AUTEM IBI MULIER MAGNA. — Tum opibus et fama, scilicet opulenta, honorata, celebris; tum probitate et pietate. Unde Chaldæus vertit, *ibi erat mulier timens peccata*. Fabulatur R. Salomon Sunamitidem hanc fuisse sororem Abisag Sunamitidis, quæ Davidi senì data est uxor, ad eum calefaciendum, III *Reg.* I : nam a morte Davidis usque ad Eliseum, fluxere plusquam 80 anni. Quare hæc mulier debuisset excedere annum ætatis centesimum.

Vers. 9. 9. ANIMADVERTO QUOD VIR DEI SANCTUS EST ISTE. — Id advertebat ex Elisei modestia, abstinentia, gravitate, sermone, precatione assidua, aliisque virtutibus heroicis. Quare fabulatur R. Salomon id illam cognovisse, ex eo quod mensæ quam toties straverat Eliseo, nunquam musca insedisset, vel quid sordidum inhæsisset.

vers. 10. 10. FACIAMUS ERGO EI COENACULUM PARVUM, — Hebræus et Chaldæus, *cœnaculum muri parvi* : *muri*, id est ex muro et solida fabrica, non vero ex levibus asseribus : vel ut Valablus, *muri*, id est muro conclusum et septum, ac semotum ab aliis domus partibus, ut quiete et secreto ibi solus degat, oret et meditetur Eliseus.

ET PONAMUS EI IN EO LECTULUM ET MENSAM ET SELLAM ET CANDELABRUM, — scilicet nil nisi præcise necessarium : sciebat enim Eliseum paupertatis studiosum pulvinaria, tapetes, aliaque ornamenta, quasi superflua non admissurum.

Vers. 13. 13. IN MEDIO POPULI MEI HABITO, — *q. d.* Ego pacifice inter meos cives et vicinos vivo, omnes amo, et ab omnibus amor : quare nulla mihi cum quopiam lis est, ut pro ea regis vel principis opem implorare debeam; imo si ea egerem, cives mei me juvarent, et pro me regem interpellarent : omnibus enim nota et chara sum.

16. IN TEMPORE ISTO (*q. d.* proximo anno sub hoc idem tempus) HABEBIS IN UTERO FILIUM. Vers. 16.

NOLI MENTIRI ANCILLÆ TUÆ. — « Mentiri, » non formaliter : sciebat enim Eliseum virum sanctum nolle illam fallere et contra mentem loqui, ut falso ei promitteret filium; sed materialiter, *q. d.* Utinam verus, non falsus reipsa accidat sermo tuus! utinam sermo tuus non sit tantum apprecatio benevola, sed et efficax prophetia, ut revera sequente anno nascatur mihi filius!

17. ET CONCEPIT MULIER, ET PEPERIT FILIUM. — Tropologice, audi ex Vitis Patrum, lib. VI, cap. 1, *De contemplatione* : « Dixit aliquando senex : Sunamitis Eliseum suscepit, eo quod non haberet affectum cum aliquo homine. Dicitur Sunamitis personam habere animæ. Eliseus Spiritus Sancti : quacumque ergo hora recedit anima a sæculari confusione et perturbatione, adveniet ei spiritus Dei, et tunc poterit parere, cum sit sterilis. » Vers. 17.

23. QUAM OB CAUSAM VADIS AD EUM? HODIE NON SUNT CALENDÆ (scilicet Neomenia, quæ erat prima dies lunæ et mensis, ideoque quasi festa Hebræis) NEQUE SABBATUM. — Hinc liquet, ait Abulensis, *Quæst.* XXX, Valablus, Serarius et alii, solere Hebræos festis diebus Eliseum aliosque sanctos prophetas adire, ut ejus exhortationes et pia monita exciperent, utque ejus preces et benedictionem poscerent. Vers. 23.

QUIA RESPONDIT : VADAM, — *q. d.* Omnino ire ad Eliseum cupio, opto et destino. Causam subticet, ne maritus, audiens filium unicum mortuum, dolore exanimetur.

24. MINA. — Duc asinum, et me in asino ad Eliseum. Vers. 24.

26. RECTENE AGITUR CIRCA TE? etc., QUÆ RESPONDIT : RECTE. — « Recte, » licet enim filius meus sit mortuus magno meo dolore, tamen scio eum mortuum ex voluntate et decreto Dei quæ rectissima et sanctissima est. Aut quia mox « recte » mecum agetur : omnino enim confido eum a te resuscitandum. Sic de puella mortua ait Christus : « Non est mortua, sed dormit, » quia scilicet ego eam mox a morte suscitabo, ut non tam esse mortua, quam dormire videatur, *Lucæ* VIII. Sunamitis autem hoc prætexit apud Giezi, ut per eum pateat sibi accessus ad Eliseum, qui virgo et castus vitans consortia feminarum, si audisset ejus filium jam mortuum, ad eum suscitandum misisset suum servum Giezi, uti et reipsa postmodum fecit. Vers. 26.

27. APPREHENDIT PEDES EJUS, ET ACCESSIT GIEZI, UT AMOVERET EAM. — Sciebat enim Giezi Elisei humilitatem, religionem et castitatem, ut nollet tangi et hoc pedum tactu honorari, et quasi adorari a femina. Vers. 27.

29. TOLLE BACULUM MEUM. — Hinc Eliseum gestasse baculum, ideoque priscos monachos eum gestasse docet Cassianus, lib. I *Instit.* cap. IX, Vers. 29.

addiique mysticam ejus significationem, dicens : « Cujus gestatio spiritualiter monet, nunquam debere eos inter tot oblatrantes vitiorum canes, et invisibiles nequitiarum spiritualium bestias, inermes incedere; de quibus Beatus David liberari postulans dicit : Ne tradas, Domine, bestiis animam confitentem tibi; sed irruentes eas retundere crucis signaculo, ac longius propulsare, atque adversus se sævientes, jugi memoria Dominicæ passionis, et imitatione illius mortificationis exstinguere. »

SI OCCURERERIT TIBI HOMO, NON SALUTES EUM. — Causa fuit *prima*, ne Giezi salutando obvios, cum eisque colloquendo moras in via necteret, sed illico puerum apposito baculo suscitaret, antequam maritus eum esse mortuum rescisceret, *q. d.* ait S. Augustinus, serm. 106 *De Temp.* : « Ita velociter ambula, ut nullis fabulis occupari aut retardari præsumas. » *Secunda*, ut res maneret secreta. *Tertia*, quia Giezi, sit Theodoretus et Procopius, erat laudis avidus, unde obviis gloriando dixisset : Meus herus Eliseus misit me ut suscitem mortuum, ideoque id facturus ad eum pergo; quare hac jactatione offendisset Deum, itaque impedivisset miraculum, nec Deus per eum puerum suscitasset. *Quarta*, ut Giezi vitaret omnem oculorum auriumque distractionem, totumque se disponeret per preces ad tanti miraculi patrationem. Ita Cajetanus, Abulensis et S. Ambrosius in cap. X *Lucæ*, lib. VII ad illa : « Neminem salutaveritis : Festinato enim, inquit, jubebat eum contendere, ut celebrandæ resurrectionis exsequeretur officium, ne confabulatione alicujus obvii, mandato deflecteretur a munere. Ergo et hic non salutationis officium aufertur, sed obstaculum impediendæ devotionis aboletur : ut, quando divina mandantur, paulisper sequestrentur humana. » Hemistichium Jubal Giezi, cur? Causa prima. Secunda. Tertia. Quarta.

31. POSUERAT BACULUM SUPER FACIEM PUERI, ET NON ERAT VOX NEQUE SENSUS. — Allegoricam causam dat S. Augustinus, serm. 106 *De Temp.* dicens : « Puer iste (Giezi) typum habuit beati Moysi. Misit enim eum Deus cum baculo in Ægyptum; sed baculus sine Christo flagellare Ægyptum potuit, de originali vel actuali peccato liberare, vel resuscitare non potuit. Nihil enim, dicente Apostolo, ad perfectum adduxit lex. Opus erat ut qui baculum miserat, ipse descenderet. Baculus sine Eliseo nihil valebat, quia crux sine Christo nihil poterat. » S. Petrus per baculum a se missum e morte suscitavit S. Materanum suum discipulum, et primum Trevirensem Episcopum, ut habet ejus Vita, et S. Macedonius per baculum suum suscitavit Theodoretum pene exanimem, uti ipse refert in *Philotheo*, cap. III.

PUER NON SURREXIT. — CUR? Rationem reddit Rabbi Salomon apud Lyranum : « Hoc, inquit, fuit propter demerilum Giezi, qui non servavit præceptum Elisei, sed occurrentibus sibi hominibus jactanter dicebat se missum ad suscitandum mortuum. » Indignus enim est qui miracula faciat, qui de illis faciendis gloriatur. Hoc profecto et prævidit et præcavit Eliseus dicens ad puerum quem mittebat : « Si occurrerit tibi homo, non salutes eum; et si salutaverit te quispiam, non respondeas illi. » Nam ut recte Theodoretus, *Quæst.* XVII : « Sciebat, inquit, eum esse honoris cupidum et causam dicturum; inanem autem gloriam fore impedimento ne faciat miraculum. » Aliam causam dat R. Eliezer, cap. XXXIII : « Ridebat, inquit, Giezi dicendo obviis : Credisne baculum istum vitam restituere? »

34. ET INCUBUIT SUPER PUERUM, POSUITQUE OS SUUM SUPER OS EJUS, etc. — Franciscus Valesius, *Sacræ Philosoph.* cap. XXXV, Si liceret dicere, inquit, puerum non fuisse omnino mortuum, sed syncopen passum, naturalis fuisset hæc Elisei curatio : nam syncope correpti, exstinctione naturalis caloris periclitantur mori, solentque fota et calefactione (maxime anhelitus humani; is enim calor congener est et vitalis) revocari. Rursum discurrebat Eliseus, ut suum calorem puero infundendum excitaret : is enim maxime exercitio excitatur; unde mox per eum sibi incumbentem excipiens, cœpit oscitare, calore jam incipiente flatum agitare et discutere, et crescente vigore et spiritibus animalibus moveri, aperti sunt oculi, et deinde aliorum sensuum instrumenta, et puer ad officia vitæ revocatus est. Verum ex narratione S. Scripturæ clare liquet puerum vere fuisse mortuum, non syncopen passum : incubuit ergo puero Eliseus easdem ob causas, ob quas Elias magister suus simili mortuo incubuerat, quas recensui III *Reg.* XVII, 21.

Allegorica et præcipua causa fuit, ut Eliseus uti nomine, ita et facto representaret Filii Dei incarnationem, in qua ipse carnem nostram induit, et quasi os ori, manus manibus, pedes pedibus accommodavit. Ita S. Augustinus, serm. 41 *De verbis Apostoli* : « Quid, inquit, significavit mortuus puer, nisi Adam (et peccatorem Adæ filium per peccata mortuum)? posuit baculum supra mortuum, non surrexit. Si enim data esset lex quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia. Non ergo potuit lex vivificare. Venit ipse grandis ad parvulum, Salvator ad salvandum, vivus ad mortuum, venit ipse. Et quid fecit? Juvenilia membra contraxit, tanquam seipsum exinaniens, ut formam servi susciperet. Juvenilia ergo membra contraxit, parvum se parvo coaptavit; ut efficeret corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ. Itaque in ipso typo Christo prophetice expresso suscitatus est mortuus, tanquam justificatus est impius. » Rursum idem S. Augustinus, serm. 106 *De Temp.* : « Venit, inquit, Eliseus et ascendit in cœnaculum, quia venturus erat Christus, et ascensurus crucis patibulum. Inclinavit se Eliseus, ut puerum resuscitaret; humiliavit se Christus, ut mundum in peccatis jacentem erigeret. Misit Eliseus oculos super oculos, manus super manus. Videte, fratres, quantum se vir ille

perfectæ ætatis contraxit, ut parvulo mortuo et jacenti congrueret. Quod enim Eliseus in puero præfiguravit, hoc in toto genere humano Christus implevit. Audi Apostolum dicentem : Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. Quia parvuli eramus, parvulum se fecit. Quia mortui jacebamus, prius se medium inclinavit; quia et revera fratrem nemo potest jacentem erigere, si se noluerit inclinare. Quod autem puer oscitavit septies, septiformi gratia Sancti Spiritus ostenditur, quæ humano generi, ut resuscitetur in adventu Christi, tribuitur. » Eadem ex S. Augustino habent Eucherius, Angelomus, Beda, Rupertus et alii. Audi quoque S. Ambrosium, tom. II in cap. IV *Ecclesiastæ Exhortat. ad Clericos*, qui hanc de Christo in cruce se nobis commensurante, exhaciente et vivificante explicat : « Christus nobis commortuus est, ut nos calefaceret, qui ait : Ignem veni mittere in terram. Mortuus eram; sed quia in baptismate commortuus Christo sum, accepi lumen vitæ a Christo. Et qui in Christo moritur, per Christum calefactus vitæ et resurrectionis vaporem accipit. Frigidus erat puer, calefacit eum Eliseus spiritu suo, dedit ei vitæ calorem. Condoluit ei, ut cum calor quietis ejus, qui in symbolo consepultus ei fuerat, excitaret. Frigidus itaque est, qui non moritur in Christo. Calefieri non potest, cui ignis ardens non appropinquat. Invalescere non potest alteri, qui secum non habet Christum. » Audi denique S. Bernardum, serm. 16 *in Cant.* : « Oculis suis tetigit meos, interioris hominis frontem claris luminibus ornans, fide et intellectu. Oei meo junxit suum, et mortuo signum pacis impressit; quoniam, cum adhuc peccatores essemus, reconciliavit nos Deo, justificat mortuos. Os ori applicuit, ut ore ad ora spiritus in faciem meam spiraculum vitæ; sed suavius, quam primo. Nam primo quidem in animam viventem creavit me; secundo, in spiritum vivificantem reformavit me. Manus suas meis superposuit, ex multiplum præbens bonorum operum, formam obedientiæ; aut certe manus suas misit ad fortia, ut doceret manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. Et oscitavit puer septies, quia septies in die laudem dicere consuevit. » *Psal.* CXVIII.

Symbolice B. Petrus Damianus, lib. *De contemptu sæculi*, cap. XXVIII : « Is, inquit, quem tervaris virga suscitare non poterat, per amoris spiritum ad vitam redit, dumque se parvulo accommodavit et compositi, facile erexit et suscitavit. » Porsum Eliseus hic symbolum dedit Eucharistiæ, in qua Christus, ut ait S. Cyrillus, totum se nobis commisceat, ac quasi oculo oculis, os ori, manus manibus, animam animæ nostræ applicat; id quod pulchra specie per visum representatum fuit Ruperto Abbati Tuitiensi : cum enim ipse a Superiore juberetur capessere sacerdotium, putaretque se tanto gradu indignum, per visum vidit Christum crucifixum se ad amplexum invitantem. Quare rupertus, Christum arctissime amplexus et osculatus, narrat Christum, quo profundius oscula admitteret, divinum os suum apertum, et hians præbuisse : simul etiam factum esse ut, inter eos amplexus, tum divino amore majorem in modum inflammaretur, tum etiam sacerdotii, quod antea fugiebat, desiderium sibi inspirari senserit; quod, simul ac illuxit, cum suo Abbati in Cassat, paulo post cum omnium gaudio exsecutum esse. Adjungit etiam aliud, quo post eum ordinem susceptum, non minus sit confirmatus. Nam jacenti in lectulo, hominis species apparuit de cœlo labens, capite obvoluto, quasi agnosci nollet, eaque se ita in eum tota dimisit, ut caput capiti, pedes pedibus, reliqua membra cum omnibus membris intime commiseret : quin etiam ipsam animæ substantiam modo quodam, qui verbis exprimi non posset, ita pervaderet, atque imprimeret, et quidem citius et profundius, quam mollissima cera signo imprimatur. Addit vero, quod facile credi possit, secutam esse tantam tamque incredibilem jucunditatem ac suavitatem, ut nisi ea celeriter a Deo inhibita esset, is quasi torrens voluptatis sine dubitatione animam de corpore abstractum fuerit; hæc, uti narravi, de sepso refert ipse Rupertus, lib. XII *in Matth.* pag. 102, et ex eo Hieronymus Platus, libro I *De bono status relig.* cap. XXXVII.

Tropologice, qui vult proximos peccato mortuos ad vitam gratiæ revocare, eorum infirmitati se accommodet oportet, ac per excessum charitatis os ori, manus manibus, linguam linguæ quasi applicet. Idem facit religiosus, ut tam alios religiosis, quam sæcularibus, quoad licet, per omnia se accommodet, ut faciebat Apostolus, dicens : « Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem. » Est enim in religione summa omnium unio, concordia, familiaritas, spiritualis, uti ex S. Basilio, Chrysostomo et aliis docet Platus, lib. I *De bono status religiosi*, cap. XXVII et XXVIII.

34. Et incurvavit se super eum, — contrahendo membra sua magna, ut ea quasi adæquaret parvis membris pueri. Ad hunc Septuaginta, *et ligavit super eum*, id est salitu suo affricando calefecit puerum. Unde sequitur :

Et calefacta est caro pueri, — ut videlicet per calorem disponeretur ad animationem et vitam : sicut ergo mater disponit embryonem in utero, calefaciendo, ad animam illi a Deo infundendam, sic fecit et Eliseus hic. Videbat enim Deus eum miraculum hoc operari eo modo, qui naturæ est consonus. Simili modo Deus, ad animæ efformans in hominem viventem, « in pravit in faciem ejus spiraculum vitæ. » *Genesis* II.

35. At ille reversus deambulabat in domo sursum huc atque illuc, — ut ambulando excitaret tum majorem calorem, quem puero deinde incumbendo aspiraret, tum majorem fervorem orandi pro pueri resuscitatione. Allegorice, Eliseus ambulans representabat Christum ambulantem per Judæam, et ubique semina Evangelii spargentem. Ita Eucherius.

Et oscitavit puer septies, aperuitque oculos. — Vatablus et alii, *sternutavit*; Septuaginta, *confortatus est*. Cum enim puer capite laborasset, ut dictum est vers. 19, videtur caput habuisse oppletum humoribus, qui spirituum vitalium meatus occupantes, eum *gravarunt*. Quare jam per Eliseum calore, vita et vigore et redditis, caput confortatum, sternutando expulit humores se gravantes : ita cerebrum purgavit, puerumque perfecte sanitati reddidit.

Et colligit ex ea colocynthidas. — « Colocynthis » est cucurbita agrestis, qua medici utuntur, ut pituitam vehementer expurgent; estque amarissima, unde vocatur « fel terræ, » ait Vallesius, *S. Philos.* cap. XXXVI, additque : non tantum amara est, sed et perniciosa; adeo ut si supra quatuor obolos etiam emendata sumatur, possit super purgationes et exulcerationes ventris et mortem afferre, atque adeo admota esterius enecet fœtus. Hinc disce studium paupertatis. Audi Theodoretum : « Quod autem vita prophetarum, inquit, nullas habuerit possessiones docet historia. Nam qui erat eorum primus (Eliseus), nunc quidem eos excepit convivio olerum agrestium : nunc autem panes hordeaceos viginti apposuit centum viris, eosque ab aliis allatos. Ets autem tantam benedictionem imperfit, ut et illos centum satiaret, et post satietatem superesse fecerit. »

Mors in olla, — q. d. Pulmentum hujus olitoris amarissimum est et pessimum, ut videatur esse venenum mortiferum. Tropologice, « mors est in olla » deliciarum mundi, quæ quidam et venerem provocant, ideoque varios morbos ac mortem præsertim et æternam accersunt; amara sunt ergo, ut colocynthides. Aliter S. Bernardus, uti mox dicam.

41. Afferte, inquit, farinam. — Farina enim, quia glutinosa et leniens instar amyli, ait Vallesius, colocynthidarum mordacitatem et acrimoniam temperat; unde prudenter adhibita hic fuit ab Eliseo, licet potissima causa correctionis pulmenti fuerit virtus divina et miraculosa. Simili modo in lepra Naaman curanda, aliquid juvit aqua Jordanis, cap. V, et in ulcere Ezechiæ sanando, aliquid juverunt Isaiæ ficus, cap. XX, 7; quia extergunt et discutiunt humores, si fiat cataplasma ex eis et farina hordeacea vel triticea. Ita Vallesius et Serarius, licet contrarium sentiant Angelomus et alii, scilicet hæc non juvisse, sed potius obfuisse, ut ostenderetur curationem hanc fieri non vi naturali, sed supernaturali et divina.

Infunde turbæ. — Notat Theodoretus, *Quæst.* XIX, filios prophetarum nil proprii possedisse, sed vixisse in communi, ut jam faciunt religiosi.

Tropologice S. Bernardus, serm. 63 *inter parvos* : « Præcatus ex debito officii sui apponit subjectis oilam grandem herbas agrestes continentem, id est admonitionem de gravibus disserentem, acerbitate referam, sed tamen igne Sancti Spiritus succensam. Subditi ergo perhorrescentes sermonum austeritatem, clamant : Mors in olla, et non possunt gustare. Sapiens igitur dispensator non affert, imo afferri jubet farinam; quoniam non prebet, sed hortatur habere caritatem, cujus condimento reddantur dulcia, quæ prius videbantur amara. Potest namque prædicator monita salutis auribus circumstantium insonare; sed nemo nisi solus Deus valet saporem caritatis palato cordis infundere. »

43. Ut apponam coram viris centum. — Eliseus hic miraculose multiplicans panes representat Christum, qui his paucis panibus pavit plura hominum millia. Mystice singula hæc adaptantem prædicatoribus, vide Angelomum.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliseus liberat Naaman a lepra, eumque immittit amaro et Simoniaco Giezi.

1. Naaman, princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum suum, et honoratus : per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ; erat autem vir fortis et dives, sed leprosus. 2. Porro de Syria egressi fuerant latrunculi, et captivam duxerant de terra Israel puellam parvulam, quæ erat in obsequio uxoris Naaman. 3. Quæ ait ad dominam suam : Utinam fuisset dominus meus ad prophetam, qui est in Samaria! profecto curasset eum a lepra quam habet. 4. Ingressus est itaque Naaman ad dominum suum, et nuntiavit ei, dicens: Sic et sic locuta est puella de terra Israel. 5. Dixitque ei rex Syriæ : Vade, et mittam litteras ad regem Israel. Qui cum profectus esset, et tulisset secum decem talenta argenti, et sex millia aureos, et decem mutatoria vestimentorum, 6. detulit litteras ad regem Israel, in hæc verba : Cum acceperis epistolam hanc, scito quod miserim ad te Naaman servum meum, ut

perfectæ ætatis contraxit, ut parvulo mortuo et jacenti congrueret. Quod enim Eliseus in puero præfiguravit, hoc in toto genere humano Christus implevit. Audi Apostolum dicentem : Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. Quia parvuli eramus, parvulum se fecit. Quia mortui jacebamus, prius se medium inclinavit; quia et revera fratrem nemo potest jacentem erigere, si se noluerit inclinare. Quod autem puer oscitavit septies, septiformi gratia Sancti Spiritus ostenditur, quæ humano generi, ut resuscitetur in adventu Christi, tribuitur. » Eadem ex S. Augustino habent Eucherius, Angelomus, Beda, Rupertus et alii. Audi quoque S. Ambrosium, tom. II in cap. IV *Ecclesiastæ Exhortat. ad Clericos*, qui hanc de Christo in cruce se nobis commensurante, exhaciente et vivificante explicat : « Christus nobis commortuus est, ut nos calefaceret, qui ait : Ignem veni mittere in terram. Mortuus eram; sed quia in baptismate commortuus Christo sum, accepi lumen vitæ a Christo. Et qui in Christo moritur, per Christum calefactus vitæ et resurrectionis vaporem accipit. Frigidus erat puer, calefacit eum Eliseus spiritu suo, dedit ei vitæ calorem. Condoluit ei, ut cum calor quietis ejus, qui in symbolo consepultus ei fuerat, excitaret. Frigidus itaque est, qui non moritur in Christo. Calefieri non potest, cui ignis ardens non appropinquat. Invalescere non potest alteri, qui secum non habet Christum. » Audi denique S. Bernardum, serm. 16 *in Cant.* : « Oculis suis tetigit meos, interioris hominis frontem claris luminibus ornans, fide et intellectu. Oei meo junxit suum, et mortuo signum pacis impressit; quoniam, cum adhuc peccatores essemus, reconciliavit nos Deo, justificat mortuos. Os ori applicuit, ut ore ad ora spiritus in faciem meam spiraculum vitæ; sed suavius, quam primo. Nam primo quidem in animam viventem creavit me; secundo, in spiritum vivificantem reformavit me. Manus suas meis superposuit, ex multiplum præbens bonorum operum, formam obedientiæ; aut certe manus suas misit ad fortia, ut doceret manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. Et oscitavit puer septies, quia septies in die laudem dicere consuevit. » *Psal.* CXVIII.

Symbolice B. Petrus Damianus, lib. *De contemptu sæculi*, cap. XXVIII : « Is, inquit, quem tervaris virga suscitare non poterat, per amoris spiritum ad vitam redit, dumque se parvulo accommodavit et compositi, facile erexit et suscitavit. » Porsum Eliseus hic symbolum dedit Eucharistiæ, in qua Christus, ut ait S. Cyrillus, totum se nobis commisceat, ac quasi oculo oculis, os ori, manus manibus, animam animæ nostræ applicat; id quod pulchra specie per visum representatum fuit Ruperto Abbati Tuitiensi : cum enim ipse a Superiore juberetur capessere sacerdotium, putaretque se tanto gradu indignum, per visum vidit Christum crucifixum se ad amplexum invitantem. Quare rupertus, Christum arctissime amplexus et osculatus, narrat Christum, quo profundius oscula admitteret, divinum os suum apertum, et hians præbuisse : simul etiam factum esse ut, inter eos amplexus, tum divino amore majorem in modum inflammaretur, tum etiam sacerdotii, quod antea fugiebat, desiderium sibi inspirari senserit; quod, simul ac illuxit, cum suo Abbati in Cassat, paulo post cum omnium gaudio exsecutum esse. Adjungit etiam aliud, quo post eum ordinem susceptum, non minus sit confirmatus. Nam jacenti in lectulo, hominis species apparuit de cœlo labens, capite obvoluto, quasi agnosci nollet, eaque se ita in eum tota dimisit, ut caput capiti, pedes pedibus, reliqua membra cum omnibus membris intime commiseret : quin etiam ipsam animæ substantiam modo quodam, qui verbis exprimi non posset, ita pervaderet, atque imprimeret, et quidem citius et profundius, quam mollissima cera signo imprimatur. Addit vero, quod facile credi possit, secutam esse tantam tamque incredibilem jucunditatem ac suavitatem, ut nisi ea celeriter a Deo inhibita esset, is quasi torrens voluptatis sine dubitatione animam de corpore abstractum fuerit; hæc, uti narravi, de sepso refert ipse Rupertus, lib. XII *in Matth.* pag. 102, et ex eo Hieronymus Platus, libro I *De bono status relig.* cap. XXXVII.

Tropologice, qui vult proximos peccato mortuos ad vitam gratiæ revocare, eorum infirmitati se accommodet oportet, ac per excessum charitatis os ori, manus manibus, linguam linguæ quasi applicet. Idem facit religiosus, ut tam alios religiosis, quam sæcularibus, quoad licet, per omnia se accommodet, ut faciebat Apostolus, dicens : « Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem. » Est enim in religione summa omnium unio, concordia, familiaritas, spiritualis, uti ex S. Basilio, Chrysostomo et aliis docet Platus, lib. I *De bono status religiosi*, cap. XXVII et XXVIII.

34. Et incurvavit se super eum, — contrahendo membra sua magna, ut ea quasi adæquaret parvis membris pueri. Ad hunc Septuaginta, *et ligavit super eum*, id est salitu suo affricando calefecit puerum. Unde sequitur :

Et calefacta est caro pueri, — ut videlicet per calorem disponeretur ad animationem et vitam : sicut ergo mater disponit embryonem in utero, calefaciendo, ad animam illi a Deo infundendam, sic fecit et Eliseus hic. Videbat enim Deus eum miraculum hoc operari eo modo, qui naturæ est consonus. Simili modo Deus, ad animæ efformans in hominem viventem, « in pravit in faciem ejus spiraculum vitæ. » *Genesis* II.

35. At ille reversus deambulabat in domo sursum huc atque illuc, — ut ambulando excitaret tum majorem calorem, quem puero deinde incumbendo aspiraret, tum majorem fervorem orandi pro pueri resuscitatione. Allegorice, Eliseus ambulans representabat Christum ambulantem per Judæam, et ubique semina Evangelii spargentem. Ita Eucherius.

Et oscitavit puer septies, aperuitque oculos. — Vatablus et alii, *sternutavit*; Septuaginta, *confortatus est*. Cum enim puer capite laborasset, ut dictum est vers. 19, videtur caput habuisse oppletum humoribus, qui spirituum vitalium meatus occupantes, eum *gravarunt*. Quare jam per Eliseum calore, vita et vigore et redditis, caput confortatum, sternutando expulit humores se gravantes : ita cerebrum purgavit, puerumque perfecte sanitati reddidit.

Et colligit ex ea colocynthidas. — « Colocynthis » est cucurbita agrestis, qua medici utuntur, ut pituitam vehementer expurgent; estque amarissima, unde vocatur « fel terræ, » ait Vallesius, *S. Philos.* cap. XXXVI, additque : non tantum amara est, sed et perniciosa; adeo ut si supra quatuor obolos etiam emendata sumatur, possit super purgationes et exulcerationes ventris et mortem afferre, atque adeo admota esterius enecet fœtus. Hinc disce studium paupertatis. Audi Theodoretum : « Quod autem vita prophetarum, inquit, nullas habuerit possessiones docet historia. Nam qui erat eorum primus (Eliseus), nunc quidem eos excepit convivio olerum agrestium : nunc autem panes hordeaceos viginti apposuit centum viris, eosque ab aliis allatos. Ets autem tantam benedictionem imperfit, ut et illos centum satiaret, et post satietatem superesse fecerit. »

Mors in olla, — q. d. Pulmentum hujus olitoris amarissimum est et pessimum, ut videatur esse venenum mortiferum. Tropologice, « mors est in olla » deliciarum mundi, quæ quidam et venerem provocant, ideoque varios morbos ac mortem præsertim et æternam accersunt; amara sunt ergo, ut colocynthides. Aliter S. Bernardus, uti mox dicam.

41. Afferte, inquit, farinam. — Farina enim, quia glutinosa et leniens instar amyli, ait Vallesius, colocynthidarum mordacitatem et acrimoniam temperat; unde prudenter adhibita hic fuit ab Eliseo, licet potissima causa correctionis pulmenti fuerit virtus divina et miraculosa. Simili modo in lepra Naaman curanda, aliquid juvit aqua Jordanis, cap. V, et in ulcere Ezechiæ sanando, aliquid juverunt Isaiæ ficus, cap. XX, 7; quia extergunt et discutiunt humores, si fiat cataplasma ex eis et farina hordeacea vel triticea. Ita Vallesius et Serarius, licet contrarium sentiant Angelomus et alii, scilicet hæc non juvisse, sed potius obfuisse, ut ostenderetur curationem hanc fieri non vi naturali, sed supernaturali et divina.

Infunde turbæ. — Notat Theodoretus, *Quæst.* XIX, filios prophetarum nil proprii possedisse, sed vixisse in communi, ut jam faciunt religiosi.

Tropologice S. Bernardus, serm. 63 *inter parvos* : « Præcatus ex debito officii sui apponit subjectis oilam grandem herbas agrestes continentem, id est admonitionem de gravibus disserentem, acerbitate referam, sed tamen igne Sancti Spiritus succensam. Subditi ergo perhorrescentes sermonum austeritatem, clamant : Mors in olla, et non possunt gustare. Sapiens igitur dispensator non affert, imo afferri jubet farinam; quoniam non prebet, sed hortatur habere caritatem, cujus condimento reddantur dulcia, quæ prius videbantur amara. Potest namque prædicator monita salutis auribus circumstantium insonare; sed nemo nisi solus Deus valet saporem caritatis palato cordis infundere. »

43. Ut apponam coram viris centum. — Eliseus hic miraculose multiplicans panes representat Christum, qui his paucis panibus pavit plura hominum millia. Mystice singula hæc adaptantem prædicatoribus, vide Angelomum.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliseus liberat Naaman a lepra, eumque immittit amaro et Simoniaco Giezi.

1. Naaman, princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum suum, et honoratus : per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ; erat autem vir fortis et dives, sed leprosus. 2. Porro de Syria egressi fuerant latrunculi, et captivam duxerant de terra Israel puellam parvulam, quæ erat in obsequio uxoris Naaman. 3. Quæ ait ad dominam suam : Utinam fuisset dominus meus ad prophetam, qui est in Samaria! profecto curasset eum a lepra quam habet. 4. Ingressus est itaque Naaman ad dominum suum, et nuntiavit ei, dicens: Sic et sic locuta est puella de terra Israel. 5. Dixitque ei rex Syriæ : Vade, et mittam litteras ad regem Israel. Qui cum profectus esset, et tulisset secum decem talenta argenti, et sex millia aureos, et decem mutatoria vestimentorum, 6. detulit litteras ad regem Israel, in hæc verba : Cum acceperis epistolam hanc, scito quod miserim ad te Naaman servum meum, ut

cures eum a lepra sua. 7. Cumque legisset rex Israel litteras, scidit vestimenta sua, et ait : Numquid Deus ego sum, ut occidere possim, et vivificare ; quia iste misit ad me, ut curem hominem a lepra sua? animadvertite, et videte quod occasiones quærat adversum me. 8. Quod cum audisset Eliseus vir Dei, scidisse videlicet regem Israel vestimenta sua, misit ad eum, dicens : Quare scidisti vestimenta tua? veniat ad me, et sciat esse prophetam in Israel. 9. Venit ergo Naaman cum equis et curribus, et stetit ad ostium domus Elisei ; 10. misitque ad eum Eliseus nuntium, dicens : Vade, et lavare septies in Jordane, et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. 11. Iratus Naaman recedebat, dicens : Putabam quod egrederetur ad me, et stans invocaret nomen Domini Dei sui, et tangeret manu sua locum lepræ, et curaret me. 12. Numquid non meliores sunt Abana et Pharphar, fluvii Damasci, omnibus aquis Israel, ut laver in eis, et munder? Cum ergo vertisset se, et abiret indignans, 13. accesserunt ad eum servi sui, et locuti sunt ei : Pater, si rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras ; quanto magis quia nunc dixit tibi : Lavare, et mundaberis? 14. Descendit, et lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei, et restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, et mundatus est. 15. Reversusque ad virum Dei cum universo comitatu suo, venit, et stetit coram eo, et ait : Vere scio quod non sit alius Deus in universa terra, nisi tantum in Israel. Obsecro itaque ut accipias benedictionem a servo tuo. 16. At ille respondit : Vivit Dominus, ante quem sto, quia non accipiam. Cumque vim faceret, penitus non acquievit. 17. Dixitque Naaman : Ut vis, sed, obsecro, concede mihi servo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra ; non enim faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam diis alienis, nisi Domino. 18. Hoc autem solum est, de quo deprecaris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur dominus meus templum Remmon, ut adoret, et illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re. 19. Qui dixit ei : Vade in pace. Abiit ergo ab eo electo terræ tempore. 20. Dixitque Giezi puer viri Dei : Pepercit dominus meus Naaman Syro isti, ut non acciperet ab eo, quæ attulit ; vivit Dominus, quia curram post eum, et accipiam ab eo aliquid. 21. Et secutus est Giezi post tergum Naaman ; quem cum vidisset ille currentem ad se, desiliit de curru in occursum ejus, et ait : Rectene sunt omnia? 22. Et ille ait : Recte, dominus meus misit me ad te, dicens : Modo venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim, ex filiis prophetarum ; da eis talentum argenti, et vestes mutatorias duplices. 23. Dixitque Naaman : Melius est ut accipias duo talenta. Et coegit eum, ligavitque duo talenta argenti in duobus saccis, et duplicia vestimenta, et imposuit duobus pueris suis, qui et portaverunt coram eo. 24. Cumque venisset jam vesperi, tulit de manu eorum, et reposuit in domo, dimisitque viros, et abierunt ; 25. ipse autem ingressus, stetit coram domino suo. Et dixit Eliseus : Unde venis, Giezi? Qui respondit : Non ivit servus tuus quoquam. 26. At ille ait : Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum, et accepisti vestes, ut emas oliveta, et vineas, et oves et boves, et servos, et ancillas. 27. Sed et lepra Naaman adhærebit tibi, et semini tuo usque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix.

2. De Syria egressi fuerant latrunculi, — id est milites ad prædandum hostilem terram Israel : sic milites olim vocabantur « latrones, » ob causas quas superius dedi ; nunc sæpe non tantum vocantur, sed reipsa sunt latrones.

Captivam duxerant puellam parvulam, — per quam Deus Naaman principem Syriæ sanavit tum corpore, tum mente, ut fieret fidelis et Dei cultor. Sic sub Constantino imperatore femina Christiana captiva assiduis suis precibus, jejuniis et pietatis exercitiis Iberos ad Christi fidem traduxit, teste Nicephoro, lib. VIII, cap. XXXIV.

5. Et decem mutatoria vestimentorum, — ut ea offerret Eliseo, qui iis uteretur, cum vestem quotidianam mutare vellet. Vestes elegantiores et pretiosiores intelligit, quibus utimur in publico et diebus solemnibus, inquit Vatablus.

6. Ut cures eum a lepra, — ut cures eum a lepra liberari per prophetam, quem audio apud te esse thaumaturgum. Nec enim rex noverat Eliseum, ideoque non ad eum, sed ad regem Israel sibi notum scribit, ut per Eliseum curet Naaman sanari.

7. Numquid Deus ego sum? — Rex Israel crude accipit verba regis Syriæ : nec enim sciebat quid puella regi Syriæ de Eliseo dixisset, quodque rex non per se, sed per Eliseum peteret curari Naaman a lepra. Unde suspicatus est regem sibi insidiari, belluque meditari, et hanc belli occasionem prætexere.

10. Misitque ad eum Eliseus nuntium. — Cur ipse Eliseus non ivit ad Naaman, ut eum quasi principem honorifice exciperet? Respondent primo Theodoretus et Procopius quod legis adeo studiosus esset Eliseus, ut ne immundi quidem hominis aspectum, multo minus contactum ferre vellet, ut scilicet intelligeremus quam eorum mores et consuetudinem defugere oporteat, quos graviorum scelerum infidelitatis et hæreseos lepra inquinat.

Secundo, et verius, ut ostenderet se ab aula et aulicis abstractum, Deo soli quasi religiosum vacare, ideoque parvi facere principum præsentiam, famulos, equos et pompam, quæ mundus admiratur. Non ergo id fecit ex superbia, utpote qui, « non solum se conspici, sed teneri etiam a muliere permisit, » cap. IV, ait S. Gregorius, lib. VII *Moral.* cap. XV, qui et sub initium capitis celsitudinem animi in Eliseo similibusque sanctis prædicans ait : « Cuncta quippe quæ foris eminent, occultis eorum obtutibus per despectum jacent. Nam super se inferius rapti in alio animum figunt, et quæque in hac vita patiuntur, quasi longe infra labentia atque a se aliena conspicunt ; atque, ut ita dixerim, dum mente extra carnem fieri decertant, pene ipsi quæ tolerant, ignorant. In horum profecto oculis quod temporaliter eminet, altum non est. Nam velut in magni vertice montis siti, præsentis vitæ gaudia plene despiciunt : eosque ipsos per spiritalem celsitudinem transcendentes, subjecta sibimet intus vident, quæcumque per carnalem gloriam foris tument. Unde et nullis contra veritatem potestatibus parcunt ; sed quos attolli per elationem conspiciunt, per spiritus auctoritatem premunt. »

Sic S. Antonius, salutatus a Constantino Magno per litteras, vix voluit respondere ; respondit tamen paucis plenis dictis, eique monita salutis dedit, teste S. Athanasio.

Tertio, voluit Eliseus miraculi et sanitatis futuræ mysteriosum angere, dum per famulum intermittit illud peragi, sit Abulensis ; idque non conducit, sed solo verbo, ait Auctor *Miraculi*, S. Scriptoræ, lib. II, cap. XXVIII.

11. Putabam quod egrederetur ad me, et stans invocaret nomen Domini Dei sui, et tangeret manu sua locum lepræ, et curaret me. — Loquitur Naaman ex sensu superbiæ gentilium superborum, qui ex suo judicio præfigunt sibi modum patrandi miraculi ; sed Deus, volens eos humiliare, alium ejus modum præscribit, ut discant Deo se suumque judicium submittere, ac a Deo legem accipere, non dare, illique simpliciter per omnia obedire.

12. Numquid non meliores sunt Abana et Pharphar fluvii Damasci? — Audi Benjamin in *Itinerario* : « Urbs ipsa Damascus maxima, atque pulcherrima est, muris cincta ; regio vero tota hortis et paradisis instructissima, ex singulis lateribus quindena continens milliaria. Nusquam alias in tota terra fructifera urbis huic similis visitur, quam duo flumina ex Hermone monte delapsa beant, Amma et Pharphar : sita est enim urbs sub Hermone monte, Amma urbem ipsam influit, cujus aquæ per tubos in omnes magnatum domos, atque etiam in fora et plateas deducuntur ; estque regio ipsa negotii omnium terrarum frequens. Pharphar vero urbem ipsam præterfluens, hortos et paradisos omnes irrigat. »

13. Pater, etsi rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras ; quando magis quia (quod) nunc dixit tibi : Lavare et mundaberis. — Benignus in famulos instar patris erat Naaman, adeo ut ab eis « pater » vocaretur, et ut pater amaretur, qui proinde benevole consilium salutare illi suggesserunt, quod ipse placide audivit et acceptavit. Sic et Eliseus Eliam magistram suam vocabat patrem, dicens : « Pater mi, currus Israel et auriga ejus. » Sic etiamnum Hollandi patrem suum benigni suos heros et dominos vocant : Baer, id est pater.

14. Descendit et lavit septies in Jordane. — Cur septies? ut septenarius numerus, qui universitatis numerus censetur, demonstraret omnia scelera capitalia, quæ septem numerantur ; et in omne tempus, quod septem hebdomadæ diebus circumfertur, penitus ex animis eradicanda. Tertullianus, lib. IV *contra* Marc. cap. IX, nationum, ait : « Quæ septem maculis capitalium delictorum inhorrent. Quapropter septies, quasi per singulos titulos, in Jordane lavit ; simul et ut totus hebdomadis caneret expiationem, quia unius lavacri vis et plenitudo Christo soli dicebatur, facturo in terris sicut sermonem compendiatum, ita et lavacrum. »

Secundo septies, ut significetur perfecta corporis et animi ablutio et sanitas : illa enim constat elementis quatuor, eorumque justa temperie producitur ; hæc vero invocato S. Trinitatis nomine in baptismo peragitur. Ita Theodoretus et Procopius.

Tertio, septena lotio septem Ecclesiæ Christi Sacramenta adumbrat, quibus omnis peccati lepra abstergitur ; hæc ergo sunt quasi septem baptismata et ablutiones animæ.

Et mundatus est. — Ecce hic est fructus simplicis obedientiæ. Sic Constantinus Magnus a lepra purgatus est aqua baptismi collati a S. Sylvestro.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non vi aquæ, nec etiam vi baptismi præcise (Baptismi enim effectus est abluere peccata animæ, non lepram corporis), sed quia aqua hæc « divinæ voluntatis et prophetiæ jussionis instrumentum fuit, » ut ait S. Ambrosius.

Allegorice, lotio Naaman in Jordane significat primo baptismum, qui lavat lepram animæ. Hic enim in Jordane, dum Christus in eo baptizatus est, ad hoc quasi consecratus fuit. *Secundo*, pœnitentiæ; Jordanis enim hic valde idem est quod « fluvius judicii, » quod in Sacramento pœnitentiæ peragitur. Ita Angelomus, Prosper et alii. Audi S. Ambrosium, lib. IV cap. IV *Luce* : « Disce spiritalia Sacramenta signari. Corporis remedium petitur, mentis acquiritur. Abluitur æro, affectus diluitur. Non enim magis corporis, quam mentis lepram video fuisse mundatam : quando post baptismum veteris erroris colluvione detersa, negat se diis alienis hostias, quas spopondérat Domino, litaturum. »

15. OBSECRO ITAQUE UT ACCIPIAS BENEDICTIONEM A SERVO TUO, — scilicet munera quæ tibi attuli vers. 5. Hæc enim ab Hebræis vocantur « benedictio, » quæ signa sunt amoris et benevolentiæ. Addo : hæc « benedictio « est realis, idemque quod « benedictio. « Sic benedicere Dei est efficax, idemque quod beneficere.

Vers. 15. Sancti prælatos honorare debent.

16. VIVIT DOMINUS ANTE QUEM STO, QUIA NON ACCIPIAM, — *q. d.* Esto sim cum meis discipulis in summa egestate et paupertate, tamen juro me tua munera non accepturum, ut ostendam hoc miraculum non esse meum, sed Dei; utque illud me pure ex amore Dei, non ob munera patrasse demonstrem; utque in discas servos Dei, non munera hominum, sed Dei ambire.

Idem fecit S. Hilarion. Audi quid de Orione a legione dæmonum per eum liberato in ejus vita scribat S. Hieronymus : « Curatus, ait, cum uxore et liberis, venit ad monasterium, plurima, quasi gratiam rediturus, dona afferens. Cui sanctus : Non legisti, inquit, quid Giezi, quid Simon passi sint; quorum alter accepit pretium, alter obtulit : ut *hic* venderet gratiam Spiritus Sancti, hic mercaretur? Cumque Orionus flens diceret : Accipe, et da pauperibus, respondit : Tu melius potes tua distribuere, qui per urbes ambulas, et nosti pauperes; ego, qui mea reliqui, cur aliena appetam? »

Perfecta ergo sanctitas munera quælibet et quantalibet refutat, uti fecit Abrahæm, Gen. XIV, 22; de quo S. Ambrosius, lib. I *De Abrahamo*, cap. III : « Quantum, inquit, est illud, quod de præda victoriæ nihil voluit contingere, nec oblatum sumere? Minuit enim fructum triumphi mercedis susceptio, et beneficii arrodit gratiam. Plurimum enim refert utrum pecuniæ, an gloriæ dimicaveris. »

Hinc a Deo audire meruit : « Ego protector tuus eum merces tua magna nimis, » Gen. XV, vers. 1. Ubi S. Ambrosius citatus : « Quoniam, inquit, sibi mercedem ab homine non quæsivit, a Deo accepit. » Hinc Eliseus hic fuit typus Christi jubentis Apostolis : « Gratis accepistis, gratis date, » ait S. Augustinus, sermone 208 *De Temp.*

17. OBSECRO, CONCEDE MIHI SERVO TUO, UT TOLLAM ONUS BURDONUM DUORUM DE TERRA — Israel. « Burdonum, » id est *mulorum*, ut vertit Chaldæus, Septuaginta, Vatablus, Pagninus et alii. Hebraice enim פרד *Pered* est *mulus*, ac forte a *Pered* dictus est burdo, litteram *P* in vicinam labialem *B* commutando. Fit in *Digest.* lib. XXXII, titul. 49, mentio « Burdonum, » ubi male Accursius baculos intelligit, qui Gallice *bourdons* vocantur. Unde Cujacius, lib. XI *Observat.* cap. XVI, « burdones » asserit esse mulos, qui manni et burici vocantur, geniti ex asino et equa, vel equo et asina; ideoque Hebraice dicuntur *peradim*, id est divisi, separati, quod divisa et diversa a suis genitoribus sint species : פרד enim est dividere, separare. Sensus est, *q. d.* Concede ut possim tollere de terra tua tantum quantum possunt ferre duo « burdones, » id est muli, ut ex ea quasi sancta erigam in patria mea altare Deo Israel, quem solum verum esse Deum ex hoc miraculo sanationis meæ agnosco, veneror et amo. Unde verisimile est Naaman circum altare erexisse templum vel sacellum, in eoque cum tota familia sua Deum colluisse, ac multos alios ad illum ibi colendum induxisse. Potuisset Naaman ex terra Syriæ altare erigere, Israeliticum tamen optavit, quod eum, uti monet Theodoretus, *Quæst.* XIX, Abulensis, *Quæst.* XXII, sanctum crederet, quam præ cæteris Deus elegisset, in quo populum templumque suum collocasset, quo tot sanctissimorum virorum domicilia et virtutibus celebraretur.

Nota hunc locum pro cultu reliquiarum Sanctorum, nam votum Naaman probavit Eliseus propheta Dei.

NON ENIM FACIET SERVUS TUUS HOLOCAUSTUM AUT VICTIMAM DIIS ALIENIS NISI (sed tantum) DOMINO. — Hebraice *Jehova*, qui verus et unicus est Moysis et Israelis Deus. Hinc ecce Naamanum perdixit Elisei sanctitas, et munerum despectatio. Unde sanctiorum, ait Mendoza in lib. I *Reg.* XII, 4, judicavit terram illam, in qua munerum copiosa sepelitur, quam illam aquam in qua corporis lepra expiatur. Ob eam rationem sanavit leprosum Eliseo obtulit aurum, tanquam medico : repudianti aurum obtulit preces, tanquam Deo; neque propria auctoritate, sed illius obtenta precis facultate, terræ portionem ausus est exportare.

18. HOC AUTEM SOLUM EST, DE QUO DEPRECERIS DOMINUM PRO SERVO TUO, QUANDO INGREDITUR DOMINUS MEUS (rex Syriæ) TEMPLUM REMMON, UT ADORET, ET ILLO INNITENTE SUPER MANUM MEAM, SI ADORAVERO IN TEMPLO REMMON, ADORANTE EO IN EODEM LOCO, UT IGNOSCAT MIHI DOMINUS SERVO TUO PRO HAC RE.

19. QUI DIXIT EI : VADE IN PACE. — Gregorius de Valentia, tract. *De fide et fidei professione*, disp. I, Quæst. III, puncto 2, ad 3, censet hanc petitionem

Naaman continere rem illicitam, scilicet professionem idololatriæ; Naaman enim cooperatum fuisse idololatriæ regis in adoratione idoli Remmon, ideoque Eliseum non annuere nec directe respondere, sed permittere, id est negative se habere, quia videbat eum hoc tempore incapacem correctionis, ad deponendam hanc idololatriæ simulationem, ideoque illam in aliud tempus distulisse, ac pro hac vice sufficisse ei, quod Naamanum ad veri Dei cognitionem perduxisset. Verum si Naaman cooperabatur idololatriæ, debuisset Eliseus eum hac de re docere nec dissimulare. Nam ex eo quod ait : « Vade in pace, » omnino colligebat Naaman Eliseum suæ petitioni annuere, et concedere ut, rege adorante, adoraret et ipse in templo Remmon; quare Eliseus favisset et confirmasset Naaman in sua idololatria, quod absit.

Pejus Priscillianistæ, quos sequitur Machiavellus, docebant licitum esse simulare exterius hæresim vel idololatriam, dummodo in animo veram fidem retineas; unde aiebant : « Jura, perjura, secretum prodere noli. » Minus, perperam tamen Adrianus in IV, Quæst. I *De Baptismo*, resp. ad 5, asserit licitum esse exterius eos simulare idololatriam, si absit scandalum, nec instet præceptum confitendi fidem.

Adorando Naaman fuit occasio peccandi.

Nota ergo adorationem hanc Naaman non fuisse proprie dictam : sic enim fuisset impia et idololatrica, sed improprium, scilicet incurvationem corporis, vel genuflexionem obsequii causa, ut scilicet regem ex officio sibi commisso fulciret et sustentaret in templo, uti et alibi facere consueverat; quod facere non poterat, nisi, rege genuflectente, ipse pariter genuflecteret. Est etiam hæresis. Id patet ex Hebræo השתחוה *shaah*, quod proprie significat, curvare vel incurvare se, uti vertit hic Arias. Alia ergo fuit adoratio regis, alia Naamanis; rex enim proprie adorabat idolum suum Remmon : Naaman vero adorabat improprie, id est curvabat se, ut regi suo se curvanti accommodaret, eumque sustentaret et honoraret. Erat ergo hoc ejus adoratio non religiosa, sed politica et civilis; sicut « Abraham adoravit, » id est reverentiam exhibuit, « filios Heth, » Gen. XXIII, 7, et Jacob « adoravit, » id est veneratus est filium suum Joseph primo primum Ægypti, *Hebr.* XI, 21.

Solebat enim rex Syriæ, cum incederet, aut se quacumque de causa prosterneret, innixi aut manibus, aut humeris Naaman : quare necesse erat ut esse Naaman ad regis nutum, atque habitum accommodaret. Ex quo fiebat ut eum stante staret, cum incedente incederet, et procedente ipse quoque procederet. Hoc enim si omisisset, incivilis et rusticus, imo infidelis habitus fuisset.

Dices : Naaman cooperabatur regi adoranti Remmon; ergo cooperabatur ejus idololatriæ. Respondeo negando consequentiam. Cooperabatur enim regi ad actionem naturalem, scilicet ad curvationem corporis duntaxat, non autem ad moralem, vel ad intentionem regis, quæ erat curvando se adorare Remmon. Sic nobiles, ait Cajetanus, comitantes suum regem euntem ad concubinam, non peccant; quia non comitantur eum, ut vadat ad fornicandum et peccandum, sed absolute ut vadat quocumque libuerit : comitantur enim eum duntaxat honoris et obsequii causa, ac famuli dominum suum.

Sensus ergo Naaman fuit, *q. d.* Peto, o Elisee, facultatem ut, curvante se rege in templo Remmon ad eum adorandum, liceat et mihi regem sustentanti curvare me, non ad adorandum Remmon, sed ut hoc obsequium et servitium regi meo præstem, ad quod ex officio meo teneor, tam in templo quam alibi, ne gradu et dignitate apud regem excidam. Rex enim innititur super me; quare quocumque ipse se flectit, et vertit, ego pariter me vertere et flectere debeo. Erat ergo actus hic curvandi adiaphoros et indifferens, eratque cultus non sacer, sed civilis et politicus. Nam sustentare regem sive stantem, sive ambulantem, sive genuflectentem per se est actus observantiæ; per accidens vero est, quod contingat eum sustenturi, dum ille coram ideolo incurvatur. Id enim non est idolo, sed regi reverentiam exhibere.

Dices rursus : Naaman dubat scandalum aulicis; putabant enim ipsi eum adorare cum rege idolum Remmon. Respondeo nullum fuit scandalum, tum quia sciebant Naaman ex officio teneri ad sustinendum regem in hac corporis curvatione, nec aliud prætendere; tum quia Naaman publice abdicarat idola, et profitebatur cultum veri Dei Israelis, eique altare et sacellum erexerat, in quo totam suam familiam Deum verum secum adorare compellebat. Ita Abulensis, Lyranus, Burgensis, Cajetanus, Serarius, Sanchez, Salianus hic, et Suarez, *De fide*, tract. I, disp. XIV, sect. 4, num. 8.

Quin et Tertullianus, lib. *De Idololatria*, cap. XV, in fine : « Sed quæstio, inquit, ita malis circumdedit sæculum idololatriæ, licebit adesse in quibusdam, quæ nos homini, non idolo officiosos habent. Plane ad sacerdotium et exercitum vocatus non ibo (proprium enim idoli officium est), sed neque consilio, neque sumptu alterve opera in hujusmodi fungar. Si propter sacrificium vocatus assistam, ero particeps idololatriæ : si mihi alia causa conjungit sacrificanti, ero tantum spectator sacrificii. »

Porro hac in re circumspecte agendum est : nisi enim circumstantia subinde possem facti mutat, et quod erat licitum, facit illicitum; ut si rex velit suos famulos cogere ad idololatriam, ideoque eos compellat secum ire ad templum, ut secum idolum adoret, ut fecit Julianus apostata. Unde Valentinianus dux militiæ postea imperator Julianum quidem euntem ad idolorum fanum, honoris causa comitatus est; sed eum ibidem sacrificeus idololatra roscidis quibusdam frondibus eum aspersisset, ipse illi alapam impegit convicisque eum proscidit, ac partem vestis in quam

asperginis illius gutta ceciderat, abscidit. Quocirca ipse ob Christianam fidem a Juliano militia exutus, et in exilium actus hac sua in fide constantia meruit Juliano post Jovinum in imperio succedere. « Qui ergo omnia pietati posthabuit, omnia consecutus est munere pietatis, » ait Baronius anno Christi 364.

Sic S. Sergius et Bacchus primicerii Maximiani Imperatoris comitati sunt eum sacrificaturum Jovi usque ad januas templi; sed illud ingredi noluerunt. Causam rogati, dixerunt se religione prohiberi; se enim Christianos esse, nec Jovem, sed Deum verum colere. Qua de causa excruciati gloriosum obiere martyrii agonem die 7 octobris : quia nimirum tunc asseclæ imperatoris solebant injicere thus thuribulo in honorem idoli, et idolo acclamare, aliisque signis et modis cooperari idololatriæ imperatoris. Adde, tunc flagrante imperatorum in Christianos persecutione, signum idolorum cultus erat astare sacrificiis. Denique sub decem primis imperatoribus fideles persequentibus, Christiani ferventes erant, et quamlibet idololatriæ speciem et umbram horrebant et cavebant.

Porro Naaman hic factus est veri Dei cultor, non tamen Judæus vel proselytus, quia non fuit circumcisus; quare legem Moysis servare non tenebatur, uti ad eam æque ac ad circumcisionem obligabantur omnes Judæi, tanquam Abrahæ, Isaac et Jacob posteri : nunsit ergo Naaman gentilis, et Deum verum colebat, uti colebant patres omnes ante diluvium in statu legis naturæ. Vide S. Augustinum, sermone 207 *De Temp.* qui est de Naaman Syro.

REMMON. — Nonnulli censent Remmon esse Jovem summum deorum, itaque dici quasi רם ram, Remmon et Verus. id est *excelsum*, utpote altitonantem. Melius Serarius, Sanchez et alii censent esse Venerem, tum quia Venus erat dea Syriæ, tum quia Syri Venerem faciebant tam deum quam deam, teste Macrobio; tum quia « Remmon » Hebraice significat *malum punicum*. Veneri autem poma præsertim aurea et punica, ob pulchritudinem et seminum fecunditatem, sacra fuisse testantur Theocritus, Virgilius, Lucianus et Ovidius, lib. X *Metamorph.* Vide Pererium, *Hieroglyph.* lib. LIV. Sic Romani colebant Pomonam, quasi deam pomorum, teste S. Augustino, lib. III *De Civit.* cap. XXIV.

ABIIT ERGO AB EO ELECTO TERRÆ TEMPORE. — Chaldæus et Pagninus, *abiit ab eo milliare terræ*; Septuaginta, *in spatio terræ*; Isidorus, *quasi per stadium terræ*; Vatablus, *jugerum agri*; Cajetanus ex R. David, *prandio terræ*, id est tanto spatio Naaman abierat ab Elisæo, cum ad eum venit Giezi petens munera, quantum durante prandio confici potest scilicet milliare. Et huic expositioni vulgatam versionem accommodat Sanchez, ut *electum tempus* vocetur milliare; milliare enim est communis et electa hominum mensura, quam scilicet omnes communi consensu elegerunt ad demetiendum locorum spatia et distantias.

Verum Noster, *Genes.* XXXV, 16, vertit, *verno tempore*; alibi vertit, *tempus viriditatis*. Ergo *tempus electum* est tempus vernum quo omnia virent. Ita Rupertus : addit hoc Scriptura, ut significet Eliseum prudenter Naamano præscripsisse lotionem in Jordane, ex eo quod erat tempus vernum; tunc enim, tepente aura, lotiones corpori salutares sunt, cum in hyeme ob frigus sint noxiæ. Rursum, ut significet lætiorem hanc a lepra curationem accidisse Naamano, ex tempore, utpote qui acciderit in vere, cum omnia florent et lætitiam homini aspirant, lætissimum ergo ipsum redisse domum. Vide dicta *Genes.* XXXV, 16.

20. VIVIT DOMINUS, QUIA CURRAM POST EUM, ET ACCIPIAM AB EO ALIQUID, — *q. d.* Juro per Deum quod petam a Naaman aliquod antidoton, sive munus pro sanitate ei data a meo magistro Eliseo. Hinc patet Giezi proprie non fuisse Simoniacum, quia miraculosam sanitatem Naamano non vendidit pretio, nec de eo cum ipso pactus est; sed post gratis ei datam ab Eliseo sanitatem, munus aliquod ab eo petiit : Simoniacus vero primus fuit Simon magus, qui a sancto Petro emere voluit pretio Spiritum Sanctum, *Actorum* VIII; unde ab eo hoc peccatum nomen Simoniæ accepit. Peccavit tamen graviter Giezi : *Primo*, quod inscio et invito Eliseo hoc munus a Naaman petierit et acceperit; *secundo*, quod mentitus sit Eliseum id petere; *tertio*, quod Eliseo hanc notam cupiditatis inuserit, quæ multum ejus sanctitati et honori derogabat. Ipse enim respuens munera Naaman ab eo habitus fuit ut vir divinus, et propheta cœlestis : jam vero petens munera videri et potuit homo egens et cupidus, ac similis pseudoprophetis, qui pro suis vaticiniis accipiebant munera. Quare poterat Naaman deficere a fide quam conceperat de Deo vero, ex sanctitate et integritate Elisei. Unde valde verisimile est Eliseum effecisse, ut Naaman resciret Giezi se inscio munera hæc ab eo petiisse, ideoque a se lepra punitum, ut hac ratione integritas sua in munerum contemptu Naamano constaret; itaque ille in opinione quam de eo conceperat, ac vera in Deum fide confirmarétur. *Quarto*, Giezi peccavit furto, quia Naaman munera hæc mittebat Eliseo, pro quo ea Giezi petebat; Giezi autem illa in suos usus convertere destinabat. Unde ea abscondit versu 24, ne quid Eliseus de iis sciret. Quocirca mox Eliseus illi exprobrat, vers. 16 : « Accepisti argentum, inquit, ut emas oliveta et vineas. » *Quinto*, peccavit simonia mentali; animum enim habuit simoniacum : petiit enim munera a Naaman intuitu sanitatis miraculose illi ab Eliseo collatæ, quasi hæc merces et hoc pretium Eliseo pro sanitate deberetur. Unde S. Ambrosius, lib. *De Dignitate sacerdotali*, cap. IV, ait simoniacos esse sectatores Giezi et Simonis Magi, ideoque lepram simoniæ adhærere eorum non corporibus, sed mentibus.

Vers. 20.

Peccavit Giezi. Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

20. NONNE COR MEUM IN PRÆSENTI (præsens) ERAT, QUANDO REVERSUS EST HOMO (Naaman) DE CURRU SUO IN OCCURSUM TIBI. — « Cor, » id est mens et oculi mentis mea a Deo supernaturaliter elevati et adjuti fuere, ut absentem et remotam tuam munerum a Naaman acceptionem, quasi præsentem cognoscerent et cernerent, *q. d.* Putabas me absentem, cum munera petisti : at ego spiritu tibi præsens eram; mentis enim intuitu vidi omnia quæ fecisti. Multo ergo magis, ait S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.* cap. XIX, Sancti in cœlis absentia et remota quæ in terra fiunt, cernere possunt.

Simili modo S. Benedictus vidit absentia multa, uti narrat S. Gregorius, II *Dialog.* cap. XIII, vers. 18, 19. Unde addit S. Gregorius eum habuisse spiritum Elisei.

25. ACCEPISTI ARGENTUM, etc. UT EMAS OLIVETA ET VINEAS, ET OVES, ET BOVES, ET SERVOS, ET ANCILLAS. — Talentum argenti continebat sex millia siclorum argenti, hoc est, sex millia florenorum Brabanticorum sive Francorum, ut vocant Galli : quare duo talenta quæ accepit Giezi valebant duodecim millibus Francorum, quæ faciunt quatuor millia coronatorum Francicorum : quorum quisque continet duodecim Julios sive flegales; hæc summa autem illo ævo, cum omnia essent vili pretio, ac rarum foret argentum, poterant emi hæc omnia. Alii disjunctive explicant, *q. d.* Ut emas, vel oliveta, vel vineas, vel oves et boves. Hinc videtur quod Eliseus munera hæc sibi a Naaman per Giezi missa, ipsi Giezi concesserit et dederit, ne ipse injuste ea possidens continue peccaret.

27. SED ET LEPRA NAAMAN ADHÆREBIT TIBI ET SEMINI TUO USQUE IN SEMPITERNUM, — non absolute, ut patet, sed *q. d.* ad longissimum et immemorabile tempus, v. g. per trecentos annos, sive in tertiam et quartam generationem, *Exodi* XXXIV, 7. Ita Serarius, Abulensis, Sanchez et alii.

Argentum ergo quod inique accepit Giezi fuit veneno infectum et pestiferum, instar vestium nummorumque quibus in domo peste infecta pestis adhærescit, ut ea accipientem invadat et inficiat. Sic enim lepra Naaman quasi adhæsisset argento, infecit Giezi illud recipientem, eumque leprosum effecit.

Quare deinceps Giezi cum Eliseo versatus non est, sed ut leprosus hominum consortium ex lege Levitica 13 et 14, vitare debuit : nec enim eum Eliseus legis studiosissimus ad se admisisset. Ita Abulensis, *Quæst.* X, quod ergo Giezi cap. VIII, cum rege Joram collocutus dicitur, eique miracula Elisei narrasse, id videtur contigisse antequam percussus esset lepra; unde Abulensis, Serarius, Salianus et alii censent hic esse hysterologiam, ac Giezi lepram, et consequenter Naamani ad Eliseum adventum et sanationem, posterius contigisse, scilicet anno ultimo regni Joram, cum paulo post ipse occisus est a Jehu : si quis tamen ordinem S. Scripturæ retinere velit, dicat oportet Giezi pœnitentiam egisse, sicque Deum et Eliseum placasse, lepramque a se, si non a posteris omnibus repulisse, ait Serarius, itaque jam mundum collocutum esse cum rege Joram.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliseus ferrum securis in aqua mersum ad lignum, quasi ad suum manubrium, enatare facit : inde, vers. 8, consilia secreta regis Syriæ revelat regi Israel. Mox, vers. 14, milites Syros ad se capiendum missos excæcat, ducitque ad regem Israel, eosque vetat percuti, imo cibo refici jubet. Denique, vers. 24, rex Syriæ obsidet Samariam, eamque ad extremam famem redigit. Quare rex Israel Eliseum ad necem deposcit, sed ille legatis regis ostium occludi præcipit.

1. Dixerunt autem filii prophetarum ad Eliseum : Ecce locus in quo habitamus coram te angustus est nobis. 2. Eamus usque ad Jordanem, et tollant singuli de sylva materias singulas, ut ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit : Ite. 3. Et ait unus ex illis : Veni ergo et tu cum servis tuis. Respondit : Ego veniam. 4. Et abiit cum eis. Cumque venissent ad Jordanem, cædebant ligna. 5. Accidit autem ut cum unus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam; exclamavitque ille, et ait : Heu, heu, heu, domine mi, et hoc ipsum mutuo acceperam. 6. Dixit autem homo Dei : Ubi cecidit? At ille monstravit ei locum. Præcidit ergo lignum, et misit illuc; natavitque ferrum, 7. et ait : Tolle. Qui extendit manum, et tulit illud. 8. Rex autem Syriæ pugnabat contra Israel, consiliumque iniit cum servis suis, dicens : In loco illo et illo ponamus insidias. 9. Misit itaque vir Dei ad regem Israel, dicens : Cave ne transeas in locum illum, quia ibi Syri in insidiis sunt. 10. Misit itaque rex

Israel ad locum quem dixerat ei vir Dei, et præoccupavit eum, et observavit se ibi non semel neque bis. 11. Conturbatumque est cor regis Syriæ pro hac re; et convocatis servis suis, ait : Quare non indicatis mihi quis proditor mei sit apud regem Israel? 12. Dixitque unus servorum ejus : Nequaquam, domine mi rex, sed Eliseus propheta, qui est in Israel, indicat regi Israel omnia verba quæcumque locutus fueris in conclavi tuo. 13. Dixitque eis : Ite, et videte ubi sit, ut mittam, et capiam eum. Annuntiaverunique ei dicentes : Ecce in Dothan. 14. Misit ergo illuc equos, et currus, et robur exercitus : qui cum venissent nocte, circumdederunt civitatem. 15. Consurgens autem diluculo minister viri Dei, egressus, vidit exercitum in circuitu civitatis, et equos, et currus; nuntiavitque ei, dicens : Heu, heu, heu, domine mi, quid faciemus? 16. At ille respondit : Noli timere; plures enim nobiscum sunt quam cum illis. 17. Cumque orasset Eliseus, ait : Domine, aperi oculos hujus, ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, et vidit : et ecce mons plenus equorum, et curruum igneorum, in circuitu Elisei. 18. Hostes vero descenderunt ad eum; porro Eliseus oravit ad Dominum, dicens : Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate. Percussitque eos Dominus, ne viderent, juxta verbum Elisei. 19. Dixit autem ad eos Eliseus : Non est hæc via, neque ista est civitas; sequimini me, et ostendam vobis virum quem quæritis. Duxit ergo eos in Samariam; 20. cumque ingressi fuissent in Samariam, dixit Eliseus : Domine, aperi oculos istorum, ut videant. Aperuitque Dominus oculos eorum, et viderunt se esse in medio Samariæ. 21. Dixitque rex Israel ad Eliseum, cum vidisset eos : Numquid percutiam eos, pater mi? 22. At ille ait : Non percutias; neque enim cepisti eos gladio et arcu tuo, ut percutias; sed pone panem et aquam coram eis, ut comedant et bibant, et vadant ad dominum suum. 23. Appositaque est eis ciborum magna præparatio, et comederunt, et biberunt, et dimisit eos, abieruntque ad dominum suum, et ultra non venerunt latrones Syriæ in terram Israel. 24. Factum est autem post hæc, congregavit Benadad rex Syriæ universum exercitum suum, et ascendit, et obsidebat Samariam. 25. Factaque est fames magna in Samaria : et tamdiu obsessa est, donec venumdaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis. 26. Cumque rex Israel transiret per murum, mulier quædam exclamavit ad eum, dicens : Salva me, domine mi rex. 27. Qui ait : Non te salvat Dominus; unde te possum salvare? de area, vel de torculari? Dixitque ad eam rex : Quid tibi vis? Quæ respondit : 28. Mulier ista dixit mihi : Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, et filium meum comedemus cras. 29. Coximus ergo filium meum, et comedimus. Dixique ei die altera : Da filium tuum ut comedamus eum. Quæ abscondit filium suum. 30. Quod cum audisset rex, scidit vestimenta sua, et transibat per murum. Vidique omnis populus cilicium quo vestitus erat ad carnem intrinsecus. 31. Et ait rex : Hæc mihi faciat Deus, et hæc addat, si steterit caput Elisei filii Saphat super ipsum hodie. 32. Eliseus autem sedebat in domo sua, et senes sedebant cum eo. Præmisit itaque virum; et antequam veniret nuntius, ille dixit ad senes : Numquid scitis quod miserit filius homicidæ hic ut præcidatur caput meum? videte ergo, cum venerit nuntius, claudite ostium, et non sinatis eum intrare : ecce enim sonitus pedum domini ejus post eum est. 33. Adhuc illo loqueute eis, apparuit nuntius qui veniebat ad eum. Et ait : Ecce, tantum malum a Domino est; quid amplius exspectabo a Domino?

enim habebant domos, sed utebantur tugurüs. Quamobrem a magno illo propheta supplices petierunt, ut abiret cum ipsis ligna secantibus ad ea construenda. Tanta autem utebantur paupertate, ut ne securim quidem sustinerent possidere.» Et S. Hieronymus, epist. 4 *ad Rusticum* : « Filii prophetarum, ait, quos monachos in veteri Testamento legimus, ædificabant sibi casulas prope fluenta Jordanis, et turbis urbium derelictis, polenta et herbis agrestibus victitabant. » Idem prorsus fecere monachi et eremitæ post Christum, tempore S. Antonii, S. Basilii, S. Hieronymi : unde juxta Jordanem ædificabant sibi casulas et tugurïa, ut patet ex Vitis Patrum. Hinc et ipse S. Hieronymus per S. Paulam quinque ædificavit monasteria, ad quæ Romanam nobilitatem evocavit, atque uni eorum ipse præerat. Quocirca Franciscus Suarez, tomo III *De Religione*, lib. III, cap. I, num. 6 et seq. ex S. Ignatio, Hieronymo, Ambrosio et Damasceno, docet hos filios, id est discipulos prophetarum fuisse typum et præludium Religiosorum novi Testamenti, ac instar eorum coluisse castitatem, paupertatem et obedientiam, sed sine voto.

S. Heu, heu, heu, Domine mi. — Tropologice, Eucherius : « Recte, inquit, is qui ferrum amiserat, clamabat : Heu, heu, heu, Domine mi, et hoc ipsum multo acreperam. Habent enim hoc electi proprium, si quando in eis sua excussa furtiva vanæ gloriæ culpa subripitur, ad cor velociter redeunt, et quidquid in se ante districti judicis oculos damnabile inveniunt, lacrymis insequuntur. Qui flentes non solum caute inspiciunt quæ male commiserunt, sed ex accepto munere, quæ reddere etiam bona debuerant. »

6. Dixit autem homo Dei (Eliseus Dei servus) : Ubi cecidit (ferrum)? At ille monstravit ei locum; præcidit ergo lignum et misit illuc, natavitque ferrum. — Idem prorsus Gotho cuidam pauperi prædixit S. Benedictus, qui, ut ait S. Gregorius, II *Dialog.* cap. VI, « accessit ad locum (ad lacum in quem ceciderat ferrum ex falce), tulit de manu Gothi manubrium, et misit in lacum : et mox ferrum de profundo rediit, atque in manubrium intravit. Qui statim ferramentum Gotho reddidit, dicens : Ecce, labora, et noli contristari. »

Quæres an verum hic fuerit miraculum. Asserit Vallesius, S. *Phil.* cap. XXXVII, dicens Deum ferro gravitatem detraxisse et indidisse levitatem, et e lumo enatando ferretur in altum. Verum dico non fuisse hoc proprie dictum miraculum, quod omnia uniforme et naturalium causarum vim excedat oportet, ut a solo Deo patrari possit. Omnia enim hæc facta sunt per Angelum, qui lignum ab Eliseo præcisum et in manubrium adaptatum apprehendit, in fundum aquæ detulit, ferro inseruit, in altum extulit, et securim ibi fluitantem sustentavit, donec eam lignator apprehenderet. Ita Abulensis.

Allegorice, Tertullianus, libro *Contra Judæos*, cap. XIII, per aquas Jordanis accipit baptismum : per lignum, crucem Christi; per ferrum, cura peccatorum corda. « Quid, inquit, manifestius hujus ligni Sacramento? quod duritia hujus sæculi mersa in profundo erroris, et a ligno Christi, id est passionis ejus in baptismo liberatur; ut quod perierat olim per lignum in Adam, id restitueretur per lignum Christi. » Sic et S. Ambrosius, lib. II *De Sacrament.* cap. II : « Ecce, inquit, aliud genus baptismatis. Quare? Quia omnis homo ante baptismum quasi ferrum premitur atque demergitur. Ubi baptizatus fuerit, non tanquam ferrum, sed tanquam jam levior fructuosi ligni species levatur. » Et mox : « Vides ergo quod in cruce Christi omnium hominum levatur infirmitas. » Et Theodoretus, *Quæst.* XIX : « Hoc, inquit, præfiguravit Salvatoris nostri dispensationem; quomodo enim lignum quidem, quod est levissimum, fuit demersum, quod est autem gravissimum, nempe ferrum, supernatavit; ita divinæ naturæ descensus effecit, ut humana natura ascenderet. »

S. Augustinus vero, serm. 210 *De Tempore*, per fluvium accipit fluentes voluptates et concupiscentias, ex quibus nos mersos liberat Eliseus, id est Christus per lignum crucis. « Securis illa, inquit, in profundo jacebat, quia genus humanum in omni un criminum abyssum infelici ruina corruerat, sicut scriptum est : Infixus sum in limo profundi. Et iterum : Devenl in altitudinem maris, et tempestas demersit me. Fluvius enim ille, ubi securis cecidit, significat præterfluentem et fugitivam, et in abyssum descendentem voluptatem, vel luxuriam sæculi hujus. Fluvius enim a fluendo nomen accepit. Et quia omnes peccatores transitoria voluptatibus inhærentes, fluere dicuntur, ideo securis illa in fluvio et in limo jacebat oppressa. » Pergit deinde ad Eliseum, id est Christum Salvatorem : « Veniens vero Eliseus misit lignum, et natavit ferrum. Quid est lignum mittere, et ferrum in medium producere, nisi potibalum crucis ascendere, et de profundo inferni humanam gentem erigere, ac de omnium peccatorum tumo per crucis mysterium liberare? post quam verum natavit ferrum, ait Simeon ad Propheta, et recepit illud, et redit ad utilea usus hominis. Ita et de nobis factum est, dilectissimi fratres, qui de manu Domini superbiendo cecideramus, per crucis lignum iterum ad manum vel ad potestatem Domini redire meruimus. Et ideo quantum possumus, cum ipsius adjutorio laboremus, ne iterum superbiendo de manu Domini corruamus. »

S. Irenæus autem, lib. V, cap. XVII, per ferrum accipit ferrum bei verbum, quod per lignum (commendato ex ligno scientiæ boni et mali a Deo vetito, Genes. III) negligenter amiseramus, nec inveniebamus, sed per lignum crucis Christi recepimus. « Quod autem securis similis sit verbo Dei, inquit, docet Joannes Baptista dicens : Jam autem securis ad radicem arborum posita est, » *Matth.* III.

Tropologice, Angelomus : « Ferrum in manu-

brio, inquit, donum intellectus in corde est; ligna vero per hoc cædere, est prave agentes increpare; quod nonnunquam dum fluxe agitur, dum lapsus vanæ gloriæ in accepta eadem scientia non vitatur, ferrum in aqua perditur, quia ex dissoluto opere intelligentia fatuatur. Quam profecto intelligentiam ad hoc novimus dari, ut ante dantis oculos ex bona actione debeat restitui. Unde recte is, qui ferrum amiserat, clamabat: Heu, heu, heu, Domine mi, et hoc ipsum mutuum acceperam. » Idem iisdem verbis habet Eucherius ac pene Rupertus.

Anagogice Beda: Sicut ferrum aquis mersum Eliseus reduxit ad manubrium, sic Christus corpus suum aquis passionis et mortis demersum revocavit ad vitam. Idem faciet nobis in communi omnium resurrectione. Corpus enim nostrum instar ferri est durum, grave, frigidum, ferruginosum, et pronum ut in abyssum ruat; sed Christus ferro huic contrarias dotes corporis gloriosi inseret, illudque quasi ignitet, ut sit clarum, agile, leve, subtile, impassibile, gloriosum.

12. DIXITQUE UNUS SERVORUM EJUS. — Abulensis putat hunc fuisse Naaman, quem Eliseus a lepra curarat; sed videtur incredibile quod ipse Eliseum sibi tam beneficum regi prodiderit, uti sub initium cap. VIII fatetur Abulensis.

ELISEUS PROPHETA QUI EST IN ISRAEL, INDICAT REGI ISRAEL OMNIA VERBA QUÆCUNQUE LOCUTUS FUERIS IN CONCLAVI TUO. — Spiritus enim prophetiæ est cognoscere tam arcana, absentia et remota, quam futura prædicere. Utrumque enim eamdem virtutem requirit, scilicet opem et revelationem divinam.

16. NOLI TIMERE: PLURES ENIM NOBISCUM SUNT QUAM CUM ILLIS. — « Plures, » nimirum Angeli, qui pro Deo et sanctis ejus, quasi cœlestes acies inunmeræ et fortissime militant, ob quas ipse vocatur « Deus Sabaoth, id est exercituum, » juxta illud *Psalm* XXXIII: « Immittet (Hebraice חנה *chone*, id est *castrametabitur*) Angelus Domini in circuitu timentium eum. » Sic de Jacob fugiente Esau dicitur, *Genes.* XXXII, 1: « Fuerunt que ei obviam Angeli Dei, quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc. » Sic Angeli pugnarunt pro Mose et Hebræis contra castra Pharaonis in mari Rubro, *Exodi* XIV. Unde S. Ambrosius, sermone 4 *De Eliseo*: « Divinus timor, inquit, terrorem a nobis expellit hostilem. Arma autem hæc nostra sunt, quibus nos Salvator instruxit: oratio, misericordia atque jejunium. Jejunium enim melius quam murus fuerit; misericordia facilius liberat quam rapina, oratio longius vulnerat quam sagitta. Sagitta enim non nisi proxime conspectum percutit adversarium, oratio autem etiam longius positum vulnerat inimicum. » Et paulo post: « Mira res! plures a cœlo defensores meretur sanctitas, quam in terris oppugnatores adduxit improbitas. » Causam subdit: « Scire enim debet quod adversarii meritis magis quam virtute vincuntur, et non tam virtute quam sanctitate superantur; sicut S. Eliseus hostes sæpe non armis superabat, sed oratione vincebat. »

17. ET APERUIT DOMINUS OCULOS PUERI. — « Non mirum, ait S. Ambrosius, serm. *De Eliseo*, si oratio aperuit oculos, ut videret exercitus, non mirum, inquam, si novos inserit oculos, qui nova promeretur auxilia. Aut cur non acies producat obtutum, qui acies instruxerat Angelorum? Cur, inquam, non oratione sua hebetudinem pupillarum detergeret, qui meritis suis caliginem nubium penetravit? Necessario ergo S. Eliseus hoc facto ministro formidoloso præstitit securitatem, cui jam refuderat claritatem. »

ET ECCE MONS PLENUS EQUORUM, ET CURRUUM IGNEORUM, IN CIRCUITU ELISEI. — Angeli hos equos et currus specie ignis ex aere et nubibus ac radiis solis, apposite ad ignis colorem exhibendum per eas transparentibus efformarunt, ut Eliseo suam cœlestem naturam igneamque celeritatem, fortitudinem, vim et efficaciam repræsentarent, uti repræsentarant Eliæ in ejus raptu. Spiritus enim Eliæ successor et hæres fuit Eliseus; in eo ergo impletum fuit illud Dei promissum: « Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, et in gloria ero in medio ejus. » *Zachar.* II, 5. Vide ibi dicta. Causam dat S. Ambrosius, serm. 2 *De Eliseo*: « Quid mirum, ait, si is auxilia mereatur e cœlo cujus animus semper in cœlo est, sicut ait Apostolus: Nostra autem conversatio in cœlis est. Ergo si nostra conversatio in cœlis est, et cœlestium conversatio potest esse nobiscum, hoc est, ut qui vita vivimus, Angelorum recte consortium mereamur. Est ergo sancte viventibus quædam inter se cognatio, conjunctio atque societas, nec interest utrum in cœlis maneant, an in terris; Angeli iel sint habitus vel humani, dummodo in iis sit eadem vita vel sanctitas. Conversatio enim connectit, quos separat elementum, et diversis licet corporibus dividantur, iisdem tamen actibus conjunguntur. Atque ideo fit ut sancti sibi quodam consortio cohærentes, a se invicem non discedant, et modo Angeli ad terras veniant, modo homines ad cœlestia transferantur, ac profectu meliore quibus vita communis est, incipiunt illis vivendi etiam elementa esse communia. »

18. PERCUTE, OBSECRO, GENTEM HANC CÆCITATE. — Septuaginta ἀσσεὶ, id est *avidentia*, ut scilicet videntes non videant, nec advertant. Hinc ea percussi hic Syri Eliseum quidem et civitatem videbant, sed non agnoscebant nec advertebant. Simili cæcitate et aorasia percussi sunt cives Sodomæ, invadentes domum Lot, *Genes.* XIX. Audi S. Ambrosium, sermone *De Eliseo*: « Tunc igitur oravit Eliseus, et omnem hostilem exercitum cæcitate percussit. Non mirum si adversariis cæcitatem intulit, qui famulo largitus est claritatem; et si hostibus aufert visum, qui ministro præstat aspectum. Ubi sunt qui dicunt, plus quam preces sanctorum, hominum arma posse? Ecce una Elisei totum exercitum vulneravit, et cuno

pletes meritis omnis est hostium numerus captivatus. Quæ catervæ regum, quæ turba militum talem victoriam perpetrarunt, ut ita hostes prosternerent, ut de illis nullus occumberet? Hæc est vera, hæc incruenta victoria, ubi sic adversarius vincitur, ut de vincentibus nemo lædatur. »

19. DIXIT AUTEM AD EOS ELISEUS: NON EST HÆC VIA, NEQUE EST ISTA CIVITAS. — Abulensis putat Eliseum hic effecisse mentitum. Videbant enim Syri civitatem Dothain in qua, vel juxta quam tunc degebat Eliseus quem quærebant: hoc autem videtur negare Eliseus dicens: « Neque ista est civitas, » quam quæritis. Exeusat Eliseum Lyranus, dicens eum locutum esse non de civitate Dothain, in qua tunc degebat, sed de Samaria ubi habebat domum et fixam sedem, ut patet vers. 32. Non enim respondet hic Eliseus ad quæsita Syrorum, utpote quæ nihil interrogarant, sed ad mentem eorum, quasi dicat: Quæritis Eliseum, o Syri! venite mecum, ego ostendam vobis viam in Samariam, in qua ipse habitat, illique ego eum vobis ostendam faciamque ut agnoscatis quem modo præsentem quidem habetis, sed tamen percussi aorasia non cognoscitis. Nolebat enim ab eis agnosci in Dothain, sed in Samaria, ut eos ad regem deduceret, et convivio exciperet. In hisce autem verbis nullum fuit mendacium, sed celatio veritatis duntaxat, quæ licita est, et sæpe necessaria: si enim veritatem aperuisset, dixissetque: « Ego sum Eliseus quem quæritis, » non potuisset eos tradere regi Israel, nec suam in eos potentiam æque ac beneficentiam ostendere. Quod si Syri rogarint Eliseum: Quæ est via in Dothain, ubi est Eliseus? uti nonnulli censent, idque responsio Elisei subindicat, non tenebitur Eliseus ad eorum, utpote hostium, mentem respondere, sed ad propriam et suam, scilicet hanc non esse Samariam patriam suam, ubi Eliseum, quem quærebant, erant agniturі, ut dixi.

22. NON PERCUTIES, — id est non occides Syros quos ad te perduxi: « Si enim occidantur, ait Theodoretus, non cognoscetur magnitudo miraculi; vita autem revertantur ad eum qui misit, ille quoque discet Dei nostri potentiam. »

SED PONE PANEM ET AQUAM CORAM EIS, UT COMEDANT ET BIBANT. — Noluit Eliseus Syros, licet hostes, occidi a rege Israel, sed benigne et laute tractari, ut eos charitate superaret et ex inimicis amicos faceret, ut deinceps terram Israel non invaderent nec prædarentur; quod et fecerant victi ab Eliseo, tum potentia, tum potius amore. Vide S. Chrysostomum (vel quisquis est auctor: stylus enim elegantia arguit fuisse Latinum non Græcum), hom. *De Eliseo et Syrorum insidiis detectis*, tomo I, ubi inter cætera ait de Syris: « Mirantur et stupent sibi pro morte victum, pro interitu cibum, convivium pro pœna parari. » Et inferius: « Fit hinc propheta sanctissimus gloriosus in suis, gloriosior in alienis. Exhibet suis signa virtutum, et alienis causas exhibet gloriarum. Docuit prior inimicos foveri, docuit primus debere hostibus parci, docuit adversariis pro pœna epulas exhiberi. » Deinde docet Eliseum fuisse typum Christi; unde subjicit: « O Dominum Christum, et in veteribus novum, et in novis exemplo veterem figuratum! Eliseus sanctissimus claudit visum, et reserat; cæcos efficit, et illuminat; aspectum admit, et condonat; persequentibus admit, et ab sequentibus tribuit: cæcos efficit alienos, et videntes efficit in civitate inclusos. Qui captivare prophetam venerant, excæcantur; et qui capti jam fuerant, oculantur. Hujus utriusque veritas completur, ut et figura Christi, et exemplum futuri populi monstrarentur; ut jam ibi rent ex alienis proprii, ex inimicis amici, et ex hostibus sui. Dimittit Eliseus exercitus istos ad suos: dimittit inquam, tot prædicatores, quot habuit hostes, tot relatores virtutum, quot homines hostium. » Denique concludit, dicens: quod tunc temporis defuit, postmodum completum esse per Apostolos in Pentecoste et deinceps, dicente Scriptura, *Psal.* XVIII: « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. »

23. ET ULTRA NON VENERUNT LATRONES SYRIÆ IN ISRAEL. — scilicet vivente Eliseo, alve ad longum tempus; nam postea rursum venisse liquet ex sequenti. Ille fuit fructus beneficentiæ Elisei in prædones Syros, uti jam dixi. Ita S. Chrysostomus, hom. 1 *De Eliseo*.

25. DONEC VENUNDARETUR CAPUT ASINI OCTOGINTA ARGENTEIS, — hoc est 80 siclis, puta 80 florenis Brabanticis, sive 80 Francis. Argenteus enim erat siclus, licet nonnulli putent fuisse dimidium sicli duntaxat, et sic 80 argentei essent 40 Franci. Aliqui per « caput asini » accipiunt totum asinum, ut sit synecdoche, qua caput significat totum corpus vel animal, ut cum dicimus: Quid elt: vult istud caput hominis, vel istud insanum caput? id est, iste homo. Simplicius alii accipiunt solum caput asini; hoc enim arguit ingentem fuisse famem, et asinus magno pre cæteris animalibus est capite, si proportio ad reliquum corpus spectetur. Sic cum Annibal Casilinum obsideret, thus unus vendebatur ducentis denariis, teste Valerio Maximo, lib. VII, cap. VI.

ET QUARTA PARS CABI STERCORIS COLUMBINI QUINQUE ARGENTEIS. — Cabus sive chœnix erat mensura victus diurni, continens quatuor libras et quinque uncias, ut dixi in fine Pentateuchi: quarta pars cabi ergo erat libra cum uncia, puta tredecim uncias. Lyranus, Hugo et Dionysius per stercus intelligunt grana frumenti, quæ in columbarum gurgulione vel ventriculo inveniuntur. Verum alii simpliciter stercus ut sonat accipiunt. Unde Josephus et Theodoretus censent stercus hoc columbinum fuisse pro sale; habet enim vim acrem et causticam, teste Galeno. Planius alii stercus columbæ censent fuisse pro edulio, tum quia fit ex grano aliisque cibis pretioribus, tum quia humidius est, et rebus integrioribus constat; unde homini est edule. Ad-

dit Plinius, lib. XXIX, cap. VI, fimum columbarum ex aceto valere ad curandas agilopas, albugines et cicatrices, ac lib. XXX, cap. IV, ad fauciam asperitates et distillationes leniendas. Insuper, margaritas, quæ contra cardiacos et melancholicos affectus celebrantur, et quarum siccitate innata, corporum redundantiæ consumuntur, purieres reddit. Ita enim scribit lib. *De Gemmis*, cap. XIII, Franciscus Ruæus. Est apud Vogesum in Lotharingia montem, amnis margaritarum ferax; verum non usque adeo splendidæ sunt : mirum tamen, quod quæ per genesin gratia in eis desideratur, per columbas resarcitur; quæ scilicet devoratæ, puriores tandem eas una faecibus reddunt, restituunt pias, ait Serarius et ipse Lotharingus.

27. QUI AIT : NON TE SALVAT DOMINUS; UNDE TE SALVARE? DE ARCA VEL TORCULARI? — hoc est, ut Vatablus vertit : *Quandoquidem Dominus tibi non fert opem; unde ego tibi ferrem opem? de horreone an de torculari? q. d.* Cum Dominus famem hanc tibi immiserit, nisi ipse tibi in ea succurrerit, ego tibi succurrere nequeo : quia non habeo frumentum in horreo, nec vinum in torculari, *q. d.* Mihi ipsi deest panis et vinum ad victum. Unde Chaldæus vertit, *ni salvet te Dominus, unde salvabo te?* Hinc et Regia in Vulgata editione sic legunt : *Non, salvet te Dominus, q. d.* Non ego, sed Dominus te salvet et pascat, quia ego non habeo cibum quem tibi dem.

Alter Josephus, Abulensis et Sanctius : Rex, inquit, eo famem et ob importunam interpellationem nuntii iratus, indignanter respondit : « Non te salvet Deus, » *q. d.* Deus te affligat. Sic Gentiles irati male imprecantes dicebant : « Dii te perdant! Dii tibi male faxint! » Unde Vatablus sic quoque vertit : *Dispereat, quare quæris a me cibum, cum nec scias unde cibo curem?*

29. COXIMUS ERGO FILIUM MEUM, ET COMEDAMUS. — Barbarum fuit hoc ejulum quod matri extrema fames extorsit, ut matrem se obtita fleret mactatrix et voratrix filii. Simile accidit in obsidione Jerosolymæ sub Tito, teste Josepho; ac ultimis hisce annis, Sacco Germaniam populante, multi simul adesti cursus immanes voravere. Formidet Deus Samaritas ad hæc extrema adigi, primo, ad pœnitendum eorum schisma et idololatriam; secundo, ut illustrior fieret sua ex ils liberatio, et liceat illam promittentis prophetæ. Sic Deus permittit homines subinde ad ipsa mortis limina pervenire, ut eo ferventius Deum invocent, eo Deus pro exsultiore majorum ab eis gratiarum actionem et laudem referat. Quare in rebus naturaliter desperatis maxime spernendum est in Deo, qui illis solet succurrere juxta illud : « Deus ex machina. » Audi S. Augustinum, serm. 211 *De Temp.* : « Natum convertit in cibum, quam Deus condidit in solatium. Sed postquam ad funestas epulas ventum esset, altera mulier alteram exhortatur : Recipe, inquit, recipe, miseranda mater, in visceribus illum nuper visceribus procreatum; esto tui nati sepulcrum, esto ejus corporis diversorium; esto ejus, ut ita dixerim, monumentum; intra te paululum comestus infans redeat, qui per famem vivere jam jamque non poterat; recipiat nunc comestum uterus, quem vivum ediderat partus; repetat habitaculum mortuus, unde nuper exierat vivus. »

30. VIDITQUE OMNIS POPULUS CILICIUM QUO VESTITUS ERAT (REX) AD CARNEM INTRINSECUS. — Rex hic, licet impius et idololatra, censuit pœnitentia et cilicio placandum esse Deum : pleotior ergo fuit nostris hæreticis, qui cultculam curantes, respuunt cilicia, eaque superstitioni adscivunt. Vide hic quam antiquus sit usus cilicii in pœnitentia. Sic rex Ninives cum toto populo vestivit se sacco (cilicio) sedituque in cinere, JONÆ III, 6. Itaque excidium sibi a Deo per Jonam comminatum pœnitendo evasit. Sic rex Arianus cilicium induit, eoque et precibus Deum placavit, teste Salviano, lib. VII. Porro longe antiquior est usus cilicii : primus enim eo usus legitur Jacob Patriarcha, audiens filium suum Joseph a bestia devoratum, *Genes.* cap. XXXVII, vers. 34, ubi multa de usu cilicii dixi.

31. ET AIT REX : HÆC MIHI FACIAT DEUS, ET HÆC ADDAT : SI STETERIT CAPUT ELISÆI FILII SAPHAT SUPER UNUM HODIE, — *q. d.* Hodie amputabo caput Elisæo, eo quod ipse susserit nobis sustinere hanc in Samaria obsidionem, promittendo Dei in ea solvenda auxilium, cum in ea extremam famem patiamur, simusque desperati : sine eo enim tempestive compovissemus cum rege Syriæ nos obsidente, itaque famem hanc evasissemus, quam Elisæus videt et dissimulat, nec suis precibus avertere satagit. Ita Theodoretus.

32. NESCIEBAT AUTEM QUOD MISERIT FILIUS HOMICIDÆ (scilicet Joram rex Israel, qui « filius » est Achabi « homicidæ, » Achab enim occidi Naboth) HUC UT PRÆCIDATUR CAPUT MEUM, — *q. d.* Joram patrissat et imitatur patrem suum; sicut enim Achab pater ejus occidit Naboth, sic ipse me vult occidere, atque an ipse occidit sex fratres suos, ut dicitur II *Paral.* XXI, 3 et seq.

VIDETE ERGO CUM VENERIT NUNTIUS, CLAUDITE OSTIUM, ET NON SINATIS EUM INTRARE. ECCE AUTEM SONITUS PEDUM DOMINI EJUS POST EUM EST, — *q. d.* Rex ipse nuntium a se missum ad me occidendum illico subsequitur, mandati sui pœnitens, illudque revocans. Ita Josephus, *q. d.* Ne timeatis regis jussa; nuntio regi, quia rex eumdem statim revocabit; adeo enim festinus cum sequitur, ut videat nuntium pedum ejus festinantis quidem. Hic patet Elisæum suasisse regi ne Samaritas desereret Syris, sed a Domino speraret auxilium et successum. Fuit hic rex Joram filius Achab, qui ei successit; ejus enim acta hic describuntur usque ad cap. XIII, vers. 24, ubi mors ejus narratur. Igitur Joram præcipitanter ex cholera miserat nuntium ad occidendum Elisæum; sed mox subsidente cholera ad se reversus pœnituit; quare nuntium

de nuntius Elisæum occideret, ut jusserat, illico nuntium secutus accurrit, ut eædem inhiberet. Sciebat enim Elisæum esse prophetam, virum sanctum et beneficum Samariæ, atque alias sæpe ejus oracula fidelia et verissima esse expertus erat : ut de hoc quoque, de obsidione inquam solvenda, vix dubitare posset. Ita disserte Josephus, Theodoretus et Abulensis.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædixit Elisæus Samariam obsidione et fame crastino die liberandam : ita fit. Deus enim, terrorem per spectra hostium immittens Syris, eos in fugam agit. Unde Hebræi eorum castra prædantur, et annonæ fit copia.

1. Dixit autem Eliseus : Audite verbum Domini : Hæc dicit Dominus : In tempore hoc cras modius similæ uno statere erit, et duo modii hordei statere uno in porta Samariæ. 2. Respondens unus de ducibus super cujus manum rex incumbebat, homini Dei, ait : Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, numquid poterit esse quod loqueris? Qui ait : Videbis oculis tuis, et inde non comedes. 3. Quatuor ergo viri erant leprosi juxta introitum portæ : qui dixerunt ad invicem : Quid hic esse volumus donec moriamur? 4. Sive ingredi voluerimus civitatem, fame moriemur : sive manserimus hic, moriendum nobis est; venite ergo, et transfugiamus ad castra Syriæ : si pepercerint nobis, vivemus; si autem occidere voluerint, nihilominus moriemur. 5. Surrexerunt ergo vesperi, ut venirent ad castra Syriæ. Cumque venissent ad principium castrorum Syriæ, nullum ibidem repererunt. 6. Siquidem Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ, currum et equorum et exercitus plurimi; dixeruntque ad invicem : Ecce mercede conduxit adversum nos rex Israel reges Hethæorum et Ægyptiorum, et venerunt super nos. 7. Surrexerunt ergo, et fugerunt in tenebris et dereliquerunt tentoria sua, et equos et asinos in castris; fugerunteque, animas tantum suas salvare cupientes. 8. Igitur cum venissent leprosi illi ad principium castrorum, ingressi sunt unum tabernaculum, et comederunt et biberunt : tuleruntque inde argentum, et aurum, et vestes, et abierunt, et absconderunt; et rursum reversi sunt ad aliud tabernaculum, et inde similiter auferentes absconderunt. 9. Dixeruntque ad invicem : Non recte facimus; hæc enim dies boni nuntii est. Si tacuerimus et noluerimus nuntiare usque mane, sceleris arguemur : venite, eamus et nuntiemus in aula regis. 10. Cumque venissent ad portam civitatis, narraverunt eis, dicentes : Ivimus ad castra Syriæ, et nullum ibidem reperimus hominem, nisi equos et asinos alligatos, et fixa tentoria. 11. Ierunt ergo portarii, et nuntiaverunt in palatio regis intrinsecus. 12. Qui surrexit nocte, et ait ad servos suos : Dico vobis quid fecerint nobis Syri; sciunt quia fame laboramus, et idcirco egressi sunt de castris, et latitant in agris, dicentes : Cum egressi fuerint de civitate, capiemus eos vivos, et tunc civitatem ingredi poterimus. 13. Respondit autem unus servorum ejus : Tollamus quinque equos, qui remanserunt in urbe (quia ipsi sicut sunt in universa multitudine Israel, alii enim consumpti sunt), et mittentes explorare poterimus. 14. Adduxerunt ergo duos equos, misitque rex in castra Syrorum, dicens : Ite et videte. 15. Qui abierunt post eos usque ad Jordanem; ecce autem omnis via plena erat vestibus et vasis, quæ projecerant Syri cum turbarentur : reversique nuntii indicaverunt regi. 16. Et egressus populus diripuit castra Syriæ; factusque est modius similæ statere uno, et duo modii hordei statere uno, juxta verbum Domini. 17. Porro rex ducem illum, in cujus manu incumbebat, constituit ad portam : quem conculcavit turba in introitu portæ, et mortuus est juxta quod locutus fuerat vir Dei, quando descenderat rex ad eum. 18. Factumque est secundum sermonem viri Dei, quem dixerat regi, quando ait : Duo modii hordei statere

uno erunt, et modius similæ statere uno, hoc eodem tempore eras in porta Samariæ; 19. quando responderat dux ille viro Dei, et dixerat : Etiamsi Dominus fecerit cataractas in cœlo, numquid poterit fieri quod loqueris? Et dixit ei : Videbis oculis tuis, et inde non comedes. 20. Evenit ergo ei sicut prædictum fuerat, et conculcavit eum populus in porta, et mortuus est.

1. IN TEMPORE HOC (hac hora) CRAS MODIUS SIMILÆ UNO STATERE ERIT, — id est, velut eleteur uno siclo, hoc est uno Francogallico, puta quatuor *bybis*, sive Regalibus, *q. d.* Cras summa erit frumenti abundantia, per quam omnis Samariæ inopia et fames tolletur, omnisque vili pretio comparabuntur.

Allegorice, « Benadad » est diabolus, qui ebat Samarium, id est Ecclesiam, variis faciebat ut esset magna fames spiritalis verbi Dei, sicut Judæa eamque cœlestium. Venit Eliseus, id est Christus, qui per se et Apostolos ubique prædicando, hanc famem sustulit, scilicet ut ubique sint docentes, qui prædicent verbum Dei, quique doceant viam salutis, virtutis et perfectionis. Ita Euthymius et Angelomus.

2. SI DOMINUS FECERIT ETIAM CATARACTAS IN CŒLO, — ut per eas deplant triticum, sicut olim fecerunt aquas in diluvio Noe, et manna in deserto. *Exod.* cap. XVI : « Numquid poterit esse quod loqueris? » *q. d.* Impossibile est ut in tanta rerum inopia tanta fiat subito copia, ut tam vili pretio vendatur triticum, unusque modius comparetur uno statere.

VIDENS OCULIS TUIS, ET INDE NON COMEDES, — quia a turba populi opprimeris in porta : idque fiet justo Dei judicio ob tuam incredulitatem, qui hoc meo ex Deo oraculo non credis; quia videris putare hoc factum esse impossibile etiam Deo, cui omnia sunt possibilia. Quare negas Deo suam omnipotentiam. Ita Abulensis.

6. SIGNUM DOMINUS SONITUM AUDIRI FECERAT IN CASTRIS SYRIÆ CURRUUM ET EQUORUM — hostilium se invadentium : itaque Syros terrefecit, ut conterriti fugerent et Samarium relinquerent liberam. Ita Josephus. Vide hic ut laudat in humanis divina potentia rebus. Poterat enim in Syros immittere Angelos, qui illico omnes trucidarent; poterat fulgeris eos siderare; poterat igne cœlesti, millegue aliis modis eos perdere. Sed noluit, voluitque eorum superbiam deprimere per inanem sonitum, per falsam imaginationem, per ridiculum metum, quo percuti timebant, ubi non erat timor, ac projectis rebus omnibus fugiebant, ut vitam tantum servarent. Similem timorem paucum hostium plurimorum contra se venientium, immisit Deus in castra Madian, quando Gedeon cum trecentis militibus lagenas flammantes complodentibus et tubis concrepantibus, ea invasit, *Judic.* VII, 19.

13. TOLLANTUR QUINQUE EQUOS QUI REMANSERUNT IN URBE, QUIA IPSI TANTUM SUNT IN UNIVERSA MULTITUDINE ISRAEL, — puta in tota Samaria, quæ est caput et metropolis regni Israel, sive decem tribuum. Legit Interpres ככל *cochal*, id est *in universa*; jam pro ב legunt affine כ ככל *kochal*, id est *sicut universa*. Unde Chaldæus, Pagninus, Vatablus vertunt, *ecce illi sunt sicut universa multitudo Israel*, *q. d.* Sicut totus populus in Samaria macer et fame confectus est, sic et hi qui residui sunt in ea quinque equi, macilenti et fame confecti sunt.

17. QUEM CONCULCAVIT TURBA IN INTROITU PORTÆ, — quia porta erat angusta et turba ingens : quæ fame rabida quasi furebat ad cibum, qui erat in castris Syrorum; unde ipse dux portæ volens hanc turbam moderari, et in partes dividere, ne se mutuo comprimeret, ab eadem violenter irrumpente oppressus et contritus est : ita Elisei oraculum per omnia verum certamque fuit.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliseus prædicit famem septennem, et vers. 7. Benadad regi Syriæ mortem, Hazaeli vero regnum ejus : inde vers. 17. describuntur gesta Joram filii Josaphat regis Juda, ac vers. 25. gesta Ochoziæ filii Joram.

1. Eliseus autem locutus est ad mulierem, cujus vivere fecerat filium, dicens : Surge, vade tu et domus tua, et peregrinare ubicumque repereris; vocavit enim Dominus famem, et veniet super terram septem annis. 2. Quæ surrexit, et fecit juxta verbum hominis Dei; et vadens cum domo sua, peregrinata est in terra Philistiim diebus multis. 3. Cumque finiti essent anni septem, reversa est mulier de terra Philistiim, et egressa est ut interpellaret regem pro domo sua, et pro agris suis. 4. Rex autem loquebatur cum Giezi puero viri Dei, dicens : Narra mihi omnia magnalia quæ fecit Eliseus. 5. Cumque ille narraret regi quo modo mortuum suscitasset, apparuit mulier, cujus vivificaverat filium, clamans ad regem pro domo sua, et pro agris suis. Dixitque Giezi : Domine mi rex, hæc est mulier, et hic est filius ejus, quem suscitavit Eliseus. 6. Et interrogavit rex mulierem : quæ narravit ei. Dedítque ei rex eunuchum unum, dicens : Restitue ei omnia quæ sua sunt, et universos reditus agrorum, a die qua reliquit terram usque ad præsens. 7. Venit quoque Eliseus Damascum, et Benadad rex Syriæ ægrotabat; nuntiaveruntque ei, dicentes : Venit vir Dei huc. 8. Et ait rex ad Hazael : Tolle tecum munera, et vade in occursum viri Dei, et consule Dominum per eum, dicens : Si evadere potero de infirmitate mea hac? 9. Ivit igitur Hazael in occursum ejus, habens secum munera, et omnia bona Damasci, onera quadraginta camelorum. Cumque stetisset coram eo, ait : Filius tuus Benadad rex Syriæ misit me ad te, dicens : Si sanari potero de infirmitate mea hac? 10. Dixitque ei Eliseus : Vade, dic ei : Sanaberis; porro ostendit mihi Dominus quia morte morietur. 11. Stetitque cum eo, et conturbatus est usque ad suffusionem vultus; flevitque vir Dei. 12. Cui Hazael ait : Quare dominus meus flet? At ille dixit : Quia scio quæ facturus sis filiis Israel mala. Civitates eorum munitas igne succendes, et juvenes eorum interficies gladio, et parvulos eorum elides, et prægnantes divides. 13. Dixitque Hazael : Quid enim sum servus tuus canis, ut faciam rem istam magnam? Et ait Eliseus : Ostendit mihi Dominus te regem Syriæ fore. 14. Qui cum recessisset ab Eliseo venit ad dominum suum. Qui ait ei : Quid dixit tibi Eliseus? At ille respondit : Dixit mihi : Recipies sanitatem. 15. Cumque venisset dies altera, tulit stragulum, et infudit aquam, et expandit super faciem ejus : quo mortuo, regnavit Hazael pro eo. 16. Anno quinto Joram filii Achab regis Israel, et Josaphat regis Juda, regnavit Joram filius Josaphat rex Juda. 17. Triginta duorum annorum erat, cum regnare cœpisset, et octo annis regnavit in Jerusalem. 18. Ambulavitque in viis regum Israel, sicut ambulaverat domus Achab : filia enim Achab erat uxor ejus, et fecit quod malum est in conspectu Domini. 19. Noluit autem Dominus disperdere Judam, propter David servum suum, sicut promiserat ei, ut daret illi lucernam, et filiis ejus cunctis diebus. 20. In diebus ejus recessit Edom, ne esset sub Juda, et constituit sibi regem. 21. Venitque Joram Saïra, et omnes currus cum eo; et surrexit nocte, percussitque Idumæos, qui eum circumdederant, et principes curruum, populus autem fugit in tabernacula sua. 22. Recessit ergo Edom ne esset sub Juda, usque ad diem hanc. Tunc recessit et Lobna in tempore illo. 23. Reliqua autem sermonum Joram, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda? 24. Et dormivit Joram cum patribus suis, sepultusque est cum eis in Civitate David, et regnavit Ochozias filius ejus pro eo. 25. Anno duodecimo Joram filii Achab regis Israel, regnavit Ochozias, filius Joram regis Judæ. 26. Viginti duorum annorum erat Ochoziæ, cum regnare cœpisset, et uno anno regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus Athalia filia Amri regis Israel. 27. Et ambulavit in viis domus Achab, et fecit quod malum est coram Domino, sicut domus Achab : gener enim domus Achab fuit. 28. Abiit quoque cum Joram filio Achab, ad prœliandum contra Hazael regem Syriæ in Ramoth Galaad, et vulneraverunt Syri Joram : 29. qui reversus est, ut curaretur, in Jezrahel; quia vulnerati enim Syri in Ramoth, prœliantem contra Hazael regem Syriæ. Porro Ochozias filius Joram, rex Juda, descendit invisere Joram filium Achab in Jezrahel, quia ægrotabat ibi.

Vers. 1. 1. VOCAVIT (VOCE, id est JUSSU SUO ADDUCET) ENIM DOMINUS FAMEM, ET VENIET SUPER TERRAM SEPTEM ANNIS. — Est hysterologia; hæc enim prophetia Elisæi de fame septennii, anterius facta est, scilicet ante quinque vel sex annos; hic autem recenseretur, eo quod mulieri hospitæ suæ, cui hanc famem prædixerat Eliseus, post famis septennium in terram suam revertenti contigerint ea quæ hic vers. 3 et sequent. narrantur. Idem confirmatur ex eo quod Giezi hic vers. 4, colloquatur cum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rege. Ergo necdum erat leprosus; leprosi enim arcebantur hominum commercio. Ergo hæc contigerunt ante adventum et sanationem Naaman; nam ejus Giezi percussus est lepra, uti superius dixi. Ita Tornielius, Salianus et alii.

7. VENIT QUOQUE ELISEUS DAMASCUM (quæ erat metropolis Benadad regis Syriæ), ET BENADAD REX SYRIÆ ægrotabat — in Damasco. Benadad paulo post solutam obsidionem Samariæ, ex terrore et mœrore hunc morbum, in quo mortuus est, incurrit. Audi Josephum, lib. IX, cap. II : « Rex autem Syrorum Damascum reversus incolumis, ubi cognovit divinitus immisso terrore, se una cum exercitu in fugam conjectum, et vanum fuisse, quod de adventu hostium crediderant, rotus omnino adversum se habere Numen per animi scrupulosum in morbum etiam corporis incidit. » Nimirum voluit Deus Benadad, qui tot cædes Israeli intulerat, morbo et morte punire, ideoque Eliseum misit Damascum, qui Hazaeli ejus mortem prædiceret, eumque regni successorem declararet.

9. ILLATUS SUNT MUNERA ET OMNIA BONA DAMASCI, ONERA QUADRAGINTA CAMELORUM. — Obtulit tot tantaque munera Hazael Eliseo pro salute Benadad regis ejus; sed certum est Eliseum ea non accepisse, cum quia ipse Benadad non sanavit, sed ejus mortem prædixit : tum quia ipse constanter refutavit, cap. V, munera Naaman quem a lepra curavit, ne Giezi ea acceptantem lepra punivit. Ita Abulensis et alii.

10. VADE, DICE EI : SANABERIS. FORTE OSTENDIT MIHI DOMINUS, — QUIA MORTE MORIETUR. — Est hic locus difficilis; nam videtur Eliseus jubere Hazaeli regi mendacium, ut scilicet dicat Benadad eum sanandum, cum mox esset moriturus. *Forte*, Hubbi, et ex eo Abulensis legunt *contrario*, scilicet, *non sanaberis*; nam pro אל *lo*, per vau, hoc est, *si*, legunt אז *lo* per aleph, hoc est, *non*. Verum Chaldæus, Septuaginta et Latini omnes Codices legunt affirmative : *sanaberis*. *Secundo*, alii respondent Eliseum ironice locutum, quasi dicat, scilicet sanaberis; speras te sanandum; sed erras : nam non sanaberis, sed morieris.

Tertio et genuine « sanaberis, » scilicet quantum ex parte morbi, *q. d.* morbus tuus non est lethalis, ex morbo hoc non morieris, quod erat verum; nam non morbus, sed vis Hazaelis occidit et suffocavit Benadad. Ita Cajetanus, Serarius, Sallanus et alii.

13. QUID ENIM SUM SERVUS TUUS CANIS, UT FACIAT REM ISTAM MAGNAM? — Hazael negat se esse canem, non tantum quoad vilitatem, sed etiam et potius, quoad impudentiam et feritatem caninam, quasi dicat, ego non sum tam impudens, barbarus et ferus, ut hoster canis sævum in viscera humana, eaque devorem. Cur ergo tu, o Elisee, asseris, minaceque dicis : « Parvulos eorum elides, et prægnantes dividis? » Ita tum quidem sentiebat Hazael; sed factus rex Syriæ sensum mutavit, fecitque quod hic prædicit Eliseus, quodque ipse hic abominatur. Honores enim mutant mores, sed raro in meliores. Causam subdit :

OSTENDIT MIHI DOMINUS TE REGEM SYRIÆ FORE, — *q. d.* tu nes rex Syriæ, ideoque factus rex innatum Syrorum in Israelitas odium indues ut « eorum parvulos elidas et prægnantes dividas, » uti prædixi. Odium hoc capit ab Adad, dum Salomoni rebellavit, fecitque se regem Syriæ, illudque ex eo quasi patre suxit filius Benadad, ac ex eo cæteri reges Syriæ. Vide dicta III *Reg.* XI, 14. Hac regni prædictione audacior factus Hazael regem Benadad suffocavit, ejusque regnum occupavit, ut sequitur : ac immemor et ingratus Eliseo, hostem se fecit Israeli, in eumque sævit, implevitque barbariem ab Eliseo sibi prædictam.

15. TULIT STRAGULUM, ET INFUDIT AQUAM, ET EXPANDIT SUPER FACIEM EJUS. — Addunt Hebræus, Chaldæus et Septuaginta, *et mortuus est*, quod Noster expressit, subdens : *Quo mortuo regnavit Hazael*. Videtur Benadad æstu febrili æstuans petisse aquam ad se refrigerandum : porrexit illam ei in stragulo aqua madefacto Hazael, itaque vel per imprudentiam, vel potius per dolum distillante continuo ex stragulo aqua in os et fauces Benadad, eum suffocavit, ut ei in regno succederet. Addit Serarius, aquam hanc et stragulum fortasse venenato quopiam humore fuisse infectum : sicut de Herodis Dejotari veste tradunt veteres, ac de Othonis III imperatoris Ladislai Hungarorum regis, et Solymanni tunica. Josephus ait simpliciter strangulatum fuisse : ita nimirum Deus punire Benadad ob sævitiam in Israelitas exercitum. Porro Benadad videtur regnasse 36 annos; tot enim intercedunt ab anno 17, Asa regis Juda, quo Benadad regnare cœpit, ut patet III *Reg.* XV, vers. 18, usque ad primum annum regni Hazaelis. Ita Salianus. Nonnulli tamen putant plures reges in Syria intercessisse, omnesque dictos fuisse « Benadad, » id est filios et successores Adad, primi regis Syriæ. Unde Hebræi tradunt, Benadad fuisse nomen commune regum Syriæ. Denique Josephus, lib. XI *Antiq.* cap. II, asserit tam Benadad quam Hazael apud Syros in summa esse veneratione, imo « utrumque divinis honoribus coli, » et utriusque effigiem quotidianis pompis honorari, tum propter aliam beneficentiam, tum quia magnifice templis exstructis Damascum ornatiorem reddiderint.

16. ANNO QUINTO JORAM FILII ACHAB REGIS ISRAEL, REGNAVIT JORAM FILIUS JOSAPHAT REX JUDA, — scilicet solus post mortem patris Josaphat. Objicies, ut videtur factum anno septimo Joram, non quinto; nam cap. III, 1, dictum est quod Joram rex Israel cœperit regnare anno 18 Josaphat regis Juda; Josaphat autem regnavit annis 25 : ab anno autem 18 ad 25, sunt septem anni, post quos moriente Josaphat successit ei filius Joram. Respondent Lyranus et Cajetanus Joram filium Achab regnasse post mortem Achab cum Ochozia fratre primogenito per biennium : scilicet ab anno 18 Josaphat, usque ad annum ejus vigesimum, quo mortuus est Ochozias, tunique solus regnare cœpit Joram ejus frater junior. Ergo quod hic dicitur : « anno quinto Joram, » intellige a tempore, quo Joram solus post fratris mortem regnare cœpit, quod fuit anno Josaphat vigesimo; verum obstat quod dicitur III *Reg.* cap. ultimo, vers. 32, scilicet Ochoziam in Israel regnare cœpisse anno 17 Josaphat, ac mortuum anno 18 ejusdem, nam per biennium duntaxat regnavit : quare cum Ochozias sit mortuus anno Josaphat 18, eique statim frater Joram successerit, hinc sequitur Joram cœpisse regnare anno 18 Josaphat, non vigesimo. Melius Abulensis respondet non esse numerandum annum 18 Josaphat, eo quod illo expleto cœperit regnare Joram, nec 19, eo quod sub finem ejus cœperit regnare, nec 25, eo quod is fuerit imperfectus : ablatis autem his tribus annis manent ab anno 18 Josaphat, ad annum ejusdem 25 duntaxat anni quinque integri, de quibus hic dicitur : « Anno quinto Joram filii Achab, etc. regnavit Joram filius Josaphat, » scilicet post mortem Josaphat, qui anno 23 regni sui mortuus est; tunc enim successit ei filius Joram.

Optimus Richardus de S. Victore in conciliatione lib. *Reg.* et *Paralipom.* Arias *in Daniele*, Salianus, Tornielius, Sanchez et Serarius hic respondent Joram regem Juda, bis a patre nuncupatum fuisse regem, ob duo ejus bella, scilicet primo, anno 17 Josaphat, quo ipse cum Achab iturus erat ad bellum contra Syros, III *Reg.* XXII, tunique videtur Joram a Josaphat patre duntaxat regis titulum accepisse, ut si quid malí in bello accidisset, sibi succederet Joram. Secundo, post sex annos, scilicet anno 23, Josaphat quo ipse in bellum contra Moabitas profectus est, ut dictum est hoc lib. cap. III, tunc enim Josaphat rursum Joram filium declaravit regem, et regni administrationem se absente eidem tradidit, indeque numerandi sunt anni octo, quibus dicitur regnasse Joram : ita scilicet ut tribus annis Joram regnarit cum Josaphat patre vivente, quatuor vero ceteris post mortem patris : octavus vero et ultimus fuerit imperfectus, ideoque non numeretur. Quare licet nonnulli censeant Joram post mortem patris Josaphat regnasse octo annis, tamen verius est quod dixi, nimirum ipsum quatuor integris annis duntaxat, et quinto incompleto regnasse post mortem Josaphat, cum eo vero vivente tribus ultimis ejus annis regnasse, id patet ex cap. IX, 29, ubi Ochozias filius Joram regis Juda, mortuo Joram patre, dicitur cœpisse regnare anno undecimo Joram regis Israel : jam computa annos ab anno quinto Joram regis Israel, usque ad annum ejus undecimum, habebis annos duntaxat quinque integros, quibus solis alter Joram post mortem patris Josaphat regnavit in Juda.

Vice versa cum cap. I, 17, dicitur Joram rex Israel regnare cœpisse anno secundo Joram filii Josaphat regis Juda, intellige annum secundum ab eo tempore, quo Joram primum a patre Josaphat ituro contra Syros titulum regis accepit, quod fuit anno Josaphat 17. Unde secundus Joram filii Josaphat annus incidit in annum 18 Josaphat, quo cœpit regnare Joram filius Achab in Israel.

18. AMBULAVITQUE (Joram filius Josaphat rex Juda) IN VIIS REGUM ISRAEL (colendo idola eorum) SICUT AMBULAVERAT DOMUS ACHAB. FILIA ENIM ACHAB ERAT UXOR EJUS, — nomine Athalia; hæc enim fuit uxor Joram, et mater Ochoziæ, ut patet vers. 26.

19. UT DARET ILLI LUCERNAM, — id est stirpem et prosapiam regiam, scilicet nepotum sibi invicem continuo in regno Juda succedentium.

21. VENITQUE JORAM SEIRA, — id est, in Idumæam. Hæc enim sicut ab Esau fundatore, qui alio nomine vocatus est *Edom*, dicta fuit *Idumæa*, sic ab eodem qui pariter vocatus est *Seir*, id est pilosus, hirsutus, dicta est *Seira*.

23. RELIQUA AUTEM SERMONUM (id est rerum et gestorum) JORAM, ET UNIVERSA QUÆ FECIT, NONNE HÆC SCRIPTA SUNT IN LIBRO VERBORUM DIERUM REGUM JUDA, — puta in Diariis et annalibus regum Juda? Nota, hic tacentur multa de Joram, quæ prudolo supplentur in lib. II *Paralipom.* cap. XXI, ubi vers. 3 Josaphat rex dicitur filiis suis, qui erant fratres Joram, dedisse « pensationes » (male nonnulli legunt. *pensationes*), id est annuos redditus. Horsum, quod Joram omnes fratres suos numero sex o siderit, ut solus secure regnaret. Insuper, quod Elias jam raptus (ante novem annos) ad eum miserit literas ex paradiso, quibus ei ob hæc fratricidia et ob idololatriam minatus est Dei vindictam, quæ mox ei obvenit; nam Deus percussit eum morbo insanabili, ita ut viscera ejus exoreret : filios quoque ejus omnes occidit per Philistæos et Arabes, unico excepto Ochozia, qui erat minimus natu, ei successit, idque in portum talionis, ut sicut hæc fratres suos occiderat, sic et illi ejus occiderentur. Addit Josephus, uxores suas fuisse occisas. Ita barbari isti justo Dei judicio cæde filiorum regis, regierum fratrum manibus parentarunt : nec tamen dixit rex insipiens in corde suo : « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. »

25. ANNO DUODECIMO JORAM FILII ACHAB REGIS ISRAEL, REGNAVIT OCHOZIAS FILIUS JORAM REGIS JUDÆ. — Dices, cap. seq. vers. 29, dicitur Ochozias regnare cœpisse anno undecimo Joram, non duodecimo. Respondeo, cœpit anno undecimo regnare cum patre Joram, qui erat in tormentis sui morbi; sequenti autem anno, qui est duodecimus, mortuo patre solus regnavit in Juda. Ita Abulensis, Sanchez, Salianus et alii.

26. VIGINTI DUORUM ANNORUM ERAT OCHOZIAS, CUM REGNARE COEPISSET. — Dicet II *Paralipomen* cap. XXII, vers. 3, dicitur fuisse 42 annorum? Respondeo

logia est perdifficilis et quasi irreconcilabilis, quam discutiam suo loco in lib. Paralipomenon.

NOMEN MATRIS EJUS ATHALIA, FILIA AMRI, — id est neptis Amri; erat enim Athalia filia Achab, ut dictum est vers. 18. Achab autem erat filius Amri. Sic Mem. 1, 8, Oziæ dicitur filius Joram, cum ejus fuerit nepos. Hæc tamen; omittuntur enim tres aut quatuor generationes, et hæc filii intermedii, scilicet Ochozias, Joas et Amasias, eo quod Joram misisset et occiderit filios Achab, et eliam uxorem Athaliæ filiæ Achabeli, idololatriam invexerit in regnum Juda.

Aliter respondent Hebræi apud S. Hieronymum in Traditionibus Quæstionum scilicet, Athaliam non fuisse filiam Amri, sed tamen Achab, vel imitatione, vel nutritione, quod ab Achabitis educata, ideoque ejus idololatriam imitata.

27. GENER ENIM DOMUS ACHAB FUIT. — Ochozias ergo videtur duxisse filiam Joram filii Achab, sicuti Joram pater Ochoziæ duxerat Athaliam filiam Achab, aut certe duxisse filiam fratris, aut sororis Joram; ideo enim dicitur, « gener domus Achab, » quia scilicet socer ejus fuit Joram, vel frater Joram: nimiram tota hæc impietatis et idololatriæ propago inveeta fuit in regnum Juda per impium Jezabelis hujus enim filia fuit Athalia, ac neptis ejus fuit uxor Ochoziæ, quarum utraque a Jezabele, quæ mala erat mater, aliorum avia, educata ejus impietatem et mores gentilitios imbibit. Vide hic quam periculosum et noxium sit ducere uxores infideles vel hæreticas.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliseus mittit unum e suis, qui ungat Jehu in regem Israel, ut familiam Achab deleat; ungit ille Jehu: id ve- ubi hic audiit principes eum regem esse, Jehu ergo rec- fa- ius gangt in Jezrahel, ibique occidit Joram regem Israel, et Ochoziam regem Juda, ac Jezabelem ex duris projectam jubet, quæ deinde canes devorant juxta sermonem Eliæ.

1. Eliseus autem Prophetes vocavit unum de filiis prophetarum, et ait illi: Accinge lumbos tuos, et tolle lenticulam olei hanc in manu tua, et vade in Ramoth Galaad. 2. Cumque veneris illuc, videbis Jehu filium Josaphat filii Namsi: et ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, et introduces in interius cubiculum. 3. Tenensque lenticulam olei, fundes super caput ejus, et dices: Hæc dicit Dominus: Unxi te regem super Israel. Aperiesque ostium, et fugies, et non ibi subsistes. 4. Abiit ergo adolescens puer prophetæ in Ramoth Galaad, 5. et ingressus est illuc: ecce autem principes exercitus sedebant, et ait: Verbum mihi ad te, o princeps. Dixitque Jehu: Ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit: Ad te, o princeps. 6. Et surrexit et ingressus est cubiculum: at ille fudit oleum super caput ejus, et ait: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Unxi te regem super populum Domini Israel, 7. et percuties domum Achab domini tui, et ultionem sanguinum servorum meorum prophetarum, et sanguinem omnium servorum Domini, de manu Jezabel. 8. Perdamque omnem domum Achab: et interficiam de Achab mingentem ad parietem, et clausum et novissimum in Israel. 9. Et dabo domum Achab, sicut domum Jeroboam filii Nabath, et sicut domum Baasa filii Ahiæ. 10. Jezabel quoque comedent canes in agro Jezrahel, nec erit qui sepeliat eam. Apertumque ostium et fugit. 11. Jehu autem egressus est ad servos domini sui: qui dixerunt ei: Recte ne sunt omnia? quid venit insanus iste ad te? Qui ait eis: Nostis hominem, et quid loquatur. 12. At illi responderunt: Falsum est, sed magis narra nobis. Qui ait eis: Hæc et hæc locutus est mihi, et ait: Hæc dicit Dominus: Unxi te regem super Israel. 13. Festinaverunt itaque, et unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus ejus, in similitudinem tribunalis, et cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnavit Jehu. 14. Conjuravit ergo Jehu filius Josaphat filii Namsi contra Joram: porro Joram obsederat Ramoth Galaad, ipse et omnis Israel, contra Hazael regem Syriæ: 15. et reversus fuerat ut curaretur in Jezrahel propter vulnera, quæ percusserant eum Syri, prælientem contra Hazael regem Syriæ. Dixitque

Jehu: Si placet vobis, nemo egrediatur profugus de civitate, ne vadat, et nuntiet in Jezrahel. 16. Et ascendit, et profectus est in Jezrahel: Joram enim ægrotabat ibi: et Ochozias rex Juda descenderat ad visitandum Joram. 17. Igitur speculator qui stabat super turrim Jezrahel, vidit globum Jehu venientis, et ait: Video ego globum. Dixitque Joram: Tolle currum, et mitte in occursum eorum, et dicat valens: Rectene sunt omnia? 18. Abiit ergo qui ascenderat currum, in occursum ejus, et ait: Hæc dicit rex: Pacatane sunt omnia? Dixitque Jehu: Quid tibi et paci? transi, et sequere me. Nuntiavit quoque speculator, dicens: Venit nuntius ad eos, et non revertitur. 19. Misit etiam currum equorum secundum; venitque ad eos, et ait: Hæc dicit rex: Numquid pax est? Et ait Jehu: Quid tibi et paci? transi, et sequere me. 20. Nuntiavit autem speculator, dicens: Venit usque ad eos, et non revertitur: est autem incessus quasi incessus Jehu filii Namsi, præceps enim graditur. 21. Et ait Joram: Junge currum. Junxerunt que currum ejus; et egressus est Joram rex Israel, et Ochozias rex Juda, singuli in curribus suis, egressique sunt in occursum Jehu, et invenerunt eum in agro Naboth Jezrahelitæ. 22. Cumque vidisset Joram Jehu, dixit: Pax est Jehu? At ille respondit: Quæ pax? adhuc fornicationes Jezabel matris tuæ, et veneficia ejus multa vigent. 23. Convertit autem Joram manum suam, et fugiens ait ad Ochoziam: Insidiæ, Ochozia. 24. Porro Jehu tetendit arcum manu, percussitque Joram inter scapulas; et egressa est sagitta per cor ejus, statimque corruit in curru suo. 25. Dixitque Jehu ad Badacer ducem: Tolle, projice eum in agro Naboth Jezrahelitæ: memini enim quando ego et tu sedentes in curru sequebamur Achab patrem hujus, quod Dominus onus hoc levaverit super eum, dicens: 26. Si non pro sanguine Naboth, et pro sanguine filiorum ejus, quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro isto, dicit Dominus. Nunc ergo tolle, et projice eum in agrum, juxta verbum Domini. 27. Ochozias autem rex Juda videns hoc, fugit per viam domus horti: persecutusque est eum Jehu, et ait: Etiam hunc percutite in curru suo: et percusserunt eum in ascensu Gavor, quæ est juxta Jeblaam: qui fugit in Mageddo, et mortuus est ibi. 28. Et imposuerunt eum servi ejus super currum suum, et tulerunt in Jerusalem; sepelieruntque eum in sepulcro cum patribus suis in civitate David. 29. Anno undecimo Joram filii Achab, regnavit Ochozias super Judam. 30. venitque Jehu in Jezrahel. Porro Jezabel introitu ejus audito, depinxit oculos suos stibio, et ornavit caput suum, et respexit per fenestram 31. ingredientem Jehu per portam, et ait: Numquid pax potest esse Zambri, qui interfecit dominum suum? 32. Levavitque Jehu faciem suam ad fenestram, et ait: Quæ est ista? et inclinaverunt se ad eum duo vel tres eunuchi. 33. At ille dixit eis: Præcipitate eam deorsum; et præcipitaverunt eam, aspersusque est sanguine paries, et equorum ungulæ conculcaverunt eam. 34. Cumque ingressus esset, ut comederet, biberetque, ait: Ite, et videte maledictam illam, et sepelite eam: quia filia regis est. 35. Cumque issent ut sepelirent eam, non invenerunt nisi calvariam, et pedes, et summas manus. 36. Reversique nuntiaverunt ei. Et ait Jehu: Sermo Domini est, quem locutus est per servum suum Eliam Thesbiten, dicens: In agro Jezrahel comedent canes carnes Jezabel, 37. et erunt carnes Jezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Jezrahel; ita ut prætereuntes dicant: Hæccine est illa Jezabel?

1. VADE IN RAMOTH GALAAD. — Jam enim urbs illa post regis Joram eam obsidentis vulnus capta erat vel tota, vel ejus pars, ait Abulensis, Sanchez et Serarius, idque patet ex vers. 15.

2. SUSCITABIS EUM DE MEDIO FRATRUM SUORUM, — ut Vatablus, *juxta ut surgat e medio fratrum*, eorum scilicet collegarum suorum; qui enim, paulo post vocantur principes.

DUCES IN INTERIUS CUBICULUM, — ut secreto eum ungas in regem: ne si publice id facias, seditio concitetur a Jorami regis asseclis et fautoribus, ideoque ubi eum secreto unxeris, statim « fugies, et non ibi subsistes. »

6. UNXI TE. — Hæc videtur fuisse secunda unctio Jehu: nam prima facta videtur ab Elia: hoc enim ei jusserat Deus, III Reg. XIX, 15, ideoque eum ire jusserat in Damascum, ut ibi ungeret Hazael in regem Syriæ, ac deinde in Samaria, ut unge-

ret Jehu in regem Israel : sed prima illa Eliæ unctio fuit prævia et prognostica regni; hæc vero secunda facta ab Eliseo fuit regni collatio, ejusque in regem creatio. Ita Cajetanus *Histor. Schalast.* Sanchez et alii.

11. QUID VENIT ISTE INSANUS AD TE? — Vide hic ut principes idololatræ, hominesque militares prophetam rideant, vocentque « insanum » et fanaticum. Vita enim prophetarum aspera, vestitus horridus, sermo propheticus eis videbatur esse insania, ac prophetæ videbantur eis insanire; erant enim quasi emoto mentis, et altiori numinis spiritu afflati. Unde Plato in *Phædone* : « Quidam, ait, divino beneficio sunt insani, ut prophetæ et Sibyllæ, » et Cicero, lib. II *De divinat.* : « Quid habet auctoritatis furor iste, quem divinum vocatis, ut quæ sapiens non videt, ea videat insanus, et is qui humanos sensus amiserit, divinos assecutus sit, et valuisse idem sit quod insanire. » « Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, » I *Cor.* II et III. Idem et magis fedebant prophetæ diaboli, qui gestus inconditos edebant, et furere videbantur : unde de Sibylla ab Ænea consulta ita canit Virgilius, lib. VI *Æneid.* :

Non vultus, non color unus,
Non comptæ mansere comæ : sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, majorque videri
Nec mortale sonat, afflata est numine quando
Jam propiore Dei.

NOSTIS HOMINEM, ET QUID LOCUTUS SIT, — *q. d.* nostis eum insanum esse, ac proinde insana locutum, ideoque non credendum, nec a me curanda. Id dicit Jehu, ne si se revera ab eo unctum dicat in regem, sibi creet periculum : ne scilicet aliquis vel pro Joram pugnans, vel Jehu regnum invidens, eum invadat et occidat. « Perunctulantibus autem illis, inquit Josephus, qua de causa venisset juvenis, et insanum videri dicentibus : Recte, inquit, conjecturam facitis, nam insani verba locutus est. Illis vero magis etiam sibi exponi quid esset orantibus, regnum populi sibi a Deo delatum, ait illum dixisse. »

12. AT ILLI DIXERUNT : FALSUM EST, SED MAGIS NARRA NOBIS, — *q. d.* non insana, sed vera et magni momenti locutus est propheta, cupimusque omnino ut ea nobis enarres. Unde Claudianus veriti, *falsum tu dicis, indicat unus nobis.* Suspicati sunt Dei instinctu, id quod res erat, scilicet Jehu a propheta accepisse regni oraculum, illudque ab eo extorquere satagunt, unde sequitur.

13. FESTINAVERUNT ITAQUE, ET UNUSQUISQUE TOLLENS PALLIUM SUUM (vestem exliman) POSUERUNT SUB PEDIBUS EJUS IN SIMILITUDINEM TRIBUNALIS. — Septuaginta, *super excelsum gradum;* Vatablus, *in fastigio gradum*, id est in supremo gradu, ninimum summo et eminentissimo loco, *q. d.* loco excelso vestibus suis erexerunt ei quasi thronum regium, ut in eo velut rex sederet : hoc enim ritu eum regem crearunt.

Nimirum ad vocem Prophetæ, quam a Jehu audierant principes, hi et milites divinitus excitati regnum ei detulerunt, ideoque gradus aliquos opere tumultuario construxerunt, quos palliis suis quasi aulæis constraverunt, et in summo eorum Jehu collocarunt, eique acclamarunt : « Regnavit Jehu, » *q. d.* rex noster est Jehu, vivat ergo et regnet prospere per multos annos. Sic Plutarchus scribit de Catone Uticensi in ejus vita, stratas esse a militibus vestes per ea loca, quæ ipse pedibus calcaturus erat : quod honoris genus refert Imperatoribus impendi solere. Et in Deorum suorum quibus dam sacris, dum illos festa pompa traduceret, vestes sterni solitas esse scribit Idem Plutarchus *in Alcibiade.*

Idem de sacris Junonis tradit Athenæus, libro XII, cap. IX. Sic et Christo quasi Messiæ regi, solemni pompa ingredienti Jerusalem in die Palmarum, turba viam stravit et palmis et vestibus, *Matthæi* XXI.

18. QUID TIBI ET PACI, — *q. d.* non pacem volo, sed bellum; conjuravi enim contra tuum regem Joram, ut eum occidam regnumque ejus occupem.

21. ET EGRESSUS EST JORAM REX ISRAEL, ET OCHOZIAS REX JUDA, etc., IN OCCURSUM JEHU; ET INVENERUNT EUM IN AGRO NABOTH JESRAHELITÆ. — Justum congruumque fuit hoc Dei judicium, qui eos congregavit in agrum Naboth ut ibi eo caderentur, in quo Achab pater eorum, Naboth vineæ sua spoliarat et occiderat, ubi ipse per Eliam eidem prædixerat, III *Reg.* XXI, 23.

22. ADHUC FORNICATIONES JEZABEL MATRIS TUÆ, ET VENEFICIA EJUS NULLA VIGENT, — puta idololatria et magia Jezabelis; idololatria enim est fornicatio mystica, qua quis relicto Deo sponso, adhæret idolis, quasi adulteris. Eadem est magia, quin sacerdotes idolorum sunt magi; consulunt enim dæmonem, et ab eo oracula accipiunt. Dicit hoc Jehu, *q. d.* Ego ex parte Dei judicis venio, ut poniam idololatriam et magiam tuam, tuæque matris Jezabelis.

23. QUOD DOMINUS ONUS HOC LEVAVERIT SUPER EUM — « Onus » vocatur prophetia minax et querosa, qua Deus per Eliam prædixerat posteros Achab ob ejus scelera occidendos, III *Reg.* XXI, 23.

27. ETIAM HUNC PERCUTITE, — ad exterminium domus Achab a Deo prædictum et decretum. Erat enim Ochozias rex Juda, ex parte matris Athaliæ, nepos Achab, ejusque scelera et idololatriam imitabatur.

Dices, II *Paral.* cap. XXII, 9, dicitur Ochozias fugisse et latuisse in Samaria? Respondeo, hac vice fugit et latuit in Samaria, sed ut ibidem adderitur, in Samaria postea deprehensus, deductus est ad Jehu in Gaber, ibique percussus fugit in Mageddo, ibique mortuus est. Ita Lyranus.

29. ANNO UNDECIMO JORAM FILII ACHAB REGIS ISRAEL REGNAVIT OCHOZIAS SUPER JUDAM. — « Regnavit, » id est regnare cœpit, et vix uno anno regnavit; nam anno duodecimo Joram una cum eo occisus est a Jehu.

30. PORRO JEZABEL INTROITU EJUS (Jehu regicidæ) AUDITO, DEPINXIT OCULOS SUOS STIBIO, — non ad illiciendum Jehu in sui amorem; erat enim vetula, et sciebat Jehu esse juratum suum hostem, sed ad animositatem ostentandam, quasi quæ non timeret nec curaret Jehu; unde eum increpuit vocavitque domini sui (Joram regis) interfectorem, ut eum perculeret : putabat enim quod Jehu in se, utpote feminam et reginam, non auderet manus injicere, nec ejus in sanguine se cruentare. Quod si auderet, volebat animose et nobiliter mori, quasi mortem contemnens. Hæc est vanitas sæculi et sæcularium, neque ac mulierum vanitas est stibium et purpurissa, quam proinde Magdalena, dum pœnituit, despexit; nam ut ait S. Hieronymus, epist. *ad Furiam* : « Non habuit crispantes natras, nec stridentes calceolos, nec orbes stibio fuliginatos. » Unde S. Cyprianus, tract. *De Opere et Eleemosyna* : « Ungé oculos tuos, inquit, non stibio diabolico, sed collyrio Christi. »

31. NUMQUID PAX POTEST ESSE ZAMBRI, QUI INTERFECIT DOMINUM SUUM, — quasi dicat, quæ pax et sociedus potest esse cum Jehu, qui est quasi alter Zambri tyrannus. Sicut enim Zambri occidit Ela regem suum, III *Reg.* XVI, 10, ejusque regnum invasit, sic Jehu occidit Joram regem suum, ejusque regnum invadit.

37. ET ERUNT CARNES JEZABEL SICUT STERCUS. — Alludit ad Etymon nominis Jezabel. *Jezabel* enim Hebraice idem est quod זְבֶל אַי *e zebel*, id est *ubi sterces? Zebel* enim Chaldaice, Syriace et Arabice idem est quod *stercus*. Aut *Jezabel* idem est quod זְבוּל אַי *e zebul*, id est *inutile sterquilinii*, *vel ve sterquilinio*, ait Pagninus, unde nonnulli putant a *zebel*, id est *stercus diabolum* per contemptum vocari *zabulum*, id est *stercorarium*, ac Græcos Beelzebub vocare *Beelzebub*, quasi *Deum stercoris*; stercori enim insidet *zebub*, id est musca. Porro S. Ambrosius, *Exhortat. ad virgin.* : « Jezabel, inquit, idem est quod vanitatis profluvium, vel vana et vacua redundantia, qualis est in avaritia, ambitione, omnique concupiscentia, cujus idea est Jezabel. »

HÆCCINE EST ILLA JEZABEL, — *q. d.* Itane fortuna vices commutans Jezabelem ex summo gloriæ in imum ignominiæ prostravit? Erat illa decor et pulchritudo orbis : jam putet ut sordidum stercus. Erat illa regum uxor et mater, imo domina et rectrix : en tibi jam a canibus laniatur. Erat illa terror Eliæ et prophetarum, imo totius Israelis : ecce jam illa unguis equorum calcatur.

Notat S. Chrysostomus, hom. 25 *in epist. ad Roman.*, Jezabelem gravius punitam esse, quam Achab, qui in bello sagitta confixus decore occubuit, eo quod Jezabel fuerit ei omnis mali occasio, imo suggestrix et incentrix : « Jezabel, ait, majores pœnas dedit, quam Achab vinea raptor : ipsa quippe universum istud negotium texuerat, regique lapsus occasionem dederat. »

Sic B. Franciscus Borgia, nuper Dux Gandiæ, cum Isabellæ uxoris Caroli V defuncta corpus ad regium sepulcrum Granatam deferret, illud adhuc deforme, fœdum et horridum conspexit, ut non agnosceret, nec auderet jurare, hoc esse corpus imperatricis. Quare illud contentis oculis intuens et admirans : « Hæccine, inquit, est Isabella mundi imperatrix? » Hæccine sapiens et sancta illa Isabella gaudium Hispaniæ, decus imperii, spes orbis? ubi nuperus ille vultus decor, ubi oculorum splendor, ubi coronæ regiæ majestas? Hanc caro ejus versa est in putredinem, decor in fœtorem, splendor in horrorem? Quare Deo mentem illuminante, attente considerans quanta esset regum regnorumque et omnium bonorum mundi vanitas, eis valedicere, et soli Deo servire decrevit, ac Societatem Jesu ingressus, rarum virtutum omnium, tam religiosis, quam sæcularibus, quin et principibus ac regibus dedit exemplar, ut patet ex ejus Vita.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jehu occidit septuaginta filios Achab, et quadraginta duos fratres Ochoziæ, ac per dolum omnes cultores Baal, unde meruit progeniem in regno usque in quartam generationem. Idem tamen eduit vitulos aureos Jeroboam, ideoque domus ejus tandem excisa est.

1. Erant autem Achab septuaginta filii in Samaria : scripsit ergo Jehu litteras, et misit in Samariam, ad optimates civitatis, et ad majores natu, et ad nutritios Achab, dicens : 2. Statim ut acceperitis litteras has, qui habetis filios domini vestri, et currus, et equos, et civitates firmas, et arma, 3. eligite meliorem, et eum qui vobis placuerit de filiis domini vestri, et eum ponite super solium patris sui, et pugnate pro domo domini vestri. 4. Timuerunt illi vehementer, et dixerunt : Ecce duo reges non potuerunt stare coram eo, et quomodo nos valebimus resistere? 5. Miserunt ergo præpositi domus, et præfecti civitatis, et majores natu,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ret Jehu in regem Israel : sed prima illa Eliæ unctio fuit prævia et prognostica regni; hæc vero secunda facta ab Eliseo fuit regni collatio, ejusque in regem creatio. Ita Cajetanus *Histor. Schalast.* Sanchez et alii.

11. QUID VENIT ISTE INSANUS AD TE? — Vide hic ut principes idololatræ, hominesque militares prophetam rideant, vocentque « insanum » et fanaticum. Vita enim prophetarum aspera, vestitus horridus, sermo propheticus eis videbatur esse insania, ac prophetæ videbantur eis insanire; erant enim quasi emoto mentis, et altiori numinis spiritu afflati. Unde Plato in *Phædone* : « Quidam, ait, divino beneficio sunt insani, ut prophetæ et Sibyllæ, » et Cicero, lib. II *De divinat.* : « Quid habet auctoritatis furor iste, quem divinum vocatis, ut quæ sapiens non videt, ea videat insanus, et is qui humanos sensus amiserit, divinos assecutus sit, et valuisse idem sit quod insanire. » « Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, » I *Cor.* II et III. Idem et magis fedebant prophetæ diaboli, qui gestus inconditos edebant, et furere videbantur : unde de Sibylla ab Ænea consulta ita canit Virgilius, lib. VI *Æneid.* :

Non vultus, non color unus,
Non comptæ mansere comæ : sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, majorque videri
Nec mortale sonat, afflata est numine quando
Jam propiore Dei.

NOSTIS HOMINEM, ET QUID LOCUTUS SIT, — *q. d.* nostis eum insanum esse, ac proinde insana locutum, ideoque non credendum, nec a me curanda. Id dicit Jehu, ne si se revera ab eo unctum dicat in regem, sibi creet periculum : ne scilicet aliquis vel pro Joram pugnans, vel Jehu regnum invidens, eum invadat et occidat. « Perunctulantibus autem illis, inquit Josephus, qua de causa venisset juvenis, et insanum videri dicentibus : Recte, inquit, conjecturam facitis, nam insani verba locutus est. Illis vero magis etiam sibi exponi quid esset orantibus, regnum populi sibi a Deo delatum, ait illum dixisse. »

12. AT ILLI DIXERUNT : FALSUM EST, SED MAGIS NARRA NOBIS, — *q. d.* non insana, sed vera et magni momenti locutus est propheta, cupimusque omnino ut ea nobis enarres. Unde Claudianus veriti, *falsum tu dicis, indicat unus nobis.* Suspicati sunt Dei instinctu, id quod res erat, scilicet Jehu a propheta accepisse regni oraculum, illudque ab eo extorquere satagunt, unde sequitur.

13. FESTINAVERUNT ITAQUE, ET UNUSQUISQUE TOLLENS PALLIUM SUUM (vestem exliman) POSUERUNT SUB PEDIBUS EJUS IN SIMILITUDINEM TRIBUNALIS. — Septuaginta, *super excelsum gradum;* Vatablus, *in fastigio gradum*, id est in supremo gradu, ninimum summo et eminentissimo loco, *q. d.* loco excelso vestibus suis erexerunt ei quasi thronum regium, ut in eo velut rex sederet : hoc enim ritu eum regem crearunt.

Nimirum ad vocem Prophetæ, quam a Jehu audierant principes, hi et milites divinitus excitati regnum ei detulerunt, ideoque gradus aliquos opere tumultuario construxerunt, quos palliis suis quasi aulæis constraverunt, et in summo eorum Jehu collocarunt, eique acclamarunt : « Regnavit Jehu, » *q. d.* rex noster est Jehu, vivat ergo et regnet prospere per multos annos. Sic Plutarchus scribit de Catone Uticensi in ejus vita, stratas esse a militibus vestes per ea loca, quæ ipse pedibus calcaturus erat : quod honoris genus refert Imperatoribus impendi solere. Et in Deorum suorum quibus dam sacris, dum illos festa pompa traduceret, vestes sterni solitas esse scribit Idem Plutarchus *in Alcibiade.*

Idem de sacris Junonis tradit Athenæus, libro XII, cap. IX. Sic et Christo quasi Messiæ regi, solemni pompa ingredienti Jerusalem in die Palmarum, turba viam stravit et palmis et vestibus, *Matthæi* XXI.

18. QUID TIBI ET PACI, — *q. d.* non pacem volo, sed bellum; conjuravi enim contra tuum regem Joram, ut eum occidam regnumque ejus occupem.

21. ET EGRESSUS EST JORAM REX ISRAEL, ET OCHOZIAS REX JUDA, etc., IN OCCURSUM JEHU; ET INVENERUNT EUM IN AGRO NABOTH JESRAHELITÆ. — Justum congruumque fuit hoc Dei judicium, qui eos congregavit in agrum Naboth ut ibi eo caderentur, in quo Achab pater eorum, Naboth vineæ sua spoliarat et occiderat, ubi ipse per Eliam eidem prædixerat, III *Reg.* XXI, 23.

22. ADHUC FORNICATIONES JEZABEL MATRIS TUÆ, ET VENEFICIA EJUS NULLA VIGENT, — puta idololatria et magia Jezabelis; idololatria enim est fornicatio mystica, qua quis relicto Deo sponso, adhæret idolis, quasi adulteris. Eadem est magia, quin sacerdotes idolorum sunt magi; consulunt enim dæmonem, et ab eo oracula accipiunt. Dicit hoc Jehu, *q. d.* Ego ex parte Dei judicis venio, ut poniam idololatriam et magiam tuam, tuæque matris Jezabelis.

23. QUOD DOMINUS ONUS HOC LEVAVERIT SUPER EUM — « Onus » vocatur prophetia minax et querosa, qua Deus per Eliam prædixerat posteros Achab ob ejus scelera occidendos, III *Reg.* XXI, 23.

27. ETIAM HUNC PERCUTITE, — ad exterminium domus Achab a Deo prædictum et decretum. Erat enim Ochozias rex Juda, ex parte matris Athaliæ, nepos Achab, ejusque scelera et idololatriam imitabatur.

Dices, II *Paral.* cap. XXII, 9, dicitur Ochozias fugisse et latuisse in Samaria? Respondeo, hac vice fugit et latuit in Samaria, sed ut ibidem adderitur, in Samaria postea deprehensus, deductus est ad Jehu in Gaber, ibique percussus fugit in Mageddo, ibique mortuus est. Ita Lyranus.

29. ANNO UNDECIMO JORAM FILII ACHAB REGIS ISRAEL REGNAVIT OCHOZIAS SUPER JUDAM. — « Regnavit, » id est regnare cœpit, et vix uno anno regnavit; nam anno duodecimo Joram una cum eo occisus est a Jehu.

30. PORRO JEZABEL INTROITU EJUS (Jehu regicidæ) AUDITO, DEPINXIT OCULOS SUOS STIBIO, — non ad illiciendum Jehu in sui amorem; erat enim vetula, et sciebat Jehu esse juratum suum hostem, sed ad animositatem ostentandam, quasi quæ non timeret nec curaret Jehu; unde eum increpuit vocavitque domini sui (Joram regis) interfectorem, ut eum perculeret : putabat enim quod Jehu in se, utpote feminam et reginam, non auderet manus injicere, nec ejus in sanguine se cruentare. Quod si auderet, volebat animose et nobiliter mori, quasi mortem contemnens. Hæc est vanitas sæculi et sæcularium, neque ac mulierum vanitas est stibium et purpurissa, quam proinde Magdalena, dum pœnituit, despexit; nam ut ait S. Hieronymus, epist. *ad Furiam* : « Non habuit crispantes natras, nec stridentes calceolos, nec orbes stibio fuliginatos. » Unde S. Cyprianus, tract. *De Opere et Eleemosyna* : « Ungé oculos tuos, inquit, non stibio diabolico, sed collyrio Christi. »

31. NUMQUID PAX POTEST ESSE ZAMBRI, QUI INTERFECIT DOMINUM SUUM, — quasi dicat, quæ pax et sociedus potest esse cum Jehu, qui est quasi alter Zambri tyrannus. Sicut enim Zambri occidit Ela regem suum, III *Reg.* XVI, 10, ejusque regnum invasit, sic Jehu occidit Joram regem suum, ejusque regnum invadit.

37. ET ERUNT CARNES JEZABEL SICUT STERCUS. — Alludit ad Etymon nominis Jezabel. *Jezabel* enim Hebraice idem est quod זְבֶל אַי *e zebel*, id est *ubi sterces? Zebel* enim Chaldaice, Syriace et Arabice idem est quod *stercus*. Aut *Jezabel* idem est quod זְבוּל אַי *e zebul*, id est *inutile sterquilinii*, *vel ve sterquilinio*, ait Pagninus, unde nonnulli putant a *zebel*, id est *stercus diabolum* per contemptum vocari *zabulum*, id est *stercorarium*, ac Græcos Beelzebub vocare *Beelzebub*, quasi *Deum stercoris*; stercori enim insidet *zebub*, id est musca. Porro S. Ambrosius, *Exhortat. ad virgin.* : « Jezabel, inquit, idem est quod vanitatis profluvium, vel vana et vacua redundantia, qualis est in avaritia, ambitione, omnique concupiscentia, cujus idea est Jezabel. »

HÆCCINE EST ILLA JEZABEL, — *q. d.* Itane fortuna vices commutans Jezabelem ex summo gloriæ in imum ignominiæ prostravit? Erat illa decor et pulchritudo orbis : jam putet ut sordidum stercus. Erat illa regum uxor et mater, imo domina et rectrix : en tibi jam a canibus laniatur. Erat illa terror Eliæ et prophetarum, imo totius Israelis : ecce jam illa unguis equorum calcatur.

Notat S. Chrysostomus, hom. 25 *in epist. ad Roman.*, Jezabelem gravius punitam esse, quam Achab, qui in bello sagitta confixus decore occubuit, eo quod Jezabel fuerit ei omnis mali occasio, imo suggestrix et incentrix : « Jezabel, ait, majores pœnas dedit, quam Achab vinea raptor : ipsa quippe universum istud negotium texuerat, regique lapsus occasionem dederat. »

Sic B. Franciscus Borgia, nuper Dux Gandiæ, cum Isabellæ uxoris Caroli V defuncta corpus ad regium sepulcrum Granatam deferret, illud adhuc deforme, fœdum et horridum conspexit, ut non agnosceret, nec auderet jurare, hoc esse corpus imperatricis. Quare illud contentis oculis intuens et admirans : « Hæccine, inquit, est Isabella mundi imperatrix? » Hæccine sapiens et sancta illa Isabella gaudium Hispaniæ, decus imperii, spes orbis? ubi nuperus ille vultus decor, ubi oculorum splendor, ubi coronæ regiæ majestas? Hanc caro ejus versa est in putredinem, decor in fœtorem, splendor in horrorem? Quare Deo mentem illuminante, attente considerans quanta esset regum regnorumque et omnium bonorum mundi vanitas, eis valedicere, et soli Deo servire decrevit, ac Societatem Jesu ingressus, rarum virtutum omnium, tam religiosis, quam sæcularibus, quin et principibus ac regibus dedit exemplar, ut patet ex ejus Vita.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jehu occidit septuaginta filios Achab, et quadraginta duos fratres Ochoziæ, ac per dolum omnes cultores Baal, unde meruit progeniem in regno usque in quartam generationem. Idem tamen eduit vitulos aureos Jeroboam, ideoque domus ejus tandem excisa est.

1. Erant autem Achab septuaginta filii in Samaria : scripsit ergo Jehu litteras, et misit in Samariam, ad optimates civitatis, et ad majores natu, et ad nutritios Achab, dicens : 2. Statim ut acceperitis litteras has, qui habetis filios domini vestri, et currus, et equos, et civitates firmas, et arma, 3. eligite meliorem, et eum qui vobis placuerit de filiis domini vestri, et eum ponite super solium patris sui, et pugnate pro domo domini vestri. 4. Timuerunt illi vehementer, et dixerunt : Ecce duo reges non potuerunt stare coram eo, et quomodo nos valebimus resistere? 5. Miserunt ergo præpositi domus, et præfecti civitatis, et majores natu,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et nutritii ad Jehu, dicentes : Servi tui sumus, quæcumque jusseris faciemus, nec constituemus nobis regem : quæcumque tibi placent, fac. 6. Rescripsit autem eis litteras secundo, dicens : Si mei estis, et obeditis mihi, tollite capita filiorum domini vestri, et venite ad me hac eadem hora cras in Jezrahel. Porro filii regis, septuaginta viri, apud optimates civitatis nutriebantur. 7. Cumque venissent litteræ ad eos, tulerunt filios regis, et occiderunt septuaginta viros et posuerunt capita eorum in cophinis, et miserunt ad eum in Jezrahel. 8. Venit autem nuntius, et indicavit ei, dicens : Attulerunt capita filiorum regis. Qui respondit : Ponite ea ad duos acervos juxta introitum portæ usque mane. 9. Cumque diluxisset, egressus est, et stans dixit ad omnem populum : Justi estis : si ego conjuravi contra dominum meum, et interfeci eum, quis percussit omnes hos? 10. Videte ergo nunc quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram, quos locutus est Dominus super domum Achab, et Dominus fecit quod locutus est in manu servi sui Eliæ. 11. Percussit igitur Jehu omnes, qui reliqui erant de domo Achab in Jezrahel, et universos optimates ejus, et notos, et sacerdotes, donec non remanerent ex eo reliquiæ. 12. Et surrexit, et venit in Samariam : cumque veniisset ad Cameram pastorum in via, 13. invenit fratres Ochoziæ regis Juda, dixitque ad eos : Quinam estis vos? Qui responderunt : Fratres Ochoziæ sumus, et descendimus ad salutandos filios regis, et filios reginæ. 14. Qui ait : Comprehendite eos vivos. Quos cum comprehendissent vivos, jugulaverunt eos in cisterna juxta [illegible]oram, quadraginta duos viros, et non reliquit ex eis quemquam. 15. Cumque abisset inde, invenit Jonadab filium Rechab in occursum sibi, et benedixit ei. Et ait ad eum : Numquid est cor tuum rectum sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Jonadab : Est. Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam. At ille levavit eum ad se in currum : 16. dixitque ad eum : Veni mecum, et vide zelum meum pro Domino. Et impositum in curru suo, 17. duxit in Samariam. Et percussit omnes, qui reliqui fuerant de Achab in Samaria usque ad [illegible]m, juxta verbum Domini, quod locutus est per Eliam. 18. Congregavit ergo Jehu omnem populum, et dixit ad eos : Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius. 19. Nunc igitur omnes prophetas Baal, et universos servos ejus, et cunctos sacerdotes ipsius, vocate ad me : nullus sit qui non veniat, sacrificium enim grande est mihi Baal : quicumque defuerit, non vivet. Porro Jehu faciebat hoc insidiose, ut disperderet cultores Baal. 20. Et dixit : Sanctificate diem solemnem Baal. Vocavitque, 21. et misit in universos terminos Israel, et venerunt cuncti servi Baal, non fuit residuus ne unus quidem qui non veniret. Et ingressi sunt templum Baal : et repleta est domus Baal, a summo usque ad summum. 22 Dixitque his qui erant super vestes : Proferte vestimenta universis servis Baal. Et protulerunt eis vestes. 23. Ingressusque Jehu, et Jonadab filius Rechab, templum Baal, ait cultoribus Baal : Perquirite et videte, ne quis forte vobiscum sit de servis Domini, sed ut sint servi Baal soli. 24. Ingressi sunt igitur ut facerent victimas et holocausta : Jehu autem præparaverat sibi foris octoginta viros, et dixerat eis : Quicumque fugerit de hominibus his, quos ego adduxero in manus vestras, anima ejus erit pro anima illius. 25. Factum est autem, cum completum esset holocaustum, præcepit Jehu militibus et ducibus suis : Ingredimini, et percutite eos, nullus evadat. Percusserunt itaque eos in ore gladii, et projecerant milites et duces : et ierunt in civitatem templi Baal. 26. et protulerunt statuam de fano Baal, et combusserunt. 27. Et comminuerunt eam. Destruxerunt quoque eadem Baal, et fecerunt pro ea latrinas usque in diem hanc. 28. Delevit itaque Jehu Baal de Israel. 29. Verumtamen a peccatis Jeroboam filii Nabath, qui peccare fecit Israel, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel, et in Dan. 30. Dixit autem Dominus ad Jehu : Quia studiose egisti quod rectum erat, et placebat in oculis meis, et omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab : filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. 31. Porro Jehu non custodivit ut ambularet

in lege Domini Dei Israel in toto corde suo : non enim recessit a peccatis Jeroboam, qui peccare fecerat Israel. 32. In diebus illis cœpit Dominus tædere super Israel : percussitque eos Hazael in universis finibus Israel, 33. a Jordane contra Orientalem plagam, omnem Terram Galaad, et Gad, et Ruben, et Manasse, ab Aroer, quæ est super Torrentem Arnon, et Galaad, et Basan. 34. Reliqua autem verborum Jehu, et universa quæ fecit, et fortitudo ejus, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 35. Et dormivit Jehu cum patribus suis, sepelieruntque eum in Samaria : et regnavit Joachaz filius ejus pro eo. 36. Dies autem, quos regnavit Jehu super Israel, viginti et octo anni sunt, in Samaria.

1. ERANT AUTEM ACHAB SEPTUAGINTA FILII, — non ex sola Jezabele, sed ex aliis multis uxoribus ab eo procreati.

AD NUTRITIOS ACHAB, — id est ut Septuaginta, *ad nutritios filiorum Achab*, scilicet ad primates, qui septuaginta filios Achab enutrierant.

4. ECCE DUO REGES (Joram rex Israel, et Ochozias rex Juda, utramque enim occidit Jehu) NON POTUERUNT ET[illegible] CORAM EO, — id est resistere illi, unde sequitur :

ET QUOMODO NOS (privati et plebeii) VALEBIMUS ESISTERE?

5. MISERUNT ERGO PRÆPOSITI DOMUS, — qui scilicet præerant palatio regio, quod Amri ædificarat in Samaria, in quo habitarat Achab, ejusque filius Joram, occisus a Jehu.

7. OCCIDERUNT SEPTUAGINTA VIROS. — Non peccavit Jehu jubendo occidi septuaginta filios Achab, quia id fecit jussu Dei, qui summus vitæ tam nocentium quam innocentium est Dominus, eo quod essent filii nocentis Achab, cujus utpote nequissimi semen omne, omnemque stirpem funditus delere volebat Dominus : verisimile enim est inter hos septuaginta aliquos fuisse minores et innocentes, nec idololatriæ Achab capaces vel participes. Peccarunt tamen Samaritæ, quod hoc mandatum Jehu de eis occidendis executi sint, non ut ministri judicis, sed timore Jehu, quem nesciebant esse regum a Deo electum, et ab Elisæo unctum, ideoque nesciebant eum esse Judicem Israelis, ac habere a Deo potestatem occidendi hos filios Achab. Forte etiam peccavit Jehu jubendo eis hoc facinus, si prius non satis eis probavit suam auctoritatem, et jus regni sibi a Deo datum, nisi ipsi illud aliunde facile scire potuerint. Ita Abulensis.

ET POSUERUNT CAPITA EORUM IN COPHINIS. — Apposite ad culpam Achab qui in cophinis collegerat uvas ex vinea Naboth a se occisi : idcirco igitur in pœnam peccati filiorum ejus capita in cophinis deferuntur ad Jehu. In eo ergo punitur tum ipse, tum filii, in quo peccarunt.

8. PONITE EA AD (Chaldaice ea) DUOS ACERVOS JUXTA INTROITUM PORTÆ USQUE MANE, — ut totus populus ingrediens et exiens per portam, videat hoc justum Dei judicium contra domum Achab, itaque ab ejus idololatria et cultu Baal recedat.

9. JUSTI ESTIS, — id est justum Dei vindictam implestis, licet inscii et non cogitantes. Constabant enim implere jussum Jehu de eis occidendis, non autem jussum Dei.

SI EGO CONJURAVI CONTRA DOMINUM MEUM (Joram regem Israel), ET INTERFECI EUM, QUIS PERCUSSIT OMNES HOS? — *q. d.* non ego, sed vos, esto meo jusso meique metu, *q. d.* Ex hac illatione patet manifeste vindicta Dei contra domum impiam Achab; quod scilicet Deus tam me quam vobis usus sit ad illam peragendam. Nam ego licet occiderim Jorum, non tamen potuissem occidere septuaginta ejus fratres, nisi Deus humiliasset vobis mei metum, ut me jubente eos occideretis. Alioqui enim potuissetis meo jussui resistere, aut vi, aut honesta excusatione, aut filios hos Achab, quos occidistis, abscondendo, vel alio amandando. Deus ergo vobis mentem eripuit, ne id faceretis, sed eos occideretis.

11. PERCUSSIT IGITUR JEHU OMNES QUI RELIQUI ERANT DE DOMO ACHAB. — « Omnes, » id est fere omnes, quia pauci illique fere pauperes, abjecti et imbelles fuere relicti. Remanserunt quoque fratres Ochoziæ regis Juda, prognati ex Athalia filia Achab, quos paulo post occidit vers. 14. Remansit quoque Ioas qui Ochoziæ patri in regno Judæ successit. Similiter dixit Scriptura nullum reliquendum ex domo Jeroboam, Baasa, Elæ, etc., quia dicturus omnes subjicit, et pauci illique relicti fuere.

13. FRATRES OCHOZIÆ, — id est filii fratrum Ochoziæ, ut explicatur II *Paral.* cap. XXII, vers. 9; nam fratres Ochoziæ fuere occisi ab Arabibus, II *Paral.* cap. XXI, vers. 17.

DESCENDIMUS AD SALUTANDOS FILIOS REGIS, — scilicet Ochoziæ regis Israel, ejusque uxoris et reginæ.

14. JUGULAVERUNT EOS, — quasi posteros impii Achab, ex impia matre Athalia. Fecit id Jehu instinctu Dei, unde ait ad Jonadab : « Vide zelum meum pro Domino. » Ita Abulensis.

JUXTA CAMERAM — « pastorum, » ut dictum est vers. 12. Chaldaice, *ad domum congregationis pastorum*, Hebraice, *ad domum ligationis*, in qua scilicet oves ligabantur ad tondendum, *q. d.* in tonstrina ovium. Ita Pagninus. Forte tondebantur tum ibidem oves, ideoque de more bene instructantur convivia, ad quæ invitati fuere in illi tonstrina

Ochoziæ, ibique inter epulas occisi, uti in similibus occisus fuit Ammon a fratre suo Absalom, II *Reg.* XIII.

Vers. 15. 15. INVENIT JONADAB FILIUM RECHAB IN OCCURSUM SIBI. ET BENEDIXIT EI, — scilicet bene precatus est et, salutavit eum dicendo more Hebræo : « pax tibi. » Hic « Jonadab » est ille qui laudatur, *Jeremiæ* cap. XXXV, vers. 6, ubi Jeremias propinans vinum Rechabitis, posteris et discipulis Jonadab, audit ab eis : « Non bibemus vinum, quia Jonadab filius Rechab pater noster præcepit nobis dicens : Non bibetis vinum vos, et filii vestri usque in sempiternum, et domum non ædificabitis, et semen non seretis, et vineas non plantabitis, nec habebitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ut vivatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini. »

Benedixit patri Rechabitarum.

Joannes Jerosolymitanus, lib. *De Institut. monach.* cap. XXV, asserit hunc « Jonadab » fuisse Elisæi discipulum, quosque vitæ religiosæ vestigia, exempla continentia, sectatum esse cum suis filiis et nepotibus. Rechabitæ hi fuere Cinæi, posteri Jethro Madianitæ, soceri Moysis. Vide dicta *Jeremiæ* cap. XXXV, vers. 6.

NUMQUID EST COR TUUM RECTUM SICUT COR MEUM CUM CORDE TUO, — q. d. amasne me sincere et ex animo, sicut ego amo te. Illinc videtur Jehu ante regnum fuisse probus, utpote amicus et familiaris Jonadabo viro probo et religioso. Amicitia enim non coalescit inter probos et improbos, poscit enim aliis similes.

ET IMPOSUIT EUM IN CURRU SUO DUXITQUE IN SAMARIAM, — ut meritoriam sibi apud Samaritas nomenque probitatis conelliaret per Jonadabum sibi sociatum, quem omnes habebant pro viro integro et sancto, ut hac ratione facilius perageret eadem Baalitarum, quam moliebatur, nec aliquis resistere auderet.

Vers. 18. 18. ACHAB COLUIT BAAL PARUM, EGO AUTEM COLAM EUM AMPLIUS. — Mentitur Jehu, sed officiose, et ad hominem filium, ut omnes cultores Baal in unum colligat et mactet, quod Deus ei jusserat, quodque alia ratione perfici vix poterat. Unde ipse putabat hoc mendacium sibi esse licitum, imo necessarium, honestum et pium. Ita Theodoretus et Procopius.

An peccarit.

Licet enim hoc ejus mendacium ex genere suo esset perniciosum quia erat simulatio imo profecto idololatriæ, ideoque scandalum publicum, uti docet S. Thomas, II II *Quæst.* CXI, art. 1, ad 2, Franciscus Suarez, tract. 1 *De fide*, disp. XIV, sect. 4, num. 9, Gregorius de Valentia, tract. *De fide*, disp. 1, *Quæst.* III, puncto 2, imo S. Augustinus, lib. *Contra mendacium*, cap. II, hoc Jehu mendacium vocat impium, ideoque eum non pro illa simulatione, sed pro obedientia, quia jussu Dei occidit posteros Achab, a Deo fuisse laudatum et remuneratum asserit, additque : « Visum est quibusdam catholicis Priscillianistas se debere simulare, ut eorum latebras penetrarent; quod ego prohibeo, ait Augustinus, scripsi librum contra mendacium. »

Mala cum ejus causa. Primum.

Tamen multa sunt quæ Jehu excusant, et hoc ejus mendacium potius officiosum quam pernitiosum fuisse ostendunt. *Primum* est, intentio loquentis, nimirum quod illud dixerit non serio, non enim intendebat colere Baal, sed fide et simulate ut omnes cultores Baal in unum colligeret et collectos omnes quasi victimas divinæ justitiæ mactaret, ut Deus ei jusserat; quod alias facere nequivisset. Unde S. Hieronymus in cap. II epist. *ad Galat.*, omnino excusat Jehu, dicitque utiliter esse simulationem et quandoque exhibendam, dummodo caveatur mendacium : « Utinam, ait Hieronymus, simulationem assumendam esse in tempore, Jehu regis nos docet exemplum. » Idem censet Abulensis, Cajetanus et alii, imo Adrianus in IV, *Quæst.* I *De Baptismo*, in resp. ad 3, ait licere celare fidem per professionem falsæ religionis, si justa subsit causa : quod tamen alii passim improbant et refellunt, ac merito.

Secundum, quod simulatio et fictio hæc Jehu brevissimo tempore duraret; unde exiguum fuit scandalum : nam mox visuri erant universi animum loquentis plane contrarium : morsum ergo modici temporis Jehu pro nihilo reputavit.

Secundum.

Tertium, quod non jusserit vel exhortatus sit Baalitas ad sacrificandum Baal, sed tantum dixerit : « Ego colam eum amplius : » qua voce tantum interdixit occasionem dare Baalitis, ut animum suum aperirent, et malitiam idololatriæ mente concusam proderent; ut illam deinde ipse succideret. Sic medici dant pharmaca, quæ humores pravos commovent, ut eos deinde emicantes expellant, itaque homini sanitatem restituant. Sic principes mittunt exploratores ad hostes, qui eorum amicos simulent, ut eorum consilia resciscant, et principibus renuntient; uti fecit Chusai transfugiens ad Absalomam, ibique dissipans consilia Achitophelis, II *Reg.* cap. XV, vers. 14. Sic heri explorant fidem servorum et ancillarum, hinc inde ponendo nummos, ut videant an ipsi eos asportent et furentur, an vero fideliter ad herum referant. Hi ergo dant quidem occasionem furti; non tamen ad illud incitant vel invitant.

Tertium.

Dices, Jehu implicite suo exemplo invitavit Baalitas ad sacrificandum Baal. Respondeo, Jehu non invitavit, sed occasionem tantum eis dedit sacrificandi (uti jam dixi de heris) quam sciebat illos arrepturos, idque permisit, ut quod ipsi quotidie faciebant privatim, hoc jam facerent publice, itaque se delegerent, ut ab eo puniri plectique possent. Salius enim erat unum actum sacrificii publicum permittere ad redimenda tot privata eorum sacrilegia. Salius erat sinere eos publice semel idola colere, quam privatim millies et millies, ut hac permissione idololatriam Baal funditus exsinderet.

Quartum, quia magna tunc erat rerum et religionis perturbatio : alii enim colebant Baal, alii vitulos aureos, alii Melchom, alii Chamos, alii Deum verum : quare exiguum fuit hoc Jehu scandalum : quisque enim libere colebat quod volebat. Addunt nonnulli Jehu ambigue fuisse locutum, et per Baal intellexisse Deum verum : hic enim verus est « Baal, » id est omnium Dominus; aut potius per Baal intellexisse dæmonem, *q. d.* Achab coluit Baal, id est dæmonem, victimis animalium : ego amplius eum colam, sed materialiter tantum, victimis hominum, quia Baalitas mactabo et offeram illi non quasi Deo, sed quasi Dei archicarnifici, qui more delectatur sanguine et morte hominum impiorum, ut animas eorum abripiat in tartara : magnum enim festum egit dæmon in mactatione idololatrarum, quam fecit Jehu, eosque quasi victimas sua latissime acceptavit.

Quartum, quia Jehu erat homo militaris; militari ergo sensu et astu hoc militare stratagema adinvenit, ad perdendos simul et semel omnes Baalitas, Dei eque ac suos hostes : quare non studuerat casibus conscientiæ, sed quod zelus honoris Dei et militaris industria ad detegendos hostes, ut ex inopinato eos opprimeret, illi suggerebat, hoc bona fide peregit, idque præsente, juvante, et ut videtur probante Jonadab viro probo, prudente et religioso.

Denique Jehu a Domino laudatus et remuneratus fuit vers. 30.

Simili modo Constantius Imperator Constantini Magni pater, ut agnosceret quinam in familia sua essent veri et cordati Christiani, qui fictii vel timidi et inconstantes, edixit ut qui deos colere vellent, in aula manerent, pristinisque honoribus frocerentur; qui vero id facere nollent, aula excederent. Mox omnes eos qui se deos colere velle dicebant, aula ejecit; cæteros in ea retinuit, eaudamque dedit : « Quomodo, inquit, mihi fidi erunt, qui Deo perfidi fuerunt? » Ita refert Eusebius, lib. I *De Vita Constantini*, cap. IX et X, et Sozomenes, lib. I, cap. VI.

19. SACRIFICIUM ENIM GRANDE EST MIHI BAAL, — *q. d.* Volo grande et solemne sacrificium offerre Baal, ideoque volo Baalitas omnes esse præsentes. Hoc simulabat Jehu, sed vere intendebat ipsosmet Baalitas quasi victimas mactare Deo, eosque offerre dæmoni, quasi Dei carnifici, qui eorum utpote sui cultorum erat dominus et possessor, ideoque eos secum abrepturus erat in gehennam.

20. SANCTIFICATE DIEM SOLEMNEM BAAL, — hoc est, inscite diem festum et sanctum, quo solemniter colamus Baal : sed vos, o Baalitæ, celebris eum formaliter victimis boum, ego vero eum colam materialiter duntaxat mactando et tradendo vos ipsos quasi victimas dæmoni, cui vosmetipsos dicastis, et quasi servos addixistis. Et vere solemne festum egit tum dæmon, cum tot idololatrarum quasi servorum suorum a Jehu cæsorum animas et corpora rapuit. Vocati ergo venerunt ad festum solemne non epuli, sed macelli sui. Sic diabolus in morte Lutheri indixit solemne festum dæmonibus sibi subditis, adeoque omnes circumquaque convocavit ad ejus animam cum triumpho deducendam ad tartara. Id fassi sunt dæmones, qui energumenos possidebant Gellæ, quæ civitas est in Brabantia inter Antverpiam et Lovanium, ubi sancta Dympna, virgo et martyr, a suo patre rege Hybernæ pro virginitate occisa requiescit, et multis miraculis præsertim in energumenis a dæmone liberandis resplendet, uti oculis meis olim conspexi, cum sanctæ hujus virginis lipsana sacra visitarem. Gellæ, inquam, eo die quo mortuus est Lutherus, omnes energumeni a dæmonibus fuere liberi : sed postero die rursus ab iisdem possessi et exagitati. Rogati dæmones causam, dixere se pridie convocatos ad magni amici sui Martini Lutheri funus, illi interfuisse ac festum agitasse : principem enim ipsorum et archidæmonem præcepisse, ut universi spiritus maligni ad sui prophetæ et fidelis cooperarii Lutheri exequias confluerent : congreure enim ut qui quamplurimos ad inferos deduxisset, a quamplurimis ad eosdem solemniter deduceretur. Uti inter alios narrat Tilmanus Bredenbachius, lib. VII *Collat. sacr.* cap. XXXIX, qui et addit innumerabilem corvorum horrendum in modum crocitantium copiam (erant illi dæmones) cadaver Lutheri supervolitasse, illudque Idebio Wittenbergam ad sepulcrum usquecomita tam fuisse. Simile festum egerunt dæmones in morte Udonis Magdeburgensis præsulis, uti idem Bredenbachius, lib. VIII, cap. XIV, ex Nauclero, Fulgosio, P. Canisio, fuse quarrat.

Festum dæmonum in morte Lutheri.

21. ET VENERUNT CUNCTI SERVI BAAL. — « SERVOS » vocat devotos Baal, præsertim sacerdotes, ut patet vers. 19, unde et vers. seq. jussit eis dari vestes, scilicet sacerdotales et sacras : non enim videntur omnes omnino, qui Baal adorabant, venisse, aut templo uno capi potuisse. Sic *Actor.* cap. XVII, vers. 4, « colentes » vocantur viri pii et religiosi Deum pie colentes. Abulensis tamen censet omnes omnino profitendes cultum Baal vocatos venisse ad diem solemnem Baal : licet enim tempore Achab fuerint illi in magno numero, tamen paulo post agente Josaphat rege pio, multi ex eis ad cultum unius veri Dei redierunt.

ET REPLETA EST DOMUS BAAL, A SUMMO USQUE AD SUMMUM, — scilicet ab extremo in extremum. Septuaginta, *et repleta est domus super os* : Chaldæus, *ex angulo in angulum*.

22. PROFERTE VESTIMENTA UNIVERSIS SERVIS BAAL, — scilicet sacerdotalia vel sacra, qualibus utebantur Levitæ et Nathinæi, sive ministri sacerdotum : non ergo dedit eis vestes laicas in præmium. Hæc enim magna multis fuisset idololatriæ et peccati illecebra, ut pro vestibus sic cultores Baal esse mentirentur. Addit Abulensis, Jehu eis victimas ad sacrificium suppeditasse et invitasse ad sacrificandum, idque sine culpa. Verum id ona nequit : invitare enim ad sacrificandum idolo, culpa est et

scelus, quocumque fine id fiat. Sufficit ergo Jehu, quod eis paratos ad sacrificandum permitteret sacrificare.

23. ECCE UT SINT SERVI BAAL SOLI. — « Nolle se dicens, ait Josephus, ut sacris eorum alienus ac profanus nullus se ingerat. » Prudenter id providit Jehu, ne quis innocens Deique cultor, sed soli nocentes Baalitæ mactarentur.

24. ANIMA EJUS ERIT PRO ANIMA ILLIUS. — « Interminatus, ait Josephus, quicumque aliquem eorum elabi permiserit, vicarium pro illo moriturum. »

25. FACTUM EST AUTEM CUM COMPLERETUR ESSET HOLOCAUSTUM. — Hebræus, Chaldæus et Septuaginta Romana habent in singulari : *Cum consummasset*, scilicet sustentus sacerdos Baal. Septuaginta Græca et Complutensis habent in plurali : *Et factum est ut complerent facientes holocaustum* ; utrumque verum : plures enim in pluribus altaribus pleva offerebant holocausta.

ET PROJECERUNT (cadavera eorum) SULTES ET DUCES — Jehu.

26. ET IERUNT IN CIVITATEM TEMPLI BAAL, ET PROTULERUNT STATUAM DE FANO BAAL, ET COMBUSSERUNT — Vastatur civitas quædam propriæ fuisse dicuba Baal, e cujus templo statuam Baal eduxerunt et combusserunt. Valablus et Sallianus per « civitatem » intelligunt civitates, ut sit enallage numeri, quasi dicat : Jussu missuque Jehu iverunt in quaslibet civitates Israel, ex eisque eduxerunt idola Baal et combusserunt ; idque eos fecisse valde est probabile ; nam ut sequitur : « Delevit itaque Jehu Baal de Israel, » quod non fecisset si in una tantum civitate eum delevisset. Denique posset esse hypallage : « Ierunt in civitatem templi, » id est ierunt in templum civitatis : templum enim hoc ab Achab in Samaria ædificatum erat vastum et amplum, habens varia domicilia annexa instar parvæ civitatis, quasi dicat : Postquam in templo cesi sunt omnes ei soli cultores Baal, Jehu cum satis ingressus est ipsum templum, an statuam Baal eduxit et combussit. Unde Septuaginta Regia et Complutensis non habent *civitatem*, sed tantum *ierunt usque ad templum Baal*, idque valde huic loco est appositum et congruum.

29. VERUMTAMEN A PECCATIS (a vitulis aureis adorandis) JEROBOAM, etc., NON RECESSIT. — Mira fuit hæc Jehu et cæterorum regum Israel vecordia vel fatuitas, quod cum viderent se jussu Dei delere domos Achab, aliorumque regum ob idolorum aliarum, ipsi tamen eadem si non numero, certe specie colerint ; ideoque eamdem Dei manum vindicem senserunt, ac cum posterie excisi sunt. Causa fuit politica, quod meturent, ne si rediret populus ad Iesum adorandum in Jerusalem, rediret pariter ad stirpem Davidis et regos regnantes in Juda. Sed vanus fuit hic eorum metus : Deum enim vadem habebant : ille enim promiserat, si se solum colerent, regnum eis fore stabile, et propagandum in posteros per multa sæcula.

30. QUIA STUDIOSE FECISTI, etc., FILII TUI USQUE AD QUARTAM GENERATIONEM SEDEBUNT SUPER THRONUM ISRAEL. — promisso Dei respondit eventus : nam Jehu regnavit 28 annis, huic successit filius Joachaz per 17 annos, huic filius Joas per sedecim, huic filius Jeroboam per 41, huic filius Zacharias per sex menses.

Porro Hebræi censent prophetam hæc promitentem Jehu fuisse Jonam prophetam quandam e minoribus. Verum Jonas non floruit sub Jehu, sed sub Jeroboam abnepote Jehu. Quare melius Nicephorus in Chron. et Sallianus censent prophetam hunc fuisse Eliseum, qui primitus unxerat Jehu in regem, ut dictum est cap. IX, vers. 1 et 2.

Vindictæ Jehu statim post cæsos Baalitas et eversum Baal, hanc promissionem a Deo in præmium accepisse, licet Abulensis censeat id factum postquam Jehu cœpit colere vitulos, ideoque a Deo similari hanc processionem ad quartam generationem. Sed cultum vitulorum punivit mox Deus per Hazael regem Syriæ invadentem terram Israel, uti illico subditur : tunc ergo non præmii, sed punitionis fuit tempus.

Denique contra idola et vitulos Jehu misit Deus prophetas, qui sua oracula et minas in eum, et Israelem illi in scelere ad plaudentem dicturant et scriberent ; quorum primus fuit Osee, qui cœpit prophetare sub Jehu, vel paulo post Jehu. Unde cap. I, vers. 4, ait : « Adhuc modicum, et visitabo sanguinem Jezrahel super domum Jehu, » et cap. VII, vers. 1 : « Cum sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim, » puta Jehu et decem tribuum, quarum caput erat Ephraim. Causam subdit populi in idola proritatem consuetudine firmatam, quæ Jehu idololatriam fovit et promovit. Unde cap. ult. vers. 3 : « In malitia sua lætificaverunt regem, etc., quicquid paululum civitas a commixtione fermenti, donec fermentaret a totum, etc. Quia applicaverunt quasi clibanus cor suum, cum insidiaretur eis. » Vide ibi dicta.

32. PERCUSSITQUE EOS HAZAEL IN UNIVERSIS FINIBUS ISRAEL. — urbes cremando, juvenes occidendo, parvulos elidendo, prægnantes dissecando, uti eis prædixerat Eliseus, cap. VIII, vers. 12.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Athalia, exstincto semine regio, regnat : occidit eam Joiada Pontifex, ac regem constituit Joas Ochoziæ filium.

1. Athalia vero mater Ochoziæ, videns mortuum filium suum, surrexit, et interfecit omne semen regium. 2. Tollens autem Josaba filia regis Joram, soror Ochoziæ, Joas filium Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur, et nutricem ejus, de triclinio : et abscondit eum a facie Athaliæ, ut non interficeretur. 3. Eratque cum ea sex annis clam in domo Domini : porro Athalia regnavit super terram. 4. Anno autem septimo misit Joiada, et assumens centuriones et milites, introduxit ad se in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus : et adjurans eos in domo Domini ostendit eis filium regis : 5. et præcepit illis, dicens : Iste est sermo, quem facere debetis : 6. Tertia pars vestrum introeat sabbato, et observet excubias domus regis. Tertia autem pars sit ad portam Sur : et tertia pars sit ad portam, quæ est post habitaculum scutariorum : et custodietis excubias domus Messa. 7. Duæ vero partes e vobis, omnes egredientes sabbato, custodiant excubias domus Domini circa regem. 8. Et vallabitis eum, habentes arma in manibus vestris : si quis autem ingressus fuerit septum templi, interficiatur : eritisque cum rege introeunte et egrediente. 9. Et fecerunt centuriones juxta omnia, quæ præceperat eis Joiada sacerdos : et assumentes singuli viros suos, qui ingrediebantur sabbatum, cum his qui egrediebantur sabbato, venerunt ad Joiadam sacerdotem. 10. Qui dedit eis hastas, et arma regis David, quæ erant in domo Domini. 11. Et steterunt singuli habentes arma in manu sua, a parte templi dextera, usque ad partem sinistram altaris et ædis, circum regem. 12. Produxitque filium regis, et posuit super eum diadema, et testimonium : feceruntque eum regem, et unxerunt : et plaudentes manu, dixerunt : Vivat rex. 13. Audivit autem Athalia vocem populi currentis : et ingressa ad turbas in templum Domini, 14. vidit regem stantem super tribunal juxta morem, et cantores, et tubas prope eum, omnemque populum terræ lætantem, et canentem tubis : et scidit vestimenta sua, clamavitque : Conjuratio, conjuratio. 15. Præcepit autem Joiada centurionibus, qui erant super exercitum, et ait eis : Educite eam extra septa templi, et quicumque eam secutus fuerit, feriatur gladio. Dixerat enim sacerdos : Non occidatur in templo Domini. 16. Imposueruntque ei manus, et impegerunt eam per viam introitus equorum, juxta palatium, et interfecta est ibi. 17. Pepigit ergo Joiada fœdus inter Dominum, et inter regem, et inter populum, ut esset populus Domini, et inter regem et populum. 18. Ingressusque est omnis populus terræ templum Baal, et destruxerunt aras ejus, et imagines contriverunt valide : Mathan quoque sacerdotem Baal occiderunt coram altari. Et posuit sacerdos custodias in domo Domini. 19. Tulitque centuriones, et Cerethi et Pholeti legiones, et omnem populum terræ, deduxeruntque regem de domo Domini : et venerunt per viam portæ scutariorum in palatium, et sedit super thronum regum. 20. Lætatusque est omnis populus terræ, et civitas conquievit : Athalia autem occisa est gladio in domo regis. 21. Septemque annorum erat Joas, cum regnare cœpisset.

1. ATHALIA VERO MATER OCHOZIÆ, VIDENS MORTUUM FILIUM SUUM (Ochoziam occisum a Jehu, cap. IX, vers. 27,) SURREXIT (erexit se), ET INTERFECIT OMNE SEMEN REGIUM, — scilicet omnes Ochoziæ regis filiique sui filios, ideoque nepotes suos cæterosque ex regibus progratos. « Athalia » impia filia fuit impii Achab et Jezabelis, nupta Joram filio Josaphat regi Juda, ex eoque genuit Ocho-

riam : quare videns Ochoziam filium suum occisum a Jehu, invasit regnum, ut omnes filios regis, quorum ipsa erat avia, interficeret. Mira fuit et barbara hæc ejus feritas et impietas, qua quasi altera Medea (cujus tragœdiam vide apud Senecam) suos filios, id est nepotes jugulavit. Fecit hoc partim ex rabie et furia, partim ambitione, ut sola nomine proprio, non quasi avia et nutrix nepotum, libere regnaret; partim ex invidia, ut everso funditus Achab et Jezabelis, quorum ipsa erat filia, everterat pariter domum Davidis, cui ipsa per veritatem et propagationem regni invidebat. Ita Josephus. Addit Theodoretus : « Athalia, inquit, impia et tyrannica voluit omne genus Davidis, quantum plum, radicitus extirpare, ut arrepto imperio populum suum impietatem doceret. » Addunt alii, ut ex totis regni viribus armaret contra Jehu, qui domum Achab everterat, ejusque eversionem, bellum vel necem Jehu inferendo, ulcisceretur. Athalia similis fuit Orithiæ impiæ et sceleratæ matri S. Wenceslai regis Bohemiæ et martyris, quæ fratrem quotidie aliqui in Wenceslai necem impulit : sed cæligenæ ejus Deus : nam vivam terra absorpsit, ut narrat ex Æneæ Sylvio et aliis enarravi, Gen. cap. IV.

Sub Athalia floruit Lycurgus, qui paulo post ex Minois legibus, quas ille Cretensibus dederat, aliisque leges dedit Lacedæmoniis; floruit enim Lycurgus ante Solonem et Draconem circa annum a capta Troja 250, ante Romam conditam anno 150, ante Olympiades anno 125, ante Christum anno 900, uti ex Clemente et Eusebio Salianus anno mundi 3453.

2. FOLLENS AUTEM JOSABA FILIA REGIS JORAM, SOROR OCHOZIÆ, JOAS FILIUM OCHOZIÆ, FURATA EST EUM, etc., ET ABSCONDIT EUM A FACIE ATHALIÆ, UT NON INTERFICERETUR. — Josephus, lib. IX *Antiq.* cap. VII, asserit Josabam fuisse uxorem Joiadæ Pontificis, ideoque Joiadam quasi avunculum Joas, et quasi Pontificem eum in regnum restituisse. Errat ergo Philo, vel potius Pseudo-Philo in breviario temporum, quem scripsit Joannes Annius et Joannes Lucidus, dicens, in Ochozia defecisse stirpem Salomonis, quotquot enim eum sequuntur, descendere ex Nathan non ex Salomone; nam diserte Joas hic vocatur filius Ochoziæ, qui ex Salomone, non ex Nathan descendit. Frivolum ergo est quod iidem addunt, ideireo Joas, Amasiam et Ochoziam omitti in genealogia Christi, *Matth.* I, quod in Ochozia fecerit stirps Salomonis.

6. TERTIA PARS VESTRUM INTROEAT SABBATO (domum Domini sive templum), ET OBSERVET CUSTODIAS DOMUS REGIS, — id est custodiat portam templi vergentem ad regiam. Ita Abulensis, Cajetanus et alii. Dividit Joiada milites in tres partes, ut tria loca custodiendo ad unum regis tutelam, et ad Athaliæ coercitionem custodirent. Porro militum horum, nostrorum partem Joiada assumpsit ex Levitis, quibus ipse præerat quasi Pontifex, ut ne S. Hieronymus in lib. II *Paral.* id ita esse patet ex II *Paral.* XXIII, 11, ubi sic clare explicatur : « Dederunt, inquit, in manu ejus tenendam legem. » Hæc enim ceremonia in auguratione regis erat prescripta a Deo *Deuter.* XVII. Lex enim, sive Deuteronomium (id est secunda lex, hoc est legis repetitio facta a Moyse in Deuteronomium), vocatur « testimonium, » scilicet voluntatis divinæ, quia in ea edicebat et protestabatur Deus, quid ab Hebræis vellet fieri. Hæc omnia jure erat Joiada, tum quia avunculus erat pueri Joas cui regnum debebatur, ideoque quasi ejus tutor, curare debebat ut illud ab Athalia, quæ invaserat, auferretur, et Joas regi restitueretur, ac vice Joas sui pupilli illud administrare tenebatur; tum quia erat Pontifex, ad quem deficiente rege vel principe spectabat cura uti Synagogæ, sic et Reipublicæ. Ibique illius erat curare, ut Athalia hostis Israelis, quæ Reipublicam simul et religionem everterat, a regno amoveretur, et alius princeps sive rex, cui illud jure competebat, crearetur, qui utramque conservaret et promoveret.

14. POPULUM TERRÆ, — id est plebem, hæc enim vilis est, et « in terram » quasi abjecta, ac in terrena projecta.

16. ET INTERFECERUNT EAM, — id est impactis manibus vi extraxerunt eam extra templum, ut foris eam occiderent, ne templum cæde et sanguine tam impiæ mulieris polluerent.

19. CERETHI ET PHELETHI, — quinam hi fuerint

dixi lib. II, cap. VIII. Hebraice est *duces et cursores*, id est milites expeditos, uti sunt velites. Noster nominavit, *Cerethi et Phelethi*, quia hi erant prætoriani et fortissimi milites, qui in hoc facinore maxime erant necessarii.

20. OCCISA EST GLADIO IN DOMO REGIS, — id est juxta domum, sive palatium regis, ut dictum est vers. 16. Congrue ibi cæditur, ubi peccatur; invaserat enim palatium et regnum. Quare verum non est quod ait Josephus, lib. IX, cap. VII, Athaliam protractam fuisse ad torrentem Cedron, ibique occisam; fieri tamen potuit, ut cadaver occisæ in torrentem Cedron projiceretur.

Athaliæ et Jezabeli similis in impietate atque ne Numinis vindicta tempore S. Gregorii Magni Pontificis fuit Brunichildis multorum regum Francia mater et avia. Hæc enim ut perpetuo regnaret, ac regina moreretur, Theodoricum regem, cujus ipsa erat avia, concubinarum amoribus implexum detinebat, ideoque S. Columbanum cum relinquentem Gallia expulit ac Desiderium Viennensem et Dolinum Lugdunensem Episcopos occidit, atque decem reges sua opera et consilio extinxit; sed tandem a Clothario rege capta, ac curulo primo impositia et circumducta ludibrium fuit totius populi, deinde indomiti equi cauda per capillos alligata, raptataque, calcibus equi dispersum fuit ejus cerebrum, reliqua vero membra per asperas saxa, sentes et rupes protracta, discerpta fuere, uti ex Aimoino narrat Baronius anno Christi 612.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Joas rex restaurat templum, mox, vers. 18, redimit bellum et excidium Jerosolymæ auro tam sacro quam profano misso ad Hazael bellum molientem. Denique, vers. 20, a servis suis occiditur.

1. Anno septimo Jehu, regnavit Joas : et quadraginta annis regnavit in Jerusalem, nomen matris ejus Sebia de Bersabee. 2. Fecitque Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Joiada sacerdos. 3. Verumtamen excelsa non abstulit : adhuc enim populus immolabat, et adolebat in excelsis incensum. 4. Dixitque Joas ad sacerdotes : Omnem pecuniam sanctorum, quæ illata fuerit in templum Domini a prætereuntibus, quæ offertur pro prelio animæ, et quam sponte et arbitrio cordis sui inferunt in templum Domini : 5. accipiant illam sacerdotes juxta ordinem suum, et instaurent sartatecta domus, si quid necessarium viderint instauratione. 6. Igitur usque ad vigesimum tertium annum regis Joas non instauraverunt sacerdotes sartatecta templi. 7. Vocavitque rex Joas Joiadam pontificem et sacerdotes, dicens eis : Quare sartatecta non instauratis templi? nolite ergo amplius accipere pecuniam juxta ordinem vestrum, sed ad instaurationem templi reddite eam. 8. Prohibitique sunt sacerdotes ultra accipere pecuniam a populo, et instaurare sartatecta domus. 9. Et tulit Joiada pontifex gazophylacium unum, aperuitque foramen desuper, et posuit illud juxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini, mittebantque in eo sacerdotes, qui custodiebant ostia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini. 10. Cumque viderent

nimiam pecuniam esse in gazophylacio, ascendebat scriba regis, et pontifex, effundebantque, et numerabant pecuniam, quæ inveniebatur in domo Domini : 11. et dabant eam juxta numerum atque mensuram, in manu eorum qui præerant cæmentariis domus Domini : qui impendebant eam in fabris lignorum, et in cæmentariis iis, qui operabantur in domo Domini, 12. et sartatecta faciebant : et in iis, qui cædebant saxa, et ut emerent ligna, et lapides, qui excidebantur, ita ut impleretur instauratio domus Domini, in universis quæ indigebant expensa ad muniendam domum. 13. Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini, et fuscinulæ, et thuribula, et tubæ, et omne vas aureum et argenteum, de pecunia quæ inferebatur in templum Domini, 14. iis enim qui faciebant opus, dabatur ut instauraretur templum Domini : 15. et non fiebat ratio iis hominibus, qui accipiebant pecuniam ut distribuerent eam artificibus, sed in fide tractabant eam. 16. Pecuniam vero pro delicto, et pecuniam pro peccatis, non inferebant in templum Domini, quia sacerdotum erat. 17. Tunc ascendit Hazael rex Syriæ, et pugnabat contra Geth, cepitque eam : et direxerit faciem suam ut ascenderet in Jerusalem. 18. Quam ob rem tulit Joas rex Juda omnia sanctificata, quæ consecraverant Josaphat et Joram et Ochozias, patres ejus reges Juda, et quæ ipse obtulerat : et universum argentum, quod inveniri potuit in thesauris templi Domini, et in palatio regis : misitque Hazaeli regi Syriæ, et recessit ab Jerusalem. 19. Reliqua autem sermonum Joas, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Juda? 20. Surrexerunt autem servi ejus, et conjuraverunt inter se, percusseruntque Joas in domo Mello in descensu Sella. 21. Josachar namque filius Semaath, et Jozabad filius Somer, servi ejus, percusserunt eum, et mortuus est : et sepelierunt eum cum patribus suis in Civitate David, regnavitque Amasias filius ejus pro eo.

3. Verumtamen excelsa non abstulit. — timore populi in illa propensi, ne ille seditionem moveret. Vide quæ de excelsis dixi superius, III *Reg.* III, 2.

4. Omnem pecuniam sanctorum. — id est sanctificatorum, sive consecratorum ; *q. d.* omnem pecuniam Deo oblatam et consecratam accipiant sacerdotes, etc.

A prætereuntibus. — Hebraice, *a transeunte*, scilicet in numerum et censum, id est ab omni qui numeratur, solvitque censum. Ad hunc enim tenebantur soli illi qui attigerant vel excesserant annum vigesimum, *Exodi* XXX, 14.

Quæ offertur pro pretio animæ, — id est pro censu suo. Jusserat enim Deus, ut quisque Hebræus in censu pro capite suo solveret dimidium siclum, id est duos Julios sive duos regales. Hoc « pretium » vocatur « animæ, » id est vitæ sive hominis viventis, tum quia filiorum qui toti erant Deo dicati, hoc pretio quasi vitam ab eo redimebant ; tum quia solvendo hoc pretium, a Deo tacito postulabant et impetrabant, ut Deus eis vitam prorogaret, eamque faceret longam, sanam et prosperam, uti dixi *Exodi* XXX, 12.

5. Et instaurent sartatecta domus. — Dei, scilicet templi, ut scilicet restaurent quæ longitudine temporis vetustate consumpta, corrosa et ruinosa sunt, quæque Athalia demolita est et abstulit. Nam ut dicitur II *Paral.* XXIV, 7 : « Athalia impiâ eam, et filii ejus destruxerunt domum Dei, et de universis quæ sanctificata fuerant in templo Dei ornaverunt fanum Bealim. »

7. Quare sartatecta non instauratis templi? — Dupliciter peccabant sacerdotes : *primo*, quod negligentes essent in exigenda pecunia pro censu debita templo ex lege *Exodi* XXX, 12 ; *secundo*, quod eam non in sartatecta templi, sed in alios ac vitiosos in privatos et proprios usus expenderent. Quare jure cum eis expostulavit rex Joas, eisque hoc colligendo et servando pecunias pro templi fabrica officium abstulit, eosque pecuniam in gazophylacium inferre præcepit, vers. 9.

8. Prohibitique sunt sacerdotes, — non inviti sed volentes et consentientes. Unde pro « prohibiti sunt » Hebraice est וַיֹּאתוּ *iverunt*, id est *consenserunt*, voluerunt, annuerunt. Chaldæus, *contenti fuerunt*, quia, ut ait Josephus, sciebant multos e populo esse difficiles ad solvendum censum, ac neminem libenter argentum erogare.

13. Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini, et fuscinulæ, et thuribula, etc., — quamdiu scilicet durabat restauratio templi : hæc enim utpote magis necessaria præire debebat ; qua peracta reliquum pecuniæ expensum est in hydrias, aliaque vasa templi, ut patet II *Paral.* XXIV. Ita Abulensis, Cajetanus et alii.

15. Et non fiebat ratio, etc. (*q. d.* non exigebatur ratio et computus a receptoribus pecuniæ, quia sciebant omnes quod) in fide tractabant eam, — quod scilicet omnia expenderent in fabricam templi, et nihil in proprios usus decerperent. Ita Chaldæus, Vatablus et alii.

16. Pecuniam vero pro delicto, et pecuniam pro peccatis, non inferebant in templum Domini, quia sacerdotum erat. — Vatablus, *pecunia quæ superet ex empta victima pro delicto vel peccatis, non inferebatur in ædem Domini, quod sacerdotum esset.* Qui enim longe a templo habitabant, non victimam, sed pecuniam mittebant ad unum e sacerdotibus, qui victimam emebat, et quod reliquum erat pecuniæ empta victim[illegible], id cedebat in utilitatem sacerdotum. Ita Vatablus. Abulensis vero sic explicat, quasi hic agatur de delicto et peccato contra sacerdotem admisso, ut si quis abstulisset id quod de victimis ad sacerdotem pertineret ; tunc enim præter illatum damnum, et victimam pro illo peccato, quintam etiam partem insuper in pecunia debuit offerre sacerdoti. Audi legem *Levit.* V, 15 : « Anima si prævaricans cæremonias, per errorem, in his quæ Domino sunt sanctificata peccaverit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, juxta pondus sanctuarii ; ipsumque quod intulit damnum restituet, et quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti. » Idem de delicto sancitur *Num.* V, 6. Quid intersit inter « delictum » et « peccatum » dixi *Levit.* VII, 1.

17. Tunc ascendit Hazael rex Syriæ, etc., et direxit faciem suam, ut ascenderet in Jerusalem. — Quia Deus per Hazael castigare volebat Joas regem, qui post mortem Joiadæ depravatus a consiliariis Athaliæ, deflexit ad idola, ideoque occidit Zachariam filium Joiadæ, eo quod eum de idololatria argueret. Atque ob hanc cædem sacrilegam Joas ipse cæsus est a famulis suis, et regia sepultura caruit ; quæ omnia fuse narrantur II *Paral.* XXIV. Porro ad hanc idololatrarum castigationem peragendam, jusserat Deus Eliæ, ut Hazael ungeret in regem Syriæ, III *Reg.* cap. XIX, vers. 16.

18. Quam ob rem tulit Joas rex Juda omnia sanctificata, quæ consecraverant Josaphat, etc. et universum aurum, quod inveniri potuit in thesauris templi Domini, et in palatio regis : misitque Hazael regi Syriæ, et recessit ab Jerusalem. — Ab hoc exemplo colligi ait Cajetanus, quod pecunia et thesauri Ecclesiarum licite impendantur pro redimenda vexatione populi, qualis erat hic obsidio Jerusalem ; simul tamen cum toto thesauro regio. Iniquum enim esset inchoare lytrum ab expilatione Ecclesiarum : sed ubi publicus regiusque thesaurus non sufficit, Ecclesiarum opes subvenire et supplere debent. Hæc Cajetanus. Audi S. Ambrosium, lib. II *Offic.* cap. XXVIII, tres casus recensentem, in quibus licet vasa sacra in laicos usus convertere : « Sane si quis in sua derivat emolumenta, crimen est ; sin vero pauperibus erogat, captivum redimit, misericordia est. Nemo enim potest dicere, cur pauper vivit? nemo potest queri, quia captivi redempti sunt ; nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est ; nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt, nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum est. In his tribus generibus vasa Ecclesiæ etiam immuta confringere, conflare, vendere licet. » Quæ S. Ambrosii verba transcripta sunt in jus Canonicum, exstantque XII, *Quæst.* II, cap. *aurum*, § *nemo potest*.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Remanet in Israel successive Joachaz, Joas et Jeroboam, vers. 1-8, moriens Eliseus victoriam triplicem contra Syros regi Joas promittit, ac vers. 21, jam mortuus mortuum contactu ossium suorum suscitat. Denique, vers. 24, moritur Hazael, cui successit Benadad filius, quem tertio pugnando vincit Joas juxta oraculum Eliæi.

1. Anno vigesimo tertio Joas filii Ochoziæ regis Juda, regnavit Joachaz filius Jehu super Israel in Samaria decem et septem annis. 2. Et fecit malum coram Domino, secutusque est peccata Jeroboam filii Nabath, qui peccare fecit Israel, et non declinavit ab eis. 3. Iratusque est furor Domini contra Israel, et tradidit eos in manu Hazael regis Syriæ, et in manu Benadad filii Hazael cunctis diebus. 4. Deprecatus est autem Joachaz faciem Domini, et audivit eum Dominus : vidit enim angustiam Israel, quia attriverat eos rex Syriæ : 5. et dedit Dominus salvatorem Israeli, et liberatus est de manu regis Syriæ, habitaveruntque filii Israel in tabernaculis suis sicut heri et nudiustertius. 6. Verumtamen non recesserunt a peccatis domus Jeroboam, qui peccare fecit Israel, sed in ipsis ambulaverunt : siquidem et lucus permansit in Samaria. 7. Et non sunt derelicti Joachaz de populo nisi quinquaginta equites, et decem currus, et decem millia peditum : interfecerat enim eos rex Syriæ, et redegerat quasi

pulverem in tritura areæ. 8. Reliqua autem sermonum Joachaz, et universa quæ fecit, et fortitudo ejus, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 9. Dormivitque Joachaz cum patribus suis, et sepelierunt eum in Samaria : regnavitque Joas filius ejus pro eo. 10. Anno trigesimo septimo Joas regis Juda, regnavit Joas filius Joachaz super Israel in Samaria sedecim annis, 11. et fecit quod malum est in conspectu Domini, non declinavit ab omnibus peccatis Jeroboam filii Nabath, qui peccare fecit Israel, sed in ipsis ambulavit. 12. Reliqua autem sermonum Joas, et universa quæ fecit, et fortitudo ejus, quomodo pugnaverit contra Amasiam regem Juda, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 13. Et dormivit Joas cum patribus suis : Jeroboam autem sedit super solium ejus. Porro Joas sepultus est in Samaria cum regibus Israel. 14. Eliseus autem ægrotabat infirmitate, qua et mortuus est : descenditque ad eum Joas rex Israel, et flebat coram eo, dicebatque : Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus. 15. Et ait illi Eliseus : Affer arcum, et sagittas. Cumque attulisset ad eum arcum, et sagittas, 16. dixit ad regem Israel : Pone manum tuam super arcum. Et cum posuisset ille manum suam, superposuit Eliseus manus suas manibus regis, 17. Et ait : Aperi fenestram orientalem. Cumque aperuisset, dixit Eliseus : Jace sagittam. Et jecit. Et ait Eliseus : Sagitta salutis Domini, et sagitta salutis contra Syriam : percutis que Syriam in Aphec, donec consumas eam. 18. Et ait : Tolle sagittas. Qui cum tulisset, rursum dixit ei : Percute jaculo terram. Et cum percussisset tribus vicibus, et stetisset, 19. iratus est vir Dei contra eum, et ait : Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem : nunc autem tribus vicibus percuties eam. 20. Mortuus est ergo Eliseus, et sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno. 21. Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver in sepulchro Elisei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, et stetit super pedes suos. 22. Igitur Hazael rex Syriæ afflixit Israel cunctis diebus Joachaz, 23. et misertus est Dominus eorum, et reversus est ad eos propter pactum suum, quod habebat cum Abraham, et Isaac, et Jacob : et noluit disperdere eos, neque projicere penitus, usque in præsens tempus. 24. Mortuus est autem Hazael rex Syriæ, et regnavit Benadad filius ejus pro eo. 25. Porro Joas filius Joachaz tulit urbes de manu Benadad filii Hazael, quas tulerat de manu Joachaz patris sui jure prælii, tribus vicibus percussit eum Joas, et reddidit civitates Israel.

1. Anno vigesimo tertio Joas filii Ochoziæ regis Juda, regnavit Joachaz filius Jehu super Israel. — Tempore Joas regis Juda, scilicet anno regni ejus decimo conditam esse Carthaginem Romæ æmulam a Didone, quæ ex Tyro, regnante Pygmalione, navigavit in Africam, eamque condidit, tradit Josephus ex Tyriorum annalibus libro I *Contra Appionem*, quem sequuntur Torniellus, Gordonus, Salianus, Scaliger, licet alii alio tempore conditam velint. Sunt enim ea de re varia variorum sententiæ. Juxta hanc sententiam Carthago condita est centum et triginta annis ante Romam. Rursus anno decimo quarto Joas, Lycurgus leges dedit Spartanis, quæ Gentiles celebrant, sed Christianis legibus longe sunt inferiores : nam et mulieribus luxuriose vivere, et adulteri, atque pueris et adolescentibus furari permittunt, ut scilicet fiant callidi, utque quisque rem suam diligentius custodiat. Quare eas improbat, culpatque Aristoteles, lib. II *De Repub.* cap. IX. Eodem anno 14 Joas, cœperunt certamina Olympica, indeque nominatæ et computatæ Olympiades, institutæ vel potius instauratæ ab Iphito rege Elidis, qui Lycurgo fuit coævus; uti ex Plutarcho in Lycurgo, Aristotele et Pausania docet Salianus. Nomina tamen victorum in Olympicis cœpta fuere describi post 27 Olympiades, nimirum Olympiade 28, in qua primus victor describitur Corœbus : quare communiter ab hac Olympiade numerantur Olympiades, ac vigesima vocatur prima, quæ juxta computum Saliani incidit in annum Jotham regis Juda primum, qui fuit annus mundi 3278, ante Christum 775, licet alii aliter hos annos assignent; nusquam enim major sententiarum diversitas, quam in chronologia.

3. Et dedit Dominus salvatorem Israel. — Quis hic salvator? Aliqui censent fuisse Angelum præsidem et tutelarem Israelis, qui pro eo contra Syros pugnarit et vicerit, uti pugnavit Angelus pro Ezechia contra Sennacherib, occidens 185 millia Assyriorum. Alii volunt fuisse hominem et ducem certum a Deo missum, sed in Scriptura innominatum, ideoque nobis incognitum et incertum. Melius alii censent fuisse Eliseum. Ita Cajetanus. Aut certe Joas regem Israel ab Eliseo confortatum, qui hostio Syros superavit, ut sequitur. Quare toto tempore Joachaz afflictus fuit Israel a Syris, ut dicitur vers. 22. Post Joachaz vero succedens Joas Syros depressit, et Israeli libertatem restituit. Unde Joachaz oravit Deum pro salute Israelis, eam impetravit pro tempore regni, non sui sed filii sui Joas. Ita Abulensis.

7. Et non sunt derelicti Joachaz de populo nisi quinquaginta equites. — Hic versus confirmat id quod jam dixi : quare connectendus est cum vers. 3, et ponendus ante versum 4, ubi per hyperbaton interjicitur deprecatio Joachaz, ejusque exauditio, ac promissio liberationis faciendæ per Joas. Ita Sanchez.

Et redigebat quasi pulverem in triturationem aree, — id est Hazael comminuit et contrivit Israelitas, sicut comminui et conteri solet gluma et pulvis in area. Ita Abulensis.

8. Et fortitudo ejus, — Joachaz licet victus ab Hazaele, utpote potentiore, fortiter tamen in prælis se gessit, et defendit se quoad potuit.

14. Eliseus autem ægrotabat infirmitate qua et mortuus est : descenditque ad eum rex Israel (Joas), et flebat coram eo, dicebatque : Pater mi, currus Israel et auriga ejus : — *q. d.* Tu, o Eliseo, meus et Israelis es pater, utpote qui me meumque regnum magis defendebas, quam magna equitum et curruum multitudo; tu ergo vivens quasi auriga, aurigabas et regebas regnum Israel; nunc te moriente, quis me meosque contra Hazael et Syros defendet? Idem succlamabat Eliseus Elia dum in cœlum raperetur, cap. II, vers. 12; vide ibi dicta.

16. Dixit ad regem Israel : Pone manum tuam super arcum. Et cum posuisset ille manum suam, superposuit (perperam Regia legunt *supposuit*) Eliseus manus suas manibus regis, — ut significaret suum illi auxilium affuturum, etiamsi absentis, imo vita functi; Deum enim propter merita sua ei daturum victoriam; ac se in limbo pro ea Deum oraturum certoque impetraturum. Post mortem ergo viva erat vis et virtus Elisei, ac mira quæ solebat dum viveret, etiam mortuus operabatur. Ita Abulensis, Cajetanus et alii. Unde discant hæretici Sanctos, præsertim post Christum in cœlo regnantes per Deum esse potentes, ut nobis eos invocantibus opitulari possint et velint.

Discant hic principes et cæteri hominum, quantum sanctorum virorum oratio meritis prosint, ac nisi ipsi manus suas manibus et operibus nostris apponant, frustra nos laborare.

Tropologice, Doctor ori prædicationis admoveat manum operationis bonæ, ut quod docet verbo, doceat primus exemplo. Sic efficax erit prædicatio, et auditoribus persuadebit quod prædicat. Ita Angelomus et Eucherius.

17. Aperi fenestram orientalem (ut jaculas sagittam victricem contra Syros, qui Israeli sunt ad Orientem). Cumque aperuisset, dixit Eliseus : Jace sagittam : et jecit, et ait Eliseus : Sagitta salutis Domini, et sagitta salutis contra Syriam, — *q. d.* Oro Deum ut tuas tuncumque mittam sagittas (quas hac mea sagitta ejusque jactu repræsento) et arma, pugna et prælia secundet, dirigat et roboret, ut Syros ferant, maceant et subjiciant; nec tantum id oro, sed idipsum ut prophetæ ex ore Dei tibi prænuntio, et de Syris victoriam promitto, unde subdit :

Percutiesque Syriam in Aphec. — Alludit ad veterum ritum, qui bellum hostibus denuntiabant, et prælium inchoabant jacta in terram hostilem sagitta vel telo, uti fecerant Romani, teste Servio in illud Turni apud Virgilium, IX *Æneidos* :

> Ea, ait, et jaculum intorquens emittit in auras
> Principium pugnæ.

Idem fecere Græci; unde mox ut Persidem attigit « primus Alexander (Magnus), jaculum velut in terram hostilem jecit, » ait Justinus, lib. II. Vide Gellium, lib. XVI, cap. XIV, et Alexandrum ab Alexandria, lib. IV *Genial.* cap. III.

Tropologice Angelomus : « Cum exemplis suis, inquit, Dominus actiones doctorum dirigit et confortat, orientalem fenestram aperire mandat, et jacere sagittam, quia lumine scientiæ et veræ doctrinæ, suos horiatur primum illustrari, et sicut jacula verborum mittere. » Et paulo post : « Sagitta salutis Domini, et sagitta salutis contra Syriam; percutiesque Syriam in Aphec, donec consumas eam. Sagitta ergo salutis Domini, est prædicatio sancta, cum decenter exhibetur et spiritualium hostium certissima interfectio, si perseveranter agitur. Nec fas est ut aliquando dispensator verbi Dei segniter torpeat, cui jussum est ut gregis Dominici curam habeat; quia multum obest devotis auditoribus, si inertia prævalet Doctoribus. Dicit enim Propheta : Clama, ne cesses. » Sic et Eucherius.

In Aphec. — Aphec urbs erat in tribu Issachar hostium clade celebris; dum regem Aphec Josue occidit : « In hac Philisthiim posuerant castra, pugnaturi contra Israel, postea contra Saul, ibidem etiam Syri pugnaverunt contra Achab regem Israel, quando dixerant : Dii montium sunt dii eorum, pugnemus contra eos in vallibus et campestribus, et obtinebimus eos; ubi et Benadad rex Syriæ victus est, » ait Adrichomius.

Donec consumas eam, — subaudi nisi tu impedias, uti factum est. Nam Joas, ter tantum percutiens terram, ter tantum percussit Syros, qui utique sæpius et ad consumptionem eos delevisset, si sæpius terram percussisset, ut patet versu 19.

19. Si percussisses quinquies, aut sexies, aut septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem. — Illa erat voluntas et decretum Dei qui ita libere disposuerat et decreverat, ut Joas toties

007380

percuteret Syriam, quoties percussisset terram; quod decretum Dei sciebat Eliseus, sed jussu Dei noluit indicare regi Joas, ut illius permitteretur arbitrio toties percutere quoties vellet, terram. Si enim Joas scivisset decretum Dei, utique sæpius terram sagitta percussisset.

Simili modo victoriam Josue contra Amalec Deus allegavit extensioni manuum et orationi Moysis, *Exodi* XVII, 11; et ejusdem Josue victoriam contra Chananæos allegavit elevationi clypei Josue, cap. VIII, 18. Porro quod Joas ter tantum percusserit terram, ideoque ter tantum Syros percusserit, ejus peccatis et culturæ vitulorum attribuit Abulensis. Mirum enim fuit et indignum regem, totiès monitum ab Eliseo, ejusque miraculis cernentem, imo victorias contra Syros ope ipsius nanciscentem, non reliquisse cultum vitulorum, ac ad veri Dei sibi tam benefici venerationem se totum transtulisse. Verisimile est eum coluisse Deum verum, quem per Eliseum agnoverat, et simul Deos patrios, scilicet vitulos aureos Jeroboam. Utrosque enim coluit pater ejus Joachas, ut patet vers. 4 et 6. Hinc in eum eique similes reges Israel detonans Deus per Osee cap. XI, 2, ait: « Divisum est cor eorum, nunc interibunt. »

Vers. 20. 20. MORTUUS EST ERGO ELISEUS, ET SEPELIERUNT EUM. — Morienti affuisse Joas regem, ac filios prophetarum discipulos suos jam per totum Israelem propagatos, ultimaque ab eo sanctitatis et religiosæ vitæ monita accepisse non est dubium. Affuisse quoque Amos prophetam, Amasiæ regis fratrem et Isaiæ patrem, asserunt Hebræi in Seder Olam. Prophetavit Eliseus circiter 66 annos sub sex regibus Israel, scilicet sub Achab, Ochozia, Joram, Jehu, Joachaz et Joas. Vixit centum annis et amplius, in religiosa disciplina octoginta, mortuusque est anno mundi 2304, ait Sallanus, Amasiæ regis Juda anno octavo, Joas regis Israel anno decimo, ante Christum anno 849. Ascriptus est catalogo Sanctorum in Martyrologio Romano die 14 junii, ubi sic legimus: « Samariæ in Palæstina S. Elisei prophetæ, cujus sepulcrum dæmones perhorrescere scribit S. Hieronymus. » Auli S. Hieronymum scribentem in principium Abdiæ prophetæ: « Abdiæ sepulcrum cum Mausoleo Elisei, et Joannis Baptistæ in Sebaste venerationi habetur, quæ olim Samaria. » Idem in epitaphio Paulæ addit; illic variis dæmones rugire cruciatibus, et ante sepulcra sanctorum ululare homines more luporum, fremere more leonum, sibilare instar serpentum, mugire boatu taurorum. Refert Cedrenus in Leone magno Imperatore Elisei reliquias Alexandriam translatas fuisse.

Hinc Julianus apostata, ossa Elisei et Baptistæ cum brutorum ossibus commiscens, exurere voluit, ut habet S. Artemii vita apud Lipomanum.

Elogia Elisei vide *Eccli.* XLVIII, 13: « In Eliseo, ait, completus est spiritus ejus (Eliæ), in diebus suis non pertimuit principem, et in potentia nemo vicit illum; » vide ibi dicta. Denique Eliseo in prophetia mox successit Osee, qui sub Ozia filio Amasiæ regis Juda prophetavit, Isaïas, Amos, Jonas, cæterique prophetæ majores et minores.

21. QUOD CUM TETIGISSET OSSA ELISEI, REVIXIT HOMO: — Mira Elisei virtus et sanctitas quod mortuus mortuum ad vitam suscitarit. Fuit ipse hac in re typus Christi, cujus in cruce mortui gratia et meritorum contactu omnes resurgemus. Ita Angelomus, Eucherius et alii. Hinc Eliseo Ecclesiasticus hoc dat elogium, cap. XLVIII, 14: « Et mortuum prophetavit corpus ejus. Prophetavit, » id est miraculum fecit suscitando mortuum. Miracula enim erant opera Prophetarum, id est, virorum et Doctorum sanctorum Israelis.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Gesta Amasiæ filii Joas regis Juda, ac bellum ejus cum Joas rege Israel in quo Amasias victus captivus est, ac Jerusalem spoliata: qui tandem a suis occisus filium reliquit successorem Azariam, sicut Joas rex Israel successit filius Jeroboam, et huic filius Zacharias.

1. In anno secundo Joas filii Joachaz regis Israel, regnavit Amasias filius Joas regis Juda. 2. Viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpisset: viginti autem et novem annis regnavit in Jerusalem, nomen matris ejus Joadan de Jerusalem. 3. Et fecit rectum coram Domino, verumtamen non ut David pater ejus. Juxta omnia, quæ fecit Joas pater suus, fecit: 4. nisi hoc tantum, quod excelsa non abstulit; adhuc enim populus immolabat, et adolebat incensum in excelsis. 5. Cumque obtinuisset regnum, percussit servos suos, qui interfecerant regem patrem suum. 6. Filios autem eorum qui occiderant, non occidit, juxta quod scriptum

est in libro legis Moysi, sicut præcepit Dominus, dicens: Non morientur patres pro filiis, neque filii morientur pro patribus; sed unusquisque in peccato suo morietur. 7. Ipse percussit Edom in valle Salinarum decem millia, et apprehendit petram in prælio, vocavitque nomen ejus Jectehel usque in præsentem diem. 8. Tunc misit Amasias nuntios ad Joas filium Joachaz, filii Jehu regis Israel, dicens: Veni, et videamus nos. 9. Remisitque Joas rex Israel ad Amasiam regem Juda, dicens: Carduus Libani misit ad cedrum quæ est in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem. Transieruntque bestiæ saltus quæ sunt in Libano, et conculcaverunt carduum. 10. Percutiens invalnisti super Edom, et sublevavit te cor tuum; contentus esto gloria, et sede in domo tua; quare provocas malum, ut cadas tu et Judas tecum? 11. Et non acquievit Amasias: ascenditque Joas rex Israel, et viderunt se, ipse et Amasias rex Juda, in Bethsames oppido Judæ. 12. Percussusque est Juda coram Israel, et fugerunt unusquisque in tabernacula sua: 13. Amasiam vero regem Juda, filium Joas filii Ochoziæ, cepit Joas rex Israel in Bethsames, et adduxit eum in Jerusalem; et interrupit murum Jerusalem, a porta Ephraim usque ad portam anguli, quadringentis cubitis. 14. Tulitque omne aurum et argentum, et universa vasa quæ inventa sunt in domo Domini, et in thesauris regis, et obsides, et reversus est in Samariam. 15. Reliqua autem verborum Joas quæ fecit, et fortitudo ejus qua pugnavit contra Amasiam regem Juda, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 16. Dormivitque Joas cum patribus suis, et sepultus est in Samaria cum regibus Israel: et regnavit Jeroboam filius ejus pro eo. 17. Vixit autem Amasias, filius Joas, rex Juda, postquam mortuus est Joas filius Joachaz regis Israel, quindecim annis. 18. Reliqua autem sermonum Amasiæ, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda? 19. Factaque est contra eum conjuratio in Jerusalem: at ille fugit in Lachis. Miseruntque post eum in Lachis, et interfecerunt eum ibi. 20. Et asportaverunt in equis, sepultusque est in Jerusalem cum patribus suis in Civitate David. 21. Tulitautem universus populus Judæ Azariam annos natum sedecim, et constituerunt eum regem pro patre ejus Amasia. 22. Ipse ædificavit Ælath, et restituit eam Judæ, postquam dormivit rex cum patribus suis. 23. Anno quinto decimo Amasiæ filii Joas regis Juda, regnavit Jeroboam filius Joas regis Israel in Samaria, quadraginta et uno anno: 24. et fecit quod malum est coram Domino. Non recessit ab omnibus peccatis Jeroboam filii Nabath, qui peccare fecit Israel. 25. Ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath, usque ad mare Solitudinis, juxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum Jonam filium Amathi prophetam qui erat in Geth, quæ est in Opher. 26. Vidit enim Dominus afflictionem Israel amaram nimis, et quod consumpti essent usque ad clausos carcere, et extremos, et non esset qui auxiliaretur Israeli. 27. Nec locutus est Dominus ut deleret nomen Israel de sub cœlo, sed salvavit eos in manu Jeroboam filii Joas. 28. Reliqua autem sermonum Jeroboam, et universa quæ fecit, et fortitudo ejus qua præliatus est, et quomodo restituit Damascum et Emath, Judæ in Israel, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 29. Dormivitque Jeroboam cum patribus suis regibus Israel, et regnavit Zacharias filius ejus pro eo.

1. IN ANNO SECUNDO JOAS FILII JOACHAZ REGIS ISRAEL REGNAVIT AMASIAS. — Dices 2 Hoc videtur repugnare capiti præcedenti, versu 10, ubi dicitur Joas rex Israel regnare cœpisse anno 37 Joas regis Juda qui 40 annis regnavit, cui mortuo demum successit filius Amasias; ergo Amasias non secundo, sed quarto anno Joas regis Israel regnare cœpit. Respondeo, Joas rex Israel regnare cœpit anno 37 Joas regis Juda, sed cum patre suo Joachaz; ac post biennium mortuo patre solus regnare cœpit anno 39 Joas regis Juda, ab eoque anno hic anni ejus numerantur. Quare moriente Joas rege Juda anno sequente, puta 40 regni sui, qui erat annus secundus Joas regis Israel, quo solus post patrem Joachaz regnavit, Amasias patri Joas in Juda succedens ibidem regnare cœpit solus anno secundo Joas regis Israel.

2. NOMEN MATRIS EJUS JOADAN. — Multas rationes hic congerit Abulensis cur in lib. *Regum* regibus Juda semper addantur nomina matrum, nunquam autem regibus Israel; potissima est, quod regnum Juda potius erat, et celebrius templo vero-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

que Dei cultu, et Messia ex eo nascituro. Adde regnum Israel fuisse schismaticum et idololatricum, Juda vero legitimum et divinum.

3. Et fecit rectum coram Domino, — quia scilicet Amasias initio regni solum Deum verum coluit.

Verumtamen non ut David pater ejus, — qui non tantum idola non coluit, sed nec ea subditos colere permisit; quod tamen fecit Amasias, permittens populum immolare in excelsis, quod libro II *Paral.*, cap. XXV, vers. 2, dicitur: « Fecitque bonum in conspectu Domini, verumtamen non in corde perfecto. »

Juxta omnia quæ fecit Joas pater suus fecit, — quia sicut Joas vivente Joiada Pontifice solum Deum coluit, eo vero mortuo deflexit ad idola; sic fecit et Amasias ejus filius, qui sub finem defecerunt ad Deos Idumæorum, ut patet II *Paralip.* XXV, 14.

4. Verumtantum quod excelsa non abstulit, — hæc verba non ad proxima præcedentia: « Juxta omnia quæ fecit Joas pater ejus, » quia Joas quoque excelsa non abstulit; sed ad superiora: « Et fecit rectum coram Domino, » referenda sunt, *q. d.* Amasias recte Deum coluit, sed non recte permisit populum in excelsis immolare. Quare illa verba (« juxta omnia quæ fecit Joas pater suus fecit ») parenthesin continent, ut animadvertit Sanchez et quasi parenthesi inclusa a sequentibus sejungenda sunt.

7. Ipse percussit Edom in valle Salinarum. — Idumæi enim rebellarant Joramis ante sexaginta annos, scilicet a sexto anno Joram regis Juda, usque ad duodecimum Amasiæ (aiunt Hebræi in Seder Olam), qui eos rursum debellavit et Judæ servire coegit. Vide II *Paral.* XXI, 8 et cap. XXV, 11. Porro post hanc victoriam Amasias lapsus est in idololatriam, coluitque Deos Idumæorum, ideoque cæsus captusque est a Joas rege Israel, ut dicitur II *Paral.* XXV, 20.

Et apprehendit petram in prælio, — id est cepit rupem hostium celsam et munitam, ex qua præcipitavit alia decem millia Idumæorum, ut dicitur II *Paral.* XXV, 12. Ita Cajetanus. Sic Gabalitæ cæsi fugerunt ad petram Remmon, *Judic.* cap. XX, vers. 4.

Alii per « petram » accipiunt « Petram, » Arabiæ urbem, quæ postea a Ptolomæo Philadelpho restaurata dicta est « Philadelphia. »

Vocavitque nomen ejus Jectehel, — id est « obedientia » vel « exspectatio Dei, » ut Noster vertit, *Genes.* XLIX, 10, ut nossent omnes quod Amasias ex Dei mandato æque ac auxilio vicerat et punierat rebelles Idumæos. Ita Cajetanus. Aliter Vatablus. Vocavit eam *Jectehel*, inquit, quia sic vocabatur is qui eam expugnavit. Paginus *Jectehel* vertit, *congregatio Dei*.

8. Tunc (cum gestiens et exultans, imo se exaltans de victoria Idumæorum putaret se pari motumiturum Israelitas) misit Amasias nuntios ad Joas (regem Israel) dicens: Veni et videamus nos, — in prælio, id est duellemus et prælleamur ut videamus uter sit fortior: ita Chaldæus. Veni, inquit, *excipiamus ad invicem facies in bello*, id est veni et statuto die confligamus. Vatablus, *age, spectemus nos mutuo eorum.*

Hebræi, teste Vatablo, censent causam belli fuisse, quod, ut narratur II *Paralip.* XXV, Amasias conductos a se milites ex Israel contra Idumæos jussu prophetæ dimiserit; illi dimissi, indignantes spoliarunt regnum Judæ; spolia ergo hæc a Joas et Israelitis bello repetere voluisse Amasiam. Verum mi tale indicat Scriptura; quin potius Joas Amasiæ objicit, quod victoria de Idumæis elatus, ex fastu se provocet ad prælium. Audi Josephum, lib. IX, cap. X: « Amasias felicitatem suam, cujus tamen auctorem Deum non agnoscebat, non capiens, sed fastu inflatus, scripsit Joæ regi Israelitarum, ut ipsius imperata faceret cum populo suo, sicut antehac idem populus majoribus ejus Davidi et Salomoni paruit; quod si nolit ultro favere officium, bello esse decernendum de imperii juribus. » Sic et Abulensis, *Histor. Scholast.*, Salianus et alii. Sperabat Amasias se victorem fore, eo quod propheta sibi dixisset, II *Paral.* XXV, Deum non esse cum Israele: sed idem cogitare debebat de se, utpote jam apostata et colente Deos Idumæorum, præsertim quia Deus voluerat regnum Israel dividi a regno Juda, ut audivimus lib. III, cap. XII et seq. Quare Amasias, volens rursum illud sibi unire et subjicere, faciebat contra voluntatem Dei, ideoque in bello succubuit.

9. Carduus Libani misit ad cedrum quæ est in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem. Transierunt autem bestiæ saltus quæ sunt in Libano, et conculcaverunt carduum. — Hoc apologo Joas retundit fastum Amasiæ provocantis se ad bellum. Contemptim enim Amasiam vocat « carduum » humilem, vilem et aculeatum. « Libani » tamen, quia ipse ex Judæa et semine regio erat orinndus; se vero vocat « cedrum » excelsam, nobilem et pretiosam, quam humilis « carduus, » id est Amasias, vix queat aspicere, multo minus ei se viribus æquare, ut dicere audeat: « Da filiam tuam filio meo uxorem, » *q. d.* Regnum tuum Israel junge et subde regno meo Juda, uti olim sub Davide ei junctum et quasi conjugio copulatum fuit.

Transierunt autem bestiæ saltus quæ sunt in Libano (ita vocat milites suos Israelitas; per « Libanum » enim intelligit totam Palæstinam, scilicet tam Israel quam Judam, fortes et feroces quasi leones,) et conculcaverunt carduum, — scilicet conculcabunt te, o Amasia, capient et spoliabunt. Ita factum est, uti hic minatus et ominatus est Joas; quia Deus per eum volebat castigare superbiam, æque ac idololatriam Amasiæ, ut dicitur II *Paral.* XXV, 12.

Unde apologo huic hoc epimythium addit Josephus, lib. IX, cap. X: « Hoc exemplum, ait, te moneat ne majore quam par est appetas; neve propter recentem ex Amalecitis (potius Idumæis) victoriam elatus, et te et regnum tuum incertæ committas aleæ. »

Similis apologus est *Judic.* IX, 10, ubi Joatham filius Gedeonis Abimelech tyrannum comparat rhamno, bonos vero principes ficui, viti et oleæ. Vide ibi dicta.

13. Amasiam vero regem Juda, etc., cepit Joas rex Israel. — Ecce hic impletur apologus Joas: sic enim merentur puniri, qui alios bello lacessunt. Sic videmus non raro eos, qui alios provocant ad duellum, in eo succumbere et occidi, Deo eorum audaciam et superbiam castigante.

17. Vixit autem Amasias, etc., postquam mortuus est Joas viginti quinque annis. — Corrige cum Romanis, Chaldæo et Septuaginta 15 *annis*, uti habetur II *Paral.* XXV, 25.

19. Et interfecerunt eum. — Justum hoc fuit Dei judicium, ut sicut Joas pater deflectens ad idola occisus fuit a suis, sic et Amasias filius ejus ad eadem declinans a suis conjuratis necaretur, ut patet II *Paral.* cap. XXV, vers. 27. Probabiliter tamen Salianus et alii opinantur eum ante mortem pœnituisse, et pie in unius veri Dei cultu obiisse.

25. Ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis, juxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum Jonam filium Amathi. — Hinc patet Jonam prædixisse Jeroboam regi, quod ipse restituturus esset Israeli urbes illas, quas Syri ei ademerant ab Emath usque ad mare Mortuum, etsi hoc oraculum in prophetia Jonæ non exstet. Est autem « Emath » in tribu Nephthalim, contigua Syriæ, non longe a Damasco, quæ Syriæ erat caput. « Emath » erat ingressus et quasi porta in terram sanctam. Eadem postea ab Antiocho Epiphane in ea regnante dicta est « Epiphania, » vide dicta Amos VI, 2. Audi nunc Josephum, lib. IX, cap. XI: « Jeroboamo propheta Jonas prædixit, quod devictis Syris ditionem suam esset amplificaturus, prolatis ejus terminis ad Septentrionem usque ad Amathum urbem: ad Meridiem vero usque ad Asphaltitem lacum; his enim olim terminis Chananæa terra finiebatur, juxta Josuæ imperatoris definitionem. Quo oraculo exultatus Jeroboamus totos eos tractus ademptos Syris ad suum regnum addidit, nihil faliente Jonæ vaticinio. »

Hinc patet Jonam prophetam prophetasse sub Joroboam rege Israel, et Azaria, sive Ozia rege Juda, ac proinde coævum fuisse Isaiæ (quem Hebræi Amasiæ regis fratrem, vel fratris filium fuisse tradunt, teste S. Hieronymo) Oseæ, Joeli, Amos et Nahum. Quare non recte Abulensis censet Jonam hunc esse diversum a Jona qui est quartus inter minores Prophetas.

28. Quomodo restituit Damascum et Emath Judæ in Israel. — Quomodo erant hæ civitates Judæ in Israel? aliud enim erat regnum Judæ, aliud Israel. Omissis Abulensis et aliorum sententiis, dico breviter Davidem has urbes cepisse et attribuisse suæ tribui Judæ; quia ipse ex ea erat orinndus, indeque hæ urbes, licet extra sortem Judæ sitæ, vocabantur tamen Judææ. Diviso autem regno Israel a regno Judæ, urbes hæ utpote vicinæ cesserunt Israeli; sensus ergo est, *q. d.* Jeroboam fecit ut Damascus et Emath a Davide subjugatæ, et tribui Judæ attributæ, sed deinde a Syris occupatæ restituerentur Israeli, cujus ipse erat rex, ac aliis civitatibus Judæ, quæ erant in ditione Israelis, rursum annumerarentur, uti a Davide annumeratæ fuerant, *q. d.* Jeroboam fecit ut Damascus et Emath olim subactæ et tributariæ Davidi, jam sibi et Israeli forent tributariæ. Ita Salianus et Sanchez.

29. Dormivitque (naturali morte defunctus est) Jeroboam cum patribus suis. — Deest: *Amos* cap. VII, vers. 11, dicitur: « In gladio morietur Jeroboam. » Respondeo hæc verba non esse Amos, sed Amasiæ pseudoprophetæ qui, ut Amos prophetam traduceret apud Jeroboam, mentitur et fingit Amos id dixisse. Non enim dixerat Amos: « In gladio morietur Jeroboam, » sed, « consurgam super domum Jeroboam in gladio, » scilicet occidendo non ipsum Jeroboam, sed filium ejus Zachariam.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Regnat Azarias in Juda, succedit ei filius Joathem. In Israel regnant successive Jeroboam, Zacharias, Sellum, Manahem, Phaceia, Phacee, et ultimus Osee. Nam Phul et Theglathphalasar reges Assyriorum invadunt Israelem, et partem ejus transferunt in Assyriam.

1. Anno vigesimo septimo Jeroboam regis Israel, regnavit Azarias filius Amasiæ regis Juda. 2. Sedecim annorum erat cum regnare cœpisset, et quinquaginta duobus annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Jechelia de Jerusalem. 3. Fecitque quod erat placitum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

que Dei cultu, et Messia ex eo nascituro. Adde regnum Israel fuisse schismaticum et idololatricum, Juda vero legitimum et divinum.

3. Et fecit rectum coram Domino, — quia scilicet Amasias initio regni solum Deum verum coluit.

Verumtamen non ut David pater ejus, — qui non tantum idola non coluit, sed nec ea subditos colere permisit; quod tamen fecit Amasias, permittens populum immolare in excelsis, quod libro II *Paral.*, cap. XXV, vers. 2, dicitur: « Fecitque bonum in conspectu Domini, verumtamen non in corde perfecto. »

Juxta omnia quæ fecit Joas pater suus fecit, — quia sicut Joas vivente Joiada Pontifice solum Deum coluit, eo vero mortuo deflexit ad idola; sic fecit et Amasias ejus filius, qui sub finem defecerunt ad Deos Idumæorum, ut patet II *Paralip.* XXV, 14.

4. Verumtantum quod excelsa non abstulit, — hæc verba non ad proxima præcedentia: « Juxta omnia quæ fecit Joas pater ejus, » quia Joas quoque excelsa non abstulit; sed ad superiora: « Et fecit rectum coram Domino, » referenda sunt, *q. d.* Amasias recte Deum coluit, sed non recte permisit populum in excelsis immolare. Quare illa verba (« juxta omnia quæ fecit Joas pater suus fecit ») parenthesin continent, ut animadvertit Sanchez et quasi parenthesi inclusa a sequentibus sejungenda sunt.

7. Ipse percussit Edom in valle Salinarum. — Idumæi enim rebellarant Joramis ante sexaginta annos, scilicet a sexto anno Joram regis Juda, usque ad duodecimum Amasiæ (aiunt Hebræi in Seder Olam), qui eos rursum debellavit et Judæ servire coegit. Vide II *Paral.* XXI, 8 et cap. XXV, 11. Porro post hanc victoriam Amasias lapsus est in idololatriam, coluitque Deos Idumæorum, ideoque cæsus captusque est a Joas rege Israel, ut dicitur II *Paral.* XXV, 20.

Et apprehendit petram in prælio, — id est cepit rupem hostium celsam et munitam, ex qua præcipitavit alia decem millia Idumæorum, ut dicitur II *Paral.* XXV, 12. Ita Cajetanus. Sic Gabalitæ cæsi fugerunt ad petram Remmon, *Judic.* cap. XX, vers. 4.

Alii per « petram » accipiunt « Petram, » Arabiæ urbem, quæ postea a Ptolomæo Philadelpho restaurata dicta est « Philadelphia. »

Vocavitque nomen ejus Jectehel, — id est « obedientia » vel « exspectatio Dei, » ut Noster vertit, *Genes.* XLIX, 10, ut nossent omnes quod Amasias ex Dei mandato æque ac auxilio vicerat et punierat rebelles Idumæos. Ita Cajetanus. Aliter Vatablus. Vocavit eam *Jectehel*, inquit, quia sic vocabatur is qui eam expugnavit. Paginus *Jectehel* vertit, *congregatio Dei*.

8. Tunc (cum gestiens et exultans, imo se exaltans de victoria Idumæorum putaret se pari motumiturum Israelitas) misit Amasias nuntios ad Joas (regem Israel) dicens: Veni et videamus nos, — in prælio, id est duellemus et prælleamur ut videamus uter sit fortior: ita Chaldæus. Veni, inquit, *excipiamus ad invicem facies in bello*, id est veni et statuto die confligamus. Vatablus, *age, spectemus nos mutuo eorum.*

Hebræi, teste Vatablo, censent causam belli fuisse, quod, ut narratur II *Paralip.* XXV, Amasias conductos a se milites ex Israel contra Idumæos jussu prophetæ dimiserit; illi dimissi, indignantes spoliarunt regnum Judæ; spolia ergo hæc a Joas et Israelitis bello repetere voluisse Amasiam. Verum mi tale indicat Scriptura; quin potius Joas Amasiæ objicit, quod victoria de Idumæis elatus, ex fastu se provocet ad prælium. Audi Josephum, lib. IX, cap. X: « Amasias felicitatem suam, cujus tamen auctorem Deum non agnoscebat, non capiens, sed fastu inflatus, scripsit Joæ regi Israelitarum, ut ipsius imperata faceret cum populo suo, sicut antehac idem populus majoribus ejus Davidi et Salomoni paruit; quod si nolit ultro favere officium, bello esse decernendum de imperii juribus. » Sic et Abulensis, *Histor. Scholast.*, Salianus et alii. Sperabat Amasias se victorem fore, eo quod propheta sibi dixisset, II *Paral.* XXV, Deum non esse cum Israele: sed idem cogitare debebat de se, utpote jam apostata et colente Deos Idumæorum, præsertim quia Deus voluerat regnum Israel dividi a regno Juda, ut audivimus lib. III, cap. XII et seq. Quare Amasias, volens rursum illud sibi unire et subjicere, faciebat contra voluntatem Dei, ideoque in bello succubuit.

9. Carduus Libani misit ad cedrum quæ est in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem. Transierunt autem bestiæ saltus quæ sunt in Libano, et conculcaverunt carduum. — Hoc apologo Joas retundit fastum Amasiæ provocantis se ad bellum. Contemptim enim Amasiam vocat « carduum » humilem, vilem et aculeatum. « Libani » tamen, quia ipse ex Judæa et semine regio erat orinndus; se vero vocat « cedrum » excelsam, nobilem et pretiosam, quam humilis « carduus, » id est Amasias, vix queat aspicere, multo minus ei se viribus æquare, ut dicere audeat: « Da filiam tuam filio meo uxorem, » *q. d.* Regnum tuum Israel junge et subde regno meo Juda, uti olim sub Davide ei junctum et quasi conjugio copulatum fuit.

Transierunt autem bestiæ saltus quæ sunt in Libano (ita vocat milites suos Israelitas; per « Libanum » enim intelligit totam Palæstinam, scilicet tam Israel quam Judam, fortes et feroces quasi leones,) et conculcaverunt carduum, — scilicet conculcabunt te, o Amasia, capient et spoliabunt. Ita factum est, uti hic minatus et ominatus est Joas; quia Deus per eum volebat castigare superbiam, æque ac idololatriam Amasiæ, ut dicitur II *Paral.* XXV, 12.

Unde apologo huic hoc epimythium addit Josephus, lib. IX, cap. X: « Hoc exemplum, ait, te moneat ne majore quam par est appetas; neve propter recentem ex Amalecitis (potius Idumæis) victoriam elatus, et te et regnum tuum incertæ committas aleæ. »

Similis apologus est *Judic.* IX, 10, ubi Joatham filius Gedeonis Abimelech tyrannum comparat rhamno, bonos vero principes ficui, viti et oleæ. Vide ibi dicta.

13. Amasiam vero regem Juda, etc., cepit Joas rex Israel. — Ecce hic impletur apologus Joas: sic enim merentur puniri, qui alios bello lacessunt. Sic videmus non raro eos, qui alios provocant ad duellum, in eo succumbere et occidi, Deo eorum audaciam et superbiam castigante.

17. Vixit autem Amasias, etc., postquam mortuus est Joas viginti quinque annis. — Corrige cum Romanis, Chaldæo et Septuaginta 15 *annis*, uti habetur II *Paral.* XXV, 25.

19. Et interfecerunt eum. — Justum hoc fuit Dei judicium, ut sicut Joas pater deflectens ad idola occisus fuit a suis, sic et Amasias filius ejus ad eadem declinans a suis conjuratis necaretur, ut patet II *Paral.* cap. XXV, vers. 27. Probabiliter tamen Salianus et alii opinantur eum ante mortem pœnituisse, et pie in unius veri Dei cultu obiisse.

25. Ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis, juxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum Jonam filium Amathi. — Hinc patet Jonam prædixisse Jeroboam regi, quod ipse restituturus esset Israeli urbes illas, quas Syri ei ademerant ab Emath usque ad mare Mortuum, etsi hoc oraculum in prophetia Jonæ non exstet. Est autem « Emath » in tribu Nephthalim, contigua Syriæ, non longe a Damasco, quæ Syriæ erat caput. « Emath » erat ingressus et quasi porta in terram sanctam. Eadem postea ab Antiocho Epiphane in ea regnante dicta est « Epiphania, » vide dicta Amos VI, 2. Audi nunc Josephum, lib. IX, cap. XI: « Jeroboamo propheta Jonas prædixit, quod devictis Syris ditionem suam esset amplificaturus, prolatis ejus terminis ad Septentrionem usque ad Amathum urbem: ad Meridiem vero usque ad Asphaltitem lacum; his enim olim terminis Chananæa terra finiebatur, juxta Josuæ imperatoris definitionem. Quo oraculo exultatus Jeroboamus totos eos tractus ademptos Syris ad suum regnum addidit, nihil faliente Jonæ vaticinio. »

Hinc patet Jonam prophetam prophetasse sub Joroboam rege Israel, et Azaria, sive Ozia rege Juda, ac proinde coævum fuisse Isaiæ (quem Hebræi Amasiæ regis fratrem, vel fratris filium fuisse tradunt, teste S. Hieronymo) Oseæ, Joeli, Amos et Nahum. Quare non recte Abulensis censet Jonam hunc esse diversum a Jona qui est quartus inter minores Prophetas.

28. Quomodo restituit Damascum et Emath Judæ in Israel. — Quomodo erant hæ civitates Judæ in Israel? aliud enim erat regnum Judæ, aliud Israel. Omissis Abulensis et aliorum sententiis, dico breviter Davidem has urbes cepisse et attribuisse suæ tribui Judæ; quia ipse ex ea erat orinndus, indeque hæ urbes, licet extra sortem Judæ sitæ, vocabantur tamen Judææ. Diviso autem regno Israel a regno Judæ, urbes hæ utpote vicinæ cesserunt Israeli; sensus ergo est, *q. d.* Jeroboam fecit ut Damascus et Emath a Davide subjugatæ, et tribui Judæ attributæ, sed deinde a Syris occupatæ restituerentur Israeli, cujus ipse erat rex, ac aliis civitatibus Judæ, quæ erant in ditione Israelis, rursum annumerarentur, uti a Davide annumeratæ fuerant, *q. d.* Jeroboam fecit ut Damascus et Emath olim subactæ et tributariæ Davidi, jam sibi et Israeli forent tributariæ. Ita Salianus et Sanchez.

29. Dormivitque (naturali morte defunctus est) Jeroboam cum patribus suis. — Deest: *Amos* cap. VII, vers. 11, dicitur: « In gladio morietur Jeroboam. » Respondeo hæc verba non esse Amos, sed Amasiæ pseudoprophetæ qui, ut Amos prophetam traduceret apud Jeroboam, mentitur et fingit Amos id dixisse. Non enim dixerat Amos: « In gladio morietur Jeroboam, » sed, « consurgam super domum Jeroboam in gladio, » scilicet occidendo non ipsum Jeroboam, sed filium ejus Zachariam.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Regnat Azarias in Juda, succedit ei filius Joathem. In Israel regnant successive Jeroboam, Zacharias, Sellum, Manahem, Phaceia, Phacee, et ultimus Osee. Nam Phul et Theglathphalasar reges Assyriorum invadunt Israelem, et partem ejus transferunt in Assyriam.

1. Anno vigesimo septimo Jeroboam regis Israel, regnavit Azarias filius Amasiæ regis Juda. 2. Sedecim annorum erat cum regnare cœpisset, et quinquaginta duobus annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Jechelia de Jerusalem. 3. Fecitque quod erat placitum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

coram Domino, juxta omnia quæ fecit Amasias pater ejus. 4. Verumtamen excelsa non est demolitus : adhuc populus sacrificabat, et adolebat incensum in excelsis. 5. Percussit autem Dominus regem, et fuit leprosus usque in diem mortis suæ, et habitabat in domo libera seorsum : Joatham vero filius regis gubernabat palatium, et judicabat populum terræ. 6. Reliqua autem sermonum Azariæ, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda? 7. Et dormivit Azarias cum patribus suis; sepelieruntque eum cum majoribus suis in civitate David, et regnavit Jonathan filius ejus pro eo. 8. Anno trigesimo octavo Azariæ regis Juda, regnavit Zacharias filius Jeroboam super Israel in Samaria sex mensibus; 9. et fecit quod malum est coram Domino, sicut fecerant patres ejus : non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabath, qui peccare fecit Israel. 10. Conjuravit autem contra eum Sellum filius Jabes : percussitque eum palam, et interfecit, regnavitque pro eo. 11. Reliqua autem verborum Zachariæ, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 12. Iste est sermo Domini, quem locutus est ad Jehu, dicens : Filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. factumque est ita. 13. Sellum filius Jabes regnavit trigesimo nono anno Azariæ regis Juda : regnavit autem uno mense in Samaria. 14. Et ascendit Manahem filius Gadi de Thersa : venitque in Samariam, et percussit Sellum filium Jabes in Samaria, et interfecit eum regnavitque pro eo. 15. Reliqua autem verborum Sellum, et conjuratio ejus per quam tetendit insidias, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 16. Tunc percussit Manahem Thapsam et omnes qui erant in ea, et terminos ejus de Thersa; noluerant enim aperire ei : et interfecit omnes prægnantes ejus, et scidit eas. 17. Anno trigesimo nono Azariæ regis Juda, regnavit Manahem filius Gadi super Israel decem annis in Samaria. 18. Fecitque quod erat malum coram Domino : non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabath, qui peccare fecit Israel cunctis diebus ejus. 19. Veniebat Phul rex Assyriorum in terram, et dabat Manahem Phul mille talenta argenti, ut esset ei in auxilium, et firmaret regnum ejus. 20. Indixitque Manahem argentum super Israel cunctis potentibus et divitibus, ut daret regi Assyriorum quinquaginta siclos argenti per singulos : reversusque est rex Assyriorum, et non est moratus in terra. 21. Reliqua autem sermonum Manahem, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 22. Et dormivit Manahem, cum patribus suis, regnavitque Phaceia filius ejus pro eo. 23. Anno quinquagesimo Azariæ regis Juda, regnavit Phaceia filius Manahem super Israel in Samaria biennio; 24. et fecit quod erat malum coram Domino : non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabath, qui peccare fecit Israel. 25. Conjuravit autem adversus eum Phacee filius Romeliæ, dux ejus, et percussit eum in Samaria in turre domus regiæ, juxta Argob, et juxta Arie, et cum eo quinquaginta viros de filiis Galaaditarum. et interfecit eum, regnavitque pro eo. 25. Reliqua autem sermonum Phaceia, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 27. Anno quinquagesimo secundo Azariæ regis Juda, regnavit Phacee filius Romeliæ super Israel in Samaria viginti annis. 28. Et fecit quod erat malum coram Domino : non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabath, qui peccare fecit Israel. 29. In diebus Phacee regis Israel venit Theglathphalasar rex Assur, et cepit Aion, et Abel Domum, Maacha et Janoe, et Cedes, et Asor, et Galaad, et Galilæam, et universam terram Nephtali : et transtulit eos in Assyrios. 30. Conjuravit autem, et tetendit insidias Osee filius Ela contra Phacee filium Romeliæ, et percussit eum, et interfecit : regnavitque pro eo vigesimo anno Joatham filii Oziæ. 31. Reliqua autem sermonum Phacee, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 32. Anno secundo Phacee, filii Romeliæ regis Israel, regnavit Joatham filius Oziæ regis Juda. 33. Viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus Jerusa, filia Sadoc. 34. Fecitque quod erat placitum coram Domino : juxta

omnia quæ fecerat Ozias pater suus, operatus est. 35. Verumtamen excelsa non abstulit; adhuc populus immolabat, et adolebat incensum in excelsis : ipse ædificavit portam domus Domini sublimissimam. 36. Reliqua autem sermonum Joatham, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda? 37. In diebus illis cœpit Dominus mittere in Judam, Rasin regem Syriæ et Phacee filium Romeliæ. 38. Et dormivit Joatham cum patribus suis, sepultusque est cum eis in Civitate David patris sui, et regnavit Achaz filius ejus pro eo.

4. Anno vigesimo septimo Jeroboam regis Israel, regnavit (regnare cœpit) Azarias Amasiæ filius regis Juda. — Azarias hic alio nomine dictus est Ozias. *Azarias* enim hebraice idem est quod *auxilium Dei*; Ozias, idem quod *fortitudo Dei*; ubi autem est auxilium Dei, ibi est fortitudo. Deus enim est fortissimus et potentissimus. Unde II *Paralip.* cap. xxvi, vers. 7, de eo dicitur : « Et adjuravit eum Deus contra Philistiim, et contra Arabes, et contra Ammonitas, » etc. Ex hoc loco Franciscus Ribera in *Amos*, cap. i, vers. 1, censent interregnum fuisse tredecim annorum inter Amasiam et Azariam, eo quod Azarias trimulus esset moriente patre Amazia. Id probat, quod anno decimo quinto Amasiæ, uti dictum est cap. præc. vers. 23, cœpit regnare Jeroboam, cujus anno vigesimo septimo, uti hic dicitur, cœpit regnare Azarias. Amazias autem regnavit annis viginti novem. Ergo 29 ejus annus fuit decimus quartus Jeroboami. Ergo vacavit regnum Juda ab anno 14 Jeroboami usque ad 27 ejusdem, puta per spatium tredecim annorum. Verum respondeo annum hunc 27 Jeroboam esse annum 27 ab eo tempore quo Jeroboam simul cum patre Joas regnare cœpit; nam regni, quo ipse post patrem solus regnavit, erat hic annus decimus quartus duntaxat, quo Amazias moriens anno regni sui vigesimo nono, successorem reliquit Azariam filium. Id ita esse liquet ex II *Paral.* cap. xxv, vers. 25, ubi Amasias, post mortem Joas, dicitur vixisse quindecim annis. Mortuus est ergo anno 14 finiente, et 15 inchoante Jeroboami, qui Joas patri immediate successit. Ita Salianus, Cajetanus et alii. Fugienda enim hic sunt interregna, ne chronologiæ series continua turbetur, et incerta dubiaque reddatur. Unde Eusebius, Josephus et alii passim regno et annis Amasiæ immediate subjiciunt, et connectunt regnum et annos Azariæ.

5. Et quinquaginta duobus annis regnavit. — Tempore Azariæ vixit Sardanapalus, quem Gentiles historici ultimum colloant regem Assyriorum, dumque eum utpote effeminatum ab Arbace Medise præfecto obsessum in Ninive, ibi seipsum cum gaza regia concremasse. Quare Arbacem se fecisse regem Mediæ sub annum Azariæ decimum, regnante apud Latinos Proca Sylvio, apud Corinthios Agemone, apud Spartanos legislatore Lycurgo. Ita Eusebius, Diodorus, Justinus, Ptolemæus, Strabo, et ex eis Torniellus, Salianus, Cordonus, Samerius et alii.

Verum paulo post restituta est Ninive, ejusque regnum; nam, ut mox audiemus, paulo post sub eodem Azaria regnavit Phul rex Assyriorum, cui successit Theglathphalasar, huic Salmanasar, huic Sennacherib, huic Asarrhaddon, sub quo ob casos paulo ante Assyrios, Ezechiam et Jerusalem obsidentes, ab Angelo, Ben Merodach Babylonius caput erexit, seque regem Babylonis effecit, qui fuit avus Nabuchodonosoris primi monarchæ Babyloniorum. Omnes enim hi reges jam nominati vocantur reges Assyriorum, non Babyloniorum, nec ante Baladan quispiam in Scriptura rex Babylonis nuncupatur.

Videtur ergo Phul Assyrius cum Arbace præfecto divisisse Sardanapali imperium, ut Arbaces Mediæ et Persidi, Phul vero Assyriæ et Babyloniæ dominaretur : ita ex Metasthene Annii Genebrardus, Torniellus, Samerius, Cordonus, Salianus et alii.

Huic chronologiæ consentit tempus prophetiæ Jonæ, qui, ut audivimus cap. præcedenti vers. 25, prophetavit sub Jeroboam, cui coævus fuit Azarias. Jonas ergo missus a Deo Sardanapali et Ninivitarum luxum et luxuriam castigavit. Pœnituit Sardanapalus cum Ninivitis, sed non multo post in solita vitia relapsi, ab Arbace Medo obsessi et vastati fuere, ut dixi in Jona.

5. Percussit autem Dominus regem (Azariam) et fuit leprosus. — quia scilicet ipse usurpabat munus Pontificis, adolendo incensum super altare thymiamatis, quod erat in Sancto, ut dicitur II *Paral.* cap. xxvi, vers. 16, de quo ibidem plura.

8. Anno trigesimo octavo Azariæ regis Juda regnavit Zacharias filius Jeroboam super Israel. — Hic fuit abnepos Jehu; unde Jehu stirps regia finita fuit in Zacharia, quasi in quarta generatione, uti ei promiserat Deus, cap. x, vers. 30 : « Anno trigesimo octavo Azariæ, » scilicet ex eo tempore quo ipse regnare cœpit cum patre Amasia; nam ex eo tempore quo post patrem solus regnavit Azarias, erat hic annus 26 vel 27. Si ergo annos 38 Azariæ numeres ab anno 18 Amasiæ patris ejus, quo ipse cum in regnum socium ascivit, annus hic Azariæ 38 erit 41 Jeroboami regis Israel, quippe qui anno 13 Amasiæ patris Azarias solus regnare cœperit. Hic enim annus quadragesimus primus fuit ultimus Jeroboam : unde, eo moriente, successit ei filius Zacharias per sex menses. Verum quia Azarias post patrem Amasium solus regnavit 52 annis qui hic sigillatim consignantur : nam vers. 37, numeratur annus Azariæ 39, et vers. 23,

annus 50, et vers. 27, annus 52 et ultimus, ut sic consequens certaque chronologia temporum per annos regum Juda contexatur : hinc melius cum Richardo a S. Victore, Lyrano, Abulense et aliis dicemus, Jeroboam regem Israel mortuum esse anno vicesimo septimo Azariæ regis Juda : inde per undecim annos, scilicet usque ad annum 38 Azariæ fuisse interregnum, et regnum Israel cariuisse rege; eo quod Zacharias filius Jeroboam, vel propter ætatem teneriorem, vel propter rebellionem subditorum, vel aliam ob causam prævalere et regnum patris obtinere non posset. Ratio est, quod 41 anni Jeroboami computandi sint ab anno decimo quinto Amasiæ, ita ut cum Amasia qui 29 annis regnavit Jeroboam regnarit annis quatuordecim; quare Pekiæus 27 annos (regnavit enim Jeroboam 41 annis) regnare dicitur cum Azaria filio Amasiæ, ita ut mortuus sit anno vigesimo septimo Azariæ, tumque successerit ei filius Zacharias. Itaque cum tale dicitur de aliquo regum Juda, quod tot annis regnarit, intelige solus post patrem; quia per reges Juda chronologia hic texitur, quæ aliorum foret incerta et ambigua; verum alias cum dicitur : tali anno regnavit talis rex, præsertim in Israel, accipi potest non de regno, sed de corregno, quo scilicet non solus, sed cum patre regnavit.

Olympiadum initium.

Nota : Sub Azaria cœpere computari Olympiades, sed quoto ejus anno id factum variant Chronologi. Eusebius, lib. III *De Præparat.* et in chronico Initium Olympiadum collocat anno 50 Azariæ ac consequenter urbis Romæ initium, cum eam Romulus condidit anno Achaz quarto vel quinto : nam initium Olympiadum antecedit initium Romæ 23 annis, uti omnes Historici et Chronologi consentiunt. Jam adde duos annos Azariæ (regnavit enim 52 annis) et sedecim filii ejus Joathæ, ac quinque Achaz habebis annos 23 quos quærimus.

Alii Olympiades cœpisse censent anno quarto vel quinto Azariæ; Severius anno 47 ejusdem. Pererius, *libro II in Genesim*, quasi anno octavo Achaz. Torniellus, Salianus et alii anno 52 Azariæ, vel potius anno primo Joathæ, quia Azariæ patri successit. Exigua enim est hæc paucorum annorum in tanta temporum priscorum intercapedine differentia. Juxta tabulam chronologicam quam præfixi Pentateucho, cœperunt Olympiades anno quadragesimo Azariæ; Roma vero condita est anno decimo vel undecimo Joathæ, de quo vers. 33.

Porro ante Olympiades nihil apud Historicos profanos Græcos et Latinos est certum, sed omnia incerta et confusa : unde hoc sæculum ipsi vocant ἀσάφεν, id est fabulosum : post eas vero, æque ac post conditam Romam, omnia suis annis inde deductis assignari cœperunt, uti testatur Eusebius, lib. X *De Præpar.* cap. III, et Censorinus, lib. X *De die natali*, cap. XXI. Olympias autem spatium erat quatuor annorum, quod intercurrebat inter duos ludos Olympicos, qui Jovi Olympio totius Græciæ concursu, quarto quolibet anno, apud Pisam et Elidem ob memoriam diu intercalaris celebrabantur sub initium æstatis sive solstitii æstivi, a luna undecima usque ad decimam sextam, teste Livio, Censorino et alii. Audi Solynum Polyhistoricum, cap. II : « Certamen Olympicum (quod olim Hercules in honorem atavi sui materni Pelopis ediderat, in omni genere certaminum victor) jam pridem intermissum Iphitus Elidensis instauravit post excidium Trojæ anno 408. Roma deinde condita, incipiente Olympiade 7 post excidium Trojæ anno 433. » Idem scribunt Diodorus Siculus, Dionysius Halicarnassæus, Eratosthenes apud Clementem Alexandrinum, et ex his alii.

Et ascendit Manahem de Thersa, — quam nomine regis sui Zachariæ obsidebat, ait Josephus, et occiso in Samaria Sellum, qui occiderat Zachariam regem, rapuit imperium, eumque Thersam rediisset, nec Thersæuses eum ut regem admisserat, in nos sævit, et maxime in Thapsenses discindendo prægnantes in ea, ut dicitur vers. 16.

16. Et terminos ejus de Thersa, — nam ager urbis Thapsæ pertingebat usque ad Thersam, ait Vatablus.

Et scidit eas, — hoc est, dissecuit prægnantes, ut fœtum ederet, ait Abulensis. Magna fuit hæc crudelitas et barbaries.

19. Veniebat Phul rex Assyriorum. — Hic est « Phul, » qui alio nomine « Belochus » dicitur, qui cum Arbace Medo Sardanapalum in Ninive per biennium obsedit, coeptique ut exstructa in regia pyra ditissima, in eam se cum uxoribus et filiis ac mille myriadibus auri et decem mille myriadibus argenti injecret et conflagraret. Duravit incendium ad quindecim dies. In eo desiit monarchia Assyriorum, quæ a Belo usque ad Sardanapalum stetit annis mille trecentis. Porro Phul cum Arbace divisit monarchiam, ac sibi servavit Assyriam et Babylonem; Arbaci concessit Mediam et Persiam. Porro *Phul* apud Chaldæos idem quod *Faba*, ait Paginines, sicut Roma a fabæ cognominata est Faba, inter quos eminuit Fabius Maximus Romæ liberator, et Aurelius Fabius imperator. Notat Scaliger regum Assyriorum et Babyloniorum nomina alia esse simplicia, ut Phul, Asar, Theglath; alia composita, ut Theglathphalasar componitur ex tribus; scilicet ex Theglath, Phul et Asar. Salmanasar componitur ex Salmen et Asar, et Asarhaddon conflatur ex Asar et Haddon. Nabuchodonosor ex Nabo, qui erat Deus Babyloniorum, Chad, et Notser. Vide ibi dicta *Isaiæ* XLVI, 1.

Et dabat Manahem Phul mille talenta argenti, ut esset ei in auxilium, — contra rebelles Thersas, Thapsæ, etc., ut dictum est versu 14. Hæc fuit occasio cur Theglathphalasar successor Phulæ invaserit Israelem, eumque abduxerit in Assyriam, ut dicetur vers. 29. Phul ergo vocatus in auxilium fuit a Manahem, non a Thersensibus, ut scribit Josephus.

21. Et reliqua Phacee venit Theglathphalasar rex Assur. — Qui fuit filius Phulis de quo vers. 19, ideoque dictus est Phul, Assar, vel Theglath Phul-Assar. Hic cœpe vastavit Israelem, ac ex eo quinque tribus in Assyriam abduxit, nimirum incolas « Galaad, » scilicet Rubenitas, Gaddiias, et dimidiam tribum Manasse; et « Galilææ, » puta Zabulonitas et Nephtalitas, de quibus Isaias, cap. IX, vers. 1, cum paulo ante vocatus in auxilium ab Achaz rege Juda, contra Rasin regem Syriæ, et Phacee regem Israel, veniisset Damascum, et occisis illis regibus, ut dicitur cap. seq. 6 et 7, ipsum quoque Achaz, a quo vocatus fuerat, oppressit, ejusque ditionem expilavit, II *Paral.* XXVIII, 8. Hoc ipsum paulo ante Isaias, VII, 17, ipsi Achaz prædixerat. Hæc ergo fuit prima Israelis, id est decem tribuum captivitas. Hinc apposita *Theglathphalasar* Hebraice (cui affinis est lingua Assyriaca et Chaldaica) idem est quod *captivitas mirabilis legitimus*, ait Pagninus in *Nomin. Hebr.*

30. Regnavitque pro eo (puta Osee pro Phacee) vicesimo anno Joathan filii Oziæ. — Dices : Joathan tantum sedecim annis regnavit, ut dicitur vers. 33; quis est ergo hic annus ejus vicesimus? Respondeo : Fuit vicesimus ab eo tempore quo Joathan regnare cœpit cum patre Azaria : ille enim a Deo percussus lepra, ideoque a contubernio hominum separatus, regni regimen permisit Joatham filio suo, ut dictum est versu 5. Ita Cajetanus et alii. Dices : Osee non potuit regnare cum Joatham; nam Phacee cui successit Osee fuit superstes Joathamo per tres annos, ut patet hic versu 27 collato cum versu 1. cap. seq. Respondeo, Osee cœpisse regnare et invadere regnum Phacee, vivente Joatham, tandemque eo mortuo, et post aliquot annos cum omnino superasse, et occidisse anno quarto Achaz regis Juda, tumque solum plene regnasse. Ita Cajetanus. Secundo, melius Hebræi in Seder Olam, Abulensis, Genebrardus, Torniellus, Salianus sic exponunt : « vicesimo anno Joatham, » id est qui vicesimus futurus erat Joatham solius post patrem regnantis, si ipse adhuc vixisset, qui ante quadriennium erat mortuus. Erat ergo hic annus vigesimus ex quo Joatham regnare cœpit; sed quia ipse sedecim tantum annis regnavit, hinc revera hic erat annus quartus Achaz, qui successit Joatham; sed maluit Scriptura nomenire Joatham quam Achaz, quia nequam Achaz abhorruerit facerat. Porro Scriptura annos Osee bifariam numerat; *primo*, ab hoc anno quarto Achaz, uti hic fit; *secundo*, ab hoc anno Achaz duodecimo; uti fit IV *Reg.* cap. XVII, versu 1. Ratio est, quod prioribus octo annis Osee non fuerit rex pacificus, sed cum familia Phacee adhuc luctans, ac Assyriorum potius servus quam rex, aut ejus de causa a regno impeditus. Itaque ab anno quarto Achaz præcurio magis quam pleno jure regnabat. Ita Abulensis, Serarius, Salianus et alii jam citati. Denique hic annus vigesimus tam erat regni Phacee (hic enim 20 annis regnavit) finientis quam Joathami inchoantis. Joathan enim, si vixisset illo anno, inchoasset annum regni 20; ipse enim cœpit regnare anno secundo Phacee, ut sequitur.

32. Anno secundo Phacee, etc., regnavit Joathan filius Oziæ regis Juda; — Phacee enim cœpit regnare anno 52 et ultimo Oziæ : quare hic primus fuit regni Phacee annus; secundus fuit quo mortuo Ozia successit et Joatham, qui sexdecim annis regnavit : quare 17 anno Phacee, mortuo Joatham, successit ei filius Achaz, ut dicitur cap. seq. 1; quia nimirum ultimus annus Joatham non fuit integer, sed dimidiatus, ita ut 17 Phacee fuerit simul ultimus Joathami morientis, et Achazi ei succedentis. Quocirca unus annus additus vel demptus in chronologia nullam facit differentiam; quia anni dimidiati nunc numerantur, nunc non numerantur.

Porro, « Joatham, » ait Auctor Imperfecti, hom. 4 *in Matth.*, interpretatur perfectus vel dominus, immaculatus. Et vere perfectus fuit hic Joatham, et quantum ad reges se præcedentes dominus immaculatus; quia fecit quod placitum erat Deo, et nulla reprehensio ejus legitur in scriptura regnorum. »

Regis condita anno 11 Joathæ.

33. Sedecim annos regnavit — probe et pie; unde pro aliis laudatur a Scriptura et a Josepho. Tempore Joathæ prophetavit Isaias et Micheas, ut patet ex ejus titulo. Anno undecimo Joathæ, Romulus agens annum ætatis 18 urbis Romæ fundamenta jecit 21 die aprilis (unde hic dies deinceps quasi Romæ natalis quotannis celebratus est) ipsis scilicet Palilibus, hoc est, festo Palis Deæ pastorum, quæ pro felici pecorum partu illa die ab eis colebatur. Hinc enim vocatum est Palilia vel Parilia. Factum id est Olympiadis sextæ anno tertio, ut vult Varro; vel quarto, ut vult Cato, et cum secuti Cicero, Plinius, Tacitus, Gellius, Censorinus, Eusebius, S. Augustinus, Orosius, et Cardinalis Baronius. Quare Olympiades antecedunt Romam 23 annis, ut dixi : tot enim annos conficiunt sex Olympiades jam dictæ; quælibet enim quatuor continet annos. Hoc computu Olympiadum initium assignandum est anno 46 Azariæ, uti dixi, et juxta eumdem Roma condita est anno 751 ante nativitatem Christi.

Alii, quia paulo tardius vel serius hoc initium Olympiadum assignant, hinc consequenter tardius vel serius assignant fabricam Romæ. Unde Torniellus et Salianus, quia initium Olympiadum combinant cum primo anno Joathami, hinc Romæ initium combinant cum anno octavo vel nono Achaz. Sed in re tam antiqua post tot sæcula exigua est hæc temporis differentia.

Hic illud Propertii :

Urbi festus erat, dixere Palilia, patres.
Hic primus cœpit moribus esse dies.

Hinc quoque S. Hieronymus in cap. I *Isaiæ*, vers.

1, ait Ezechiam regnare cœpisse anno duodecimo Romuli : primus ergo Romuli annus incidit in quartum annum Achaz, cum scilicet ipse Romæ fundamenta jaciens anno undecimo Joatham, ejusdem fabricam per septem vel octo annos sequentes perfecisset, ac solium regale in ea erexisset anno quarto Achaz. Sic et S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* cap. XXII : « Quem (Ezechiam), inquit, constat optimum et piissimum regem Romuli regnasse temporibus. »

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Regnat Achaz filius Joatham : contra eum conspirant reges Syriæ et Israel. Ille invocat Theglathphalasar ipsique ingens pondus auri et argenti mittit : qui invocatus Syriam et Israelem vastat. Interim Achaz idola colit, et templum profanat.

1. Anno decimo septimo Phacee filii Romeliæ, regnavit Achaz filius Joatham regis Juda. 2. Viginti annorum erat Achaz, cum regnare cœpisset ; et sedecim annis regnavit in Jerusalem : non fecit quod erat placitum in conspectu Domini Dei sui, sicut David pater ejus. 3. Sed ambulavit in via regum Israel ; insuper et filium suum consecravit, transferens per ignem secundum idola Gentium : quæ dissipavit Dominus coram filiis Israel. 4. Immolabat quoque victimas, et adolebat incensum in excelsis, et in collibus, et sub omni ligno frondoso. 5. Tunc ascendit Rasin rex Syriæ, et Phacee filius Romeliæ rex Israel, in Jerusalem ad prœliandum : cumque obsiderent Achaz, non valuerunt superare eum. 6. In tempore illo restituit Rasin rex Syriæ, Ailam Syriæ, et ejecit Judæos de Aila ; et Idumæi venerunt in Ailam, et habitaverunt ibi usque in diem hanc. 7. Misit autem Achaz nuntios ad Theglathphalasar regem Assyriorum, dicens : Servus tuus, et filius tuus ego sum ; ascende, et salvum me fac de manu regis Syriæ, et de manu regis Israel, qui consurrexerunt adversum me. 8. Et cum collegisset argentum et aurum, quod inveniri potuit in domo Domini, et in thesauris regis, misit regi Assyriorum munera. 9. Qui et acquievit voluntati ejus : ascendit enim rex Assyriorum in Damascum, et vastavit eam, et transtulit habitatores ejus Cyrenen, Rasin autem interfecit. 10. Perrexitque rex Achaz in occursum Theglathphalasar regi Assyriorum in Damascum, cumque vidisset altare Damasci, misit rex Achaz ad Uriam sacerdotem exemplar ejus, et similitudinem juxta omne opus ejus. 11. Exstruxitque Urias sacerdos altare : juxta omnia quæ præceperat rex Achaz de Damasco, ita fecit sacerdos Urias, donec veniret rex Achaz de Damasco. 12. Cumque venisset rex de Damasco, vidit altare, et veneratus est illud : ascenditque et immolavit holocausta, et sacrificium suum ; 13. et libavit libamina, et fudit sanguinem pacificorum, quæ obtulerat super altare. 14. Porro altare æreum, quod erat coram Domino, transtulit de facie templi, et de loco altaris, et de loco templi Domini ; posuitque illud ex latere altaris ad Aquilonem. 15. Præcepit quoque rex Achaz Uriæ sacerdoti, dicens : Super altare majus offer holocaustum matutinum, et sacrificium vespertinum, et holocaustum regis, et sacrificium ejus, et holocaustum universi populi terræ, et sacrificia eorum, et libamina eorum : et omnem sanguinem holocausti, et universum sanguinem victimæ super illud effundes ; altare vero æreum erit paratum ad voluntatem meam. 16. Fecit igitur Urias sacerdos, juxta omnia quæ præceperat rex Achaz. 17. Tulit autem rex Achaz ealatas bases, et luterem qui erat desuper ; et mare deposuit de bobus æreis qui sustentabant illud, et posuit super pavimentum stratum lapide. 18. Musach quoque sabbati, quod ædificaverat in templo, et ingressum regis exterius convertit in templum Domini, propter regem Assyriorum. 19. Reliqua autem verborum Achaz, quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda ? 20. Dormivitque Achaz cum patribus suis, et sepultus est cum eis in Civitate David, et regnavit Ezechias filius ejus pro eo.

3. FILIUM SUUM CONSECRAVIT (idolo Meloch) TRANSFERENS PER IGNEM. — Nota dupliciter : Ammonitæ et Hebræi filios suos consecrabant idolo Moloch, *primo*, eos igne comburendo : ritum modumque recensui *Levit.* cap. XVIII, vers. 21 ; *secundo*, traducendo eos per ignem, tum ut eos igne expiarent a peccatis et immunditiis, tum ut hoc ritu eos idolo Moloch initiarent et dedicarent. Ritum describit Theodoretus : « Vidi, inquit, in aliquibus civitatibus semel in anno accendi rogos, et trans eos saltare aliquos, non solum pueros, sed etiam viros ; infantes autem per flammam ferri a matribus. Videbatur autem istud quædam esse expiatio, et purgatio. Existimo autem hoc quoque fuisse Achazi peccatum. » Quare Theodoretus et ex eo Salianus censent Achaz filium non combussisse, sed traduxisse tantum per ignem, itaque eum lustrasse, et dicasse idolo. Unde II *Paralip.* cap. XXVIII, vers. 3, dicitur : « Et lustravit filios suos in igne. » Ex quo loco liquet Achaz non unum, sed plures, et forte omnes filios hoc ritu lustrasse ; nec enim verisimile est eum plures vel omnes combussisse ; successit enim ei in regno filius Ezechias.

Josephus tamen et ex eo Abulensis et Adrichomius censent eum filium suum immolasse et cremasse idolo Moloch. Lyranus censet eum utrumque fecisse, scilicet unum e filiis cremasse, alios traducendo per ignem lustrasse. Porro non dubium est plures Judæos hoc exemplo Achaz regis sui excitatos filios suos consecrasse Moloch.

7. MISIT AUTEM ACHAZ NUNTIOS AD THEGLATHPHALASAR, — ut se adjuvaret contra Rasin regem Syriæ, et Phacee regem Israel, ideoque misit omne aurum et argentum tam templi, quam palatii sui. Peccavit hac in re Achaz, eo quod Deus per Isaiam, cap. VII, vers. 4, ipsi opem promisisset contra Rasin et Phacee ; sed ipse diffisus Deo, fisus est regi Theglathphalasar, ideoque ab eodem spoliatus et oppressus est. Audi II *Paralip.* cap. XXVIII, vers. 19 : « Humiliaverat enim Dominus Judam propter Achaz regem Juda, eo quod nudasset eum auxilio, et contemptui habuisset Dominum. Adduxitque contra eum Theglathphalasar regem Assyriorum, qui et afflixit eum, et nullo resistente vastavit. Igitur Achaz, spoliata domo Domini et domo regum ac principum, dedit regi Assyriorum munera, et tamen nihil ei profuit. Insuper et tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Dominum, ipse per se rex Achaz, immolavit diis Damasci victimas percussoribus suis, et dixit : Dii regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, et adjuvent me, cum e contrario ipsi fuerint ruinæ ei, et universo Israel. »

9. TRANSTULIT HABITATORES EJUS (Damasci) CYRENEN, — non illam quæ est in Æthiopia, nec illam quæ est in Africa, sed in Cyrenen quæ est in Media. Unde Josephus ait Damascenos translatos in Mediam.

10. CUMQUE VIDISSET ALTARE DAMASCI — egregia forma, materia et arte elaboratum, placuit ei ; unde jussit Uriæ Pontifici, ut ad ejus ideam simile fieri curaret Hierosolymis in templo, loco altaris a Salomone fabricati. An altare hoc idolis (uti Damasceni) erexerit, iisque sacrificarit Achaz, an vero Deo vero, Scriptura non exprimit ; verisimile tamen est eum idolis illud erexisse ; quia illa colebat ipse æque ac Damasceni, eisque ubique aras erigi jubebat, ut iniret gratiam Theglathphalasar, eumque sibi devinciret colendo ejus deos et idola, sed frustra : ideirco enim ab eo expilatus et subactus est, uti dixi. Ita Abulensis et alii.

11. EXTRUXITQUE URIAS SACERDOS ALTARE. — Peccavit Urias Pontifex, impium hoc altare erigens, malens placere regi Achaz quam Deo ; secus fecit S. Ambrosius ; nam ut ipse refert lib. V, *epist.* 32 : « Cum esset impositum ut Ecclesiæ vasa jam traderemus Imperatori, hoc responsi reddidi : me, si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum ; id quod mei juris esset, libenter offerre, templo Dei nihil posse decerpere, nec tradere illud, quod custodiendum, non tradendum acceperim. Deinde consulere me etiam Imperatoris saluti, quia nec mihi expedit tradere, nec illi accipere. Accipiat enim vocem liberi sacerdotis, si vult sibi esse consultum, recedat a Christi injuria, et absit a me ut tradam Christi hæreditatem, et hæreditatem Dionysii, qui in exilio, fidei causa, defunctus est, hæreditatem Eustorgii confessoris, hæreditatem Miroclis atque omnium retro fidelium Episcoporum. »

14. PORRO ALTARE ÆREUM (a Salomone fabricatum) QUOD ERAT CORAM DOMINO (id est coram Sancto, et Sancto sanctorum, in quo residebat Deus dans oracula) TRANSTULIT — per contemptum, ut dicitur II *Paralip.* XXVIII, 19 et 22 ; quia Achaz fuit impiissimus, ideoque contemptor Dei, ejusque altaris et templi. Ideirco enim altare Dei suo loco movit, illique suum Damascenum substituit, ac altare Dei ad latus sui altaris, quasi vicarium et precarium in angulo collocavit.

15. SUPER ALTARE MAJUS (quod ego amoto Salomonico, instar altaris Damasceni erigi curavi) OFFER HOLOCAUSTUM.

17. ET POSUIT SUPER PAVIMENTUM. — Fecit Achaz hæc omnia ad contemptum, ut dixi, altaris (huic enim luteres et mare æneum subserviebant), utque illud ad usus sucs, puta ad sacrificia foret inutile ; itaque Judæi non in eo, Deo vero, sed in idolis sacrificare cogerentur.

18. MUSACH QUOQUE SABBATI QUOD ÆDIFICAVERAT IN TEMPLO. — Repete ex vers. præced. « tulit, » et

« deposuit, » hoc est sustulit et defecit. Quid fuerit « Musach » variæ sunt sententiæ; sed duæ probabiliores; prior, *Musach* hebraice idem est quod *opertorium* sive *tectum*; significat ergo vel solium opertum, in quo sabbata aliisque festis diebus sedebant reges, ut sacrificiis interessent ac legem Dei audirent; unde cap. XXIII, vers. 3, « gradus » vocatur, ut vult R. Salomon. Hinc Septuaginta vertunt, *fundamentum cathedræ sabbatorum*, per quod videntur accipere basin cui imponebatur cathedra regis, cum veniret sabbato ad templum oraturus et legem auditurus, *Ezech.* XLVI, 1 : « Musach sabbati » ergo hebraice significat tentorium sabbatinum conopæo splendido coopertum, quod erat juxta atrium sacerdotum, sed extra illud, in quo rex sabbato et festis sedebat spectans sacrificia. Et hoc est tribunal in quo sedit Joas, cum coronatus est rex a Joiada Pontifice, IV *Regum* cap. XI, vers. 14; aut certe, « Musach » significat *palatium*, ut vertit Vatablus, sive suggestum opertum et tectum, in quo sedebant Levitæ et sacerdotes, dum legem et prophetas populo interpretabantur, ut vult Villalpandus, uti fecit Esdras. *Nehem.* cap. VIII, vers. 4. Posterior sententia est, quod « Musach » erat tegmen, puta velum vel tabulatum paratum pro Levitis aliisque templi custodibus, qui singulis sabbatis per vices munia sacra obibant in templo, ait Vatablus. Aut « Musach » erat locus contectus in atrio populi, ut sub illo tuti ab æstu, pluvia et ventis degerent homines, qui ad templum oraturi vel legem audituri confluebant. Unde Marianus in *Lexico* « Musach » vertit *porticus*. Omnes hi sensus probabiles sunt; impius enim Achaz videtur hoc sustulisse. Unde II *Paralip.* cap. XXVIII, vers. 24, dicitur clausisse templum Domini. Verum, quia « Musach sabbati » pertinere videtur ad expressum « regis, » qui hoc eodem versu continetur; hinc alius sensus quem mox subjicium videtur probabilior.

ET INTRAVERSUM REGIS EXTERIUS CONVERTIT IN TEMPLUM DOMINI PROPTER REGEM ASSYRIORUM. — *Primo*, nonnulli sic explicant, q. d. Achaz profanavit templum, cum illud fecit esse quasi vestibulum regii sui palatii, ut in illud non pateret aditus nisi per templum, et scilicet ipse esset tutior a rege Assyriorum, qui templum prius expugnare debuisset, antequam perveniret ad expugnationem palatii. Verum alia ex parte quæ templo non adjacebat, poterat oppugnari palatium, et facilius expugnari quam templum.

Secundo, Theodoretus et Lyranus censent Achaz obstruxisse iter quo e palatio ibatur ad templum, hoc fine ut rex Assyriorum intelligeret ipsum plane desertisse Deum verum Deique cultum, ut ejus ideo superaretur et coleret. Favet Chaldæus qui pro *convertit*, vertit, *avertit* (*convertere* enim est alio vel in contrariam partem vertere). Hebraice est בסר *hesir*, id est *auferre fecit*, ut nimirum si quis e regia in templum ire vellet, magno circuitu ostendebac converteret ex monte Sion, et trajicere totum Ophel, ut veniret ad radices montis Moria, indeque in templum 900 gradibus ascenderet, ut hæc molestia tam longi circuitus et molesti ascensus, eos qui erant regis familiæ, a templo adeundo avocaret, ait Salianus. Verum « *convertit in templum*, non avertere, sed vertere in templum, significat. Unde *tertio* planius sic nonnulli exponunt, q. d. Achaz vestibulum palatii sui, per quod ibatur in templum, quodque erat extra templum, adjecit templo, fecitque ut quod prius erat exterius templo, jam esset intra templum, ut sic imitaretur regem Assyriorum, qui palatium habebat ita innexum templo ut pars templi esse videretur; quæ erat quædam templi vilitas et profanatio. Sic enim fiebat ut in palatium ingredi nemo posset nisi per templum. Ita Vatablus.

Denique, hic videtur maxime obvius et congruus totius hujus versiculi esse sensus, ut per « Musach sabbati » accipiamus tentorium et conopæum in quo rex sedebat in sabbatis et festis in atrio laicorum, sed primo loco vicinissimus atrio sacerdotum, ut proxime spectaret sacrificia et audiret hymnos quos canebant sacerdotes et Levitæ in suo atrio, ut patet *Ezechiel.* XLVI, 1. Nemini enim laico, ne regi quidem, atrium sacerdotum ingredi fas erat, sed solis sacerdotibus et Levitis. Achaz vero in gratiam regis Assyriorum, qui vilo et indecorum sibi esse existimabat foris stare cum vili plebe, « Musach » hoc, sive tentorium, « convertit in templum Domini, » id est diruto muro intermedio, junxit atrio sacerdotum, ut vicinum esset Sancto et Sancto sanctorum, ut jam non inter laicos et plebem, sed inter sacerdotes rex uterque consistere vel considere posset, quasi separatus a vulgo et sacerdotibus annumeratus, ut proxime omnia sacra quæ sacerdotes peragebant tam in atrio, quam in Sancto, cerneret et audiret. Porro, quia ad hoc regis « Musach, » sive tentorium et tribunal ingressus patebat ex ipsa domo regia per intermedia atria, hinc Achaz hunc quoque ingressum qui domus suæ regiæ pars erat, qua rex e regia ad « Musach » descendebat, quæ idcirco hic vocatur « ingressus regis, » templo conjunxit, ut quæ quasi domus laica antea erat extra atrium sacerdotum, jam dejecto septo intermedio intra ipsum atrium sacerdotum concluderetur, eam eoque pertingeret usque ad Sanctum et Sanctum sanctorum. Hunc sensum exigit *is convertit in templum Domini*, quod tam ad *ingressum regis*, quam ad *Musach sabbati* pertinet. Ita Gaspar Sanchez ex Rabbino Salomone, Tyranus et alii; nec improbat Abulensis qui tamen aliam expositionem adjicit, dicens duas fuisse e regia vias ad templum, unam patentem et publicam, per quam spectante populo rex ibat ad templum, alteram occultam et clausam, per quam rex secreto, cum videri nollet, adibat templum : publicam viam clausit Achaz, ut regi Assyriorum (cujus gratiam ambiebat) videretur notitiæ religionis

desertor, et idolorum ejus cultor; occultam vero servavit, ut per eum occulte templum ingredi posset, nec regem Assyriorum, utpote id ignorantem offenderet, ideoque de eo hic dici quod « ingressum regis exterius converterit in templum Domini propter regem Assyriorum. » Ita Abulensis. Verum obstat quod ingressus hic ad templum jam ante erat; quare nequit dici quod Achaz eum converterit in templum Domini.

Minus vere quoque Glossa, quam sequuntur Dionysius et Hugo, censet « Musach sabbati » fuisse ædificium in templi vestibulo, in quod reges sabbatis ad templum venientes eleemosynas conjicerent : « Musach » ergo fuisse gazophylacium regum, sicut « Corbona » erat gazophylacium laicorum.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Osee ultimus regnat in Israel : illo enim negante tributum Salmanasar reliquas quinque tribus Israel s transfert in Assyriam, ac Assyrios eolonos mittit in Samariam, qui in ea tam Deo Israelis, quam suis diis et idolis serviunt.

1. Anno duodecim Achaz regis Juda, regnavit Osee filius Ela in Samaria super Israel novem annis. 2. Fecitque malum coram Domino; sed non sicut reges Israel, qui ante eum fuerant. 3. Contra hunc ascendit Salmanasar rex Assyriorum, et factus est ei Osee servus, reddebatque illi tributa. 4. Cumque deprehendisset rex Assyriorum Osee, quod rebellare nitens misisset nuntios ad Sua regem Ægypti, ne præstaret tributa regi Assyriorum sicut singulis annis solitus erat, obsedit eum, et vinctum misit in carcerem. 5. Pervagatusque est omnem terram : et ascendens Samariam, obsedit eam tribus annis. 6. Anno autem nono Osee, cepit rex Assyriorum Samariam, et transtulit Israel in Assyrios : posuitque eos in Hala, et in Habor, juxta fluvium Gozan, in civitatibus Medorum. 7. Factum est enim, cum peccassent filii Israel Domino Deo suo, qui eduxerat eos de terra Ægypti, de manu Pharaonis regis Ægypti, coluerunt deos alienos. 8. Et ambulaverunt juxta ritum Gentium, quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israel, et regum Israel, quia similiter fecerant. 9. Et offenderunt filii Israel verbis non rectis Dominum Deum suum : et ædificaverunt sibi excelsa in cunctis urbibus suis, a Turre custodum usque ad Civitatem munitam. 10. Fecerunteque sibi statuas et lucos in omni colle sublimi, et subter omne lignum nemorosum : 11. et adolebant ibi incensum super aras in morem Gentium, quas transtulerat Dominus a facie eorum; fecerunteque vecha pessima irritantes Dominum. 12. Et colnerunt immunditias, de quibus præcepit eis Dominus ne facerent verbum hoc. 13. Et testificatus est Dominus in Israel et in Juda, per manum omnium Prophetarum et Videntium, dicens : Revertimini a viis vestris pessimis, et custodite præcepta mea, et cæremonias, juxta omnem legem quam præcepi patribus vestris, et sicut misi ad vos in manu servorum meorum Prophetarum. 14. Qui non audierunt, sed induraverunt cervicem suam juxta cervicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo. 15. Et abjecerunt legitima ejus, et pactum quod pepigit cum patribus eorum, et testificationes quibus contestatus est eos : secutique sunt vanitates, et vane egerunt; et secuti sunt Gentes, quæ erant per circuitum eorum, super quibus præceperat Dominus eis, ut non facerent sicut et illæ faciebant. 16. Et dereliquerunt omnia præcepta Domini Dei sui : fecerunteque sibi conflatiles duos vitulos et lucos, et adoraverunt universam militiam cœli; servieruntque Baal, 17. et consecraverunt filios suos, et filias suas, per ignem : et divinationibus inserviebant et auguriis, et tradiderunt se ut facerent malum coram Domino, ut irritarent eum. 18. Iratusque est Dominus vehementer Israeli, et abstulit eos a conspectu suo, et non remansit nisi tribus Juda tantummodo. 19. Sed nec ipse Juda custodivit man-

data Domini Dei sui : verum ambulavit in erroribus Israel, quos operatus fuerat. 20. Projecitque Dominus omne semen Israel, et afflixit eos, et tradidit eos in manu diripientium, donec projiceret eos a facie sua : 21. ex eo jam tempore, quo scissus est Israel a domo David, et constituerunt sibi regem Jeroboam filium Nabath : separavit enim Jeroboam Israel a Domino, et peccare eos fecit peccatum magnum. 22. Et ambulaverunt filii Israel in universis peccatis Jeroboam quæ fecerat : et non recesserunt ab eis, 23. usquequo Dominus auferret Israel a facie sua, sicut locutus fuerat in manu omnium servorum suorum Prophetarum : translatusque est Israel de terra sua in Assyrios, usque in diem hanc. 24. Adduxit autem rex Assyriorum de Babylone, et de Cutha, et de Ava, et de Emath, et de Sepharvaim : et collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filiis Israel, qui possederunt Samariam, et habitaverunt in urbibus ejus. 25. Cumque ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum : et immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos. 26. Nuntiatumque est regi Assyriorum, et dictum : Gentes, quas transtulisti, et habitare fecisti in civitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ; et immisit in eos Dominus leones, et ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ. 27. Præcepit autem rex Assyriorum, dicens : Ducite illuc unum de sacerdotibus, quos inde captivos adduxistis, et vadat, et habitet cum eis; et doceat eos legitima Dei terræ. 28. Igitur cum venisset unus de sacerdotibus his, qui captivi ducti fuerant de Samaria, habitavit in Bethel, et docebat eos quomodo colerent Dominum. 29. Et unusquisque Gens fabricata est deum suum : posueruntque eos in fanis excelsis, quæ fecerant Samaritæ, Gens et Gens in urbibus suis, in quibus habitabat. 30. Viri enim Babylonii fecerunt Sochothbenoth : viri autem Chutæi fecerunt Nergel, et viri de Emath fecerunt Asima. 31. Porro Hevæi fecerunt Nebahaz et Tharthac. Hi autem qui erant de Sepharvaim comburebant filios suos igni, Adramelech et Anamelech diis Sepharvaim, 32. et nihilominus colebant Dominum. Fecerunt autem sibi de novissimis sacerdotes excelsorum, et ponebant eos in fanis sublimibus. 33. Et cum Dominum colerent, diis quoque suis serviebant juxta consuetudinem Gentium, de quibus translati fuerant Samariam; 34. usque in præsentem diem morem sequuntur antiquam : non timent Dominum; neque custodiunt cæremonias ejus, judicia, et legem, et mandatum quod præceperat Dominus filiis Jacob, quem cognominavit Israel. 35. Et percusserat cum eis pactum, et mandaverat eis, dicens : Nolite timere deos alienos, et non adoretis eos, neque colatis eos, et non immoletis eis; 36. sed Dominum Deum vestrum, qui eduxit vos de terra Ægypti in fortitudine magna, et in brachio extento, ipsum timete, et illum adorate, et ipsi immolate. 37. Cæremonias quoque, et judicia, et legem, et mandatum quod scripsit vobis, custodite ut faciatis cunctis diebus, et non timeatis deos alienos. 38. Et pactum, quod percussit vobiscum, nolite oblivisci : nec colatis deos alienos, 39. Sed Dominum Deum vestrum timete, et ipse eruet vos de manu omnium inimicorum vestrorum. 40. Illi vero non audierunt, sed juxta consuetudinem suam pristinam perpetrabant. 41. Fuerunt igitur Gentes istæ timentes quidem Dominum; sed nihilominus et idolis suis servientes : nam et filii eorum, et nepotes, sicut fecerunt patres sui, ita faciunt usque in præsentem diem.

1. Anno duodecimo Achaz regis Juda regnavit Osee filius Ela in Samaria. — Hic annus 12 Achaz erat octavus post mortem Phacee; Phacee enim regnavit 20 annis, et mortuus est anno quarto Achaz, ut patet ex dictis cap. XVI, vers. 1. Quare fuit hic interregnum 8 annorum in Israel, scilicet ab anno quarto Achaz, quo mortuus est Phacee, usque ad annum duodecimum Achaz, quo Phacee successit Osee. Videtur ergo regnum Osee in Israel interruptum armis vel Syrorum, vel æmulæ familiæ Phacee, ait Abulensis, *Quæst.* XVII, per octo annos, donec octavo anno Osee iterum viribus resumptis cœpit regnare anno 12 Achaz. Ita Richardus de S. Victore in concordia annorum regum Israel et Juda, Cajetanus et alii. Vide dicta cap. XV, 30.

2. Fecitque malum (Israeli solitum, scilicet colendo vitulos aureos a Jeroboam ibidem erectos, quasi deos penates sive Israeli proprios et patrios) coram Domino, sed non sicut reges qui ante

eum fuerant; — quia, ut tradunt Hebræi *in Seder-Olam* cap. XXII, Osee licet ipse coleret vitulos aureos, permisit tamen suis qui vellent ire in Jerusalem, ibique adorare Deum Judæorum in templo, quod cæteri reges Israel non permiserant, imo per dispositos a se custodes, euntes intercipiebant. Hinc Osee permisit Israelitas ab Ezechia invitatos Jerosolymam ad celebrandum Pascha, eodem pergere, ut patet II *Paralip.* XXX, 11 et 18.

3. Contra hunc ascendit Salmanasar — filius Theglathphalasar filii Phulensis. Genebrardus putat Salmanasar esse eum qui a Ptolemæo Nabonassar vocatur. Verum Salmanassar fuit Assyrius, Nabonassar vero Chaldæus, ut nomina ipsa indicant. Ita Serarius. Quare Nabonassar fuit Baladan, de quo cap. XX, 12.

Et factus est ei Osee servus, reddebatque illi tributa — per quinque vel sex annos, quibus exactis negavit tributum, fretus ope regis Ægypti. Quare Salmanasar invasit Israelem, ac Osee vinxit, et Samariam per tres annos obsedit, ac anno tertio cepit; qui fuit annus nonus et ultimus Osee, quo Salmanasar reliquas quinque tribus Israelis abduxit in Assyriam et Mediam, sicut Theglathphalasar pater ejus ante quatuordecim annos quinque viciniores tribus eodem abduxerat. Fuit hæc secunda plenaque captivitas Israelis, sive decem tribuum, ex qua nunquam redierunt, facta anno sexto Ezechiæ regis Juda, idque ut testimonium esset Christum exspectatum esse Messiam sibi jam olim ex libris veteris Testamenti, ait Cajetanus; nulla enim spes eis restat restituendi regni terreni, cum plane sint dissipati et dispersi, sed tantum spes regni spiritualis, et salutis æternæ quam attulit Christus omnibus gentibus quæ in eum credere volunt. Porro tunc ex Israel in Assyriam abductus fuit Tobias; erat enim ipse ex tribu Nephtali : quare ejus historia hic subnectenda est; hoc enim tempore sub Salmanasar contigit.

6. Posuitque eos in Hala et Habor juxta fluvium Gozan, in civitatibus Medorum. — Josephus ait abductos in Mediam et Persidem. Scaliger censet translatos ad Colchos et Iberos. Ego vero, ait Genebrardus, puto veterem Tartariam esse ad desertum Belgiam in Orientis Septentrionalis angulo, e qua illi sub annum Christi 1200, duce Cignis erumpentes, cum antea ignoti essent, et loco et nomine, imperium Cham Tartarorum, quod hodie memoratur, constituerunt. Nam in Hebræorum annalibus apud R. Salomonem in XXVII *Isaiæ*, decem tribus in Oriente fuerunt perditæ, ibique facile amplexæ sunt Mahometismum : quod jam ab ævo circumciderentur, et corrupta Judaam Moysaicæ religionis specie tinctæ essent. Confirmat id Genebrardus, ex eo quod hordæ quædam apud Tartaros nomina Dan, et Nephtalim et Zabulon retinuisse dicuntur, aliaque apud eos exstare legis et rerum Hebraicarum monumenta : ut non mirum sit Russiam, Sarmatiam, Livoniam et Moscoviam Judæis abundare, qui etiam nunc, sicut et in Europa, patriæ superstitionis retinentissimi sunt. Addit Genebrardus plerosque in Americam penetrasse; nam ibi sepulcra subterranea cum litterarum Hebraicarum inscriptionibus esse reperta (1), et eam profectionem indicari IV *Esdræ* XIII, 40 : « Hæ sunt decem tribus, inquit, quæ captivæ factæ sunt de terra sua in diebus Osee regis, quem captivum duxit Salmanasar rex Assyriorum, et transtulit eos trans flumen, et translati sunt in terram aliam, etc. » Denique censet Genebrardus hanc Israelitarum per Orientem et Septentrionem dispersionem et quasi infusionem Judæorum, fabulæ quod Caspiis montibus clausi teneantur, occasionem dedisse. Hic ergo finitur regnum Israel sive decem tribuum, quod a primo eorum rege Jeroboam, qui fecit schisma a Roboam rege Juda, stetit per annos 256, hæcque est Assyriaca captivitas, quæ Babylonicam in qua abducta est tribus Juda, et excisa Jerusalem sub Sedecia rege, præcessit annis 134.

Porro multi hanc captivitatem prævidentes fugerant in alias provincias, multi etiam veri Dei cultores migrarunt in tribum Juda, eique se junxerunt, ut patet ex sequenti.

9. Et irritaverunt filii Israel verbis non rectis Dominum. — « Verbis, » id est, rebus et operibus, puta idololatriis et superstitionibus. « Verbum » enim sæpe in Scriptura significat rem verbo significatam per metonymiam, uti hic vers. 11.

A turre custodum usque ad civitatem munitam. — « Turrim custodum, » vocat turrim rusticanam, quæ erigitur in agris et vineis, ut in ea degant custodes, qui uvas, fructus et segetes custodiant, *q. d.* Israelitæ statuerunt idola in locis et municipiis tam parvis quam magnis, scilicet tam in pagis et villis, quam in oppidis et urbibus munitis. Ita Vatablus.

11. Fecerunteque verba (id est opera) pessima, — uti jam dixi.

13. Et testificatus (protestatus) est Dominus in Israel et in Juda per manus omnium prophetarum; — tunc enim Deus misit prophetas, scilicet Osee, Isaiam, Joelem, Amos, Abdiam et Michæam, ut patet ex eorum procemio. Nam sub Azaria, sive Ozia rege cœpit prophetare Osee et Isaias, qui ex parte Dei protestati sunt Israeli et Judæ de injuria et impietate in Deum commissa, quod scilicet relicto Deo colerent idola, ac de ejus castigatione, quod scilicet Deus eos per Assyrios vastaret, et captivos abduceret; hanc enim eis comminati et vaticinati sunt.

13. Et secuti sunt Gentes quæ erant per cir-

(1) Quin et multas traditiones S. Scripturis consentientes, D. de Humboldt in America reperit, quæ videre est in opere cui titulus : *Monumenta populorum indigenorum Americæ* (2 in 8 Parisiis 1816).

CUTHA. — Ecce hæc fuit Israelitis occasio et causa idololatriæ, quod scilicet per commercium, connubia, et familiaritatem cum gentibus vicinis, earum mores et superstitiones didicerint et imbiberint. Sic nostro seculo Germania, Gallia, Suecia, Dania, Anglia, Scotia, etc., a vicina Saxonia Saxonis Lutheri hæresim imbiberunt per mutua commercia, præsertim mercatorum hæreticorum.

16. ET ADORAVERUNT UNIVERSAM MILITIAM COELI, — puta solem, lunam, luciferum cæteraque astra, quæ sunt quasi « milita » et ordinata acies Dei, quæ semper circumit, et stationes suas obit, militatque Deo ac ejus justa in infideles et impios vibrat procellas, tonitrua et fulmina.

20. PROJECERUNT DOMINUS OMNE SEMEN ISRAEL (scilicet tam decem tribuum, quam tribus Juda, de qua sermo præcessit), DONEC PROJICERET EOS A FACIE SUA, — id est donec plene et irrevocabiliter eos a se abjiceret. Notent hic Judæi, scilicet se plane a Deo abjectos et projectos esse, ut suæ gentis e captivitate, quam per 1800 annos patiuntur, liberationem, et Synagogæ restitutionem sperare non debeant, sed cæteris gentibus immixti et permixti, cum eis in Christum credere debeant, si a servitute tam temporali quam æterna liberari velint.

24. ADDUXIT AUTEM REX ASSYRIORUM VIROS DE BABYLONE. — Hinc patet Salmanasar dominatum fuisse non tantum Assyriæ, sed et Babyloni : nam inde colonos transtulit in Samariam.

ET DE CUTHA. — Hinc coloni hi translati in Samariam dicti sunt Cuthæi, sicut a Samaria dicti sunt Samaritani. Quare ipsi fuere Babylonii et Assyrii, non vero Judæi vel Israelitæ.

25. IGNORANT LEGITIMA DEI TERRÆ, — id est ignorant ritum et cæremonias, quibus legitime coli vult Deus Samariæ : idcirco enim ipse variis immisit in eos leones, ut præcessit.

30. VIRI ENIM BABYLONII FECERUNT SOCCHOTH BENOTH — quasi suum simulacrum et idolum. Notat Vatablus voces has esse Syriacas et Chaldaicas, atque hæc significare : *Socchoth Benoth* idem est quod *gallinæ cum pullis suis*. *Nergel* est *gallus gallinaceus*. *Asima* est *hircus splendens*. *Nebhaz* est *canis*, eo quod latrare soleat, aut ictus exerat dentes. *Tharthac* est *asinus*. *Adrammelech* et *Anammelech* est *mulus et asinus*. Vide et mirare hic stolliditatem Cuthæorum sive Samaritarum, qui stolidissima animalia, uti sunt mulus, equus et asinus, pro diis colnerunt : permisit hoc Deus ut ostenderet in quæ absurda humana incidant illi qui verum Dei numen deserunt.

33. ET CUM DOMINUM COLEBANT, DIIS QUOQUE SUIS SERVIEBANT. — Nova fuit hæc Cuthæorum stultitia, quod Deum cum idolis suis colerent, quasi Deus esset Dominus terræ Israel, quam ipsi incolebant; idola vero essent dii patrii suarum terrarum, ex quibus abducti erant in Samariam.

41. FUERUNT IGITUR GENTES ISTÆ TIMENTES (adorantes, sacrificantes, colentes) QUIDEM DOMINUM, NIHILOMINUS ET IDOLIS SUIS SERVIENTES. NAM FILII EORUM ET NEPOTES, SICUT FECERUNT PATRES EORUM, ITA FACIUNT USQUE IN PRÆSENTEM DIEM. — Ii ergo sunt Cuthæi sive Samaritæ vel Samaritani, qui simul colebant Deum Israel cum idolis gentium, filiisque Judæis Deum solum colentibus fuere exosi quasi anathemata, ut patet ex Samaritana cum Christo colloquente, *Joannis* IV. Ex tota enim gentium deorum et religionum colluvie et permixtione, religionem quamdam ex mitis compactam, quasi centonem monstrosum effecere. Quare errores varios habuere, quos recenset S. Epiphanius, Philastrius et alii in eorum hæresi. A Judæis mutuati sunt circumcisionem, sabbati cultum, cæremonias a Moyse præscriptas. Solum enim Moysis Pentateuchum admittebant, cæteros vero prophetas et hagiographas spernebant. Ab aliis gentibus mutuati sunt eorum idola, ritus gentilitios, superstitiones, etc. Addit Philastrius, et ex eo Gabriel Præteolus in hæresi Samaritanorum, eos *primo*, judicium futurum non exspectare; *secundo*, resurrectionem mortuorum negare; *tertio*, animæ immortalitatem inficiari; *quarto*, Jesum esse Christum Dei Filium a prophetis promissum non credere; *quinto*, S. Epiphanius, hæres 9 sub medium : « Habent, inquit, alias quasdam dementes consuetudines antiquas, quod videlicet urinam se prolouunt, ubi ab exteris venerint, pollui ruminum. Et quod in aquam se una cum vestibus immergunt, ubi contigerint alium ex alia gente. » De aliis Samaritanorum erroribus vide Epiphanium, *hæresi* 10, 11, 12, 13. Porro Samaritæ, cum Judæis omnia prospere succederent, volebant esse Judæi, cum sinistre eos aversabantur, instar vespertilionis Æsopici, qui cum avibus volebat esse avis, propter alas quas habet, cum muribus mus; corpore enim est mus, sed alis avis. Unde Josephus, lib. XI *Antiq.* cap. VIII, et lib. XII, cap. VII, scribit Samaritas, cum viderent Alexandrum Magnum Judæis amicum, jactasse se esse Judæos, et eamdem cum eis religionem colere : cum vero Antiochum Epiphanem eis infensum et infestum conspicerent, negasse se esse Judæos, eosque aversatos esse.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Regnat Ezechias, idola subvertit, rebellat regi Sennacherib, qui vers. 17, mittit Rabsacen. Hic Deum blasphemat, et Ezechiæ insultat, audetque Judæis ut se dedant Sennacherib.

1. Anno tertio Osee filii Ela regis Israel, regnavit Ezechias filius Achaz regis Juda. 2. Viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpisset; et viginti novem annis regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus Abi filia Zachariæ, 3. Fecitque quod erat bonum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus. 4. Ipse dissipavit excelsa, et contrivit statuas, et succidit lucos, confregitque serpentem æneum quem fecerat Moyses : siquidem usque ad illud tempus filii Israel adolebant ei incensum; vocavitque nomen ejus Nohestan. 5. In Domino Deo Israel speravit : itaque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Juda, sed neque in his qui ante eum fuerunt; 6. et adhæsit Domino, et non recessit a vestigiis ejus, fecitque mandata ejus, quæ præceperat Dominus Moysi. 7. Unde et erat Dominus cum eo, et in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se agebat. Rebellavit quoque contra regem Assyriorum, et non servivit ei. 8. Ipse percussit Philistæos usque ad Gazam, et omnes terminos eorum, a Turre custodum usque ad Civitatem munitam. 9. Anno quarto regis Ezechiæ, qui erat annus septimus Osee filii Ela regis Israel, ascendit Salmanasar rex Assyriorum in Samariam, et oppugnavit eam, 10. et cepit. Nam post annos tres, anno sexto Ezechiæ, id est nono anno Osee regis Israel, capta est Samaria : 11. et transtulit rex Assyriorum Israel in Assyrios, collocavitque eos in Hala et in Habor fluviis Gozan in civitatibus Medorum; 12. quia non audierunt vocem Domini Dei sui, sed prætergressi sunt pactum ejus : omnia, quæ præceperat Moyses servus Domini, non audierunt, neque fecerunt. 13. Anno quartodecimo regis Ezechiæ, ascendit Sennacherib rex Assyriorum ad universas civitates Juda munitas, et cepit eas. 14. Tunc misit Ezechias rex Juda nuntios ad regem Assyriorum in Lachis, dicens : Peccavi, recede a me; et omne quod imposueris mihi feram. Indixit itaque rex Assyriorum Ezechiæ regi Judæ trecenta talenta argenti, et triginta talenta auri. 15. Dedit que Ezechias omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini, et in thesauris regis; 16. in tempore illo confregit Ezechias valvas templi Domini, et laminas auri, quas ipse affixerat, et dedit eas regi Assyriorum. 17. Misit autem rex Assyriorum Thartham, et Rabsaris, et Rabsacen, de Lachis ad regem Ezechiam, cum manu valida, Jerusalem : qui cum ascendissent, venerunt Jerusalem, et steterunt juxta aquæductum piscinæ superioris, quæ est in via Agrifullonis. 18. Vocavertuntque regem : egressus est autem ad eos Eliacim filius Helciæ, præpositus domus, et Sobna scriba, et Joahe filius Asaph a commentariis. 19. Dixitque ad eos Rabsaces : Loquimini Ezechiæ : Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum : Quæ est ista fiducia, qua niteris? 20. Forsitan inisti consilium, ut præpares te ad prælium. In quo confidis, ut audeas rebellare? 21. an speras in baculo arundineo atque confracto Ægypto, super quem, si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, et perforabit eam? sic est Pharao rex Ægypti omnibus qui confidunt in se. 22. Quod si dixeritis mihi : In Domino Deo nostro habemus fiduciam; nonne iste est cujus abstulit Ezechias excelsa et altaria, et præcepit Judæ et Jerusalem : Ante altare hoc adorabitis in Jerusalem? 23. Nunc igitur transite ad Dominum meum regem Assyriorum, et dabo vobis duo millia equorum, et videte an habere valeatis ascensores eorum? 24. Et quomodo potestis resistere ante unum satrapam de servis domini mei minimis? An fiduciam habes in Ægypto propter currus et equites? 25. Numquid sine Domini voluntate ascendi ad

locum istum, ut demolirer eum? Dominus dixit mihi : Ascende ad terram hanc, et demolire eam. 26. Dixerunt autem Eliacim filius Helciæ, et Sobna, et Joahe, Rabsaci : Precamur ut loquaris nobis servis tuis Syriace, siquidem intelligimus hanc linguam; et non loquaris nobis Judaice, audiente populo, qui est super murum. 27. Responditque eis Rabsaces, dicens : Numquid ad dominum tuum, et ad te misit me dominus meus, ut loquerer sermones hos, et non potius ad viros, qui sedent super murum, ut comedant stercora sua, et bibant urinam suam vobiscum? 28. Stetit itaque Rabsaces, et exclamavit voce magna Judaice, et ait : Audite verba regis magni, regis Assyriorum. 29. Hæc dicit rex : Non vos seducat Ezechias; non enim poterit eruere vos de manu mea. 30. Neque fiduciam vobis tribuat super dominum, dicens : Eruens liberavit nos Dominus, et non tradetur civitas hæc in manu regis Assyriorum. 31. Nolite audire Ezechiam. Hæc enim dicit rex Assyriorum : Facite mecum quod vobis est utile, et egredimini ad me; et comedet unusquisque de vinea sua, et de ficu sua, et bibetis aquas de cisternis vestris : 32. donec veniam, et transferam vos in terram quæ similis est terræ vestræ, in terram fructiferam, et fertilem vini, terram panis et vinearum, terram olivarum, et olei ac mellis, et vivetis, et non moriemini. Nolite audire Ezechiam qui vos decipit, dicens : Dominus liberabit nos. 33. Numquid liberaverunt dii Gentium terram suam de manu regis Assyriorum? 34. Ubi est deus Emath, et Arphad? ubi est deus Sepharvaim, Ana et Ava? numquid liberaverunt Samariam de manu mea? 35. Quinam illi sunt in universis diis terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu mea, ut possit eruere Dominus Jerusalem de manu mea? 36. Tacuit itaque populus, et non respondit ei quidquam : siquidem præceptum regis acceperant, ut non responderent ei. 37. Venitque Eliacim filius Elciæ, præpositus domus, et Sobna scriba, et Joahe filius Asaph a commentariis, ad Ezechiam, scissis vestibus, et nuntiaverunt ei verba Rabsacis.

2. VIGINTI QUINQUE ANNORUM ERAT, CUM REGNARE COEPISSET. — Dicas : Ex capite præcedenti liquet quod Achaz vixerit duntaxat triginta sex annis; ergo Achaz genuit Ezechiam anno ætatis undecimo : nam cum ipse mortuus est anno ætatis trigesimo sexto, succedens ei Ezechias erat 25 annorum; tolle enim 25 a 36, remanent anni undecim. Consequentiam admittit Cajetanus, Sanchez et S. Hieronymus, epistola 132 *ad Vitalem*, ubi pluribus exemplis id fieri posse probat. Abulensis tamen censet Achaz fuisse quatuordecim annorum, cum genuit Ezechiam; quia, inquit, in Scriptura tacentur anni ejus incompleti. Erat enim Achaz, inquit Abulensis, cum cœpit regnare, viginti annorum scilicet completorum, et unius incompleti, quem Scriptura non numerat. Rursum sedecim annis regnavit, scilicet completis, insuper decimo septimo incompleto : quare mortuus est anno ætatis trigesimo octavo. Ezechias quoque erat tantum 24 annorum completorum, cum regnare cœpit; sed inchoarat annum 25.

4. CONFREGITQUE SERPENTEM ÆNEUM QUEM FECERAT MOYSES (ad sanandum eos qui a serpentibus morsi erant, *Numer.* XXI, 8); SIQUIDEM USQUE AD ILLUD TEMPUS FILII ISRAEL ADOLEBANT EI INCENSUM — tanquam numini beneficio, utpote qui patres eorum curasset a morsu serpentum. Addit Philastrius Episcopus Brixiensis, coævus S. Ambrosio, lib. *De hæresibus*, cap. XXI, Ezechiam jussisse deleri et ferro radi; penitusque excindi impressiones sive insculptiones quasdam quas Judæorum populus faciebat in lapide quodam magno, velut obelisco, qui in templo, loco columnæ erectus erat : ex quo tollentes diversas formulas velut quarumdam litterarum, et in lamina ponentes in collo bajulabant, quibus incantationes quasdam et maleficia exercebant, atque percolebant ea velut tutamina quædam, in pectore suo illa portantes, quæ Dominus in lege passim fieri vetuerat, quod paganeæ cæcitatis hæc esset impietas.

VOCAVITQUE NOMEN EJUS NOHESTAN, — id est *æneum*, scilicet ex parvo, vili et tinnulo ære conflatum. « Nohestan » enim est nomen diminutivum, quo utitur Ezechias ad simulacri contemptum, *q. d.* Quid putatis, o Judæi, parum æris vilis ac dedidique habere divinitatem? Erratis, nil in eo est numinis, nil magni, nam non est aliud quam modica objecti nigrique æris portio. Addit Anastasius Nicænus ex Eusebio : « Libros, inquit, Salomonis qui scripti erant de Proverbiis, et odis in quibus tractabatur de natura plantarum et omni genere animalium, et de curatione omnium morborum, de medio sustulit Ezechias; propterea quod morborum medelas inde acciperet populus, et nihili facerent a Deo petere curationes. »

5. IN DOMINO DEO ISRAEL SPERAVIT, — ideoque dicitur vers. 7 : « Unde et erat Dominus cum eo, et in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se agebat. » Unde et apposite vocatus est « Ezechias » hebraice חזקיהו *Chizkiahu*, id est *fortitudo mea Dominus*, ait Pagninus, quasi hoc ejus fuerit lemma et symbolum.

NON FUIT SIMILIS EI, — Ezechiæ, quoad hoc scilicet, quod abstulerit excelsa et serpentem æneum confregerit, quæ alii reges omnes ante eum permiserant. Nam alioqui David videtur religiosior et sanctior fuisse Ezechia : David enim vir fuit secundum cor Dei, cui proinde a Deo facta est promissio de Christo ex se nascituro; adeoque David a Deo statutus est in exemplar quod imitarentur, regibus omnibus ex eo nascituris. Ita Abulensis. Vel certe est hyperbole, *q. d.* Adeo pius et zelosus in Dei cultu tuendo fuit Ezechias, ut vix videatur habuisse parem vel similem. Idem dicitur de Abraham, *Eccli.* XLIV, 20 : « Non est, inquit, inventus similis illi in gloria, qui conservavit legem Excelsi. » Vide ibi dicta.

7. REBELLAVIT QUOQUE CONTRA REGEM ASSYRIORUM, — cui se pater ejus Achaz subjecerat pendebatque tributum, quod negavit Ezechias, indignum reputans regem Juda fidelem servire regi infideli, confidensque in Deo, quod ipse se ab hac servitute liberaret, uti et fecit, per miraculosam victoriam.

8. A TURRE CUSTODUM — rusticana, ut dixi cap. XVII, vers. 9.

11. COLLOCAVITQUE EOS IN HALA ET IN HABOR FLUVIIS GOZAN IN CIVITATIBUS MEDORUM — Pro *fluviis*, Serarius et alii censent legendum *fluvii*. Unde Vatablus vertit, *juxta fluvium Gozan*, et sic vertit Noster, cap. XVII, 6. Hebraice enim est נהר *nehar*, id est *fluvii*, in singulari; aut certe fluvii vocantur urbes adjacentes fluviis per metonymiam, nam in urbibus habitant homines, non in fluviis, nisi apud Sinas, ubi tanta est hominum copia, ut terra eos non capiat : quare multi in pontibus et navibus fluminum habitare coguntur, teste nostro Nicolao Trigaultio in historia Chinensi.

13. ANNO QUARTODECIMO REGIS EZECHIÆ ASCENDIT SENNACHERIB, — qui jam Salmanasar patri vita functo, in regno Assyriorum successerat. Ascendit autem contra Judam, eo quod Ezechias rebellasset et tributum negasset, vers. 7. Id factum est ex Dei providentia, qui, non obstante pietate Ezechiæ, volebat punire tribum Juda, ob idolatriam et scelera ab ea commissa.

17. MISIT AUTEM REX ASSYRIORUM. — Nota hic perfidiam Sennacherib qui, acceptis ab Ezechia trecentis argenti talentis, et triginta auri, nihilominus mittit contra eum exercitum, qui proinde ab Angelo cæsus est, ac dum aliena invasit, sua domi amisit.

QUÆ EST IN VIA AGRIFULLONIS. — Ita dictus est ager, quod in eo fullones aqua piscinæ pannos abluerent.

23. DOMINUS DIXIT MIHI : ASCENDE AD TERRAM HANC ET DEMOLIRE EAM. — Mentitur Rabsaces se Dei jussu invadere Judæos, ut eos terreat, et ad deditionem compellat. Ita Abulensis.

Reliqua hujus capitis transcripta sunt ex *Isaiæ* cap. XXXVI, ubi ea explicui : Isaias enim fuit internuntius inter Deum et Ezechiam, cique victoriam contra Sennacherib prædixit et promisit.

36. PRÆCEPTUM REGIS (Ezechiæ) ACCEPERANT, UT NON RESPONDERENT EI. — Cur? Respondet primo S. Cyrillus Alexandrinus in cap. *Isaiæ* citatum : « Quia, inquit, imperitis sermonibus, et fastui barbarico, linguæque contra Deum petulanti illacrymari potius, quam reclamare oportuit. » Respondet *secundo* Procopius ad locum citatum Regum : « Nihil, inquit, ad blasphemias istas responderi passus est pius rex, ne ad majores provocaret. » Respondet *tertio* Abulensis, ibidem *Quæst.* XLIV : « Quia ad honorem, inquit, regis pertinebat, quod negotia fierent prudenter, ordinate, et cum maturatione; si autem quilibet de populo posset respondere Rabsaci, sicut vellet, esset quædam deordinatio magna, et posset irridere Rabsaces deordinationem quam habebat Ezechias in subditis et negotiis suis. »

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Isaias prædicit Ezechiæ victoriam de Sennacherib; quare Angelus ex ejus castris cædit 185 millia.

1. Quæ cum audisset Ezechias rex, scidit vestimenta sua, et opertus est sacco, ingressusque est domum Domini. 2. Et misit Eliacim præpositum domus, et Sobnam scribam, et senes de sacerdotibus, opertos saccis, ad Isaiam prophetam filium Amos. 3. Qui dixerunt : Hæc dicit Ezechias : Dies tribulationis, et increpationis, et blasphemiæ, dies iste : venerunt filii usque ad partum, et vires non habet parturiens. 4. Si forte audiat Dominus Deus tuus universa verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus, ut exprobraret Deum viventem, et argueret verbis, quæ audivit Dominus Deus tuus : et fac orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt. 5. Venerunt ergo servi regis Ezechiæ ad Isaiam. 6. Dixitque eis Isaias : Hæc di-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cetis domina vestro : Hæc dicit Dominus : Noli timere a facie sermonum, quos audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me. 7. Ecce, ego immittam ei spiritum, et audiet nuntium, et revertetur in terram suam, et dejiciam eum gladio in terra sua. 8. Reversus est ergo Rabsaces, et invenit regem Assyriorum expugnantem Lobnam : audierat enim quod recessisset de Lachis. 9. Cumque audisset de Tharaca rege Æthiopiæ, dicentes : Ecce, egressus est ut pugnet adversum te : et iret contra eum, misit nuntios ad Ezechiam, dicens: 10. Hæc dicite Ezechiæ regi Juda : Non te seducat Deus tuus in quo habes fiduciam : neque dicas : Non tradetur Jerusalem in manus regis Assyriorum. 11. Tu enim ipse audisti quæ fecerunt reges Assyriorum universis terris, quomodo vastaverunt eas : num ergo solus poteris liberari? 12. Numquid liberaverunt dii Gentium singulos, quos vastaverunt patres mei, Gozan videlicet, et Haran, et Reseph, et filios Eden, qui erant in Thelassar? 13. Ubi est rex Emath, et rex Arphad, et rex civitatis Sepharvaim, Ana, et Ava? 14. Itaque cum accepisset Ezechias litteras de manu nuntiorum, et legisset eas, ascendit in domum Domini, et expandit eas coram Domino. 13. Et oravit in conspectu ejus, dicens : Domine Deus Israel, qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus regum omnium terræ, tu fecisti cœlum et terram. 16. Inclina aurem tuam, et audi : aperi, Domine, oculos tuos, et vide : audi omnia verba Sennacherib, qui misit ut exprobraret nobis Deum viventem. 17. Vere, Domine, dissipaverunt reges Assyriorum Gentes, et terras omnium. 18. Et miserunt deos eorum in ignem : non enim erant dii, sed opera manuum hominum ex ligno et lapide, et perdiderunt eos. 19. Nunc igitur, Domine Deus noster, salvos nos fac de manu ejus, ut sciant omnia regna terræ, quia tu es Dominus Deus solus. 20. Misit autem Isaias filius Amos ad Ezechiam, dicens : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Quæ deprecatus es me super Sennacherib rege Assyriorum, audivi. 21. Iste est sermo, quem locutus est Dominus de eo : Sprevit te, et subsannavit te, virgo filia Sion : post tergum tuum caput movit, filia Jerusalem. 22. Cui exprobrasti et quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam, et elevasti in excelsum oculos tuos? contra sanctum Israel. 23. Per manum servorum tuorum exprobrasti Domino, et dixisti : In multitudine curruum meorum ascendi excelsa montium in summitate Libani, et succidi sublimes cedros ejus, et electas abietes illius. Et ingressus sum usque ad terminos ejus, et saltum carmeli ejus. 24. ego succidi. Et bibi aquas alienas, et siccavi vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas. 26. Numquid non audisti quid ab initio fecerim? Ex diebus antiquis plasmavi illud, et nunc adduxi : eruntque in ruinam collium pugnantium civitates munitæ. 26. Et qui sedent in eis, humiles manu, contremuerent et confusi sunt, facti sunt velut fœnum agri, et virens herba tectorum, quæ arefacta est antequam veniret ad maturitatem. 27. Habitaculum tuum, et egressum tuum, et introitum tuum, et viam tuam ego præscivi, et furorem tuum contra me. 28. Insanisti in me, et superbia tua ascendit in aures meas : ponam itaque circulum in naribus tuis, et camum in labiis tuis, et reducam te in viam, per quam venisti. 29. Tibi autem, Ezechia, hoc erit signum : Comede hoc anno quæ repereris : in secundo autem anno, quæ sponte nascuntur : porro in tertio anno seminate et metite : plantate vineas, et comedite fructum earum. 30. Et quodcumque reliquum fuerit de domo Juda, mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum. 31. De Jerusalem quippe egredientur reliquiæ, et quod salvetur de monte Sion : zelus Domini exercituum faciet hoc. 32. Quam ob rem hæc dicit Dominus de rege Assyriorum : Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. 33. Per viam, qua venit, revertetur : et civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. 34. Protegamque urbem hanc, et salvabo eam propter me, et propter David servum meum. 35. Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum : et

recedens abiit, 36. Et reversus est Sennacherib rex Assyriorum, et mansit in Ninive. 37. Cumque adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramelech et Sarasar filii ejus percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum, et regnavit Asarhaddon filius ejus pro eo.

Hoc caput pariter transcriptum est ex *Isaiæ* cap. XXXVII, ubi illud explicui.

34. PROPTER DAVID. — Quæres : Cur non dixit : « Propter Ezechiam et Isaiam, » quorum sine dubio preces Deo gratissimæ exstiterunt? Optime Glycas, II parte *Annalium*, citatus in Glossa : « Hæc verba, inquit, ita divinitus prolata sunt, ne putaret Ezechias orationem suam, justitiæ causa, quæ prædictus erat, exaudiri esse. »

37. ET REGNAVIT ASARHADDON FILIUS EJUS PRO EO, — Genebrardus *in Chronol.*, Pererius, Arias Montanus, et Serarius in cap. I *Judith*, vers. 1, censent Asarhaddon esse Sardanapalum, *primo*, quia sicut Sardanapalus a gentilibus historicis ponitur ultimus rex et monarcha Assyriorum, sic et a Scriptura ultimus Assyriorum rex ponitur Asarhaddon : post eum enim nominantur Baladan Merodach, Nabochodonosor, Evelmerodach et Baltasar, qui omnes fuere principes et reges Babyloniorum. *Secundo*, quia Sardanapali nomen videtur conditum ex Asar et Don vel Haddon addito nomine Phul; ergo est idem cum Asarhaddon. *Tertio*, quia quæ de eversione Ninives futura per eluvionem Tigris fluvii prædicant Jonas et Nahum, ea sub Sardanapalo contigisse testatur Diodorus (1).

Asar hadon dicitur et Sardanapalus?

Verum Eusebius, Tornielius, Salianus, cæterique Chronologi Sardanapalum anterius collocant, scilicet sub Azaria rege Juda : tunc enim prophetavit Jonas, et Sardanapalo excidium Ninives prædixit, ut dixi cap. XV, vers. 2, et *Jonæ* cap. III, 4 et seq.

(1) Alii e contra putant Asarhadon esse alium a Sardanapalo. D. de Saulcy, in opere cui titulus : *Exquisitiones de Chronologia Imperiorum Ninive, Babyloniæ et Ecbatanæ*, satis firmis argumentis probat, Sardanapalum esse eumdem ac Kinilladon regem Ninives, qui a Nabopala-atzar, Babyloniæ Satrapa, et a Cyaxare Medorum rege profligatus, se ana cum uxoribus et thesauris combussit, ante Christum 625, prioris Sardanapali exemplum secutus. Juxta eumdem auctorem, Asarhadon ille est qui a Ptolemæo vocatur Asaridinos vel Isariinfinos, et qui patri suo Sennacherib successit, postquam ille a duobus filiis natu majoribus, Adramelech et Sarasar, occisus est. Deinde atiquot annis elapsis, Babyloniorum imperium, post interregnum octo circiter annorum, occupavit, et super Ninivitas simul et Babylonios, ab anno 680 ad annum 667, regnavit. *Annal. politic. christ.* tom. XXXVIII.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ezechias ager invocans Deum per Isaiæ filium sanatur, signumque accipit, reversionem umbræ in horologio : mox, vers. 12, Merodach rex Babylonis mittit legatos ad Ezechiam, quibus ipse omnes suos thesauros ostendit, ideoque ab Isaia audit illos omnes a Babyloniis diripiendos.

1. In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem : et venit ad eum Isaias filius Amos, propheta, dixitque ei : Hæc dicit Dominus Deus : Præcipe domui tuæ : morieris enim tu, et non vives. 2. Qui convertit faciem suam ad parietem, et oravit Dominum, dicens : 3. obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod placitum est coram te fecerim. Flevit itaque Ezechias fletu magno. 4. Et antequam egrederetur Isaias mediam partem atrii, factus est sermo Domini ad eum, dicens : 5. Revertere, et dic Ezechiæ duci populi mei : Hæc dicit Dominus Deus David patris tui : Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas : et ecce sanavi te, die tertio ascendes templum Domini. 6. Et adjiciam diebus tuis quindecim annos : sed et de manu regis Assyriorum liberabo te, et civitatem hanc, et protegam urbem istam propter me, et propter David servum meum. 7. Dixitque Isaias : Afferte massam ficorum. Quam cum attulissent, et posuissent super ulcus ejus, curatus est. 8. Dixerat autem Ezechias ad Isaiam : Quod erit signum, quia Dominus me sanabit, et quia ascensurus sum die tertia templum Domini? 9. Cui ait Isaias : Hoc erit signum a Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est : Vis ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus? 10. Et ait Ezechias : Facile est,

umbram crescere decem lineis : nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus. 11. Invocavit itaque Isaias propheta Dominum, et reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus. 12. In tempore illo misit Berodach Baladan, filius Baladan, rex Babyloniorum, litteras et munera ad Ezechiam : audierat enim quod ægrotasset Ezechias. 13. Lætatus est autem in adventu eorum Ezechias, et ostendit eis domum aromatum, et aurum et argentum, et pigmenta varia, unguenta quoque et domum vasorum suorum, et omnia quæ habere poterat in thesauris suis. Non fuit quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, et in omni potestate sua. 14. Venit autem Isaias propheta ad regem Ezechiam, dixitque ei : Quid dixerunt viri isti? aut unde venerunt ad te? Cui ait Ezechias : De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. 15. At ille respondit : Quid viderunt in domo tua : Ait Ezechias : Omnia quæcumque sunt in domo mea, viderunt : nihil est quod non monstraverim eis in thesauris meis. 16. Dixit itaque Isaias Ezechiæ : Audi sermonem Domini; 17. Ecce dies venient, et auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, et quæ condiderunt patres tui usque in diem hanc, in Babylonem : non remanebit quidquam, ait Dominus. 18. Sed et de filiis tuis qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. 19. Dixit Ezechias ad Isaiam : Bonus sermo Domini, quem locutus es : sit pax et veritas in diebus meis. 20. Reliqua autem sermonum Ezechiæ, et omnis fortitudo ejus, et quomodo fecerit piscinam, et aquæductum, et introduxerit aquas in civitatem, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda? 21. Dormivitque Ezechias cum patribus suis, et regnavit Manasses filius ejus pro eo.

Hoc caput transcriptum quoque est ex *Isaiæ* cap. XXXVIII et XXXIX, ubi illud explicui. Multa de Ezechiæ pietate et zelo religionis addunlur II *Paral.* cap. XXIX, XXX et XXXI. Unde meruit ipse a Deo obtinere victoriam contra Sennacherib, et sanitatem miraculosam, in qua Deus et adjecit 15 annos vitæ.

Vers. 12. Baladan quis?

12. IN TEMPORE ILLO MISIT BERODACH BALADAN, FILIUS BALADAN. — « Baladan » fuit primus princeps Babyloniorum : eorum enim nomen hucusque non audivimus, sed Assyriorum duntaxat. Quare videtur quod Baladan præfectus Babyloniæ, vel potius filius ejus Merodach Baladan videns Sennacherib (cui ipse erat subditus et vectigalis) et Assyriorum copias ab Angelo cæsas in Judæa, ejusque vires attritas, jugum excusserit, seque principem absolutum et regem Babyloniorum effecerit, imo Asarhaddonem regno et vita privarit sub annum Ezechiæ vigesimum sextum, ut vult Salianus; tuncque defecit regnum Assyriorum : unde deinceps in Scriptura nulli reges Assyriorum nominantur, sed omnes Babyloniorum, quorum primus fuit Baladan. Unde « Balacan » Hebraice idem est quod *sine Domino*, ait Pagninus. Porro Baladan patrem non esse Salmanasar regem Assyriorum, ut vult Genebrardus, sed Nabonassar, qui a Ptolemæo *in Almagesto* ponitur primus princeps Babyloniorum, censent ex Eusebio, Beroso, Josepho, Scaliger, Serarius, Bellarminus, Torniellus, Salianus *in Chronol.* unde ab eo constituta fuit æra Nabonassarea, a qua Babylonii cæterique annos suos computant deinceps, sicut Persæ a Cyro, Græci ab Alexandro, Romani ab Augusto. Hinc Chaldaice dictus est *Baladan a Bal et Haddon*. Bal enim sive Bel et Baal, erat Nemrod sive Jupiter, Belus, primus post diluvium turris Babel conditor, ut dixi *Genes.* X, qui (vel cujus socius) alio nomine dictus est Nabo, id est prophetia vel divinatio, uti dixi *Isaiæ* cap. XLVI, 1, ad illa : « confractus est Bel, contritus est Nabo. » Nam ut ait Tertullianus, *Apolog.* cap. XX : « Testimonium divinitatis est veritas divinationis. » Dei enim proprium est divinare, præscire, et prædicere futura, juxta illud *Isaiæ* cap. XLI, vers. 23 : « Annuntiate quæ ventura sunt..., et sciemus quia dii estis vos. » Hinc a Nabo Deo et Assar conflatus est dictusque Nabonassar. Rursum filius Baladan, sive Nabonassar fuit hic « Merodach » sive Berodach, qui primus se regem Babylonis nuncupavit misitque legatos ad Ezechiam. Merodacho successit filius Ben Merodach, uti asserunt Eusebius, lib. IX *De Præparat.*, Berosus apud Josephum, Methastenes Annii, Josephus, Scaliger, lib. V *De Emendat. tempor.*, Torniellus, Salianus et alii, qui Baladan tribuunt 27 annos, Merodach 52, Ben Merodach 44, qui in unum conflati faciunt 123; unde Chronologi a Nabonassar usque ad Nabopolassar, quem Berosus vocat Nabolassar, qui Ben Merodacho successit, fuitque Nabuchodonosor senior, uti asserunt Eusebius, Berosus, Scaliger, Bellarminus, Torniellus, Salianus et alii, numerant annos 123. Nabuchodonosori seniori post annos regni 19 defuncto successit Nabuchodonosor junior, cognomento Magnus, qui Jerusalem cepit, et Judæos in Babylonem abduxit, ac monarchiam ab Assyriis ad Babylonios transtulit, regnavitque annis 43, cui successit filius Evel Merodach, alio nomine dictus Baltasar, per 34 annos, ut dixi *Daniel.* V, 1. Hæc chronologia virorum eruditorum est probabilis, licet alii aliam assignent in nonnullis a jam dicta differentem. Nil enim certi de temporibus tam antiquis, et historia certa carentibus potest. Vide dicta *Ezechielis* cap. I, sub initium. Denique qui privatus dictus est Baladan, assumpto imperio, vocatus est Nabonassar Baladan; filius vero ejus vocatus est Merodach Baladan. Porro primum annum Nabonassar multi cum Ptolemæo assignant anno primo vel secundo octavæ Olympiadis, sive anno trigesimo ab initio Olympiadum, quem Torniellus contendit esse annum regis Achaz 13; conditæ vero Romæ sextum, Scaliger et Serarius volunt esse annum Achaz nonum, Salianus Achaz decimum quartum; alii malunt esse annum Joatham nonum. Nil enim certi in re tam incerta statui potest. Rursum Ptolemæus ab anno primo Nabonassar numerat annos 123, usque ad annum primum Nabopolassar, quem Eusebius, Berosus, Josephus, Scaliger, Salianus et alii censent esse Nabuchodonosorem seniorem. Alii vero censent esse juniorem, qui cognominatus est Magnus, et Judæos in Babylonem abduxit. Nec enim monarcham tam potentem videtur omisisse Ptolemæus. Difficile enim est et subinde impossibile historicos profanos adaptare, et per omnia adæquare historiæ sacræ Scripturæ, mox tamen eam illi adæquabo.

Porro Merodach inchoans regnum Babylonis misit legatos ad Ezechiam, quia audierat eum idem jugum regis Assyriorum excussisse, quod ipse excusserat, ut cum eo fœdus iniret, junctisque viribus Assyrio resisterent.

Canones chronologici. Primus

Ad extremum hos chronologiæ limites, et quasi canones ex Ptolemæo et aliis statuunt, figuntque Scaliger, Serarius, Salianus et alii.

Primo, Nabonassari annus primus incidit in annum primum octavæ Olympiadis, sive in annum vigesimum nonum ab initio Olympiadum. Id patet ex eo quod Ptolemæus asserat Alexandrum Magnum mortuum esse anno 424 Nabonassaris. Constat autem Alexandrum mortuum esse anno primo Olympiadis 114, a quo anno ad superiora regrediendo, primus Nabonassaris in primum octavæ Olympiadis necessario incidit. Nam 113 Olympiades faciunt annos 452, a quibus si demas septem Olympiades jam devolutas, id est annos 28, reliqui erunt 424, qui a primo Nabonassaris usque ad mortem Alexandri fluxere.

Secundo

Secundo, hinc sequitur annum primum Nabonassari esse sextum a Roma condita : hæc enim condita est in fine Olympiadis sextæ, sive anno 23 ab initio Olympiadum; ab hoc autem initio annus primus Nabonassari est 29; jam 29 annus posterior est 23 sex annis, ut liquet.

Tertio

Tertio, annus 151 ab initio Olympiadum est annus primus Nabopolassar, hoc est Nabuchodonosoris senioris, qui fuit pater Nabuchodonosoris Magni, sive primi monarchæ Chaldæorum.

Quarto

Quarto, Annus Nabonassar 122 est annus primus Nabopolassar; ita Scaliger et Serarius; neganttamen hoc Salianus et Torniellus, qui annum primum Nabonassaris consignant anno 13 vel 14 Achaz, annum vero primum Nabopolassar anno 13 Josiæ; jam a 14 Achaz ad 13 Josiæ fluxere anni centum et unus duntaxat, non centum viginti duo.

Juxta hos canones ita horum omnium anni annis regum Juda assignandi et combinandi videntur, ut initium Olympiadum assignemus anno 40 Azariæ; Romæ conditionem, anno 10 vel 11 Joatham, annum primum Nabonassaris, anno 13 Joatham, annum primum Nabopolassaris sive Nabuchodonosoris senioris, anno 18 Josiæ. Nam ab anno 40 Oziæ usque ad decimum Joatham sunt 23 anni. Inde ad 15 Joatham sunt anni sex, inde ad 18 Josiæ fluxere anni 122, inde ad annum quintum a captivitate Joachim, sunt anni triginta, quando cœpit prophetare Ezechiel, ut ipse ait cap. I, vers. 1. Videtur enim Nabuchodonosor senior cœpisse quidem regnum in Babylone moliri anno 13 Josiæ, sed anno 18 Josiæ absolute regnasse, tumque cum Cyaxare rege Medorum obsedisse Niniven, ad evertendam monarchiam Assyriorum, quam paulo post reipsa cepit et evertit Nabuchodonosor junior senioris filius, itaque monarchiam ab Assyriis ad se et Chaldæos transtulit, uti ostendi *Nahum* II, 1.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Manasses impius regnat et idola restituit, ac prophetas occidit. Succedit ei, vers. 18, impius filius Amon, qui post biennium a suis occiditur, succedente sibi filio pio Josia.

1. Duodecim annorum erat Manasses cum regnare cœpisset, et quinquaginta quinque annis regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus Haphsiba. 2. Fecitque malum in conspectu

umbram crescere decem lineis : nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus. 11. Invocavit itaque Isaias propheta Dominum, et reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus. 12. In tempore illo misit Berodach Baladan, filius Baladan, rex Babyloniorum, litteras et munera ad Ezechiam : audierat enim quod ægrotasset Ezechias. 13. Lætatus est autem in adventu eorum Ezechias, et ostendit eis domum aromatum, et aurum et argentum, et pigmenta varia, unguenta quoque et domum vasorum suorum, et omnia quæ habere poterat in thesauris suis. Non fuit quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, et in omni potestate sua. 14. Venit autem Isaias propheta ad regem Ezechiam, dixitque ei : Quid dixerunt viri isti? aut unde venerunt ad te? Cui ait Ezechias : De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. 15. At ille respondit : Quid viderunt in domo tua : Ait Ezechias : Omnia quæcumque sunt in domo mea, viderunt : nihil est quod non monstraverim eis in thesauris meis. 16. Dixit itaque Isaias Ezechiæ : Audi sermonem Domini; 17. Ecce dies venient, et auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, et quæ condiderunt patres tui usque in diem hanc, in Babylonem : non remanebit quidquam, ait Dominus. 18. Sed et de filiis tuis qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. 19. Dixit Ezechias ad Isaiam : Bonus sermo Domini, quem locutus es : sit pax et veritas in diebus meis. 20. Reliqua autem sermonum Ezechiæ, et omnis fortitudo ejus, et quomodo fecerit piscinam, et aquæductum, et introduxerit aquas in civitatem, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda? 21. Dormivitque Ezechias cum patribus suis, et regnavit Manasses filius ejus pro eo.

Hoc caput transcriptum quoque est ex *Isaiæ* cap. XXXVIII et XXXIX, ubi illud explicui. Multa de Ezechiæ pietate et zelo religionis addunlur II *Paral.* cap. XXIX, XXX et XXXI. Unde meruit ipse a Deo obtinere victoriam contra Sennacherib, et sanitatem miraculosam, in qua Deus et adjecit 15 annos vitæ.

Vers. 12. Baladan quis?

12. IN TEMPORE ILLO MISIT BERODACH BALADAN, FILIUS BALADAN. — « Baladan » fuit primus princeps Babyloniorum : eorum enim nomen hucusque non audivimus, sed Assyriorum duntaxat. Quare videtur quod Baladan præfectus Babyloniæ, vel potius filius ejus Merodach Baladan videns Sennacherib (cui ipse erat subditus et vectigalis) et Assyriorum copias ab Angelo cæsas in Judæa, ejusque vires attritas, jugum excusserit, seque principem absolutum et regem Babyloniorum effecerit, imo Asarhaddonem regno et vita privarit sub annum Ezechiæ vigesimum sextum, ut vult Salianus; tuncque defecit regnum Assyriorum : unde deinceps in Scriptura nulli reges Assyriorum nominantur, sed omnes Babyloniorum, quorum primus fuit Baladan. Unde « Balacan » Hebraice idem est quod *sine Domino*, ait Pagninus. Porro Baladan patrem non esse Salmanasar regem Assyriorum, ut vult Genebrardus, sed Nabonassar, qui a Ptolemæo *in Almagesto* ponitur primus princeps Babyloniorum, censent ex Eusebio, Beroso, Josepho, Scaliger, Serarius, Bellarminus, Torniellus, Salianus *in Chronol.* unde ab eo constituta fuit æra Nabonassarea, a qua Babylonii cæterique annos suos computant deinceps, sicut Persæ a Cyro, Græci ab Alexandro, Romani ab Augusto. Hinc Chaldaice dictus est *Baladan a Bal et Haddon*. Bal enim sive Bel et Baal, erat Nemrod sive Jupiter, Belus, primus post diluvium turris Babel conditor, ut dixi *Genes.* X, qui (vel cujus socius) alio nomine dictus est Nabo, id est prophetia vel divinatio, uti dixi *Isaiæ* cap. XLVI, 1, ad illa : « confractus est Bel, contritus est Nabo. » Nam ut ait Tertullianus, *Apolog.* cap. XX : « Testimonium divinitatis est veritas divinationis. » Dei enim proprium est divinare, præscire, et prædicere futura, juxta illud *Isaiæ* cap. XLI, vers. 23 : « Annuntiate quæ ventura sunt..., et sciemus quia dii estis vos. » Hinc a Nabo Deo et Assar conflatus est dictusque Nabonassar. Rursum filius Baladan, sive Nabonassar fuit hic « Merodach » sive Berodach, qui primus se regem Babylonis nuncupavit misitque legatos ad Ezechiam. Merodacho successit filius Ben Merodach, uti asserunt Eusebius, lib. IX *De Præparat.*, Berosus apud Josephum, Methastenes Annii, Josephus, Scaliger, lib. V *De Emendat. tempor.*, Torniellus, Salianus et alii, qui Baladan tribuunt 27 annos, Merodach 52, Ben Merodach 44, qui in unum conflati faciunt 123; unde Chronologi a Nabonassar usque ad Nabopolassar, quem Berosus vocat Nabolassar, qui Ben Merodacho successit, fuitque Nabuchodonosor senior, uti asserunt Eusebius, Berosus, Scaliger, Bellarminus, Torniellus, Salianus et alii, numerant annos 123. Nabuchodonosori seniori post annos regni 19 defuncto successit Nabuchodonosor junior, cognomento Magnus, qui Jerusalem cepit, et Judæos in Babylonem abduxit, ac monarchiam ab Assyriis ad Babylonios transtulit, regnavitque annis 43, cui successit filius Evel Merodach, alio nomine dictus Baltasar, per 34 annos, ut dixi *Daniel.* V, 1. Hæc chronologia virorum eruditorum est probabilis, licet alii aliam assignent in nonnullis a jam dicta differentem. Nil enim certi de temporibus tam antiquis, et historia certa carentibus potest. Vide dicta *Ezechielis* cap. I, sub initium. Denique qui privatus dictus est Baladan, assumpto imperio, vocatus est Nabonassar Baladan; filius vero ejus vocatus est Merodach Baladan. Porro primum annum Nabonassar multi cum Ptolemæo assignant anno primo vel secundo octavæ Olympiadis, sive anno trigesimo ab initio Olympiadum, quem Torniellus contendit esse annum regis Achaz 13; conditæ vero Romæ sextum, Scaliger et Serarius volunt esse annum Achaz nonum, Salianus Achaz decimum quartum; alii malunt esse annum Joatham nonum. Nil enim certi in re tam incerta statui potest. Rursum Ptolemæus ab anno primo Nabonassar numerat annos 123, usque ad annum primum Nabopolassar, quem Eusebius, Berosus, Josephus, Scaliger, Salianus et alii censent esse Nabuchodonosorem seniorem. Alii vero censent esse juniorem, qui cognominatus est Magnus, et Judæos in Babylonem abduxit. Nec enim monarcham tam potentem videtur omisisse Ptolemæus. Difficile enim est et subinde impossibile historicos profanos adaptare, et per omnia adæquare historiæ sacræ Scripturæ, mox tamen eam illi adæquabo.

Porro Merodach inchoans regnum Babylonis misit legatos ad Ezechiam, quia audierat eum idem jugum regis Assyriorum excussisse, quod ipse excusserat, ut cum eo fœdus iniret, junctisque viribus Assyrio resisterent.

Canones chronologici. Primus

Ad extremum hos chronologiæ limites, et quasi canones ex Ptolemæo et aliis statuunt, figuntque Scaliger, Serarius, Salianus et alii.

Primo, Nabonassari annus primus incidit in annum primum octavæ Olympiadis, sive in annum vigesimum nonum ab initio Olympiadum. Id patet ex eo quod Ptolemæus asserat Alexandrum Magnum mortuum esse anno 424 Nabonassaris. Constat autem Alexandrum mortuum esse anno primo Olympiadis 114, a quo anno ad superiora regrediendo, primus Nabonassaris in primum octavæ Olympiadis necessario incidit. Nam 113 Olympiades faciunt annos 452, a quibus si demas septem Olympiades jam devolutas, id est annos 28, reliqui erunt 424, qui a primo Nabonassaris usque ad mortem Alexandri fluxere.

Secundo

Secundo, hinc sequitur annum primum Nabonassari esse sextum a Roma condita : hæc enim condita est in fine Olympiadis sextæ, sive anno 23 ab initio Olympiadum; ab hoc autem initio annus primus Nabonassari est 29; jam 29 annus posterior est 23 sex annis, ut liquet.

Tertio

Tertio, annus 151 ab initio Olympiadum est annus primus Nabopolassar, hoc est Nabuchodonosoris senioris, qui fuit pater Nabuchodonosoris Magni, sive primi monarchæ Chaldæorum.

Quarto

Quarto, Annus Nabonassar 122 est annus primus Nabopolassar; ita Scaliger et Serarius; neganttamen hoc Salianus et Torniellus, qui annum primum Nabonassaris consignant anno 13 vel 14 Achaz, annum vero primum Nabopolassar anno 13 Josiæ; jam a 14 Achaz ad 13 Josiæ fluxere anni centum et unus duntaxat, non centum viginti duo.

Juxta hos canones ita horum omnium anni annis regum Juda assignandi et combinandi videntur, ut initium Olympiadum assignemus anno 40 Azariæ; Romæ conditionem, anno 10 vel 11 Joatham, annum primum Nabonassaris, anno 13 Joatham, annum primum Nabopolassaris sive Nabuchodonosoris senioris, anno 18 Josiæ. Nam ab anno 40 Oziæ usque ad decimum Joatham sunt 23 anni. Inde ad 15 Joatham sunt anni sex, inde ad 18 Josiæ fluxere anni 122, inde ad annum quintum a captivitate Joachim, sunt anni triginta, quando cœpit prophetare Ezechiel, ut ipse ait cap. I, vers. 1. Videtur enim Nabuchodonosor senior cœpisse quidem regnum in Babylone moliri anno 13 Josiæ, sed anno 18 Josiæ absolute regnasse, tumque cum Cyaxare rege Medorum obsedisse Niniven, ad evertendam monarchiam Assyriorum, quam paulo post reipsa cepit et evertit Nabuchodonosor junior senioris filius, itaque monarchiam ab Assyriis ad se et Chaldæos transtulit, uti ostendi *Nahum* II, 1.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Manasses impius regnat et idola restituit, ac prophetas occidit. Succedit ei, vers. 18, impius filius Amon, qui post biennium a suis occiditur, succedente sibi filio pio Josia.

1. Duodecim annorum erat Manasses cum regnare cœpisset, et quinquaginta quinque annis regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus Haphsiba. 2. Fecitque malum in conspectu

Domini, juxta idola Gentium quæ delevit Dominus a facie filiorum Israel. 3. Conversusque est, et ædificavit excelsa, quæ dissipaverat Ezechias pater ejus : et erexit aras Baal, et fecit lucos sicut fecerat Achab rex Israel, et adoravit omnem militiam cæli, et coluit eam. 4. Ædificavitque aras in domo Domini, de qua dixit Dominus : In Jerusalem ponam nomen meum. 5. Et exstruxit altaria universæ militiæ cæli in duobus atriis templi Domini. 6. Et traduxit filium suum per ignem : et ariolatus est, et observavit auguria, et fecit pythones, et aruspices multiplicavit, ut faceret malum coram Domino, et irritaret eum. 7. Posuit quoque idolum luci, quem fecerat, in templo Domini, super quod locutus est Dominus ad David, et ad Salomonem filium ejus : In templo hoc, et in Jerusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum. 8. Et ultra non faciam commoveri pedem Israel de terra, quam dedi patribus eorum : si tamen custodierint opera omnia quæ præcepi eis, et universam legem quam mandavit eis servus meus Moyses. 9. Illi vero non audierunt : sed seducti sunt a Manasse, ut facerent malum super Gentes, quas contrivit Dominus a facie filiorum Israel. 10. Locutusque est Dominus in manu servorum suorum Prophetarum, dicens : 11. Quia fecit Manasses rex Juda abominationes istas pessimas super omnia quæ fecerunt Amorrhæi ante eum, et peccare fecit etiam Judam in immunditiis suis; 12. propterea hæc dicit Dominus Deus Israel : Ecce ego inducam mala super Jerusalem et Judam, ut quicumque audierit, tinniant ambæ aures ejus. 13. Et extendam super Jerusalem funiculum Samariæ et pondus domus Achab : et delebo Jerusalem, sicut deleri solent tabulæ et delens vertam, et ducam crebrius stylum super faciem ejus. 14. Dimittam vero reliquias hæreditatis meæ, et tradam eas in manus inimicorum ejus : eruntque in vastitatem, et in rapinam cunctis adversariis suis : 15. eo quod fecerint malum coram me, et persevecaverint irritantes me, ex die qua egressi sunt patres eorum ex Ægypto, usque ad hanc diem. 16. Insuper et sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Jerusalem usque ad os : absque peccatis suis, quibus peccare fecit Judam, ut faceret malum coram Domino. 17. Reliqua autem sermonum Manasses, et universa quæ fecit, et peccatum ejus quod peccavit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda? 18. Dormivitque Manasses cum patribus suis, et sepultus est in horto domus suæ, in horto Oza : et regnavit Amon filius ejus pro eo. 19. Viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset : duobus quoque annis regnavit in Jerusalem ; nomen matris ejus Jecsiemeth filia Haruz de Jetcha. 20. Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater ejus. 21. Et ambulavit in omni via, per quam ambulaverat pater ejus : servivitque immunditiis, quibus servierat pater ejus, et adoravit eas, 22. et dereliquit Dominum Deum patrum suorum, et non ambulavit in via Domini. 23. Tetenderuntque ei insidias servi sui, et interfecerunt regem in domo sua. 24. Percussit autem populus terræ omnes qui conjuraverant contra regem Amon : et constituerunt sibi regem Josiam filium ejus pro eo. 25. Reliqua autem sermonum Amon quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda? 26. Sepelieruntque eum in sepulcro suo in horto Oza; et regnavit Josias filius ejus pro eo.

7. POSUIT QUOQUE IDOLUM LUCI, QUEM FECERAT, fidelium in loco aute a se constructo positum, jam loco sculpsili circumdatum, posuit IN TEMPLO, — q. d. Manasses prius construxerat, lucosque exsylvam dius sacram, in eoque collocarat idolum, quod deinde ex loco translulit in templum : sed quia locum cum idolo transferre non potuerat, hinc loco luci, fecit simulacrum sive similitudinem luci ex auro, argento vel ære, in eoque posuit idolum, illudque cum loco translato in templum, ut fidelem jam non Deus in templo, sed demon in loco colerentur. Unde utrumque postea deduxit Josias Manassis nepos, cap. XXIII, vers. 6 et 7.

10. LOCUTUSQUE EST DOMINUS IN MANU SERVORUM SUORUM PROPHETARUM, — scilicet per Oseæ, Amos, Joelem, Nahum, Jonam, Abdiam, ac maxime Isaiam Manassis socerum, qui proinde a Manasse serra lignea dissectus Christi in ligno crucifixi fuit typus, ut dixi proœmio in Isaiam, ac plures alios prophetas, adeo ut Josephus, Lib. X, cap. IV, asserat, « ex eorum numero per singulos dies aliquem supplicio a Manasse affectum fuisse. »

13. EXTENDAM SUPER JERUSALEM FUNICULUM SAMARIÆ, — « Funiculus » mensorius metaphorice significat eamdem pœnæ mensuram, q. d. Qua mensura punivi, vastavi et abduxi e Samaria Israelitas in Assyrium, eadem pœnam, vastabo et abducam Judæos e Jerusalem in Babylonem : sicut enim fuerunt pares in culpa et idololatria, sic pares erunt in pœna et captivitate. Est metaphora a fabris, qui utuntur ferro sive funiculo, quem extendunt plumbi massa, ut juxta illud ad perpendiculum fabricam construant, vel constructam diruant et destruant, *q. d.* Ego Jerusalem destruam, et quasi funiculo ad solum coæquabo, sicut solet faber domos diruere, et per funiculum mensorium terræ coæquare et complanare; unde expilcans idipsum per aliam similitudinem eorum declarat, dicens : « Delebo Jerusalem, sicut deleri solent tabulæ; et delens vertam, et ducam crebrius stylum super faciem terræ, » q. d. Delebo Jerusalem sicut deleri solent litteræ in tabula ex cera exaratæ. Solebant enim olim, ante inventionem chartæ, scribere in tabulis cera obductis, et in ea stylo quasi calamo litteras effornare. Quare stylus hic inferne acutus erat : superne vero obtusus, ut eodem litteras in cera scriptas cum vellent obdurcerent, et cera complanata alias in illa litteras pingerent; si ergo una vox vel littera duntaxat delenda foret, id faciebant uno alterove styli per ceram ducto; sin plures, pluribus ductibus; sin omnes, omnibus ductibus, donec eras is litteris prea et complanata restitueretur cera. Ita facit hic Deus in exidio Judææ et Jerosolymæ. Nam *primo* induxit in eam stylum hostilem regis Babylonis, cum ex ea Manassem, et primores regni in Babylonem captivos abduxit, II *Paral.* XXXIII, 11. *Secundo*, cum Pharao Necliao Josiam, qui tota erat Judæorum spes, occidit, ejusque filium Joachaz in Ægyptum abripuit, cap. XXIII, 33. *Tertio*, cum Nabuchodonosor Joakim fratrem Joachaz cepit et vinxit. *Quarto*, cum idem Joachim filium Joakim cum magno nobilium et populi numero in Babylonem transmisit. *Quinto* et ultimo, cum idem Sedeciam ultimum regem cum reliquis abduxit, urbemque et templum concremavit.

Sensus ergo est : « Extendam super Jerusalem funiculum, » *q. d.* Non tantum urbem demoliar, sed fundamenta refodiam, eaque terræ quasi per funiculum admetiens coæquabo, ut nullum sit reliquum ejus vestigium, neque delineatio primæ illius; nec secus ac fieri solet, cum tabellæ cerætæ, linea vel characteres delentur.

Pro *tabula* Hebraice est מִחְתֶּה *tsallachat*, quod passim vertunt scutella, frixorium, lebes, caldaria. Unde Vatablus sic vertit: *Delebam Jerusalem, sicut quis patinam delergit et eam vertit.* Sicque explicat, *q. d.* Repurgabo Jerusalem ab hominibus scelestis, quos ubi fugavero, invertam illam, uti soleat solet a rusticis scutella expurgata. Noster vero Hieronymus Prado in *Ezech.* cap. V, vers. 11, sic vertit, et exponit : « Abstergam Jerusalem, ut mundari solet caldarium abstersione et veti super faciem suam. » Id est, ut solet, cum probe extersum est, converti deorsum in faciem, ut nil lustramenti fiat reliquum, sed ad ultimum guttam distillet in terram : sic mundabo Jerusalem abstergens ex ea omnes incolas et domos, eamque a fundamentis evertens.

16. INSUPER ET SANGUINEM INNOXIUM FUDIT MANASSES MULTUM NIMIS, — præsertim eorum qui suæ impietati resistebant, illumque de ea arguebant, uti erant Isaias cæterique Prophetæ; ita ut quotidie aliquem e Prophetis occideret, ait Josephus. Hinc apposite vocatus est « Manasses, » id est « ab insurgente vel ex oblivione, » ait Auctor Imperf. hom. 1 *in Matth.* : « Providentia enim Dei sic eum dispensavit vocari, quia obliturus fuerat omnem conversationem patris sui sanctam, et omnia beneficia Dei pro merito ejus collata in ipsum, et stimulatus ab insurgente diabolo, qui solet insurgere super genus humanum ad evertendum, gesturus omnia quæ Deum ad iracundiam provocarent. » Addit idem Auctor de Manasse quid novi et miri, nempe : « Denique cum ægrotasset Ezechias in tempore quodam, et venisset ad eum Isaias Propheta visitandum, vocavit Ezechias filium suum Manassen, et cœpit ei mandare, quod deberet Deum timere, quomodo regere regnum, et alia multa. Et dixit ad eum Isaias : Vere quia non descendunt verba tua in cor ejus, sed et meipsum oportet per manum ejus interfici. Quod audiens Ezechias volebat filium suum interficere, dicens : Quia melius est me sine filio mori, quam talem filium relinquere, qui et Deum exasperet, et sanctos ejus persequatur. Tenuit autem eum vix Isaias propheta, dicens : Irritum facit meus consilium tuum hoc, videns Ezechiæ religionem, quia plus amabat Deum, quam filium suum. » Verum hæc videtur Rabbinorum fabella. Nam ægrotante Ezechia nedum natus erat Manasses, quia post morbum Ezechias supervixit 15 annos, eique deinde moricuti succedens Manasses erat duodecim annorum. Natus est ergo Manasses tertio a morbo et sanitate recuperata Ezechiæ patris sui anno.

18. DORMIVITQUE (somno mortis) CUM PATRIBUS SUIS. — Nota II *Paral.* XXXIII, 11, narratur pœna a Deo inflicta Manassi, scilicet captivitas in Babylone, indeque seria ejus pœnitentia et conversio ad Deum.

Porro Manasses in Babylonem abductus videtur a Merodach Baladan : hic enim tunc in Babylone regnabat : unde huic Ezechias pater Manassis opes suas ostenderat, ideoque eum illexerat ad eas abripiendas; quod et futurum ei prædixit Deus, cap. XX, 17, atque idipsum paulo post præstitit, dum effecit ut Manasses ob sua scelera, per eumdem Baladan cum gaza regia in Babylonem vinctus abduceretur. Ita Bellarminus, Salianus et alii. Dicitur tamen Manasses captus a rege Assyriorum, vel quia Babylonii vocantur Assyrii, vel quia Me-

rodach vectigalis fuit Asarhaddon regi Assyriorum, cujus postea jugum excussit.

ET SEPULTUS EST IN HORTO DOMUS SUÆ, IN HORTO OZA, — ubi scilicet Oza occisus est a Deo, eo quod temere tetigisset arcam titubantem, II *Reg.* VI, 8. Ille hortus erat prope Jerusalem, et regiis hortis populatus, in quo Manasses Babylone rediens regium sibi mausoleum construxit, atque in eo ipse et filius ejus Amon sepulti sunt.

20. FECITQUE MALUM. — Ita Scriptura vocat idololatriam, quasi malum malorum summum; nam ut ait Sapiens, cap. XIV, vers. 27 : « Infandorum idolorum cultura, omnis mali causa est, et initium, et finis. » Imitatus est Amon patrem Manassen peccantem, sed non pœnitentem. Addit Glycas eum dixisse : « Pater meus a puero multa scelera fecit, ac in senecta pœnitentiam egit; quare et ego in hac ætate pro animi libidine me geram, et deinceps ad Dominum me convertam. » Quocirca Deus hunc ejus præfidentiam cita morte punivit : nam post biennium a suis servis occisus est. Audi S. Clementem, libro II *Constit. Apost.* cap. XXIII : « Talis, inquit, exstitit Amon filius Manassis de qua ait Scriptura : Decepit se Amon mala cogitatione transgressionis, et dixit : Pater meus multa peccata ab adolescentia commisit, et cum senex esset, commisisse pœnituit; et nunc ego ambulabo, ut expetit anima mea, et postea convertam me ad Dominum : et egit improbe coram Domino super omnes natos ante se, et delevit eum Deus celeriter ex terra ejus bona, et servi impetum in eum fecerunt, et domi ejus interfecerunt, et regnavit duobus tantum annis. »

Nolent hoc juvenes, qui in juventute voluptuantur et luxuriantur, eamque dicant diabolo, promittentes se senectam dicaturos Deo : nam plerique talium variis humanæ vitæ casibus intercipiuntur et moriuntur, justoque Dei judicio ad senectam indeque ad vitæ emendationem et salutem æternam non pertingunt.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pius Josias pie regnat, ac repertum Deuteronomium studiose perlegit, auditique ab Holda prophetissa supplicia, quæ in eo Deus impiis comminatur non sibi, sed filiis suis obventura.

1. Octo annorum erat Josias cum regnare cœpisset, triginta et uno anno regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus Idida, filia Hadaia de Besecath. 2. Fecitque quod placitum erat coram Domino, et ambulavit per omnes vias David patris sui : non declinavit ad dexteram, sive ad sinistram. 3. Anno autem octavo decimo regis Josiæ, misit rex Saphan filium Aslia, filii Messulam, scribam templi Domini, dicens ei : 4. Vade ad Helciam sacerdotem magnum, ut confletur pecunia, quæ illata est in templo Domini, quam collegerunt janitores templi a populo, 5. deturque fabris per præpositos domus domini; qui et distribuant eam iis qui operantur in templo Domini, ad instauranda sartatecta templi, 6. tignariis videlicet et cæmentariis, et iis qui interrupta componunt : et ut emantur ligna, et lapides de lapicidinis, ad instaurandum templum Domini. 7. Verumtamen non supputetur eis argentum quod accipiunt, sed in potestate habeant, et in fide. 8. Dixit autem Helcias Pontifex ad Saphan scribam : Librum Legis reperi in domo Domini : deditque Helcias volumen Saphan, qui et legit illud. 9. Venit quoque Saphan scriba ad regem, et renuntiavit ei quod præceperat, et ait : Conflaverunt servi tui pecuniam, quæ reperta est in domo Domini : et dederunt ut distribueretur fabris a præfectis operum templi Domini. 10. Narravit quoque Saphan scriba regi, dicens : Librum dedit mihi Helcias sacerdos. Quem cum legisset Saphan coram rege, 11. et audisset rex verba Libri Legis Domini, scidit vestimenta sua. 12. Et præcepit Helciæ sacerdoti, et Ahicam filio Saphan, et Achobor filio Micha, et Saphan scribæ, et Asaiæ servo regis, dicens : 13. Ite et consulite Dominum super me, et super populo, et super omni Juda, de verbis voluminis istius quod inventum est : magna enim ira Domini succensa est contra nos : quia non audierunt patres nostri verba Libri hujus, ut facerent omne quod scriptum est nobis. 14. Ierunt itaque Helcias sacerdos, et Ahicam, et Achobor, et Saphan, et Asaia, ad Holdam prophetidem, uxorem Sellum, filii Thecuæ, filii Araas custodis vestium, quæ habitabat in Jerusalem in Secunda :

locutique sunt ad eam. 15. Et illa respondit eis : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Dicite viro, qui misit vos ad me : 16. Hæc dicit Dominus : Ecce, ego adducam mala super locum istum, et super habitatores ejus, omnia verba Legis, quæ legit rex Juda : 17. quia dereliquerunt me, et sacrificaverunt diis alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum suarum : et succendetur indignatio mea in loco hoc, et non exstinguetur. 18. Regi autem Juda, qui misit vos ut consuleretis Dominum, sic dicetis : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Pro eo quod audisti verba voluminis, 19. et perterritum est cor tuum, et humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum et habitatores ejus, quod videlicet fierent in stuporem et in maledictum : et scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me, et ego audivi, ait Dominus : 20. Idcirco colligam te ad patres tuos, et colligeris ad sepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum.

1. OCTO ANNORUM ERAT JOSIAS, CUM REGNARE COEPISSET. — Hoc nomen ei impositum fuit a Deo prædictumque ante 327 annos; tot enim fluxere a Roboam et Jeroboam usque ad Josiam, III *Reg.* XIII, 2. Josias enim Hebraice dicitur quasi יאשיהו *in seai*, id est *Dei minus* vel oblatio, aut quasi יהוא *ie es*, id est *Dei ignis*, ob ejus zelum et ignita sacrificia, et quia idololatras igne combusit. Audi Auctorem operis imperfecti apud Chrysostomum, hom. 1 *in Matth.* : « Josias interpretatur hostia Domino, vel salus Domino. Providentia autem Dei, secundum quod futurus fuerat Josias, dispensavit ei nomen imponi, ubi est hostia Domino, aut salus Domini : quoniam vere in illo fuit hostia Domini. Tale enim sacrificium obtulit Domino Deo, quale nec ante eum aliquis regum, nec post eum. Et ipse fuit hostia Deo secundum quod mandat Apostolus : Ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem. Et ipse fuit populi sui in tempore suo a Deo salus. » Et inferius : « Tertius enim Josias est, cujus nomen prophetatum est priusquam nasceretur. Ili tres sunt : Samson, Josias, Joannes. »

3. AD INSTAURANDA SARTATECTA TEMPLI. — Josias in templi instauratione imitatus est suum proavum Joas regem Juda, ejusque methodum in instauratione secutus est.

7. NON SUPPUTETUR EIS ARGENTUM, — id est non exigatur ab eis ratio et computus, sed fidei eorum omnis pecunia et sumptus credatur, quod Joas alia phrasi jusserat cap. XII, vers. 15, dicens : « Non fiebat ratio iis hominibus, qui acciebant pecuniam ut distribuerent eam artificibus, sed in fide tractabant eam. »

8. LIBRUM LEGIS REPERI IN TEMPLO DOMINI, — puta Deuteronomium, ut ait Chrysostomus, homil. 9 in cap. II *Matth.*, S. Athanasius, epist. *ad Marcel.*, et Abulensis; vel totum Pentateuchum, ut ait Josephus, qui adjungit illud repertum in gazophylacio, dum ex eo acciperent aurum pro sartis templi tectis. Nimirum tempore impii Manassis, qui 55 annis regnavit, per tot annorum spatia adeo neglecta fuit lex, et profanatus Dei cultus, ut « liber legis, » tanquam res noviter inventa, scribatur, ait Cajetanus. Addit Lyranus ex R. Salomone impium Achaz, qui Manassis erat avus, combussisse libros legis, ne ab eis violatæ legis et idololatriæ argueretur. Quare sacerdotes clam librum legis absondisse in muro templi a se perfosso et occluso : cæmentarios autem, dum jussu Josiæ sartatecta templi instaurarent, invenisse librum, eumque detulisse ad Pontificem, et hunc ad regem Josiam.

14. IERUNT ITAQUE HELCIAS SACERDOS, etc., AD HOLDAM PROPHETIDEM, UXOREM (Septuaginta Sixtini habent, *matrem*) SELLUM. — Hunc « Sellum » Hebræi tradunt fuisse avunculum patris Jeremiæ. Cur non ierunt ad Jeremiam, qui tum prophetabat? Forte quia ab urbe aberat. Addit S. Hieronymus, lib. II *Contra Pelagianos*, in eo quod consulitur mulier, occultam regis, sacerdotum et omnium virorum reprehensionem esse, quod nullus virorum sanctus potuerit reperiri, qui posset futura prædicere. Denique « Holda » hanc et senio, et prudentia, et sanctitate, et oraculis apud omnes erat celebris et venerabilis, æque ac Debbora, *Judic.* cap. IV, et Anna mater Samuelis, I *Reg.* cap. II.

QUÆ HABITABAT IN JERUSALEM IN SECUNDA, — scilicet in ea urbis parte quæ vocabatur « Secunda civitas, » juxta secundum (erant enim universim tres muri) urbis murum, ac juxta portam secundam, sive mediam, quæ vocabatur « piscium, » per quam ibatur in templum, unde per eam Chaldæi invaserunt Jerosolymam et templum. Ita S. Hieronymus, loco jam citato, Vilalpandus, Ribera, Salianus, Serarius et alii. Vide Adrichomium in *Descript. Jerusalem.* Chaldæus pro « Secunda » vertit, *domum doctrinæ*, id est scholam; Vatablus, *locum dignitatis secundæ a templo*, quo loco dabatur opera eruditioni et doctrinæ. In eo enim habitabant prophetæ et doctores, ac inter eos Hechabitæ. Hinc et Thalmud dividitur in Miknam et Gemaram. *Misna* enim *secundam* significat, quasi prima sit lex Moysis, secunda sit legis Thalmudica repetitio et explicatio.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Josias sancit fœdus inter Deum et populum, ideoque abolet idola, fana, aruspices, equos solis, excelsa, vitulos aureos Jeroboam, ac vers. 21, solemne Pascha celebrat. Denique, vers. 29, occiditur in prælio a Pharaone Nechao, qui [illegible] *Joachaz filium, deinde eo abducto Joakim ejus fratrem regem substituit.*

1. Et reminiscentes regi quod dixerat. Qui misit : et congregati sunt ad eum omnes senes Juda et Jerusalem. 2. Ascenditque rex templum Domini, et omnes viri Juda, universique qui habitabant in Jerusalem cum eo sacerdotes et prophetæ, et omnis populus a parvo usque ad magnum : lectisque cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inventus est in domo Domini. 3. Stetitque rex super gradum : et fœdus percussit coram Domino, ut ambularent post Dominum, et custodirent præcepta ejus, et testimonia, et cæremonias, in omni corde, et in tota anima, et suscitarent verba fœderis hujus, quæ scripta erant in libro illo : acquievitque populus pacto. 4. Et præcepit rex Helciæ pontifici, et sacerdotibus secundi ordinis, et ostiariis, ut projicerent de templo Domini omnia vasa, quæ facta fuerant Baal, et in luco, et universæ militiæ cœli; et combussit ea foris Jerusalem in Convalle Cedron, et tulit pulverem eorum in Bethel. 5. Et delevit aruspices, quos posuerant reges Juda ad sacrificandum in excelsis per civitates Juda, et in circuitu Jerusalem : et eos, qui adolebant incensum Baal, et Soli, et Lunæ, et duodecim signis, et omni militiæ cœli. 6. Et efferri fecit lucum de domo Domini foras Jerusalem in Convalle Cedron, et combussit eum ibi, et redegit in pulverem, et projecit super sepulcra vulgi. 7. Destruxit quoque ædiculas effeminatorum, quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quasi domunculas luci. 8. Congregavitque omnes sacerdotes de civitatibus Juda : et contaminavit excelsa, ubi sacrificabant sacerdotes, de Gabaa usque Bersabee; et destruxit aras portarum in introitu ostii Josue principis civitatis, quod erat ad sinistram portæ civitatis. 9. Verumtamen non ascendebant sacerdotes excelsorum ad altare Domini in Jerusalem : sed tantum comedebant azyma in medio fratrum suorum. 10. Contaminavit quoque Tophet, quod est in Convalle filii Ennom : ut nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem, Moloch. 11. Abstulit quoque equos, quos dederant reges Juda, Soli, in introitu templi Domini juxta exedram Nathanmelech eunuchi, qui erat in Pharurim : currus autem solis combussit igni. 12. Altaria quoque, quæ erant super tecta cœnaculi Achaz, quæ fecerant reges Juda, et altaria quæ fecerat Manasses in duobus atriis templi Domini, destruxit rex, et cucurrit inde, et dispersit cinerem eorum in Torrentem Cedron. 13. Excelsa quoque, quæ erant in Jerusalem ad dexteram partem Montis offensionis, quæ ædificaverat Salomon rex Israel Astaroth idolo Sidoniorum, et Chamos offensioni Moab, et Melchom abominationi filiorum Ammon, polluit rex. 14. Et contrivit statuas, et succidit lucos : replevitque loca eorum ossibus mortuorum. 15. Insuper et altare, quod erat in Bethel, et excelsum quod fecerat Jeroboam filius Nabath, qui peccare fecit Israel : et altare illud, et excelsum destruxit, atque combussit, et comminuit in pulverem, succenditque etiam lucum. 16. Et conversus Josias, vidit ibi sepulcra, quæ erant in monte : misitque et tulit ossa de sepulcris, et combussit ea super altare, et polluit illud juxta verbum Domini, quod locutus est vir Dei, qui prædixerat verba hæc. 17. Et ait : Quis est titulus ille, quem video? Responderuntque ei cives urbis illius : Sepulcrum est hominis Dei, qui venit de Juda, et prædixit verba hæc, quæ fecisti super altare Bethel. 18. Et ait : Dimittite eum, nemo commoveat ossa ejus. Et intacta manserunt ossa illius, cum ossibus prophetæ, qui venerat de Samaria. 19. Insuper

et omnia fana excelsorum, quæ erant in civitatibus Samariæ, quæ fecerant reges Israel ad irritandum Dominum, abstulit Josias : et fecit eis, secundum omnia opera quæ fecerat in Bethel. 20. Et occidit universos sacerdotes excelsorum, qui erant ibi super altaria : et combussit ossa humana super ea : reversusque est Jerusalem. 21. Et præcepit omni populo, dicens : Facite Phase Domino Deo vestro, secundum quod scriptum est in libro fœderis hujus. 22. Nec enim factum est Phase tale a diebus judicum, qui judicaverunt Israel, et omnium dierum regum Israel, et regum Juda, 23. sicut in octavo decimo anno regis Josiæ factum est Phase istud Domino in Jerusalem. 24. Sed et pythones, et ariolos, et figuras idolorum, et immunditias, et abominationes, quæ fuerant in terra Juda et Jerusalem, abstulit Josias : ut statueret verba legis, quæ scripta sunt in Libro quem invenit Helcias sacerdos in templo Domini. 25. Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, et in tota anima sua, et in universa virtute sua, juxta omnem legem Moysi : neque post eum surrexit similis illi. 26. Verumtamen non est aversus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor ejus contra Judam : propter irritationes, quibus provocaverat eum Manasses. 27. Dixit itaque Dominus : Etiam Judam auferam a facie mea, sicut abstuli Israel : et projiciam civitatem hanc, quam elegi, Jerusalem, et domum de qua dixi : Erit nomen meum ibi. 28. Reliqua autem sermonum Josiæ, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda? 29. In diebus ejus ascendit Pharao Nechao rex Ægypti, contra regem Assyriorum, ad flumen Euphraten, et abiit Josias rex in occursum ejus : et occisus est in Mageddo, cum vidisset eum. 30. Et portaverunt eum servi sui mortuum de Mageddo : et pertulerunt in Jerusalem, et sepelierunt eum in sepulcro suo. Tulitque populus terræ Joachaz filium Josiæ : et unxerunt eum, et constituerunt eum regem pro patre suo. 31. Viginti trium annorum erat Joachaz cum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus Amital, filia Jeremiæ de Lobna. 32. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerant patres ejus. 33. Vinxitque eum Pharao Nechao in Rebla, quæ est in terra Emath, ne regnaret in Jerusalem : et imposuit mulctam terræ centum talentis argenti, et talento auri. 34. Regemque constituit Pharao Nechao Eliacim filium Josiæ pro Josia patre ejus : vertitque nomen ejus Joakim. Porro Joachaz tulit, et duxit in Ægyptum, et mortuus est ibi. 35. Argentum autem et aurum dedit Joakim Pharaoni cum indixisset terræ per singulos, ut conferretur juxta præceptum Pharaonis : et unumquemque juxta vires suas exegit, tam argentum quam aurum de populo terræ, ut daret Pharaoni Nechao. 36. Viginti quinque annorum erat Joakim cum regnare cœpisset : et undecim annis regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus Zebida filia Phadaia de Ruma. 37. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerunt patres ejus.

8. STETITQUE REX SUPER GRADUS, — super quos creatum erat sedile regium quasi solium; unde II *Paralip.* XXIV, 31, vocatur « tribunal, » in quo et Joas ante Josiam simile fœdus inter Deum et populum pepigit. IV *Reg.* cap. XI, vers. 14, sicut et Salomon, II *Paral.* cap. VI, vers. 12. Et hoc videtur esse « Musach sabbati; » ut dixi, cap. XVI, vers. 18. Porro Josias adjuvarit populum, ut fœdus hoc exacte servaret, ut dicitur II *Paralip.* cap. XXXIV, vers. 32. Simili modo primum populi cum Deo fœdus sancivit Moyses, *Exodi* XXIV, cum variis cæremoniis quæ illud populo magis inculcarent.

ET SUSCITARENT VERBA FŒDERIS. — « Suscitare » est « a morte ad vitam excitare; verba autem legis et fœderis divini jam per idola Manassis a multis erant oblivioni tradita, et quasi mortua; quæ a Josia ea populo prædicata et inculcata, vitæ et ex quasi a morte ad vitam, vel certe e somno quasi dormientia ad vigiliam suscitasse.

4. ET PRÆCEPIT REX HELCIÆ PONTIFICI ET SACERDOTIBUS SECUNDI ORDINIS. — id est minoribus, qui maximo sacerdoti, pro Helcia Pontifici subeunti. Ita Abulensis, Valablus, Sanctius et alii, licet alii per secundum ordinem intelligant secundam classem. Erant enim sacerdotes a Davide juxta familias in varias classes distributi.

ET TULIT PULVEREM EORUM (idolorum et eorum ædis dicatorum, ideoque a se combustorum) IN BETHEL, — ut scilicet nec pulvis tam impius remaneret in terra Juda, quæ erat sancta : « Bethel » enim erat locus profanatus ab idololatris Jero-

orum, qui fuit primus rex Israel. Ita Cajetanus.

7. DESTRUXIT QUOQUE AEDICULAS EFFEMINATORUM, — scilicet exortorum masculorum Veneri et Priapo dicatorum, uti easdem dextruxit Asa, lib. III, cap. XV, vers. 12 et 13.

PRO QUIBUS MULIERES TEXEBANT (e lineis, filis vel ramis) QUASI DOMUNCULAS LUCI, — ut iis quasi cortinis et peristromatis suam obscenitatem velarent et tegerent effeminati, in luco quem erexerant in templo, ad infandas libidines.

8. ET CONTAMINAVIT EXCELSA, — scilicet templa et fana profana in locis excelsis erecta, profanando, destruendo, sordibus et ossibus mortuorum, ut dicitur versu 14, impleudo; unde explicans subdit :

ET DESTRUXIT ARAS. — Quæ et quaha fuerint « excelsa » dixi lib. III, cap. III, vers. 2.

9. VERUMTAMEN NON ASCENDEBANT SACERDOTES EXCELSORUM AD ALTARE DOMINI IN JERUSALEM, SED TANTUM COMEDEBANT AZYMA IN MEDIO FRATRUM SUORUM, — *q. d.* Josias non permisit sacerdotes illos, qui impie vel illicite in excelsis sacrificarant, ire in Jerusalem ac ministrare in templo, utpote impuris idolorum vel superstitionum victimis pollutos; sed tamen permisit eos ali azymis aliisque cibis quibus cæteri sacerdotes et Levitæ sibi a populo oblatis vescebantur. Ita Abulensis et alii.

10. CONTAMINAVIT QUOQUE TOPHETH. — Locus erat in « Gehennom, » id est in valle filiorum Ennom, juxta Jerusalem, in quo parentes filios suos cremabant idolo Moloch, ac ne eorum cœtibus audirentur, pulsabant *tympana*, id est *tympanum*; unde locus dictus est *Topheth*. Vide dicta *Isaiæ* XXX, 33, et *Jerem.* VII, 31. Hunc ergo locum cum idolo Moloch, cui sacer erat, Josias « contaminavit, » id est profanavit, destruxit et ossibus implevit funoque.

11. ABSTULIT QUOQUE EQUOS, QUOS DEDERANT REGES JUDA SOLI. — Qui et quales erant hi Solis equi? Respondeo Persæ aliæque gentes Solem ob eximium fulgorem, pulchritudinem et utilitatem colebant ut Deum, eumque vocabant Mithram et Apollinem, eique dicabant equos, partim pictos et sculptos, partim veros et vivos, eo quod equus animalium velocissimus repræsentet Solis motum velocissimum. Testis est Xenophon, lib. VIII *Cyropædiæ*; Herodotus, libro I, in fine; Justinus, lib. I et alii. Unde Ovidius, I *Faster.* :

Placat equo Persis radiis Hyperionа cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Hinc Poetæ fabulantur Solem quadriga vehi, quam trahant quatuor equi celerrimi, nimirum, ut ait Ovidius, II *Metamorph.* :

Pirois, Eous et Æthon,
Solis equi, quartusque Phlegon.

Per quos Abulensis significari putat quatuor anni et diei partes.

Solis simulacrum et idolum ita pingit Macrobius, lib. I *Saturn.* cap. XXI : « Nunc vero, inquit, eumdem Jovem Solemque esse, tum ex ipso sacrorum ritu, tum ex habitu dignoscitur. Simulacrum enim aureum specie imberbi instat dextra elevata cum flagro in aurigæ modum, læva tenet fulmen et spicas. Quæ cuncta Jovis Solisque potentiam consociatam demonstrant. Hujus templi religio etiam divinatione præpollet, quæ ad Apollinis potestatem refertur, qui idem atque Sol est. Vehitur enim simulacrum Dei Heliopolitani ferculo veluti vehuntur in pompa Iudorum *Circen*sium deorum simulacra, et subeunt plerumque provinciæ proceres, raso capite, longi temporis castimonia puri, ferunturque divino spiritu non suo arbitrio, sed quo Deus propellit vehentes. » Subdit Macrobius hunc Deum a Syris vocari « Adad » id est « unum, » quia unus est Sol æque ac Deus in mundo. Idem, lib. I *in Somn. Scipion.* : « Cicero, inquit, asserit quod Sol sit dux, et princeps, et moderator luminum reliquorum, quem Heraclitus fontem cælestis lucis appellat. Dux ergo est, quia omnes luminis majestate præcedit. Princeps, quia ita eminet, ut propterea quod talis solus appareat, sol vocetur. Moderator reliquorum dicitur, quia ipse cursus eorum recursusque certa definitione spatii moderatur. » Et mox : « Mens mundi appellatur, ut Physici eum cor cœli vocaverunt, eo quod Sol diem et noctem dein, veris elementem temperiem, torridum æneri ac leonis æstum, mollitiem autumnalis auræ, vim frigoris inter utramque temperiem, omnia hæc Solis cursus et ratio dispensat. Jure ergo cor cœli dicitur, per quem fiunt omnia quæ divina ratione fieri videmus. » Quæres secundo, quo ritu colebant Solem per equos? *Primo*, Ritus colendi Solem. Primus. Historici Scholastici censent Judæos hisce equis et curru repræsentasse currum et equos igneos, quibus Elias quasi *deus*, id est Sol, raptus est in cœlum, ut audivimus, cap. II. Sic Eucherius et Angelomus, qui et addunt : « Audientes Græci ab Israelitis quod Elias curru igneo, et equis sit igneis ad cœlestia translatus, vel certe hoc ipsum inter alia depictum in pariete videntes crediderunt, vicinia decepti nominis, Solis hic transitum per cœlos esse designatum; et miraculum divinitus factum Dei, mutarunt in argumentum erroris, humana stultitia commentatum. Quos imitati ipsi Judæi sategerunt, ne in aliquo gentilium stultissimis minus stulti apparerent. » *Secundo*, melius Rabbi Salomon : Summo mane, inquit, orienti Soli obviam ducebant equos, ut eum salutarent, eique reverentiam exhiberent. Carpit hoc Abulensis, sed immerito; nam equos Cyri ante Solis ortum ei ad pompam sacrificii obviam prodisse testatur Xenophon, cujus verba mox recitabo. Sic et Romani Solem orientem salutabant, quos redarguit S. Leo, serm. *De Epiphan.*, et idipsum facere solitum Socratem testatur Plato et Plutarchus, qui inde natum proverbium asserit : « Plures adorant Solem orientem quam occidentem. » Unde nonnulli putant equos hos Solis fuisse illos, quibus vehebantur ii qui Solem orientem salutabant et colebant.

Tertio, Abulensis vult equos hos pictos vel sculptos cum curru ante Solis statuam suspensos fuisse, vel eam currui impositam ab equis tractam fuisse.

Quarto, ipsos [illegible] vivos Soli mactabant et sacrificabant. Causam dat Herodotus, lib. I, quod Deorum perniciosissimo vellent mortalium etiam omnium perniciosissimum immolare. Audi Xenophontem, lib. VIII, ubi Cyri e Babylone capta triumphantem egressum describit : « Cum palatii portæ apertæ fuissent, primo agebantur ipsi Jovi tauri pulcherrimi quaterni, et alii quibusdam diis, quos Magi delegissent. Post boves vero equi, ut Soli sacrificium existerent. Post hos autem currus educebatur candidus jugum habens aureum, coronatus Jovi sacer. Post hunc educebatur Solis currus, candidus et coronatus similiter uti superior. Post hunc etiam alius tertius currus educebatur, cujus equi strati erant puniceis amictibus, et post eum viri sequebantur, qui in magno quodam foco ignem portarent. » Hinc Cyrus Persice idem est quod Sol, sit Plutarchus *in Artaxerxe Mnemone*. Sic Philostratus *in Heroicis*, scribit Palamedem Græcis jussisse, ut orienti Soli equum candidum mactarent.

Hunc ergo Solis quasi Dei cultum a gentibus vicinis hausere Judæi. Porro equos hos vivos fuisse liquet ex eo quod Josias dicitur eos abstulisse non combussisse; currum vero Solis combussisse, non abstulisse; si enim equi ex ligno, ære vel auro picti sculptique fuissent, utique eos cum curru combussisset. Porro hi Solis equi erant « juxta exedram Nathanmelech Eunuchi. » « Nathanmelech » Hebraice idem est quod *donum regis*. Sic ergo vocabatur hic Eunuchus, ut significaretur quanti ab illis fieret esse Solis cultorem et auriga. Cum enim ipse esset horum equorum stabularius duntaxat et stabuli præfectus, vocabatur tamen augusto nomine : *Nathan melech*, id est *donum regis*. Septuaginta vertunt, *juxta gazophylacium Nathan Eunuchi regis*. Alii vertunt : *De exedra Nathan melech Eunuchi*; sicque explicant, *q. d.* De exedra sive curru Solis, qui dicitur *Nathan melech*, id est donans rex : Sol enim est rex qui omnia donat; idem est *Eunuchus*, qui imberbis, utpote juvenis semper fortis et agilis. Hinc et eunuchi hujus simulacri Solis voluerunt esse *Eunuchum*, id est imberbem; quia talis est Sol. Ita Vilalpandus, lib. III, cap. XXXII, in cap. XL Ezech. pag. 221. Porro « exedra » erat locus, versu 3, cubiculum in quo sunt sedes, ut fiat hominum consessus, qualis multa erant juxta templum pro sacerdotibus, levitis et aliis.

Tropologice, docet nos Josias, quod idola et equos Solis, id est effrenos impetus animi, domare et destruere debeamus.

Allegorice et anagogice, Josias repræsentat Christum, qui in die judicii omnem impietatem destruet; nil enim coinquinatum sinet ingredi in cœlum. Ita Angelomus.

13. AD DEXTERAM PARTEM MONTIS DEFENSIONIS, — id est montis Oliveti, qui ab idolis et fanis in eo a Salomone erectis, dictus est « offensionis. » Idola enim et idolorum cultus sunt summa Dei injuria et offensio. Unde mox additur :

ET CHAMOS OFFENSIONI (id est idolo Deum offendenti) MOAB. — Hinc idolum in Scriptura vocatur « offensio. » Ita Eucherius et Angelomus.

14. REPLEVITQUE LOCA OSSIBUS HOMINUM. — Hisce enim locus idolis sacer profanabatur, contaminabatur, fiebatque vilis, immundus et horridus, præsertim apud Judæos, qui ex ossium et cadaverum contactu immunditiam legalem contrahebant. Sic et Gentiles ossa et cadavera insepulta horrebant. Audi Virgilium, VI *Æneid.* :

Prodeces jacet exanimum tibi corpus amici,
Heu! nescis, totumque incestat funere classem.

15. INSUPER ET ALTARE QUOD ERAT IN BETHEL, ET EXCELSUM QUOD FECERAT JEROBOAM (scilicet fanum in quo collocarat idola sua, puta vitulos aureos, ut a toto Israele colerentur) DESTRUXIT. — Licet enim Bethel esset in Israel, non in Juda ubi regnabat Josias, tamen Israelitis jam a Salmanasar ex Israele in Assyriam abductis, regeque et regno eorum everso videbatur terra Israel ad pristinum dominum, puta ad Davidis familiam et Josiam regem Juda redire; præsertim quia Deus id Josiam in Bethel facturum ante trecentos annos prædixerat et promiserat, lib. III, cap. XIII, vers. 2, atque hoc ipso jus et potestatem id faciendi Josiæ dederat, imo ordinaverat et jusserat, ut id faceret.

17. QUIS EST TITULUS ILLE, QUEM VIDEO? — « Titulus » erat sepulcrum prophetæ contra Jeroboam, et vitulos aureos in Bethel collocatos vaticinantis, et eorum hoc excidium per Josiam futurum prædicentis. Vocatur « titulus, » quia erat aliquo signo insignitum, ut Josias sciret ibi sepultum esse prophetam veri Dei cultorem, ideoque illi parceret. Quale hoc signum fuerit Scriptura non explicat. Fabulatur Rabbi Salomon ex ossibus prophetæ succrevisse herbas visu elegantes, odore fragrantes, usu salubres, ex quibus Josias collegerit illa ossa esse viri sancti et prophetæ. Melius alii suspicantur fuisse signum crucis, aut nomen Jehova, aut quid simile.

20. ET OCCIDIT SACERDOTES EXCELSORUM, QUI ERANT IBI SUPER ALTARIA. — Abeuntibus enim Assyriis Samariam vastantibus, multi Israelitæ profugi et exules ad suas sedes redierunt, ibique, ut ante, sua idola in excelsis coluerunt; ideoque sacerdotes ad iis sacrificandum constituerunt, quos proinde Josias zelator honoris divini occidit, et quasi victimas in illis ipsis altaribus justitiæ divinæ mactavit et consecravit.

ET COMBUSSIT OSSA HUMANA SUPER EA. — Ossa tum sacerdotum a se occisorum, tum priorum, quæ e sepulcris extraxit, et in altari combussit, sicque altare contaminavit et polluit. Hoc enim prædictum erat a propheta illo, qui a leone occisus est,

lib. III, cap. XIII, vers. 10 : « Exclamavit, inquit, vir Dei contra altare in sermone Domini, et ait : Altare, altare, hæc dicit Dominus : Ecce filius nascetur domui David Josias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, et ossa hominum super te incendet. » Hinc patet mortuos ob scelera posse placeli cadaverum exustione, publica infamia et ignominia. Unde cum in quinta Synodo universali quæsitum esset an liceret olim defunctos anathemate ferire? Eutychius Episcopi Amiseni a responsis, neque concilio, neque deliberatione ulla eam rem egere dixit : propterea quod et Josias rex non tantum viventes dæmonum sacerdotes olim jugularit, sed et eorum, qui longo ante tempore sepulti fuerant, sepulcra effoderit. Ita Nicephorus, lib. XVII *Histor.* cap. XXVII.

21. FACITE PHASE. — id est immolate agnum Paschalem, cæteraque victimas Paschales, quæ per septem dies azymorum in lege offerri jubentur, *Num.* XXVIII, 16 et seq.

Allegorice, Josias instituens « Phase, » solemnissimum, typus fuit Jesu Christi, qui instituit Eucharistiam, imo seipsum fecit « Phase, » id est agnum Paschalem, juxta illud Pauli, II *Corinth.* V : « Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis. »

23. SIMILIS ILLE NON FUIT ANTE EUM REX. — nimirum quoad omnimodam idololatriæ tum in Israele quam in Juda excisionem, ac religionis reformationem, quam in re Josias omnes antecessores suos, etiam Ezechiam, superavit; nam aliquot alioquin laudate Josiæ melior et sanctior videtur fuisse David, ait Abulensis.

29. IN DIEBUS EJUS ASCENDIT PHARAO NECHAO (id est claudus) REX ÆGYPTI CONTRA REGEM ASSYRIORUM, — ut ulcisceretur injurias Ægypto a Sennacherib illatas, et spolia ab eo ablata repeteret, juxtacertam quia videbat a clade castris Sennacherib ab Angelo in Judæa illata, res Assyriorum in pejus ire, eosque rebellasse Medos et Babylonios. Percessit ergo Pharao cum exercitu ad Euphratem et Niniven, spe illinc potiundæ; sed quia transeundum erat per Judæam, occurrit illi Josias, metuens ne Judæam invaderet et spoliaret; ac licet Pharao asseveraret se nil contra Josiam et Judæam moliri, tamen Josias ei non credens, instruxit contra eum aciem, in qua dum audacius et incautius præliatur, a sagittariis confixus occubuit. Porro Abulensis omnino a culpa excusat Josiam, quod vereretur Pharaonem, si ingrederetur Judæam, aliquid contra eum machinaturum, imo eum occupaturum, ut expelli non posset. Scriptor tamen II *Paral.* XXXV, 22, aperte eum ait pugnæ mala præsensisse : licet enim non teneretur Pharaonem divertere verum, scilicet se a Deo alio missi, credens, tamen prius debuisse Deum consulere, antequam bellum tam anceps et periculosum aggrederetur; ita Cajetanus, ideoque permisit Deus eum succumbere et occidi.

ET OCCISUS EST IN MAGEDDO. — Licet enim Mageddo esset in sorte Manasse et Israel, non Juda, cui præerat Josias, tamen Josias illam quoque terram habuit sibi subjectam, ob causam quam dedi, versu 15. Cui aliam adjungit Abulensis, scilicet quod Israelitæ reliqui a captivitate Salmanasar junxerint se regno Juda, ac Josiam pro rege suo acceptarint, ut juncti Judæis fortiores essent, ac facilius Syris, Ægyptiis aliisque hostibus circumjacentibus resisterent.

CUM VIDISSET EUM, — scilicet in prælio, hoc est cum eum præliando cepisset. Sic videre per catachresin sumitur pro præliari, cap. XIV, 8 : « Veni et videamus nos, » id est veni et pugnemus.

Porro mirabile fuit judicium Dei, quod permiserit regem tam pium in justa pluque Israelis defensione occidi : nam occiso Josia interiit tota Israelis spes, ac regnum Davidis et Judæ exulsum est. Nimirum « Judicia Dei abyssus multa. » Voluit Deus tollere Josiam, ne videret mala gentis suæ, scilicet exsidium regni et templi ob peccata Judæorum jam a loco decretum. Causam aliam affert S. Justinus, *Quæst.* LXXIX *ad Orthod.*, nimirum, quod Josias « jusso prophetæ non paruerit, qui ei ex mandato Dei diserat, ut se progrederetur ad obviandum regi Ægypti in bellum, sicut ait Jeremias. Quapropter ut eum peream a peccatis ex hac vita reciperet Dominus Deus, ideo permisit illum inobedientiæ ejus ferro Ægyptio pœnas exsolvere : ad posterorum hominum documentum, ut prophetis immorigeri non essent, tum autem ut illud discerent : Si justus vix salvatur, impius et peccator ubi comparebit? » Hucusque Justinus.

Verum hæc prophetia Jeremiæ nusquam exstat, quod sciam. Allegorice Josias in flore ætatis pro suis peccatis, fuit typus Jesu Christi pro hominum salute a Judæis occisi anno ætatis suæ 34. Plura de pietate et zelo Josiæ ad literam II *Paral.* XXXIV et seq. Elogium Josiæ habet *Eccli.* cap. XLIX, 1 et seq. Simili modo permisit Deus S. Ludovicum consulem terram sanctam Saracenis eripere, ab eis capi, ac secundo redeuntem peste mori, ut discamus regna terræ parvi pendere, ac umbræ regnum cœleste, gloriosum et æternum, uti aiebat S. Ludovicus, in omni sua infelicitate Deum laudans, eique gratias agens; unde moriens, in eælum suspiciens canebat illud *Psalm.* V : « Introibo in domum tuam, Domine, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. » Ita habet ejus Vita apud Surium, die 25 Augusti.

30. TULITQUE POPULUS TERRÆ JOACHAZ FILIUM JOSIÆ : ET UNXERUNT EUM. — Joachaz licet natu junior, erat enim 23 annorum, et tribus tantum mensibus regnavit, cum max successit ei frater senior Joakim, qui 25 erat annorum, prælatus tamen in regno est seniori Joakim, sive quod animosior et bellicosior foret; unde Pharao timens eum deposuit et substituit Joakim, sive quod Joakim timens Pharaonem regnum detrectarit. Pharao enim victo cæsoque Josia, arrogabat sibi jus constituendi reges in Judæa, ut patet ex seq.

33. VINXITQUE EUM PHARAO. — Pharao cæso Josia perrexit contra Assyrios, ac re bene gesta victor rediens Judæam reliquam subjugavit, ideoque amoto Joachaz quem populus constituerat regem, constituit Joakim, ac mulctam centum talentorum argenti Judæ quasi a se subactæ imposuit; bellum enim hoc cruentum fuit, utpote in quo Joachaz et Judæi multos Ægyptios vulnerarint et occiderint, ut indicat Ezechiel, cap. XIX, 4; vide ibi dicta, atque ac Jeremias, cap. XXII, 10 et seq., ac timebat Pharao Joachaz, nerursum rebellaret.

34. VERTITQUE NOMEN EJUS JOACIM. — Moris erat regibus et principibus bello subactis nomen mutare, novumque indere in signum subjectionis, ut patet *Daniel.* I. Adde Joakim idem esse quod Eliakim, utrumque enim Hebraice significat *Deus firmabit* : Dei enim nomen tam est *El*, id est fortis, quam *Jo*, quod est abbreviatum *Jehova*.

37. ET FECIT MALUM CORAM DOMINO, id est coluit idola, insuper avare expilavit subditos, fuitque superbus et ambitiosus, ideoque occisus a Chaldæis, « sepultura asini sepultus est; » hoc est insepultus est, in sterquilinium projectus est instar asini, uti docet Jeremias, cap. XXII, 13 et seq. Vide ibi dicta.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Regnat Joakim, et post eum filius Joachin, vers. 6, quem Nabuchodonosor abduxit in Babylonem, cujus substituit Sedeciam patruum, vers. 17.

1. In diebus ejus ascendit Nabuchodonosor rex Babyloniæ, et factus est ei Joakim servus tribus annis : et rursum rebellavit contra eum. 2. Immisitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum, et latrunculos Syriæ, et latrunculos Moab, et latrunculos filiorum Ammon : et immisit eos in Judam, ut disperderent eum, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat per servos suos prophetas. 3. Factum est autem hoc per verbum Domini contra Judam, ut auferret eum coram se propter peccata Manasse universa quæ fecit, 4. et propter sanguinem innoxium, quem effudit, et implevit Jerusalem cruore innocentium; et ob hanc rem noluit Dominus propitiari. 5. Reliqua autem sermonum Joakim, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda, et dormivit Joakim cum patribus suis: 6. et regnavit Joachin filius ejus pro eo. 7. Et ultra non addidit rex Ægypti, ut egrederetur de terra sua : tulerat enim rex Babyloniæ a rivo Ægypti usque ad fluvium Euphraten, omnia quæ fuerant regis Ægypti. 8. Decem et octo annorum erat Joachin cum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus Nohesta filia Elnathan de Jerusalem. 9. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat pater ejus. 10. In tempore illo ascenderunt servi Nabuchodonosor regis Babyloniæ in Jerusalem, et circumdata est urbs munitionibus. 11. Veniteque Nabuchodonosor rex Babyloniæ ad civitatem cum servis suis, ut oppugnarent eam. 12. Egressusque est Joachin rex Juda ad regem Babyloniæ, ipse et mater ejus, et servi ejus, et principes ejus, et eunuchi ejus, et suscepit eum rex Babyloniæ anno octavo regni sui. 13. Et protulit inde omnes thesauros domus Domini, et thesauros domus regiæ; et concidit universa vasa aurea, quæ fecerat Salomon rex Israel in templo Domini juxta verbum Domini. 14. Et transtulit omnem Jerusalem, et universos principes, et omnes fortes exercitus decem millia, in captivitatem; et omnem artificem, et clusorem : nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ. 15. Transtulit quoque Joachin in Babylonem et matrem regis, et uxores regis, et eunuchos ejus, et judices terræ duxit in captivitatem de Jerusalem in Babylonem. 16. Et omnes viros robustos septem millia, et artifices, et clusores mille, omnes viros fortes et bellatores : duxitque eos rex Babyloniæ captivos in Babylonem. 17. Et constituit Matthaniam patruum ejus pro eo : imposuitque nomen ei Sedeciam. 18. Vi-

gesimum et primum annum ætatis habebat Sedecias cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus erat Amital, filia Jeremiæ de Lobna. 19. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat Joakim. 20. Irascebatur enim Dominus contra Jerusalem et contra Judam, donec projiceret eos a facie sua : recessitque Sedecias a rege Babylonis.

1. In diebus ejus ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, et factus est ei Joakim servus (subjectus et tributarius) tribus annis, et rursum rebellavit, — anno quarto regni sui. Fusius hæc narrat Josephus, lib. X, cap. VII et segnent., ubi recenset quomodo Ægypti cum Babyloniis, devictis Assyriis, de imperio decertarint. Primo enim Ægyptii occiso Josia, subjecerunt Syriam; deinde revertentes in Judæam, amoto Joachaz, regem constituerunt Joakim, qui spe Ægyptii auxilii tributum, quod Babyloniis tribus annis dederat, quarto anno dare recusavit. Quare contra eum venit Nabuchodonosor eodem anno, eumque in Babylonem abduxit, ubi eumdem promittentem tributum in Jerusalem remisit. Stetit Joakim in fide septem annis; sed octavo anno, qui fuit regni sui undecimus, rursum rebellavit. Quare a militibus Nabuchodonosoris intercepta Jerusalem in ea captus et occisus est, suffecto et filio Joachin. Verum cum Nabuchodonosor metueret ne Joachin filius patrem Joakim in rebellione imiteretur, ejusque necem ulciscerctur, eum cepit duxitque in Babylonem, eique in regnum substituit Sedeciam patruum, qui etiam nutavit in fide et subjectione Nabuchodonosori promissa, fretus inani spe auxilii Ægyptiaci; qua de causa sæpius a Jeremia admonitus et increpitus fuit, tandemque rebellans a Nabuchodonosore in Jerusalem obsessus fuit; eumque Ægyptii ei vellent succurrere, a Nabuchodonosore prohibiti et fugati sunt. Cepit Nabuchodonosor ergo Jerusalem, et in ipsa Sedeciam, eumque excæcavit et filios ejus occidit, ac quinto post anno Ægyptum invasit et subegit, et Pharaonem ejus regem trucidavit. Vide etiam Jeremiam, cap. XXII, 13 et seq. et Anchorem *De Mirab. S. Scripturæ*, apud S. Augustinum, tom. III, lib. II, cap. IX.

Porro hic quartus annus Joakim fuit primus regni Nabuchodonosoris, quo ipse Joakim cum Daniele et aliis nobilibus abduxit in Babylonem. Post octo deinde annos, puta anno regni Joakim undecimo et ultimo, eo occiso abduxit ejus filium Joachin cum omnibus principibus, militibus et civibus Jerosolymæ, ut dicitur cap. XXIV, 14, unde ab hoc anno undecimo Joakim, qui fuit octavus Nabuchodonosoris, numerandi sunt anni 70 captivitatis Babylonicæ; nam Nabuchodonosor post abductum Joachin regnavit annis 36, deinde ejus filius Evilmerodach, sive Baltasar, annis 34 qui simul juncti ita sunt 70. Baltasari successit Cyrus rex Persidis, qui expletis jam 70 captivitatis annis, Babylonem cepit et Baltasarem occidens, Judæos e Babylone liberavit. Vide dicta *Jeremiæ* XXIX, 10.

2. Immisitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum. — « Latrunculi » vocantur milites qui grassantur, et prædarum excurrunt quasi latrunculi. Illos misit Nabuchodonosor, ut cum Syris, Moabitis et Ammonitis juncti interciperent Jerusalem, ac Joakim rebellantem caperent et occiderent; quod et fecerunt, uti jam dixi.

Et regnavit Joachin filius ejus pro eo. — Nota : Differunt Joakim pater, et Joachin filius, sive Jeconias et Jechonias, *Matth.* 1. Pater enim Joakim scribitur Hebraice per litteram *Coph* et *Mem*; filius vero Joachin scribitur per *Caph* et *Nun*. Joakim Hebraice idem est quod *Deus firmabit*; Joachin vero, quod *Deus præparabit* vel *dirigel*. Joachin sive Jechonias a Jeremia, cap. XXII, vers. 24, in Hebræo decurtatur, vocatur *Conias*, id est *præparatus*, scilicet ad interitum.

8. Decem et octo annorum erat Joachin, cum regnare cœpisset. — Dices : II *Paralip.* cap. ult., vers. 9, dicitur anno octavo regnasse. Respondeo : Anno 18 solus post patrem regnavit, anno vero octavo cœpit cum patre Joakim regnare. Videtur enim Joachin anno tertio vel quarto Joakim patris sui declaratus Rex, cum scilicet Nabuchodonosor patrem cepit, et abduxit in Babylonem. Ita Abulensis.

Et tribus mensibus regnavit. — Quomodo ergo II *Paral.* cap. ult., vers. 10, dicitur post annum abductus a Nabuchodonosore? Respondet Cajetanus fluxisse aliquot menses interregni inter Joakim et Joachin antequam Joachin assumeret regnum. Aliam responsionem afferam II *Paralip.* cap. ult., vers. 10.

12. Egressusque est Joachin, — suadente Jeremia, ut se traderet Nabuchodonosori, ut patet *Jerem.* XXXVIII, 2 et seq., ideoque ductus est quidem in Babylonem, sed post Nabuchodonosoris mortem ab ejus filio Evilmerodach e carcere liberatus fuit, et summo honore affectus anno post hunc trigesimo septimo, ut habetur cap. sequent., vers. 27.

14. Et transtulit omnem Jerusalem, — id est omnes cives et incolas Jerusalem. Fuit hæc secunda captivitas. *Prima* enim facta est ante octo annos, anno quarto Joakim, cum ipse rebellans abductus est cum primoribus in Babylonem, uti dixi vers. 1; *secunda* fuit hæc, qua Joachin cum suis principibus et militibus, ac cum Ezechiele Propheta abductus fuit; *tertia* et extrema facta est post undecim annos, scilicet ultimo anno Sedeciæ, quo Jerusalem cum templo a Nabuchodonosore capta et eversa est, ut dicetur cap. sequent.

Et omnem artificem et clusorem, — id est « inclusorem, » ut vertit Noster, *Jerem.* XXIV, 1, per quem S. Hieronymus ibidem accipit eum qui gemmas pretiosis metallis includit, et palis annulorum aureorum illigat. Melius alii intelligunt eos qui castra metandi sunt periti, norantque ea vallis quasi claustris suis includere, æque ac urbes vallare et munire. Ita Vatablus, Sanchez et alii. Unde Chaldæus vertit *janitores*, id est urbium custodes et clausores portarum. Agitur enim hic de militibus et fortibus, quos Chaldæi abstulerunt Judæis, ne iterum rebellarent, æque ac fecere Philistæi, I *Reg.* cap. XIII, 19. Ita Angelomus. Sic per « artificem » intellige « fabrum » uti vertit Noster, *Jerem.* cap. XXIV, vers. 1, eum scilicet qui enses aliaque arma fabricat. Eadem arte utitur diabolus, dum viros zelosos a Republica amovere satagit, ut eam præsidio destitutam pessumdet.

17. Et constituit Matthaniam patrum ejus (scilicet Joachin, ideoque fratrem Joakim), imposuitque ei nomen Sedeciam, — ut scilicet ipse nomine suo semper admoneretur fidem et subjectionem quam promiserat Nabuchodonosori servare; « Sedecias » enim Hebraice idem est quod *justitia mea Deus*. Ita Cajetanus. Josias pius rex filiis suis pia nomina imposuit, quæ eos admonerent pietatis in Deum. Unde unum appellavit « Joachaz, » id est *Dei apprehensio* vel *possessio*, ut quoties audiret se nominari, cogitaret se a Deo apprehendi et possideri; alterum vocavit « Heliakim, » id est *Dei firmitas*, ut cogitaret se non nisi a Deo firmari; tertium vocavit « Matthaniam, » id est *donum Dei*, vel juxta Syrum *expectatio*, ut in omnibus adversis ad Dominum quasi ad asylum confugeret; sed omnes obliti Dei æque ac nominis sui, ad idola confugerunt, ideoque Deo vindicante perierunt.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nabuchodonosor capit Jerusalem; Sedeciam excæcatum cum populo in Babylonem abducit, templum succendit.

1. Factum est autem anno nono regni ejus, mense decimo, decima die mensis, venit Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse et omnis exercitus ejus in Jerusalem, et circumdederunt eam; et exstruxerunt in circuitu ejus munitiones. 2. Et clausa est civitas atque vallata, usque ad undecimum annum regis Sedeciæ, 3. nona die mensis; prævaluitque fames in civitate, nec erat panis populo terræ. 4. Et interrupta est civitas; et omnes viri bellatores nocte fugerunt, per viam portæ, quæ est inter duplicem murum ad hortum regis (porro Chaldæi obsidebant in circuitu civitatem), fugit itaque Sedecias per viam quæ ducit ad campestria solitudinis. 5. Et persecutus est exercitus Chaldæorum regem, comprehenditque eum in planitie Jericho; et omnes bellatores, qui erant cum eo, dispersi sunt, et reliquerunt eum. 6. Apprehensum ergo regem deduxerunt ad regem Babylonis in Reblatha; qui locutus est cum eo judicium. 7. Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, et oculos ejus effodit, vinxitque eum catenis, et adduxit in Babylonem. 8. Mense quinto, septima die mensis, ipse est annus nonus decimus regis Babylonis : venit Nabuzardan princeps exercitus, servus regis Babylonis, in Jerusalem. 9. Et succendit domum Domini, et domum regis, et domos Jerusalem, omnemque domum combussit igni. 10. Et muros Jerosalem in circuitu destruxit omnis exercitus Chaldæorum, qui erat cum principe militum. 11. Reliquam autem populi partem, quæ remanserat in civitate, et perfugas qui transfugerant ad regem Babylonis, et reliquum vulgus transtulit Nabuzardan princeps militiæ. 12. Et de pauperibus terræ reliquit vinitores et agricolas. 13. Columnas autem æreas, quæ erant in templo Domini, et bases, et mare æreum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi, et transtulerunt æs omne in Babylonem. 14. Ollas quoque æreas, et trullas, et tridentes, et scyphos, et mortariola, et omnia vasa ærea, in quibus ministrabant, tulerunt. 15. Nec non et thuribula et phyalas; quæ aurea, aurea, et quæ argentea, argentea, tulit princeps militiæ : 16. id est columnas duas, mare

unum, et lebetes quas fecerat Salomon in templo Domini : non erat pondus æris omnium vasorum. 17. Decem et octo cubitos altitudinis habebat columna una ; et capitellum æreum super se altitudinis trium cubitorum; et retiaculum, et malogranata super capitellum columnæ, omnia ærea; similem et columna secunda habebat ornatum. 18. Tulit quoque princeps militiæ Saraiam sacerdotem primum, et Sophoniam sacerdotem secundum, et tres janitores. 19. Et de civitate eunuchum unum, qui erat præfectus super bellatores viros; et quinque viros de his, qui steterant coram rege, quos reperit in civitate ; et Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ; et sexaginta viros e vulgo, qui inventi fuerant in civitate. 20. Quos tollens Nabuzardan princeps militum, duxit ad regem Babylonis in Reblatha. 21. Percussitque eos rex Babylonis, et interfecit eos in Reblatha in terra Emath, et translatus est Juda de terra sua. 22. Populo autem qui relictus erat in terra Juda, quem dimiserat Nabuchodonosor rex Babylonis, præfecit Godoliam filium Ahicam filii Saphan. 23. Quod cum audissent omnes duces militum, ipsi et viri qui erant cum eis, videlicet quod constituisset rex Babylonis Godoliam, venerunt ad Godoliam in Maspha, Ismahel filius Nathaniæ, et Johanan filius Caree, et Saraia filius Thanehumeth Netophathites, et Jezonias filius Manchati, ipsi et socii eorum. 24. Juravitque Godolias ipsis et sociis eorum, dicens : Nolite timere servire Chaldæis : manete in terra, et servite regi Babylonis, et bene erit vobis. 25. Factum est autem in mense septimo, venit Ismahel filius Nathaniæ, filii Elisama de semine regio, et decem viri cum eo ; percusseruntque Godoliam, qui et mortuus est; sed et Judæos et Chaldæos, qui erant cum eo in Maspha. 26. Consurgensque omnis populus a parvo usque ad magnum, et principes militum, venerunt in Ægyptum, timentes Chaldæos. 27. Factum est vero in anno trigesimo septimo transmigrationis Joachin regis Juda, mense duodecimo, vigesima septima die mensis; sublevavit Evilmerodach rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Joachin regis Juda de carcere. 28. Et locutus est ei benigne; et posuit thronum ejus super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone. 29. Et mutavit vestes ejus, quas habuerat in carcere, et comedebat panem semper in conspectu ejus cunctis diebus vitæ suæ. 30. Annonam quoque constituit ei sine intermissione, quæ et dabatur ei a rege per singulos dies, omnibus diebus vitæ suæ.

Hoc caput idem prorsus est cum cap. ultimo Jeremiæ, ubi illud explicui : Jeremias enim toti huic cladi interfuit, et cum impedire conatus fuit, ut patet ex ejus prophetiis, sed frustra. Vide Abulensem hic, *Quæst.* ult., seriem singularem Jeremiæ prophetiarum cum serie gestorum Regum horum combinantem. Vide et chronotaxim quam Jeremiæ præfixi.

4. INTERRUPTA EST CIVITAS. — crebris scilicet ictibus arietum hostilium, unde ex ea fugerunt cives per occultum viam et exitum. Ita Abulensis et Vatablus, licet Cajetanus velit murum ruptum fuisse ubi ipsis civibus, ut per rupturam effugerent.

6. LOCUTUS EST CUM EO JUDICIUM. — id est judicio cum eo disceptavit, justeque eum condemnavit dicendo : Tu fidem mihi datam fregisti et rebellasti, juste ergo mereris a me excœcari. Alia addit R. Salomon, sed more suo fabulatur.

8. SEPTIMA DIE MENSIS. — Jeremias cap. ult. habet « decima die : » utrumque sic concilia, quod die septima venerit Jerusalem, sed decima combusserit templum. Ita Cajetanus. Aut potius die septima discessit ex Reblatha, ubi erat Nabuchodonosor, et die decima (tridui enim est iter), pervenit in Jerusalem.

11. RELIQUOS VULGUS TRANSTULIT NABUZARDAN PRINCEPS MILITIÆ. — Septuaginta vertunt *archimagirus*, id est *princeps coquorum*, Hebraus, *princeps mactantium*; Chaldæus, *magister homicidarium*; unde per eum S. Gregorius mystice accipit gulam, quæ templum animæ nostræ evertit. Audi eum III part. *Pastor. Admonit.* XX : « Princeps coquorum destruxit muros Jerusalem. Peccatum namque coquorum venter est, cui magna cura obsequium a cocis impenditur, ut ipse delectabiliter cibis impleatur. Muri autem Jerusalem virtutes sunt animæ, ad desiderium supernæ pacis elevatæ. Coquorum igitur princeps muros Jerusalem dejicit ; quia dum venter ingluvie extenditur, virtutes animæ per luxuriam destruuntur. » Quocirca Abbas Pœmen *in Vitis Patr.* : « Nisi, ait, Nabuzardan princeps coquorum venisset, templum Dei non arsisset ; hoc est, nisi desiderium gastrimargiæ irrepsisset, anima libidine non conflagrasset. » Angelomus vero per « Nabuzardan » intelligit diabolum, qui omnia fidelium bona diripere satagit.

11. TRULLAS, — non commentarius, sed « trullas, » id est opercula ollarum, dicta trulla, ait Abulensis a trudendo, quia trudit, id est claudit ollam, ut trullis ali quasi trusilis : « trullas » enim Noster jungit ollis. Nam in Hebræo, Chaldæo et Septuaginta nulla vox trullis respondet.

Verum prisci anciores per trullam accipiunt vas fundens aquam. Ita Nonius Marcellus : « Trullam, inquit, quo manus perluuntur. » Tiliatus Setina : « Sapientia, inquit, gubernator torquet navem, haud valentia : cocus, magnum ahenum quando fervet, pauxula confutat trua. » Varro, libro IV : « Trulla, ait, a similitudine trua, quæ quod magna, et hæc pusilla ut trulla. Hinc Græce τρύβλιον, nos trullam. Trulla, quæ a culina in lavatrinam aquam fundunt. Trua, quod travolat ea aqua, ab eodem est appellatum. » Varro ergo trullam dictam putat a travolando. Nonius Marcellus vero a terendo quasi terulam. Isidorus autem a trudendo. Audi eum, libro XIX *Orig.* cap. XVIII : « Trullæ nomen factum, eo quod trudit et detrudit, id est includit calce vel luto lapides. »

Allegoria et tropologia hic est facilis et apposita. Jerusalem enim est Ecclesia, æque ac anima fidelis per fidem contemptus Deum ; idola sunt res creatæ et vanæ, quas contra dei legem ambit, v. g. idolum avari est aurum, luxuriosi lindo, superbi honor. Nabuchodonosor est diabolus, qui capta Jerusalem, hi est anima, ejus regum Sedeciam, id est mentem (Sedecias enim hebraice idem est quod *justitia Dei*, quam mens conjurat, timere et imitari debet), excœcat : inde cum gratiis bonisque omnibus dispoliat, templumque, hi est, omnem Dei timorem cultumque exuit, ac deinde captivam libertate sua privat, vinctamque deducit in Babylonem, id est in extremam rerum omnium confusionem, qualis est in anima cupiditatibus suis subdita, præsertim dum in gehennam conjicitur. Verum antequam id fiat, nullas ex hac captivitate liberat Cyrus, id est Christus. Ita Angelomus et Eucherius.

27. FACTUM EST VERO IN ANNO TRIGESIMO SEPTIMO TRANSMIGRATIONIS JOACHIN. — Fuit ergo Joachin in carcere Babylonio quamdiu superstes fuit Nabuchodonosor per 37 annos : eo vero mortuo, Evilmorodach patri succedens Joachin liberavit et exaltavit. Causam dedi Jeremiæ LII, sub finem capitis.

SYNCHRONISMUS REGUM JUDA, PROPHETARUM, REGUM ET HEROUM GENTILIUM.

Salomoni synchronos, sive coævus fuit Nathan propheta, Hiram rex Tyri, Hesiodus, et Homerus Græcorum Salomon.

Roboamo coævus fuit Ahias propheta, ac Jeroboam primus rex Israel, et Laosthenes rex Assyriorum.

Asæ coævus fuit Jehu propheta, ac Baasa rex Israel, et Ophratæus rex Assyriorum.

Tempore Josaphat floruit Elias propheta, qui curru igneo raptus est in cœlum.

Sub Joram prophetavit Eliseus per sexaginta sex annos, mortuusque est sub Amasia rege.

Sub Joas vixit Joiada Pontifex, ejusque filius Zacharias martyr. In Israel successive regnarunt Jehu, qui domum Achab succidit, Joachaz et Joas.

Amasiæ regis frater fuit Amos, pater Isaiæ prophetæ. Isaias ergo avum habuit Joas regem, patrum vero Amasiam : hoc tempore Lycurgus leges dedit Spartanis.

A tempore Azariæ sive Oziæ cœpit propheture Isaias, ac prophetavit per sexaginta annos sub Ozia, Joatham, Achaz, Ezechia et Manasse regibus; prophetarunt hunc quoque Osee, Joel, Amos, Jonas et Abdias. Sub annum 40 Azariæ cœperunt computari Olympiades, sive anni Iphyti regis, qui eas instituit. Olympiades antecedunt Romæ conditionem annis 23. Quare sub annum decimum Joatham Roma condita est a Romulo, qui primus in ea regnavit annis 36. Huic successit Numa Pompilius per annos 43; huic Tullus Hostilius per annos 32; huic Ancus Martius per annos 24; huic Tarquinius Priscus per annos 38; huic Servius Tullius per annos 44; huic Tarquinius Superbus per annos 25.

Sub Joatham prophetarunt Nahum et Michæas. Sub idem tempus Sardanapalus, obsessus in Ninive ab Arbace Medise præfecto, seipsum cum regia totaque gaza combussit. Quare Arbaces Medus se regem fecit; Baladan vero, qui alio nomine dictus est Nabonassar, Babyloniam occupavit, a quo constituta est Æra Nabonassareo, quæ incipit ab anno 15 Joatham.

Sub Achaz capta est Damascus ab Assyriis, ac Teglathphalasar eorum rex dimidiam partem decem tribuum Israel in Assyriam abduxit.

Ezechiæ coævus fuit Merodach filius Baladan, sive Nabonassaris primi regis Babylonis, et Salmanasar rex Assyriorum, qui Israelem, id est decem tribuum reliquias, ac inter eas Tobiam in Assyriam abduxit. Item filius ejus Sennacherib, qui obsidens Jerosolymam ab Angelo fugatus est cæsis 185 millibus.

Tunc quoque floruit Sibylla Erythræa, teste S. Augustino, libro XVIII *De Civitate Dei*, cap. XXIII. Manasses Isaiam prophetam sibi consanguineum ligneo serra dissecuit. Tunc floruit apud Lydos Gyges, qui Candaule occiso regnum obti-

nuit : ejus pronepos fuit Crœsus, quem Cyrus prælio vicit et subjugavit. Tunc quoque in Ægypto regnavit Psammetichus, cujus filius Nechao Josiam superavit et occidit. Tunc quoque claruit Thales Milesius, unus e septem Græciæ sapientibus, ac successive cæteri sex sapientes. Sub Manasse quoque Romæ regnavit Numa Pompilius, floruit Sybylla Samia. Tunc pariter historiam Judith contigisse multi opinantur.

Sub Josia cœpit prophetare Jeremias, ac tempore Joakim, Joachin et Sedeciæ prophetavit per 45 annos, tandemque in Ægypto a Judæis lapidibus obrutus, martyr occubuit. Sub eodem prophetavit Baruch, Sophonias et Holda prophetissa. Romæ regnarunt Tullus Hostilius et Ancus Martius. Floruere Aristomenes, Phalaris tyrannus, Zelencus legislator, Terpander musicus, Sappho et Stesichorus poetæ. Anno quarto Joakim cœpit regnare Nabuchodonosor, qui monarchiam ab Assyriis ad Chaldæos transtulit, ac Jerusalem cum templo everbit et Judæos in Babylonem abduxit, ac Ægyptum subjugavit, et Pharaonem Nechao, qui Pharaonum fuit ultimus, trucidavit, ut dixi *Jerem.* XLIV, 30.

Sub Joachin et Sedecia prophetavit in Babylone Ezechiel per annos 22, cui successit Daniel, qui usque ad centesimum annum vixit et prophetavit. Vide dicta in procemio *Jeremiæ*, *Ezechielis* et *Danielis*.

Hoc tempore in Media regnabat Cyaxares, cui successit filius Astyages, et huic nepos ex filia Cyrus, qui Babylonem cum Dario Medo avunculo suo cepit, et monarchiam a Chaldæis ad Persas transtulit, ac Judæos ex Babylone liberos in Judæam remisit.

Tunc quoque floruere Draco Atheniensium legislator, atque ac Solon, Epimenides philosophus, qui teste Laertio Athenis aram erexit « Ignoto Deo, » de qua Paulus, *Actor.* XVII. Ita Anaximenes, Xenophanes, Anacharsis philosophus, Arion musicus, Æsopus Fabularum dictator, Sibylla Cumæa, quæ Tarquinio regi Romanorum novem libros oraculorum obtulit pretio 300 aureorum, cumque is illud abnueret, Sibylla magnam eorum partem combussit ac pro paucis reliquis tantumdem exegit et obtinuit, uti narrat Plinius, Solinus, Gellius, Servius et alii. Hæc Eusebius, Torniellus, Gordonus, Salianus cæterique Chronologi.

Audi S. Augustinum, libro XVIII *De Civitate Dei*, cap. XXV : « Regnante apud Hebræos Sedecia, et apud Romanos Tarquinio Prisco, qui successerat Anco Martio, ductus est captivus in Babyloniam populus Judæorum, eversa Jerusalem, et templo illo a Salomone constructo. Eo tempore Pittæus Mitylenæus unus de septem sapientibus fuisse perhibetur : et quinque cæteros, qui ut septem numerantur, Thaleti quem supra commemoravimus, et huic Pittaco addantur, eo tempore fuisse scribit Eusebius, quo captivus Dei populus in Babylonia tenebatur. Ii sunt autem Solon Atheniensis, Chido Lacedæmonius, Periander Corinthius, Cleobulus Lyndus, Bias Prienæus. Eo captivitatis Judaicæ tempore et Anaximander, et Anaximenes, et Xenophanes physici claruerunt. Tum et Pythagoras, ex quo cœperunt appellari philosophi. »

COMMENTARIA

IN LIBRUM PRIMUM

PARALIPOMENON.

S. Hieronymus, epist. *ad Paulinum*, quæ Bibliis præfigitur : « Paralipomenon liber, inquit, id est, instrumenti veteris ἐπιτομή, tantus ac talis est, ut absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi volnerit arrogare, seipsum irrideat. Per singula quippe nomina, juncturasque verborum, et prætermisse in Regum libris tanguntur historiæ, et innumerabiles explicantur Evangelii quæstiones. »

Ergo hic liber est epitome sive compendium gestorum Regum Juda, non vero Regum Israel, utpote schismaticorum et idololatrarum. Hebraice inscribitur דברי הימים *dibre Haiamin*, id est *verba dierum*, q. d. Diarium, sive Chronicon breviter gesta Davidis et posterorum Regum Juda, quasi per singulos dies, id est per singula tempora et sæcula enarrans. A Septuaginta inscribitur hic liber παραλειπομένων, id est *relictorum* sive *residuorum*, ut ait S. Hieronymus, epist. *ad Domnionem*, quod ea quæ in Libris *Regum* omissa sunt, suppleat et historice recenseat. Multa tamen repetit, quæ in Libris *Regum* audivimus. Quare iis omissis, paucis quæ huic libro relicta et propria sunt, explicabo. Nonnulla enim quæ ibi strictim dicta sunt, hic fusius pertractantur; quædam etiam ibi obscurius scripta, hic clarius explicantur.

Auctor sive compendiator, ut censent Rabbini, Lyranus, Sixtus Senensis, Driedo et alii, fuit Esdras, qui ex publicis Annalibus sive Diariis eum conscripsit. Id ita esse colligunt ex eo, quod ultima verba Libri *Paralipomenon* eadem plane sint cum primis libri *Esdræ*. Vide dicta in præfatione in Libros *Regum*. Sic et quæ cap. IX, vers. 2 et seq. dicuntur eadem sunt cum iis quæ habet Esdras, lib. II, cap. XI. Similia plura in ipso libri decursu notabo. Denique Catalogi genealogiarum et personarum, qui decem primis capitibus fuse hic texuntur, similes sunt Catalogis *Esdræ*, cap. II, VIII, XII et seq. (1).

(1) In tres partes dividi possunt facta quæ in libris *Paralipomenon* narrantur, omissis quæ in libris *Regum* jam vidimus. *Prima* pars, a cap. I usque ad cap. IX, non nisi genealogias continet, cum quibusdam factis quæ aliis non leguntur. In *secunda* parte, a cap. X, I lib. ad cap. IX, II lib., multa reperiuntur de regno tum Davidis, tum Salomonis, quæ in libris *Regum* non invenias. *Tertia* pars, a cap. X, II lib., historiam narrat tum schismatis decem tribuum, tum regum Juda, eodem fere sed breviori modo ac libri *Regum*.

Scopus saltem præcipuus auctoris libri *Paralipomenon* fuisse videtur demonstrare quis fuerit familiarum status ante captivitatem, et quæ deberit esse post reditum portio vel hæreditas cuique tribui vel familiæ assignanda. Ideo genealogias diligenter pertexit, ut etiam Judæi facilius dignoscere possent ex qua tribu esset oriturus Messias, simulque docet Judæos quæ ad restituendum cultum divinum pertinebant, et fusius enarrat Sacerdotum et Levitarum officia et genealogias.

Juxta opinionem Rabbinorum et interpretum vel catholicorum vel protestantium, Esdras vulgo habetur ut auctor libri *Paralipom.* (vide argumentum lib. *Regum*), licet ista opinio firmissimis et plurimis argumentis non nitatur. Pro certo saltem tenendum est, auctorem libri *Paralipom.* non esse eumdem qui libros *Regum* scripsit, cum sæpe eadem facta utrinque rememorentur, iisdem terminis; et alibi multæ inveniantur quoad tempora, nomina et genealogias discrepantiæ.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nuit : ejus pronepos fuit Crœsus, quem Cyrus prælio vicit et subjugavit. Tunc quoque in Ægypto regnavit Psammetichus, cujus filius Nechao Josiam superavit et occidit. Tunc quoque claruit Thales Milesius, unus e septem Græciæ sapientibus, ac successive cæteri sex sapientes. Sub Manasse quoque Romæ regnavit Numa Pompilius, floruit Sybylla Samia. Tunc pariter historiam Judith contigisse multi opinantur.

Sub Josia cœpit prophetare Jeremias, ac tempore Joakim, Joachin et Sedeciæ prophetavit per 45 annos, tandemque in Ægypto a Judæis lapidibus obrutus, martyr occubuit. Sub eodem prophetavit Baruch, Sophonias et Holda prophetissa. Romæ regnarunt Tullus Hostilius et Ancus Martius. Floruere Aristomenes, Phalaris tyrannus, Zelencus legislator, Terpander musicus, Sappho et Stesichorus poetæ. Anno quarto Joakim cœpit regnare Nabuchodonosor, qui monarchiam ab Assyriis ad Chaldæos transtulit, ac Jerusalem cum templo everbit et Judæos in Babylonem abduxit, ac Ægyptum subjugavit, et Pharaonem Nechao, qui Pharaonum fuit ultimus, trucidavit, ut dixi *Jerem.* XLIV, 30.

Sub Joachin et Sedecia prophetavit in Babylone Ezechiel per annos 22, cui successit Daniel, qui usque ad centesimum annum vixit et prophetavit. Vide dicta in procemio *Jeremiæ*, *Ezechielis* et *Danielis*.

Hoc tempore in Media regnabat Cyaxares, cui successit filius Astyages, et huic nepos ex filia Cyrus, qui Babylonem cum Dario Medo avunculo suo cepit, et monarchiam a Chaldæis ad Persas transtulit, ac Judæos ex Babylone liberos in Judæam remisit.

Tunc quoque floruere Draco Atheniensium legislator, atque ac Solon, Epimenides philosophus, qui teste Laertio Athenis aram erexit « Ignoto Deo, » de qua Paulus, *Actor.* XVII. Ita Anaximenes, Xenophanes, Anacharsis philosophus, Arion musicus, Æsopus Fabularum dictator, Sibylla Cumæa, quæ Tarquinio regi Romanorum novem libros oraculorum obtulit pretio 300 aureorum, cumque is illud abnueret, Sibylla magnam eorum partem combussit ac pro paucis reliquis tantumdem exegit et obtinuit, uti narrat Plinius, Solinus, Gellius, Servius et alii. Hæc Eusebius, Torniellus, Gordonus, Salianus cæterique Chronologi.

Audi S. Augustinum, libro XVIII *De Civitate Dei*, cap. XXV : « Regnante apud Hebræos Sedecia, et apud Romanos Tarquinio Prisco, qui successerat Anco Martio, ductus est captivus in Babyloniam populus Judæorum, eversa Jerusalem, et templo illo a Salomone constructo. Eo tempore Pittæus Mitylenæus unus de septem sapientibus fuisse perhibetur : et quinque cæteros, qui ut septem numerantur, Thaleti quem supra commemoravimus, et huic Pittaco addantur, eo tempore fuisse scribit Eusebius, quo captivus Dei populus in Babylonia tenebatur. Ii sunt autem Solon Atheniensis, Chido Lacedæmonius, Periander Corinthius, Cleobulus Lyndus, Bias Prienæus. Eo captivitatis Judaicæ tempore et Anaximander, et Anaximenes, et Xenophanes physici claruerunt. Tum et Pythagoras, ex quo cœperunt appellari philosophi. »

COMMENTARIA

IN LIBRUM PRIMUM

PARALIPOMENON.

S. Hieronymus, epist. *ad Paulinum*, quæ Bibliis præfigitur : « Paralipomenon liber, inquit, id est, instrumenti veteris ἐπιτομή, tantus ac talis est, ut absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi volnerit arrogare, seipsum irrideat. Per singula quippe nomina, juncturasque verborum, et prætermisse in Regum libris tanguntur historiæ, et innumerabiles explicantur Evangelii quæstiones. »

Ergo hic liber est epitome sive compendium gestorum Regum Juda, non vero Regum Israel, utpote schismaticorum et idololatrarum. Hebraice inscribitur דברי הימים *dibre Haiamin*, id est *verba dierum*, q. d. Diarium, sive Chronicon breviter gesta Davidis et posterorum Regum Juda, quasi per singulos dies, id est per singula tempora et sæcula enarrans. A Septuaginta inscribitur hic liber παραλειπομένων, id est *relictorum* sive *residuorum*, ut ait S. Hieronymus, epist. *ad Domnionem*, quod ea quæ in Libris *Regum* omissa sunt, suppleat et historice recenseat. Multa tamen repetit, quæ in Libris *Regum* audivimus. Quare iis omissis, paucis quæ huic libro relicta et propria sunt, explicabo. Nonnulla enim quæ ibi strictim dicta sunt, hic fusius pertractantur; quædam etiam ibi obscurius scripta, hic clarius explicantur.

Auctor sive compendiator, ut censent Rabbini, Lyranus, Sixtus Senensis, Driedo et alii, fuit Esdras, qui ex publicis Annalibus sive Diariis eum conscripsit. Id ita esse colligunt ex eo, quod ultima verba Libri *Paralipomenon* eadem plane sint cum primis libri *Esdræ*. Vide dicta in præfatione in Libros *Regum*. Sic et quæ cap. IX, vers. 2 et seq. dicuntur eadem sunt cum iis quæ habet Esdras, lib. II, cap. XI. Similia plura in ipso libri decursu notabo. Denique Catalogi genealogiarum et personarum, qui decem primis capitibus fuse hic texuntur, similes sunt Catalogis *Esdræ*, cap. II, VIII, XII et seq. (1).

(1) In tres partes dividi possunt facta quæ in libris *Paralipomenon* narrantur, omissis quæ in libris *Regum* jam vidimus. *Prima* pars, a cap. I usque ad cap. IX, non nisi genealogias continet, cum quibusdam factis quæ aliis non leguntur. In *secunda* parte, a cap. X, I lib. ad cap. IX, II lib., multa reperiuntur de regno tum Davidis, tum Salomonis, quæ in libris *Regum* non invenias. *Tertia* pars, a cap. X, II lib., historiam narrat tum schismatis decem tribuum, tum regum Juda, eodem fere sed breviori modo ac libri *Regum*.

Scopus saltem præcipuus auctoris libri *Paralipomenon* fuisse videtur demonstrare quis fuerit familiarum status ante captivitatem, et quæ deberit esse post reditum portio vel hæreditas cuique tribui vel familiæ assignanda. Ideo genealogias diligenter pertexit, ut etiam Judæi facilius dignoscere possent ex qua tribu esset oriturus Messias, simulque docet Judæos quæ ad restituendum cultum divinum pertinebant, et fusius enarrat Sacerdotum et Levitarum officia et genealogias.

Juxta opinionem Rabbinorum et interpretum vel catholicorum vel protestantium, Esdras vulgo habetur ut auctor libri *Paralipom.* (vide argumentum lib. *Regum*), licet ista opinio firmissimis et plurimis argumentis non nitatur. Pro certo saltem tenendum est, auctorem libri *Paralipom.* non esse eumdem qui libros *Regum* scripsit, cum sæpe eadem facta utrinque rememorentur, iisdem terminis; et alibi multæ inveniantur quoad tempora, nomina et genealogias discrepantiæ.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensetur genealogia Ade usque ad Abrahæ ejusque posteros, præsertim Idumæos, quorum reges et duces exarrantur vers. 35 et seq.

1. Adam, Seth, Enos, 2. Cainan, Malaleel, Jared, 3. Henoch, Mathusale, Lamech, 4. Noe, Sem, Cham et Japheth. 5. Filii Japheth : Gomer, et Magog, et Madai, et Javan, Thubal, Mosoch, Thiras. 6. Porro filii Gomer : Ascenez et Riphath, et Thogorma. 7. Filii autem Javan : Elisa et Tharsis, Cethim et Dodanim. 8. Filii Cham : Chus, et Mesraim, et Phut, et Chanaan. 9. Filii autem Chus : Saba, et Hevila, Sabatha, et Regma, et Sabathacha. Porro filii Regma : Saba, et Dadan. 10. Chus autem genuit Nemrod : iste cœpit esse potens in terra. 11. Mesraim vero genuit Ludim, et Anamim, et Laabim, et Nephthuim, 12. Phetrusim quoque et Casluim : de quibus egressi sunt Philistiim, et Caphtorim. 13. Chanaan vero genuit Sidonem primogenitum suum, Hetheum quoque, 14. et Jebuseum, et Amorrhæum, et Gergeseum, 15. Hevæumque et Aracæum, et Cineum; 16. Aradium quoque, et Samaræum, et Hamathæum. 17. Filii Sem : Elam, et Assur, et Arphaxad, et Lud, et Aram, et Hus, et Hul, et Gether, et Mosoch; 18. Arphaxad autem genuit Sale, qui et ipse genuit Heber. 19. Porro Heber nati sunt duo filii, nomen uni Phaleg, quia in diebus ejus divisa est terra, et nomen fratris ejus Jectan. 20. Jectan autem genuit Elmodad, et Saleph, et Asarmoth, et Jare. 21. Aduram quoque, et Uzal, et Decla, 22. Hebal etiam, et Abimael, et Saba, necnon, 23. et Ophir, et Hevila, et Jobab : omnes isti filii Jectan. 24. Sem, Arphaxad, Sale, 25. Heber, Phaleg, Ragau, 26. Serug, Nachor, Thare, 27. Abram, iste est Abraham. 28. Filii autem Abrahæ, Isaac et Ismael. 29. Et hæ generationes eorum. Primogenitus Ismaelis, Nabaioth, et Cedar, et Adbeel, et Mabsam, 30. et Masma, et Duma, Massa, Hadad, et Thema, 31. Jetur, Naphis, Cedma : hi sunt filii Ismaelis. 32. Filii autem Ceturæ concubinæ Abraham, quos genuit : Zamran, Jecsan, Madan, Madian, Jesboc, et Sue. Porro filii Jecsan : Saba et Dadan. Filii autem Dadan : Assurim, et Latussim, et Laomim. 33. Filii autem Madian : Epha et Epher, et Henoch, et Abida, et Eldaa : omnes hi, filii Ceturæ. 34. Genuit autem Abraham Isaac : cujus fuerunt filii, Esau et Israel. 35. Filii Esau : Eliphaz, Rahuel, Jehus, Ihelom, et Core. 36. Filii Eliphaz : Theman, Omar, Sephi, Gathan, Cenez, Thamna, Amalec. 37. Filii Rahuel, Nahath, Zara, Samma, Meza. 38. Filii Seir ; Lotan, Sobal, Sebeon, Ana, Dison, Eser, Disan. 39. Filii Lotan : Hori, Homan. Soror autem Lotan fuit Thamna. 40. Filii Sobal : Alian, et Manahath, et Ebal, Sephi, et Onam. Filii Sebeon : Aia et Ana. Filii Ana : Dison. 41. Filii Dison : Hamuran, et Esehan, et Jethran, et Charan. 42. Filii Eser : Balaan, et Zavan, et Jacan. Filii Disan : Hus et Aran. 43. Isti sunt reges, qui imperaverunt in terra Edom, antequam esset rex super filios Israel : Bale filius Beor, et nomen civitatis ejus Denaba. 44. Mortuus est autem Bale, et regnavit pro eo Jobab filius Zare de Bosra. 45. Cumque et Jobab fuisset mortuus, regnavit pro eo Husam de terra Themanorum. 46. Obiit quoque et Husam, et regnavit pro eo Adad, filius Badad, qui percussit Madian in terra Moab : et nomen civitatis ejus Avith. 47. Cumque et Adad fuisset mortuus, regnavit pro eo Samla de Masreca. 48. Sed et Semla mortuus est, et regnavit pro eo Saul de Rohoboth, quæ juxta amnem sita est. 49. Mortuo quoque Saul, regnavit pro eo Balanan filius Achobor.

50. Sed et hic mortuus est, et regnavit pro eo Adad : cujus urbis nomen fuit Phau, et appellata est uxor ejus Meetabel filia Matred filiæ Mezaab. 51. Adad autem mortuo, duces pro regibus in Edom esse cœperunt : dux Thamna, dux Alva, dux Jetheth, 52. dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon, 53. dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar, 54. dux Magdiel, dux Hiram, hi duces Edom.

Prima decem capita non nisi genealogias continent, quia in eis exacti erant Hebræi, tum ad 12 tribuum distinctionem, tum propter Christum, ut constaret eum ex Abraham, Davide, et tribu Juda natum. Verum quia hæc decem capita parvum habent usum, nec nisi nomina genitorum recensent, hinc ea paucis expediam. Ubi nota nomina propria virorum et feminarum in hoc libro sæpe esse alia et diversa a nominibus, quæ iisdem personis dantur in Genesi, cæterisque libris. Ratio est quod Hebræi erant polyonomi, et plura habebant nomina. Exempli instar sit, quod filii Benjamin, *Gen.* cap. XLVI, vers. 21, nominentur, « Bela, et Bechor, et Asbel, et Gera, et Naaman, et Echi, et Ros, et Mophim, et Ophim, et Ared : » hic vero cap. VIII, vers. 1, nominantur « Bale, Asbel, Ahara, Noha, Rapha; » ac cæteri tacentur : quandoque etiam idem nomen aliter et aliter mutatione unius alteriusve litteræ inflectitur et pronuntiatur. Rursum hic non omnes filii recensentur, sed magis celebres et clari (1). Multi ergo hisce decem capitibus reticentur. Sic cap. VII, vers. 6, tres tantum recenset filios Benjamin, cum *Genes.* XLVI, 21, decem numerentur.

1. ADAM, SETH, ENOS, CAINAN, etc., — *q. d.* Adam genuit Seth, Seth genuit Enos, Enos genuit Cainan, et ita consequenter de cæteris quos subnecit; studio enim brevitatis omittit *genuit*, ac illud in singulis repetere cogatur; quare nomina tantum generantium et genitorum assignat.

3. NOE (subaudi genuit) SEM, CHAM ET JAPHETH, — ut dictum est *Genes.* cap. VI et seq., ubi hæc omnia explicui.

32. CETURÆ CONCUBINÆ ABRAHAM. — Concubina hic vocatur non pellex, sed secundaria uxor, quæ non erat mater familias : unde ejus filii non succedebant in hæreditatem patris.

(1) Adde quod quædam nomina mendose transcribi potuerint, quodque aliqua nomina, licet diversum sonent, sæpe sint eadem quoad significationem.

36. THAMNA, AMALEC. — Putant nonnulli « *Thamnæ* esse genitivi casus, quia *Genes.* cap. XXXVI, vers. 12, dicitur Esau ex Thamna concubina genuisse Amalec. Verum alia vel alius est Thamna, a Thamna Geneseos; illa enim fuit concubina Esau, hæc vero ejus filia vel filius, ut patet ex Hebræo et Septuaginta qui habent, *et Thamnæ, et Amalec.*

38. FILII SEIR. — Alius est hic Seir ab Esau, qui pariter cognominatus est « Seir, » id est pilosus, quia erat hirsutus : ille enim fuit filius Abrahæ et Isaac, ejusque filii ab hisce Seir diversi, recensiti sunt vers. 35. Hic vero non fuit ex posteris Abrahæ et Isaac, sed gente fuit Horræus, qui ante Esau Idumæam occupavit, cujus genealogia texitur *Genesis* XXXVI, 20. Hoc loco vero ad hoc tantum inducitur, ut cognoscatur prosapia Thamna, ex qua genitus est Amalec.

43. ISTI (qui sequuntur) SUNT REGES QUI IMPERAVERUNT IN TERRA EDOM, — cum sceptro, diademate et potestate regia. Nota : Sicut Hebræi primo habuere judices quasi duces a Josue usque ad Saul, deinde reges a Saule usque ad Sedeciam et captivitatem Babylonicam, ac post eam rursum duces a Zorobabele usque ad Machabæos; sic et Idumæi primo habuere duces usque ad Bale, deinde reges a Bale usque ad mortem secundi Adade, mox rursum duces a Thamna usque ad Hiram, ut patet vers. 51 et 52.

44. MORTUUS EST AUTEM BALE PRIMUS REX EDOM, ET REGNAVIT PRO EO JOBAB FILIUS ZARE. — Tunc ergo regnum non erat hæreditarium, nec in eo patri succedebat filius, sed is qui erat dignior. Bale enim primo regi Idumææ successit Jobab, qui erat filius Zare, non Bale, filii « Jobab » est « Job » speculum patientiæ, ut dixi *Genes.* XXXVI, 31. Job ergo fuit secundus rex Idumææ, ejus abavus Esau tantum dux ejusdem fuerat; Esau enim genuit Raguel, Raguel genuit Zare, Zare genuit Jobab, sive Job.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Genealogia Judæ Patriarchæ usque ad Isai sive Jesse, qui fuit pater Davidis ejusque fratrum et sororum.

1. Filii autem Israel : Ruben, Simeon, Levi, Juda, Issachar, et Zabulon, 2. Dan, Joseph, Benjamin, Nephtali, Gad, et Aser. 3. Filii Juda : Her, Onam, et Sela. Hi tres nati sunt ei de filia Sue Chananitide. Fuit autem Her primogenitus Juda, malus coram Domino, et occidit

eum. 4. Thamar autem nurus ejus peperit ei Phares et Zara. Omnes ergo filii Juda, quinque. 5. Filii autem Phares : Hesron et Hamul. 6. Filii quoque Zaræ : Zamri, et Ethan, et Eman; Chalchal quoque, et Dara, simul quinque. 7. Filii Charmi : Achar, qui turbavit Israel, et peccavit in furto anathematis. 8. Filii Ethan : Azarias. 9. Filii autem Hesron qui nati sunt ei : Jerameel, et Ram, et Calubi. 10. Porro Ram genuit Aminadab, Aminadab autem genuit Nahasson, principem filiorum Juda. 11. Nahasson quoque genuit Salma, de quo ortus est Booz. 12. Booz vero genuit Obed, qui et ipse genuit Isai. 13. Isai autem genuit primogenitum Eliab, secundum Abinadab, tertium Simmaa, 14. quartum Nathanael, quintum Raddai, 15. sextum Asom, septimum David, 16. quorum sorores fuerunt, Sarvia, et Abigail. Filii Sarviæ : Abisai, Joab, et Asael, tres. 17. Abigail autem genuit Amasa, cujus pater fuit Jether Ismahelites. 18. Caleb vero filius Hesron accepit uxorem nomine Azuba, de qua genuit Jerioth : fueruntque filii ejus Jaser, et Sobab et Ardon. 19. Cumque mortua fuisset Azuba, accepit uxorem Caleb, Ephrata : quæ peperit ei Hur. 20. Porro Hur genuit Uri : et Uri genuit Bezeleel. 21. Post hæc ingressus est Hesron ad filiam Machir patris Galaad, et accepit eam cum esset annorum sexaginta : quæ peperit ei Segub. 22. Sed et Segub genuit Jair, et possedit viginti tres civitates in terra Galaad. 23. Cepitque Gessur et Aram, oppida Jair; et Canath, et viculos ejus sexaginta civitatum : omnes isti, filii Machir patris Galaad. 24. Cum autem mortuus esset Hesron, ingressus est Caleb ad Ephrata. Habuit quoque Hesron uxorem Abia, quæ peperit ei Asbur patrem Thecuæ. 25. Nati sunt autem filii Jerameel primogeniti Hesron, Ram primogenitus ejus, et Buna, et Aram, et Asom, et Achia. 26. Duxit quoque uxorem alteram Jerameel, nomine Atara, quæ fuit mater Onam. 27. Sed et filii Ram primogeniti Jerameel, fuerunt Moos, Jamin, et Achar. 28. Onam autem habuit filios, Semei, et Jeda. Filii autem Semei : Nadab, et Abisur. 29. Nomen vero uxoris Abisur, Abihail, quæ peperit ei Ahobban, et Molid. 30. Filii autem Nadab fuerunt, Saled, et Apphaim. Mortuus est autem Saled absque liberis. 31. Filius vero Apphaim Jesi : qui Jesi genuit Sesan. Porro Sesan genuit Oholai. 32. Filii autem Jada fratris Semei : Jether, et Jonathan. Sed et Jether mortuus est absque liberis. 33. Porro Jonathan genuit Phaleth et Ziza. Isti fuerunt filii Jerameel. 34. Sesan autem non habuit filios, sed filias et servum Ægyptium nomine Jeraa. 35. Deditque ei filiam suam uxorem : quæ peperit ei Ethei. 36. Ethei autem genuit Nathan, et Nathan genuit Zabad. 37. Zabad quoque genuit Ophlal, et Ophlal genuit Obed. 38. Obed genuit Jehu, Jehu genuit Azariam, 39. Azarias genuit Helles, et Helles genuit Elasa. 40. Elasa genuit Sisamoi, Sisamoi genuit Sellum, 41. Sellum genuit Icamiam, Icamia autem genuit Elisama. 42. Filii autem Caleb fratris Jerameel : Mesa primogenitus ejus, ipse est pater Ziph : et filii Maresa patris Hebron. 43. Porro filii Hebron, Core, et Taphua, et Recem, et Samma. 44. Samma autem genuit Raham, patrem Jercaam, et Recem genuit Sammai. 45. Filius Sammai, Maon : et Maon pater Bethsur. 46. Epha autem concubina Caleb peperit Haran, et Mosa, et Gezez. Porro Haran genuit Gezez. 47. Filii autem Jahaddai, Regom, et Joathan, et Gesan, et Phaleth, et Epha, et Saaph. 48. Concubina Caleb Maacha, peperit Saber, et Tharana. 49. Genuit autem Saaph pater Madmena, Sue patrem Machbena, et patrem Gabaa. Filia vero Caleb, fuit Achsa. 50. Hi erant filii Caleb, filii Hur, primogeniti Ephrata, Sobal pater Cariathiarim. 51. Salma pater Bethlehem, Hariph pater Bethgader. 52. Fuerunt autem filii Sobal patris Cariathiarim, qui videbat dimidium requietionum. 53. Et de cognatione Cariathiarim, Jethrei, et Aphuthei, et Semathei, et Maserei. Ex his egressi sunt Saraitæ et Esthaolitæ. 54. Filii Salma, Bethlehem et Netophathi, Coronæ domus Joab, et dimidium requietionis Sarai. 55. Cognationes quoque scribarum habitantium in Jabes, canentes atque resonantes, et in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de Calore patris

3. Fuit Her primogenitus Juda, — quem ob scelus mollitiei et pollutionis occidit Deus, ut dixi *Gen.* XXXVIII, 7.

7. Achar. — Hic est Achan, qui furto suo turbavit castra Hebræorum, ideoque dictus est « Achar, » id est « turbator. » Vide dicta *Josue* VII.

9. Ram. — Hic est « Aram » pater Aminadab, *Matth.* I, qui per aphæresim vocatur « Ram. »

15. Septimus David. — Quomodo I *Reg.* XVI, 10, non septem, sed octo numerantur filii Jesse, ibidem explicui.

16. Filii Sarviæ, Abisai, Joab et Asael. — Hinc videtur quod Abisai fuerit senior Joab fratre suo duce exercitus Davidis.

31. Sesan autem genuit Oholai, — filiam non filium, ut patet vers. 34.

52. Qui videbat dimidium requietionum. — Quis ille? *Primo* S. Hieronymus, lib. I *Contra Pelag.* ait fuisse prophetam : prophetæ enim vocabantur « Videntes, » id est prævidentes et prædicentes futura, *q. d.* Sobal erat « videns, » id est prophetabat; sed ex dimidio duntaxat, id est non plane et perfecte videbat cœlestia, ubi est locus requietionis, hoc est perfectæ quietis.

Secundo, Vatablus, quasi dicat : Sobal videbat et contemplabatur, id est curam gerebat vel princeps erat dimidii loci, qui Hebraice vocabatur *Hammenuchoth*, id est *requietionum*; forte a fertilitate agri et amœnitate loci : *videre* enim est esse principem; principis enim est suos circumspicere, lustrare et contemplari, ut iis de omnibus prospiciat. Princeps ergo est « videns, » ut quasi Argus centoculus omnia inspiciat.

Tertio, alii per « requietionem » accipiunt sepulcrum; in ea enim post mortem requiescit corpus usque ad resurrectionem communem futuram in die judicii. Unde Benedictus in suis Biblis vers. 54, ubi nos habemus : « Dimidium requietionis Sarai, » vertit, vel potius explicat, *qui possidebat dimidium sepulcri Saræ* (uxoris Abrahæ), et quatuor Patriarcharum, scilicet Adæ, Abrahæ, Isaac et Jacob; quod sepulcrum erat in Hebron.

Quarto, noster Sanchez per « requietionem » accipit regionem in qua quis habitat, quamque quiete quasi dominus possidet : unde de Italia sic ait Æneas apud Virgilium, lib. VIII *Æneid.* :

Hic locus urbis erit, requies et certa laborum.

Nam « videre » sive cernere hæreditatem dicimur, cum eam adimus, occupamus et possidemus; ut sensus sit, quasi dicat : Sobal « videbat, » id est quasi propriam possidebat, et tam « oculis » quam manibus usurpabat dimidiam partem regionis in qua requieverant, seu quiete habitarant parentes ejus : et hanc dimidiam partem hæreditatis Sobal transcripsit filiis suis. Eadem phrasis recurrit iterum post duos versus; et eadem phrasi dicitur de Issachar, *Genes.* cap. XLIX, 15 : « Vidit requiem, quod esset bona, » id est (ut per epexegesim mox additur), vidit « terram » requietioni seu inhabitationi sue assignatam, « quod esset optima. » *Psalm.* quoque cap. CXXXI, vers. 8 : « Surge, Domine, in requiem tuam. » Et vers. 14 : « Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo. »

Quinto et genuine, יראה *Qui videbat dimidium requietionum* est nomen proprium filii Sobal, quasi dicat : Filii Sobal quasi patris fuere hi duo, scilicet « Cariathiarim » (itaque forte vocatus, quod in sylvis : hæc enim Hebraice vocantur קריאים *iearim* : quasi in urbe habitaret, venationi deditus), חרוה הצי המנוחות *haroe chatsi hammenuchot*, id est *videns dimidium requietionum*; ita vocatus, quod dimidiam Sobal patris « requietionem, » id est habitationem sive regionem et hæreditatem possideret; alteram enim dimidiam possidebat ejus frater Cariathiarim. Id ita esse patet *primo*, quia Septuaginta nomina Hebraica (licet vitio scriptorum corrupta) retinent quasi propria. *Secundo*, quia Romani codices יראה *Qui videbat* scribunt per majusculum Q; quasi nomen proprium. *Tertio*, quia simili modo fere omnia sequentia, scilicet « Coronæ domus, Canentes, Resonantes, in tabernaculis commorantes. Qui venerunt de Calore, » sunt nomina propria, uti mox patebit. *Quarto*, quia eadem prorsus ratione vers. 54, unus Salmæ filius vocatur « Dimidium requietionis Sarai, » de quo mox.

54. Filii Salma, Bethlehem et Netophathi, Coronæ domus Joab, et Dimidium requietionis Sarai. — Benedictus vertit, *qui possidebat dimidium sepulcri Saræ* et quatuor Patriarcharum. Verum « Sarai » hic non est « Sara » uxor Abrahæ; nam Sarai hic in Hebræo scribitur per litteras *Tsade* et *Ain*, Sara vero scribitur per *Schin* et *He*. Sensus ergo est, *q. d.* Salma quatuor genuit filios, scilicet *primum*, Bethlehem, *secundum*, Netophathi, *tertium*, qui vocabatur Hebraice עטרות בית יואב *atrot beth Joab*, id est « Coronæ domus Joab, » *quartum*, cui nomen « Dimidium requietionis Sarai. » Hæc enim omnia esse nomina propria patet ex Septuaginta qui nomina hebræa ut propria retinent, et quia hic nomina filiorum Salma recensentur. Cur duo ultimi ita vocati sint, incertum est : forte quia pater Salma optabat ut tertius fieret corona, id est decus et gloria domus Joab, ac quartus occuparet « dimidium requietionum, » id est regionum et possessionum Sarai.

55. Cognationes quoque scribarum (Legis peritorum) habitantium in Jabes. Canentes atque resonantes, et in tabernaculis commorantes. — Hæc quoque esse nomina propria liquet ex Hebræo et ex Romanis qui omnia hæc majusculis litteris prænotant, et ex Septuaginta qui nomina Hebræa ut propria retinent, vertuntque, *et populi Sopherim* (id est scribarum) *habitantium Jabis, Tarathiin, Samathiin, Sachathiim*. Sensus ergo est, *q. d. Cognationes*, Hebraice משפחות *mispachoth*, id est familiæ scribarum (puta Cinæorum, ut sequitur) ex Salma descendentium erant tres, scilicet *Tara-*

thim, id est *Cantantes*; *Samathim*, id est *Resonantes*; et *Sachatim*, id est *in tabernaculis habitantes*; quia vere Cinæi Dei laudes canebant et resonabant; nec in urbibus, sed in tabernaculis habitabant, ut dixi *Jerem.* cap. XXXV, 2.

Hi sunt Cinæi (puta posteri Jethro soceri Moysis ex quibus prognati sunt Rechabitæ, ut dixi *Judic.* cap. I, 16, *Exod.* cap. XVIII, 1 et seqq.), qui venerunt de Calore patris domus Rechab. — Hinc patet Rechabitas fuisse Cinæos, eosdem quoque fuisse Scribas, Psaltes et Cantores, qui psalmos et hymnos Deo canerent. Sed quid est ⁊o *de Calore*? *Primo* Dionysius Carthusianus, *de Calore*, inquit, hoc est de semine quod est calidum. Verum dico ⁊o *Calore* esse nomen proprium, quare Romani id scribant per majusculum C, ac Septuaginta retinent nomen Hebraicum *Hemath*. Unde *secundo*, Vatablus vertit : *Qui venerunt de Hemath* pater *domus Rechab*, q. d. Cinæi prognati sunt de Hemath, qui fuit pater familiæ Rechabitarum. Verum quia Noster vertit : « patris » in genitivo, non « patre » in ablativo, hinc *tertio*, melius per « Hemath » accipias urbem hoc nomine celebrem in Scriptura, scilicet « Epiphaniam, » ita dicta ab Antiocho Epiphane. Et favet quod non dicat, « qui nati sunt, » sed « qui venerunt de Hemath, » q. d. Cinæi venerunt de « Emath, » id est « Epiphania, » quæ urbs fuit sedes et patria domus, id est familiæ « Rechab, » sive Rechabitarum. Dices : Cur ergo Noster nomen « Emath » non retinet, sed vertit « Calore? » Respondeo : Id facit more suo, ut significet etymon « Emath » congruere huic loco : Emath enim Hebraice significat *calorem*. Significat ergo Cinæos hosce apposite venisse de « Emath, » quæ urbs nomine suo significat « calorem, » ut innuat Cinæos hosce imitatos fuisse « calorem, » id est zelum et fervorem devotionis, qui fuerat in patre eorum « Rechab. » Ita Lyranus et Hugo. Sic Roma olim dicta fuit Valentia, teste Solino in *Polyhist.* Græce enim ἰσχὺς idem est quod robur, valor et valentia. Romani enim erant valentes et Valentini, utpote qui orbem sibi subjugarunt. Similes allusiones sunt *Michææ*, cap. I, 10 : « In domo pulveris (Hebraice in *Aphra* urbe Benjamin; *Aphra* enim significat *pulverem*) pulvere eos conspergile. » Et vers. 11 : « Et transite vobis Habitatio pulchra. » Hebraice *habitatrix Saphir*, id est pulchræ Samariæ; et vers. 12 : « Quæ habitat in amaritudinibus. » Hebraice in *Maroth* urbe. Vide ibi dicta.

De Calore? quis?

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur filii Davidis, quique nepotes Reges Juda cum suis filiis et filiabus.

4. David vero hos habuit filios, qui ei nati sunt in Hebron, primogenitum Amnon ex Achinoam Jezrahelitide, secundum Daniel de Abigail Carmelitide, 2. tertium Absalom filium Maacha filiæ Tholmai regis Gessur, quartum Adoniam filium Aggith, 3. quintum Saphatiam ex Abital, sextum Jethraham de Egla uxore sua. 4. Sex ergo nati sunt ei in Hebron, ubi regnavit septem annis, et sex mensibus. Triginta autem et tribus annis regnavit in Jerusalem. 5. Porro in Jerusalem nati sunt ei filii, Simmaa, et Sobab, et Nathan, et Salomon, quatuor de Bethsabee filia Ammiel, 6. Jebaar quoque, et Elisama, 7. et Eliphaleth, et Noge, et Nepheg, et Japhia, 8. nec non Elisama, et Eliada, et Eliphaleth, novem : 9. omnes hi, filii David, absque filiis concubinarum : habuerantque sororem Thamar. 10. Filius autem Salomonis, Roboam : cujus Abia filius genuit Asa. De hoc quoque natus est Josaphat. 11. Pater Joram : qui Joram genuit Ochoziam, ex quo ortus est Joas : 12. et hujus Amasias filius genuit Azariam. Porro Azariæ filius Joathan 13. procreavit Achaz patrem Ezechiæ, de quo natus est Manasses. 14. Sed et Manasses genuit Amon patrem Josiæ. 15. Filii autem Josiæ fuerunt, primogenitus Johanan, secundus Joakim, tertius Sedecias, quartus Sellum : 16. de Joakim natus est Jechonias et Sedecias. 17. Filii Jechoniæ fuerunt, Asir, Salathiel, 18. Melchiram, Phadaia, Senneser, et Jecemia, Sama, et Nadabia. 19. De Phadaia orti sunt Zorobabel et Semei. Zorobabel genuit Mosollam, Hananiam, et Salomith sororem eorum : 20. Hasaban quoque, et Ohol, et Barachian, et Hasadian, Josabhesed, quinque. 21. Filius autem Hananiæ, Phaltias pater Jeseiæ, cujus filius Raphaia, hujus quoque filius, Arnan, de quo natus est Obdia, cujus filius fuit Secheniæ. 22. Filius Secheniæ, Semeia : cujus filii, Hattus, Jegaal, et Baria, et Naaria, et Saphat, sex numero. 23. Filius Naariæ, Elioenai, et Ezechias, et Ezricam, tres. 24. Filii Elioenai, Oduia, et Eliasub, et Phaleia, et Accub, et Johanan, et Dalaia, et Anani, septem.

1. David vero hos habuit filios. — Hæc et sequentia explicui II *Reg.* III, 2 et seq.

3. Quatuor de Bethsabee, — nonnulli censent tres priores, scilicet « Simmaa, Sobab et Nathan, » fuisse Uriæ filios, quos postea David sibi adoptavit, ut injuriam adulterii et homicidii Uriæ factam compensaret : quartum vero, scilicet Salomonem, fuisse unicum Davidis ex Bethsabee filium, eo quod Salomon, *Proverb.* cap. IV, 3, dicat se fuisse « unigenitum coram matre sua. » Verum melius alii censent hos omnes fuisse Davidis filios, Salomonem vero dici « unigenitum, » id est unice dilectum a matre, uti dixi *Proverb.* cap. IV, 3.

Filia Ammiel. — « Ammiel » alio nomine dictus est « Eliam, » qui fuit filius Achitophel et unus e triginta fortibus, sive heroibus Davidis, II *Regum* cap. XXIII, 34.

15. Primogenitus (Josiæ) Johanan, secundus Joakim, tertius Sedecias, quartus Sellum. — « Johanan » cito morte defunctus est, et forte cum Josia patre in prælio occisus : unde Josiæ in regno successit Joachaz, deinde Joakim, tertio Sedecias. Joachaz hic fuit binominis : alio enim nomine vocatus est « Sellum, » fuitque tertio loco a Josia genitus. Cum enim Joachaz regnare incipiens esset 18 annorum, Joakim post tres menses ei succedens erat 25 annorum, cui post undecim regni annos succedens Sedecias erat 21 annorum duntaxat. Dices : Cur ergo ultimus hic ponitur « Sellum, » id est « Joachaz, » cum revera junior omnium fuerit Sedecias? Respondeo : Causa est, quod Joachaz tribus tantum mensibus regnarit, post quos a Pharaone captus, abductus est in Ægyptum; Joakim vero regnavit undecim annis, et totidem Sedecias, vide dicta *Jerem.* cap. XXII, 11. Joachaz ergo quartus fuit non ætate, sed regni dignitate, vel potius indignitate, et brevitate. Num ætate primus Josiæ filius fuit Johanan, secundus, Joakim, tertius, Joachaz, sive Sellum, quartus, Sedecias.

17. Filii Jechoniæ fuerunt Azir. — Octodecim filii Jechoniæ recensentur : ipse tamen vocatur sterilis, *Jerem.* XXII, 30, quia nullus ei in regno successit, ut ibidem explicat Jeremias.

19. De Phadaia orti sunt Zorobabel et Semei. — Alius est hic Zorobabel a Zorobabele atavo Christi, *Matth.* cap. I. Ejus tamen fuit patruelis; nam iste, *Matth.* cap. I, fuit filius Salathielis. Nonnulli tamen censent unum eumdemque esse Zorobabel, qui natura fuerit filius Phadaiæ, adoptione vero Salathielis. Sed hi consequenter dicere debent aliquem filiorum Zorobabel qui hic recensentur, alio nomine vocatum fuisse Abiud : unum, *Matth.* I, Zorobabel dicitur genuisse Abiud. Unde Mariana opinatur Hananiam qui hic sequitur, alio nomine vocatum fuisse Abiud.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Posteri Juda et Simeonis, eorumque victoriæ et facinora heroica.

1. Filii Juda : Phares, Hesron, et Charmi, et Hur, et Sobal. 2. Raia vero filius Sobat genuit Jahath, de quo nati sunt Ahumai, et Laad : hæ cognationes Sarathi. 3. Ista quoque stirps Etam : Jezrahel, et Jesema, et Jedebos. Nomen quoque sororis eorum, Asalelphuni. 4. Phanuel autem pater Gedor, et Ezer pater Hosa. Isti sunt Filii Hur primogeniti Ephrata patris Bethlehem. 5. Assur vero patri Thecuæ erant duæ uxores, Halaa, et Naara. 6. Peperit autem ei Naara, Oozam, et Hepher, et Themani, et Ahastari. Isti sunt filii Naara. 7. Porro filii Halaa, Sereth, Isaar, et Ethnan. 8. Cos autem genuit Anob, et Sobeba, et cognationem Aharebel filii Arum. 9. Fuit autem Jabes inclytus præ fratribus suis, et mater ejus vocavit nomen illius Jabes, dicens : Quia peperi eum in dolore. 10. Invocavit vero Jabes Deum Israel, dicens : Si benedicens benedixeris mihi, et dilataveris terminos meos, et fuerit manus tua mecum, et feceris me a malitia non opprimi. Et præstitit Deus quæ precatus est. 11. Caleb autem frater Sua genuit Mahir, qui fuit pater Esthon. 12. Porro Esthon genuit Bethrapha, et Phesse, et Tehinna patrem urbis Naas : hi sunt viri Recha. 13. Filii autem Cenez, Otho-

niel, et Saraïa. Porro filii Othoniel, Hatath, et Maonathi. 14. Maonathi genuit Ophra, Saraïa autem genuit Joab patrem Vallis artificum : ibi quippe artifices erant. 15. Filii vero Caleb, filii Jephone, Hir, et Ela, et Naham. Filii quoque Ela : Cenez. 16. Filii quoque Jaleleel : Ziph, et Zipha, Tiria, et Asarel. 17. Et filii Ezra, Jether, et Mered, et Epher, et Jalon, genuitque Mariam, et Sammai, et Jesba patrem Esthamo. 18. Uxor quoque ejus Judaïa, peperit Jared patrem Gedor, et Heber patrem Socho; et Icuthiel patrem Zanoe. Hi autem filii Bethiæ filiæ Pharaonis, quam accepit Mered. 19. Et filii uxoris Odaïæ sororis Naham patris Ceila, Garmi, et Esthamo, qui fuit de Machathi. 20. Filii quoque Simon, Amnon, et Rinna filius Hanan, et Thilon. Et filii Jesi, Zoheth, et Benzoheth. 21. Filii Sela, filii Juda : Her pater Lecha, et Laada pater Maresa, et cognationes domus operantium byssum in domo juramenti. 22. Et qui stare fecit Solem, virique Mendacii, et Securus, et Incendens, qui principes fuerunt in Moab, et qui reversi sunt in Lehem : hæc autem verba vetera. 23. Ili sunt figuli habitantes in Plantationibus, et in Sepibus, apud regem in operibus ejus, commoratique sunt ibi. 24. Filii Simeon : Namuel et Jamin, Jarib, Zara, Saul. 25. Sellum filius ejus, Mapsam filius ejus, Masma filius ejus. 26. Filii Masma : Hamuel filius ejus, Zachur filius ejus, Semei filius ejus. 27. Filii Semei septem : filiæ autem ejus non habuerunt filios multos, et universa cognatio non potuit adæquare summam filiorum Juda. 28. Habitaverunt autem in Bersabee, et Molada, et Hasarsuhal, 29. et in Bala, et in Asom, et in Tholad, 30. et in Bathuel, et in Horma, et in Siceleg, 31. et in Bethmarchaboth, et in Hasarsusim, et in Bethberai, et in Saarim : hæ civitates eorum usque ad regem David. 32. Villæ quoque eorum : Etam, et Aen, Remmon, et Thochen, et Asan, civitates quinque. 33. Et universi viculi eorum per circuitum civitatum istarum usque ad Baal : hæc est habitatio eorum, et sedium distributio. 34. Mosobab quoque et Jemlech : et Josa filius Amasiæ, 35. et Joel, et Jehu filius Josabiæ filii Saraïæ filii Asiel, 36. et Elioenai, et Jacoba, et Isuhaïa, et Asaïa, et Adiel, et Ismiel, et Banaïa, 37. Ziza quoque filius Sephei filii Allon filii Idaïa filii Semri filii Samaïa. 38. Isti sunt nominati principes in cognationibus suis, et in domo affinitatum suarum multiplicati sunt vehementer. 39. Et profecti sunt ut ingrederentur in Gador usque ad Orientem vallis, et ut quærerent pascua gregibus suis. 40. Invenerunt que pascuas uberes et valde bonas, et terram latissimam et quietam et fertilem, in qua ante habitaverant de stirpe Cham. 41. Hi ergo venerunt, quos supra descripsimus nominatim, in diebus Ezechiæ regis Juda : et percusserunt tabernacula eorum, et habitatores qui inventi fuerant ibi, et deleverunt eos usque in præsentem diem : habitaveruntque pro eis, quoniam uberrimas pascuas ibidem repererunt. 42. De filiis quoque Simeon abierunt in montem Seir viri quingenti, habentes principes Phaltiam et Naariam et Raphaïam et Oziel filios Jesi : 43. et percusserunt reliquias, quæ evadere potuerant, Amalecitarum, et habitaverunt ibi pro eis usque ad diem hanc.

1. Filii Juda : Phares, Hesron et Charmi, etc. — « Filii » id est posteri : nam Judas genuit Phares, Phares genuit Hesron. Hesron genuit Charmi, etc. « Filii » ergo hic vocantur nepotes et pronepotes, qui longa serie a Juda descendunt. Scopus enim auctoris hoc libro fuit, nominare viros virtute vel familia ampla celebres, qui a Juda vel alio quopiam Patriarcha prognati sunt.

4. Ephratha patris Bethlehem. « Pâtris, » id est principis, ait Vatablus, sic enim servi Naaman eum vocant patrem, IV *Reg.* v. Alii tamen censent Bethlehem esse nomen filii « Ephratæ, » non urbis ita dictæ. Sic enim cap. II, vers. 54, « Bethlehem » vocatur « filius Salma. »

5. Assur vero patri (id est principi) Thecuæ. — ait Vatablus. Alii tamen censent « Assur » proprie fuisse patrem filii, cui nomen erat « Thecua. »

9. Vocavit nomen illius Jabes, dicens : quia peperi eum cum dolore. — « Jabes » enim Hebraice dolorem significat. Videtur hic Jabes fuisse filius Aram qui præcessit, frater Aharelis, vers. 8, et Othonielis, vers. 13. Est metathesis sive transpositio litterarum; dicitur enim « Jabes. » Hebraice *Jaabes* pro *Jaaseb* : nam עצב *otseb* est dolor, ut sequitur. Ita Pagninus. Sic pro *kebes*, id est *agnus*, dicitur *kesch*, scilicet pro כבש dicitur כשׁ.

14. Saraïa autem genuit Joab patrem (id est principem) Vallis artificum. — « Ideo, ait S. Hie-

ronymus, dicitur pater Vallis artificum, quia de filiis ejus fuere architecti ad ædificandam domum Domini. »

21. In domo juramenti. — Hebraice *Esbœa* est nomen proprium significans *juramentum*; unde Septuaginta vertunt, *In domo Aseba*. Noster his decem capitibus sæpe nomina Hebræa propria non retinet, sed vertit eorum significata, quia in significatis putat latere aliquod mysterium, vel alludionem rei vel personæ congruam. Adde sæpe Latinos nomina propria Græcorum vel Hebræorum vertere in Latina idem significantia. Sic pro *Theodosius* vel *Theodorus*, dicunt, *Adeodatus*; pro *Chrysostomus*, *aureum os*; pro *Anna*, *Gratia*; pro *Salomon*, *Pacificus*; pro *Jesus*, *Salentor*; pro *Gregorius*, *Vigilantius*; pro *Macarius*, *Felix*: pro *Nicon*, *Victor*.

22. Et qui stare fecit solem, virique Mendacii, Securus et Incendens. — Omnia hæc sunt nomina propria, quorum significata Noster vertendo reddidit. Septuaginta vero, Pagninus, Vatablus et alii nomina Hebræa ut propria retinent, vertuntque : *Joacim quoque et viri Chozeba et Joas et Saraph, qui dominati sunt in Moab. Joacim* enim, vel ut Hebraice est *Jokim*, idem est quod *qui stare facit*, scilicet solem. *Chozeba* idem est quod *mendacium*; *Joas* est *securus*; *Saraph* est *incendens*, *q. d.* Omnes hi jam nominati, sunt filii et nepotes qui descendunt a Juda per Selam, licet Hebræi velint eos per Phares descendere.

Qui stare fecit solem. Quis?

Historia Hebræorum.

Auli eos apud S. Hieronymum in *Tradit.* : « Qui stare fecit solem, redit ad progeniem Phares de quo ortus est David, opportunum judicans progeniem Juda, de qua tribus regia orta est, in David terminare. Tradunt enim Hebræi hunc fuisse Elimelech, virum Noemi, patrem Mahalon et Chelion, in cujus tempore sol steterit; propter prævaricatores legis, ut tanto miraculo viso converterentur ad Dominum Deum suum. Quod quia facere contempserunt, ideirco fames invaluit, et ille qui in tribu Juda prior videbatur, famis inopia cum uxore et filiis, non solum patria pelleretur, sed etiam in eadem peregrinatione cum filiis moreretur. Viros autem mendacii esse Mahalon et Chelion, qui hic Securus et Incendens appellantur, et de quibus dicitur, quod principes fuerint in Moab, eo quod uxores Moabitidas duxerint : in Hebræo expressius ponitur, et ab eruditis illius linguæ didicimus, ut non principes, sed mariti dicantur. Quod vero sequitur : Quæ reversæ sunt in Lehem, Noemi et Ruth demonstrat, quæ in לחם Lehem, hic est panem, post inopiam famis audita ubertate panis, in Bethlehem reverse sunt. Et quia hæc historia in Libro Ruth scribitur, ideirco subsequitur : Hæc autem verba vetera. »

Fabula hæc proditur septem Hebræis Patribus.

Hebræos sequuntur Lyranus, Glossa, Abulensis, Hugo, Dionysius, Fevardentius in cap. I *Ruth*, Baradius in *Matth.* cap. I, qui dicunt « Elimelech » fuisse virum sanctissimum, ideoque dum videret suos cives ad idola deflectere, rogasse Deum ut sisteret solem, eoque portento terreret idololatras, et ad se compelleret.

Secundo.

Verum hanc esse Rabbinorum fabulam liquet : *primo*, quia hic agitur de posteris Sethæ, « Elimelech » autem fuit ex posteris Phares. *Secundo*, quia Joacim, vel ut Hebraice est יקים *Jokim*, tantum significat *sistens*, *stare faciens*, *confirmans*; unde nonnulli ex Rabbinorum fabula adjecerunt in margine סד *solem*, quod postea in textum irrepsit, ait Serarius in *Josue* cap. X, *Quæst.* XXV. Aut potius, quia Josue eo quod stiterit solem, ab Hebræis cognominatus est *Jokim*, id est *stare faciens* et sistens, scilicet *solem* : hinc Jokim ex vulgi usu significabat idem quod « qui stare fecit solem, » ut vertit Noster. Omnia enim exemplaria habent סד *solem*. Ilic enim « Jokim » ponitur inter filios, id est posteros Selæ; unde potuit post Josue vixisse : si autem vixit ante, certe Esdras qui hæc scripsit, vixit post Josue, a quo « Jokim » significat eum « qui stare fecit solem. » *Tertio*, quia Biblia Romæ correcta pro, « quæ reversæ sunt, » corrigit, « qui reversi sunt in Lechem. » Jam autem Chelion et Mahalon non sunt reversi in Bethlehem, sed in Moab mortui. *Quarto*, quia « viri Mendacii, » alii sunt a « Securus et Incendens, » ut patet ex copula « et, » quæ inter utrumque interjicitur, et diversa jungit. *Quinto*, quia « Elimelech » non est *Joacim* vel *Jokim*, nec significat, *qui stare fecit solem*, sed *Deus rex* vel *Dei mei rex*; nec *Mahalon* significat *securum* sed *infirmum* et ægrum, aut *qui chorum agit* fistulamque inflat : *Chelion* vero non significat *incendentem* sed *confectum* et perfectum, et eum *qui totus exhaubitus est*. *Sexto*, Mahalon et Chelion non fuerunt principes in Moab, utpote externi et peregrini, pauperes et famelici. *Septimo*, rem tantam non tacuisset liber Ruth, qui famem et vitam Elimelech, Mahalon et Chelion enarrat. Denique res tota insulsa Rabbinorum traditione nititur, quam S. Hieronymus (vel quisquis est auctor) nude more suo retulit, sed non approbavit. Ita Cajetanus, Serarius, Salianus, Sanchez et alii passim. Nulla ergo miraculosa solis statio inducenda est, præter illam quæ enarratur facta sub Josue, cap. X, et sub Ezechia, *Isaiæ* XXXVIII. Quare hic *Jokim* videtur fuisse vir insignis, qui heroica fortitudinis opera ediderit, ut videretur esse quasi alter Josue, qui solem stitit, ideoque æque ac Josue vocatus est Jokim, id est *Stator solis*: et si revera ipse solem non stiterit, uti stitit Josue. Sic hodie vocantur Hercules, Sanisones, Julii, Alexandri, Pompeii, Scipiones, ut priscos illos heroes sic nominatos imitentur, etsi heroica eorum facta non patrarint. Porro quod *Jokim* Hebræis ex usu vulgi significaret *statorem solis*, liquet ex Rabbinis jam citatis apud S. Hieronymum qui putantes *Jokim* esse *Elimelech*, inde commenti sunt ipsum stitisse solem.

Simili modo Jupiter a Romanis nuncupatus est *Jokim* sive *stator*, scilicet aciei fugientis, eo quod

stare fecisset Romanos in fugam a Samnitibus versos. Audi Ciceronem, Orat. *Antequam iret in exilium* : « Jupiter stator, quem vere hujus imperii statorem majores nostri nominaverunt, cujus in templo hostilem impetum Catilinæ repuli a muris, cujus templum a Romulo victis Sabinis in Palatii radice cum victoria est collocatum. » Et Ovidius, lib. IV *Fastorum* :

Tempora si fas statoria erit quod Romulus olim
Ante quatuor condidit ora Jovi.

Sic *Jokim* vel *Joakim*, ait Pagninus, componi potest ex *Jehova* abbreviato, et יָקִים *Jakim*, ut significet *Deus statuit*, vel *Deus stator*, scilicet solis ad preces Josuæ.

ET QUI REVERSI SUNT IN LAHEM, — hoc est « in Bethlehem, » quæ per apheresim vocatur « Lahem, » vel « Lehem, » sicut I *Paral.* XX, « Adeodatus » in Hebræo vocatur *Lehemites*, id est *Bethlehemites*, ut vertit Noster; sic cap. II, 9, *Aram* vocatur *Ram*, et *Jechonias* vocatur *Chonias*, *Jerem.* cap. XXII, vers. 24.

HÆC AUTEM VERBA VETERA, — *q. d.* Hæc sunt nomina prisca priscorum Heroum. Ita Vatablus.

23. HI SUNT FIGULI (male nonnulli legunt *singuli*) HABITANTES IN PLANTATIONIBUS ET IN SEPIBUS APUD REGEM IN OPERIBUS EJUS. — Vatablus : *Isti sunt figuli illi habitantes in Nathaim et Gedera cum rege in opere ejus.* Locorum sunt nomina ab hortis et sepibus, *q. d.* Isti sunt figuli illi clari qui habitabant in Nathaim et Gedera, scilicet inter « plantas et sepes, » nimirum qui versabantur in hortis apud regem Davidem, ut opera ejus regia adjuvarent, ideoque apud eum magno fuere in pretio. Hæc Vatablus, sic et Pagninus.

40. IN QUA ANTE HABITAVERANT DE STIRPE CHAM, — id est Chananæi; hi enim prognati sunt ex Chanaan filio Cham filii Noe. Sensus est, *q. d.* Simeonitæ crescente numero filiorum suæ tribus, cum arcte habitarent, præsertim in medio tribus Juda, quæ in schismate facto sub Roboam suas urbes a Simeonitis recepit; hac de causa Chananæos vicinos, qui post Josue in terra Sancta restiterant, nec ab Hebræis expelli potuerant, invaserunt, eorumque urbes, agros et pascua occupaverunt initio regni Ezechiæ : sed modico tempore iis gavisi sunt, nam anno sexto Ezechiæ cum reliquis novem tribubus a Salmanasar captivi abducti sunt in Assyriam, IV *Reg.* XVII, 6, et cap. XVIII, vers. 10.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Filii, id est posteri tribus Ruben, Gad et dimidiæ Manasse recensentur, qui pariter vicinos Chananæos suis regionibus ejecerunt sub Joathan rege; sed non sub Ezechia ob idololatriam primi abducti sunt in Assyriam.

1. Filii quoque Ruben primogeniti Israel (ipse quippe fuit primogenitus ejus : sed cum violasset thorum patris sui, data sunt primogenita ejus filiis Joseph, filii Israel, et non est ille reputatus in primogenitum. 2. Porro Judas, qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus principes germinati sunt : primogenita autem reputata sunt Joseph), 3. filii ergo Ruben primogeniti Israel : Enoch, et Phallu, Esron, et Carmi. 4. Filii Joel : Samia filius ejus, Gog filius ejus, Semei filius ejus, 5. Micha filius ejus, Raia filius ejus, Baal filius ejus, 6. Beera filius ejus, quem captivum duxit Telgathphalnasar rex Assyriorum, et fuit princeps in tribu Ruben. 7. Fratres autem ejus, et universa cognatio ejus, quando numerabantur per familias suas, habuerunt principes, Jehiel et Zacharias. 8. Porro Bala filius Azaz, filii Samma, filii Joel, ipse habitavit in Aroer usque ad Nebo et Beelmeon. 9. Contra Orientalem quoque plagam habitavit usque ad introitum eremi, et flumen Euphraten. Multum quippe jumentorum numerum possidebant in terra Galaad. 10. In diebus autem Saul prœliati sunt contra Agareos, et interfecerunt illos, habitaveruntque pro eis in tabernaculis eorum, in omni plaga, quæ respicit ad Orientem Galaad. 11. Filii vero Gad e regione eorum habitaverunt in terra Basan usque Selcha : 12. Joel in capite, et Saphan secundus : Janai autem, et Saphat, in Basan. 13. Fratres vero eorum secundum domos cognationum suarum, Michael, et Mosollam, et Sebe, et Jorai, et Jachan, et Zie, et Heber, septem. 14. Hi filii Abihail, filii Huri, filii Jara, filii Galaad, filii Michael, filii Jesesi, filii Jeddo, filii Buz. 15. Fratres quoque

filii Abdiel, filii Guni, princeps domus in familiis suis. 16. Et habitaverunt in Galaad, et in Basan, et in viculis ejus, et in cunctis suburbanis Saron, usque ad terminos. 17. Omnes hi numerati sunt in diebus Joathan regis Juda, et in diebus Jeroboam regis Israel. 18. Filii Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, viri bellatores, scuta portantes et gladios, et tendentes arcum, eruditique ad prælia quadraginta quatuor millia et septingenti sexaginta, procedentes ad pugnam. 19. Dimicaverunt contra Agareos : Ituræi vero, et Naphis, et Nodab, 20. præbuerunt eis auxilium. Traditique sunt in manus eorum Agarei, et universi qui fuerant cum eis, quia Deum invocaverunt cum præliarentur : et exaudivit eos, eo quod credidissent in eum. 21. Ceperuntque omnia quæ possederant, camelorum quinquaginta millia, et ovium ducenta quinquaginta millia, et asinos duo millia, et animas hominum centum millia. 22. Vulnerati autem multi corruerunt, fuit enim bellum Domini. Habitaveruntque pro eis usque ad transmigrationem. 23. Filii quoque dimidiæ tribus Manasse, possederunt terram a finibus Basan usque Baal, Hermon, et Sanir, et montem Hermon, ingens quippe numerus erat. 24. Et hi fuerunt principes domus cognationis eorum, Epher, et Jesi, et Eliel, et Ezriel, et Jeremia, et Odoia, et Jediel, viri fortissimi et potentes, et nominati duces in familiis suis. 25. Reliquerunt autem Deum patrum suorum, et fornicati sunt post deos populorum terræ, quos abstulit Deus coram eis, 26. et suscitavit Deus Israel spiritum Phul regis Assyriorum, et spiritum Telgathphalnasar regis Assur : et transtulit Ruben, et Gad, et dimidiam tribum Manasse, et adduxit eos in Labela et in Habor et Ara, et fluvium Gozan, usque ad diem hanc.

1. DATA SUNT PRIMOGENITA EJUS (Ruben) FILII JOSEPH, — scilicet « Ephraim et Manasse. » Primogenitus enim habebat duplicem portionem hæreditatis paternæ (cum cæteri fratres singuli haberent singulas), uti sancitur *Deuter.* cap. XXI, 16, et hanc debebat habere Ruben, utpote primogenitus Jacob; sed ob ejus incestum illa translata est ad Joseph, qui per duos filios jam dictos duplicem terræ sanctæ portionem obtinuit. Rursum primogenito competebat jus sacerdotii, et hoc a Ruben translatum est ad Levi : ad hæc jus primatus et regni, et hoc delatum est Judæ. Vide dicta GEN. XLIX.

2. JOEL IN CAPITE, — hoc est « Joel » fuit « caput » et princeps tribus Gad, ut patet ex Hebræo et Græco; secundus post Joel fuit Saphan, tertius Janai et Saphat, qui Basanitidem occuparunt. Fuere hi non filii, sed nepotes Gad, ut patet GEN. XLVI, 16.

17. IN DIEBUS JEROBOAM REGIS ISRAEL. — Hic « Jeroboam » non fuit primus ille rex Israel, qui schisma fecit a Roboam, sed longe posterior, scilicet abnepos Jehu; hic enim coævus fuit Joathan regi Juda.

19. DIMICAVERUNT CONTRA AGAREOS, — id est contra Saracenos, qui ab Agar ancilla Abrahami dicti sunt « Agarei. » Porro Agareis præbuere auxilium Ituræi, Nephissæi et Nodabæi (ut habent Hebræus et Septuaginta) contra Rubenitas; sed turpiter ab eis, utpote Deum invocantibus cæsi, bonisque et agris spoliati sunt, ut sequitur.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Filii, id est posteri Levi, atque ex iis cantores et ministri templi a Davide constituti. Nominatim vero enumerantur posteri Aaronis sacerdotes, urbesque sacerdotales et refugii.

1. Filii Levi : Gerson, Caath, et Merari. 2. Filii Caath : Amram, Isaar, Hebron, et Oziel. 3. Filii Amram : Aaron, Moyses, et Maria : filii Aaaron : Nadab et Abiu, Eleazar et Ithamar. 4. Eleazar genuit Phinees, et Phinees genuit Abisue. 5. Abisue vero genuit Bocci, et Bocci genuit Ozi. 6. Ozi genuit Zaraiam, et Zaraias genuit Meraioth. 7. Porro Meraioth genuit Amariam, et Amarias genuit Achitob. 8. Achitob genuit Sadoc, et Sadoc genuit Achimaas. 9. Achimaas genuit Azariam, Azarias genuit Johanan. 10. Johanan genuit Azariam : ipse

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est qui sacerdotio functus est, in domo quam ædificavit Salomon in Jerusalem. 11. Genuit autem Azarias Amariam, et Amarias genuit Achitob. 12. Achitob genuit Sadoc, et Sadoc genuit Sellum. 13. Sellum genuit Helciam, et Helcias genuit Azariam. 14. Azarias genuit Saraiam, et Saraias genuit Josedec. 15. Porro Josedec egressus est, quando transtulit Dominus Judam et Jerusalem per manus Nabuchodonosor. 16. Filii ergo Levi : Gerson, Caath, et Merari. 17. Et hæc nomina filiorum Gerson : Lobni et Semei. 18. Filii Caath : Amram, et Isaar, et Hebron, et Oziel. 19. Filii Merari : Moholi et Musi. Hæ autem cognationes Levi secundum familias eorum. 20. Gersom, Lobni filius ejus, Jahath filius ejus, Zamma filius ejus, 21. Joah filius ejus, Addo filius ejus, Zara filius ejus, Jethrai filius ejus. 22. Filii Caath, Aminadab filius ejus, Core filius ejus, Asir filius ejus, 23. Elcana filius ejus, Abiasaph filius ejus, Asir filius ejus, 24. Thahath filius ejus, Uriel filius ejus, Ozias filius ejus, Saul filius ejus. 25. Filii Elcana : Amasai et Achimoth 26. et Elcana : Filii Elcana : Sophai filius ejus, Nahath filius ejus, 27. Eliab filius ejus, Jeroham filius ejus, Elcana filius ejus. 28. Filii Samuel, primogenitus Vasseni, et Abia. 29. Filii autem Merari, Moholi; Lobni filius ejus, Semei filius ejus, Oza filius ejus, 30. Sammaa filius ejus, Haggia filius ejus, Asaia filius ejus. 31. Isti sunt, quos constituit David super cantores domus Domini, ex quo collocata est arca, 32. et ministrabant coram tabernaculo testimonii, canentes donec ædificaret Salomon domum Domini in Jerusalem : stabant autem juxta ordinem suum in ministerio. 33. Hi vero sunt qui assistebant cum filiis suis, de filiis Caath, Heman cantor filius Johel, filii Samuel, 34. filii Elcana, filii Jeroham, filii Eliel, filii Thohu, 35. filii Suph, filii Elcana, filii Mahath, filii Amasai, 36. filii Elcana, filii Johel, filii Azariæ, filii Sophoniæ, 37. filii Thahath, filii Asir, filii Abiasaph, filii Core, 38. filii Isaar, filii Caath, filii Levi, filii Israel. 39. Et frater ejus Asaph, qui stabat a dextris ejus, Asaph filius Barachiæ, filii Samaa, 40. filii Michael, filii Basaiæ, filii Melchiæ, 41. filii Athanai, filii Zara, filii Adaia, 42. filii Ethan, filii Zamma, filii Semei, 43. filii Jeth, filii Gersom, filii Levi. 44. Filii autem Merari fratres eorum, ad sinistram, Ethan filius Cusi, filii Abdi, filii Maloch, 45. filii Hasabiæ, filii Amasiæ, filii Helciæ, 46. filii Amasai, filii Boni, filii Somer, 47. filii Moholi, filii Musi, filii Merari, filii Levi. 48. Fratres quoque eorum Levitæ, qui ordinati sunt in cunctum ministerium tabernaculi domus Domini. 49. Aaron vero, et filii ejus adolebant incensum super altare holocausti et super altare thymiamatis, in omne opus Sancti sanctorum : et ut precarentur pro Israel, juxta omnia quæ præceperat Moyses servus Dei. 50. Hi sunt autem filii Aaron : Eleazar filius ejus, Phinees filius ejus, Abisue filius ejus, 51. Bocci filius ejus, Ozi filius ejus, Zarahia filius ejus, 52. Meraioth filius ejus, Amarias filius ejus, Achitob filius ejus, 53. Sadoc filius ejus, Achimaas filius ejus. 54. Et hæc habitacula eorum per vices atque confinia, filiorum scilicet Aaron, juxta cognationes Caathitarum : ipsis enim sorte contigerant. 55. Dederunt igitur eis Hebron in terra Juda, et suburbana ejus per circuitum ; 56. agros autem civitatis, et villas, Caleb filio Jephone. 57. Porro filiis Aaron dederunt civitates ad confugiendum, Hebron, et Lobna et suburbana ejus, 58. Jether quoque et Esthemo cum suburbanis suis, sed et Helon, et Dabir cum suburbanis suis, 59. Asan quoque et Betsemes et suburbana earum. 60. De tribu autem Benjamin, Gabee et suburbana ejus, et Almath cum suburbanis suis, Anathoth quoque cum suburbanis suis : omnes civitates, tredecim, per cognationes suas. 61. Filiis autem Caath residuis de cognatione sua, dederunt ex dimidia tribu Manasse in possessionem urbes decem. 62. Porro filiis Gersom per cognationes suas, de tribu Issachar, et de tribu Aser, et de tribu Nephtali, et de tribu Manasse in Basan, urbes tredecim. 63. Filius autem Merari per cognationes suas, de tribu Ruben, et de tribu Gad, et de tribu Zabulon, dederunt sorte civitates duodecim. 64. Dederunt quoque filii Israel Levitis civitates, et suburbana earum : 65. dederuntque per sortem, ex tribu filiorum Juda, et ex tribu filiorum Simeon, et

ex tribu filiorum Benjamin, urbes has quas vocaverunt nominibus suis, 66, et his qui erant de cognatione filiorum Caath, fueruntque civitates in terminis eorum de tribu Ephraim. 67. Dederunt ergo eis urbes ad confugiendum, Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, et Gazer cum suburbanis suis, 68. Jecmaan quoque cum suburbanis suis, et Bethoron similiter, 69. necnon et Helon cum suburbanis suis, et Gethremmon in eumdem modum. 70. Porro ex dimidia tribu Manasse, Aner et suburbana ejus, Baalam et suburbana ejus : his videlicet, qui de cognatione filiorum Caath reliqui erant. 71. Filiis autem Gersom, de cognatione dimidiæ tribus Manasse, Gaulon in Basan et suburbana ejus, et Astharoth cum suburbanis suis. 72. De tribu Issachar, Cedes et suburbana ejus, et Dabereth cum suburbanis suis, 73. Ramoth quoque et suburbana ejus, et Anem cum suburbanis suis. 74. De tribu vero Aser : Masal cum suburbanis suis, et Abdon similiter, 75. Hucac quoque et suburbana ejus, et Rohob cum suburbanis suis. 76. Porro de tribu Nephthali, Cedes in Galilæa et suburbana ejus, Hamon cum suburbanis suis, et Cariathaim et suburbana ejus. 77. Filiis autem Merari residuis, de tribu Zabulon, Remmono et suburbana ejus, et Thabor cum suburbanis suis : 78. trans Jordanem quoque ex adverso Jericho contra Orientem Jordanis, de tribu Ruben, Besor in solitudine cum suburbanis suis, et Jassa cum suburbanis suis. 79. Cademoth quoque et suburbana ejus, et Mephaat cum suburbanis suis. 80. Necnon et de tribu Gad, Ramoth in Galaad et suburbana ejus, et Manaim cum suburbanis suis, 81. sed et Hesebon cum suburbanis suis, et Jezer cum suburbanis suis.

3. Filii Aaron : Nadab et Abiu, — qui adolentes ignem alienum a Deo occisi sunt, *Levit.* x, vers. 2, superfuere ergo soli duo *Eleazar* et *Ithamar*; Eleazar fuit senior ideoque Aaoni successit in pontificatu, ejusque posteri usque ad Ozi, de quo mox.

5. Bocci genuit Ozi. — Post hunc Ozi, Pontifex factus est Heli, qui erat abnepos Ithamar, non Eleazar : Heli successere quatuor ejus posteri, quorum ultimus fuit Abiathar, qui a Salomone ob conjurationem cum Adonia contra se factam pontificatu privatus fuit, suffecto in ejus locum Sadoc, qui erat ex posteris Eleazar : unde pontificatus mansit in ejus posteris usque ad captivitatem Babylonicam. Quare quatuor medii, qui his nominantur ab Ozi usque ad Sadoc, scilicet Zarahias, Meraioth, Amarias et Achitob, non fuere pontifices; cæteri vero post Sadoc fuere.

11. Azarias autem genuit Zaraiam. — « Azarias » hic fuit animosus ille Pontifex, qui restitit Oziæ, sive Azariæ regi volenti offerre incensum, eumque e templo ejecit, uti dicitur lib. II, cap. xxvi. Filius Azariæ fuit Zarahias, qui Pontifex fuit post patrem usque ad exordia in Jerosolymæ et templi, ac cum septuaginta primoribus Judæorum a Nabuchodonosore ceptus est, ut dictum est lib. IV Reg. cap. ult. 18. Filius Saraiæ fuit Josedec, qui abductus in [illegible] ex ea Judæos captivos abduxit cum Zorobabele duce anno primo Cyri; filius Josedec fuit Josue sive Jesus Pontifex, qui cum Zorobabele templum instauravit, ut dicitur I *Esdræ* v, 2, uti eidem jusserat Deus per Zachariam, cap. III.

22. Core filius ejus. — Hic est Core, qui Moysi rebellans vivus a terra dehiscente cum suo absorptus fuit; sed filii ejus innocentes a Deo per miraculum illæsi servati sunt, qui proinde hic recensentur. Ex quibus fuit Elcana pater Samuelis Prophetæ, ut patet vers. 27, 34 et 37.

28. Filii Samuel, — qui fuit filius Elcana proxime vers. 27, nominati. Ideo enim proxime post eum nominatur, ut indicaretur ejus fuisse filius. Ita Valablus.

Primogenitus Vasseni et Abia. — Dicès : I *Reg.* VIII, 2, dicitur e nomen filii ejus (Samuelis) primogeniti, Joel; et nomen secundi, Abias; » respondeo, Joel fuisse binomium, et alio nomine vocatum Vasseni. Aut certe Joel hic excidit, et Vasseni, Hebraice וַשֵּׁנִי id est *et secundus Abia*; unde Septuaginta clare vertunt, *et filii Samuel primogenitus ejus Joel et secundus Abia*. Hi sunt qui degeneres a Samuele occasionem dederunt populo petendi regem, unde Samuel regem eis dedit Saulem, I Reg. VIII.

54. Hæc habitacula. — *q. d.* Hæc sunt sacerdotum urbes eis a Josue assignatæ, cap. XXI, ubi fere eodem ordine recensentur quo hic.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Filii, id est posteri Issachar, Benjamin, Nephthali, Manasse, Ephraim et Aser.

1. Porro filii Issachar : Thola, et Phua, Jasub, et Simeron, quatuor. 2. Filii Thola : Ozi et Raphaia, et Jeriel, et Jemai, et Jebsem, et Samuel, principes per domos cognationum suarum. De stirpe Thola viri fortissimi numerati sunt in diebus David, viginti duo millia sexcenti. 3. Filii Ozi : Izrahia, de quo nati sunt Michael, et Obadia, et Johel, et Jesia, quinque omnes principes. 4. Cumque eis per familias et populos suos accincti ad prælium, viri fortissimi, triginta sex millia : multas enim habuerunt uxores, et filios. 5. Fratres quoque eorum per omnem cognationem Issachar, robustissimi ad pugnandum, octoginta septem millia numerati sunt. 6. Filii Benjamin : Bela, et Bechor, et Jadiel, tres. 7. Filii Bela : Esbon, et Ozi, et Oziel, et Jerimoth, et Urai, quinque principes familiarum, et ad pugnandum robustissimi : numerus autem eorum, viginti duo millia et triginta quatuor. 8. Porro filii Bechor : Zamira, et Joas, et Eliezer, et Elioenai, et Amri, et Jerimoth, et Abia, et Anathoth, et Almath : omnes hi, filii Bechor. 9. Numerati sunt autem per familias suas principes cognationum suarum, ad bella fortissimi, viginti millia et ducenti. 10. Porro filii Jadihel : Balan. Filii autem Balan : Jehus, et Benjamin, et Aod, et Chanana, et Zethan, et Tharsis, et Ahisahar : 11. omnes hi filii Jadibel, principes cognationum suarum, viri fortissimi : decem et septem millia et ducenti, ad prælium procedentes. 12. Sepham quoque et Hapham filii Ir : et Hasin filii Aher. 13. Filii autem Nephtali : Jasiel, et Guni, et Jeser, et Sellum, filii Bala. 14. Porro filius Manasse, Esriel : concubinaque ejus Syra peperit Machir patrem Galaad. 15. Machir autem accepit uxores filiis suis Happhim et Saphan : et habuit sororem nomine Maacha : nomen autem secundi, Salphaad, natæque sunt Salphaad filiæ, 16. et peperit Maacha uxor Machir filium, vocavitque nomen ejus Phares : porro nomen fratris ejus, Sares; et filii ejus Ulam, et Recen. 17. Filius autem Ulam, Badan. Hi sunt filii Galaad, filii Machir, filii Manasse. 18. Soror autem ejus Regina peperit Virum decorum, et Abiezer, et Mohola. 19. Erant autem filii Semida, Ahin, et Sechem, et Leci, et Aniam. 20. Filii autem Ephraim : Suthala, Bared filius ejus, Thabath filius ejus, Elada filius ejus, Thabath filius ejus, hujus filius Zabad, 21. et hujus filius Suthala, et hujus filius Ezer et Elad : occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, quia descenderant ut invaderent possessiones eorum. 22. Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus, et venerunt fratres ejus ut consolarentur eum. 23. Ingressusque est ad uxorem suam; quæ concepit, et peperit filium, et vocavit nomen ejus Beria, eo quod in malis domus ejus ortus esset : 24. filia autem ejus fuit Sara, quæ ædificavit Bethoron inferiorem et superiorem, et Ozensara. 25. Porro filius ejus Rapha, et Reseph, et Thale, de quo natus est Thaan, 26. qui genuit Laadan : hujus quoque filius Ammiud, qui genuit Elizama, 27. de quo ortus est Nun, qui habuit filium Josue. 28. Possessio autem eorum et habitatio Bethel cum filiabus suis et contra Orientem Noran, ac Occidentalem plagam Gazer et filiæ ejus, Sichem quoque cum filiabus suis, usque ad Aza cum filiabus ejus. 29. Juxta filios quoque Manasse, Bethsan et filias ejus, Thanach et filias ejus, Mageddo et filias ejus, Dor et filias ejus : in his habitaverunt filii Joseph, filii Israel. 30. Filii Aser : Jemna, et Jesua, et Jessui, et Baria, et Sara soror eorum. 31. Filii autem Baria : Heber, et Melchiel : ipse est pater Barsaith. 32. Heber autem genuit Jephlat, et Somer, et Hotham, et Suaa sororem eorum. 33. Filii Jephlat : Phosech, et Chamaal, et Asoth : hi filii Jephlat. 34. Porro filii Somer : Ahi, et Roaga, et Aaba, et Aram. 35. Filii autem Helem fratris ejus : Supha, et Jemna, et Selles, et Amal. 36. Filii Supha : Sue, Harnapher, et Sual, et Beri, et Jamra. 37. Bosor, et Hod, et Samma, et Salusa, et Jethran, et Bera. 38. Filii Jether : Jephone, et Phaspha, et Ara. 39. Filii autem Olla : Aree, et Haniel, et Resia. 40. Omnes hi filii Aser, principes cognationum, electi atque fortissimi duces ducum : numerus autem eorum ætatis quæ apta esset ad bellum, viginti sex millia.

3. Filii Ozi. — « Filii, » id est filius; unus enim tantum nominatur, scilicet Izrahia, eo quod ejus solius, velut eximii, prosapiam deinceps pertexere voluerit Esdras : verisimile enim est Ozi plures habuisse filios, sed minus claros. Certum enim est hisce decem capitibus multorum posterorum Patriarcharum nomina reticeri; prolixum enim et quasi infinitum fuisset omnes enumerare. Quare aliqui tantum illustriores hic recensentur, cæteri reticentur. Sic Genes. XLVI, 23, dicitur : « Filii Dan, Husim. » « Filii, » id est filius; unum enim duntaxat habuit, a quo tota Tribus Dan propagata est. Est enallage numeri. Recenset enim omnes Patriarcharum filios, quorum unum duntaxat habuit Dan.

6. Filii Benjamin : Bela et Bechor et Jadiel tres. — Tres hi fuere illustriores : nam universim fuere decem, qui recensentur Genes. XLVI, 21.

21. Soror autem ejus Regina peperit Virum decorum. — Hebræus, *et soror ejus Molechet peperit Isehod.* Ita Septuaginta, Pagninus, Vatablus et alii; sed Noster nomina propria per significata more suo transtulit : *Molechet* enim significat *reginam*, *Isehod* vero *virum decorum*. Vide dicta cap. IV, vers. 22 et 23.

21. Occiderunt autem eos (filios Ephraim primogeniti Joseph) viri Geth indigenæ, quia descenderant ut invaderent possessiones eorum. — Verisimile est Pharaonem Josepho, quem ob famem depulsam Ægypto præfecerat, in ea possessiones aliquas donasse, præsertim in ejus finibus, et terra Gessen quam fratribus ejus ad pecora alenda assignaverat. Joseph vero moriens has possessiones reliquit filio suo Ephraim; Ephraim autem illas tradidit filiis suis; sed eos occiderunt Ægypto vicini Gethæi, et possessiones eorum occuparunt, et hoc est quod hic dicitur. Meminit hujus cædis Chaldæus Paraphrastes, *Cant.* II, 7, sed veris multa fabulosa more suo admiscet.

24. Filia autem ejus fuit Sara, quæ ædificavit Bethoron. — « Filia, » id est neptis vel potius pronepti : nec enim filia Ephraim habitans cum eo in Ægypto potuit ædificare Bethoron et duas alias urbes, quæ erant in Chanaan.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Posteri Benjamin plenius recensentur, ut deinde perveniatur genealogia Saulis, vers. 33.

1. Benjamin autem genuit Bale primogenitum suum, Asbel secundum, Ahara tertium, 2. Nohum quartum, et Rapha quintum. 3. Fuerunt que filii Bala Addar, et Gera, et Abiud, 4. Abisue quoque et Naaman, et Aboe, 5. sed et Gera, et Sephuphan, et Huram. 6. Hi sunt filii Ahod, principes cognationum habitantium in Gabaa, qui translati sunt in Manahath. 7. Naaman autem, et Achia, et Gera ipse transtulit eos, et genuit Oza, et Ahiud. 8. Porro Saharaim genuit in regione Moab, postquam dimisit Husim et Bara uxores suas. 9. Genuit autem de Hodes uxore sua Jobab, et Sebia, et Mosa, et Melchom, 10. Jehus quoque, et Sechia, et Marma. Hi sunt filii ejus, principes in familiis suis. 11. Mehusim vero genuit Abitob, et Elphaal. 12. Porro filii Elphaal, Heber, et Misaam, et Samad : hic ædificavit Ono, et Lod, et filias ejus. 13. Baria autem et Sama principes cognationum habitantium in Aialon : hi fugaverunt habitatores Geth. 14. Et Ahio, et Sesac, et Jerimoth, 15. et Zabadia, et Arod, et Heder, 16. Michael quoque, et Jespha, et Joha, filii Baria. 17. Et Zabadia, et Mosollam, et Hezeci, et Heber, 18. et Jezamari, et Jezlia, et Jobab, filii Elphaal, 19. et Jacim, et Zechri, et Zabdi, 20. et Elioenai, et Selethai, et Eliel, 21. et Adaia, et Baraia, et Samarath, filii Semei. 22. Et Jespham, et Heber, et Eliel, 23. et Abdon, et Zechri, et Hanan, 24. et Hana-

nia, et Ælam, et Anathothia, 25. et Jephdaia, et Phanuel, filii Sesac, 26. et Samsari, et Soboria, et Otholia, 27. et Jersia, et Elia, et Zechri, filii Jeroham. 28. Hi patriarchæ, et cognationum principes, qui habitaverunt in Jerusalem. 29. In Gabaon autem habitaverunt Abigabaon, et nomen uxoris ejus Maacha : 30. filiusque ejus primogenitus Abdon, et Sur, et Cis, et Baal, et Nadab, 31. Gedor quoque, et Ahio, et Zacher, et Macelloth : 32. et Macelloth genuit Samaa : habitaveruntque ex adverso fratrum suorum in Jerusalem cum fratribus suis. 33. Ner autem genuit Cis, et Cis genuit Saul. Porro Saul genuit Jonathan, et Melchisua, et Abinadab, et Esbaal. 34. Filius autem Jonathan, Meribbaal : et Meribbaal genuit Micha. 35. Filii Micha, Phithon, et Melech, et Tharaa, et Ahaz, 36. et Ahaz genuit Joada : et Joada genuit Alamath, et Azmoth, et Zamri : porro Zamri genuit Mosa, 37. et Mosa genuit Banaa, cujus filius fuit Rapha, de quo ortus est Elasa, qui genuit Asel. 38. Porro Asel sex filii fuerunt his nominibus, Ezricam, Bocru, Ismael, Saria, Obdia, et Hanan : omnes hi filii Asel. 39. Filii autem Esec fratris ejus, Ulam primogenitus, et Jehus secundus, et Eliphalet tertius. 40. Fueruntque filii Ulam viri robustissimi, et magno robore tendentes arcum : et multos habentes filios, ac nepotes, usque ad centum quinquaginta. Omnes hi, filii Benjamin.

7. NAAMAN AUTEM, ET ACHIA, ET GERA (supple, sunt filii Abod, quos vers. præcedenti me recensiturum promisi) IPSE (scilicet « Gera, » qui proxime præcesserit) TRANSTULIT EOS. — Scilicet Ahoditas ex Gabaa in Manahath, ut dictum est vers. 6. Idemque Gera « genuit Oza et Ahiud, » ac tertium « Saharaim » existens « in regione Moab, » ut sequitur vers. 8, ad quam Gera migravit forte cum Elimeleeh famis causa, *Ruth* I.

28. QUI HABITAVERUNT IN JERUSALEM. — Jerusalem enim spectabat ad tribum Benjamin, quæ eamdem cessit Judæ, ut ex illa ejiceret Jebusæos, ut dixi *Josue* XVIII, et *Judic.* I.

29. IN GABAON AUTEM HABITAVERUNT ABIGABAON, etc., — Id est pater Gabaon, scilicet princeps Gabaon, cujus nomen proprium erat Jehiel, ut dicitur capite sequenti, vers. 35, qui fuit pater Cis patris Saulis, ut sequitur. Dices : Quomodo ergo vers. 33, dicitur Ner fuisse pater Cis et avus Saulis? Respondeo Jehiel alio nomine dictum fuisse Ner, id est lucerna, eo quod ipse ut lucerna toti familiæ præfulgeret. Ita Emmanuel Sa et Mariana, licet alii putent Jehiel fuisse patrem Ner, cujus filius fuit Cis, nepos Saul, idque colligunt ex cap. seq., vers. 36, ubi Jehiel dicitur genuisse Ner, sed ibidem dicitur Jehiel genuisse Cis; quare Ner ibidem non fuit pater, sed frater Cis, cui Ner pater suum nomen imposuit.

33. ESBAAL. — Hic alio nomine dictus est Isboseth, qui fuit quartus Saulis filius, et Davidis antagonista II *Reg.* II, 8.

34. FILIUS AUTEM JONATHAN, MERIBBAAL. — « Meribbaal » est Miphiboseth; hic enim unicus fuit filius Jonathæ, ac pater Michæ, ut sequitur. Porro Miphiboseth vocatur Meribbaal, id est litigans cum domino, vel Meribaal, id est rebellans domino : qua de causa ita vocatus sit nescitur. Hebræi apud S. Hieronymum *in Tradition.* causandant, quod murmurarit contra Dominum, qui Davidem in regnum reduxerat, eo quod David sibi bona ademisset, eaque Sibæ servo suo ac calumnianti dedisset, II *Reg.* XIX, 29. Verum hoc plane incertum est. Alii ita dictum volunt, quod idola Baal destruxerit : hac enim de causa Gedeon vocatus est « Jerobaal, » id est *ligator cum Baal, Judic.* VI, 32. Verisimilius est eum vocatum Meribbaal, eo quod cum servo suo Siba, falso se de affectato regno apud Davidem accusante, non quasi cum servo, sed quasi cum hero et domino litigare, imo hæreditatem suam (ita jubente David) dividere coactus sit. Hæc enim insignis ei fuit injuria et vilipensio.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur primores Judæorum, qui e Babylone redierunt in Jerusalem cum sacerdotibus, Levitis et Nathinæis : item Benjaminitæ, ac parentes et posteri Saulis.

1. Universus ergo Israel dinumeratus est, et summa eorum scripta est in Libro Regum Israel, et Juda : translatique sunt in Babylonem propter delictum suum. 2. Qui autem habitaverunt primi in possessionibus et in urbibus suis : Israel, et Sacerdotes, et Levitæ, et Nathinæi. 3. Commorati sunt in Jerusalem de filiis Juda, et de filiis Benjamin, de filiis quoque Ephraim, et Manasse. 4. Othei filius Ammiud, filii Amri, filii Omrai, filii Bonni, de filiis Phares filii Juda. 5. Et de Siloni : Asaia primogenitus, et filii ejus. 6. De filiis autem Zara : Jehuel, et fratres eorum, sexcenti nonaginta. 7. Porro de filiis Benjamin : Salo filius Mosollam, filii Oduia, filii Asana : 8. et Jobania filius Jeroham : et Ela filius Ozi, filii Mochori : et Mosollam filius Saphatiæ, filii Rahuel, filii Jebaniæ, 9. et fratres eorum per familias suas, nongenti quinquaginta sex. Omnes hi, principes cognationum per domos patrum suorum. 10. De sacerdotibus autem : Jedaia, Joiarib, et Jachin. 11. Azarias quoque filius Helciæ, filii Mosollam filii Sadoc, filii Maraioth, filii Achitob, pontifex domus Dei. 12. Porro Adaias filius Jeroham, filii Phassur, filii Melchiæ : et Maasai filius Adiel, filii Jezra, filii Mosollam, filii Mosollamith, filii Emmer, 13. fratres quoque eorum principes per familias suas, mille septingenti sexaginta, fortissimi robore ad faciendum opus ministerii in domo Dei. 14. De Levitis autem : Semeia filius Hassub, filii Ezricam, filii Hasebia, de filiis Merari. 15. Bacbacar quoque carpentarius, et Galal, et Mathania filius Micha, filii Zechri, filii Asaph : 16. et Obdia filius Semeiæ, filii Galal, filii Idithun : et Barachia filius Asa, filii Elcana, qui habitavit in atriis Netophati. 17. Janitores autem : Sellum, et Accub, et Telmon, et Ahimam, et frater eorum Sellum princeps, 18. usque ad illud tempus, in porta regis ad Orientem, observabant per vices suas de filiis Levi. 19. Sellum vero filius Core, filii Abiasaph, filii Core, cum fratribus suis, et domo patris sui, hi sunt Coritæ super opera ministerii, custodes vestibulorum tabernaculi : et familiæ eorum per vices castrorum Domini custodientes introitum. 20. Phinees autem filius Eleazari, erat dux eorum coram Domino. 21. Porro Zacharias filius Mosollamia, janitor portæ tabernaculi testimonii. 22. Omnes hi electi in ostiarios per portas, ducenti duodecim : et descripti in villis propriis : quos constituerunt David, et Samuel Videns, in fide sua, 23. tam ipsos, quam filios eorum, in ostiis domus Domini, et in tabernaculo, vicibus suis. 24. Per quatuor ventos erant ostiarii, id est, ad Orientem, et ad Occidentem, et ad Aquilonem, et ad Austrum. 25. Fratres autem eorum in viculis morabantur, et veniebant in sabbatis suis de tempore usque ad tempus. 26. His quatuor Levitis creditus erat omnis numerus janitorum, et erant super exedras, et thesauros domus Domini. 27. Per gyrum quoque templi Domini morabantur in custodiis suis : ut cum tempus fuisset, ipsi mane aperirent fores. 28. De horum genere erant et super vasa ministerii : ad numerum enim et inferebantur vasa, et efferebantur. 29. De ipsis, et qui credita habebant utensilia sanctuarii, præerant similæ, et vino, et oleo, et thuri, et aromatibus. 30. Filii autem sacerdotum unguenta ex aromatibus conficiebant. 31. Et Mathathias Levites, primogenitus Sellum Coritæ, præfectus erat eorum quæ in sartagine frigebantur. 32. Porro de filiis Caath fratribus eorum, super panes erant propositionis, ut semper novos per singula sabbata præpararent. 33. Hi sunt principes cantorum per familias Levitarum, qui in exedris morabantur, ut die ac nocte jugiter suo ministerio deservirent. 34. Capita Levitarum, per familias suas principes, manserunt in Jerusalem. 35. In Gabaon autem commorati sunt pater Gabaon Jehiel, et nomen uxoris ejus Maacha. 36. Filius primogenitus ejus Abdon, et Sur, et Cis, et Baal, et Ner, et Nadab, 37. Gedor quoque, et Ahio, et Zacharias, et Macelloth. 38. Porro Macelloth genuit Samaan : isti habitaverunt e regione fratrum suorum in Jerusalem, cum fratribus suis. 39. Ner autem genuit Cis : et Cis genuit Saul : et Saul genuit Jonathan, et Melchisua, et Abinadab, et Esbaal. 40. Filius autem Jonathan, Meribbaal : et Meribbaal genuit Micha. 41. Porro filii Micha, Phiton, et Melech, et Tharaa, et Ahaz. 42. Ahaz autem genuit Jara, et Jara genuit Alamath, et Azmoth, et Zamri. Zamri autem genuit Mosa. 43. Mosa vero genuit Banaa : cujus filius Raphaia genuit Elasa, de quo ortus est Asel. 44. Porro Asel sex

filios habuit his nominibus, Ezricam, Bocru, Ismahel, Saria, Obdia, Hanan. Hi sunt filii Asel.

1. Universus ergo Israel dinumeratus est — a Davide, II *Reg.* XXIV.

Translatique sunt in Babylonem. — Ilucusque ergo Esdras recensuit lectissos, qui captivitatem Babylonicam antecesserunt : deinceps vero recensebit eos qui ex ea redierunt, et post eam vixerunt; ubi nota multos ex Israel, id est decem tribubus post schisma transmigrasse in Jerusalem : tum quia horrebant schisma factum a Jeroboam, volebantque priscam Judæorum religionem sequi, et colere Deum in templo; tum quia cum decem tribus a Theclathphalasar et Salmanasar abductæ sunt in Assyriam, multi ex eis fugerunt in Jerusalem, et Judæis esse assolerunt. Hi cum Judæis postea abducti sunt in Babylonem, indeque post 70 annos cum eisdem redierunt in Jerusalem; et hoc est quod hic dicitur. Unde subdit.

2. Qui autem habitaverunt primi (prius) in possessionibus et urbibus suis : (nimirum) Israel (id est Israelitæ), et Sacerdotes, et Levitæ, et Nathinæi, — habitantes scilicet cum Judæis in Judæa, indeque cum eis translati in Babylonem; soluta deinde captivitate cum eis pariter in Jerusalem et Judæam ad pristinas suas possessiones et urbes redierunt, in eisque habitarunt, ut ante fecerant. Quocirca,

3. Commorati sunt in Jerusalem de filiis Juda, et de filiis Benjamin, de filiis quoque Ephraim et Manasse. — Hos deinde enumerat, dicens :

4. Othei filius Ammiud, etc. — Porro Nathinæi, id est donati, et oblati templo, fuere Gabaonitæ, qui ob fraudem admissam a Josue deputati sunt templo, dummodo scilicet, ut ad illud aquam et ligna comportarent. Vide dicta Josue IX, 23, et II *Esdræ* XI, vers. 1 et seq., ubi iidem recensentur.

5. Et de Siloni : — subaudi, filii. Siloni erat vir celebris, oriundus ex tribu Juda, verum non ex Phares vel Zare, ut ex hoc loco patet, sed ex Sela descendens. Nam in tres soli fuere Judæ filii superstites, quia Her et Onan a Deo cæsi sunt, *Genes.* XXXVIII.

16. In atrium (Hebraice, *in villis*, quæ muneribabantur) Netophati.

18. Usque ad illud tempus (scilicet a prima ostiariorum templi institutione, usque ad eversionem templi per Chaldæos) observabant, (Hebraice, *exsultabant*, hi Levitæ,) per vices suas : (tum in aliis templi portis, tum maxime) in porta regis ad Orientem, — id est in porta orientali templi, quæ vicina erat palatio regis, per quam proinde rex templum intrare solebat, quæ exinde dicebatur : « Porta regis. »

22. Omnes hi electi in ostiariis, etc. inscripti in villis propriis : (Habitabant enim Levitæ aliqui in Jerusalem; alii vero per alias urbes, vicos et villas erant distributi. Unde vers. 23, dicitur : « in vocabo *mandabantur*; » certis tamen temporibus, quibus per vices ministrare debebant in templo, veniebant in Jerusalem. Has autem eorum ministrandi vices et ordines) constituerunt David, (et ante eum,) Samuel, Videns (sive *Propheta*, idque) in fide sua, — hoc est in potestate et auctoritate sibi a Deo et Republica ad id faciendum credita et commissa. *Secundo*, « in fide sua, » Vatablus, *propter fidem ipsorum*; *fidem*, id est fidelitatem; quia scilicet sciebat eos fideles esse et fore, ac fideliter hoc munus obituros. *Tertio*, per *fidem*, accipias officium fidele, id est firmum, stabile, perpetuum et irrevocabile, *q. d.* David et Samuel constituere hosce ostiarios « in fide, » hoc est fideles, id est firmos, stabiles; ut scilicet officium ostiariorum fideliter, id est stabiliter et perpetim exercerent. Ita Vatablus. Hoc enim significat Hebraice אמונתם *beemunathum*, id est in *fide*, sive in *stabilitate ipsorum*.

33. Qui in exedris (id est cubiculis et aulis templo annexis) morabantur, — ut jugiter canendis Dei laudibus, hymnis et psalmis vacarent, utque populum in lege Dei erudirent. Unde et Synagogæ sunt appellatæ.

35. In Gabaon autem. — Transit a Levitis ad Benjaminitas, ut ad Saulem primum regem Israelis, deinde eo amoto ad Davidem descendat; Davidis enim causa hæc omnia scribuntur, quia ejus familia regia perduravit usque ad captivitatem Babylonicam, imo usque ad Machabæos; sed tum non regia, sed ducali auctoritate præfuit populo.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Per Saul, ob peccata a Deo rejectus, una cum filiis a Philistæis occiditur. Ejus caput in templo Dagon suspenditur, reliquum corpus a Jabesitis sepelitur.

1. Philistiim autem pugnabant contra Israel, fugeruntque viri Israel Palæstinos; et ceciderunt vulnerati in monte Gelboe. 2. Cumque appropinquassent Philistæi persequentes Saul, et filios ejus, percusserunt Jonathan, et Abinadab, et Melchisua, filios Saul. 3. Et aggravatum est prælium contra Saul, inveneruntque eum sagittarii, et vulneraverunt jaculis. 4. Et dixit Saul ad armigerum suum : Evagina gladium tuum, et interfice me; ne forte veniant incircumcisi isti, et illudant mihi. Noluit autem armiger ejus hoc facere, timore perterritus : arripuit ergo Saul ensem, et irruit in eum. 5. Quod cum vidisset armiger ejus, videlicet mortuum esse Saul, irruit etiam ipse in gladium suum, et mortuus est. 6. Interiit ergo Saul, et tres filii ejus, et omnis domus illius pariter concidit. 7. Quod cum vidissent viri Israel, qui habitabant in campestribus, fugerunt : et Saul ac filiis ejus mortuis, dereliquerunt urbes suas, et huc illuc dispersi sunt; veneruntque Philisthiim, et habitaverunt in eis. 8. Die igitur altero detrahentes Philistiim spolia cæsorum, invenerunt Saul, et filios ejus jacentes in monte Gelboe. 9. Cumque spoliassent eum, et amputassent caput, armisque nudassent, miserunt in terram suam, ut circumferretur, et ostenderetur idolorum templis, et populis : 10. arma autem ejus consecraverunt in fano dei sui, et caput affixerunt in templo Dagon. 11. Hoc cum audissent viri Jabes Galaad, omnia scilicet quæ Philistiim fecerant super Saul, 12. consurrexerunt singuli virorum fortium, et tulerunt cadavera Saul et filiorum ejus : attuleruntque ea in Jabes, et sepelierunt ossa eorum subter quercum quæ erat in Jabes, et jejunaverunt septem diebus. 13. Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod prævaricatus sit mandatum Domini quod præceperat, et non custodierit illud; sed insuper etiam pythonissam consuluerit, 14. nec speraverit in Domino : propter quod interfecit eum, et transtulit regnum ejus ad David filium Isai.

Cesta hujus capitis audivimus I *Reg.* ult., ubi ea explicui.

10. Arma autem ejus consecraverunt in fano dei sui. — Astaroth, ut dicitur I *Reg.* ult. 31. « Astaroth » erat Venus, quæ nunc ut Dea, nunc ut Dens colebatur.

Caput affixerunt in templo Dagon — quasi sic Dagoni adscribentes victoriam, ideoque caput vesi Saulis regis, velut nobilissimum spolium ei dedi offerentes.

14. Nec speravit in Domino. — Hoc fuit prima peccati Saulis causa, quod nimirum diffisus Deo, utpote quem per inobedientiam offenderat, fiv fuerit diabolo, cumque per Pythonissam ad vocat

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David ungitur in regem Israelis, ac Jebusæos ex arce Sion expellit Joab, *vers.* 10, *ad finem nomina et heroica facta fortium ejus recensentur.*

1. Congregatus est igitur omnis Israel ad David in Hebron, dicens : Os tuum sumus, et caro tua. 2. Heri quoque, et nudiustertius cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas, et introducebas Israel ; tibi enim dixit Dominus Deus tuus : Tu pasces populum meum Israel, et tu eris princeps super super eum. 3. Venerunt ergo omnes majores natu Israel ad regem in Hebron, et iniit David cum eis fœdus coram Domino : unxeruntque eum regem super Israel, juxta sermonem Domini, quem locutus est in manu Samuel. 4. Abiit quoque David, et omnis Israel, in Jerusalem. Hæc est Jebus, ubi erant Jebusæi habitatores terræ. 5. Dixerunt que qui habitabant in Jebus ad David : Non ingredieris huc. Porro David cepit arcem Sion, quæ est Civitas David, 6. dixitque : Omnis qui percusserit Jebusæum in primis, erit princeps et dux. Ascendit igitur primus Joab filius Sarviæ, et factus est princeps. 7. Habitavit autem David in arce, et ideirco appellata est Civitas David. 8. Ædificavitque urbem in circuitu a Mello usque ad gyrum, Joab autem reliqua urbis exstruxit. 9. Proficiebatque David vadens et crescens, et Dominus exercituum erat cum eo. 10. Hi principes virorum fortium David, qui adjuverunt eum ut rex fieret super omnem Israel, juxta verbum Domini, quod locutus est ad Israel. 11. Et iste numerus robustorum David : Jesbaam filius Hachamoni princeps inter triginta : iste levavit hastam suam super trecentos vulneratos una vice. 12. Et post eum Eleazar filius patrui ejus Ahohites, qui erat inter tres potentes. 13. Iste fuit cum David in Phesdomim, quando Philistiim congregati sunt ad locum illum in prælium ; et erat ager regionis illius plenus hordeo, fugerat atque populus a facie Philistinorum. 14. Hi steterunt in medio agri, et defenderunt eum : eumque percussissent Philistæos, dedit Dominus salutem magnam populo suo. 15. Descenderunt autem tres de triginta principibus ad petram, in qua erat David, ad speluncam Odollam, quando Philistiim fuerant castrametati in valle Raphaim. 16. Porro David erat in præsidio, et statio Philistinorum in Bethlehem. 16. Desideravit igitur David, et dixit : O si quis daret mihi aquam de cisterna Bethlehem, quæ est in porta ! 18. Tres ergo isti per media castra Philistinorum perrexerunt, et hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat in porta, et attulerunt ad David ut biberet : qui noluit, sed magis libavit illam Domino, 19. dicens : Absit ut in conspectu Dei mei hoc faciam, et sanguinem istorum virorum bibam ; quia in periculo animarum suarum attulerunt mihi aquam. Et ob hanc causam noluit bibere : hæc fecerunt tres robustissimi. 20. Abisai quoque frater Joab ipse erat princeps trium, et ipse levavit hastam suam contra trecentos vulneratos, et ipse erat inter tres nominatissimus, 21. et inter tres secundos inclytus et princeps eorum : verumtamen usque ad tres primos non pervenerat. 22. Banaias filius Joiadæ viri robustissimi, qui multa opera perpetrarat, de Cabseel ; ipse percussit duos Ariel Moab ; et ipse descendit, et interfecit leonem in media cisterna tempore nivis. 23. Et ipse percussit virum Ægyptium, cujus statura erat quinque cubitorum, et habebat lanceam ut liciatorium texentium : descendit igitur ad eum cum virga, et rapuit hastam, quam tenebat manu, et interfecit eum hasta sua. 24. Hæc fecit Banaias filius Joiadæ, qui erat inter tres robustos nominatissimus, 25. inter tres triginta primus, verumtamen ad tres usque non pervenerat : posuit autem eum David ad auriculam suam. 26. Porro fortissimi viri in exercitu, Asahel frater Joab, et Elchanan filius patrui ejus de Bethlehem. 27 Sammoth Aorites, Helles Phalonites. 28. Ira filius Acces Thecuites, Abiezer Anathothites. 29. Sobbochai Husathites, Ilai, Ahohites. 30. Maharai Netophathites, Heled filius Baana Netophathites. 31. Ethai filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin, Banaia Pharathonites. 32. Hurai de Torrente Gaas, Abiel Arbathites, Azmoth Bauramites, Eliaba Salabonites. 33. Filii Assem Gezonites, Jonathan filius Sage, Ararites, 34. Ahiam filius Sachar, Ararites, 35. Eliphal filius Ur. 36. Hepher Mecherathites, Ahia Phelonites. 37. Hesro Carmelites, Naarai filius Asbai. 38. Joel frater Nathan, Mibahar filius Agarai. 39. Selec Ammonites, Naarai Berothites armiger Joab filii Sarviæ. 40. Ira Jethræus, Gareb Jethræus. 41. Urias Hethæus, Zabad filius Oholi. 42. Adina filius Siza Rubenites princeps Rubenitarum, et cum eo triginta : 43. Hanan filius Maacha, et Josaphat Mathanites. 44. Ozia Astarothites, Samma et Jehiel filii Hotam Arorites. 45. Jedihel filius Samri, et Joha frater ejus Thosaites, 46. Eliel Mahumites, et Jeribai et Josaia filii Elnaem, et Jethma Moabites, Eliel, et Obed, et Jasiel de Masobia.

Priorem partem audivimus II *Reg.* III, 9, et toto cap. V, posteriorem eodem lib. cap. XXIII, vers. 8 et seq. ubi ea explicui.

2. TU PASCES, — id est, tu reges. Rex enim est pastor populorum, uti de Agamemnone ait Homerus.

22. IPSE (Banaias) PERCUSSIT DUOS ARIEL MOAB,— id est duos leones Moab, ut dicitur II *Reg.* XXIII, 20. Vocantur hi Ariel, id est leones Dei, hoc est maximi et robustissimi. Hebræi, Josephus, Lyranus, Glossa et Cajetanus censent hos duos fuisse duces Moabitarum fortissimos, et sævissimos instar leonum. Verum alii simpliciter leones, ut sonant, accipiunt. Vide dicta II *Reg.* XXIII, 20.

23. POSUIT AUTEM EUM DAVID AD AURICULAM SUAM, — id est fecit eum sibi secretarium, intimumque consiliarium et monitorem, qui eum de agendis commoneret, omniaque quæ ei facienda erant, suggereret, uti faciunt Romæ Cardinalibus Auditores, quos vocant.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur ii qui Davidem, cum fugeret Saulem, secuti sunt ; et ii qui primi venerunt ad eum in Hebron, ut eum ungerent in regem.

1. Hi quoque venerunt ad David in Siceleg, cum adhuc fugeret Saul filium Cis, qui erant fortissimi et egregii pugnatores, 2. tendentes arcum, et utraque manu fundis saxa jacientes, et dirigentes sagittas : de fratribus Saul ex Benjamin. 3. Princeps Ahiezer, et Joas, filii Samaa, Gabaathites, et Jaziel, et Phallet filii Azmoth, et Baracha, et Jehu Anathothites. 4. Samaias quoque Gabaonites fortissimus inter triginta et super triginta. Jeremias, et Jehoziel, et Johanan, et Jezabad Gaderothites, 5. Et Eluzai et Jerimuth, et Baalia, et Samaria, et Saphatia Haruphites. 6. Elcana, et Jesia, et Azareel, et Joëzer, et Jesbaam de Carehim : 7. Joela quoque, et Zabadia, filii Jeroham de Gedor. 8. Sed et de Gaddi transfugerunt ad David, cum lateret in deserto, viri robustissimi, et pugnatores optimi, tenentes clypeum et hastam : facies eorum quasi facies leonis, et veloces quasi capreæ in montibus : 9. Ezer princeps, Obdias secundus, Eliab tertius, 10. Masmana quartus, Jeremias quintus, 11. Ethi sextus, Eliel septimus, 12. Johanan octavus, Elzebad nonus, 13. Jeremias decimus, Machbanai undecimus. 14. Hi de filiis Gad principes exercitus : novissimus centum militibus præerat, et maximus, mille. 15. Isti sunt qui transierunt Jordanem mense primo, quando inundare consuevit super ripas suas ; et omnes fugaverunt qui morabantur in vallibus ad Orientalem plagam, et Occidentalem. 16. Venerunt autem et de Benjamin, et de Juda, ad præsidium in quo morabatur David, 17. egressusque est David obviam eis, et ait : Si pacifice venistis ad me ut auxiliemini mihi, cor meum jungatur vobis : si autem insidiamini mihi pro adversariis meis, cum

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David ungitur in regem Israelis, ac Jebusæos ex arce Sion expellit Joab, *vers.* 10, *ad finem nomina et heroica facta fortium ejus recensentur.*

1. Congregatus est igitur omnis Israel ad David in Hebron, dicens : Os tuum sumus, et caro tua. 2. Heri quoque, et nudiustertius cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas, et introducebas Israel ; tibi enim dixit Dominus Deus tuus : Tu pasces populum meum Israel, et tu eris princeps super super eum. 3. Venerunt ergo omnes majores natu Israel ad regem in Hebron, et iniit David cum eis fœdus coram Domino : unxeruntque eum regem super Israel, juxta sermonem Domini, quem locutus est in manu Samuel. 4. Abiit quoque David, et omnis Israel, in Jerusalem. Hæc est Jebus, ubi erant Jebusæi habitatores terræ. 5. Dixerunt que qui habitabant in Jebus ad David : Non ingredieris huc. Porro David cepit arcem Sion, quæ est Civitas David, 6. dixitque : Omnis qui percusserit Jebusæum in primis, erit princeps et dux. Ascendit igitur primus Joab filius Sarviæ, et factus est princeps. 7. Habitavit autem David in arce, et ideirco appellata est Civitas David. 8. Ædificavitque urbem in circuitu a Mello usque ad gyrum, Joab autem reliqua urbis exstruxit. 9. Proficiebatque David vadens et crescens, et Dominus exercituum erat cum eo. 10. Hi principes virorum fortium David, qui adjuverunt eum ut rex fieret super omnem Israel, juxta verbum Domini, quod locutus est ad Israel. 11. Et iste numerus robustorum David : Jesbaam filius Hachamoni princeps inter triginta : iste levavit hastam suam super trecentos vulneratos una vice. 12. Et post eum Eleazar filius patrui ejus Ahohites, qui erat inter tres potentes. 13. Iste fuit cum David in Phesdomim, quando Philistiim congregati sunt ad locum illum in prælium ; et erat ager regionis illius plenus hordeo, fugerat atque populus a facie Philistinorum. 14. Hi steterunt in medio agri, et defenderunt eum : eumque percussissent Philistæos, dedit Dominus salutem magnam populo suo. 15. Descenderunt autem tres de triginta principibus ad petram, in qua erat David, ad speluncam Odollam, quando Philistiim fuerant castrametati in valle Raphaim. 16. Porro David erat in præsidio, et statio Philistinorum in Bethlehem. 16. Desideravit igitur David, et dixit : O si quis daret mihi aquam de cisterna Bethlehem, quæ est in porta ! 18. Tres ergo isti per media castra Philistinorum perrexerunt, et hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat in porta, et attulerunt ad David ut biberet : qui noluit, sed magis libavit illam Domino, 19. dicens : Absit ut in conspectu Dei mei hoc faciam, et sanguinem istorum virorum bibam ; quia in periculo animarum suarum attulerunt mihi aquam. Et ob hanc causam noluit bibere : hæc fecerunt tres robustissimi. 20. Abisai quoque frater Joab ipse erat princeps trium, et ipse levavit hastam suam contra trecentos vulneratos, et ipse erat inter tres nominatissimus, 21. et inter tres secundos inclytus et princeps eorum : verumtamen usque ad tres primos non pervenerat. 22. Banaias filius Joiadæ viri robustissimi, qui multa opera perpetrarat, de Cabseel ; ipse percussit duos Ariel Moab ; et ipse descendit, et interfecit leonem in media cisterna tempore nivis. 23. Et ipse percussit virum Ægyptium, cujus statura erat quinque cubitorum, et habebat lanceam ut liciatorium texentium : descendit igitur ad eum cum virga, et rapuit hastam, quam tenebat manu, et interfecit eum hasta sua. 24. Hæc fecit Banaias filius Joiadæ, qui erat inter tres robustos nominatissimus, 25. inter tres triginta primus, verumtamen ad tres usque non pervenerat : posuit autem eum David ad auriculam suam. 26. Porro fortissimi viri in exercitu, Asahel frater Joab, et Elchanan filius patrui ejus de Bethlehem. 27 Sammoth Aorites, Helles Phalonites. 28. Ira filius Acces Thecuites, Abiezer Anathothites. 29. Sobbochai Husathites, Ilai, Ahohites. 30. Maharai Netophathites, Heled filius Baana Netophathites. 31. Ethai filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin, Banaia Pharathonites. 32. Hurai de Torrente Gaas, Abiel Arbathites, Azmoth Bauramites, Eliaba Salabonites. 33. Filii Assem Gezonites, Jonathan filius Sage, Ararites, 34. Ahiam filius Sachar, Ararites, 35. Eliphal filius Ur. 36. Hepher Mecherathites, Ahia Phelonites. 37. Hesro Carmelites, Naarai filius Asbai. 38. Joel frater Nathan, Mibahar filius Agarai. 39. Selec Ammonites, Naarai Berothites armiger Joab filii Sarviæ. 40. Ira Jethræus, Gareb Jethræus. 41. Urias Hethæus, Zabad filius Oholi. 42. Adina filius Siza Rubenites princeps Rubenitarum, et cum eo triginta : 43. Hanan filius Maacha, et Josaphat Mathanites. 44. Ozia Astarothites, Samma et Jehiel filii Hotam Arorites. 45. Jedihel filius Samri, et Joha frater ejus Thosaites, 46. Eliel Mahumites, et Jeribai et Josaia filii Elnaem, et Jethma Moabites, Eliel, et Obed, et Jasiel de Masobia.

Priorem partem audivimus II *Reg.* III, 9, et toto cap. V, posteriorem eodem lib. cap. XXIII, vers. 8 et seq. ubi ea explicui.

2. TU PASCES, — id est, tu reges. Rex enim est pastor populorum, uti de Agamemnone ait Homerus.

22. IPSE (Banaias) PERCUSSIT DUOS ARIEL MOAB,— id est duos leones Moab, ut dicitur II *Reg.* XXIII, 20. Vocantur hi Ariel, id est leones Dei, hoc est maximi et robustissimi. Hebræi, Josephus, Lyranus, Glossa et Cajetanus censent hos duos fuisse duces Moabitarum fortissimos, et sævissimos instar leonum. Verum alii simpliciter leones, ut sonant, accipiunt. Vide dicta II *Reg.* XXIII, 20.

23. POSUIT AUTEM EUM DAVID AD AURICULAM SUAM, — id est fecit eum sibi secretarium, intimumque consiliarium et monitorem, qui eum de agendis commoneret, omniaque quæ ei facienda erant, suggereret, uti faciunt Romæ Cardinalibus Auditores, quos vocant.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur ii qui Davidem, cum fugeret Saulem, secuti sunt ; et ii qui primi venerunt ad eum in Hebron, ut eum ungerent in regem.

1. Hi quoque venerunt ad David in Siceleg, cum adhuc fugeret Saul filium Cis, qui erant fortissimi et egregii pugnatores, 2. tendentes arcum, et utraque manu fundis saxa jacientes, et dirigentes sagittas : de fratribus Saul ex Benjamin. 3. Princeps Ahiezer, et Joas, filii Samaa, Gabaathites, et Jaziel, et Phallet filii Azmoth, et Baracha, et Jehu Anathothites. 4. Samaias quoque Gabaonites fortissimus inter triginta et super triginta. Jeremias, et Jehoziel, et Johanan, et Jezabad Gaderothites, 5. Et Eluzai et Jerimuth, et Baalia, et Samaria, et Saphatia Haruphites. 6. Elcana, et Jesia, et Azareel, et Joëzer, et Jesbaam de Carehim : 7. Joela quoque, et Zabadia, filii Jeroham de Gedor. 8. Sed et de Gaddi transfugerunt ad David, cum lateret in deserto, viri robustissimi, et pugnatores optimi, tenentes clypeum et hastam : facies eorum quasi facies leonis, et veloces quasi capreæ in montibus : 9. Ezer princeps, Obdias secundus, Eliab tertius, 10. Masmana quartus, Jeremias quintus, 11. Ethi sextus, Eliel septimus, 12. Johanan octavus, Elzebad nonus, 13. Jeremias decimus, Machbanai undecimus. 14. Hi de filiis Gad principes exercitus : novissimus centum militibus præerat, et maximus, mille. 15. Isti sunt qui transierunt Jordanem mense primo, quando inundare consuevit super ripas suas ; et omnes fugaverunt qui morabantur in vallibus ad Orientalem plagam, et Occidentalem. 16. Venerunt autem et de Benjamin, et de Juda, ad præsidium in quo morabatur David, 17. egressusque est David obviam eis, et ait : Si pacifice venistis ad me ut auxiliemini mihi, cor meum jungatur vobis : si autem insidiamini mihi pro adversariis meis, cum

ego iniquitatem in manibus meis non habeam, videat Deus patrum nostrorum, et judicet. 18 Spiritus vero induit Amasai principem inter triginta, et ait : Tui sumus, o David, et tecum, filii Isai, pax, pax tibi, et pax adjutoribus tuis : te enim adjuvat Deus tuus. Suscepit ergo eos David, et constituit principes turmæ. 19. Porro de Manasse transfugerunt ad David, quando veniebat cum Philistiim adversus Saul, ut pugnaret : et non dimicavit cum eis ; quia inito consilio remiserunt eum principes Philistinorum, dicentes : Periculo capitis nostri revertetur ad dominum suum Saul. 20. Quando igitur reversus est in Siceleg, transfugerunt ad eum de Manasse, Ednas, et Jozabad, et Jediihel, et Michael, et Ednas, et Jozabad, et Eliu, et Salathi, principes millium in Manasse. 21. Hi præbuerunt auxilium David adversus latrunculos : omnes enim erant viri fortissimi, et facti sunt principes in exercitu. 22. Sed et per singulos dies veniebant ad David ad auxiliandum ei, usque dum fieret grandis numerus, quasi exercitus Dei. 23. Iste quoque est numerus principum exercitus, qui venerunt ad David, cum esset in Hebron, ut transferrent regnum Saul ad eum, juxta verbum Domini. 24. Filii Juda portantes clypeum et hastam, sex millia octingenti expediti ad prælium. 25. De filiis Simeon, virorum fortissimorum ad pugnandum, septem millia centum. 26. De filiis Levi, quatuor millia sexcenti. 27. Joiada quoque princeps de stirpe Aaron, et cum eo tria millia septingenti. 28. Sadoc etiam puer egregiæ indolis, et domus patris ejus, principes viginti duo. 29. De filiis autem Benjamin fratribus Saul, tria millia : magna enim pars eorum adhus sequebatur domum Saul. 30. Porro de filiis Ephraim viginti millia octingenti, fortissimi robore, viri nominati in cognationibus suis. 31. Et ex dimidia tribu Manasse, decem et octo millia, singuli per nomina sua venerunt ut constituerent regem David. 32. De filiis quoque Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israel, principes ducenti : omnis autem reliqua tribus, eorum concilium sequebatur. 33. Porro de Zabulon qui egrediebantur ad prælium, et stabant in acie instructi armis bellicis, quinquaginta millia venerunt in auxilium, non in animo duplici. 34. Et de Nephtali, principes mille : et cum eis instructi clypeo et hasta, triginta et septem millia. 35. De Dan etiam præparati ad prælium, viginti octo millia sexcenti. 36. Et de Aser egredientes ad pugnam, et in acie provocantes, quadraginta millia. 37. Trans Jordanem autem de filiis Ruben, et de Gad, et dimidia parte tribus Manasse, instructi armis bellicis, centum viginti millia. 38. Omnes isti viri bellatores expediti ad pugnandum, corde perfecto venerunt in Hebron, ut constituerent regem David super universum Israel : sed et omnes reliqui ex Israel uno corde erant, ut rex fieret David. 39. Fuerunt autem ibi apud David tribus diebus comedentes et bibentes ; præparaverant enim eis fratres sui. 40. Sed et qui juxta eos erant, usque ad Issachar, et Zabulon, et Nephtali, afferebant panes in asinis, et camelis, et mulis, et bobus, ad vescendum : farinam, palathas, uvam passam, vinum, oleum, boves, arietes, ad omnem copiam ; gaudium quippe erat in Israel.

2. De fratribus Saul ex Benjamin, — puta de cognatis Saul et Benjaminitis ; Saul enim erat ex tribu Benjamin. Mirum hoc fuit, et quasi miraculum, quo Deus innotevit Davidem exulem et profugum, ut multi ex tribu Benjamin et cognati Saulis, eum quam Saulem rejecerunt eum persequentem, sequi maluerint : nimirum Deus pugnabat pro Davide contra Saulem, ac Davidis innocentia, modestia et sanctitas omnes ei conciliabat, quos Saul sua superbia, inconstantia et pravitate a se avertebat. Hinc et tria millia Benjaminitarum maluerunt sequi Davidem, quam Isbosethi Saulis filium, ut dicitur versu 29.

6. De Caremin, — id est, ut habent Hebræi et Septuaginta, *de Coritis*, sive de posteris Core.

8. De Gadi, — id est de tribu Gad, sive de Gaditis.

15. Isti sunt qui transierunt Jordanem mense primo (Nisan sive Paschali, qui nostro partim martio, partim aprili respondet), quando inundare consuevit super ripas suas : et omnes fugaverunt, — *q. d.* Isti sunt Gaditæ, qui heroico animo et virtute Jordanem a Josue divinum primi ingressi sunt, ac Chananæos ex adverso ripæ consistentes, et transitum Hebræorum prohibere conantes invaserunt, et in fugam compulerunt.

22. Quasi exercitus Dei, — id est quasi exercitus maximus ; Dei enim maxime omnia sunt maxima.

28. Sadoc etiam puer egregiæ indolis. — Hic videtur esse Sadoc Pontifex, quem Saul occiso Abimelech, qui erat ex Heli et Ithamar, Pontificem constituit. Vocatur « puer, » quia illo tempore erat junior ; unde postea vixit toto tempore Davidis, et pontificatu simul cum Abiathar functus est. Deinde a Salomone amoto Abiathar, solus Sadoc Pontifex ab eodem auctoratus remansit. Licet enim Joiada versu precedenti vocetur « princeps, » ipse tamen non erat Pontifex, sed « princeps, » id est dux agminis militaris, quod e sacerdotibus et Levitis ad Davidem deducebat.

Vers. 32. Scientia temporum. Erlac.

32. De filiis quoque Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israel, principes ducenti. — Vatablus, *principes quari occasionum*, id est scientes quo tempore quidve gerendum esset captatis occasionibus, v. g. quod hoc tempore, quo a Philistæis cæsus erat Saul cum totis castris, rex creandus esset David, utpote bello assuetus et victoriosus, ideoque terror Philistinorum ad compescendam eorum ex recenti victoria superbiam et audaciam, quodque jam tempus advenisset quo promissio regni facta a Deo Davidi implenda foret. Nullus enim erat alius, qui rebus Israelis tam adeo prolapsis et afflictis succurrere, easque restaurare posset, nisi David : quare hi principes suaserunt populo non tantum suæ tribus, sed et aliarum, ut Davidem crearent regem. Erant ergo hi eruditi in scientia, sive intelligentia temporum, id est occasionum, ut habent Hebræi, quæ est scientia practica ad vitam humanam utilissima, adeoque in ea consistit vera et perfecta prudentia, tum ethica, tum œconomica, tum politica, uti docet Salomon, *Eccles.* III, 2 et seq. : « Omnia tempus habent : Tempus, inquit, nascendi, et tempus moriendi. Tempus occidendi, et tempus sanandi. Tempus flendi, et tempus ridendi. Tempus custodiendi, et tempus abjiciendi. Tempus belli, et tempus pacis, » etc. Et cap. VIII, vers. 6 : « Omni negotio tempus est, et opportunitas. » *Secundo*, « scientia temporum » hic accipi potest physica et astrologica. Erant enim Issachariani agricolæ, ideoque observabant temporum mutationes, aerisque et ventorum commoditates, ut scirent quando foret tempus seminandi, quando metendi, quando plantandi, quando navigandi. Hæc enim scientia agricolis est necessaria, teste Virgilio in *Georgic.* Hanc autem scientiam temporum partim continua observatione et usu, scilicet, ex prognosticis ventorum, siderum, etc., continue observatis didicerant Issachariani, ait Abulensis et Sanchez : partim ex vicinis Phœnicibus, puta Tyriis et Sidoniis (ad quos filii suas segetes, vinum et oleum deferebant, ut illi per mare eas ad vicinas insulas deveherent et divenderent) hauserant. Phœnices enim, quia accolæ maris, vacabant navigationi et mercimoniis, ideoque observabant astrorum et temporum vicissitudines, ut scirent quando, quorsum et ubi foret navigandum. Unde Plinius, lib. VIII, cap. LVI, Phœnicibus quasi proprium invantum tribuit siderum observationem in navigando, et Aratus in *Phænom.*

Phœnices, inquit, Cynosura regi valentibus æquor.

Et ex eo Cicero, lib. II *Academ.* : « Ego, inquit, et magnus quidem sum opinator, et meas cogitationes sic dirigo, non ad illam parvulam Cynosuram, qua fidunt duce nocturna Phœnices in altum, ut ait Aratus, eoque directus gubernant, quod eam tenent,

Quæ cursu interiore brevi convertitur orbe.

Sed ad Helicen et clarissimos Septentriones, id est rationes has latiore specie, non ad tenue climatas ; eo fit ut errem, et vager latius. » Hinc Tibullus :

Prima ratem ventis tradere docta Tyros

Tertio, S. Hieronymus per « scientiam temporum, » accipit scientiam computus Paschalis, v. g. quando celebrandum sit Pascha, Pentecoste, cæteraque festa, quid quilibet festo faciendum et offerendum sit. Erant enim Issachariani, in quibus suæ agriculturæ vitæ, studio sapientiæ et religionis dediti. Unde Moyses, *Deuteron.* XXXIII, 18, hanc eis benedictionem imprecit : « Et Issachar in tabernaculis suis, » scilicet quiete agriculturæ et mercaturæ vacabit. « Populos vocabunt ad montem, » puta ad templum in monte Sion, ut in eo Deum pie colat. « Erant enim, ipsi ait S. Hieronymus, doctores, computatores et magistri, sive ad festivitates, sive ad cæteri. » Refutat hoc Abulensis quod agricolæ non soleant vacare studiis, seu immerito : nam contrarium sæpe fieri videmus, et olim ita fiebat. Certe agricolæ multi filios habent doctos et doctores, ego quoque filius agricolæ sum.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David arcam e Cariathiarim reducens, coram ea psallit et salit. Oza arcam tangens occiditur. Arca divertens in domum Obededom, eam benedicit.

1. Iniit autem consilium David cum tribunis, et centurionibus, et universis principibus, 2. et ait ad omnem cœtum Israel : Si placet vobis, et a Domino Deo nostro egreditur sermo quem loquor, mittamus ad fratres nostros reliquos in universas regiones Israel, et ad sacerdotes, et Levitas, qui habitant in suburbanis urbium, ut congregentur ad nos, 3. et reducamus arcam Dei nostri ad nos : non enim requisivimus eam in diebus Saul. 4. Et respondit universa multitudo ut ita fieret : placuerat enim sermo omni populo. 5. Congregavit ergo David cunctum Israel, a Sihor Ægypti, usque dum ingrediaris Emath, ut adduceret arcam Dei de Cariathiarim. 6. Et ascendit David, et omnis vir Israel, ad collem Cariathiarim, qui est in Juda, ut afferret inde arcam Domini Dei sedentis super cherubim, ubi invocatum est nomen ejus. 7. Imposueruntque arcam Dei super plaustrum novum, de domo Abinadab : Oza autem, et frater ejus, minabant plaustrum. 8. Porro David, et universus Israel, ludebant coram Deo omni virtute in canticis, et in citharis, et psalteriis, et tympanis, et cymbalis, et tubis. 9. Cum autem pervenissent ad Aream Chidon, tetendit Oza manum suam ut sustentaret arcam : bos quippe lasciviens paululum inclinaverat eam. 10. Iratus est itaque Dominus contra Ozam, et percussit eum, eo quod tetigisset arcam : et mortuus est ibi coram Domino. 11. Contristatusque est David, eo quod divisisset Dominus Ozam : vocavitque locum illum : Divisio Ozæ, usque in præsentem diem. 12. Et timuit Deum tunc temporis, dicens : Quomodo possum ad me introducere arcam Dei? 13. Et ob hanc causam non adduxit eam ad se, hoc est, in Civitatem David ; sed avertit in domum Obededom Gethæi. 14. Mansit ergo arca Dei in domo Obededom tribus mensibus : et benedixit Dominus domui ejus, et omnibus quæ habebat.

5. A SIHOR ÆGYPTI. — Sihor Hebraice שיחור *Sichor*, id est *niger*, vocatur Nilus, quod aqua ejus, quia limosa et turbida, videatur esse nigra. Unde a Græcis vocatur μέλας, id est *niger*; verum, quia Nilus longe abest a Judæa, melius per *Sihor* accipies rivum juxta Rhinocoluram, qui est terminus a parte Judææ, et alibi « torrens Ægypti » vocatur, de quo dixi *Num.* cap. XXXIV, vers. 5.

7. OZA AUTEM ET FRATER EJUS. — II *Reg.* VI, 3. habetur : « Oza et Ahio, » sed Ahio Hebraice idem est quod *frater ejus*, verequæ hic Ahio erat frater Ozæ : uterque enim erat filius Abinadab, ut ibi dicitur. Cumos — alio nomine vocabatur Nachon, ut patet II *Reg.* VI, 6.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hiram mittit ad Davidem ligna et artifices, qui ei domum ædificent. David multiplicat uxores et filios, ac, vers. 9, cædit Philistæos in valle Raphaim, et iterum, vers. 14, cum Deus veniret ei in auxilium ex adverso pyrorum.

1. Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David, et ligna cedrina et artifices, parietum lignorumque, ut ædificarent ei domum. 2. Cognovitque David quod confirmasset eum Dominus in regem super Israel, et sublevatum esset regnum suum super populum ejus Israel. 3. Accepit quoque David alias uxores in Jerusalem : genuitque filios, et filias. 4. Et hæc nomina eorum, qui nati sunt ei in Jerusalem : Samua, et Sobad, Nathan, et Salomon, 5. Jebahar, et Elisua, et Eliphalet. 6. Noga quoque, et Naphegh, et Japhia. 7. Elisama, et Baaliada, et Eliphalet. 8. Audientes autem Philistiim eo quod unctus esset David in regem super universum Israel, ascenderunt omnes ut quærerent eum : quod cum audisset David, egressus est obviam eis. 9. Porro Philistiim venientes diffusi sunt in valle Raphaim. 10. Consuluitque David Dominum, dicens : Si ascendam ad Philistæos, et si trades eos in manu mea? Et dixit ei Dominus : Ascende, et tradam eos in manu tua. 11. Cumque illi ascendissent in Baalpharasim, percussit eos ibi David, et dixit : Divisit Deus inimicos meos per manum meam, sicut dividuntur aquæ ; et idcirco vocatum est nomen illius loci Baalpharasim. 12. Dereliquerunt-que ibi deos suos, quos David jussit exuri. 13. Alia etiam vice Philistiim irruerunt, et diffusi sunt in valle. 14. Consuluitque rursum David Deum, et dixit ei Deus : Non ascendas post eos, recede ab eis, et venies contra illos ex adverso pyrorum. 15. Cumque audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc egredieris ad bellum. Egressus est enim Deus ante te, ut percutiat castra Philistiim. 16. Fecit ergo David sicut præceperat ei Deus, et percussit castra Philistinorum, de Gabaon usque Gazera. 17. Divulgatumque est nomen David in universis regionibus, et Dominus dedit pavorem ejus super omnes gentes.

Hoc caput explicui II *Reg.* V.

2. COGNOVITQUE DAVID, QUOD CONFIRMASSET EUM DOMINUS IN REGEM ISRAEL, — ex eo quod videret omnes Israelitas ultro et communi consensu eum in regem acceptasse, seque illi subjecisse, ac suam opem et operam ei liberaliter obtulisse ; Hiram quoque et vicinos reges, se ut regem Israel honorare, amare et timere.

14. VENIESQUE CONTRA EOS (non directe, sed castra eorum circumeundo, a tergo scilicet) EX ADVERSO PYRORUM. — Cur hoc? Respondent Hebræi apud S. Hieronymum, Angelomus et Historia Scholastica, eo quod ibi Philistæi collocassent sua idola, idque putarent eum locum esse futissimum et munitissimum ; Deus ergo, ut ostenderet idola nihil esse et nihil posse, jubet Davidem ex ea parte quasi infirmissima, et expugnatu facillima, castra hostium invadere, promittens ei certam tam de idolis, quam de idololatris victoriam.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David arcam cum pompa deducit in Sion, ac coram ea saltando exsultat. Idcirco despicit eum uxor Michol, sed a Deo sterilitate castigatur.

1. Fecit quoque sibi domos in Civitate David ; et ædificavit locum arcæ Dei, tetenditque ei tabernaculum. 2. Tunc dixit David : Illicitum est ut a quocumque portetur arca Dei nisi a Levitis, quos elegit Dominus ad portandum eam, et ad ministrandum sibi usque in æternum. 3. Congregavitque universum Israel in Jerusalem, ut afferretur arca Dei in locum suum, quem præparaverat ei ; 4. necnon et filios Aaron, et Levitas. 5. De filiis Caath, Uriel princeps fuit, et fratres ejus centum viginti. 6. De filiis Merari, Asaia princeps ; et fratres ejus ducenti viginti. 7. De filiis Gersom, Joel princeps ; et fratres ejus centum triginta. 8. De filiis Elisaphan, Semeias princeps ; et fratres ejus ducenti. 9. De filiis Hebron, Eliel princeps ; et fratres ejus octoginta. 10. De filiis Oziel, Aminadab princeps ; et fratres ejus centum duodecim. 11. Vocavitque David Sadoc et Abiathar sacerdotes, et Levitas, Uriel, Asaiam, Joel, Semeiam, Eliel, et Aminadab ; 12. et dixit ad eos : Vos qui estis principes familiarum Leviticarum, sanctificamini cum fratribus vestris ; et afferte arcam Domini Dei Israel ad locum qui ei

præparatus est : 13. ne ut a principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus, sic et nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus. 14. Sanctificati sunt ergo Sacerdotes, et Levitæ, ut portarent arcam Domini Dei Israel. 15. Et tulerunt filii Levi arcam Dei, sicut præceperat Moyses juxta verbum Domini, humeris suis, in vectibus. 16. Dixitque David principibus Levitarum, ut constituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum, nablis videlicet, et lyris, et cymbalis, ut resonaret in excelsis sonitus lætitiæ. 17. Constituerunt*que* Levitas : Heman filium Joel, et de fratribus ejus, Asaph filium Barachiæ ; de filiis vero Merari, fratribus eorum, Ethan filium Casaiæ. 18. Et cum eis fratres eorum : in secundo ordine, Zachariam, et Ben, et Jaziel, et Semiramoth, et Jahiel, et Ani, Eliab, et Banaiam, et Maasiam, et Mathathiam, et Eliphalu et Maceniam, et Obededom, et Jehiel, janitores. 19. Porro cantores, Heman, Asaph, et Ethan, in cymbalis æneis concrepantes. 20. Zacharias autem, et Oziel, et Semiramoth, et Jahiel, et Ani, et Eliab, et Maasias, et Banaias, in nablis arcana cantabant. 21. Porro Mathathias, et Eliphalu, et Macenias, et Obededom, et Jehiel, et Ozaziu, in citharis pro octava canebant epinicion. 22. Chonenias autem princeps Levitarum prophetiæ præerat, ad præcinendam melodiam; erat quippe valde sapiens. 23. Et Barachias, et Elcana, janitores arcæ. 24. Porro Sebenias, et Josaphat, et Nathanael, et Amasai, et Zacharias, et Banaias, et Eliezer, sacerdotes, clangebant tubis coram arca Dei : et Obededom, et Jehias, erant janitores arcæ. 25. Igitur David, et omnes majores natu Israel, et tribuni, ierunt ad deportandam arcam fœderis Domini de domo Obededom, cum lætitia. 26. Cumque adjuvisset Deus Levitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri, et septem arietes. 27. Porro David erat indutus stola byssina, et universi Levitæ qui portabant arcam, cantores*que*, et Chonenias princeps prophetiæ inter cantores : David autem etiam indutus erat ephod lineo. 28. Universus*que* Israel deducebant arcam fœderis Domini in jubilo, et sonitu buccinæ, et tubis, et cymbalis, et nablis, et citharis concrepantes. 29. Cum*que* pervenisset arca fœderis Domini usque ad Civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram vidit regem David saltantem atque ludentem, et despexit eum in corde suo.

13. QUIA NON ERATIS PRÆSENTES. — Hinc colligunt nonnulli Ozam percussum a Deo, quod ipse, cum non esset sacerdos, tetigerit arcam. Sacerdotum enim erat eam tangere et humeris portare. Vide dicta II Reg. VI. Alii, ex « *sanctificamini*, colligunt Ozam percussum eo quod maculam aliquam contraxisset, nec ab ea se unde arcæ contactum expiasset et sanctificasset. Verum « *sanctificamini*, ad sacerdotes pertinet, qui arcam tangere coopperant, quos prius ab omni immunditie legali se purgasse et sanctificasse, alioqui percutiendi a Deo perinde ac Oza, et tantum hoc vult hic David.

20. IN NABLIS ARCANA CANTABANT, — puta psalmos, qui Hebraice inscribuntur *Olamoth*, id est arcana et occulta, qualis est *Psalm.* IX et XLV. Qui duo psalmi ita huic loco sunt opposiți, ut de hac arcæ translatione videantur esse a Davide compositi. Porro Nablum erat instrumentum musicum, quod ventriculo, quasi utriculo (נבל *nebel* enim est *uter*) excipiebat aerem, et eumdem per fistulam cum harmonia emittebat, sine inflatu cujusquam. Unde eo utens vocabatur Utricularius et Ascaules; ἀσκὸς enim est uter.

21. IN CITHARIS PRO OCTAVA CANEBANT EPINICION, *q. d* Canebant psalmos qui inscribuntur Hebraice על השמינית *al seminith*, id est super *octava* vel *pro octava*, sive quod octo vocibus, sive quod octachordo, v. g. cithara octo chordis instructa (aliæ enim erant trichordæ, aliæ heptachordæ, aliæ decachordæ) canendi forent, *semina* enim sunt octo; vide dicta II *Reg.* VI, 13.

Pro « epinicion, » Hebraice est אלמות *netsach*, quod Vatablus vertit, *ad præcinendum*, id est ad elevandum vocem, ita ut vincantur alii cantores, qualis nunc est in Alto sive Superiore; canens enim Altum elevatione vocis superat Tenorem, Contratenorem et Bassum. Melius Noster vertit : « Epinicion, » id est *carmen triumphale, sive pro victoria*. Vide dicta II *Reg.* VI, 13.

22. CHONENIAS AUTEM, PRINCEPS LEVITARUM, PROPHETIÆ PRÆERAT AD PRÆCINENDAM MELODIAM. — Pro « prophetiæ » Hebraice est משא *massa*, id *est elevatio, assumptio*, indeque *onus elevatum*, et in humeros assumptum, indeque *prophetia tristis et onerosa* per metaphoram; unde *primo*, aliqui hic vertunt : *Chonenias præerat oneri et oneratis;* eo quod ipsi incumberet munus erudiendi arcæ bajulos, qua ratione progredi deberent, interquiescere, vices mutare, etc.

Secundo, alii vertunt, « Præerat prophetiæ, » id est præscribebat cantoribus prophetias quas canerent. Cantores enim subinde vocantur Prophetæ, et prophetare idem est quod canere, et laudare Deum. Sic Saul « prophetabat, » id est canebat Dei laudes, I *Reg.* X, 5.

Tertio, Hebræi apud S. Hieronymum in *Traditi.* « præerat prophetiæ, » hoc est, inquiunt, prophetis melodias et תשבחות cantoribus ad memoriam revocabat.

Quarto, optime Septuaginta vertunt : *Erat princeps in elevatione;* Vatablus, *in exultatione vocis*, *q. d.* Chonenias erat *præcentor*, et altiore voce intonabat, præibatque melodiam psalmi cantandi, quam inde cæteri cantores prosequebantur, ut faciunt Cantores et Præfecti musices in choro. Id ita esse patet ex eo quod Noster explicans, subdit : « ad præcinendam melodiam, » ubi Hebraice est idem nomen משא *massa* quod paulo ante Noster vertit : « prophetiæ, » hæc ergo non aliud erat quam melodia (1).

ERAT QUIPPE VALDE SAPIENS. — Hebraice מבין *mebin*, id est *intelligens*, hoc est musices, et canendi

(1) Reddi potest Hebræus : *Et Chonenias princeps Levitarum, præerat elevationi et corrigebat elevationem.* Porro præsse elevationi verum est dirigere modos musices, et discrasias voces reducere in ordinem; diei etiam potest quod præerat Chonenias in cantu illo superiore dicto gallice *contre-alto*.

peritissimus. Tales enim decet esse præcentores.

26. CUMQUE ADJUVISSET DEUS LEVITAS, — ut nullum in portanda arca sentirent onus, aiunt Rabbini. Verum hoc est fabula. Audi Lyranum ex Hebræis apte ad rem præsentem : « Dicunt, inquit, Hebræi quod istud adjutorium intelligitur per hoc, quod arca portabat seipsam hoc est, quod divina virtute sic portabatur, quod Levitæ portatores nullum pondus sentiebant; et pro illo miraculo facta fuit immolatio. » Verum dico : Deus adjuvit eos animando, vires et præsertim amorem suggerendo, ut libenter hajularent arcam, ideoque onus vix sentirent. Quare illud miraculum non tam fuit potestatis, quam charitatis. Hæc enim efficiebat ut illud onus, alioqui grave dum, amantibus levissimum videretur. Adhibi Josephus illos qui cantando, et saltando, et pulsando musica instrumenta præibant arcam, quamvis totam diem in eo labore extraherent, nullam tamen ex suo labore defatigationem sensisse. Amor enim quo illi divino oraculo famulabantur, non sinebat ut minuerentur vires, sed potius ut in singulas horas vegetiores redderentur.

27. PORRO DAVID ERAT INDUTUS STOLA BYSSINA, — scilicet ephod lineo, quod alibi byssinum vocatur; byssus enim est linum subtilius et delicatius.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David, collocata arca in tabernaculo Sionis, victimas offert; inde populo benedixit, atque epulum largitur. Mox Levitis sua circa arcam ministeria distribuit, a versu 8, cantico Deum laudat.

1. Attulerunt*que* igitur arcam Dei, et constituerunt eam in medio tabernaculi quod tetenderat ei David : et obtulerunt holocausta et pacifica coram Deo. 2. Cum*que* complesset David offerens holocausta et pacifica, benedixit populo in nomine Domini. 3. Et divisit universis per singulos, a viro usque ad mulierem, tortam panis, et partem assæ carnis bubalæ, et frixam oleo similam. 4. Constituitque coram arca Domini de Levitis qui ministrarent, et glorificarent atque laudarent Dominum Deum Israel : 5. Asaph principem, et secundum ejus Zachariam; porro Jahiel, et Semiramoth, et Jehiel, et Mathathiam, et Eliab, et Banaiam; et Obededom : Jehiel super organa psalterii et lyras : Asaph autem ut cymbalis personaret : 6. Banniam vero et Jaziel sacerdotes, canere tuba jugiter coram arca fœderis Domini. 7. In illo die fecit David principem ad confitendum Domino Asaph, et fratres ejus.

8. Confitemini Domino, et invocate nomen ejus : notas facite in populis adinventiones ejus.

9. Cantate ei, et psallite ei : et narrate omnia mirabilia ejus.

10. Laudate nomen sanctum ejus : lætetur cor quærentium Dominum.

11. Quærite Dominum, et virtutem ejus : quærite faciem ejus semper.

12. Recordamini mirabilium ejus, quæ fecit : signorum illius, et judiciorum oris ejus.

13. Semen Israel servi ejus : filii Jacob electi ejus.
14. Ipse Dominus Deus noster : in universa terra judicia ejus.
15. Recordamini in sempiternum pacti ejus, sermonis quem præcepit in mille generationes,
16. Quem pepigit cum Abraham, et juramenti illius cum Isaac.
17. Et constituit illud Jacob in præceptum : et Israel in pactum sempiternum.
18. Dicens : Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ.
19. Cum essent pauci numero, parvi et coloni ejus.
20. Et transierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum.
21. Non dimisit quemquam calumniari eos, sed increpavit pro eis reges.
22. Nolite tangere christos meos : et in prophetis meis nolite malignari.
23. Cantate Domino, omnis terra : annuntiate ex die in diem salutare ejus.
24. Narrate in gentibus gloriam ejus, in cunctis populis mirabilia ejus.
25. Quia magnus Dominus, et laudabilis nimis : et horribilis super omnes deos.
26. Omnes enim dii populorum, idola : Dominus autem cœlos fecit.
27. Confessio et magnificentia coram eo : fortitudo et gaudium in loco ejus.
28. Afferte Domino, familiæ populorum, afferte Domino gloriam et imperium.
29. Date Domino gloriam nomini ejus, levate sacrificium, et venite in conspectu ejus : et adorate Dominum in decore sancto.
30. Commoveatur a facie ejus omnis terra : ipse enim fundavit orbem immobilem.
31. Lætentur cœli, et exsultet terra, et dicant in nationibus : Dominus regnavit.
32. Tonet mare, et plenitudo ejus : exsultent agri, et omnia quæ in eis sunt.
33. Tunc laudabunt ligna saltus coram Domino : quia venit judicare terram.
34. Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in æternum misericordia ejus.
35. Et dicite : Salva nos, Deus salvator noster : et congrega nos, et erue de gentibus, ut confiteamur nomini sancto tuo, et exultemus in carminibus tuis.
36. Benedictus Dominus Deus Israel ab æterno usque in æternum ; et dicat omnis populus: Amen, et hymnum Domino.
37. Reliquit itaque ibi coram arca fœderis Domini, Asaph et fratres ejus, ut ministrarent in conspectu arcæ jugiter, per singulos dies, et vices suas. 38. Porro Obededom, et fratres ejus sexaginta octo : et Obededom filium Idithun, et Hosa, constituit janitores ; 39. Sadoc autem sacerdotem, et fratres ejus sacerdotes, coram tabernaculo Domini in excelso, quod erat in Gabaon, 40. ut offerrent holocausta Domino super altare holocautomatis jugiter, mane et vespere, juxta omnia quæ scripta sunt in lege Domini, quam præcepit Israeli. 41. Et post eum Heman, et Idithun, et reliquos electos, unumquemque vocabulo suo ad confitendum Domino : quoniam in æternum misericordia ejus. 42. Heman quoque et Idithun canentes tuba, et quatientes cymbala, et omnia musicorum organa, ad canendum Deo ; filios autem Idithun fecit esse portarios. 43. Reversusque est omnis populus in domum suam ; et David, ut benediceret etiam domui suæ.

8. Confitemini Domino. — David jussit Asaph et socios canere hunc hymnum Deo in gratiarum actionem, quod arcam (et in ea Deum residentem) transtulisset in suam arcem Sion, ut Deum in ea quasi semper præsentem, protegentem, dirigentem et roborantem, penes se haberet. Porro hic hymnus conflatus est ex Psalmo CIV usque ad versum 23, ubi deinceps conflatur ex Psalmo XCV. Porro paulo aliter hic recenseatur, quam illis psalmis contineatur, quia David videtur eum primo hic rudi forma dictasse, deinde eum in Psalterio magis expolivisse et elimasse. Psalmus est, et ad Psalterium pertinet ; quare ibidem, quasi loco sibi proprio eum explicabo. Interim paucis hic annotabo ea, in quibus a psalmis citatis differt.

11. Quærite Dominum et virtutem ejus. — Legit Interpres עֻזּוֹ azzo, id est *virtutem* sive *fortitudinem ejus*, id est arcam in qua Deus suam potentiam ostendit, per eam debellando Jericho et Chananæos. Invitat enim David omnes, ut ad arcam veniant, et coram ea Deum adorent. Septuaginta vero, aliis punctis legentes עֻזָּה azza in imperativo *Cal*, vertunt *Psalm.* CIV, 5 : *Confirmamini*, id est *confirmabimini*. Deus enim vos confirmabit et roborabit, ut nullius hostis, nulla adversitas, nulla tentatio vobis prævalere valeat.

21. Non dimisit quemquam calumniari eos. — Vatablus, *vim facere eis* ; Hebraice enim עָשַׁק azar, *et calumniari* et *vim facere* significat. Unde Septuaginta, Psalm. CIV, 15, vertunt : *Non reliquit hominem nocere eis.*

27. Confessio (Septuaginta *laus*) et magnificentia coram eo : fortitudo et gaudium in loco ejus. — Vatablus : *Celebritas et magnificentia est coram ipso, potentia et hilaritas in loco ejus.* At *Psalm.* XCV, VERS. 6, Septuaginta vertunt : *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus ; sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.* Hebraice, *in sanctuario ejus*, puta in arca, et tabernaculo arcæ a David erecto.

28. Afferte Domino gloriam et imperium. — Hebræus, *et fortitudinem.* Sensus horum duorum versuum est, q. d. Exhibete Deo in tabernaculo hoc coram arca confessionem, id est laudem et magnificentiam, id est magnificam magnificorum ejus operum prædicationem ; quæ Deum magnificat, id est magnum, imo maximum esse demonstrat ; item fortitudinem et gaudium, ut scilicet celebretis fortia ejus facta, quibus pro Israele pugnavit ; itaque nobis gaudendi et triumphandi materiam dedit.

29. Adorate Dominum in decore sancto. — Hebræus, *in decore sanctitatis*, id est sancto arcæ. Vatablus, *in splendido et magnifico sanctuario* ; at *Psal.* XCV, 9 : « Adorate, inquit, Dominum in atrio sancto ejus. »

32. Tonet mare et plenitudo ejus. — Vatablus : *Reboet mare, et quidquid in eo est*, puta omnes pisces, gemmæ, margaritæ, etc. ; fluctus enim maris in tempestate inter se collisi boatum et quasi tonitruum edunt. At *Psal.* XCV, 12, habetur : « Commoveatur (contremiscat coram Dei majestate et omnipotentia) mare et plenitudo ejus. » Rursum, tonat mare cum vapores in altum emittit, qui in nubibus conclusi et collisi, dum vi erumpunt, tonitrua et fulmina concitant. Tonet ergo mare, ut Dei Creatoris sui potentiam ostendat, impiosque ejus metu percellat.

39. Sadoc autem Sacerdotem (Pontificem) et fratres ejus Sacerdotes (minores) coram tabernaculo Domini quod erat in Gabaon. — Sadoc functus erat pontificatu coram Saule, postquam ille occidisset Achimelech Pontificem. Tunc enim filius Achimelech, scilicet Abiathar fugit ad Davidem. Quare Pontifex apud Saulem erat Sadoc ; apud Davidem vero Abiathar. Mortuo vero Saule, David noluit abrogare pontificatum Sadoc, sed ita inter eos divisit ut Abiathar pontificatu fungeretur in Jerusalem ubi erat arca ; Sadoc vero in Gabaon, ubi erat tabernaculum a Moyse fabricatum.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David, volens ædificare templum, audit a Nathan fabricam hanc Salomoni ejus filio a Deo reservari, ac sibi idcirco longam in regio posteritatem promitti. Quare amplos Deo agit gratias.

1. Cum autem habitaret David in domo sua, dixit ad Nathan prophetam : Ecce ego habito in domo cedrina ; arca autem fœderis Domini sub pellibus est. 2. Et ait Nathan ad David : Omnia, quæ in corde tuo sunt, fac ; Deus enim tecum est. 3. Igitur nocte illa factus est sermo Dei ad Nathan, dicens : 4. Vade, et loquere David servo meo : Hæc dicit Dominus : Non ædificabis tu mihi domum ad habitandum. 5. Neque enim mansi in domo ex eo tempore quo eduxi Israel, usque ad diem hanc ; sed fui semper mutans loca tabernaculi, et in tentorio 6. manens cum omni Israel. Numquid locutus sum saltem uni judicum Israel, quibus præceperam ut pascerent populum meum, et dixi : Quare non ædificastis mihi domum cedrinam ? 7. Nunc itaque sic loqueris ad servum meum David : Hæc dicit Dominus exercituum : Ego tuli te, cum in pascuis sequereris gregem, ut esses dux populi mei Israel. 8. Et fui tecum quocumque perrexisti ; et interfeci omnes inimicos tuos coram te, fecique tibi nomen quasi unius magnorum, qui celebrantur in terra. 9. Et dedi locum populo meo Israel : plantabitur, et habitabit in eo, et ultra non commovebitur : nec filii iniquitatis atterent eos, sicut a

principio, 10. ex diebus quibus dedi judices populo meo Israel, et humiliavi universos inimicos tuos. Annuntio ergo tibi quod ædificaturus sit tibi Dominus domum. 11. Cumque impleveris dies tuos ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis: et stabiliam regnum ejus. 12. Ipse ædificabit mihi domum; et firmabo solium ejus usque in æternum. 13. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium : et misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo qui ante te fuit. 14. Et statuam eum in domo mea, et in regno meo, usque in sempiternum : et thronus ejus erit firmissimus in perpetuum. 15. juxta omnia verba hæc, et juxta universam visionem istam, sic locutus est Nathan ad David. 16. Cumque venisset rex David, et sedisset coram Domino, dixit : Quis ego sum, Domine Deus, et quæ domus mea, ut præstares mihi talia? 17. Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo, ideoque locutus es super domum servi tui etiam in futurum : et fecisti me spectabilem super omnes homines, Domine Deus. 18. Quid ultra addere potest David, cum ita glorificaveris servum tuum, et cognoveris eum? 19. Domine, propter famulum tuum juxta cor tuum fecisti omnem magnificentiam hanc, et nota esse voluisti universa magnalia. 20. Domine, non est similis tui, et non est alius Deus absque te, ex omnibus quos audivimus auribus nostris. 21. Quis enim est alius, ut populus tuus Israel, gens una in terra, ad quam perrexit Deus, ut liberaret, et faceret populum sibi, et magnitudine sua atque terroribus ejiceret nationes a facie ejus, quem de Ægypto liberarat? 22. Et posuisti populum tuum Israel tibi in populum usque in æternum, et tu, Domine, factus es Deus ejus. 23. Nunc igitur, Domine, sermo quem locutus es famulo tuo, et super domum ejus, confirmetur in perpetuum, et fac sicut locutus es. 24. Permanebitque et magnificetur nomen tuum usque in sempiternum, et dicatur : Dominus exercituum Deus Israel, et domus David servi ejus permanens coram eo. 25. Tu enim, Domine Deus meus, revelasti auriculam servi tui, ut ædificares ei domum : et idcirco invenit servus tuus fiduciam, ut oret coram te. 26. Nunc ergo, Domine, tu es Deus : et locutus es ad servum tuum tanta beneficia. 27. Et cœpisti benedicere domui servi tui, ut sit semper coram te : te enim, Domine, benedicente, benedicta erit in perpetuum.

Hoc caput explicui II *Reg.* VII.

9. Et dabo locum populo meo Israel, (in Chananæa, expulsis prioribus ejus incolis, scilicet impiis Chananæis, in qua) plantabitur, — id est firmiter habitabit instar plantæ et arboris solide in terra sua radicatæ, ut ab ea non divellatur, nec in servitutem redigatur a Madianitis, Ammonitis, Moabitis, Syris, Philistæis, uti redactus fuit sæpe tempore Judicum, ut sequitur; intellige et subaudi conditionem solitam, si videlicet Israel me ut Deum suum colat, nec ad idola vitaque deflectat; unde quia post Davidem ab ea deflexit, hinc merito a Deo tandem traditus fuit in prædam Gentibus, præsertim Assyriis et Babyloniis.

25. Revelasti auriculam servi tui, — id est benevole et secreto mihi, utpote amico tuo, revelasti, et quasi in aurem dixisti magnifica bona quæ mihi promisisti, quæque hic subtexo.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur Davidis bella et victoriæ de Philistæis, Moabitis, Syris, Idumæis, Ammonitis et Amalectis, ac, vers. 15, officiales ejusdem.

1. Factum est autem post hæc ut percuteret David Philistiim, et humiliaret eos, et tolleret Geth, et filias ejus, de manu Philistiim, 2. percuteretque Moab, et fierent Moabitæ servi David, offerentes ei munera. 3. Eo tempore percussit David etiam Adarezer regem Soba regionis Hemath, quando perrexit ut dilataret imperium suum usque ac fluvium Euphraten.

4. Cepit ergo David mille quadrigas ejus, et septem millia equitum, ac vigiati millia virorum peditum, subnervavitque omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis quas reservavit sibi. 5. Supervenit autem et Syrus Damascenus, ut auxilium præberet Adarezer regi Soba; sed et hujus percussit David viginti duo millia virorum. 6. Et posuit milites in Damasco, ut Syria quoque serviret sibi, et offerret munera. Adjuvitque eum Dominus in cunctis ad quæ perrexerat. 7. Tulit quoque David pharetras aureas, quas habuerant servi Adarezer, et attulit eas in Jerusalem. 8. Necnon de Thebath et Chun, urbibus Adarezer, æris plurimum, de quo fecit Salomon mare æneum, et columnas, et vasa ænea. 9. Quod cum audisset Thou rex Hemath, percussisse videlicet David omnem exercitum Adarezer regis Soba, 10. misit Adoram filium suum ad regem David, ut postularet ab eo pacem et congratularetur ei, quod percussisset et expugnasset Adarezer : adversarius quippe erat Thou Adarezer. 11. Sed et omnia vasa aurea, et argentea, et ænea, consecravit David rex Domino, cum argento et auro quod tulerat ex universis gentibus, tam de Idumea, et Moab, et filiis Ammon, quam de Philistiim et Amalech. 12. Abisai vero filius Sarviæ percussit Edom in valle Salinarum, decem et octo millia : 13. et constituit in Edom præsidium, ut serviret Idumæa David; salvavitque Dominus David in cunctis, ad quæ perrexerat. 14. Regnavit ergo David super universum Israel, et faciebat judicium atque justitiam cuncto populo suo. 15. Porro Joab filius Sarviæ erat super exercitum, et Josaphat filius Ahilud a commentariis 16. Sadoc autem filius Achitob, et Achimelech filius Abiathar, sacerdotes : et Susa, scriba. 17. Banaias quoque filius Joiadæ super legiones Cerethi, et Phelethi : porro filii David, primi ad manum regis.

Hoc caput idem est cum capite VIII, lib. II *Reg.*, ubi illud exposui.

12. In valle Salinarum, — ubi erant salinæ in quibus conficiebatur sal. Audi Adrichomium *in descript. tribus Judæ*, num. 211 : « Vallis Salinarum seu salis, hebraice Gemela, alias Mela dicta; in qua David percussit octodecim millia Idumæorum, et rediens erexit sibi fornicem triumphalem. Ibidem et Joab duodecim millia delevit; et Amasias decem vel viginti Idumæorum millia, atque alia decem millia præcipitavit de rupe et petra Jectael. » Vide II *Reg.* VIII; *Psal.* LVIII, LIX; I *Paral.* XVIII; 2 *Paral.* XXV; IV *Reg.* XIV; Hieronymus *in Genes.* XIV *in loca Hebræa*; in II *Reg.* VIII, et I *Paral.* XVIII. Fuit ergo hæc vallis Idumæis exitialis et, ut ita dicam, fatalis.

16. Achimelech filius Abiathar — hebraice est *Abimelech*; Septuaginta, *Achimelech*. Affines enim et viciniæ sunt Hebraicæ litteræ ב et כ. Porro *Abimelech* hic est genitivi casus : nam Abiathar filius Ahimelech erat sacerdos, id est Pontifex Davidis una cum Sadoc; nisi malis hunc Ahimelech fuisse filium Abiatharis, qui pro parente sene vel aliis occupato, subinde cum Sadoc pontificatu functus sit, uti fecere filii Heli et Samuelis, I *Reg.* II, 12, et cap. VIII, 1. Idque ita factum esse satis colligitur ex capite XXII, 6.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hanon rex Ammon, legatos Davidis deturpans, illudit : quare David bello eum invadit, ac cum Syris et auxiliantibus prosternit.

1. Accidit autem ut moreretur Naas rex filiorum Ammon, et regnaret filius ejus pro eo. 2. Dixitque David : Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas; præstitit enim mihi pater ejus gratiam. Misitque David nuntios ad consolandum eum super morte patris sui. Qui cum pervenissent in terram filiorum Ammon, ut consolarentur Hanon, 3. dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon : Tu forsitan putas quod David honoris causa in patrem tuum miserit qui consolentur te, nec animadvertis quod, ut explorent, et investigent, et scrutentur ter-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ram tuam, venerint ad te servi ejus. 4. Igitur Hanon pueros David decalvavit, et rasit, et præcidit tunicas eorum a natibus usque ad pedes, et dimisit eos. 5. Qui cum abiissent, et hoc mandassent David, misit in occursum eorum (grandem enim contumeliam sustinuerant) et præcepit ut manerent in Jericho, donec cresceret barba eorum, et tunc reverterentur. 6. Videntes autem filii Ammon, quod injuriam fecissent David, tam Hanon, quam reliquus populus, miserunt mille talenta argenti ut conducerent sibi de Mesopotamia, et de Syria Maacha, et de Soba, currus et equites. 7. Conduxeruntque triginta duo millia curruum, et regem Maacha cum populo ejus. Qui cum venissent, castrametati sunt e regione Medaba. Filii quoque Ammon, congregati de urbibus suis, venerunt ad bellum. 8. Quod cum audisset David, misit Joab et omnem exercitum virorum fortium : 9. egressique filii Ammon, direxerunt aciem juxta portam civitatis; reges autem, qui ad auxilium ejus venerant, separatim in agro steterunt. 10. Igitur Joab, intelligens bellum ex adverso et post tergum contra se fieri, elegit viros fortissimos de universo Israel, et perrexit contra Syrum. 11. Reliquam autem partem populi dedit sub manu Abisai fratris sui, et perrexerunt contra filios Ammon. 12. Dixitque : Si vicerit me Syrus, auxilio eris mihi; si autem superaverint te filii Ammon, ero tibi in præsidium. 13. Confortare et agamus viriliter pro populo nostro, et pro urbibus Dei nostri : Dominus autem quod in conspectu suo bonum est, faciet. 14. Perrexit ergo Joab, et populus qui cum eo erat, contra Syrum ad prælium; et fugavit eos. 15. Porro filii Ammon videntes quod fugisset Syrus, ipsi quoque fugerunt Abisai fratrem ejus, et ingressi sunt civitatem : reversusque est etiam Joab in Jerusalem. 16. Videns autem Syrus quod cecidisset coram Israel, misit nuntios, et adduxit Syrum, qui erat trans fluvium : Sophach autem, princeps militiæ Adarezer, erat dux eorum. 17. Quod cum nuntiatum esset David, congregavit universum Israel, et transivit Jordanem, irruitque in eos, et direxit ex adverso aciem, illis contra pugnantibus. 18. Fugit autem Syrus Israel; et interfecit David de Syris septem millia curruum, et quadraginta millia peditum, et Sophach exercitus principem. 19. Videntes autem servi Adarezer se ab Israel esse superatos, transfugerunt ad David, et servierunt ei : noluitque ultra Syria auxilium præbere filiis Ammon.

4. DECALVAVIT. — Hebraice יגלח *iegallech*, id est *rasit*, scilicet dimidiam capitis comam et barbam, ut dicitur II *Reg.* x, 4.

7. CONDUXERUNTQUE TRIGINTA DUO MILLIA CURRUUM, id est, equitum ex curribus falcatis depugnantium. Est metonymia : ponitur enim continens pro contento, puta currus pro milite curuli. Atque olim sæpe singuli milites potentiores suum habebant currum, sicut equites suum habent equum ex quo depugnant : patet ex vers. 10.

18. INTERFECIT DAVID DE SYRIS SEPTEM MILLIA CURRUUM, — id est militum ex curribus depugnantium, vel certe equorum currus trahentium : nam currus ipsi comburi queunt, ut non interfici.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David Ammonitas tribulis et servis comminuit, mox, vers. 4, tribus prœliis Philistæos superat, et tres gigantes occidit.

1. Factum est autem post anni circulum eo tempore quo solent reges ad bella procedere, congregavit Joab exercitum et robur militiæ, et vastavit terram filiorum Ammon; perrexitque et obsedit Rabba : porro David manebat in Jerusalem, quando Joab percussit Rabba, et dextruxit eam. 2. Tulit autem David coronam Melchom de capite ejus, et invenit in ea auri pondo talentum, et pretiosissimas gemmas, fecitque sibi inde diadema : manubias quoque

urbis plurimas tulit; 3. populum autem, qui erat in ea, eduxit : et fecit super eos tribulas, et trabas, et ferrata carpenta transire, ita ut dissecarentur et contererentur; sic fecit David cunctis urbibus filiorum Ammon, et reversus est cum omni populo suo in Jerusalem. 4. Post hæc initum est bellum in Gazer adversum Philistæos, in quo percussit Sobochai Husathites, Saphai de genere Raphaim, et humiliavit eos. 5. Aliud quoque bellum gestum est adversus Philistæos, in quo percussit Adeodatus filius saltus Bethlehemites fratrem Goliath Gethæi, cujus hastæ lignum erat quasi liciatorium texentium. 6. Sed et aliud bellum accidit in Geth, in quo fuit homo longissimus, senos habens digitos, id est, simul viginti quatuor : qui et ipse de Rapha fuerat stirpe generatus. 7. Hic blasphemavit Israel, et percussit eum Jonathan filius Samaa fratris David. Hi sunt filii Raspha in Geth, qui ceciderunt in manu David et servorum ejus.

2. Hoc caput idem est cum cap. x et xi, lib. II *Reg.* ubi illud explicui.

TULIT AUTEM DAVID CORONAM MELCHOM. — Hebræi Malcham מלכם, id est *regis eorum*, scilicet Ammonitarum. Ita et Septuaginta; nam corona idolorum, qualis erat Melchom, comburenda erat cum ipsis idolis, uti jubetur *Deut.* VII; quare ex ea coronam regalem sibi fabricare nequibat David.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David, numerans populum, Deum ad iram provocat, ac ex tribus pœnis a Deo oblatis pestem eligit : quæ protinus immissa multos è medio tollit; sed tandem David, oratione et sacrificio Deum placando, eam sopit.

1. Consurrexit autem Satan contra Israel, et concitavit David, ut numeraret Israel. 2. Dixitque David ad Joab et ad principes populi : Ite, et numerate Israel a Bersabee usque Dan, et afferte mihi numerum ut sciam. 3. Responditque Joab : Augeat Dominus populum suum centuplum, quam sunt; nonne, domine mi rex, omnes servi tui sunt? quare hoc quærit dominus meus, quod in peccatum reputetur Israeli? 4. Sed sermo regis magis prævaluit, egressusque est Joab, et circuivit universum Israel; et reversus est Jerusalem. 5. Deditque David numerum eorum quos circuierat; et inventus est omnis numerus Israel, mille millia et centum millia virorum educentium gladium; de Juda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum. 6. Nam Levi et Benjamin non numeravit, eo quod Joab invitus exsequeretur regis imperium. 7. Displicuit autem Deo quod jussum erat, et percussit Israel. 8. Dixitque David ad Deum : Peccavi nimis ut hoc facerem; obsecro, aufer iniquitatem servi tui, quia insipienter egi. 9. Et locutus est Dominus ad Gad Videntem Davidis, dicens : 10. Vade, et loquere ad David, et dic ei : Hæc dicit Dominus : Trium tibi optionem do; unum, quod volueris, elige, et faciam tibi. 11. Cumque venisset Gad ad David, dixit ei : Hæc dicit Dominus : Elige quod volueris : 12. aut tribus annis famem, aut tribus mensibus te fugere hostes tuos, et gladium eorum non posse evadere; aut tribus diebus gladium Domini, et pestilentiam versari in terra, et angelum Domini interficere in universis finibus Israel : nunc igitur vide quid respondeam ei, qui misit me. 13. Et dixit David ad Gad : Ex omni parte me angustiæ premunt; sed melius mihi est, ut incidam in manus Domini, quia multæ sunt miserationes ejus, quam in manus hominum. 14. Misit ergo Dominus pestilentiam in Israel, et ceciderunt de Israel septuaginta millia virorum. 15. Misit quoque angelum in Jerusalem, ut percuteret eam; cumque percuteretur, vidit Dominus, et misertus est super magnitudine mali; et imperavit angelo, qui percutiebat : Sufficit, jam cesset manus tua. Porro angelus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Domini stabat juxta aream Ornan Jebusæi. 16. Levansque David oculos suos, vidit angelum Domini stantem inter cælum et terram, et evaginatum gladium in manu ejus, et versum contra Jerusalem; et ceciderunt, tam ipse quam majores natu vestiti ciliciis, proni in terram. 17. Dixitque David ad Deum : Nonne ego sum, qui jussi ut numeraretur populus; ego, qui peccavi; ego qui malum feci : iste grex quid commeruit? Domine Deus meus, vertatur, obsecro, manus tua in me, et in domum patris mei; populus autem tuus non percutiatur. 18. Angelus autem Domini præcepit Gad, ut diceret Davidi ut ascenderet, exstrueretque altare Domino Deo in area Ornan Jebusæi. 19. Ascendit ergo David juxta sermonem Gad, quem locutus ei fuerat ex nomine Domini. 20. Porro Ornan cum suspexisset, et vidisset angelum, quatuorque filii ejus cum eo, absconderunt se; nam eo tempore terebat in area triticum. 21. Igitur cum veniret David ad Ornan, conspexit eum Ornan, et processit ei obviam de area, et adoravit eum pronus in terram. 22. Dixitque ei David : Da mihi locum areæ tuæ, ut ædificem in ea altare Domino; ita ut quantum valet argenti accipias, et cesset plaga a populo. 23. Dixit autem Ornan ad David : Tolle, et faciat dominus meus rex quodcumque ei placet; sed et boves do in holocaustum, et tribulas in ligna, et triticum in sacrificium : omnia libens præbebo. 24. Dixitque ei rex David : Nequaquam ita fiet, sed argentum dabo quantum valet; neque enim tibi auferre debeo, et sic offerre Domino holocausta gratuita. 25. Dedit ergo David Ornan pro loco siclos auri justissimi ponderis sexcentos. 26. Et ædificavit ibi altare Domino; obtulitque holocausta, et pacifica, et invocavit Dominum, et exaudivit eum in igne de cœlo super altare holocausti. 27. Præcepitque Dominus angelo, et convertit gladium suum in vaginam. 28. Protinus ergo David, videns quod exaudisset eum Dominus in area Ornan Jebusæi, immolavit ibi victimas. 29. Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moyses in deserto, et altare holocaustorum, ea tempestate erat in excelso Gabaon. 30. Et non prævaluit David ire ad altare, ut ibi obsecraret Deum; nimio enim fuerat in timore perterritus, videns gladium angeli Domini.

12. AUT TRIBUS ANNIS FAMES. — II *Reg.* XXIV, vers. 13, dicitur : « Aut septem annis fames, utrumne prima oblatio Dei facta Davidi fuit septem annorum; sed Davide tantum morem deprecante Deus pœnam moderatus est, et ad tres annos redegit. Sic Genes. XVIII. Deus a quinquaginta justis descendit ad decem, quos si invenisset in Sodoma, ei pepercisset; ac Ezechiæli, cap. IV, deprecanti pro fimo humano, concedit bovinum in cibum.

18. ORNAN. — II *Reg.* XXIV, 23, paululum reflexo nomine vocatur « Areuna, » ubique Jebusæi, id est regulus sive princeps inter Jebusæos.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David omnem materiam præparat ad fabricam templi, ejusque ideam a Deo acceptam tradit Salomoni; ac filium hortatur ut Deum semper religiose colat, atque monet principes ut eum in fabrica adjuvent.

1. Dixitque David : Hæc est domus Dei, et hoc altare in holocaustum Israel. 2. Et præcepit ut congregarentur omnes proselyti de terra Israel, et constituit ex eis latomos ad cædendos lapides et poliendos, ut ædificaretur domus Dei. 3. Ferrum quoque plurimum ad clavos januarum, et ad commissuras atque juncturas præparavit David : et æris pondus innumerabile. 4. Ligna quoque cedrina non poterant æstimari, quæ Sidonii et Tyrii deportaverant ad David. 5. Et dixit David : Salomon filius meus puer parvulus est et delicatus; domus autem, quæ ædificari volo Domino, talis esse debet ut in cunctis regionibus nominetur : præparabo ergo ei necessaria. Et ob hanc causam ante mortem suam omnes præparavit impensas. 6. Vocavitque Salomonem filium suum : et præcepit ei ut ædificaret domum Domino Deo Israel. 7. Dixitque David ad Salomonem : Fili mi, voluntatis meæ fuit ut ædificarem domum nomini Domini Dei mei; 8. sed factus est sermo Domini ad me, dicens : Multum sanguinem effudisti, et plurima bella bellasti; non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me; 9. filius qui nascetur tibi, erit vir quietissimus : faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum; et ob hanc causam Pacificus vocabitur; et pacem et otium dabo in Israel cunctis diebus ejus. 10. Ipse ædificabit domum nomini meo, et ipse erit mihi in filium, et ego ero illi in patrem, firmaboque solium regni ejus super Israel in æternum. 11. Nunc ergo, fili mi, sit Dominus tecum, et prosperare, et ædifica domum Domino Deo tuo, sicut locutus est de te. 12. Det quoque tibi Dominus prudentiam et sensum, ut regere possis Israel, et custodire legem Domini Dei tui. 13. Tunc enim proficere poteris, si custodieris mandata et judicia, quæ præcepit Dominus Moysi ut doceret Israel : confortare et viriliter age, ne timeas neque paveas. 14. Ecce ego in paupertate mea præparavi impensas domus Domini, auri talenta centum millia, et argenti mille millia talentorum : æris vero et ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine : ligna et lapides præparavi ad universa impendia. 15. Habes quoque plurimos artifices, latomos, et cæmentarios, artificesque lignorum, et omnium artium ad faciendum opus prudentissimos. 16. In auro et argento et ære et ferro, cujus non est numerus. Surge igitur, et fac, et erit Dominus tecum. 17. Præcepit quoque David cunctis principibus Israel, ut adjuvarent Salomonem filium suum. 18. Cernitis, inquicus, quod Dominus Deus vester vobiscum sit, et dederit vobis requiem per circuitum, et tradiderit omnes inimicos vestros in manus vestras, et subjecta sit terra coram Domino, et coram populo ejus. 19. Præbete igitur corda vestra et animas vestras, ut quæratis Dominum Deum vestrum, et consurgite, et ædificate sanctuarium Domino Deo, ut introducatur arca fœderis Domini, et vasa Domino consecrata, in domum, quæ ædificatur nomini Domini.

1. HÆC EST DOMUS DEI, — *q. d.* Hoc loco, puta in *area Ornan*, quæ est in monte Moria, jubet Deus condi templum.

5. SALOMON PUER PARVULUS EST, — *q. d.* Salomon respectu tantæ tamque magnificæ fabricæ templi, est instar pueri parvuli : nam alioqui erat ipse jam viginti annorum (1).

14. AURI TALENTA CENTUM MILLIA, (hoc est duodecim cum dimidio milliones librarum auri, quæ faciunt mille et ducentos milliones aureorum Francicorum; tantumdem reliquit ei in argento, scilicet) MILLE MILLIA TALENTA ARGENTI, — quæ faciunt totidem, scilicet mille et ducentos milliones aureorum Francicorum; olim enim una libra auri valebat decem libras argenti : universum ergo reliquit ei bis mille et quadringentos milliones aureorum. Vide dicta de monetis et mensuris in fine Pentateuchi. Immensa et pene incredibilis videtur hæc auri et argenti summa, sed Deo nihil est impossibile, nihil difficile; quare ei facile fuit omnem hanc copiam Davidi suggerere ad fabricam tam magnifici templi; unde ipse volens templum hoc a Chaldæis exustum restaurari per Zorobabel et Judæos, pauperes eos ad fabricam animat dicens : « Meum est argentum, et meum est aurum, » *Aggæi* II, 9. Sic S. Franciscus Assisias, et alter de Paula, ille Minorum, hic Minimorum fundator, uterque pauper jussu Dei templum ædificare, illud ædificarunt Deo, ad illius sumptus per eleemosynas piorum spondente et præstante. Multo magis si a Deo vocemur, ut templum mysticum perfectione et anima nostra vel proximorum fabricemus, absque ullo ejus ope confisi idipsum præstemus. Deus enim aderit, viresque et animos dabit : « Domini enim est terra et plenitudo ejus, » atque, ut ait S. Leo : « Juste instat præcepto, qui prævenit auxilio. »

Porro noster Vilalpandus sub finem tomi II in *Ezechielem*, per plura capita censet Davidem tantas

(1) Vers. 8. *Multum sanguinem effudisti et plurima bella bellasti : non poteris ædificare domum nomini meo.* — S. Hieronymus, Ep. I *Contra Jovin.*, cum Hebræis contra sanguines hanc quo David impar redditabatur ad erigendum templum Domino, sanguinum fuisse innocentis Uriæ : « Quia erat vir sanguinarius, non ut plerique existimant, propter bella, sed propter homicidium. » At singularis est S. Hieronymo et Rabbinis opinio. Veteres recentioresque omnium hanc agnoscunt causam, qua Dominus Davidi Salomonem præstulit ad ædificationem templi, bella nempe quibus implicatus fuit. Id non semel repetit Scriptura, conceptisque verbis hic exprimit : « Plurima bella bellasti. » Sed quod validius censemus, ordo temporis persuadet, Davidem omnium cepisse ædificandi templi satis recens Uriæ, II *Reg.* VII, 1; ideo innocui humani sanguinis effusio, ejus rei honore privare Davidem non poterat. (EX D. Calmeto.)

1400. pellicum et concubinarum plus minus sexaginta.

opes collegisse partim ex vectigalibus, partim ex Ophir, partim ex hostium spoliis et tributo, partim ex annuo Israelis censu, quo quisque pendebat quotannis templo dimidium sicli juxta legem, *Exodi* XXX, 13. Quocirca Israelitæ etiam extra Judæam degentes, per totum orbem dispersi, hanc capitationem quotannis mittebant Jerosolymam; eumque eorum ingens esset numerus, ingentem conflabant auri summam.

Addit Vilalpandus Davidem et Salomonem annuo reditu et opibus superasse tributa et opes Romanorum, Chaldæorum, Persarum, omniumque regum et monarcharum.

Dices : Quomodo ergo David hoc versu ait hæc se collegisse « in paupertate? » Respondeo : *Primo*, quia hæc omnia præ Dei dignitate et majestate erant parva et pauca. *Secundo*, « in paupertate, » id est in multo labore et afflictione. *Tertio* et maxime, quia, ut sequitur, hæc omnia erant Dei; quare Davidis non erant, quia ipse ex se pauper erat, et nihil habebat nisi quod a Deo acceperat.

AD UNIVERSA IMPENDIA. — Hebræus et Chaldæus habent, *et super hæc omnia*. Septuaginta, *et appone in his*. Vatablus, *quibus tu adjicere poteris*. Unde Salomon et populus his quæ reliquit David, multa donaria addidere ad fabricam templi tam magnificam magnificentius instruendam et adornandam.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David sub mortem Salomonem regem designat, ac Levitas in suas classes distribuit, eisque sua officia partitur. Levitis quoque filios, id est posteros Moysis, annumerat.

1. Igitur David senex et plenus dierum, regem constituit Salomonem filium suum super Israel. 2. Et congregavit omnes principes Israel, et Sacerdotes atque Levitas. 3. Numeratique sunt Levitæ a triginta annis, et supra, et inventa sunt triginta octo millia virorum. 4. Ex his electi sunt, et distributi in ministerium domus Domini, viginti quatuor millia; præpositorum autem et judicum sex millia. 5. Porro quatuor millia janitores; et totidem psaltæ canentes Domino in organis, quæ fecerat ad canendum. 6. Et distribuit eos David per vices filiorum Levi, Gerson videlicet, et Caath : et Merari. 7. Filii Gerson : Leedan, et Semei. 8. Filii Leedan : princeps Jahiel, et Zethan, et Joel, tres. 9. Filii Semei : Salomith, et Hosiel, et Aran, tres : isti principes familiarum Leedan. 10. Porro filii Semei, Leheth, et Ziza, et Jaus, et Baria : isti filii Semei, quatuor. 11. Erat autem Leheth prior, Ziza secundus : porro Jaus et Baria non habuerunt plurimos filios, et idcirco in una familia, unaque domo, computati sunt. 12. Filii Caath; Amram, et Isaar, Hebron, et Oziel, quatuor. 13. Filii Amram : Aaron, et Moyses. Separatusque est Aaron ut ministraret in Sancto sanctorum, ipse et filii ejus in sempiternum, et adoleret incensum Domino secundum ritum suum, ac benediceret nomini ejus in perpetuum. 14. Moysi quoque hominis Dei filii annumerati sunt in tribu Levi. 15. Filii Moysi : Gersom, et Eliezer. 16. Filii Gersom : Subuel primus. 17. Fuerunt autem filii Eliezer : Rohobia primus; et non erant Eliezer filii alii. Porro filii Rohobia multiplicati sunt nimis. 18. Filii Isaar : Salomith primus. 19. Filii Hebron : Jeriau primus, Amarias secundus, Jahaziel tertius, Jecmaam quartus. 20. Filii Oziel : Micha primus, Jesia secundus. 21. Filii Merari : Moholi, et Musi. Filii Moholi : Eleazar, et Cis. 22. Mortuus est autem Eleazar, et non habuit filios, sed filias; acceperuntque eas filii Cis fratres earum. 23. Filii Musi : Moholi, et Eder, et Jerimoth, tres. 24. Hi filii Levi in cognationibus et familiis suis, principes per vices, et numerum capitum singulorum, qui faciebant opera ministerii domus Domini, a viginti annis et supra. 25. Dixit enim David : Requiem dedit Dominus Deus Israel populo suo, et habitationem Jerusalem usque in æternum. 26. Nec erit officii Levitarum ut ultra portent tabernaculum, et omnia vasa ejus ad ministrandum. 27. Juxta præcepta quoque David novissima, supputabitur numerus filiorum Levi a viginti annis et supra. 28. Et erunt sub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in vestibulis, et in exedris, et in loco purificationis, et in sanctuario, et in universis operibus ministerii templi Domini. 29. Sacerdotes autem, super panes propositionis, et ad similæ sacrificium, et ad lagana azyma, et sartaginem, et ad torrendum et super omne pondus atque mensuram. 30. Levitæ vero, ut stent mane ad confitendum et canendum Domino : similiterque ad vesperam 31. tam in oblationis holocaustorum Domini, quam in sabbatis et calendis et solemnitatibus reliquis, juxta numerum, et cæremonias uniuscujusque rei, jugiter coram Domino. 32. Et custodiant observationes tabernaculi fœderis, et ritum sanctuarii, et observationem filiorum Aaron fratrum suorum, ut ministrent in domo Domini.

Nota : David Levitas ita distribuit. Erat numerus Levitarum 38 millium; ex eis David 24 millia deputavit ministerio templi, sex alia millia fecit præpositos et judices, vers. 4; unde patet Levitas hosce fuisse judices, et quasi senatores ac Patres conscriptos; quatuor millia janitores. Deinde alia quatuor millia constituit cantores et musicos : confla hos omnes numeros in unum, invenies 38 millia jam dicta.

Nota secundo : David insuper constituit 24 ordines sacerdotum, qui sibi per vices succederent ad ministrandum in templo; quisque enim ordo per septimanam ministrabat. Unde Lucæ 1, 9, dicitur de Zacharia : « Sorte exiit ut poneret incensum; » erat enim Zacharias « de vice Abia, » quæ ordine erat octava. Hæc vices et ordines sacerdotum recensentur capite sequenti. Porro David cuique ordini sacerdotum attribuit ordinem unum Levitarum qui eis ministrarent, et per omnia subserviret; unde tot erant ordines Levitarum, quot sacerdotum ministrantium templo, scilicet 24. Totidem (scilicet 24) ordines constituit Levitarum psallentium tam voce quam instrumentis musicis, quorum quisque sua vice et sub suo sacerdotum ordine psallebat, ut patet cap. XXV; psallebant autem non tantum in sabbatis, Calendis, omnique alia festivitate, sed et quotidie in omni sacrificio holocaustorum, ut patet vers. 31. Hinc sequitur quemlibet sacerdotem æque ac Levitam bis tantum in anno ministrasse in templo; nam erant eorum 24 classes, quarum quælibet per hebdomadam in templo serviebat. Quare in 24 hebdomadis quisque una tantum hebdomada ministrabat; iis vero duplicatis bis : ergo in 48 hebdomadibus (quot complectitur annus additis quatuor) bis, hoc est, duabus hebdomadis duntaxat quisque ministrabat.

Porro fecit hæc David non tam ut rex (hic enim non habet jus in sacerdotes et sacra) quam ut propheta. Rursum, non fecit hæc per se, sed per Pontifices Sadoc et Ahimelech, ut audiemus capite sequenti, vers. 3, idque jacta sorte, ut ibidem dicitur, vers. 5 et 32.

11. JAUS ET BARIA NON HABUERUNT PLURIMOS FILIOS, — *q. d.* Hi duo simul non habuerunt plures filios quam unus solus ex jam recensitis; quare hi duo unam tantum classem constituerunt, cum alii singuli singulas constituer

13. SEPARATUSQUE EST AARON, — *q. d.* A Deo per Moysen electus est Aaron, ut ipse ejusque posteri primogeniti essent summi Sacerdotes sive Pontifices; cæteri vero non primogeniti essent minores sacerdotes. Unde Pontifices soli ingrediebantur Sanctum sanctorum; cæteri vero sacerdotes adolebant thymiama in altari thymiamatis, quod erat in Sancto ante Sanctum sanctorum.

14. MOYSI QUOQUE HOMINIS (amici) DEI, FILII ANNUMERATI SUNT IN TRIBU LEVI. — Mira fuit Moysis resignatio et humilitas, qua se submisit ordinationi Dei statuentis, ut principatum populi transferret in Josue, filios vero suos non sacerdotibus sed Levitis annumeraret. Nam sacerdotium a Deo addictum erat posteris Aaronis, qui erat frater senior Moysis (1).

24. FILII LEVI A VIGINTI ANNIS ET SUPRA. — David bis numeravit Levitas, scilicet *primo*, vers. 3 : « a triginta annis et supra; » *secundo*, hic « a viginti annis et supra. » Ratio fuit, quia primitus a Deo per Moysen statutum erat, ut Levitæ a trigesimo ætatis anno et deinceps servirent tabernaculo, eo quod eorum officium esset portare supellectilem Tabernaculi per desertum, in quo continue peregrinabantur, ad quod ætas valida et robusta, qualis est triginta annorum, requirebatur. David vero cessante hoc onere, ædificato jam templo, et Israele quiescente in terra sancta, statuit hoc versu ut a vicesimo anno numerentur, et servire incipiant; nimirum ut prioribus senioribus jam recensitis, et in suas ministeriorum, janitorum, præpositorum, judicum, cantorum, classes distributis in rebus minoribus subserviant. Hanc rationem dat hic David vers. 26.

29. SACERDOTES AUTEM. — Hæc verba non sunt in Hebræo nec in Græco; quare officia quæ hic subnectuntur, competunt tam Levitis quam sacerdotibus, quia scilicet Levitarum erat illa parare, sacerdotum vero parata jam Deo offerre in sacrificium.

ET SUPER OMNE PONDUS ET MENSURAM, — tum quia Sacerdotum et Levitarum erat omnia Deo offerenda mensurare, an scilicet justum pondus a

(1) vers. 22. *Mortuus est autem Eleazar, et non habuit filios, sed filias, acceperuntque eas filii Cis fratres earum.* — « Fratres, » id est cognatos, germanos, filios fratris Eleazar, ex lege imperante ut mulier hæredes necessario propinquiori pareret. *Numer.* XXVII, 3, 6, et XXXVI, 2.

lege præscriptum haberent, tum quia eorum erat observare justas rerum mensuras et pondera in templo, ut si per fraudem aliquorum in populo ulla vitiarentur et minuerentur, vel augerentur, ad mensuras et pondera templi restituerentur et corrigerentur.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Distribuuntur sacerdotes in 24 classes, ac cuique suæ Levitarum classis ad subserviendum in sacrificio assignatur.

1. Porro filiis Aaron hæ partitiones erant : filii Aaron : Nadab, et Abiu, et Eleazar, et Ithamar. 2. Mortui sunt autem Nadab et Abiu ante patrem suum absque liberis : sacerdotioque functus est Eleazar, et Ithamar. 3. Et divisit eos David, id est, Sadoc de filiis Eleazari, et Ahimelech de filiis Ithamar, secundum vices suas et ministerium. 4. Inventique sunt multo plures filii Eleazar in principibus viris, quam filii Ithamar. Divisit autem eis, hoc est filiis Eleazar, principes per familias sedecim : et filiis Ithamar per familias et domos suas octo. 5. Porro divisit utrasque inter se familias sortibus ; erant enim principes sanctuarii, et principes Dei, tam de filiis Eleazar, quam de filiis Ithamar. 6. Descripsitque eos Semeias filius Nathanael scriba Levites, coram rege et principibus, et Sadoc sacerdote, et Ahimelech filio Abiathar, principibus quoque familiarum sacerdotalium et Leviticarum : unam domum, quæ cæteris præerat, Eleazar : et alteram domum, quæ sub se habebat cæteros, Ithamar. 7. Exivit autem sors prima Joiarib, secunda Jedei, 8. tertia Harim, quarta Seorim, 9. quinta Melchia, sexta Maiman, 10. septima Accos, octava Abia, 11. nona Jesua, decima Sechenia, 12. undecima Eliasib, duodecima Jacim, 13. tertia decima Hoppha, decima quarta Isbaab, 14. decima quinta Belga, decima sexta Emmer, 15. decima septima Hezir, decima octava Aphses, 16. decima nona Phetaia, vigesima Hezechiel, 17. vigesima prima Jachin, vigesima secunda Gamul, 18. vigesima tertia Dalaiau, vigesima quarta Maaziau. 19. Hæ vices eorum secundum ministeria sua, ut ingrediantur domum domini, et juxta ritum suum sub manu Aaron patris eorum : sicut præceperat Dominus Deus Israel. 20. Porro filiorum Levi, qui reliqui fuerant, de filiis Amram erat Subael, et de filiis Subael, Jehedeia. 21. De filiis quoque Rohobiæ princeps Jesias. 22. Isari vero filius Salemoth, filiusque Salemoth Jahath : 23. filiusque ejus Jeriau primus, Amarias secundus, Jahaziel tertius, Jecmaan quartus. 24. Filius Oziel, Micha ; filius Micha, Samir. 25. Frater Micha, Jesia ; filiusque Jesiæ, Zacharias. 26. Filii Merari : Moholi et Musi. Filius Oziau : Benno. 27. Filius quoque Merari : Oziau, et Soam, et Zachur, et Hebri. 28. Porro Moholi filius Eleazar, qui non habebat liberos. 29. Filius vero Cis, Jerameel. 30. Filii Musi : Moholi, Eder, et Jerimoth, isti filii Levi secundum domos familiarum suarum. 31. Miseruntque et ipsi sortes contra fratres suos filios Aaron, coram David rege, et Sadoc, et Ahimelech, et principibus familiarum Sacerdotalium et Leviticarum, tam majores, quam minores : omnes sors æqualiter dividebat.

3. Et divisit eos David, id est Sadoc de filiis Eleazari, et Ahimelech de filiis Ithamar, secundum vices suas. — scilicet divisit omnes sacerdotes posteros Eleazar et Ithamar in 24 classes. Divisit, inquam, David non per se, sed per duos Pontifices, scilicet per Sadoc qui erat ex posteris Eleazar, et per Abimelech qui erat ex posteris Ithamar. Ad Pontifis enim spectabat hæc sacerdotum distributio, non ad regem.

5. Porro divisit utrasque inter se familias sortibus, — ne quis quasi posset se iniquæ postpositum, et alterum ex favore antepositum, sed

omnes pari jure et conditione censerentur : quare sorte res acta est, et sors cuique suum ordinem et vicem assignavit.

Erant enim principes sanctuarii. — Erant 24 familiæ sacerdotales, et quæque suum habebat principem, puta primogenitum, qui in vice sua omnibus præerat, omniaque in templo dirigebat; quare erat ipse summus classis suæ Sacerdos, ideoque vocabatur Pontifex. Erant ergo 24 Pontifices sive principes Sacerdotum, de quibus in Evangeliis crebra est mentio ; sed his omnibus eminebat et præerat summus Pontifex, scilicet Sadoc.

6. Abimelech filio Abiathar. — Hinc videtur quod Abiathar Pontifex ægrotans, aut aliis occupatus vices suas demandarit filio Ahimelech, ut ipse cum Sadoc Pontifice assisteret, et distribueret has 24 sacerdotum classes.

10. Octava Abia, — Ex hac fuit Zacharias pater Joannis Baptistæ; quare certum est eum non fuisse summum Pontificem. Pontifex enim non habebat vicem, sed omnibus præerat. An Zacharias fuerit Pontifex, id est princeps et primogenitus suæ familiæ Abia, ut vult S. Dionysius, *Cœlestis Hierarchiæ* cap. IV, item an fuerit ex posteris Eleazar, an vero ex posteris Ithamar, incertum est.

26. Filius Oziau Benno. — et cæteri qui recensentur vers. 27, uti jam dicam.

27. Filius Merari, Oziau. — Hæc verba parenthesi intercipienda videntur ; nam sequentes, scilicet : « Soam et Zachur et Hebri, sunt filii Oziau. » id patet ex Hebræo et Chaldæo qui sic habent : *Filii Merari de Oziau, vel per Oziau, Benno et Soam et Zachur et Hebri.* Quia enim dixerat : « Filius Oziau Benno, » et non dixerat cujus filius esset « Oziau ; » hinc idipsum explicat subdens : « Filius Merari Oziau, » deinde reliquos præter Bennonem jam nominatum, Oziau filios prosequitur, dicens :

Et Soam et Zachur et Hebri. — Nam Merari filios, scilicet *Moholi et Musi*, jam recensuit vers. 26. Ita Vatablus, Pagninus et alii.

31. Miseruntque et ipsi sortes contra fratres suos, — scilicet ex opposito vel contrapositi *fratrum*, id est cognatorum suorum : et, ut vertit Vatablus, *e regione fratrum suorum*. Septimacinta, *sicut fratres eorum, q. d.* Sicut sacerdotes posteri Aaronis divisi in 24 classes sortiem jecerant ; quo quisque ordine in tabernaculo ministraret ; sic etiam Levitæ vices ministrandi jacta sorte acceperunt.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Numerantur 24 classes Levitarum ad canendum, psallendum et citharizandum deputatorum.

1. Igitur David et magistratus exercitus, segregaverunt in ministerium filios Asaph, et Heman, et Idithun; qui prophetarent in citharis, et psalteriis, et cymbalis, secundum numerum suum dedicato sibi officio servientes. 2. De filiis Asaph : Zacchur, et Joseph, et Nathania, et Asarela, filii Asaph : sub manu Asaph prophetantis juxta regem. 3. Porro Idithun : filii Idithun, Godolias, Sori, Jesias, et Hasabias, et Mathathias, sex, sub manu patris sui Idithun, qui in cithara prophetabat super confitentes et laudantes Dominum. 4. Heman quoque : filii Heman, Boccian, Mathanian, Oziel, Subuel, et Jerimoth, Hananias, Hanani, Eliatha, Geddelthi, et Romemthiezer, et Jesbacassa, Mellothi, Othir, Mahazioth ; 5. omnes isti filii Heman Videntis regis in sermonibus Dei, ut exaltaret cornu : deditque Deus Heman filios quatuordecim, et filias tres. 6. Universi sub manu patris sui ad cantandum in templo Domini distributi erant, in cymbalis, et psalteriis, et citharis, in ministeria domus Domini juxta regem : Asaph videlicet, et Idithun, et Heman. 7. Fuit autem numerus eorum cum fratribus suis, qui erudiebant canticum Domini cuncti doctores, ducenti octoginta octo. 8. Miseruntque sortes per vices suas ex æquo tam major quam minor, doctus pariter, et indoctus. 9. Egressaque est sors prima Joseph, qui erat de Asaph. Secunda Godoliæ, ipsi et filiis ejus, et fratribus ejus duodecim. 10. Tertia Zachur, filiis et fratribus ejus duodecim. 11. Quarta Isari, filiis et fratribus ejus duodecim. 12. Quinta Nathaniæ, filiis et fratribus ejus duodecim. 13. Sexta Bocciau, filiis et fratribus ejus duodecim. 14. Septima Isreela, filiis et fratribus ejus duodecim. 15. Octava Jesaiæ, filiis et fratribus ejus duodecim. 16. Nona Mathaniæ, filiis et fratribus ejus duodecim. 17. Decima Semeiæ, filiis et fratribus ejus duodecim. 18. Unde-

cima Azareel, filiis et fratribus ejus duodecim. 19. Duodecima Hasabiæ, filiis et fratribus ejus duodecim. 20. Tertia decima Subael, filiis et fratribus ejus duodecim. 21. Quarta decima Mathathiæ, filiis et fratribus ejus duodecim. 22. Quinta decima Jerimoth, filiis et fratribus ejus duodecim. 23. Sexta decima Hananiæ, filiis et fratribus ejus duodecim. 24. Septima decima Jesbacassæ, filiis et fratribus ejus duodecim. 25. Octava decima Hanani, filiis et fratribus ejus duodecim. 26. Nona decima Mellothi, filiis et fratribus ejus duodecim. 27. Vigesima Eliatha, filiis et fratribus ejus duodecim. 28. Vigesima prima Othir, filiis et fratribus ejus duodecim. 29. Vigesima secunda Geddelthi, filiis et fratribus ejus duodecim. 30. Vigesima tertia Mahazioth, filiis et fratribus ejus duodecim. 31. Vigesima quarta Romemthiezer, filiis et fratribus ejus duodecim.

Vers. 1. 1. MAGISTRATUS EXERCITUS, — id est principes tam pontifici quam ecclesiastici; exercitus enim vocatur totus populus tam laicorum quam Levitarum ob multitudinem; erant enim multi et conscripti, iique per ordines quasi acies dispositi, uti sunt milites in exercitu. Magistratus Levitarum, cap. XXIV, 6, vocantur « principes Sanctuarii. »

QUI PROPHETARENT (id est qui canerent laudes reique Deum) IN CITHARIS, SECUNDUM NUMERUM SUUM DUDUM ATQUE SUB OFFICIO SERVIENTES, — *q. d.* quilibet hujus vice tanto numero canebant, quanto ad canendum destinati erant; una enim familia numerosior unum cantorum ordinem constituens plures habebat cantores, quam illa quæ pauciores in se domesticos continebat. Hebraice *est viri operis in ministerio suo*, id est viri diligentes, et scite fungentes munere suo, *q. d.* Isti omnes fuere musici peritissimi, inquit Vatablus.

SUB MANU (sub regimine et directione) ASAPH PROPHETANTIS (canentis Dei laudes) JUXTA REGEM, — scilicet in arce Sion coram arca, juxta sectam Davidis, ubi nimirum ipsi sedere, et Dei laudibus interesse solebat. Nam verisimile est alios cantores fuisse deputatos ad canendum in Tabernaculo Moysis, quod erat in Gabaon; unde aliqui, ut utrosque comprehendant, explicant *a juxta regem*, *q. d.* Juxta regis præscriptum et distributionem, ut hi in Sion, illi in Gabaon canerent.

Vers. 2. 3. FILII IDITHUN GEDOLIAS, SORI, SESAIAS, ET HASABIAS, ET MATHATHIAS, SEX. — Recensiti hic sunt quinque duntaxat, ut patet eos numeranti. Deest ergo sextus, quem verisimile est esse « Semeiam, » qui nominatur vers. 17 in decima sorte; Semeias enim non nominatur inter filios Asaph nec inter filios Heman. Fuit ergo filius Idithun; horum trium enim filii hic describuntur, ut patet vers. 1.

Vers. 5. 5. OMNES ISTI FILII HEMAN VIDENTIS REGIS IN SERMONIBUS DEI. — Heman vocatur Videns, id est propheta, hoc est cantor divinarum laudum apud Davidem. « In sermonibus Dei, » id est cum Dei sermones, id est res et laudes canerentur, *q. d.* David in aula et mensa habebat suos symphonicos, qui profana canebant ad regis honestam recreationem; hic vero Heman curabat duntaxat sacra cani in Tabernaculo, cum David divinis officiis vacaret. « Sermones ergo Dei » erant psalmi, hymni et cantica divinarum laudum.

UT EXALTARET CORNU, — id est ut canendo exaltaret magnitudinem, magnificentiam, et immensam majestatem, sapientiam, misericordiam, potentiam, clementiam et beneficentiam Dei. Ita Abulensis. Secundo, et magis præcise, *q. d.* Heman curabat cani psalmos, in quibus David erat, et prædicit exaltandum « cornu, » id est regnum, potentiam, et gloriam tam imperii sui, quam antitypi Christi. Hoc enim audire David i erat gratissimum et desideratissimum. Unde crebro in psalmis de hac cornu exaltatione, agit. Hinc Vatablus sic vertit: *Qui erat regis videns in verbis divinis ut erigeret cornu*, idque sic explicat, *q. d.* Heman prophetavit de David quod assequeretur magnam famam et gloriam. « Cornu » enim significat dignitatem et gloriam, item robur et vires, ac si dicatur, ad exaltandam dignitatem et potentiam regiam. Asaph enim et Idithun canebant alios psalmos, qui ad populum erudiendum et consolandum spectabant, eumque ad pietatem et ad Deum sedum laudandum excitabant.

7. QUI ERUDIEBANT CANTICUM, — id est « doctores, » ut sequitur, qui docebant reliquos scite canere et psallere tam voce, quam instrumentis musicis.

8. DOCTUS PARITER ET INDOCTUS, — *q. d.* Æque peritus canendi ac imperitus, æque doctor ac discipulus, *q. d.* David distribuit cantores in 24 classes, et eumque classi dedit duodecim magistros musicos peritos, qui ceteros docerent canere, eosque in cantu dirigerent et perficerent. Quocirca magistri hi universim fuere 288, ut dictum est vers. 7. Multiplica enim 24 per 12, resultabit numerus 288.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur ordines et classes Levitarum, qui erant janitores templi; ad hæc custodum thesaurorum tam templi quam regis.

1. Divisiones autem janitorum : de Coritis Meselemia, filius Core, de filiis Asaph. 2. Filii Meselemiæ : Zacharias primogenitus, Jadihel secundus, Zabadias tertius, Jathanael quartus, 3. Ælam quintus, Johanan sextus, Elioenai septimus. 4. Filii autem Obededom : Semeias primogenitus, Jozabad secundus, Joaha tertius, Sachar quartus, Nathanael quintus, 5. Ammiel sextus, Issachar septimus, Phollathi octavus : quia benedixit illi Dominus. 6. Semei autem filio ejus nati sunt filii, præfecti familiarum suarum : erant enim viri fortissimi. 7. Filii ergo Semeiæ : Othni, et Raphael, et Obed, Elzabad, fratres ejus viri fortissimi : Eliu quoque, et Samachias. 8. Omnes hi, de filiis Obededom : ipsi, et filii, et fratres eorum fortissimi ad ministrandum, sexaginta duo de Obededom. 9. Porro Meselemiæ filii, et fratres eorum robustissimi, decem et octo. 10. De Hosa autem, id est, de filiis Merari : Semri princeps (non enim habuerat primogenitum, et idcirco posuerat eum pater ejus in principem), 11. Helcias secundus, Tabelias tertius, Zacharias quartus, omnes hi filii, et fratres Hosa, tredecim. 12. Hi divisi sunt in janitores, ut semper principes custodiarum, sicut et fratres eorum, ministrarent in domo Domini. 13. Missæ sunt ergo sortes ex æquo, et parvis, et magnis, per familias suas, in unamquamque portarum. 14. Cecidit ergo sors Orientalis, Selemiæ. Porro Zachariæ filio ejus, viro prudentissimo, et erudito, sortito obtigit plaga Septentrionalis. 15. Obededom vero et filiis ejus ad Austrum : in qua parte domus erat seniorum concilium. 16. Sephim et Hosa ad Occidentem juxta portam, quæ ducit ad viam ascensionis : custodia contra custodiam. 17. Ad Orientem vero Levitæ sex, et ad Aquilonem quatuor per diem : atque ad Meridiem similiter in die quatuor : et ubi erat concilium, bini et bini. 18. In cellulis quoque janitorum ad Occidentem quatuor in via, binique per cellulas. 19. Hæ sunt divisiones janitorum, filiorum Core et Merari. 20. Porro Achias erat super thesauros domus Dei, et vasa sanctorum. 21. Filii Ledan, filii Gersonni · de Ledan principes familiarum, Ledan et Gersonni, Jehieli. 22. Filii Jehieli : Zatham et Joel fratres ejus, super thesauros domus Domini. 23. Amramitis, et Isaaritis, et Hebronitis, et Ozihelitis. 24. Subael autem filius Gersom, filii Moysi, præpositus thesauris. 25. Fratres quoque ejus Eliezer, cujus filius Rahabia, et hujus filius Isaias, et hujus filius Joram, hujus quoque filius Zechri, et hujus filius Selemith. 26. Ipse Selemith, et fratres ejus, super thesauros sanctorum, quæ sanctificavit David rex, et principes familiarum, et tribuni, et centuriones, et duces exercitus. 27. de bellis, et manubiis præliorum, quæ consecraverant ad instaurationem et supellectilem templi Domini. 28. Hæc autem universa sanctificavit Samuel Videns, et Saul filius Cis, et Abner filius Ner, et Joab filius Sarviæ : omnes qui sanctificaverant ea per manum Selemith, et fratrum ejus. 29. Isaaritis vero præerat Chonenias, et filii ejus, ad opera forinsecus super Israel ad docendum et judicandum eos. 30. Porro de Hebronitis Hasabias, et fratres ejus viri fortissimi, mille septingenti, præerant Israeli trans Jordanem contra Occidentem, in cunctis operibus Domini, et in ministerium regis. 31. Hebronitarum autem princeps fuit Jeria, secundum familias et cognationes eorum. Quadragesimo anno regni David recensiti sunt, et inventi sunt viri fortissimi in Jazer Galaad, 32. fratresque ejus robustioris ætatis, duo millia septingenti principes familiarum. Præposuit

cima Azareel, filiis et fratribus ejus duodecim. 19. Duodecima Hasabiæ, filiis et fratribus ejus duodecim. 20. Tertia decima Subael, filiis et fratribus ejus duodecim. 21. Quarta decima Mathathiæ, filiis et fratribus ejus duodecim. 22. Quinta decima Jerimoth, filiis et fratribus ejus duodecim. 23. Sexta decima Hananiæ, filiis et fratribus ejus duodecim. 24. Septima decima Jesbacassæ, filiis et fratribus ejus duodecim. 25. Octava decima Hanani, filiis et fratribus ejus duodecim. 26. Nona decima Mellothi, filiis et fratribus ejus duodecim. 27. Vigesima Eliatha, filiis et fratribus ejus duodecim. 28. Vigesima prima Othir, filiis et fratribus ejus duodecim. 29. Vigesima secunda Geddelthi, filiis et fratribus ejus duodecim. 30. Vigesima tertia Mahazioth, filiis et fratribus ejus duodecim. 31. Vigesima quarta Romemthiezer, filiis et fratribus ejus duodecim.

Vers. 1. 1. MAGISTRATUS EXERCITUS, — id est principes tam pontifici quam ecclesiastici; exercitus enim vocatur totus populus tam laicorum quam Levitarum ob multitudinem; erant enim multi et conscripti, iique per ordines quasi acies dispositi, uti sunt milites in exercitu. Magistratus Levitarum, cap. XXIV, 6, vocantur « principes Sanctuarii. »

QUI PROPHETARENT (id est qui canerent laudes reique Deum) IN CITHARIS, SECUNDUM NUMERUM SUUM DUDUM ATQUE SUB OFFICIO SERVIENTES, — *q. d.* quilibet hujus vice tanto numero canebant, quanto ad canendum destinati erant; una enim familia numerosior unum cantorum ordinem constituens plures habebat cantores, quam illa quæ pauciores in se domesticos continebat. Hebraice *est viri operis in ministerio suo*, id est viri diligentes, et scite fungentes munere suo, *q. d.* Isti omnes fuere musici peritissimi, inquit Vatablus.

SUB MANU (sub regimine et directione) ASAPH PROPHETANTIS (canentis Dei laudes) JUXTA REGEM, — scilicet in arce Sion coram arca, juxta sectam Davidis, ubi nimirum ipsi sedere, et Dei laudibus interesse solebat. Nam verisimile est alios cantores fuisse deputatos ad canendum in Tabernaculo Moysis, quod erat in Gabaon; unde aliqui, ut utrosque comprehendant, explicant *a juxta regem*, *q. d.* Juxta regis præscriptum et distributionem, ut hi in Sion, illi in Gabaon canerent.

Vers. 2. 3. FILII IDITHUN GEDOLIAS, SORI, SESAIAS, ET HASABIAS, ET MATHATHIAS, SEX. — Recensiti hic sunt quinque duntaxat, ut patet eos numeranti. Deest ergo sextus, quem verisimile est esse « Semeiam, » qui nominatur vers. 17 in decima sorte; Semeias enim non nominatur inter filios Asaph nec inter filios Heman. Fuit ergo filius Idithun; horum trium enim filii hic describuntur, ut patet vers. 1.

Vers. 5. 5. OMNES ISTI FILII HEMAN VIDENTIS REGIS IN SERMONIBUS DEI. — Heman vocatur Videns, id est propheta, hoc est cantor divinarum laudum apud Davidem. « In sermonibus Dei, » id est cum Dei sermones, id est res et laudes canerentur, *q. d.* David in aula et mensa habebat suos symphonicos, qui profana canebant ad regis honestam recreationem; hic vero Heman curabat duntaxat sacra cani in Tabernaculo, cum David divinis officiis vacaret. « Sermones ergo Dei » erant psalmi, hymni et cantica divinarum laudum.

UT EXALTARET CORNU, — id est ut canendo exaltaret magnitudinem, magnificentiam, et immensam majestatem, sapientiam, misericordiam, potentiam, clementiam et beneficentiam Dei. Ita Abulensis. Secundo, et magis præcise, *q. d.* Heman curabat cani psalmos, in quibus David erat, et prædicit exaltandum « cornu, » id est regnum, potentiam, et gloriam tam imperii sui, quam antitypi Christi. Hoc enim audire David i erat gratissimum et desideratissimum. Unde crebro in psalmis de hac cornu exaltatione, agit. Hinc Vatablus sic vertit: *Qui erat regis videns in verbis divinis ut erigeret cornu*, idque sic explicat, *q. d.* Heman prophetavit de David quod assequeretur magnam famam et gloriam. « Cornu » enim significat dignitatem et gloriam, item robur et vires, ac si dicatur, ad exaltandam dignitatem et potentiam regiam. Asaph enim et Idithun canebant alios psalmos, qui ad populum erudiendum et consolandum spectabant, eumque ad pietatem et ad Deum sedum laudandum excitabant.

7. QUI ERUDIEBANT CANTICUM, — id est « doctores, » ut sequitur, qui docebant reliquos scite canere et psallere tam voce, quam instrumentis musicis.

8. DOCTUS PARITER ET INDOCTUS, — *q. d.* Æque peritus canendi ac imperitus, æque doctor ac discipulus, *q. d.* David distribuit cantores in 24 classes, et eumque classi dedit duodecim magistros musicos peritos, qui ceteros docerent canere, eosque in cantu dirigerent et perficerent. Quocirca magistri hi universim fuere 288, ut dictum est vers. 7. Multiplica enim 24 per 12, resultabit numerus 288.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur ordines et classes Levitarum, qui erant janitores templi; ad hæc custodum thesaurorum tam templi quam regis.

1. Divisiones autem janitorum : de Coritis Meselemia, filius Core, de filiis Asaph. 2. Filii Meselemiæ : Zacharias primogenitus, Jadihel secundus, Zabadias tertius, Jathanael quartus, 3. Ælam quintus, Johanan sextus, Elioenai septimus. 4. Filii autem Obededom : Semeias primogenitus, Jozabad secundus, Joaha tertius, Sachar quartus, Nathanael quintus, 5. Ammiel sextus, Issachar septimus, Phollathi octavus : quia benedixit illi Dominus. 6. Semei autem filio ejus nati sunt filii, præfecti familiarum suarum : erant enim viri fortissimi. 7. Filii ergo Semeiæ : Othni, et Raphael, et Obed, Elzabad, fratres ejus viri fortissimi : Eliu quoque, et Samachias. 8. Omnes hi, de filiis Obededom : ipsi, et filii, et fratres eorum fortissimi ad ministrandum, sexaginta duo de Obededom. 9. Porro Meselemiæ filii, et fratres eorum robustissimi, decem et octo. 10. De Hosa autem, id est, de filiis Merari : Semri princeps (non enim habuerat primogenitum, et idcirco posuerat eum pater ejus in principem), 11. Helcias secundus, Tabelias tertius, Zacharias quartus, omnes hi filii, et fratres Hosa, tredecim. 12. Hi divisi sunt in janitores, ut semper principes custodiarum, sicut et fratres eorum, ministrarent in domo Domini. 13. Missæ sunt ergo sortes ex æquo, et parvis, et magnis, per familias suas, in unamquamque portarum. 14. Cecidit ergo sors Orientalis, Selemiæ. Porro Zachariæ filio ejus, viro prudentissimo, et erudito, sortito obtigit plaga Septentrionalis. 15. Obededom vero et filiis ejus ad Austrum : in qua parte domus erat seniorum concilium. 16. Sephim et Hosa ad Occidentem juxta portam, quæ ducit ad viam ascensionis : custodia contra custodiam. 17. Ad Orientem vero Levitæ sex, et ad Aquilonem quatuor per diem : atque ad Meridiem similiter in die quatuor : et ubi erat concilium, bini et bini. 18. In cellulis quoque janitorum ad Occidentem quatuor in via, binique per cellulas. 19. Hæ sunt divisiones janitorum, filiorum Core et Merari. 20. Porro Achias erat super thesauros domus Dei, et vasa sanctorum. 21. Filii Ledan, filii Gersonni · de Ledan principes familiarum, Ledan et Gersonni, Jehieli. 22. Filii Jehieli : Zatham et Joel fratres ejus, super thesauros domus Domini. 23. Amramitis, et Isaaritis, et Hebronitis, et Ozihelitis. 24. Subael autem filius Gersom, filii Moysi, præpositus thesauris. 25. Fratres quoque ejus Eliezer, cujus filius Rahabia, et hujus filius Isaias, et hujus filius Joram, hujus quoque filius Zechri, et hujus filius Selemith. 26. Ipse Selemith, et fratres ejus, super thesauros sanctorum, quæ sanctificavit David rex, et principes familiarum, et tribuni, et centuriones, et duces exercitus. 27. de bellis, et manubiis præliorum, quæ consecraverant ad instaurationem et supellectilem templi Domini. 28. Hæc autem universa sanctificavit Samuel Videns, et Saul filius Cis, et Abner filius Ner, et Joab filius Sarviæ : omnes qui sanctificaverant ea per manum Selemith, et fratrum ejus. 29. Isaaritis vero præerat Chonenias, et filii ejus, ad opera forinsecus super Israel ad docendum et judicandum eos. 30. Porro de Hebronitis Hasabias, et fratres ejus viri fortissimi, mille septingenti, præerant Israeli trans Jordanem contra Occidentem, in cunctis operibus Domini, et in ministerium regis. 31. Hebronitarum autem princeps fuit Jeria, secundum familias et cognationes eorum. Quadragesimo anno regni David recensiti sunt, et inventi sunt viri fortissimi in Jazer Galaad, 32. fratresque ejus robustioris ætatis, duo millia septingenti principes familiarum. Præposuit

autem eos David rex Rubenitis, et Gaditis, et dimidiæ tribui Manasse, in omne ministerium Dei et regis.

8. QUIA BENEDIXIT ILLI (Obededom) DOMINUS — ob arcam quam domi suæ religiose habuit, et sedulo custodivit, II Reg. cap. VI. Hac de causa ipse cæteros Levitas filiorum numero, eque ac robore tum corporis tum animi superavit, unde vers. 8, dicitur : « Omnes hi de filiis Obededom : ipsi et filii et fratres eorum fortissimi ad ministrandum 62 de Obededom. »

10. NON ENIM HABUERAT PRIMOGENITUM, — *q. d.* Rosa tunc temporis non habebat primogenitum, quia is jam erat mortuus ; quare ejus loco constituit principem familiæ suæ Semri, qui erat secundo genitus.

12. HI DIVISI SUNT IN JANITORES, UT SEMPER PRINCIPES CUSTODIARUM, etc., MINISTRARENT IN DOMO DOMINI. — Erat ergo magna Janitorum horum dignitas ; *primo*, quia ipsi erant « principes custodiarum, » *q. d.* Sicut prætoriani milites præsunt custodiæ regis et domus regiæ, sic hi janitores præerant custodiæ et custodibus omnibus domus Dei, scilicet templi. *Secundo*, quia iidem præerant custodiæ thesauri tam templi quam regis, ut patet vers. 20, 26 et 30. Item sartis tectis templi, vers. 27. *Tertio*, quia ex iis præbantur populi doctores, vocati, et judices in causis tam sacris quam profanis, ut patet vers. 29, 30 et 32.

14. SELEMIÆ. — Hic est ille qui vers. 1 et seq. vocatur « Moselemias. » Ille enim decurtate ad brevitatem vocatur « Selemias, » sicut Jechonias a Jeremia cap. XXII, vocatur « Chonias. »

15. IN QUA PARTE DOMUS ERAT SENIORUM CONCILIUM, — *q. d.* In parte Australi templi erat locus summi concilii, quod « Sanhedrim » dicebatur, et 72 primoribus, quasi senatoribus constabat, vide dicta *Num.* XI.

16. QUÆ DUCIT AD VIAM ASCENSIONIS — qua ascendebatur in montem Sion, et in tabernaculum ibidem erectum ; ac deinde in templum in eodem a Salomone fabricatum.

CUSTODIA CONTRA CUSTODIAM. — Valablus, *custodia e regione custodiæ*, *q. d.* Una excubiarum custodia respondebat alteri ex adverso positæ. Videtur enim hæc porta templi Occidentalis præ cæteris duplicem habuisse custodiam, ob majorem in ea populi frequentiam, ideoque majus in ea tumultus periculum. Id ita esse liquet ex vers. 18.

18. IN CELLULIS QUOQUE JANITORUM AD OCCIDENTEM QUATUOR IN VIA, BINIQUE PER CELLULAS, — *q. d.* Ad portam templi Occidentalem, « in cellulis janitorum, » excubabant « quatuor » Levitæ janitorum principes, « in via » ascensionis, de qua dictum est vers. 16, ac insuper « bini alii » principes « per cellulas » status excubitorum distributi agebant excubias cum Levitis minoribus sibi subditis. Hinc vides plures et majores fuisse excubias ad portam Occidentalem, quam ad cæteras templi, ut dixi.

29. AD OPERA FORINSECUS, — puta ad ligna et lapides cædendos et poliendos, ad vineas, prata, et agros templi colendos, etc.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur 12 *Principes, qui vicissim per* 12 *anni menses præerant* 24 *millibus militum. Insuper Principes singularum tribuum, ac Officiales Davidis, tum qui domi rebus domesticis, tum qui foris ejus vineis, agris, bobus, camelis, ovibus præerant.*

1. Filii autem Israel secundum numerum suum, principes familiarum, tribuni, et centuriones, et præfecti, qui ministrabant regi juxta turmas suas, ingredientes et egredientes per singulos menses in anno, viginti quatuor millibus singuli præerant. 2. Primæ turmæ in primo mense Jesboam præerat filius Zabdiel, et sub eo viginti quatuor millia. 3. De filiis Phares, princeps cunctorum principum in exercitu mense primo. 4. Secundi mensis habebat turmam Dudia Aholites, et post se alter nomine Macelloth, qui regebat partem exercitus viginti quatuor millium. 5. Dux quoque turmæ tertiæ in mense tertio, erat Banaias filius Joiadæ sacerdos : et in divisione sua viginti quatuor millia. 6. Ipse est Banaias fortissimus inter triginta, et super triginta, præerat autem turmæ ipsius Amizabad filius ejus. 7. Quartus, mense quarto, Azahel frater Joab, et Zabadias filius ejus post eum : et in turma ejus viginti quatuor millia. 8. Quintus, mense quinto, princeps Samaoth Jezerites : et in turma ejus viginti quatuor millia. 9. Sextus, mense sexto, Hira filius Acces Thecuites : et in turma ejus viginti quatuor millia. 10. Septimus, mense septimo, Helles Phallonites de filiis Ephraim : et in turma ejus viginti quatuor millia. 11. Octavus, mense octavo, Sobochai Husathites de stirpe Zarahi : et in turma ejus viginti quatuor millia. 12. Nonus, mense nono, Abiezer Anathothites de filiis Jemini : et in turma ejus viginti quatuor millia. 13. Decimus, mense decimo, Marai, et ipse Netophathites de stirpe Zarai : et in turma ejus viginti quatuor millia. 14. Undecimus, mense undecimo, Banaias Pharathonites de filiis Ephraim : et in turma ejus viginti quatuor millia. 15. Duodecimus, mense duodecimo, Holdai Netophathites, de stirpe Gothoniel : et in turma ejus viginti quatuor millia. 16. Porro tribubus præerant Israel, Rubenitis, dux Eliezer filius Zechri : Simeonitis, dux Saphatias filius Maacha : 17. Levitis, Hasabias filius Camuel : Aaronitis, Sadoc : 18. Juda, Eliu frater David : Issachar, Amri filius Michael : 19. Zabulonitis, Jesmaias filius Abdiæ : Nephthalitibus, Jerimoth filius Oziel : 20. filiis Ephraim, Osee filius Ozaziu ; dimidiæ tribui Manasse, Joel filius Phadaiæ : 21. et dimidiæ tribui Manasse in Galaad, Jaddo filius Zachariæ ; Benjamin autem, Jasiel filius Abner. 22. Dan vero, Ezrihel filius Jeroham : hi principes filiorum Israel. 23. Noluit autem David numerare eos a viginti annis inferius : quia dixerat Dominus ut multiplicaret Israel quasi stellas cœli. 24. Joab filius Sarviæ cœperat numerare, nec complevit : quia super hoc ira irruerat in Israel : et idcirco numerus eorum qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos regis David. 25. Super thesauros autem regis fuit Azmoth filius Adiel. His autem thesauris, qui erant in urbibus, et in vicis, et in turribus, præsidebat Jonathan filius Oziæ. 26. Operi autem rustico, et agricolis qui exercebant terram, præerat Ezri filius Chelub : 27. vinearumque cultoribus Semeias Romathites : cellis autem vinariis, Zabdias Aphonites. 28. Nam super olivas et ficeta, quæ erant in campestribus, Balanan Gederites : super apothecas autem olei, Joas. 29. Porro armentis, quæ pascebantur in Saron, præpositus fuit Setrai Saronites : et super boves in vallibus, Saphat filius Adli : 30. super camelos vero, Obil Ismahelites : et super asinos, Jadias Meronathites. 31. Super oves quoque, Jaziz Agareus. Omnes hi, principes substantiæ regis David. 32. Jonathan autem patruus David, consiliarius, vir prudens et litteratus : ipse et Jahiel filius Hachamoni erant cum filiis regis. 33. Achitophel etiam consiliarius regis, et Chusai Archites, amicus regis. 34. Post Achitophel fuit Joiada filius Banaiæ, et Abiathar. Princeps autem exercitus regis erat Joab.

Nota : Sicut David duobus capitibus præced. Sacerdotes æque ac Levitas, in 24 classes distribuit, quæ vicissim Deo in templo hebdomadatim deservirent ; sic hic reliquum populum, puta Israelitas ad bellum idoneos, in 12 classes distribuit, et cuique classi suum præficit principem, ut singulæ classes vicissim semel in anno per mensem legi et Reipublicæ ad bellum deserviant, ut scilicet vicissim 24 millia armatorum cum suo duce sibi sint præsto ad omnem bellicam expeditionem. Fuit hæc politica et prudens Davidis sanctio ; tum ut hac ratione omnes subditos exerceret in armis, ut discerent belligerare ; tum ad sui regnique tutelam. Cum enim Israelitæ pauci undique hostibus cingerentur, scilicet Philistæis, Idumæis, Ammonitis, Arabibus, Ægyptiis, necessum fuit eis semper paratos esse ad bellum. Ne ergo subita hostium irruptione opprimerentur, statuit David, ut 24 millia semper in armis pro regis regnique custodia exercerent, et hostibus irruentibus illic occurrerent. Iloc autem subditis non erat grave, quia uno tantum mense in anno quisque cum armis in aciem prodire debebat, reliquis vero mensibus domi res suas curabat. Iisrsum, hac ratione parcebatur exactionibus pecuniarum, quæ ingentes pro exercitu conscribendo et alendo indici solent. Nam quisque suo mense, quo exercitu armatus comparere debebat, seipsum alebat. Hac ratione effecit, ut semper ad manum haberet numerosum militem, eumque recentem et veteranum, ut quibusvis et quantisvis hostibus resistere posset : quia pro numero hostium poterat tot millia ex singulis classibus evocare quos opus erat. Denique totus Israelis populus distributus in duodecim classes bellatorum, constabat quasi totidem exercitus validos : quæque enim classis constabat 24 millibus armatorum, summque habebat ducem sive principem, quorum quilibet hic ordine suo recensetur. Dux autem quilibet suum habebat vicarium, qui el ægrotanti vel aliis occupato succederet, et classem ejus in aciem duceret regeretque ut patet vers. 4 et 7. Sic Romani olim rerum do-

minui multas semper legiones in armis habebant, easque per provincias distribuebant, ut eas in officio et obedientia continerent, ac provinciarum sumptibus alebant. Sic Chinenses semper in armis habent centum millia militum, qui contra Tartaros excubant, ne Chinam invadant.

4. ET POST SE ALTER NOMINE MACELLOTH, — *q. d.* Dudiæ, qui dux erat secundæ turmæ, absenti vel impedito datus fuit vicarius Macelloth, qui ejus vice turmam duceret, uti jam dixi.

7. ET ZABADIAS FILIUS EJUS POST EUM, — *q. d.* Asaheli principi quartæ turmæ datus fuit vicarius ejus filius Zabadias.

16. PORRO TRIBUBUS PRÆERANT. — Hic recensentur singularum duodecim tribuum principes, qui erant earum primogeniti. At vero militiæ principes non erant hi primogeniti, sed viri animo, roboro et scientia militari præstantes, ideoque a Davide selecti.

31. QUIA SUPER HOC IRA (Dei) IRRUERAT SUPER ISRAEL. — Deus enim ob numeratum a Davide populum, immisit pestem quæ 70 millia absumpsit. Vide dicta II *Reg.* ult.

34. POST ACHITOPHEL FUIT JOIADA FILIUS BANAIÆ, ET ABIATHAR. — *q. d.* Achitopheli consiliario Davidis vita per laqueum functo successit Joiada et Abiathar Pontifex, qui Davidi fuere ab intimis consiliis.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David convocatos regni Principes æque ac Salomonem hortatur, ut Dei leges exacte custodiant : inde, vers. 11, Salomoni dat ideam templi, omniumque ejus partium et vasorum, quam cœlitus a Deo acceperat.

1. Convocavit igitur David omnes principes Israel, duces tribuum, et præpositos turmarum, qui ministrabant regi : tribunos quoque et centuriones, et qui præerant substantiæ et possessionibus regis, filiosque suos cum eunuchis, et potentes, et robustissimos quosque in exercitu Jerusalem. 2. Cumque surrexisset rex, et stetisset, ait : Audite me, fratres mei et populus meus : Cogitavi ut ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini, et scabellum pedum Dei nostri : et ad ædificandum omnia præparavi. 3. Deus autem dixit mihi : Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator, et sanguinem fuderis. 4. Sed elegit Dominus Deus Israel me de universa domo patris mei, ut essem rex super Israel in sempiternum : de Juda enim elegit principes : porro de domo Juda, domum patris mei; e t de filiis patris mei, placuit ei ut me eligeret regem super cunctum Israel. 5. Sed et de filiis meis (filios enim mihi multos dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum, ut sederet in throno regni Domini super Israel, 6. dixitque mihi : Salomon filius tuus ædificabit domum meam, et atria mea : ipsum enim elegi mihi in filium, et ego ero ei in patrem. 7. Et firmabo regnum ejus usque in æternum, si perseveraverit facere præcepta mea, et judicia, sicut et hodie. 8. Nunc ergo coram universo cœtu Israel, audiente Deo nostro, custodite, et perquirite cuncta mandata Domini Dei nostri, ut possideatis terram bonam, et relinquatis eam filiis vestris post vos usque in sempiternum. 9. Tu autem Salomon fili mi, scito Deum patris tui, et servito ei corde perfecto, et animo voluntario : omnia enim corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, invenies : si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum. 10. Nunc ergo quia elegit te Dominus ut ædificares domum Sanctuarii, confortare, et perfice. 11. Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem porticus, et templi, et cellariorum, et cœnaculi, et cubiculorum in adyti, et domus propitiationis, 12. nec non et omnium quæ cogitaverat atriorum, et exedrarum per circuitum in thesauros domus Domini, et in thesauros sanctorum, 13. divisionumque Sacerdotalium et Leviticarum, in omnia opera domus Domini, et in universa vasa ministerii templi Domini. 14. Aurum in pondere per singula vasa ministerii. Argenti quoque pondus pro vasorum et operum diversitate. 15. Sed et in candelabra aurea, et ad lucernas eorum, aurum pro mensura uniuscujusque candelabri et

lucernarum. Similiter et in candelabra argentea, et in lucernas eorum, pro diversitate mensuræ, pondus argenti tradidit. 16. Aurum quoque dedit in mensas propositionis pro diversitate mensarum : similiter et argentum in alias mensas argenteas. 17. Ad fuscinulas quoque, et phialas, et thuribula, ex auro purissimo, et leunculos aureos, pro qualitate mensuræ pondus distribuit in leunculum et leunculum. Similiter et in leones argenteos diversum argenti pondus separavit. 18. Altari autem, in quo adoletur incensum, aurum purissimum dedit : ut ex ipso fieret similitudo quadrigæ cherubim extendentium alas, et velantium arcam fœderis Domini. 19. Omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris. 20. Dixit quoque David Salomoni filio suo : Viriliter age, et confortare, et fac : ne timeas, et ne paveas : Dominus enim Deus meus tecum erit, et non dimittet te; nec derelinquet, donec perficias omne opus ministerii domus Domini. 21. Ecce divisiones Sacerdotum et Levitarum, in omne ministerium domus Domini assistunt tibi, et parati sunt, et noverunt tam principes quam populus facere omnia præcepta tua.

1. CUM EUNUCHIS. — Eunuchi olim præerant aulæ regiæ, ac præsertim gynecæo; hinc quilibet præfecti aulæ sive palatini vocantur eunuchi, ut dixi *Genes.* XXXVII, 36.

2. ET SCABELLUM DEI NOSTRI. — Ita vocatur arca fœderis, quia super arcam exstantes Cherubini junctis alis sedem quasi Deo exhibebant, ita ut arca subjecta esset quasi scabellum pedum ejus, ut dixi *Exodi* XXV.

4. DE JUDA ENIM ELEGIT PRINCIPES. — Hebræus, Chaldæus et Septuaginta habent in singulari, *principem; sed principem*, hoc est *principes* sibi continua serie succedentes, juxta illud *Genes.* XLIX, 10: « Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, » nimirum Messias, sive Christus de Juda et Davide nasciturus.

9. TU AUTEM SALOMON FILI MI, SCITO DEUM. — « Scito, » id est cognosce : enim, ut scilicet firmiter credas, sæpeque cogites et æstimes immensam Dei majestatem, potentiam, justitiam, bonitatem; ut hæc cognitio et hæc cogitatio et meditatio te impellat ad jugiter eum colendum, timendum et amandum.

11. DOMUS PROPITIATIONIS, — id est Sancti sanctorum; in eo enim erat propitiatorium super arcam, ex quo Deus propitius Pontifici oracula, et populo beneficia præstabat.

12. THESAURUS SANCTORUM. — Intelligit gazophylacia, sive ærraria in quibus pecunia Deo oblata et sanctificata, id est consecrata, asservabatur.

13. DIVISIONEMQUE SACERDOTALIUM ET LEVITICARUM. — Ita vocat 24 classes in quas divisi erant Sacerdotes et Levitæ, de quibus dixit cap. XXIII et XXIV.

17. LEUNCULOS AUREOS, etc., ET IN LEONES ARGENTEOS. — Horum leunculorum et leonum nulla facta est mentio in descriptione templi, III *Reg.* cap. VII et VIII, quare incertum est quo loco et ad quem usum collocati sint. Porro Septuaginta, Vatablus, Pagninus et Abulensis, pro כפיר *Kephir*, id est *leunculus*, legentes כפור *caphor*, vertunt, *crateres* aut *cyathos*.

18. ALTARI AUTEM IN QUO ADOLETUR INCENSUM (puta altari thymiamatis, quod erat in Sancto obversum Sancto sanctorum) AURUM PURISSIMUM DEDIT, UT (Hebræus, Septuaginta et Latina Regia habent : *et ut*) EX EO FIERET SIMILITUDO QUADRIGÆ CHERUBIM EXTENDENTIUM ALAS, ET VELANTIUM ARCAM FŒDERIS DOMINI. — Quæres : Quæ et qualis fuit hæc « quadriga Cherubim? » an eadem cum Cherubinis Moysaicis et Salomonicis, qui recensentur III *Reg.* cap. VII et VIII. Noster Hieronymus Prado in caput I *Ezech.* pag. 35, censet esse eosdem. Ait enim Salomonem ex biga Cherubinorum a Mose factorum, fecisse quadrigam, quia duobus Cherubinis Moysis adjecit duos alios; itaque ex biga fecit quadrigam. Addidit enim plaustrum cum rotis, cui arca imponeretur, ita Prado. Quadriga Cherubim, quæ?

Verum dico aliam prorsus esse hanc quadrigam aliosque Cherubinos ab iis duobus quos Moyses fabricavit, et aliis duobus quos iisdem adjecit Salomon, III *Reg.* cap. VII et VIII. Patet id *primo*, quia illi erant juxta arcam in Sancto sanctorum; hi vero facti sunt in Sancto super altare thymiamatis, uti hic dicitur.

Secundo, quia hic Scriptura ait Salomonem eos fecisse in similitudinem; ergo non erant iidem, sed similes Cherubinis arcæ.

Tertio, quia Cherubini Salomonis addit Moysaicis non faciebant quadrigam, nec unum quid; sed ab eis prorsus erant disparati. Nam Moysaici supra arcam positi vultus sibi obvertebant, sequo multo alis quasi manibus expansis complectebantur; Salomonici vero positi erant ad latus arcæ, ut eam cum Cherubinis Moysaicis velarent et tegerent : ac uterque eorum erat ex eodem latere, expandendo alas per totam Sancti sanctorum longitudinem, ita ut unus Cherub ala sua extima tangeret parietem Meridionalem, alter vero ala sua extima tangeret parietem Septentrionalem Sancti sanctorum. Ergo non poterant facere quadrigam, sed tantum unum latus quadrigæ, sive currus.

Quarto, de plaustro cum rotis cui insisteret arca,

quod astruit Prado, nihil uspiam habet Scriptura.

Dico ergo Cherubinos non tantum circa arcam, sed etiam in altari thymiamatis fuisse fabricatos, de iisque hic agi. Erant illi similes Cherubinis arcæ. Sicut enim isti alis expansis junctisque velabant arcam, ita hi alis expansis junctisque velabant altare thymiamatis, ut sedem sive solium quasi præberent Deo, ac Deus iis insidens videretur excipere fumum thymiamatis qui ei adolebatur in altari.

Dicitur « quadriga » Hebraice מרכבה *merkaba*, id est *currus*, non quod essent quatuor Cherubini; erant enim bini duntaxat, quorum uterque sese invicem vultu obverso respicientes, duabus alis expansis, et cum alis alterius ex adverso positis conjunctis, faciebant quadrum sive quadratum, hoque quasi « quadrigam, » id est currum quadratum. Ita Abulensis.

Sousas ergo est, *q. d.* David dedit « aurum purissimum, » ut ex eo fabricaretur altare thymiamatis, et in eodem currus Cherubim, similis currui Cherubim velantium arcam fœderis, quem fabricarat Moyses. Hunc sensum exigunt Hebræa, quæ pro *ut*, habent : *et ut*.

Quid Cherubini ad litteram et mystice significarent, fuse dixi *Exodi* cap. XXV, *Ezech.* cap. I, et *Apocal.* cap. IV.

19. OMNIA, INQUIT, VENERUNT SCRIPTA MANU DOMINI AD ME, UT INTELLIGEREM UNIVERSA OPERA EXEMPLARIS. — Deus ergo in tabula descripsit totam ideam templi illamque per manus Angeli tradidit Davidi, ut is eamdem traderet Salomoni, qui juxta eam templum ædificaret. Similem ideam tabernaculi Deus tradidit Moysi, *Exodi* cap. XXV, vers. 40 : « Inspice, inquit, et fac secundum exemplar quod tibi in monte (Sinai) monstratum est. » « Exemplar » enim sive *paradigma*, ut vertunt Septuaginta vocat ideam, sive delineationem tabernaculi templi, tum exemplarem, tum litteralem et verbalem, ut scilicet litteris et verbis scriptis explicaret ipsam ideæ delineationem, quæ alioqui cum esset obscura et involuta, ex solo intuitu vix a Davide intelligi potuisset. Quare ut ipse et Salomon eam intelligerent Deus verbis eamdem explicuit, scribendo litteris expressis : ita facies Sanctum, ita Sanctum sanctorum, ita atrium, ita altare utrumque, ita candelabrum, ita mensam panum propositionis, idque ex tali materia, tali forma, tanta altitudine. Et hoc est, quod hic ait David : « Venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris. » Ita Abulensis.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur impensæ a David præparatæ ad fabricam templi : item ea quæ illis adjecere principes et populus. Mox, vers. 22, *Salomon secundo publice ungitur in regem, ac David plenus dierum et meritorum moritur.*

1. Locutusque est David Rex ad omnem ecclesiam : Salomonem filium meum unum elegit Deus, adhuc puerum et tenellum : opus numque grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo. 2. Ego autem totis viribus meis præparavi impensas domus Dei mei. Aurum ad vasa aurea, et argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea : et lapides onychinos, et quasi stibinos, et diversorum colorum, omnemque pretiosum lapidem, et marmor Parium abundantissime : 3. et super hæc quæ obtuli in domum Dei mei, de peculio meo aurum et argentum do in templum Dei mei, exceptis his quæ præparavi in ædem sanctam. 4. Tria millia talenta auri de auro Ophir : et septem millia talentorum argenti probatissimi, ad deaurandos parietes templi. 5. Et, ubicumque opus est aurum de auro, et ubicumque opus est argentum de argento, opera fiant per manus artificum : et si quis sponte offert, impleat manum suam hodie, et offerat quod voluerit Domino. 6. Polliciti sunt itaque principes familiarum, et proceres tribuum Israel, tribuni quoque et centuriones, et principes possessionum regis. 7. Dederuntque in opera domus Dei auri talenta quinque millia, et solidos decem millia : argenti talenta decem millia, et æris talenta decem et octo millia : ferri quoque centum millia talentorum. 8. Et apud quemcumque inventi sunt lapides, dederunt in thesauros domus Domini, per manum Jahiel Gersonitis. 9. Lætatusque est populus, cum vota sponte promitterent, quia corde toto offerebant ea Domino : sed et David rex

lætatus est gaudio magno. 10. Et benedixit Domino coram universa multitudine, et ait : Benedictus es, Domine Deus Israel, patris nostri ab æterno in æternum. 11. Tua est, Domine, magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria : et tibi laus : cuncta enim quæ in cœlo sunt, et in terra, tua sunt : tuum, Domine, regnum, et tu es super omnes principes. 12. Tuæ divitiæ, et tua est gloria : tu dominaris omnium, in manu tua virtus et potentia : in manu tua magnitudo, et imperium omnium. 13. Nunc igitur, Deus noster, confitemur tibi, et laudamus nomen tuum inclytum. 14. Quis ergo, et quis populus meus, ut possimus hæc tibi universa promittere? tua sunt omnia : et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. 15. Peregrini enim sumus coram te, et advenæ, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. 16. Domine Deus noster, omnis hæc copia, quam paravimus ut ædificaretur domus nomini sancto tuo, de manu tua est, et tua sunt omnia. 17. Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas, unde et ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc : et populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. 18. Domine Deus Abraham, et Isaac, et Israel, patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum; et semper in venerationem tui mens ista permaneat. 19. Salomoni quoque filio meo da cor perfectum, ut custodiat mandata tua, testimonia tua, et cæremonias tuas, et faciat universa : et ædificet ædem, cujus impensas paravi. 20. Præcepit autem David universæ ecclesiæ : Benedicite Domino Deo nostro. Et benedixit omnis ecclesia Domino Deo patrum suorum : et inclinaverunt se, et adoraverunt Deum, et deinde regem. 21. Immolaverunt quæ victimas Domino : et obtulerunt holocausta die sequenti, tauros mille, arietes mille, agnos mille, cum libaminibus suis, et universo ritu abundantissime in omnem Israel. 22. Et comederunt et biberunt coram Domino in die illo cum grandi lætitia. Et unxerunt secundo Salomonem filium David. Unxerunt autem eum Domino in principem, et Sadoc in pontificem. 23. Sedit que Salomon super solium Domini in regem pro David patre suo, et cunctis placuit, et paruit illi omnis Israel. 24. Sed et universi principes, et potentes, et cuncti filii regis David dederunt manum, et subjecti fuerunt Salomoni regi. 25. Magnificavit ergo Dominus Salomonem super omnem Israel : et dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum rex Israel. 26. Igitur David filius Isai regnavit super universum Israel. 27. Et dies, quibus regnavit super Israel, fuerunt quadraginta anni : in Hebron regnavit septem annis, et in Jerusalem annis triginta tribus. 28. Et mortuus est in senectute bona, plenus dierum, et divitiis, et gloria, et regnavit Salomon filius ejus pro eo. 29. Gesta autem David regis priora, et novissima, scripta sunt in Libro Samuelis Videntis, et in Libro Nathan prophetæ, atque in volumine Gad Videntis : 30. universique regni ejus, et fortitudinis, et temporum, quæ transierunt sub eo, sive in Israel, sive in cunctis regnis terrarum.

2. QUASI STIBINOS, — id est similes stibio, quo mulieres faciei fucum inducunt, ut videantur esse formosiores quam sint. Unde Hebraice est *lapides fuci*, qui scilicet intuentibus facerent fucum, ut in iis apparerent mire et elegantes variarum rerum formæ, quæ tamen revera in eis non erant, qualis sunt quos appellant *Agates*, in quibus arborum, avium, insularum natantium, et quarumlibet rerum effigies quasi expictæ apparent, quæ oculatissimos etiam decipiunt, ut vere putent illas ibidem existere; hi ergo sunt lapides stibini sive fuci, qui fucum faciunt oculis, eosque suis imaginibus quas repræsentant, deludunt.

ET MARMOR PARIUM, — ex Paro insula una ex Cycladibus, quod est album et præstantissimum. Ti *parium* non est in Hebræo, sed in Septuaginta et Nostro, quia marmor hoc a Davide ad Dei templum paratum, fuit selectum et optimum, quale est Parium.

EXCEPTIS IIS QUÆ PRÆPARAVI IN ADEM SANCTAM, — *q. d.* Præter illa quæ ex spoliis hostium et regnis subactis præparavi et concessi ad fabricam templi, quæ summam faciunt centum millium talentorum auri, et mille millium talentorum argenti, ut dictum est cap. XXII, vers. 14, insuper in eamdem domus Dei mei fabricam ex meo peculio do ea, quæ jam pridem obtuli et promisi, nimirum tria millia talentorum auri ex Ophir allati, ideoque præstantissimi, etc.

3. IMPLEAT MANUM SUAM, — auro et domus quæ

liberaliter vult offerre Deo pro fabrica templi.

6. PRINCIPES POSSESSIONUM REGIS. — scilicet præfecti vineis, agris, armentis, ovibus, cæterisque opibus Davidis.

17. IN SIMPLICITATE CORDIS MEI LETUS OBTULI. — Hebræus, *in rectitudine cordis*. Septuaginta, *in justitia*, q. d. Obtuli hæc simplici, id est sincero, recto et candido corde, et purissima intentione, non aliud spectans vel intendens quam Dei honorem et gloriam. Hoc enim omnino dignum et justum est.

21. IMMOLAVERUNTQUE VICTIMAS, — tum holocausta, tum pacificas e quibus comedere et epulari potuerant laici; unde ex his omnes epulati sunt. Subdit enim.

ABUNDANTISSIME IN OMNEM ISRAEL, — q. d. Tot victimæ abunde sufficerunt, ut ex iis omnes Israelitæ tunc præsentes laute epularentur.

ET UNXERUNT SECUNDO SALOMONEM, — prius enim privatim coram paucis unctus fuerat, lib. III Reg. cap. I, vers. 39, hic ergo secundo ungitur publice, ut omnes sciant eum esse regem Israelis, ac ut talem revereantur et colant. Hac de causa David convocavit totum populum, ut Salomon iterum præsente universo Israele et approbante ungeretur.

ET SADOC IN PONTIFICEM, — Quia Sadoc fuerat Pontifex a Saule designatus, Abiathar vero succedens Achitob et Heli pontificibus apud Davidem functus fuerat pontificatu; hinc nonnulli Saulis hostes et Davidis asseclæ, nolebant Sadoc recipere ut Pontificem: quare David jubet eum ungi in Pontificem, ut omnes eum ut talem acceptent et honorent. Noluit enim David Sadoc privare suo gradu, quem apud Saulem per tot annos habuerat, quique ei jure debebatur, eo quod esset ex posteris Eleazar, qui erat primogenitus Aaronis, ideoque ei in pontificatu successor.

COMMENTARIA

IN LIBRUM SECUNDUM

PARALIPOMENON.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon oblatis victimis in Gabaon, petit a Deo sapientiam, et impetrat cum maximis opibus et gloria, pompaque equitum et curruum.

1. Confortatus est ergo Salomon filius David in regno suo, et Dominus Deus ejus erat cum eo, et magnificavit eum in excelsum. 2. præcepitque Salomon universo Israeli, tribunis, et centurionibus, et ducibus, et judicibus omnis Israel, et principibus familiarum, 3. et abiit cum universa multitudine in Excelsum Gabaon, ubi erat tabernaculum fœderis Dei, quod fecit Moyses famulus Dei in solitudine. 4. Arcam autem Dei adduxerat David de Cariathiarim, in locum quem præparaverat ei, et ubi fixerat illi tabernaculum, hoc est in Jerusalem. 5. Altare quoque æneum, quod fabricatus fuerat Beseleel filius Uri filii Ur, ibi erat coram tabernaculo Domini: quod et requisivit Salomon, et omnis ecclesia. 6. Ascenditque Salomon ad altare æneum, coram tabernaculo fœderis Domini, et obtulit in eo mille hostias. 7. Ecce autem in ipsa nocte apparuit ei Deus, dicens: Postula quod vis, ut dem tibi. 8. Dixitque Salomon Deo: Tu fecisti cum David patre meo misericordiam magnam; et constituisti me regem pro eo. 9. Nunc ergo, Domine Deus, impleatur sermo tuus, quem pollicitus es David patri meo; tu enim me fecisti regem super populum tuum multum, qui tam innumerabilis est, quam pulvis terræ. 10. Da mihi sapientiam et intelligentiam, ut ingrediar et egrediar coram populo tuo: quis enim potest hunc populum tuum digne, qui tam grandis est, judicare? 11. Dixit autem Deus ad Salomonem: Quia hoc magis placuit cordi tuo, et non postulasti divitias, et substantiam, et gloriam, neque animas eorum qui te oderant, sed nec dies vitæ plurimos; petisti autem sapientiam et scientiam, ut judicare possis populum meum, super quem constitui te regem, 12. sapientia et scientia data sunt tibi: divitias autem et substantiam et gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus nec ante te, nec post te fuerit similis tui. 13. Venit ergo Salomon ab excelso Gabaon in Jerusalem coram tabernaculo fœderis, et regnavit super Israel. 14. Congregavitque sibi currus et equites, et facti sunt ei mille quadringenti currus, et duodecim millia equitum: et fecit eos esse in urbibus quadrigarum, et cum rege in Jerusalem. 15. Præbuitque rex argentum et aurum in Jerusalem quasi lapides, et cedros quasi sycomoros, quæ nascuntur in campestribus multitudine magna. 16. Adducebantur autem ei equi de Ægypto, et de Coa, a negotiatoribus regis, qui ibant, et emebant pretio. 17. quadrigam equorum sexcentis argenteis, et equum centum quinquaginta: similiter de universis regnis Hethæorum, et a regibus Syriæ, emptio celebrabatur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

liberaliter vult offerre Deo pro fabrica templi.

6. PRINCIPES POSSESSIONUM REGIS. — scilicet præfecti vineis, agris, armentis, ovibus, cæterisque opibus Davidis.

17. IN SIMPLICITATE CORDIS MEI LETUS OBTULI. — Hebræus, *in rectitudine cordis*. Septuaginta, *in justitia*, q. d. Obtuli hæc simplici, id est sincero, recto et candido corde, et purissima intentione, non aliud spectans vel intendens quam Dei honorem et gloriam. Hoc enim omnino dignum et justum est.

21. IMMOLAVERUNTQUE VICTIMAS, — tum holocausta, tum pacificas e quibus comedere et epulari potuerant laici; unde ex his omnes epulati sunt. Subdit enim.

ABUNDANTISSIME IN OMNEM ISRAEL, — q. d. Tot victimæ abunde sufficerunt, ut ex iis omnes Israelitæ tunc præsentes laute epularentur.

ET UNXERUNT SECUNDO SALOMONEM, — prius enim privatim coram paucis unctus fuerat, lib. III Reg. cap. I, vers. 39, hic ergo secundo ungitur publice, ut omnes sciant eum esse regem Israelis, ac ut talem revereantur et colant. Hac de causa David convocavit totum populum, ut Salomon iterum præsente universo Israele et approbante ungeretur.

ET SADOC IN PONTIFICEM, — Quia Sadoc fuerat Pontifex a Saule designatus, Abiathar vero succedens Achitob et Heli pontificibus apud Davidem functus fuerat pontificatu; hinc nonnulli Saulis hostes et Davidis asseclæ, nolebant Sadoc recipere ut Pontificem: quare David jubet eum ungi in Pontificem, ut omnes eum ut talem acceptent et honorent. Noluit enim David Sadoc privare suo gradu, quem apud Saulem per tot annos habuerat, quique ei jure debebatur, eo quod esset ex posteris Eleazar, qui erat primogenitus Aaronis, ideoque ei in pontificatu successor.

COMMENTARIA

IN LIBRUM SECUNDUM

PARALIPOMENON.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon oblatis victimis in Gabaon, petit a Deo sapientiam, et impetrat cum maximis opibus et gloria, pompaque equitum et curruum.

1. Confortatus est ergo Salomon filius David in regno suo, et Dominus Deus ejus erat cum eo, et magnificavit eum in excelsum. 2. præcepitque Salomon universo Israeli, tribunis, et centurionibus, et ducibus, et judicibus omnis Israel, et principibus familiarum, 3. et abiit cum universa multitudine in Excelsum Gabaon, ubi erat tabernaculum fœderis Dei, quod fecit Moyses famulus Dei in solitudine. 4. Arcam autem Dei adduxerat David de Cariathiarim, in locum quem præparaverat ei, et ubi fixerat illi tabernaculum, hoc est in Jerusalem. 5. Altare quoque æneum, quod fabricatus fuerat Beseleel filius Uri filii Ur, ibi erat coram tabernaculo Domini: quod et requisivit Salomon, et omnis ecclesia. 6. Ascenditque Salomon ad altare æneum, coram tabernaculo fœderis Domini, et obtulit in eo mille hostias. 7. Ecce autem in ipsa nocte apparuit ei Deus, dicens: Postula quod vis, ut dem tibi. 8. Dixitque Salomon Deo: Tu fecisti cum David patre meo misericordiam magnam; et constituisti me regem pro eo. 9. Nunc ergo, Domine Deus, impleatur sermo tuus, quem pollicitus es David patri meo; tu enim me fecisti regem super populum tuum multum, qui tam innumerabilis est, quam pulvis terræ. 10. Da mihi sapientiam et intelligentiam, ut ingrediar et egrediar coram populo tuo: quis enim potest hunc populum tuum digne, qui tam grandis est, judicare? 11. Dixit autem Deus ad Salomonem: Quia hoc magis placuit cordi tuo, et non postulasti divitias, et substantiam, et gloriam, neque animas eorum qui te oderant, sed nec dies vitæ plurimos; petisti autem sapientiam et scientiam, ut judicare possis populum meum, super quem constitui te regem, 12. sapientia et scientia data sunt tibi: divitias autem et substantiam et gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus nec ante te, nec post te fuerit similis tui. 13. Venit ergo Salomon ab excelso Gabaon in Jerusalem coram tabernaculo fœderis, et regnavit super Israel. 14. Congregavitque sibi currus et equites, et facti sunt ei mille quadringenti currus, et duodecim millia equitum: et fecit eos esse in urbibus quadrigarum, et cum rege in Jerusalem. 15. Præbuitque rex argentum et aurum in Jerusalem quasi lapides, et cedros quasi sycomoros, quæ nascuntur in campestribus multitudine magna. 16. Adducebantur autem ei equi de Ægypto, et de Coa, a negotiatoribus regis, qui ibant, et emebant pretio. 17. quadrigam equorum sexcentis argenteis, et equum centum quinquaginta: similiter de universis regnis Hethæorum, et a regibus Syriæ, emptio celebrabatur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hoc caput usque ad vers. 13 explicui, libro III *Reg.* cap. III, cætera vero cap. X, vers. 26.

3. ALTARE QUOQUE ÆNEUM, — id est altare holocaustorum, in quo cremabantur victimæ, quod profunde erat æneum; alterum enim altare thymiamatis, in quo Deo adolebatur incensum, erat aureum.

REQUISIVIT, — proficiscendo in Gabaon, ubi erat altare æneum, ut in eo offerret mille victimas.

10. UT INGREDIAR ET EGREDAR CORAM POPULO, — ut quasi rex populum ducam et reducam, quocumque opus est, sicut pastor oves ad pascua educit, et vespere ad caulam reducit.

11. CORAM TABERNACULO FOEDERIS. — Hebræus, *de coram tabernaculo*; Septuaginta, *a facie tabernaculi*, hoc enim erat in Gabaon, a quo discedens Salomon redibat in Jerusalem.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon ad templi fabricam destinat 70 millia bajulorum, et 80 millia latomorum; paciscitur cum Hiram de insigni architecto lignisque transmittendis.

1. Decrevit autem Salomon ædificare domum nomini Domini, et palatium sibi. 2. Et numeravit septuaginta millia virorum portantium humeris, et octoginta millia qui cæderent lapides in montibus, præpositosque eorum tria millia sexcentos. 3. Misit quoque ad Hiram regem Tyri, dicens : Sicut egisti cum David patre meo et misisti ei ligna cedrina ut ædificaret sibi domum, in qua et habitavit : 4. sic fac mecum, ut ædificem domum nomini Domini Dei mei, ut consecrem eam ad adolendum incensum coram illo, et fumiganda aromata, et ad propositionem panum sempiternam, et ad holocautomata mane, et vespere, sabbatis quoque, et neomeniis, et solemnitatibus Domini Dei nostri in sempiternum, quæ mandata sunt Israeli. 5. Domus enim, quam ædificare cupio, magna est : magnus est enim Deus noster super omnes deos. 6. Quis ergo poterit prævalere, ut ædificet ei dignam domum? si cœlum, et cœli cœlorum capere eum nequeunt : quantus ego sum, ut possim ædificare ei domum? sed ad hoc tantum, ut adoleatur incensum coram illo. 7. Mitte ergo mihi virum eruditum, qui noverit operari in auro, et argento, ære, et ferro, purpura, coccino, et hyacintho, et qui sciat sculpere cælaturas, cum his artificibus, quos mecum habeo in Judæa et Jerusalem, quos præparavit David pater meus. 8. Sed et ligna cedrina mitte mihi, et arcuthina, et pineas, de Libano : scio enim quod servi tui noverint cædere ligna de Libano, et erunt servi mei cum servis tuis, 9. ut parentur mihi ligna plurima. Domus enim, quam cupio ædificare magna est nimis, et inclyta. 10. Præterea operariis, qui cæsuri sunt ligna, servis tuis dabo in cibaria tritici coros viginti millia, et hordei coros totidem, et vini viginti millia metretas, olei quoque sata viginti millia. 11. Dixit autem Hiram rex Tyri per litteras, quas miserat Salomoni : Quia dilexit Dominus populum suum, idcirco te regnare fecit super eum. 12. Et addidit, dicens : Benedictus Dominus Deus Israel, qui fecit cœlum et terram, qui dedit David regi filium sapientem et eruditum et sensatum atque prudentem, ut ædificaret domum Domino, et palatium sibi. 13. Misi ergo tibi virum prudentem et scientissimum Hiram, patrem meum, 14. filium mulieris de filiabus Dan, cujus pater fuit Tyrius, qui novit operari in auro et argento, ære, et ferro, et marmore, et lignis, in purpura quoque et hyacintho, et bysso, et coccino : et qui scit cælare omnem sculpturam et adinvenire prudenter quodcumque in opere necessarium est, cum artificibus tuis, et cum artificibus domini mei David patris tui. 15. Triticum ergo, et hordeum, et oleum, et vinum, quæ pollicitus es, domine mi, mitte servis tuis. 16. Nos autem cædemus ligna de Libano, quot necessaria habueris, et applicabimus ea ratibus per mare in Joppe : tuum autem erit transferre ea in Jerusalem. 17. Numeravit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terra Israel, post dinumerationem, quam dinumeravit David pater ejus, et inventi sunt centum quinquaginta millia, et tria millia sexcenti. 18. Fecitque ex eis septuaginta millia, qui humeris onera portarent, et octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent : tria autem millia et sexcentos præpositos operum populi

Hoc caput exposui lib. III *Reg.* cap. V.

2. NUMERAVIT SEPTUAGINTA MILLIA VIRORUM. — Hi non erant Israelitæ, sed proselyti, ut patet vers. 17.

PRÆPOSITOS, — qui dirigerent, et simul urgerent operarios ad fabricam templi accelerandam, et concinne adornandam : hoc enim significat Hebraice נצב *natsach*.

13. HIRAM PATREM MEUM, — quem scilicet ego ob virtutem, sapientiam et industriam, veneror ut patrem. Vide dicta libro III *Reg.* capite VII, vers. 13. — Hebræus, Septuaginta et Chaldæus habent, *Hiram patris mei*, subaudi, architectum et famulum.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon magnificum extruit templum et ante illud duas collocat columnas, Jachin et Booz.

1. Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat David patri ejus, in loco quem paraverat David in area Ornan Jebusæi. 2. Cœpit autem ædificare mense secundo, anno quarto regni sui. 3. Et hæc sunt fundamenta, quæ jecit Salomon, ut ædificaret domum Dei, longitudinis cubitos in mensura prima sexaginta, latitudinis cubitos viginti. 4. Porticum vero ante frontem, quæ tendebatur in longum juxta mensuram latitudinis domus, cubitorum viginti : porro altitudo centum viginti cubitorum erat : et deauravit eam intrinsecus auro mundissimo. 5. Domum quoque majorem texit tabulis ligneis abiegnis, et laminas auri obrizi affixit per totum ; sculpsitque in ea palmas, et quasi catenulas se invicem complectentes. 6. Stravit quoque pavimentum templi pretiosissimo marmore, decore multo. 7. Porro aurum erat probatissimum, de cujus laminis texit domum, et trabes ejus, et postes, et parietes, et ostia : et cælavit cherubim in parietibus. 8. Fecit quoque domum Sancti sanctorum : longitudinem juxta latitudinem domus cubitorum viginti : et latitudinem similiter viginti cubitorum : et laminis aureis texit eam, quasi talentis sexcentis. 9. Sed et clavos fecit aureos, ita ut singuli clavi sicos quinquagenos appenderent : cænacula quoque texit auro. 10. Fecit etiam in domo Sancti sanctorum cherubim duos, opere statuario : et texit eos auro. 11. Alæ cherubim viginti cubitis extendebantur, ita ut una ala haberet cubitos quinque, et tangeret parietem domus : et altera quinque cubitos habens, alam tangeret alterius cherub. 12. Similiter cherub alterius ala, quinque habebat cubitos, et tangebat parietem : et ala ejus altera quinque cubitorum, alam cherub alterius contingebat. 13. Igitur alæ utriusque cherubim expansæ erant, et extendebantur per cubitos viginti : ipsi autem stabant erectis pedibus, et facies eorum erant versæ ad exteriorem domum. 14. Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, cocco, et bysso : et texuit ei cherubim. 15. Ante fores etiam templi duas columnas, quæ triginta et quinque cubitos habebant altitudinis : porro capita earum, quinque cubitorum. 16. Nec non et quasi catenulas in oraculo, et superposuit eas capitibus columnarum : malogranata etiam centum, quæ catenulis interposuit. 17. Ipsas quoque columnas posuit in vestibulo templi, unam a dextris, et alteram a sinistris : eam, quæ a dextris erat, vocavit Jachin ; et quæ ad lævam, Booz.

Hoc caput explicui III *Reg.* VI.

4. IN MONTE MORIA, — in quo olim Abraham filium suum Isaac Deo obtulerat, *Genes.* XXII, 14, unde in eodem Christus antitypus se in eodem holocaustum Deo obtulit pro mundi salute. Calvariæ enim mons pars est, vel appendix montis Moria.

3. LONGITUDINIS CUBITOS IN MENSURA PRIMA, — quia secunda mensura fuit, qua hi 60 cubiti divisi et dimensi sunt in duas sectiones, scilicet ut ex eis Sanctum haberet 40 cubitos, reliquos vero 20 haberet Sanctum sanctorum. Vide dicta lib. III *Reg.* cap. VI, vers. 1, sub finem.

5. DOMUM MAJOREM (ita vocat *Sanctum*, quod erat majus Sancto sanctorum) TEXIT TABULIS ABIETINIS, — ex abiete, sed immixtis «laquearibus cedrinis,» ut dicitur III *Reg.* VI, 9.

7. PONRO AURUM ERAT PROBATISSIMUM, — Hebraice, *erat aurum Parvaim*, scilicet effossum ex loco dicto *Ophir*, et per aphæresim *Parvaim*, vel ut Septuaginta vertunt *aurum ex Phasualim*. Sic et Pagninus, Vatablus, Arias, Marinus, et alii qui putant *Parvaim* esse *Peru*. Videtur enim utrobique esse eadem vox eademque littera. Dici vero *Parvaim* in duali, quia regio *Peru* est duplex, major scilicet et minor. Verum nomen *Peru* tunc erat incognitum, et etiamnum indigenis *Peru* est ignotum. Inditum est enim isti regioni nuper ab Hispanis, a flumine vicino quodam ita dicto, uti testatur Josephus Acosta, qui in *Peru* vixit quindecim annis, lib. I *De novo orbe*, cap. XIV.

Marinus in *Lexico* scribit nonnullos *Parvaim* deducere a *par*, id est *juvencus*, eo quod aurum *Parvaim* rubeat ut sanguis juvenci.

Melius dicas *Ophir* et *Parvaim* esse in India Orientali, esseque Sumatram, Taprobanam, Pegu, et alias ibidem auriferas regiones, quæ a Salomone et Hebræis nuncupatæ sint *Ophir*, et *Parvaim* a radice פרה *phara*, id est *fructificavit*, eo quod summe sint fragiferæ et auri feracissimæ. Hæ voces quoque alludunt ad אפר *Epher*, id est *cinis*, eo quod massa terræ, e quibus liquatur aurum, habeant colorem cinereum; sicut rubricæ, e qua liquatur ferrum, habet colorem terræ rubræ. Alludit quoque ad פאר *pear*, id est *decus*, splendor, q. d. Sub *Epher*, id est *cinere*, latet *pear*, id est *aurum decorum*, fulgidum et splendidum. Vide dicta III *Reg.* cap. IX, vers. ult.

10. IN ORACULO, — id est sicut in oraculo. Erant enim hæ catenulæ in columnis, similes catenulis oraculi, sive Sancti sanctorum.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon fabricat altare holocaustorum, mare fusile, duas concas aureas, decem candelabra aurea, mensas, phialas, cæteraque vasa templi.

1. Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, et viginti cubitorum latitudinis, et decem cubitorum altitudinis. 2. Mare etiam fusile decem cubitis a labio usque ad labium, rotundum per circuitum : quinque cubitos habebat altitudinis, et funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum ejus. 3. Similitudo quoque boum erat subter illud, et decem cubitis quædam extrinsecus cælaturæ, quasi duobus versibus alvum maris circuibant. Boves autem erant fusiles : 4. et ipsum mare super duodecim boves impositum erat, quorum tres respiciebant ad Aquilonem, et alii tres ad Occidentem : porro tres alii Meridiem, et tres qui reliqui erant Orientem, habentes mare superpositum : posteriora autem boum erant intrinsecus sub mari. 5. Porro vastitas ejus habebat mensuram palmi, et labium illius erat quasi labium calicis, vel repandi lilii : capiebatque tria millia metretas. 6. Fecit quoque conchas decem : et posuit quinque a dextris, et quinque a sinistris, ut lavarent in eis omnia quæ in holocaustum oblaturi erant : porro in mari sacerdotes lavabantur. 7. Fecit autem et candelabra aurea decem, secundum speciem qua jussa erant fieri : et posuit ea in templo, quinque a dextris, et quinque a sinistris. 8. Nec non et mensas decem : et posuit eas in templo, quinque a dextris, et quinque a sinistris : phialas quoque aureas centum. 9. Fecit etiam atrium sacerdotum, et basilicam grandem : et ostia in basilica, quæ texit ære. 10. Porro mare posuit in latere dextro contra Orientem ad Meridiem. 11. Fecit autem Hiram lebetes, et creagras, et phialas : 12. hoc est, columnas duas, et epistilia, et capita, et quasi quædam retiacula, quæ capita tegerent super epistylia. 13. Malogranata quoque quadraginta, et retiacula duo, ita ut bini ordines malogranatorum singulis retiaculis jungerentur, quæ protegerent epistylia, et capita columnarum. 14. Bases etiam fecit, et conchas, quas superposuit basibus : 15. mare unum, boves quoque duodecim sub mari, 16. et lebetes, et creagras, et phialas. Omnia vasa fecit Salomoni Hiram pater ejus in domo Domini ex ære mundissimo. 17. In regione Jordanis fudit ea rex in argilosa terra, inter Sochot et Saredatha. 18. Erat autem multitudo vasorum innumerabilis, ita ut ignoraretur pondus æris. 19. Fecitque Salomon omnia vasa domus Dei, et altare aureum, et mensas, et super eas panes propositionis : 20. candelabra quoque cum lucernis suis, ut lucerent ante oraculum juxta ritum ex auro purissimo : 21. et florentia quædam, et lucernas, et forcipes aureos : omnia de auro mundissimo facta sunt. 22. Thymiateria quoque, et thuribula, et phialas, et mortariola, ex auro purissimo. Et ostia cælavit templi interioris, id est, in Sancta sanctorum : et ostia templi forinsecus aurea. Sicque completum est omne opus quod fecit Salomon in domo Domini.

Hoc caput explicui III *Reg.* VII.

2. FUNICULUS TRIGINTA CUBITORUM. — Funiculum vocat circulum, sive peripheriam maris ænei, quæ erat 30 cubitorum, scilicet triplo major diametro ejusdem.

3. SIMILITUDO QUOQUE BOUM ERAT SUBTER ILLUD, etc., — q. d. Præter duodecim boves æneos, quibus mare fusile incumbebat, erant in anteriore maris parte per spatium decem cubitorum (quæ erat tertia peripheriæ pars : tota enim erat triginta cubitorum) alia boum capita eminentia ad elegantiam; forte etiam ut per illa quasi epistomia aqua educeretur. Porro hæc capita erant, « duobus versibus. » Hebraice, *duobus ordinibus* distincta; unus enim ordo erat infra labium, alter versus fundum. Erantque *fusilia*, Hebraice, *fusa in fusuras ejus*, scilicet maris, q. d. Hæc capita non erant forinsecus adjecta et appacta mari, sed cum ipso mari primitus fusorio opere fusa.

9. FECIT ATRIUM SACERDOTUM ET BASILICAM GRANDEM, — id est, ut habent Hebræus et Septuaginta, *atrium magnum*, in quo populus orabat, quæ erat subdialis area undique porticibus cincta, ut tempore pluvio iis tegeretur populus, eo se recipiens : quæ porticus triplici columnarum ordine, et triplici contignatione distinguebantur. Porro hoc atrium populi cingebat et ambiebat a tribus latoribus atrium sacerdotum, eratque quasi templum populi. Hinc Hebraice dicitur *azara*, id est *adjutorium*, quia Deum ibi orans populus ejus auxilium sentiebat; in hujus divini adjutorii exemplum, in eo Deus, quin et gentiles asylum constituerunt; et forte ex *azer cairan*, et inde *asylum* dictum est. Testis est Strabo, libro XIV, et Cicero, oratio III *in Verrem*, Ephesi Dianæ templum id juris habuisse, ut ad illud confugientes mancipia vinculis et servitute solverentur. Quin et Ælianus, libro XI *De animal.* cap. VI, et Gyraldus syntag. XV, *De diis gentium*, memorant in Parthenio monte delubrum fuisse Panis, ibique locum nomine Asilum omnibus animalibus fuisse velut asylum, quem leones et lupi, dum feras insectabantur, adire non auderent, sed repente subsisterent feris relictis. Sicut ferunt in Dianæ Ætolis loco canes, dum feras insequuntur, ubi ad locum confugerint, ab insectatione quiescere. Quæ omnia, ait Vilalpandus *in Ezech.* tom. II, pag. 302, dæmonis figmenta, ad æmulandam Deo opem in templis sibi dicatis demonstratam excogitata sunt, Sic Barbari quasi a Deo territi, templis abstinuerunt, ait S. Augustinus, lib. I *De Civit.* V, III, IV, VI.

21. ET FLORENTIA QUÆDAM. — Hebraice, *et flores*, v. g. rosarum, lilliorum, cariophyllorum, etc. « erant hi flores ex auro fabrefacti.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon vasa sacra cum donariis in templum, arcamque fœderis in Sanctum sanctorum inducit : Deus per nubulam in eodem gloriam suam ostendit.

1. Intulit igitur Salomon omnia quæ voverat David pater suus, argentum, et aurum, et universa vasa, posuit in thesauris domus Dei. 2. Post quæ congregavit majores natu Israel,

et cunctos principes tribuum, et capita familiarum de filiis Israel in Jerusalem, ut adducerent arcam fœderis Domini de Civitate David, quæ est Sion. 3. Venerunt itaque ad regem omnes viri Israel in die solemni mensis septimi. 4. Cumque venissent cuncti seniorum Israel, portaverunt Levitæ arcam, 5. et intulerunt eam, et omnem paraturam tabernaculi. Porro vasa sanctuarii quæ erant in tabernaculo, portaverunt Sacerdotes cum Levitis. 6. Rex autem Salomon, et universus cœtus Israel, et omnes qui fuerunt congregati ante arcam, immolabant arietes, et boves absque ullo numero : tanta enim erat multitudo victimarum. 7. Et intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, id est ad oraculum templi in Sancta sanctorum subter alas cherubim : 8. ita ut cherubim expanderent alas suas super locum, in quo posita erat arca, et ipsam arcam tegerent cum vectibus suis. 9. Vectium autem, quibus portabatur arca, quia paululum longiores erant, capita parebant ante oraculum : si vero quis paululum fuisset extrinsecus, eos videre non poterat. Fuit itaque arca ibi usque in præsentem diem. 10. Nihilque erat aliud in arca, nisi duæ tabulæ, quas posuerat Moyses in Horeb, quando legem dedit Dominus filiis Israel egredientibus ex Ægypto. 11. Egressis autem Sacerdotibus de sanctuario (omnes enim Sacerdotes, qui ibi potuerant inveniri, sanctificati sunt : nec adhuc in ille tempore fices, et ministeriorum ordo inter eos divisus erat), 12. tam Levitæ quam cantores, id est, et qui sub Asaph erant, et qui sub Eman, et qui sub Idithun, filii, et fratres eorum, vestiti byssinis, cymbalis, et psalteriis, et citharis concrepabant, stantes ad Orientalem plagam altaris : et cum eis Sacerdotes centum viginti canentes tubis. 13. Igitur cunctis pariter, et tubis, et voce, et cymbalis, et organis, et diversi generis musicorum concinentibus, et vocem in sublime tollentibus, longe sonitus audiebatur; ita ut cum Dominum laudare cœpissent et dicere : Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus; impleretur domus Dei nube, 14. nec possent Sacerdotes stare et ministrare propter caliginem. Compleverat enim gloria Domini domum Dei.

CAPUT hoc exposui III Reg. VIII.

Vers. 9. 9. VECTIUM AUTEM, etc. (Sensus est, q. d. Vectes quibus portabatur arca, longiores erant, non oraculo, sed ipsa arca; quare si manebant vectes, sed intus qui stabant in Sancto, ad latus Oraculi, sive Sancti sanctorum si quis vere) EXTRINSECUS. — id est extra fores Oraculi remotius constitisset, eos videre non poterat.

FUIT ITAQUE ARCA IBI USQUE IN PRÆSENTEM DIEM, quo scilicet hæc scripsit ille, qui fuerit sive Chronica Regum Juda conscripsit, ex quibus tres Libros Paralipomenon conscripsit et qui finavit Esdras. Nam tempore ipsius Esdræ arca non erat in templo, cujus jam a tredecim annis exusti, sed ante urbis templique excidium arcam Jeremias translata fuit in locum incognitum, ut dicitur libro II Machab. cap. II, vers. 4.

10. NIHILQUE ERAT IN ARCA, NISI DUÆ TABULÆ. — Quomodo urna cum manna, et Deuteronomium dicantur fuisse in arca, explicui Hebr. cap. IX, vers. 4.

11. NEC ADHUC IN ILLO TEMPORE (dedicationis templi) VICES ET ORDO INTER SACERDOTES DIVISUS ERAT. — Referitur, non observabatur, sicut exacte observatus fuit post templi dedicationem (1). Ad hanc enim ob victimas plurimas in ea sacrificandas non sufficiebant Sacerdotes et Levitæ, quorum vices nunc tandem erant istæ hebdomadæ; sed convocati omnes confluxere ex toto Israele quotquot adesse potuerant.

(1) Decreverat quidem David, lib. I Paralipom. XXIV, ordinem ministrorum templi, sed hujus decreti executio usque post constitum templum dilata fuit.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon populo benedicit, ac Deo gratias agit, quod promissa Davidi de fabrica templi in se complesset, eumque obsecrat ut vota orantium in templo exaudiat.

1. Tunc Salomon ait : Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine : 2. ego autem ædificavi domum nomini ejus, ut habitaret ibi in perpetuum. 3. Et convertit rex faciem suam, et benedixit universæ multitudini Israel (nam omnis turba stabat intenta) et ait : 4. Benedictus Dominus Deus Israel, qui quod locutus est David patri meo, opere complevit dicens : 5. A die, qua eduxi populum meum de terra Ægypti, non elegi civitatem de cunctis tribubus Israel, ut ædificaretur in ea domus nomini meo; neque elegi quemquam alium virum, ut esset dux in populo meo Israel, 6. sed elegi Jerusalem, ut sit nomen meum in ea, et elegi David, ut constituerem eum super populum meum Israel. 7. Cumque fuisset voluntatis David patris mei, ut ædificaret domum nomini Domini Dei Israel, 8. dixit Dominus ad eum : Quia hoc fuit voluntas tua, ut ædificares domum nomini meo, bene quidem fecisti hujuscemodi habere voluntatem : 9. sed non tu ædificabis domum, verum filius tuus, qui egredietur de lumbis tuis, ipse ædificabit domum nomini meo. 10. Complevit ergo Dominus sermonem suum, quem locutus fuerat : et ego surrexi pro David patre meo, et sedi super thronum Israel, sicut locutus est Dominus : et ædificavi domum nomini Domini Dei Israel. 11. Et posui in ea arcam, in qua est pactum Domini, quod pepigit cum filiis Israel. 12. Stetit ergo coram altari Domini ex adverso universæ multitudinis Israel, et extendit manus suas. 13. Siquidem fecerat Salomon basim æneam, et posuerat eam in medio basilicæ, habentem quinque cubitos longitudinis, et quinque cubitos latitudinis, et tres cubitos altitudinis : stetitque super eam : et deinceps flexis genibus contra universam multitudinem Israel, et palmis in cœlum levatis, 14. ait : Domine Deus Israel, non est similis tui. Deus in cœlo et in terra : qui custodis pactum et misericordiam cum servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo : 15. qui præstitisti servo tuo David patri meo quæcumque locutus fueras ei : et quam ore promiseras, opere complesti, sicut et præsens tempus probat. 16. Nunc ergo, Domine Deus Israel, imple servo tuo patri meo David quæcumque locutus es, dicens : Non deficiet ex te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel : ita tamen si custodierint filii tui vias suas, et ambulaverint in lege mea, sicut et tu ambulasti coram me. 17. Et nunc, Domine Deus Israel, firmetur sermo tuus, quem locutus es servo tuo David. 18. Ergone creditum est ut habitet Deus cum hominibus super terram? Si cœlum et cœli cœlorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam ædificavi? 19. Sed ad hoc tantum facta est, ut respicias orationem servi tui, et obsecrationem ejus, Domine Deus meus, et audias preces quas fundit famulus tuus coram te; 20. ut aperias oculos tuos super domum istam diebus ac noctibus, super locum, in quo pollicitus es ut invocaretur nomen tuum, 21. et exaudires orationem quam servus tuus orat in eo : et exaudias preces famuli tui, et populi tui Israel. Quicumque oraverit in loco isto, exaudi de habitaculo tuo, id est de cœlis, et propitiare. 22. Si peccaverit quispiam in proximum suum, et jurare contra eum paratus venerit, seque maledicto constrinxerit coram altari in domo ista : 23. tu audies de cœlo, et facies judicium servorum tuorum, ita ut reddas iniquo viam suam in caput proprium, et ulciscaris justum, retribuens ei secundum justitiam suam. 24. Si superatus fuerit populus tuus Israel ab inimicis (peccabunt enim tibi) et conversi egerint pœnitentiam, et obsecraverint nomen tuum, et fuerint deprecati in loco isto, 25. tu exaudies de cœlo, et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

propitiare peccato populi tui Israel, et reduc eos in terram quam dedisti eis, et patribus eorum. 26. Si clauso cœlo, pluvia non fluxerit propter peccata populi, et deprecati te fuerint in loco isto, et confessi nomini tuo, et conversi a peccatis suis, cum eos afflixeris, 27. exaudi de cœlo, Domine, et dimitte peccata servis tuis et populi tui Israel, et doce eos viam bonam, per quam ingrediantur : et da pluviam terræ, quam dedisti populo tuo ad possidendum. 28. Fames si orta fuerit in terra, et pestilentia, ærugo, et aurugo, et locusta, et bruchus, et hostes vastatis regionibus portas obsederint civitatis, omnisque plaga et infirmitas presserit : 29. si quis de populo tuo Israel fuerit deprecatus, cognoscens plagam et infirmitatem suam, et expanderit manus suas in domo hac, 30. tu exaudies de cœlo, de sublimi scilicet habitaculo tuo, et propitiare, et redde unicuique secundum vias suas, quas nosti eum habere in corde suo (tu enim solus nosti corda filiorum hominum) : 31. ut timeant te, et ambulent in viis tuis cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terræ quam dedisti patribus nostris. 32. Etenim quoque, qui non est de populo tuo Israel, si venerit de terra longinqua, propter nomen tuum magnum, et propter manum tuam robustam, et brachium tuum extentum, et adoraverit in loco isto, 33. tu exaudies de cœlo firmissimo habitaculo tuo, et facies cuncta, pro quibus invocaverit te ille peregrinus, ut scient omnes populi terræ nomen tuum, et timeant te sicut populus tuus Israel : et cognoscant, quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam ædificavi. 34. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra adversarios suos per viam in qua miseris eos, adorabunt te contra viam, in qua civitas hæc est, quam elegisti, et domus, quam ædificavi nomini tuo : 35. tu exaudies de cœlo preces eorum, et obsecrationem, et ulciscaris. 36. Si autem peccaverint tibi (neque enim est homo qui non peccet) et iratus fueris eis, et tradideris hostibus, et captivos duxerint eos in terram longinquam, vel certe quæ juxta est, 37. et conversi in corde suo, in terra, ad quam captivi ducti fuerant, egerint pœnitentiam, et deprecati te fuerint in terra captivitatis suæ, dicentes : Peccavimus, iniquæ fecimus, injuste egimus; 38. et reversi fuerint ad te in toto corde suo, et in tota anima sua, in terra captivitatis suæ, ad quam ducti sunt, adorabunt te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, et urbis, quam elegisti, et domus, quam ædificavi nomini tuo : 39. tu exaudies de cœlo, hoc est, de firmo habitaculo tuo, preces eorum, et facias judicium, et dimittas populo tuo, quamvis peccatori : 40. tu es enim Deus meus : aperiantur, quæso, oculi tui, et aures tuæ intentæ sint ad orationem quæ fit in loco isto. 41. Nunc igitur consurge, Domine Deus, in requiem tuam, tu et arca fortitudinis tuæ : Sacerdotes tui, Domine Deus, induantur salutem, et sancti tui lætentur in bonis. 42. Domine Deus, ne averteris faciem christi tui : memento misericordiarum David servi tui.

Hoc caput explicui III *Reg.* VIII, 12.

43. FECERAT SALOMON BASIM ÆNEAM, per modum suggestus alterius, in quo sedens docuisque, vel genuflectens et orans audiretur a toto populo circumstante. Unde addit :

IN MEDIO BASILICÆ, — id est in medio atrii populi, ut dixi cap. IV, 9.

28. ÆRUGO ET AURUGO, — vitia sunt segetum, cum illæ instar aeris et auri rubiginem et quasi idcirco, ictericumque colorem contrahunt, ut contabescant et exinaniantur.

41. CONSURGE, DOMINE, IN REQUIEM TUAM, — ut in templo hoc, quod a me fieri jussisti, nobiscum et inter nos quiescas, habitesque jugiter. Requies ergo Dei est templum; ibi enim colitur ipse precibus, votis, sacrificiis, etc.

TU ET ARCA FORTITUDINIS TUÆ; — in ARCA enim Deus ostendere solebat suam potentiam et fortitudinem, cum ad ejus præsentiam Jordanem divisit, Jerichuntis muros prostravit, Chananæos, Philistæos, aliosque hostes Israelis debellavit.

SACERDOTES TUI, DOMINE DEUS, INDUANTUR SALUTEM, — et plane plusquam sint sani et salvi, ut et laicos salvare queant. « Salutem » intelligit tum corporalem, tum potius spiritualem, nimirum justitiam et sanctitatem. Alludit enim ad *Psalm.* CXXXI, 9 : « Sacerdotes tui induantur justitiam, » id est justitia et vitæ sanctitate ita abundent, ut ea quasi veste undique ambiri cinguique videantur.

42. NE AVERTAS FACIEM CHRISTI TUI, — id est mei VEL ab ipsius, qui a te factus sum christus, id est unctus

in regem, *q. d.* Ne me a te creatum regem et facie supplici in cœlum ad te intenta orantem repellas; ne me meamque faciem [illegible] nas, et pudore suffundas.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus igne e cœlo misso victimas Salomonis inflammat, atque revelat se ejus preces exaudisse, ut orantes in templo pro qualibet necessitate exaudiat.

1. Cumque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cœlo, et devoravit holocausta et victimas : et majestas Domini implevit domum. 2. Nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod implesset majestas Domini templum Domini. 3. Sed et omnes filii Israel videbant descendentem ignem, et gloriam Domini super domum : et corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide, adoraverunt, et laudaverunt Dominum : Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. 4. Rex autem, et omnis populus, immolabant victimas coram Domino. 5. Mactavit igitur rex Salomon hostias, boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia : et dedicavit domum Dei rex, et universus populus. 6. Sacerdotes autem stabant in officiis suis; et Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David rex ad laudandum Dominum : Quoniam in æternum misericordia ejus, hymnos David canentes per manus suas : porro Sacerdotes canebant tubis ante eos, cunctusque Israel stabat. 7. Sanctificavit quoque Salomon medium atrii ante templum Domini; obtulerat enim ibi holocausta et adipes pacificorum : quia altare æneum, quod fecerat, non poterat sustinere holocausta, et sacrificia, et adipes. 8. Fecit ergo Salomon solemnitatem in tempore illo septem diebus, et omnis Israel cum eo, ecclesia magna valde, ab introitu Emath usque ad Torrentem Ægypti. 9. Fecitque die octavo collectam, eo quod dedicasset altare septem diebus, et solemnitatem celebrasset diebus septem. 10. Igitur in die vigesimo tertio mensis septimi dimisit populos ad tabernacula sua, lætantes atque gaudentes super bono, quod fecerat Dominus Davidi, et Salomoni, et Israeli populo suo. 11. Complevitque Salomon domum Domini, et domum regis, et omnia quæ disposuerat in corde suo, ut faceret in domo Domini, et in domo sua, et prosperatus est. 12. Apparuit autem ei Dominus nocte, et ait : Audivi orationem tuam, et elegi locum istum mihi in domum sacrificii. 13. Si clausero cœlum, et pluvia non fluxerit, et mandavero et præcepero locustæ, ut devoret terram, et misero pestilentiam in populum meum : 14. conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, et exquisierit faciem meam, et egerit pœnitentiam a viis suis pessimis : et ego exaudiam de cœlo, et propitius ero peccatis eorum, et sanabo terram eorum. 15. Oculi quoque mei erunt aperti, et aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit. 16. Elegi enim, et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei, et cor meum, ibi cunctis diebus. 17. Tu quoque si ambuleveris coram me, sicut ambulavit David pater tuus, et feceris juxta omnia quæ præcepi tibi, et justitias meas judiciaque servaveris : 18. suscitabo thronum regni tui, sicut pollicitus sum David patri tuo, dicens : Non auferetur de stirpe tua vir, qui sit princeps in Israel. 19. Si autem aversi fueritis, et dereliqueritis justitias meas, et præcepta mea, quæ proposui vobis, et abeuntes servieritis diis alienis, et adoraveritis eos, 20. evellam vos de terra mea, quam dedi vobis : et domum hanc, quam sanctificavi nomini meo, projiciam a facie mea, et tradam eam in parabolam, et in exemplum cunctis populis. 21. Et domus ista erit in proverbium universis transeuntibus, et dicent stupentes : Quare fecit Dominus sic terræ huic, et domui

huic? 23. Respondebuntque : Quia dereliquerunt Dominum Deum patrum suorum qui eduxit eos de terra Ægypti, et apprehenderunt deos alienos, et adoraverunt eos, et coluerunt : idcirco venerunt super eos universa hæc mala.

Hoc caput explicui III *Reg.* VIII et IX.

Vers. 5. 2. MAJESTAS. — Hebraice כבוד *cabod*, id est *gloria*, puta caligo sive nubes splendida et gloriosa, Dei invisibilis majestatem et gloriam repræsentans.

Vers. 6. 6. SACERDOTES AUTEM STABANT IN OFFICIIS SUIS; (Hebraice per *custodias suas*, scilicet divisi in suas turmas, per officia singulis a Davide imposita. Sic et stabant Levitæ) IN ORGANIS CARMINUM, (hoc est cum instrumentis musicis, etc., hymnos) CANENTES PER MANUS SUAS — manibus scilicet pulsando instrumenta musica, quibus psallebant hymnos et carmina, puta psalmos a Davide ad Deum laudandum compositos.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon novem palatium multasque urbes ædificat; reliquias Chananæorum subjugat; statuit vicenas statas impensas regis sacrificandas; sacerdotum et Levitarum officia juxta Davidis descriptionem distribuit; missa classe in Ophir, inde recipit 450 auri talenta.

1. Expletis autem viginti annis, postquam ædificavit Salomon domum Domini et domum suam : 2. civitates, quas dederat Hiram Salomoni, ædificavit, et habitare ibi fecit filios Israel. 3. Abiit quoque in Emath Suba, et obtinuit eam. 4. Et ædificavit Palmiram in deserto, et alias civitates munitissimas ædificavit in Emath. 5. Exstruxitque Bethoron superiorem, et Bethoron inferiorem, civitates muratas habentes portas et vectes et seras : 6. Balaath etiam et omnes urbes firmissimas, quæ fuerunt Salomonis, cunctasque urbes quadrigarum, et urbes equitum, omnia quæcumque voluit Salomon atque disposuit, ædificavit in Jerusalem et in Libano, et in universa terra potestatis suæ. 7. Omnem populum, qui derelictus fuerat de Hethæis, et Amorrhæis, et Pherezæis et Hevæis, et Jebusæis, qui non erant de stirpe Israel: 8. de filiis eorum, et de posteris, quos non interfecerant filii Israel, subjugavit Salomon in tributarios, usque in diem hanc. 9. Porro de filiis Israel non posuit ut servirent operibus regis : ipsi enim erant viri bellatores et duces primi, et principes quadrigarum et equitum ejus. 10. Omnes autem principes exercitus regis Salomonis fuerunt ducenti quinquaginta, qui erudiebant populum. 11. Filiam vero Pharaonis transtulit de Civitate David, in domum quam ædificaverat ei. Dixit enim rex : Non habitabit uxor mea in domo David regis Israel, eo quod sanctificata sit : quia ingressa est in eam arca Domini. 12. Tunc obtulit Salomon holocausta Domino super altare Domini, quod exstruxerat ante porticum, 13. ut per singulos dies offerretur in eo juxta præceptum Moysi in sabbatis et in calendis, et in festis diebus, ter per annum, id est in solemnitate azymorum, et in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum. 14. Et constituit juxta dispositionem David patris sui, officia Sacerdotum in ministeriis suis : et Levitas in ordine suo, ut laudarent, et ministrarent coram Sacerdotibus, juxta ritum uniuscujusque diei : et janitores in divisionibus suis per portam et portam : sic enim præceperat David homo Dei. 15. Nec prætergressi sunt de mandatis regis, tam Sacerdotes quam Levitæ, ex omnibus quæ præceperat, et in custodiis thesaurorum. 16. Omnes impensas præparatas habuit Salomon, ex eo die quo fundavit domum Domini usque in diem quo perfecit eam. 17. Tunc abiit Salomon in Asiongaber, et in Ailath ad oram maris Rubri, quæ est in terra Edom. 18. Misit autem ei Hiram per manus servorum suorum

naves, et nautas gnaros maris, et abierunt cum servis Salomonis in Ophir, tuleruntque inde quadringenta quinquaginta talenta auri, et attulerunt ad regem Salomonem.

Hoc caput explicui III *Reg.* IX, 10 et seq.

2. CIVITATES QUAS DEDERAT (id est reddiderat) HIRAM SALOMONI.

17. ABIIT SALOMON (vel in persona vel per suos ministros et officiales) IN ASIONGABER. — Hic portus est maris Rubri, ex quo in Indiam Orientalem facilis et vicinus est trajectus; unde colligas Ophir fuisse in India Orientali, non Occidentali, scilicet in Pegu, non in Peru. Nec enim in Peru, sed in Pegu inveniuntur simiæ, pavones, ebur, gemmæ, aromata, ligna thyina, quæ classis hæc Ophirina detulit ad Salomonem. Portus hic a Josepho, lib. III *Antiq.* cap. VI, appellatur Berenice, a S. Hieronymo Effia, hodie Suez vocatur.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Regina Saba venit ad Salomonem. Redditus annui Salomonis, hastæ, scuta, cæteraque supellex aurea, solium ex ebore intertextum auro, mors et sepultura.

1. Regina quoque Saba, cum audisset famam Salomonis, venit ut tentaret eum in ænigmatibus in Jerusalem, cum magnis opibus, et camelis qui portabant aromata, et auri plurimum, gemmasque pretiosas. Cumque venisset ad Salomonem, locuta est ei quæcumque erant in corde suo. 2. Et exposuit ei Salomon omnia quæ proposuerat : nec quidquam fuit, quod non perspicuum ei fecerit. 3. Quæ postquam vidit, sapientiam scilicet Salomonis, et domum quam ædificaverat, 4. nec non et cibaria mensæ ejus, et habitacula servorum, et officia ministrorum ejus, et vestimenta eorum, pincernas quoque et vestes eorum, et victimas quas immolabat in domo Domini : non erat præ stupore ultra in ea spiritus. 5. Dixitque ad regem : Verus est sermo, quem audieram in terra mea de virtutibus et sapientia tua. 6. Non credebam narrantibus, donec ipsa venissem, et vidissent oculi mei, et probassem vix medietatem sapientiæ tuæ mihi fuisse narratam : vicisti famam virtutibus tuis. 7. Beati viri tui, et beati servi tui, qui assistunt coram te omni tempore, et audiunt sapientiam tuam. 8. Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare super thronum suum, regem Domini Dei tui. Quia diligit Deus Israel, et vult servare eum in æternum, idcirco posuit te super eum regem ut facias judicia atque justitiam. 9. Dedit autem regi centum viginti talenta auri, et aromata multa nimis, et gemmas pretiosissimas : non fuerunt aromata talia ut hæc, quæ dedit regina Saba regi Salomoni. 10. Sed et servi Hiram cum servis Salomonis attulerunt aurum de Ophir, et ligna thyina et gemmas pretiosissimas : 11. de quibus fecit rex, de lignis scilicet thyinis gradus in domo Domini, et in domo regia, citharas quoque et psalteria cantoribus : nunquam visa sunt in terra Juda ligna talia. 12. Rex autem Salomon dedit reginæ Saba cuncta quæ voluit, et quæ postulavit, et multo plura quam attulerat ad eum : quæ reversa, abiit in terram suam cum servis suis. 13. Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per singulos annos, sexcenta sexaginta sex talenta auri : 14. excepta ea summa, quam legati diversarum gentium, et negotiatores afferre consueverant, omnesque reges Arabiæ, et satrapæ terrarum, qui comportabant aurum et argentum Salomoni. 15. Fecit igitur rex Salomon ducentas hastas aureas de summa sexcentorum aureorum, qui in singulis hastis expendebantur: 16. trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur singula scuta; posuitque ea rex in armamentario, quod erat consitum nemore. 17. Fecit quoque rex solium eburneum grande, et vestivit illud auro mundissimo. 18. Sex quoque gradus, quibus ascendebatur ad solium, et scabellum aureum, et brachiola duo altrinsecus, et duos leones stantes

juxta brachiola, 19. sed et alios duodecim leunculos stantes super sex gradus ex utraque parte : non fuit tale solium in universis regnis. 20. Omnia quoque vasa convivii regis erant aurea, et vasa domus saltus Libani ex auro purissimo. Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur : 21. siquidem naves regis ibant in Tharsis cum servis Hiram, semel in annis tribus; et deferebant inde aurum et argentum, et ebur, et simias, et pavos. 22 Magnificatus est igitur Salomon super omnes reges terræ præ divitiis et gloria. 23. Omnes [illegible] terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, ut audirent sapientiam quam dederat Deus in corde ejus, 24. et deferebant ei munera, vasa argentea, et aurea, et vestes, et arma, et aromata, equos et mulos, per singulos annos. 25. Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, et currium equitumque duodecim millia, constituitque eos in urbibus quadrigarum, et ubi erat rex in Jerusalem. 26. Exercuit etiam potestatem super cunctos reges, a flumine Euphrate usque ad terram Philistinorum, et usque ad terminos Ægypti. 27. Tantamque copiam præbuit argenti in Jerusalem quasi lapidum : et cedrorum tantam multitudinem velut sycomororum, quæ gignuntur in campestribus. 28. Adducebantur autem ei equi de Ægypto, cunctisque regionibus. 28. Reliqua autem operum Salomonis priorum et novissimorum scripta sunt in verbis Nathan Prophetæ et in libris Ahiæ Silonitis, in visione quoque Addo Videntis, contra Jeroboam filium Nabat. 30. Regnavit autem Salomon in Jerusalem super omnem Israel quadraginta annis. 31. Dormivitque cum patribus suis, et sepelierunt eum in Civitate David : regnavitque Roboam filius ejus pro eo.

Hoc caput explicui III *Reg.* x.

5. De virtutibus tuis. — Hebræus, Septuaginta a Chaldæus, *de verbis tuis*, id est, de tuis rebus ad te gestis, vel ad te spectantibus.

16. In armamentario quod erat consitum (clypeandatum) semore, — id est *in domo saltus Libani*, ut vertunt Septuaginta. Porro trecenti et sexcenti aurei scutorum et hastarum fuere sicli, quorum quisque pendebat et valebat quatuor drachmas, id est quatuor coronatos, uti ostendi III *Reg.* cap. x, vers. 16.

21. In Tharsis. — Hebræi mare indeque transmarinas regiones vocabant *Tharsis*; præsertim longinquas, sibique ignotas, uti erat Ophir et India. Vide dicta III *Reg.* cap. ix, vers. 28, et *Jonæ* cap. i, vers. 3.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Roboam sua duritie populum a se avertit; unde sola tribus Juda ei adhæsit, cæteræ vero decem tribus regem sibi creavit Jeroboam.

1. Profectus est autem Roboam in Sichem : illuc enim cunctus Israel convenerat, ut constituerent eum regem. 2. Quod cum audisset Jeroboam filius Nabat, qui erat in Ægypto (fugerat quippe illuc ante Salomonem), statim reversus est. 3. Vocaveruntque eum, et venit cum universo Israel, et locuti sunt ad Roboam, dicentes : 4. Pater tuus durissimo jugo nos pressit, tu leviora impera patre tuo, qui nobis imposuit gravem servitutem, et paululum de onere subleva, ut serviamus tibi. 5. Qui ait : Post tres dies revertimini ad me. Cumque abiisset populus, 6. iniit consilium cum senibus, qui steterant coram patre ejus Salomone, dum adhuc viveret, dicens : Quid datis consilii ut respondeam populo? 7. Qui dixerunt ei : Si placueris populo huic, et leniveris eos verbis clementibus, servient tibi omni tempore. 8. At ille reliquit consilium senum, et cum juvenibus tractare cœpit, qui cum eo nutriti fuerant, et erant in comitatu illius. 9. Dixitque ad eos : Quid vobis videtur? vel respondere quid debeo populo huic, qui dixit mihi : Subleva jugum quod imposuit nobis pater tuus? 10. At illi responderunt ut juvenes, et nutriti cum eo in deliciis, atque dixerunt : Sic loqueris populo, qui dixit tibi : Pater tuus aggravavit jugum nostrum, tu subleva; et sic respondebis eis : Minimus digitus meus grossior est lumbis patris mei. 11. Pater meus imposuit vobis grave jugum, et ego majus pondus apponam : pater meus cecidit vos flagellis; ego vero cædam vos scorpionibus. 12. Venit ergo Jeroboam, et universus populus ad Roboam die tertio, sicut præceperat eis. 13. Responditque rex dura, derelicto consilio seniorum; 14. locutusque est juxta juvenum voluntatem : Pater meus grave vobis imposuit jugum, quod ego gravius faciam : pater meus cecidit vos flagellis, ego vero cædam vos scorpionibus. 15. Et non acquievit populi precibus : erat enim voluntatis Dei, ut compleretur sermo ejus, quem locutus fuerat per manum Ahiæ Silonitis ad Jeroboam filium Nabat. 16. Populus autem universus, rege duriora dicente, sic locutus est ad eum : Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai. Revertere in tabernacula tua, Israel; tu autem pasce domum tuam, David. Et abiit Israel in tabernacula sua. 17. Super filios autem Israel, qui habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam. 18. Misitque rex Roboam Aduram, qui præerat tributis, et lapidaverunt eum filii Israel, et mortuus est : porro rex Roboam currum festinavit ascendere, et fugit in Jerusalem. 19. Recessitque Israel a domo David, usque ad diem hanc.

Hoc caput audivimus III *Reg.* cap. xi. Vide ibi dicta.

15. Erat enim voluntatis Dei. — Hebraice, *erat consilium a Deo*. Volebat Deus dividere Israelem decemque tribus adimere Salomoni, ad castigandum illius idololatriam, easque dare Jeroboam, ideoque permisit Roboam tam dure et stulte populo respondere; unde sciebat futurum ut populus se a Roboam subduceret, et ad Jeroboam confugeret, quod ipse intendebat.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Roboam, volens armis subjugare decem Tribus, prohibetur a Semeia propheta. Multi sacerdotes, Levitæ et fideles, relicto Jeroboam idolatra, in Jerusalem transmigrant. Roboam ex multis uxoribus multas procreat proles.

1. Venit autem Roboam in Jerusalem, et convocavit universam domum Juda et Benjamin, centum octoginta millia electorum atque bellantium, ut dimicaret contra Israel, et converteret ad se regnum suum. 2. Factusque est sermo Domini ad Semeiam hominem Dei, dicens : 3. Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Juda, et ad universum Israel, qui est in Juda et Benjamin. 4. Hæc dicit Dominus : Non ascendetis, neque pugnabitis contra fratres vestros : revertatur unusquisque in domum suam, quia mea hoc gestum est voluntate. Qui cum audissent sermonem Domini, reversi sunt, nec perrexerunt contra Jeroboam. 5. Habitavit autem Roboam in Jerusalem, et ædificavit civitates muratas in Juda. 6. Exstruxitque Bethlehem, et Etam, et Thecue. 7. Bethsur quoque, et Socho, et Odollam. 8. Hecron et Geth, et Maresa, et Ziph. 9. sed et Aduram, et Lachis, et Azeca, 10. Sarаa quoque, et Aialon, et Hebron, quæ erant in Juda et Benjamin, civitates munitissimas. 11. Cumque clausisset eas muris, posuit in eis principes, cibariumque horrea, hoc est, olei et vini. 12. Sed et in singulis urbibus fecit armamentarium scutorum et hastarum; firmavitque ea summa diligentia, et imperavit super Judam et Benjamin. 13. Sacerdotes autem et Levitæ, qui erant in universo Israel, venerunt ad eum de cunctis sedibus suis, 14. relinquentes suburbana et possessiones suas, et transeuntes ad Judam et Jerusalem : eo quod abjecisset eos Jeroboam, et posteri ejus, ne sacerdotio Domini fungerentur. 15. Qui constituit sibi sacerdotes excelsorum, et dæmoniorum,

vituloramque quos fecerat. 16. Sed et de cunctis tribubus Israel, quicumque dederant cor suum ut quærerent Dominum Deum Israel, venerunt in Jerusalem ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum. 17. Et roboraverunt regnum Juda, et confirmaverunt Roboam filium Salomonis per tres annos; ambulaverunt enim in viis David et Salomonis, annis tantum tribus. 18. Duxit autem Roboam uxorem Mahalath, filiam Jerimoth, filii David: Abihail quoque filiam Eliab filii Isai, 19. quæ peperit ei filios, Jehus, et Somoriam, et Zoom. 20. Post hanc quoque accepit Maacha filiam Absalom, quæ peperit ei Abia, et Ethai, et Ziza, et Salomith: 21. amavit autem Roboam Maacha filiam Absalom, super omnes uxores suas, et concubinas: nam uxores decem et octo duxerat, concubinas autem sexaginta, et genuit viginti octo filios, et sexaginta filias. 22. Constituit vero in capite, Abiam filium Maacha, ducem super omnes fratres suos: ipsum enim regem facere cogitabat, 23. quia sapientior fuit, et potentior super omnes filios ejus, et in cunctis finibus Juda et Benjamin, et in universis civitatibus muratis: præbuitque eis escas plurimas, et multas petivit uxores.

1. ELECTORUM ATQUE BELLANTIUM, — id est, electorum bellatorum. Est Hendiadys. Hebr. בחורים *bachurim*, et electos, et juvenes significat. Juvenum enim sunt bella, senum consilia, ut ait ille.

11. POSUIT IN EIS PRINCIPES, — id est, belli duces, cum commeatu sufficienti, ut vicini hostis, scilicet Jeroboami antagonistæ sui insultus sustinere possent. Erat enim civitates limitaneæ in confinio Judæ et Israelis.

14. EO QUOD ABJECISSET EOS JEROBOAM, — id est privasset eos officio sacerdotali et Levitico, eo quod nollent suis vitulis quasi idolis, sed Deo vero deservire.

17. ROBORAVERUNT REGNUM IN VIIS DAVID ET SALOMONIS; — intellige, antequam Salomon in senio a Deo ad idola apostataret.

22. CONSTITUIT ABIAM IN CAPITE, — id est caput et principem cæterorum fratrum, qui erant 28. eo quod ipse, licet ætate esset junior, prudentia tamen, vigore et industria omnes superaret.

23. ET POTENTIOR SUPER OMNES FILIOS EJUS, ET IN CUNCTIS FINIBUS JUDA ET BENJAMIN, ET IN UNIVERSIS CIVITATIBUS MURATIS; — repete, « potentior » fuit Abia, *q. d.* Abia occupavit cunctos limites regni, eumque civitates muratas et munitas, itaque se omnium dominum effecit ac potentem, utpote cui omnes limites regni omnesque urbes munitæ parerent.

PRÆBUITQUE EIS (civitatibus muratis et regni finibus) ESCAS PLURIMAS (ne hostes eas obsiderent, et fame ad deditionem cogere possent); ET MULTAS PETIVIT UXORES. — scilicet Abia sibi ipse, ut ex eis multos gigneret filios, quibus suum regnum stabiliret et roboraret, ne a fratribus suis invadi posset. Hunc sensum exigit nostra versio, neque ac Septuaginta qui pro, « potentior super omnes filios, » vertunt, *profecit super omnes filios ejus, et in cunctis finibus Juda, etc.*

Porro, ex Hebræo aliter verti potest cum Pagnino, Vatablo, Marino et aliis, nimirum sic: *Dispersit* (Roboam) *omnes filios suos super omnes fines Juda et Benjamin, et per omnes civitates munitas;* et scilicet ipse separati forent ab invicem, nec copias conferre possent; ut simul contra Abiam juniorem, quem omnibus prætulerat, conspirare possent, juxta illud politicum et tyrannicum Machiavelli præceptum: « Si vis regnare, divide. » Atque ut sorte sua contenti viverent, nec de regno cogitarent, *præbuit eis escas plurimas, et dedit eis multitudinem uxorum,* ut ventri et veneri vacantes, in deliciose otio torperent et consenescerent. Idem fecit Turcarum Imperator fratribus suis, donec prolem habeat; qua habita, fratres occidit, ne imperium invadant.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Roboam et Judæi post tres annos a Deo ad idola desciscunt. Quare a Sesac rege Ægypti spoliantur et subjugantur. Morienti Roboam succedit Abia.

1. Cumque roboratum fuisset regnum Roboam, et confortatum, dereliquit legem Domini, et omnis Israel cum eo. 2. Anno autem quinto regni Roboam, ascendit Sesac rex Ægypti in Jerusalem (quia peccaverant Domino) 3. cum mille ducentis curribus, et sexaginta millibus

equitum: nec erat numerus vulgi quod venerat cum eo ex Ægypto, Libyes scilicet, et Troglodytæ et Æthiopes. 4. Cepitque civitates munitissimas in Juda, et venit usque in Jerusalem. 5. Semeias autem propheta ingressus est ad Roboam, et principes Juda, qui congregati fuerant in Jerusalem, fugientes Sesac, dixitque ad eos: Hæc dicit Dominus: Vos reliquistis me, et ego reliqui vos in manu Sesac. 6. Consternatique principes Israel et rex dixerunt: Justus est Dominus. 7. Cumque vidisset Dominus quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam, dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pusillum auxilii, et non stillabit furor meus super Jerusalem per manum Sesac: 8. verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meæ, et servitutis regni terrarum. 9. Recessit itaque Sesac rex Ægypti ab Jerusalem, sublatis thesauris domus Domini, et domus regis, omniaque secum tulit, et clypeos aureos quos fecerat Salomon, 10. pro quibus fecit rex æneos, et tradidit illos principibus scutariorum, qui custodiebant vestibulum palatii. 11. Cumque introiret rex domum Domini, veniebant scutarii, et tollebant eos, iterumque referebant eos ad armamentarium suum. 12. Verumtamen quia humiliati sunt, aversa est ab eis ira Domini, nec deleti sunt penitus: siquidem et in Juda inventa sunt opera bona. 13. Confortatus est ergo rex Roboam in Jerusalem, atque regnavit: quadraginta autem et unius anni erat cum regnare cœpisset, et decem et septem annis regnavit in Jerusalem, urbe quam elegit Dominus, ut confirmaret nomen suum ibi, de cunctis tribubus Israel: nomen autem matris ejus Naama Ammanitis. 14. Fecit autem malum, et non præparavit cor suum ut quæreret Dominum. 15. Opera vero Roboam prima et novissima scripta sunt in Libris Semeiæ prophetæ, et Addo Videntis, et diligenter exposita, pugnaverunt que adversum se Roboam et Jeroboam cunctis diebus. 16. Et dormivit Roboam cum patribus suis, sepultusque est in Civitate David. Et regnavit Abia filius ejus pro eo.

2. SESAC REX ÆGYPTI, — qui Sesostris ab Herodoto lib. II, et Diodoro, lib. II (quos citat Josephus lib. VIII, cap. IV), nuncupatur (1), quique, ut fidem referunt quando imbelles et mulierosos vicerat, tropheum mulierosum erigebat, ac reges a se victos solebat curru suo triumphali jungere, ut se super reges esse, imo super omnes homines ostenderet. Causam belli hanc fuisse suspicantur nostri Sumerius et Salianus, quod Jeroboam, qui Salomonis iram fugiens in Ægypto duxerat cognatam vel filiam Sesac, post mortem Salomonis rediens, revocare Israelis cœptus, sollicitarit cognatum vel socerum suum Sesac, ut imbellem, mulierosum et pavidum Roboam invaderet, ne ipse Jeroboam a Roboam invaderetur, et regno novo spoliaretur, sed potius ejus regnum suo adjiceret, et Sesaci soceri sui dono possideret. Certiorem causam dat Scriptura, scilicet apostasiam et idololatriam Roboami et Judæorum: hanc enim Deus per Sesac punire decrevit. Addunt Herodotus et Diodorus Sesac e Jerusalem victa perrexisse ad reliquum Asiam eamque sibi subjugasse, ac terra marique tam multa occupasse, ut Alexandrum Magnum superarit.

3. TROGLODYTÆ — populi sunt Æthiopiæ, quæ adjacet Ægypto, cujus rex erat Sesac, « nullarum opum domini, ait Mela, lib. I, stridentque magis quam loquantur, specus subeunt, aluntque serpentibus. » Hebraice vocantur סכיים *sochim*, id est *latibula, et antra habitantes*: Græce σπηλαῖται, id est cavernas subeuntes et incolentes, σπήλαιον enim est foramen, antrum, caverna. Audi Aristotelem, lib. VIII *De Histor. anim.* cap. XII: « Grues ex Scythicis campis ad paludes Ægypto superiores, unde Nilus profluit, veniunt; quo in loco pugnare cum Pygmæis dicuntur: non enim ibi fabula est, sed certe, genus tum hominum, tum etiam equorum pusilum, ut dicitur, est, degunteque in cavernis: unde nomen Troglodytæ a subeundis cavernis acepere. » Verum hæc de Pygmæis cum grullas pugnantibus communis olim fuit opinio per traditionem accepta, sed fabulosa, uti ostendi *Ezechielis*, cap. XXVII, vers. 11. Quare minus recte nonnulli Troglodytas putant esse Arabes in tabernaculis habitantes, idemque vagabundos qui Nomades vocantur. Constat enim eos fuisse Æthiopes.

7. NON STILLABIT FUROR MEUS SUPER JERUSALEM, — scilicet ulterius per continuas cædes, rapinas et strages, quas parat Sesac. Vide hic quam cito placatur Deus ad pœnitentiam qualem qualem Roboami et Judæorum. Nam vel non verum et seriam, vel non firmam et stabilem fuisse pœnitentiam patet, ex eo quod instinctu matris suæ Naamæ Ammonitis, ideoque idololatræ, reversus sit ad idola, ut dicitur versibus 13 et 14.

(1) Lib. III *Reg.*, in annotatione ad cap. XIV, parum probabile diximus Sesac esse Sesostrin.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Abia rex Juda pius de impio Jeroboam triumphat, cæsis quingentis millibus Israelitarum, ac ex 14 uxoribus 38 filios generat.

1. Anno octavo decimo regis Jeroboam regnavit Abia super Judam. 2. Tribus annis regnavit in Jerusalem, nomenque matris ejus Michaïa, filia Uriel de Gabaa : et erat bellum inter Abiam et Jeroboam. 3. Cumque iniisset Abia certamen, et haberet bellicosissimos viros, et electorum quadringenta millia : Jeroboam instruxit contra aciem octingenta millia virorum, qui et ipsi electi erant, et ad bella fortissimi. 4. Stetit ergo Abia super montem Semeron, qui erat in Ephraim, et ait : Audi, Jeroboam, et omnis Israel : 5. Num ignoratis quod Dominus Deus Israel dederit regnum David super Israel in sempiternum, ipsi et filiis ejus in pactum salis? 6. Et surrexit Jeroboam filius Nabat, servus Salomonis filii David, et rebellavit contra dominum suum. 7. Congregatique sunt ad eum viri vanissimi, et filii Belial; et prævaluerunt contra Roboam filium Salomonis : porro Roboam erat rudis, et corde pavido, nec potuit resistere eis. 8. Nunc ergo vos dicitis quod resistere possitis regno Domini, quod possidet per filios David, habetisque grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos quos fecit vobis Jeroboam in deos. 9. Et ejecistis Sacerdotes Domini, filios Aaron, atque Levitas; et fecistis vobis Sacerdotes sicut omnes populi terrarum : quicumque venerit, et initiaverit manum suam in tauro de bobus, et in arietibus septem, fit sacerdos eorum qui non sunt dii. 10. Noster autem Dominus, Deus est, quem non reliquimus, Sacerdotesque ministrant Domino de filiis Aaron, et Levitæ sunt in ordine suo. 11. Holocausta quoque offerunt Domino per singulos dies mane et vespere, et thymiama juxta legis præcepta confectum, et proponuntur panes in mensa mundissima, estque apud nos candelabrum aureum, et lucernæ ejus, ut accendantur semper ad vesperam : nos quippe custodimus præcepta Domini Dei nostri, quem vos reliquistis. 12. Ergo in exercitu nostro dux Deus est, et Sacerdotes ejus, qui clangunt tubis, et resonant contra vos : filii Israel, nolite pugnare contra Dominum Deum patrum vestrorum, quia non vobis expedit. 13. Hæc illo loquente, Jeroboam retro moliebatur insidias. Cumque ex adverso hostium staret, ignorantem Judam suo ambiebat exercitu. 14. Respiciensque Judas vidit instare bellum ex adverso et post tergum, et clamavit ad Dominum : ac Sacerdotes tubis canere cœperunt. 15. Omnesque viri Juda vociferati sunt : et ecce illis clamantibus, perterruit Deus Jeroboam, et omnem Israel qui stabat ex adverso Abia et Juda. 16. Fugeruntque filii Israel Judam : et tradidit eos Deus in manu eorum. 17. Percussit ergo eos Abia et populus ejus, plaga magna : et corruerunt vulnerati ex Israel quingenta millia virorum fortium. 18. Humiliatique sunt filii Israel in tempore illo, et vehementissime confortati filii Juda, eo quod speravissent in Domino Deo patrum suorum. 19. Persecutus est autem Abia fugientem Jeroboam, et cepit civitates ejus, Bethel et filias ejus, et Jesana cum filiabus suis, Ephron quoque et filias ejus : 20. nec valuit ultra resistere Jeroboam in diebus Abia, quem percussit Dominus, et mortuus est. 21. Igitur Abia, confortato imperio suo, accepit uxores quatuordecim : procreavitque viginti duos filios, et sedecim filias. 22. Reliqua autem sermonum Abia, viarumque et operum ejus, scripta sunt diligentissime in Libro Addo Prophetæ.

2. MICHAÏA FILIA URIEL. — Vide dicta III *Reg.* cap. XV, vers. 2.

4. STETIT ABIA SUPER MONTEM, — ut ejus oratio tam ab omnibus Israelitis circumcirca castra metantibus audiri posset. Est autem hæc ejus oratio pia et efficax, qua multis rationibus eis persuadere conatur, ut relicta novitia religione et rege, ad avitum Deum regnumque David in Jerusalem redeant : ac præsertim quod ipse habeat Deum pugnantem pro se, quem ipsi, utpote idololatræ, habeant adversum, *q. d.* Insane agitis, si contra Deum pugnare vultis. Lege eam et expende.

5. IN PACTUM SALIS, — id est in pactum firmum, stabile et æternum. Sal enim res a putredine integras salvasque conservat : hinc sal est symbolum æternitatis, ut dixi *Levit.* cap. II, vers. 12. Addit noster Sanchez, aitque : Constat hoc pactum de regno in Davidis familia perpetuo esse conditionatum, nempe si Davidis progenies pactum servet, *Psalm.* LXXXVIII, 30. Dedit itaque Deus regnum Davidis domui cum grano salis, nempe si a fide, quam integram servare debuit, non deficiat, aut si ipsa Davidis progenies salem adhibeat, neque percussum fœdus corrumpi atque tabescere permittat.

9. QUICUMQUE INITIAVERIT (Hebræus et Septuaginta *implevérit*) MANUM SUAM IN TAURO DE BOBUS (Hebræus, *in juvenco filio bovis*) ET IN ARIETIBUS SEPTEM, FIT SACERDOS EORUM QUI NON SUNT DII, — *q. d.* Sicut falsos habetis Deos, sic et falsos sacerdotes; non enim Deus elegit eos, ut elegit Aaronem et posteros ejus; sed quicumque, licet vilis et sceleratus, manibus suis offerendo taurum et septem arietes consecrarit suas manus, hoc ipso fit sacerdos idolorum, puta vitulorum aureorum. Nota : *implere manum*, Hebraice idem est quod, *consecrare sacerdotem*. Nam manus implendo victimis, easque manibus suis offerendo consecrabat se sacerdotem. Hoc enim ritu fiebat sacerdotis consecratio, ut patet *Levit.* VIII.

11. PROPONUNTUR PANES IN MENSA MUNDISSIMA, etc. — Ex hoc loco et seq. ubi non nisi unius mensæ et unius candelabri fit mentio, colligit Torniellus Sesacum regem Ægypti, cum expiaret thesauros templi, ex « denis mensis et denis candelabris, » quæ rex Salomon collocarat in templo, non reliquisse nisi unam mensam unumque candelabrum eoque Judæos deinceps contentos fuisse, sicut fuerant antequam templum a Salomone exstrueretur.

20. QUEM PERCUSSIT DOMINUS, ET MORTUUS EST. — Quem, scilicet Jeroboam, de eo enim sermo proxime præcessit; Jeroboam enim post duos tresve annos misere interiit. Hebræi vero in Seder Olam non Jeroboam, sed ipsum Abiam intelligunt, quem aiunt ingratum fuisse Deo, nec dignas egisse gratias pro tanta victoria, ideoque paulo post obiisse, nec nisi triennium regnasse, ac biennio ante Jeroboam esse vita functum. Verum hoc non satis consentit cum eo quod proxime subditur : « Igitur Abia confortato imperio suo, accepit uxores 14, » etc.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Abiæ succedit filius Asa, qui exscisa idololatria confortatus a Deo Zarom regem Æthiopum cum mille millium militum millibus profligat.

1. Dormivit autem Abia cum patribus suis, et sepelierunt eum in Civitate David : regnavitque Asa filius ejus pro eo, in cujus diebus quievit terra annis decem. 2. Fecit autem Asa quod bonum et placitum erat in conspectu Dei sui, et subvertit altaria peregrini cultus, et excelsa, 3. et confregit statuas, lucosque succidit : 4. et præcepit Judæ ut quæreret Dominum Deum patrum suorum, et faceret legem, et universa mandata; 5. et abstulit de cunctis urbibus Juda aras, et fana, et regnavit in pace. 6. Ædificavit quoque urbes munitas in Juda, quia quietus erat, et nulla temporibus ejus bella surrexerant, pacem Domino largiente. 7. Dixit autem Judæ : Ædificemus civitates istas, et vallemus muris, et roboremus turribus, et portis, et seris, donec a bellis quieta sunt omnia; eo quod quæsierimus Dominum Deum patrum nostrorum, et dederit nobis pacem per gyrum. Ædificaverunt igitur, et nullum in exstruendo impedimentum fuit. 8. Habuit autem Asa in exercitu suo portantium scuta et hastas de Juda trecenta millia, de Benjamin vero scutariorum et sagittariorum ducenta octoginta millia, omnes isti viri fortissimi. 9. Egressus est autem contra eos Zara Æthiops cum exercitu suo, decies centena millia, et curribus trecentis; et venit usque Maresa. 10. Porro Asa perrexit obviam ei, et instruxit aciem ad bellum in valle Sephata, quæ est juxta Maresa; 11. et invocavit Dominum Deum et ait : Domine, non est apud te ulla distantia, utrum de paucis auxilieris,

an in pluribus; adjuva nos, Domine Deus noster : in te enim, et in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. Domine, Deus noster tu es, non prævalent contra te homo. 12. Exterruit itaque Dominus Æthiopes coram Asa et Juda : fugerunt quoque Æthiopes. 13. Et persecutus est eos Asa et populus qui cum eo erat, usque Gerara : et ruerunt Æthiopes usque ad internecionem, quia Domino cædente contriti sunt, et exercitu illius præliante. Tulerunt ergo spolia multa, 14. et percusserunt civitates omnes per circuitum Geraræ : grandis quippe cunctos terror invaserat; et diripuerunt urbes, et multam prædam asportaverunt. 15. Sed et cautas ovium destruentes, tulerunt pecorum infinitam multitudinem et camelorum, reversique sunt in Jerusalem.

2. REX ASA SUBVERTIT ALTARIA PEREGRINI CULTUS (quo gentiles colebant suos deos et idola) ET EXCELSA. — Dices : III *Reg.* XV, 14, de Asa dicitur : « Non abstulit excelsa. » Respondeo excelsa alia erant idolis, alia Deo vero dicata : illa sustulit Asa, hæc non. Rursum, « excelsa, » scilicet altaria, simulacra et lucos idolorum sustulit Asa, non vero templa omnia ejusdem a Salomone dicata; hæc enim postea sustulit Josias, lib. IV *Reg.* cap. XXIII, vers. 13.

11. ET ABSTULIT, etc., FANA, — scilicet Baal, Astaroth, cæterorumque Deorum. Hebraice est חמנים *Chammanim* vel *Hammanim*, quod proprie significat *solaria*, id est delubra, vel altaria Solis, sive Ammonis. Inde enim pontice dictus est Ammon, sive Jupiter Ammonius, id est Sol, ab Hebræo חמה *chamma* vel *hamma*, id est Sol, ita dictus a calore : חמם *chamam* enim significat calefacere. Vide *Acta Exech.* VI, 6.

9. EGRESSUS EST AUTEM (sub annum decimum quintum regni Asa, ut colligitur ex cap. seq., vers. 10; ita Salianus) CONTRA EOS ZARA ÆTHIOPS CUM EXERCITU SUO (continente) DECIES CENTENA MILLIA. — « Æthiops. » Tornielius et alii apud Genebrardum per Æthiopiam hic accipiunt Madianitidem, ex qua oriunda uxor Moysis vocatur « Æthiopissa, » *Num.* XII. Ratio eorum est quod Æthiopes proprie dicti longe absint a Judæa. Veram mediat Serarius, Sanchez, Salianus et alii, veram Æthiopiam, quæ sub Ægypto est, accipiunt. Hæc enim adjacet Ægypto, ideoque Judææ vicina est; et forte Zara tum fuit rex Ægypti, quam Æthiopem absque probatur *primo*, quia cap. XVI, vers. 8, ii ipsi vocantur Æthiopes et Libyes; erant ergo vero Æthiopes, qui sunt in Africa et Libya, non vero Madianitæ, qui sunt in Asia. *Secundo*, quia Asa hoc prælio ab hostibus recuperavit omnia spolia, quæ Sesac rex Ægypti ante 26 annos sub Roboam ex Judæa abstulerat. Ergo hostes hi fuere Ægyptii, eisque vicini Æthiopes. Unde Septuaginta sub finem cap. XIV, eos vocant *Affinianos*, vel ut alii volunt, *Amazones*, quos ex Lybia esse docet hic Theodoretus, lib. III.

13. ET RUERUNT ÆTHIOPES USQUE AD INTERNECIONEM, QUIA DOMINO CÆDENTE CONTRITI SUNT, ET EXERCITU ILLIUS (Asæ regis, vel Dei puta Angelorum exercitu) PRÆLIANTE. — pro Asa et Juda Deum et sanctos Angelos invocante.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Azarias propheta vaticinatur Israelem multo tempore privandum veri Dei cultu, lege et sacerdotio. Cujus oraculo commotus Asa rex idola funditus extirpat, et matrem suam sacerdotio Priapi ablicat.

1. Azarias autem filius Oded, facto in se spiritu Dei, 2. egressus est in occursum Asa, et dixit ei : Audite me, Asa et omnis Juda et Benjamin : Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quæseritis eum, invenietis; si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. 3. Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, et absque sacerdote, doctore, et absque lege. 4. Cumque reversi fuerint in angustia sua ad Dominum Deum Israel, et quæsierint eum, reperient eum. 5. In tempore illo non erit pax egredienti, et ingredienti, sed terrores undique in cunctis habitatoribus terrarum; 6. pugnabit enim gens contra gentem, et civitas contra civitatem, quia Dominus conturbabit eos in omni angustia. 7. Vos ergo confortamini, et non dissolvantur manus vestræ : erit enim merces operi vestro. 8. Quod cum audisset Asa, verba

scilicet et prophetiam Azariæ filii Oded prophetæ, confortatus est, et abstulit idola de omni terra Juda, et de Benjamin, et ex urbibus quas ceperat, montis Ephraim, et dedicavit altare Domini quod erat ante porticum Domini. 9. Congregavitque universum Judam et Benjamin, et advenas cum eis de Ephraim, et de Manasse, et de Simeon : plures enim ad eum confugerant ex Israel, videntes quod Dominus Deus illius esset cum eo. 10. Cumque venissent in Jerusalem mense tertio, anno decimo quinto regni Asa, 11. immolaverunt Domino in die illa de manubiis et præda quam adduxerant, boves septingentos, et arietes septem millia. 12. Et intravit ex more ad corroborandum fœdus, ut quærerent Dominum Deum patrum suorum in toto corde, et in tota anima sua. 13. Si quis autem, inquit, non quæsierit Dominum Deum Israel, moriatur, a minimo usque ad maximum, a viro usque ad mulierem. 14. Juraverantque Domino voce magna in jubilo, et in clangore tubæ, et in sonitu buccinarum, 15. omnes qui erant in Juda cum exsecratione : in omni enim corde suo juraverunt, et in tota voluntate quæsierunt eum, et invenerunt; præstititque eis Dominus requiem per circuitum. 16. Sed et Maacham matrem Asa regis ex augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in luco simulacrum Priapi : quod omne contrivit, et in frusta comminuens combussit in torrente Cedron. 17. Excelsa autem derelicta sunt in Israel : attamen cor Asa erat perfectum cunctis diebus ejus. 18. Eaque quæ voverat pater suus, et ipse, intulit in domum Domini argentum, et aurum, vasorumque diversam supellectilem. 19. Bellum vero non fuit usque ad trigesimum quintum annum regni Asa.

3. TRANSIBUNT MULTI DIES IN ISRAEL ABSQUE DEO DOCTORE ET LEGE. — id est absque cura et cultu veri Dei, doctoris et legis divinæ. Tangit præsens tempus, quo Jeroboam cultum vitulorum aureorum in Israelem induxit; nam eum in hoc vitulorum cultu secuti sunt omnes posteri ejus, omnesque ad unum reges Israel, quos ex regibus Juda imitati sunt Joram, Ochozias, Athalia, Achaz, Manasses, Joakim et Sedecias, idola pro Deo avito et vero colentes (1).

4. CUMQUE REVERSI FUERINT IN ANGUSTIA SUA AD DOMINUM ISRAEL, etc., INVENIENT EUM. — Sic Deum invenit pœnitens Achab, et Joas cui Eliseus trinam de Syris victoriam prædixit, ac pœnitens Manasses, cum pius Ezechias, Josias et similes.

10. MENSE TERTIO, — Sivan, quo celebrabant Pentecosten, ut indicet hoc festo ipsos Deum invocantes, ejus ope tantam victoriam adeptos esse ideoque ei in gratiarum actionem manubias hostium obtulisse. Sic vice versa Constantinopolis a Turca expugnata est in Pentecoste, eo quod Græci impie sentirent de Spiritu Sancto, cujus hoc est festum, docerentque eum non procedere a Patre et Filio.

17. COR AUTEM ASÆ ERAT PERFECTUM CUM DOMINO CUNCTIS DIEBUS EJUS. — quoad verum Dei cultum, *q. d.* Asa per omnem vitam coluit Deum verum; nunquam vero ad idola deflexit, uti dedexerunt alii. Nam aliquoties Asa in aliis peccavit, et Deum graviter offendit, ut patebit cap. seq., 7, 10 et 12.

19. USQUE AD TRIGESIMUM QUINTUM (ita legendum est cum Hebræis, Septuaginta Romanis; non, « usque ad trigesimum, » uti legunt aliqui) ANNUM REGNI ASA, — hoc est regni Juda, quod in morte Salomonis a regno Israelis per schisma Jeroboam direptum, hinc proprie cœpit, ut scilicet primus annus Roboam fuerit primus annus regni Juda, prout regnum Juda proprium fuit et distinctum a regno Israelis, quod tum pariter cœpit sub primo rege Jeroboam. Ita Hebræi, Sanchez, Salianus, Tornielius et alii; id magis patebit cap. sequent., vers. 1.

(1) Frigenus præpicere etiam potuit tempus quo Israelitæ inissent plurium annorum captivitas, exercitio religionis extincto, donec tandem a Cyro vel alio e regibus ejus successoribus primus illis libertas restituenda esset. Alii hæc varia intelligunt etiam de præsenti Judæorum statu, quo exercitu Romanorum armis templo et urbe, recisi sunt. Referri hæc potest vaticinium *Osee* XI, 4, 5. Ita tum fere veretis ac præsens. Multus tamen communiter interpretes accipere de captivitate tribuum Juda, Levi et Benjamin, quam Nabuchodonosor in Babyloniam duxit.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Rex Asa, perculsus exercitu Baasæ regis Israel, opem poscit a Benadad rege Syriæ. Qua de causa increpitus ab Hanani propheta, cum incarcerat : mox podagra moritur anno regni 41.

1. Anno autem trigesimo sexto regni ejus ascendit Baasa rex Israel in Judam, et muro circumdabat Rama, ut nullus tuto posset egredi et ingredi de regno Asa. 2. Protulit ergo Asa argentum et aurum de thesauris domus Domini, et de thesauris regis, misitque ad Benadad regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicens : 3. Fœdus inter me et te est, pater quoque meus et pater tuus habuere concordiam ; quam ob rem misi tibi argentum et aurum, ut, rupto fœdere quod habes cum Baasa rege Israel, facias eum a me recedere. 4. Quo comperto, Benadad misit principes exercituum suorum ad urbes Israel : qui percusserunt Ahion, et Dan, et Abelmaim, et universas urbes Nephtali muratas. 5. Quod cum audisset Baasa, desiit ædificare Ramam, et intermisit opus suum. 6. Porro Asa rex assumpsit universum Judam, et tulerunt lapides de Rama, et ligna quæ ædificationi præparaverat Baasa, ædificavitque ex eis Gabaa et Maspha. 7. In tempore illo venit Hanani propheta ad Asa regem Juda, et dixit ei : Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ, et non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriæ regis exercitus de manu tua. 8. Nonne Æthiopes et Libyes multo plures erant, quadrigis et equitibus, et multitudine nimia : quos, cum Domino credidisses, tradidit in manu tua? 9. Oculi enim Domini contemplantur universam terram, et præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum. Stulte igitur egisti, et propter hoc ex præsenti tempore adversum te bella consurgent. 10. Iratusque Asa adversus Videntem, jussit eum mitti in nervum : valde quippe super hoc fuerat indignatus, et interfecit de populo in tempore illo plurimos. 11. Opera autem Asa, prima et novissima, scripta sunt in Libro Regum Juda et Israel. 12. Ægrotavit etiam Asa, anno trigesimo nono regni sui, dolore pedum vehementissimo, et nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est. 13. Dormivitque cum patribus suis; et mortuus est anno quadragesimo primo regni sui. 14. Et sepelierunt eum in sepulcro suo quod foderat sibi in Civitate David : posueruntque eum super lectum suum, plenum aromatibus et unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, et combusserunt super eum ambitione nimia.

Vers. 1. Ascendit Baasa. — 1. ANNO AUTEM TRIGESIMO SEXTO EJUS (Asæ) ASCENDIT BAASA. — Dices : Baasa jam erat mortuus a decennio, scilicet anno 25 regni Asæ, ut patet *3 Reg.* XVI, 8; num anno 36 Asæ regnabat in Israel Amri, III *Reg.* XVI, 22. Respondet primo Cajetanus, Joannes Lucidus, Adrichomius *in Chronico*, Joannes Annius cum suo pseudosphinone, et Melchior Canus, lib. XI *De locis*, cap. VI, ad 12 arg., hic mendum irrepsisse, et pro 36 legendum 26, vel potius 16. Nec hoc mirum, quia hæc res non spectat ad fidem, nec ad bonos mores. Verum omnes Codices Hebræi, Chaldæi, Græci, Latini constanter habent 36, non 26. Atqui in omnibus Codicibus esse mendum, est dicere in Scriptura esse mendum, quod absit. *Secundo*, Lyranus, Vatablus et Genebrardus respondent annos Asæ dupliciter numerari : *primo*, ab initio regni : *secundo*, ab illo memorabili bello et victoria Æthiopica. Hinc ergo 36 anni regni Asæ esse 26 ejusdem a bello Æthiopico, quo Baasæ morienti dicitur successisse filius Ela, III *Reg.* XVI, 8. Verum hoc est torquere totam S. Scripturæ chronologiam ; sic enim pariter anni quinquaginta regum, scilicet Zambri, Amri, Achabi, dum dicuntur eum Asa, etc., numerandi forent a bello Æthiopico, quod nemo dixerit. *Tertio*, alii dicunt hos annos 36 esse annos vitæ Asæ, non regni. Verum obstat quod expresse dicatur : « Anno autem 36 regni, » non vitæ; unde Abulensis respondet aliam hic quærendam esse solutionem, quam ipse se nescire profitetur. *Quarto* et verius dicas hos 36 annos esse regni Judæ; quare computandos esse a primo anno Roboam, qui primus fuit rex Juda, cum Israel, id est decem tribus, regem sibi creavere Jeroboam. Tunc enim facta est nova Æra, ac multi annos computare cœperunt ab hoc insigni schismate. Tunc enim institutum est regnum Juda, æque ac regnum Israel ; unde hic passim anni regum Israel numerantur juxta annos regum Juda sibi conregnantium. Igitur, Roboam primus rex Juda regnavit 17 annis, mox Abia tribus annis, denique Asa sedecim : adde hos omnes, habebis 36 quos quærimus. Quare hic annus 36 regni Juda præcise fuit decimus sextus regni Asæ. Instabis : Hi 36 anni hic vocantur non regni Juda, sed regni Asæ. Respondeo, idem est regnum Asæ quod regnum Juda, nam Asa aliud non habuit regnum quam Juda. Quare dum computas annos regni Juda, computas annos Asæ, qui illi præerat, et cujus erat hoc regnum. Ita Seder Olam sive *Chron. Hebræorum*, Torniellus, Salianus et Azor, tom. I *Instit. mor.* lib. VI, cap. LV, *Quæst.* III. Sic Absalom dicitur anno 40 petiisse a David veniam eundi in Hebron, II *Reg.* XV, 7, non utique anno 40 Davidis (nam trigesimus ejus tantum agebatur), sed 40 ab institutione regni in Israel, puta anno primo Saulis regis, cum publice unctus est a Samuele, qui regnum Davidis decem annis antecesserat. Initium enim alicujus regni nota est insignis, ut inde chronologia ducatur.

CIRCUMDABAT RAMA, (quæ erat in faucibus confinium regni Juda, ET proinde) NULLUS TUTE POSSET EGREDI ET INGREDI DE REGNO ASÆ.

7. IDCIRCO EVASIT SYRIÆ REGIS EXERCITUS, — *q. d.* Si confisus in Deo ejus opem invocasses, non autem Benadad regis Syriæ; eum, utpote perpetuum Judæ hostem, æque ac Baasa regem Israel vicisses, sicut vicisti Zaram regem Æthiopis qui multo numerosiore milite Judæam invadebat.

10. INTERFECIT DE POPULO PLURIMOS, — qui Hanani prophetæ innocentiam injuste ab Asa in carcere affligi dolebant, ideoque ejus tyrannidem liberius incusabant.

12. DOLORE PEDUM VEHEMENTISSIMO. — Hebraice et Græce additur *usque ad sanus* ; cum enim podagræ humor dolorque caput invadit, est vehementissimus, et celerem mortem affert. Unde Pagninus vertit, *usque ad verticem fuit ægrotatio ejus.*

SED MAGIS IN MEDICORUM ARTE CONFISUS EST. — Notant Procopius et Theodoretus, *Quæst.* XLV, « medicos » vel accipi hic pro incantatoribus et magicis impostoribus, vel pro veris medicis. Si priore modo, patet cur peccarit. Quemadmodum, lib. XXX, cap. I, docet Plinius Magiam et Medicinam una fere copulari; et lib. XXIX, cap. I : « Quid, ait, venenorum fertilius, aut unde testamentorum plures insidiæ? jam vero et adulteria, etc., quam e medicina? » Sicque, apud Latinos, medicamenta pro venenis interdum sumuntur, ut apud Græcos pharmaca, Nonio teste ; videatur et idem Plinius, lib. XXVI, cap. IV. Si posteriore modo, dupliciter peccare potuit ; *primo*, nimiam spem in iis ponendo, prætermissa Domini Dei ope. Nam et ideo Salomonis de remediis librum revulsum ab Ezechia referunt Cedrenus et Suidas, quod populus, Deo non invocato et neglecto, malorum inde sanationem peteret ; *secundo*, præpostere ipsorum opem quærendo, ante scilicet placationem, et auxilium quæsitum a Deo, prout explicat *Eccli.* cap. XXXVIII, vers 9 et seq., ac jubet Innocentius III de pœnitentiis et remissionibus, cap. *Cum infirmitas*. Ita Serarius.

14. PLENUM AROMATIBUS ET UNGUENTIS MERETRICIUS. — Græce *myrepsicis*, id est *aromatariis* ; unde Serarius pro *meretriciis* suspicatur legendum *myrepsicis*. Verum meretriciis habent omnia Hebræa et Latina : « meretriciis » ergo idem est quod suavissimis, et ut Vatablus vertit, *delicatissimis* ; quibus utuntur meretrices, ut fœtorem corporis, ac præsertim halitus, quem stupris confectæ quasi putida cadavera exhalant, iis obducant et contegant, juxta illud :

Posthume non bene olet, qui bene semper olet.

Vox « meretriciis » notat nimias odorum et aromatum hic fuisse delicias, nimiumque luxum et pompam ; unde subdit dicens : « ambitione nimia. »

ET COMBUSSERUNT SUPER EUM, — ut cadaveri regi honorem et cultum civilem exhiberent, et ab eo fœtorem putredinemque depellerent. Non enim cadaver ipsum cum aromatibus, ut vult Vatablus, sed aromata juxta cadaver combusserunt, uti multis ostendit Sanchez.

Notant Hebræi apud S. Hieronymum *in Tradit.* hæc aromata super, vel ad tumulum ipsius combusta fuisse ; imo et vestes, idque reverentiæ et honoris causa ; quemadmodum apud Virgilium VI *Æneid.* : « Congesta cremantur Thurea dona ; » et apud Plinium, lib. XIII, capite I, Homerum et alios. Sic in morte Aristobuli a se submersi adhibet etiam unguenta et aromata plura Herodes apud Josephum, et in Herodis ipsius funere Archelaus apud eumdem. Ipsum adhuc viventem Asam implevisse sepulcrum suum unguentis, Azarias, lib. III, cap. ult., fol. 183, ac Rabbini quidam alii scribunt. Quin et unguenta a fidelibus offerri solita ad sepulcra martyrum docet S. Paulinus, *Natali* 6 S. *Felicis*, dum ita canit :

Ut virent tremulas fundita pendula flammas,
Martyris hi tumulum stridorat profundere nardo,
Et medicata pio referans unguenta sepulcro.

Idem testatur Prudentius, Hymno 11 *in Hippolyto*, dicens :

Oscula perspicuo figunt impressa metallo :
Balsama diffundunt, flexibus ora rigant.

Et S. Gregorius, lib. VII, *Indict.* II, epist. 33, scri-

bens a Secundinum : « Aloem vero, inquit, thymiama. » Thyracem et balsamum sanctorum martyrum corporibus offerenda, latore presentium deferente, transmisimus. »

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Asa succedit pius Josaphat, ideoque dives et armis potens : hic, vers. 7, mittit doctores per totum regnum, qui populum legem Dei docent ; vers. 11, vectigales ei fiunt Philisthæi et Arabes ; vers. 14, milites et duces ejusdem recensentur.

1. Regnavit autem Josaphat filius ejus pro eo, et invaluit contra Israel. 2. Constituitque militum numeros in cunctis urbibus Juda, quæ erant vallatæ muris. Præsidiaque disposuit in terra Juda, et in civitatibus Ephraim, quas ceperat Asa pater ejus. 3. Et fuit Dominus cum Josaphat quia ambulavit in viis David patris sui primis : et non speravit in Baalim, 4. sed in Deo patris sui, et perrexit in præceptis illius, et non juxta peccata Israel. 5. Confirmavitque Dominus regnum in manu ejus, et dedit omnis Juda munera Josaphat factæque sunt ei infinitæ divitiæ, et multa gloria. 6. Cumque sumpsisset cor ejus audaciam propter vias Domini, etiam excelsa et lucos de Juda abstulit. 7. Tertio autem anno regni sui, misit de principibus suis Benhail, et Obdiam, et Zachariam, et Nathanael, et Michmam, ut docerent in civitatibus Juda : 8. et cum eis Levitas, Semeiam, et Nathaniam, et Zabadiam, Asael quoque et Semiramoth, et Jonathan, Adoniamque et Thobiam, et Thobadoniam, Levitas, et cum eis Elisama et Joram sacerdotes ; 9. docebantque populum in Juda, habentes librum legis Domini, et circuibant cunctas urbes Juda, atque eruditebant populum. 10. Itaque factus est pavor Domini super omnia regna terrarum, quæ erant per gyrum Juda, nec audebant bellare contra Josaphat. 11. Sed et Philistæi Josaphat munera deferebant, et vectigal argenti ; Arabes quoque adducebant pecora arietum septem millia septingenta, et hircorum totidem. 12. Crevit ergo Josaphat, et magnificatus est usque in sublime : atque ædificavit in Juda domos ad instar turrium, urbesque muratas. 13. Et multa opera paravit in urbibus Juda : viri quoque bellatores, et robusti erant in Jerusalem. 14. Quorum iste numerus per domos atque familias singulorum : In Juda principes exercitus, Ednas dux, et cum eo robustissimi viri trecenta millia. 15. Post hunc Johanan princeps, et cum eo ducenta octoginta millia. 16. Post istum quoque Amasias filius Zechri, consecratus Domino, et cum eo ducenta millia virorum fortium. 17. Hunc sequebatur robustus ad pugnandum Eliada, et cum eo tenentium arcum et clypeum ducenta millia. 18. Post istum etiam Jozabad, et cum eo centum octoginta millia expeditorum militum. 19. Hi omnes erant ad manum regis, exceptis aliis quos posuerat in urbibus muratis, in universo Juda.

6. CUMQUE SUMPSISSET COR EJUS AUDACIAM PROPTER VIAS DOMINI, — q. d. Josaphat audaciam faciebat pietas, religio et custodia legis divinæ, et neminem subditorum vel hostium timeret, sed fisus Deo audacter excelsa et lucos succideret, quæ alii pii reges, timentes populi offensam vel rebellionem, tolerarant et permiserant. Hebræus et Septuaginta habent, *et exaltatum est cor ejus in viis Domini*, q. d. Nihil habuit potius, quam ut observaret mandata Domini, ait Vatablus, vel potius, q. d. Josaphat magnos et excelsos ex Deo Deique cultu concepit animos, adeo ut neminem veritus et imperterritus excelsa aboleret, alinque heroica opera pro promovendo Dei honore et gloria animo destinaret. Vide hic quid faciat pietas plaque intentio, quæ nil timet, et omnia audet Deo secundante. Talis fuit hoc ævo Pius V Pontifex, qui Deo nixus reges non timuit, sed regum, imo et Turcarum fuit terror et flagellum. Sanctitas enim omnibus est terrori, æque ac veneration.

7. MISIT DE PRINCIPIBUS SUIS, — scilicet principes aulæ suæ, qui suo jussu abolitis idolis, unius Dei cultum et custodiam legis Mosaicæ restituerent. Quocirca misit cum eis Levitas ac Sacerdotes, ut docerent populum leges Domini. Insignis hic fuit zelus regis Josaphat, quem olim imitati sunt S. Stephanus Hungarorum primus rex, S. Ludovicus Francorum, S. Wenceslaus dux Bohemorum, et nostro ævo reges Hispaniæ et Lusitaniæ, qui magnis impensis Indias utrasque subjugarunt, ut earum incolas ad veri Dei cognitionem et cultum per viros religiosos traducerent.

12. ÆDIFICAVIT (per urbes et castella) IN JUDEA DOMOS AD INSTAR TURRIUM. — Hebraice *palatia* tam excelsa et munita ut turres viderentur. Fecit hoc ad Judææ tum ornatum, tum munimen. Sicut Burgundiones contra incursum Wandalorum, Alanorum, Gothorum, etc., ædificarunt πυργία, id est *burgos* et turres ; indeque Burgundiones sunt appellati.

16. AMASIAS CONSECRATUS DOMINO. — Hebraice הִתְנַדֵּב *hammithnaddab*, id est, ut Vatablus, qui sponte se obtulit Domino, hoc est, militiæ sacræ se devovit, ut pugnaret pro Deo Deique cultu contra idola et idololatras, ac pro fideli et pio rege suo Josaphat. Similes olim fuere milites Templi sive Templarii, qui militiæ sacræ se devoverunt pro tutela terræ sanctæ et templi Jerosolymitani. Vide S. Bernardum in sermone *ad milites Templi*.

18. ET CUM EO CENTUM OCTOGINTA MILLIA. — Universim Josaphat sub signis habuit undecies centena et sexaginta bellatorum millia. Deo cum prosperante : quia præter tribus Juda et Benjamin potentes et numerosas sibi subditas, multas decem tribubus avitæ religionis studiosi et prosperitate Josaphat illecti ad Jerusalem transfugerunt, ut dictum est cap. XV, 9.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iosaphat filio suo Joram uxorem dat filiam impii regis Achab, cum eoque pergit ad prælium, in eoque juxta oraculum Micheæ Achab occiditur.

1. Fuit ergo Josaphat dives et inclytus multum, et affinitate conjunctus est Achab. 2. Descenditque post annos ad eum in Samariam : ad cujus adventum mactavit Achab arietes et boves plurimos, ipsi et populo qui venerat cum eo ; persuasitque illi ut ascenderet in Ramoth Galaad. 3. Dixitque Achab rex Israel ad Josaphat regem Juda : Veni mecum in Ramoth Galaad. Cui ille respondit : ut ego, et tu : sicut populus tuus, sic et populus meus : tecumque erimus in bello. 4. Dixitque Josaphat ad regem Israel : Consule, obsecro, impræsentiarum sermonem Domini. 5. Congregavit igitur rex Israel prophetarum quadringentos viros, et dixit ad eos : In Ramoth Galaad ad bellandum ire debemus an quiescere? At illi : Ascende, inquiunt, et tradet Deus in manu regis. 6. Dixitque Josaphat : Numquid non est hic prophetes Domini, ut ab illo etiam requiramus? 7. Et ait rex Israel ad Josaphat : Est vir unus a quo possumus quærere Domini voluntatem ; sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum omni tempore : est autem Michæas filius Jemla. Dixitque Josaphat : Ne loquaris, rex, hoc modo. 8. Vocavit ergo rex Israel unum de eunuchis, et dixit ei : Voca citò Michæam filium Jemla. 9. Porro rex Israel, et Josaphat rex Juda, uterque sedebant in solio suo, vestiti cultu regio : sedebant autem in area juxta portam Samariæ, omnesque prophetæ vaticinabantur coram eis, 10. Sedecias vero filius Chanaana fecit sibi cornua ferrea, et ait : Hæc dicit Dominus : His ventilabis Syriam, donec conteras eam. 11. Omnesque prophetæ similiter prophetabant atque dicebant : Ascende in Ramoth Galaad et prosperaberis, et tradet eos Dominus in manu regis. 12. Nuntius autem, qui ierat ad vocandum Michæam, ait illi : En verba omnium prophetarum uno ore bona regi annuntiant ; quæso te ut et sermo tuus ab eis non dissentiat, loquarisque prospera. 13. Cui respondit Michæas : Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Deus meus, hoc loquar. 14. Venit ergo ad regem. Cui rex ait : Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Cui ille respondit : Ascendite ; cuncta enim prospera evenient, et tradentur hostes in manus vestras. 15. Dixitque rex : Ite-

bens a Secundinum : « Aloem vero, inquit, thymiama. » Thyracem et balsamum sanctorum martyrum corporibus offerenda, latore presentium deferente, transmisimus. »

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Asa succedit pius Josaphat, ideoque dives et armis potens : hic, vers. 7, mittit doctores per totum regnum, qui populum legem Dei docent ; vers. 11, vectigales ei fiunt Philisthæi et Arabes ; vers. 14, milites et duces ejusdem recensentur.

1. Regnavit autem Josaphat filius ejus pro eo, et invaluit contra Israel. 2. Constituitque militum numeros in cunctis urbibus Juda, quæ erant vallatæ muris. Præsidiaque disposuit in terra Juda, et in civitatibus Ephraim, quas ceperat Asa pater ejus. 3. Et fuit Dominus cum Josaphat quia ambulavit in viis David patris sui primis : et non speravit in Baalim, 4. sed in Deo patris sui, et perrexit in præceptis illius, et non juxta peccata Israel. 5. Confirmavitque Dominus regnum in manu ejus, et dedit omnis Juda munera Josaphat factæque sunt ei infinitæ divitiæ, et multa gloria. 6. Cumque sumpsisset cor ejus audaciam propter vias Domini, etiam excelsa et lucos de Juda abstulit. 7. Tertio autem anno regni sui, misit de principibus suis Benhail, et Obdiam, et Zachariam, et Nathanael, et Michmam, ut docerent in civitatibus Juda : 8. et cum eis Levitas, Semeiam, et Nathaniam, et Zabadiam, Asael quoque et Semiramoth, et Jonathan, Adoniamque et Thobiam, et Thobadoniam, Levitas, et cum eis Elisama et Joram sacerdotes ; 9. docebantque populum in Juda, habentes librum legis Domini, et circuibant cunctas urbes Juda, atque eruditebant populum. 10. Itaque factus est pavor Domini super omnia regna terrarum, quæ erant per gyrum Juda, nec audebant bellare contra Josaphat. 11. Sed et Philistæi Josaphat munera deferebant, et vectigal argenti ; Arabes quoque adducebant pecora arietum septem millia septingenta, et hircorum totidem. 12. Crevit ergo Josaphat, et magnificatus est usque in sublime : atque ædificavit in Juda domos ad instar turrium, urbesque muratas. 13. Et multa opera paravit in urbibus Juda : viri quoque bellatores, et robusti erant in Jerusalem. 14. Quorum iste numerus per domos atque familias singulorum : In Juda principes exercitus, Ednas dux, et cum eo robustissimi viri trecenta millia. 15. Post hunc Johanan princeps, et cum eo ducenta octoginta millia. 16. Post istum quoque Amasias filius Zechri, consecratus Domino, et cum eo ducenta millia virorum fortium. 17. Hunc sequebatur robustus ad pugnandum Eliada, et cum eo tenentium arcum et clypeum ducenta millia. 18. Post istum etiam Jozabad, et cum eo centum octoginta millia expeditorum militum. 19. Hi omnes erant ad manum regis, exceptis aliis quos posuerat in urbibus muratis, in universo Juda.

6. CUMQUE SUMPSISSET COR EJUS AUDACIAM PROPTER VIAS DOMINI, — q. d. Josaphat audaciam faciebat pietas, religio et custodia legis divinæ, et neminem subditorum vel hostium timeret, sed fisus Deo audacter excelsa et lucos succideret, quæ alii pii reges, timentes populi offensam vel rebellionem, tolerarant et permiserant. Hebræus et Septuaginta habent, *et exaltatum est cor ejus in viis Domini*, q. d. Nihil habuit potius, quam ut observaret mandata Domini, ait Vatablus, vel potius, q. d. Josaphat magnos et excelsos ex Deo Deique cultu concepit animos, adeo ut neminem veritus et imperterritus excelsa aboleret, alinque heroica opera pro promovendo Dei honore et gloria animo destinaret. Vide hic quid faciat pietas plaque intentio, quæ nil timet, et omnia audet Deo secundante. Talis fuit hoc ævo Pius V Pontifex, qui Deo nixus reges non timuit, sed regum, imo et Turcarum fuit terror et flagellum. Sanctitas enim omnibus est terrori, æque ac veneration.

7. MISIT DE PRINCIPIBUS SUIS, — scilicet principes aulæ suæ, qui suo jussu abolitis idolis, unius Dei cultum et custodiam legis Mosaicæ restituerent. Quocirca misit cum eis Levitas ac Sacerdotes, ut docerent populum leges Domini. Insignis hic fuit zelus regis Josaphat, quem olim imitati sunt S. Stephanus Hungarorum primus rex, S. Ludovicus Francorum, S. Wenceslaus dux Bohemorum, et nostro ævo reges Hispaniæ et Lusitaniæ, qui magnis impensis Indias utrasque subjugarunt, ut earum incolas ad veri Dei cognitionem et cultum per viros religiosos traducerent.

12. ÆDIFICAVIT (per urbes et castella) IN JUDEA DOMOS AD INSTAR TURRIUM. — Hebraice *palatia* tam excelsa et munita ut turres viderentur. Fecit hoc ad Judææ tum ornatum, tum munimen. Sicut Burgundiones contra incursum Wandalorum, Alanorum, Gothorum, etc., ædificarunt πυργία, id est *burgos* et turres ; indeque Burgundiones sunt appellati.

16. AMASIAS CONSECRATUS DOMINO. — Hebraice הִתְנַדֵּב *hammithnaddab*, id est, ut Vatablus, qui sponte se obtulit Domino, hoc est, militiæ sacræ se devovit, ut pugnaret pro Deo Deique cultu contra idola et idololatras, ac pro fideli et pio rege suo Josaphat. Similes olim fuere milites Templi sive Templarii, qui militiæ sacræ se devoverunt pro tutela terræ sanctæ et templi Jerosolymitani. Vide S. Bernardum in sermone *ad milites Templi*.

18. ET CUM EO CENTUM OCTOGINTA MILLIA. — Universim Josaphat sub signis habuit undecies centena et sexaginta bellatorum millia. Deo cum prosperante : quia præter tribus Juda et Benjamin potentes et numerosas sibi subditas, multas decem tribubus avitæ religionis studiosi et prosperitate Josaphat illecti ad Jerusalem transfugerunt, ut dictum est cap. XV, 9.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iosaphat filio suo Joram uxorem dat filiam impii regis Achab, cum eoque pergit ad prælium, in eoque juxta oraculum Micheæ Achab occiditur.

1. Fuit ergo Josaphat dives et inclytus multum, et affinitate conjunctus est Achab. 2. Descenditque post annos ad eum in Samariam : ad cujus adventum mactavit Achab arietes et boves plurimos, ipsi et populo qui venerat cum eo ; persuasitque illi ut ascenderet in Ramoth Galaad. 3. Dixitque Achab rex Israel ad Josaphat regem Juda : Veni mecum in Ramoth Galaad. Cui ille respondit : ut ego, et tu : sicut populus tuus, sic et populus meus : tecumque erimus in bello. 4. Dixitque Josaphat ad regem Israel : Consule, obsecro, impræsentiarum sermonem Domini. 5. Congregavit igitur rex Israel prophetarum quadringentos viros, et dixit ad eos : In Ramoth Galaad ad bellandum ire debemus an quiescere? At illi : Ascende, inquiunt, et tradet Deus in manu regis. 6. Dixitque Josaphat : Numquid non est hic prophetes Domini, ut ab illo etiam requiramus? 7. Et ait rex Israel ad Josaphat : Est vir unus a quo possumus quærere Domini voluntatem ; sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum omni tempore : est autem Michæas filius Jemla. Dixitque Josaphat : Ne loquaris, rex, hoc modo. 8. Vocavit ergo rex Israel unum de eunuchis, et dixit ei : Voca citò Michæam filium Jemla. 9. Porro rex Israel, et Josaphat rex Juda, uterque sedebant in solio suo, vestiti cultu regio : sedebant autem in area juxta portam Samariæ, omnesque prophetæ vaticinabantur coram eis, 10. Sedecias vero filius Chanaana fecit sibi cornua ferrea, et ait : Hæc dicit Dominus : His ventilabis Syriam, donec conteras eam. 11. Omnesque prophetæ similiter prophetabant atque dicebant : Ascende in Ramoth Galaad et prosperaberis, et tradet eos Dominus in manu regis. 12. Nuntius autem, qui ierat ad vocandum Michæam, ait illi : En verba omnium prophetarum uno ore bona regi annuntiant ; quæso te ut et sermo tuus ab eis non dissentiat, loquarisque prospera. 13. Cui respondit Michæas : Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Deus meus, hoc loquar. 14. Venit ergo ad regem. Cui rex ait : Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Cui ille respondit : Ascendite ; cuncta enim prospera evenient, et tradentur hostes in manus vestras. 15. Dixitque rex : Ite-

rum atque iterum te adjuro, ut mihi non loquaris, nisi quod verum est, in nomine Domini. 16. At ille ait : Vidi universum Israel dispersum in montibus, sicut oves absque pastore ; et dixit Dominus : Non habent isti dominos ; revertatur unusquisque in domum suam in pace. 17. Et ait rex Israel ad Josaphat : Nonne dixi tibi quod non prophetaret ise mihi quidquam boni, sed ea quæ mala sunt? 18. At ille : Idcirco, ait, audite verbum Domini : Vidi Dominum sedentem in solio suo, et omnem exercitum cœli assistentem ei a dextris et a sinistris. 19. Et dixit Dominus : Quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat et corruat in Ramoth Galaad? Cumque diceret unus hoc modo et alter alio, 20. processit spiritus, et stetit coram Domino, et ait : Ego decipiam eum. Cui Dominus : In quo, inquit, decipies? 21. At ille respondit : Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Dixitque Dominus : Decipies, et prævalebis; egredere, et fac ita. 22. Nunc igitur, ecce Dominus dedit spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, et Dominus locutus est de te mala. 23. Accessit autem Sedecias filius Chanaana, et percussit Michææ maxillam, et ait : Per quam viam transivit Spiritus Domini a me, ut loqueretur tibi? 24. Dixitque Michæas : Tu ipse videbis in die illo, quando ingressus fueris cubiculum de cubiculo ut abscondaris. 25. Præcepit autem rex Israel, dicens : Tollite Michæam, et ducite eum ad Amon principem civitatis, et ad Joas filium Amelech. 26. Et dicetis : Hæc dicit rex : Mittite hunc in carcerem, et date ei panis modicum, et aquæ pauxillum, donec revertar in pace. 27. Dixitque Michæas : Si reversus fueris in pace, non est locutus Dominus in me. Et ait : Audite, omnes populi. 28. Igitur ascenderunt rex Israel et Josaphat rex Juda in Ramoth Galaad. 29. Dixitque rex Israel ad Josaphat : Mutabo habitum, et sic ad pugnam vadam, tu autem induere vestibus tuis. Mutatoque rex Israel habitu, venit ad bellum. 30. Rex autem Syriæ præceperat ducibus equitatus sui, dicens : Ne pugnetis contra minimum, aut contra maximum, nisi contra solum regem Israel. 31. Itaque cum vidissent principes equitatus Josaphat, dixerunt : Rex Israel est iste. Et circumdederunt eum dimicantes ; at ille clamavit ad Dominum, et auxiliatus est ei, atque avertit eos ab illo. 32. Cum enim vidissent duces equitatus, quod non esset rex Israel, reliquerunt eum. 33. Accidit autem ut unus e populo sagittam in incertum jaceret, et percuteret regem Israel inter cervicem et scapulas; at ille aurigæ suo ait : Converte manum tuam, et educ me de acie, quia vulneratus sum. 34. Et finita est pugna in die illo ; porro rex Israel stabat in curru suo contra Syros usque ad vesperam, et mortuus est occidente sole.

Vers. 1. 1. Hoc caput explicui lib. III *Reg.* cap. ult.

AFFINITATE CONJUNCTUS EST ACHAB, — ejus filiam Athaliam dando uxorem filio suo Joram, ut patet cap. XXI, vers. 6. Hoc unicum fuit peccatum Josaphat, quod societatem et connubium miscuerit cum impio Achab. Athalia enim filia Achab idololatriam in Judæam invexit, adeoque occisis omnibus regis filiis, seipsam reginam effecit.

Vers. 20. 20. PROCESSIT SPIRITUS — nequam, scilicet diabolus. Fabulantur Rabbini hunc spiritum fuisse animam Naboth injuste a Jezabelle lapidati, quasi illa hic se vindicarit, curaritque Achab a pseudoprophetis seduci, ut iret ad prælium in quo erat occidendus.

Vers. 25. 25. ET AD JOAS FILIUM AMELECH : sic et Pagninus. Hebraice est בן המלך *ben hammelech*, quod Septuaginta proprie vertunt, *filium regis*. Unde videtur hic Joas fuisse filius Achab, qui, proficiscens in bellum contra Syros, huic filio suo custodiam Samariæ commiserit.

27. AUDITE, OMNES POPULI, — ac notate singula oraculi mei verba, ut eum paulo post videritis singula impleri, sciatis me a Deo missum hæc prædixisse; ideoque Achabo necem non casu, sed Deo vindice obligisse ; ut ab ejus idolis et sceleribus caveatis, et ad Deum vida redeatis.

34. REX ISRAEL STABAT IN CURRU SUO CONTRA SYROS USQUE AD VESPERAM, — licet enim Achab esset vulneratus, perstitit tamen in curru, ut suis in pugna contra Syros animos adderet, donec vespere eum cum sanguine spiritus et vita defecit.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jehu propheta arguit Josaphat, quod cum impio Achab fœdus inierit; unde Josaphat zelum cultus divini adauget, ac judices de servanda justitia, Sacerdotes et Levitas de populo pie eruliendo admonet.

1. Reversus est autem Josaphat rex Juda in domum suam pacifice in Jerusalem. 2. Cui occurrit Jehu filius Hanani Videns, et ait ad eum : Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia jungeris, et idcirco iram quidem Domini merebaris; 3. sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Juda, et præparaveris cor tuum ut requireres Dominum Deum patrum tuorum. 4. Habitavit ergo Josaphat in Jerusalem : rursumque egressus est ad populum de Bersabee usque ad montem Ephraim, et revocavit eos ad Dominum Deum patrum suorum. 5. Constituitque judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca, 6. et præcipiens judicibus : Videte, ait, quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, sed Domini : et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. 7. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite : non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. 8. In Jerusalem quoque constituit Josaphat Levitas, et sacerdotes, et principes familiarum ex Israel, ut judicium et causam Domini judicarent habitatoribus ejus. 9. Præcepitque eis, dicens : Sic agetis in timore Domini fideliter, et corde perfecto. 10. Omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis inter cognationem et cognationem, ubicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus : ostendite eis, ut non peccent in Dominum, et ne veniat ira super vos, et super fratres vestros : sic ergo agentes non peccabitis. 11. Amarias autem sacerdos et pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit : porro Zabadias filius Ismahel, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent : habetisque magistros Levitas coram vobis, confortamini, et agite diligenter, et erit Dominus vobiscum in bonis.

2. IMPIO PRÆBES AUXILIUM, ET HIS QUI ODERUNT DOMINUM AMICITIA JUNGERIS, — et affinitate, dando filiam impii Achab, scilicet Athaliam, uxorem filio tuo Joram. Hoc enim indignum est, ut scilicet eos faciamus nobis amicos, qui Dei sunt hostes, et quorum Deus est hostis; nisi necessitas aut magna utilitas cogat, æque ac periculosum, ut patuit ex eventu. Athalia enim pervertit Joram et Judæos. Unde David, *Psalm.* CXXXVIII, 21, profitetur se hostem hostium Dei : « Nonne, inquit, qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi. » Quocirca subjungit Deus per Jehu prophetam :

ET IDCIRCO IRAM (castigationem et vindictam acrem) QUIDEM DOMINI MEREBARIS; SED BONA OPERA INVENTA SUNT IN TE, — scilicet pietatis, et zeli in evertenda idololatria, et tuendo promovendoque Dei cultu, ob quæ Deus tibi omnem culpam, æque ac pœnam condonat.

6. NON ENIM HOMINIS EXERCETIS JUDICIUM, SED DOMINI, — *q. d.* Non tam mei, quam Dei estis vicarii, a Deo scilicet per me constituti estis judices populi sui, ut eum juste sancteque judicetis; quare ipse a vobis rationem justitiæ vel præstitæ, vel neglectæ severam exiget, ac pro meritis præmiabit, vel puniet. Cogitent hoc sæpeque ruminent principes et judices; scilicet se Dei judicium exercere, ac proinde coram Deo ita vere et sincere judicent, sicut Deus ipse judicaret, et sicut judicandum esse ipse eis ostendet in die judicii. Qui hoc cogitat, nec favore, nec amicitia, nec donis, nec minis a recto justitiæ tramite inflecti se sinit. Nam ut subdit : Vers. 6.

NON EST ENIM APUD DOMINUM DEUM NOSTRUM INIQUITAS, — id est ut Septuaginta *injustitia*; Hebræus עולה *aula*, id est *perversitas*, sive perversio et eversio justitiæ, ut vel personas, vel munera accipiat, ut sequitur. Ita Vatablus.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Josaphat Moabitas, Ammonitas et Syros non tam armis, quam oratione et jejunio superat et spoliat. Denique, vers. 35, Eliezar propheta arguit Josaphat ob fœdus cum Ochozia impio rege Israel initum, idcoque naves utriusque iturus in Tharsis confractas esse asserit.

1. Post hæc congregati sunt filii Moab, et filii Ammon, et cum eis de Ammonitis ad Josaphat, ut pugnarent contra eum. 2. Veneruntque nuntii et indicaverunt Josaphat, dicentes: Venit contra te multitudo magna, de his locis quæ trans mare sunt, et de Syria; et ecce consistunt in Asasonthamar, quæ est Engaddi. 3. Josaphat autem, timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum, et prædicavit jejunium universo Juda. 4. Congregatusque est Judas ad deprecandum Dominum: sed et omnes de urbibus suis venerunt ad obsecrandum eum. 5. Cumque stetisset Josaphat in medio cœtu Juda, et Jerusalem, in domo Domini ante atrium novum, 6. ait: Domine Deus patrum nostrorum, tu es Deus in cœlo, et dominaris cunctis regnis Gentium; in manu tua est fortitudo, et potentia, nec quisquam tibi potest resistere. 7. Nonne tu Deus noster interfecisti omnes habitatores terræ hujus coram populo tuo Israel, et dedisti eam semini Abraham amici tui in sempiternum? 8. Habitaverunt que in ea, et exstruxerunt in illa sanctuarium nomini tuo, dicentes: 9. Si irruerint super nos mala, gladius judicii, pestilentia, et fames, stabimus coram domo hac in conspectu tuo, in qua invocatum est nomen tuum, et clamabimus ad te in tribulationis nostris; et exaudies salvosque facies. 10. Nunc igitur ecce filii Ammon, et Moab, et mons Seir, per quos non concessisti Israel ut transirent, quando egrediebantur de Ægypto, sed declinaverunt ab eis, et non interfecerunt illos: 11. e contrario agunt, et nituntur ejicere nos de possessione quam tradidisti nobis. 12. Deus noster, ergo non judicabis eos? In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. 13. Omnis vero Juda stabat coram Domino, cum parvulis, et uxoribus, et liberis suis. 14. Erat autem Jahaziel filius Zachariæ, filii Banaiæ, filii Jehiel, filii Mathaniæ, Levites de filiis Asaph, super quem factus est Spiritus Domini in medio turbæ, 15. et ait: Attendite, omnis Juda, et qui habitatis Jerusalem, et tu rex Josaphat: Hæc dicit Dominus vobis: Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem; non est enim vestra pugna, sed Dei. 16. Cras descendetis contra eos: ascensuri enim sunt per clivum nomine Sis, et invenietis illos in summitate torrentis, qui est contra solitudinem Jeruel. 17. Non eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state, et videbitis auxilium Domini super vos, o Juda et Jerusalem: Nolite timere, nec paveatis; cras egrediemini contra eos, et Dominus erit vobiscum. 18. Josaphat ergo et Juda, et omnes habitatores Jerusalem, ceciderunt proni in terram coram Domino, et adoraverunt eum. 19. Porro Levitæ de filiis Caath et de filiis Core laudabant Dominum Deum Israel voce magna in excelsum. 20. Cumque mane surrexissent, egressi sunt per desertum Thecue; profectisque eis, stans Josaphat in medio eorum, dixit: Audite me, viri Juda, et omnes habitatores Jerusalem: credite in Domino Deo vestro, et securi eritis; credite prophetis ejus, et cuncta evenient prospera. 21. Deditque consilium populo, et statuit cantores Domini, ut laudarent eum in turmis suis, et antecederent exercitum, ac voce consona dicerent: Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia ejus. 22. Cumque cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Ammon, et Moab, et montis Seir,

qui egressi fuerant ut pugnarent contra Judam, et percussi sunt. 23. Namque filii Ammon et Moab consurrexerunt adversum habitatores montis Seir, ut interficerunt et delerent eos: cumque hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi, mutuis concidere vulneribus. 24. Porro Juda, cum venisset ad speculam quæ respicit solitudinem, vidit procul omnem late regionem plenam cadaveribus, nec superesse quemquam, qui necem potuisset evadere. 25. Venit ergo Josaphat, et omnis populus cum eo, ad detrahenda spolia mortuorum: invenerunt que inter cadavera variam supellectilem, vestes quoque, et vasa pretiosissima, et diripuerunt, ita ut omnia portare non possent, nec per tres dies spolia auferre præ prædæ magnitudine. 26. Die autem quarto congregati sunt in Valle benedictionis: etenim quoniam ibi benedixerunt Domino, vocaverunt locum illum Vallis benedictionis usque in præsentem diem. 27. Revertusque est omnis vir Juda, et habitatores Jerusalem, et Josaphat ante eos, in Jerusalem cum lætitia magna, eo quod dedisset eis Dominus gaudium de inimicis suis. 28. Ingressique sunt in Jerusalem cum psalteriis, et citharis, et tubis in domum Domini. 29. Irruit autem pavor Domini super universa regna terrarum, cum audissent quod pugnasset Dominus contra inimicos Israel. 30. Quievitque regnum Josaphat, et præbuit ei Deus pacem per circuitum. 31. Regnavit igitur Josaphat super Judam, et erat triginta quinque annorum, cum regnare cœpisset: viginti autem et quinque annis regnavit in Jerusalem, et nomen matris ejus Azuba filia Selahi. 32. Et ambulavit in via patris sui Asa, nec declinavit ab ea, faciens quæ placita erant coram Domino. 33. Verumtamen excelsa non ablatulit, et adhuc populus non direxerat cor suum ad Dominum Deum patrum suorum. 34. Reliqua autem gestorum Josaphat priorum et novissimorum scripta sunt in verbis Jehu filii Hanani, quæ digessit in Libros regum Israel. 35. Post hæc iniit amicitias Josaphat rex Juda cum Ochozia rege Israel, cujus opera fuerunt impiissima. 36. Et particeps fuit ut facerent naves, quæ irent in Tharsis: fecerunt que classem in Asiongaber. 37. Prophetavit autem Eliezer filius Dodan de Maresa ad Josaphat, dicens: Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.

1. FILII AMMON ET CUM EIS DE AMMONITIS, — hoc est de Idumæis; hi enim, ne viderentur contra Judæos fratres suos pugnare, vocabant se Ammonitas. Ita Auctor *Tradit.* apud S. Hieronymum hic: « Ammonitas, ait, Idumæos vult intelligi, qui ob reverentiam paterni nominis (Esau, qui erat frater Jacob patris Idumæorum), nolebant in pristino habitu arma movere contra Israel; sed transfigurabant se in habitum Ammonitarum. »

2. DE HIS LOCIS QUÆ SUNT TRANS MARE (scilicet Mortuum, sive lacum Asphaltidem, illoque trajecto castra metantur in) ENGADDI, — puta in finibus regni Juda; Syria enim separabatur a Juda mari Mortuo, ait Vatablus (1).

(1) Quod hic asserit Cornelius a Lapide, Vatablum auctorem sequens, scilicet Syriam a Juda separari mari Mortuo, pace tam docti viri dixerim, a veritate geographica paululum peregrinatur. Nam semel terræ sanctæ descriptionem inspicienti, statim patet nec tribum, nec regnum Juda a Syria esse proxime separata mari Mortuo, quod ad Orientem regni Juda adjacet, dum Syria magis ad Septentrionem regni Juda posita est, et toto regno Israel a regno Juda disita. Cæterum ex progressu hujus historiæ nullibi venisse videmus in societatem armorum cum Moabitis et Ammonitis Syros, quorum est regio a locis hic descriptis plurimum distans. Legendum ergo cum Calmeto maluerim מֵאֱדֹם *de Edom*, pro מֵאֲרָם *de Aram*, vel de Syria, quod est in textu. Pervo similitudine litterarum inter *Edom* et *Aram* decipi Amanuenses nunc primum non contigit, et vers. 10, 22, 23, qui huic respondere videntur, correctionem hanc plane exigunt. Constat utique non defuisse in exercitu hostium Idumæos, vel incolas montis Seir, nec infimum ibi locum tenuisse ut recenseri inter cæteros mererentur.

5. ATRIUM NOVUM, — scilicet innovatum, vel de novo templo adjectum: cum enim Salomon amplissima fecisset templi atria, ut totum populum 12 tribuum caperet; deinde vero decem tribubus fecissent schisma a Roboam et templo, hinc multæ atrii partes, utpote vacuæ fuere occlusæ, vel ad alios usus deputatæ. At vero sub Josaphat crescente multitudine fidelium, et populi tam Juda, quam eorum qui e decem tribubus transfugerant ad Judæ, necessum fuit earum aliquas rursum aperiri et innovari, ut tantum populum caperent; et hoc est: « Atrium novum, » id est innovatum, et de novo usibus templi et populi accommodatum.

12. SED CUM IGNOREMUS QUOD AGERE DEBEAMUS, HOC VOLUM HABEMUS RESIDUI, UT OCULOS NOSTROS DIRIGAMUS AD TE. — Nota hoc Josaphat consilium prissimum et utilissimum: « Cum ergo omni humano auxilio destitueris, vicinum est divinum, » ut ale-

bat Philo legatus ad Caium, si illud invoces; Dei enim proprium est in aretis succurrere, ac desperata restituere : ibi enim maxime suam clementiam et potentiam ostendit. Hoc ergo opus, uti divinitati est congruum, sic et Deo proprium.

13. OMNIS JUDA STABAT CORAM DOMINO CUM PARVULIS, ET UXORIBUS, ET LIBERIS SUIS. — Ecce hic patet antiquitas Litaniæ sive Orationis publicæ et communis, qua in publica calamitate publice omnes cujusvis sexus et ætatis conveniunt; ut unanimi voce, et quasi una omnium comploratione Dei misericordiam et opem implorent. Denique quasi vim faciant : « Hæc, enim, vis grata est Deo, » ait Tertullianus in *Apologetico*. Idem fecere Ninivitæ, *Jonæ* III, 5, et Machabæi, II *Machab.* III, 18 et seq., ac Judæi tempore Judith, cap. IV, vers. 9. Et hoc est quod faciendum monet Joel, cap. XVI : « Coadunate senes, congregate parvulos et sugentes ubera. » Idem fecit S. Gregorius in peste quæ Romam et Italiam populabatur. Indixit enim publicas omnium ordinum Litanias, easque in varias classes distribuit, ac omnibus Dei opem inclamantibus, Deus pestem sistit, ut habet ejus Vita.

33. VERUMTAMEN EXCELSA NON ABSTULIT. — « Excelsa » Deo vero dicata intellige; nam excelsa idolorum abstulit, ut dictum est. Causam subdit :

ET ADHUC POPULUS NON DIREXERAT COR SUUM AD DOMINUM, — scilicet perfecte et totaliter; nam adhuc immolabat Deo in excelsis, cum Deus jussisset ut in solo templo Jerosolymæ sibi sacrificaretur.

34. SCRIPTA SUNT IN VERBIS JEHU FILII HANANI, QUÆ DIGESSIT IN LIBROS REGUM ISRAEL, — puta in libros Chronicorum sive Diariorum, quibus conscripsit gesta regum Israel. Hinc patet Jehu esse auctorem, saltem ex parte, libri toties citati, scilicet chronicorum regum Israel, eumque diversum esse ab hoc libro Paralipomenon, cum in eo hic citetur.

36. NAVES QUÆ IRENT IN THARSIS. — Vide dicta cap. IX, vers. 21. Nota ex hoc loco, Deum sæpe piorum principum conatus frustrari, eo quod impiorum regum vel militum ope utantur. Ideo enim contrivit naves pii Josaphat, quod junctæ essent navibus Ochoziæ impii regis Israel. Simili modo Deus per prophetam jussit Amasiæ, impios Israelitas, licet centum talentis argenti jam conductos, ab exercitu domum remittere, cap. XXV, 6.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pio Josaphat succedit impius filius Joram qui fratres suos et nonnullos principum occidit. Quare Elias ad eum litteras e paradiso mittit, quibus ei gravem morbum morteinque, ac toti regno cladem denuntiat; quæ omnia reipsa evenerunt.

1. Dormivit autem Josaphat cum patribus suis, et sepultus est cum eis in Civitate David : regnavitque Joram filius ejus pro eo. 2. Qui habuit fratres, filios Josaphat, Azariam, et Jaiel, et Zachariam, et Azariam, et Michael, et Saphatiam, omnes hi, filii Josaphat regis Juda. 3. Deditque eis pater suus multa munera argenti, et auri, et pensationes, cum civitatibus munitissimis in Juda : regnum autem tradidit Joram, eo quod esset primogenitus. 4. Surrexit ergo Joram super regnum patris sui : cumque se confirmasset, occidit omnes fratres suos gladio, et quosdam de principibus Israel. 5. Triginta duorum annorum erat Joram cum regnare cœpisset : et octo annis regnavit in Jerusalem. 6. Ambulavitque in viis regum Israel, sicut egerat domus Achab : filia quippe Achab erat uxor ejus, et fecit malum in conspectu Domini. 7. Noluit autem Dominus disperdere domum David, propter pactum quod inierat cum eo : et quia promiserat ut daret ei lucernam, et filiis ejus omni tempore. 8. In diebus illis rebellavit Edom, ne esset subditus Judæ, et constituit sibi regem. 9. Cumque transisset Joram cum principibus suis, et cuncto equitatu qui erat secum, surrexit nocte, et percussit Edom qui se circumdederat, et omnes duces equitatus ejus. 10. Attamen rebellavit Edom, ne esset sub ditione Juda, usque ad hanc diem : eo tempore et Lobna recessit ne esset sub manu illius. Dereliquerat enim Dominum Deum patrum suorum : 11. insuper et excelsa fabricatus est in urbibus Juda, et fornicari fecit habitatores Jerusalem, et prævaricari Judam. 12. Allatæ sunt autem ei litteræ ab Elia propheta, in quibus scriptum erat : Hæc dicit Dominus Deus David patris tui : Quoniam non ambulasti in viis Josaphat patris tui, et in viis Asa

regis Juda, 13. sed incessisti per iter regum Israel, et fornicari fecisti Judam, et habitatores Jerusalem, imitatus fornicationem domus Achab, insuper et fratres tuos, domum patris tui, meliores te, occidisti : 14. ecce Dominus percutiet te plaga magna, cum populo tuo, et filiis, et uxoribus tuis, universaque substantia tua; 15. tu autem ægrotabis pessimo languore uteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies. 16. Suscitavit ergo Dominus contra Joram spiritum Philistinorum, et Arabum, qui confines sunt Æthiopibus. 17. et ascenderunt in terram Juda, et vastaverunt eam, diripueruntque cunctam substantiam, quæ inventa est in domo regis, insuper et filios ejus, et uxores : nec remansit ei filius, nisi Joachaz, qui minimus natu erat. 18. Et super hæc omnia percussit eum Dominus alvi languore insanabili. 19. Cumque diei succederet dies, et temporum spatia volverentur, duorum annorum expletus est circulus : et sic longa consumptus tabe, ita ut egereret etiam viscera sua, languore pariter et vita caruit. Mortuusque est in infirmitate pessima, et non fecit ei populus secundum morem combustionis, exsequias, sicut fecerat majoribus ejus. 20. Triginta duorum annorum fuit, cum regnare cœpisset, et octo annis regnavit in Jerusalem. Ambulavitque non recte, et sepelierunt eum in Civitate David : verumtamen non in sepulcro regum.

4. OCCIDIT OMNES FRATRES SUOS GLADIO, ET QUOSDAM DE PRINCIPIBUS, — forte eo quod ipsi se ejus novæ religioni et idololatriæ opponerent. Quod si ita est, ipsi revera occubuerunt ut martyres.

7. LUCERNAM, — id est successionem stirpis regiæ et splendidæ. Vide *Psal.* CXXXI, 17.

10. ATTAMEN REBELLAVIT EDOM. — Idumæa scilicet excussit jugum impii Joram regis Juda; tunc que impleta est prophetia Jacob, *Genes.* XXVII, 40, prædicentis quod Esau excuteret jugum Jacob, puta quod Idumæi excuterent jugum Judæorum.

EO TEMPORE ET LOBNA RECESSIT. — Urbs erat prisca in tribu Juda, q. d. Non tantum exteri idumæi, sed et subditi Lobnenses impio Joram licet regi suo, rebellarunt. Audi Adrichomium in *Descriptione tribus Juda*, num. 176 : « Lebna quæ et Lobna et Labana, urbs Levitarum fortis et munita, non longe a Lachis dissita, habuerat priscis temporibus regem; quo interfecto, Josue etiam ipsam expugnavit. Postquam ad Monarchiam devenisset status Judæorum, propter impietatem regis Joram filii Josaphat defecit ab eo Lobna; tandem obsessa fuit a Sennacherib rege Assyriorum. Nunc villa est in regione Eleutheropolitana, quæ appellatur Lobna, de qua scribit Isaias, ut auctor Hieronymus. Quidam hanc ponunt in tribu Dan. »

Vers. 12. Elias scribit e paradiso ad Joram.

12. ALLATÆ AUTEM SUNT EI LITTERÆ AB ELIA PROPHETA. — Quæres : Quonam, quales, quando et quomodo ab Elia scriptæ et missæ sunt hæ litteræ? Nota Eliam jam pridem e terra raptum fuisse curru igneo in cœlum. Nam tempore Josaphat, qui fuit pater hujus Joram, floruit et prophetabat Eliseus, qui Elia jam rapto successit, ut patet IV *Reg.* II, 11. Quod enim Cajetanus censet alium hunc esse Eliam, et diversum a Thesbite, non habet speciem verisimilitudinis, et nove sine fundamento dicitur. Tale quoque est, quod ait Vatablus, per Eliam hic intelligi Eliseum, eo quod ipsi spiritus Eliæ insedisset. Alii ut Emmanuel Sa opinantur Eliam ante raptum has litteras scripsisse, et dedisse Eliseo vel alicui simili, ut eas post raptum suum traderet regi Joram. Verum alii passim censent Eliam ex paradiso, vel loco in quo ipse post raptum degit cum Enoch, has litteras misisse, sive per Angelum forma humana indutum, sive per Eliseum aliumve prophetam, vel virum fidelem, ad regem Joram. Itaque sicut in Transfiguratione Christi apparuit Petro, Jacobo et Joanni Elias cum Moyse, sic et idem apparuit hic alicui viro, eique litteras a se scriptas ad Joram perferendas dedit. Ita Hebræi in *Seder-Olam*, cap. XVII, Lyranus, Serarius, Sanchez, Bellarminus, et Salianus, qui censent has litteras datas ab Elia nono anno post raptum; raptum enim fuisse anno 19 Josaphat qui deinde adhuc sex annos regnavit, scilicet usque ad annum 25; litteras vero has fuisse datas anno tertio vel quarto Joramı, quod scilicet ipse solus post patrem Josaphat vita functum regnabat. Scripsit autem ex paradiso, ut magis perculeret impium Joram et converteret, utque ostenderet quantum ipse et Sancti, etiam post hanc vitam, hominum fidelium præsertim, habeant curam. Idem censent Genebrardus, lib. I *Chronol.*, Josephus Acosta, lib. III *De Noviss. Temp.* cap. VII, Aben Ezra et Petrus Figuerius in cap. IV *Malachiæ*, Thomas Malvenda, lib. IX *De Antichristo*, cap. II. Porro hasce litteris Elias graviter increpat Joram; quod a Deo æque ac ab ejus patre sui Josaphat desciverit, quodque fratres suos quasi parricida occiderit, ac eidem minatur triplicem plagam : scilicet *primo*, publicam bonorum tam ipsius regis quam regni populique expilationem, æque ac uxorum et filiorum ejus rapinam, quam mox intulerunt Philistæi, Arabes et Æthiopes, ut dicitur vers. 16. *Secundo*, gravem morbum et longam duorum annorum tabem, ita ut viscera ego-

rat, itaque in doloribus et fœtoribus infelicem animam exhalet, vers. 18. *Tertio*, quod carebit honore regiæ sepulturæ. Hanc tertiam pœnam non exprimit Elias, sed hæc e duabus prioribus, atque ex infausto ejus vita et morte consecuta est, ut patet vers. 19.

17. NISI JOACHAZ. — Hic est qui inverso nomine dictus est Ochozias. Hic enim solus superstes Joram patri in regno successit, ut patet cap. seq. vers. 1. Ita Beda.

19. ET NON FECIT EI POPULUS SECUNDUM MORES COMBUSTIONIS, EXSEQUIAS, SICUT FECERAT MAJORIBUS EJUS, — comburendo, non cadaver regis (illud enim sepeliebatur in sepulcro David et Salomonis, vel proprio ad hoc magnifico quasi mausoleo erecto), sed juxta cadaver, aromata et unguenta pretiosa; idque « ambitione » et pompa « magna » factum est Asæ avo Joram, cap. XVI, vers. 14. Vide dicta *Jerem.* cap. XXXIV, vers. 5.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Impio Joram succedit filius impius Ochozias, quem cum Joram rege Israel occidit Jehu. Athalia uxor Joram omnes filios Ochoziæ occidit, unico Joas parvulo excepto, quem Josabeth amita furtim sed subtraxit. Sola ergo regnat Athalia.

1. Constituerunt autem habitatores Jerusalem Ochoziam filium ejus minimum, regem pro 30 : omnes enim majores natu, qui ante eum fuerant, interfecerant latrones Arabum, qui irruerant in castra : regnavitque Ochozias filius Joram regis Juda. 2. Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpisset, et uno anno regnavit in Jerusalem, et nomen matris ejus Athalia filia Amri. 3. Sed et ipse ingressus est per vias domus Achab : mater enim ejus impulit eum ut impie ageret. 4. Fecit igitur malum in conspectu Domini, sicut domus Achab : ipsi enim fuerunt ei consiliarii post mortem patris sui, in interitum ejus. 5. Ambulavitque in consiliis eorum. Et perrexit cum Joram filio Achab rege Israel, in bellum contra Hazaël regem Syriæ in Ramoth Galaad : vulneraverumtque Syri Joram. 6. Qui reversus est ut curaretur in Jezrahel : multas enim plagas acceperat in supradicto certamine. Igitur Ochozias filius Joram rex Juda, descendit ut inviseret Joram filium Achab in Jezrahel ægrotantem. 7. Voluntatis quippe fuit Dei adversus Ochoziam, ut veniret ad Joram : et cum venisset et egrederetur cum eo adversum Jehu filium Namsi, quem unxit Dominus ut deleret domum Achab. 8. Cum ergo everteret Jehu domum Achab, invenit principes Juda, et filios fratrum Ochoziæ, qui ministrabant ei, et interfecit illos. 9. Ipsum quoque perquirens Ochoziam, comprehendit latitantem in Samaria : adductumque ad se occidit, et sepelierunt eum : eo quod esset filius Josaphat qui quæsierat Dominum in toto corde suo, nec erat ultra spes aliqua, ut de stirpe quis regnaret Ochoziæ. 10. Siquidem Athalia mater ejus, videns quod mortuus esset filius suus, surrexit, et interfecit omnem stirpem regiam domus Joram. 11. Porro Josabeth filia regis tulit Joas filium Ochoziæ, et furata est eum de medio filiorum regis, cum interficerentur : absconditque eum cum nutrice sua in cubiculo lectulorum : Josabeth autem, quæ absconderat eum, erat filia regis Joram, uxor Joiadæ Pontificis, soror Ochoziæ, et idcirco Athalia non interfecit eum. 12. Fuit ergo cum eis in domo Dei absconditus sex annis, quibus regnavit Athalia super terram.

1. OCHOZIAM. — Hic est qui inverse vocatus est Joachaz, cap. præcedenti, vers. 17.

2. QUADRAGINTA DUORUM ANNORUM ERAT OCHOZIAS, CUM REGNARE COEPISSET. — Grandis est hic quæstio et antilogia; nam IV *Regum* cap. VIII, vers. 26, dicitur : « Viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpisset, » quia, ut præcessit, Joram cœpit regnare cum 32 esset annorum, regnavitque 8 annis, mortuusque est anno ætatis 40, ait Josephus; mox successit ei filius Ochozias, ergo is non potuit esse 42 annorum, alioqui enim biennio fuisset senior patre suo Joram, qui mortuus

est anno ætatis quadragesimo; fuit igitur tum Ochozias 22 annorum.

Quæstio triplex.

Primo, Hebræi in *Seder-Olam*, cap. XVII, quos sequitur Genebrardus et Serarius, respondent hos 42 annos computandos esse ab anno sexto Amri, qui fuit avus maternus Ochoziæ, cujus mores et idola ipse secutus est; Amri enim in Samaria a se condita, et in metropolim regni Israel erecta, solus regnare cœpit anno sexto regni sui, regnavitque in ea octo annis; successit ei Achab filius, qui cum Ochozia filio regnavit 22 annis; huic successit Joram pariter filius per 12 annos; anno autem ejus duodecimo et ultimo cœpit regnare in Juda hic Ochozias filius Joram, eodemque anno cum Joram rege Israel occisus est a Jehu : jam adde annos 8 Amri, 22 Achab, 12 Joram, habebis 42 quos quærimus. Videntur enim Israelitæ Æram constituisse ab initio regni Samariæ, ab eoque annos numerasse, uti numerant Historici a Roma condita. Sic Absalom dicitur post 40 annos, scilicet a prima unctione Davidis in regem computandos, rebellasse Davidi, II *Reg.* cap. XV, vers. 7. Verum obstat, quod hi 42 anni dicantur esse Ochoziæ, non regni Samariæ. Unde Hebræi clare habent : *Filius 42 annorum erat Ochozias, cum regnare cœpisset.* Adde : Ochozias erat rex Juda, cur ergo annos ejus computaret Scriptura a regno Samariæ diverso, imo et adverso?

Secundo, S. Hieronymus in *Traditt.*, Glossa, Lyranus, Hugo, Dionysius, Gordonus, Mendoza, Vatablus et Franciscus Suarez, III *part.* tom. I, disp. VI, sect. 1, respondent Joram cœpisse regnare anno ætatis 32, cum Josaphat patre, ac cum eo regnasse viginti annis; deinde eo mortuo solum regnasse octo annis, qui octo solum numerantur, quia pertinent ad chronologiæ computationem; quare mortuum esse anno ætatis non 40, ut ait Josephus, sed 60; ita ut Ochozias filius ei succedens fuerit 42 annorum, qui tamen, III *Reg.* cap. VIII, vers. 26, dicitur fuisse 22 annorum, quia scilicet ipse cum patre Joram 20 annis regnavit; quare quando cum eo regnare cœpit, erat 22; patre vero post 20 annos mortuo, cum Ochozias solus regnavit, fuit 42 annorum.

Verum sic Josaphat debuisset generare Joram anno ætatis suæ octavo; Josaphat enim cœpit regnare anno ætatis 35, ac regnavit 25 annis mortuusque est sexagenarius; adde quinque, vel ut alii octo annos, quibus post ejus mortem regnavit Joram, fient anni Josaphat 68, ex quibus 42 tribuendi sunt Ochoziæ, ac octodecim circiter Joram patri ejus, cum eum genuit, qui juncti faciant 60; quare octo tantum anni supererunt Josaphato, quos ipse habuerit cum genuit Joram, quod est impossibile. Omitto quod isti auctores dicunt simul tres reges regnasse, scilicet avum Josaphat, filium Joram, et nepotem Ochoziam per 20 annos; quod novum est et insolitum.

Tertio, Sanchez et alii, ut hoc argumentum evitent, dicunt Joram cum patre Josaphato regnasse octo annis, post ejus mortem vero regnasse 20 annis; sed infeliciter, utpote morbo insanabili a Deo percussum ideoque Ochoziam filium regnum pro patre ægro et tabido administrasse, ideoque hos viginti annos includi hic in 42 annis Ochoziæ. Itaque Ochoziam, quando cum patre Joram regnare cœpit, fuisse 22 annorum; quando vero eo post 20 annos mortuo, solus regnavit, fuisse 42 annorum.

Verum obstat *primo*, quod Joram pater biennio tantum hoc morbo laborarit, ut dicitur II *Paral.* cap. XXI, vers. 19. *Secundo*, quod sic viginti anni jam dicti debuissent dici regni Ochoziæ, non vitæ, ut chronologia annorum regni, quibus quisque rex in Juda regnavit, continua serie pertexeretur; alioqui enim hi viginti anni chronologiæ regni Juda deerunt : quocirca nemo Chronologorum eos enumerat, quod signum est eos non existitisse. *Tertio* et maxime, quod anni Joram regis Juda ejusque filii Ochoziæ, includantur in annis Joram regis Israel, uti patet IV *Reg.* VIII, 16 et 25, et cap. IX, vers. 27 et 29. Joram autem rex Israel cœpit regnare anno 18 Josaphat, regnavitque duodecim annis, ut dicitur IV *Reg.* cap. III, vers. 1; regnavit ergo septem annos post mortem Josaphat; hic enim regnavit 25 annis. Mortuus est igitur tam Joram rex Israel, quam Joram rex Juda, ejusque filius Ochozias, anno septimo post mortem Josaphat. Ergo nullus eorum potuit regnare viginti annis post mortem Josaphat : quare Ochozias non potuit tunc esse quadraginta duorum annorum. Ita Cajetanus, Salianus et alii.

Quarto ergo Cajetanus, Bellarminus in manuscripta concordia annorum regum Israel et Juda, quam penes me habeo, Tornielius, Salianus, Mariana, Scaliger et alii censent hic esse mendum, pro 42 substituendos 22 annos. Sic enim clare dicitur IV *Reg.* cap. VIII, vers. 26 : « 22 annorum erat Ochozias cum regnare cœpisset, » et sic habent hoc loco Septuaginta Romæ correcti. *Viginti*, inquiunt, *annorum erat Ochozias*; et in Notis additur alios codices habere : *Viginti duorum annorum.* Ac facile in Hebræo pro עשרים *Esrim*, id est *viginti*, irrepisse potuit ארבעים, id est 40 : facilius in ciphris irrepsit error, ut pro כב id est 22, positum sit מב id est 42, ait Mariana; nam ב et מ charactere sunt affines. Atque hæc videtur origo fuisse mendi. Fateor omnes Codices Hebræos et Latinos hoc loco habere 42, non 22; sed argumenta cogunt ut pro 42 reponatur 22. Nulla enim alia solutio solida hic afferri potest; neque interpretes, sed ipsa S. Scriptura corrigit seipsam a descriptoribus vitiatam, scilicet Liber Regum corrigit Librum Paralipomenon in annis jam dictis, scriptorum vitio corruptis. Plura in editione vulgata a Romanis correcta sunt et plura corrigi possent, uti ipsi correctores in præfatione fatentur, atque error in numeris facile contingit, nec spectat ad fidem vel bonos mores. Sic multi demunt Cainan a serie generationum in genealogia Christi,

cum tamen constanter habeant omnia exemplaria Græca, Latina, Syra, Arabica, etc., *Lucæ* cap. III, vers. 36. Denique hoc loco pro 42 annorum, Syrus habet : 22 *annorum erat Ochozias*. Sic quoque habet Arabicus utrque, scilicet Antiochenus, sive montis Sinai, et Alexandrinus, sive Cophticus, uti mihi Romæ asseveravit Illustrissimus Dominus Sergius Risius Maronita, Archiepiscopus Damascenus.

ATHALIA FILIA AMRI. — « Filia, » id est neptis. Erat enim filia Achab qui erat filius Amri, ut patet cap. præcedenti, vers. 6, et IV *Reg.* cap. VIII, vers. 18.

18. INTERFECIT OMNEM STIRPEM REGIAM, — scilicet omnes filios filii sui Ochoziæ regis, quos ipse multos ex multis uxoribus (uti tum regibus mos erat) susceperat. Occidit ergo omnes suos ex filio Ochozia nepotes, ut iis quasi hæredibus regni subla-tis, ipsa sola quasi avia libere et impune regnaret. Vide ad quanta parricidia feminam adegerit regnandi cupido et libido.

11. PORRO JOZABETH FILIA REGIS JORAM (non e Athalia, sed ex alia uxore) FURATA EST EUM (Joas) DE MEDIO FILIORUM REGIS CUM INTERFICERENTUR, — « quem inter cæsorum fratrum cadavera, ait Josephus, opinione Athaliæ mortuum nutricis opera ablatum furtim domi suæ abdidit, et solo marito (Joiada Pontifice) conscio sex annis abscondit in templo in cubiculo lectulorum, » id est in una exedra, sive cubiculo, ubi erat triclinium in quo vescebantur Sacerdotes et Levitæ, qui vice sua illa hebdomade deserviebant templo. Tales enim exedræ plurimæ erant circa templum, ideoque et ipse templum, id est templi appendices vocantur.

Reliqua hujus capitis exposui IV *Reg.* IX.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Joiada Pontifex Joas septennem in regem ungit, Athaliam ejus aviam regnantem occidit, Dei cultum restituit, aras et delubra Baal exertit.

1. Anno autem septimo confortatus Joiada, assumpsit centuriones, Azariam videlicet filium Jeroham, et Ismahel filium Johanan, Azariam quoque filium Obed, et Maasiam filium Adniæ, et Elisaphat filium Zechri : et iniit cum eis fœdus. 2. Qui circumeuntes Judam, congregave runt Levitas de cunctis urbibus Juda, et principes familiarum Israel, veneruntque in Jerusalem. 3. Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei cum rege : dixitque ad eos Joiada : Ecce filius regis regnabit, sicut locutus est Dominus super filios David. 4. Iste est ergo sermo quem facietis : 5. Tertia pars vestrum qui veniunt ad sabbatum, Sacerdotum, et Levitarum, et janitorum, erit in portis : tertia vero pars ad domum regis : et tertia ad portam, quæ appellatur Fundamenti : omne vero reliquum vulgus sit in atriis domus Domini. 6. Nec quispiam alius ingrediatur domum Domini, nisi Sacerdotes et qui ministrant de Levitis : ipsi tantummodo ingrediantur, quia sanctificati sunt ; et omne reliquum vulgus observet custodias Domini. 7. Levitæ autem circumdent regem, habentes singuli arma sua : (et si quis alius ingressus fuerit templum, interficiatur) sintque cum rege et intrante et egrediente. 8. Fecerunt ergo Levitæ, et universus Juda, juxta omnia quæ præceperat Joiada Pontifex, et assumpserunt singuli viros qui sub se erant, et veniebant per ordinem sabbati, cum his qui impleverant sabbatum, et egressuri erant : siquidem Joiada Pontifex non dimiserat abire turmas, quæ sibi per singulas hebdomadas succedere consueverant. 9. Deditque Joiada Sacerdos centuriombus lanceas, clypeosque et peltas regis David, quas consecraverat in domo Domini. 10. Constituitque omnem populum tenentium pugiones, a parte templi dextra, usque ad partem templi sinistram coram altari, et templo, per circuitum regis. 11. Et eduxerunt filium regis, et imposuerunt ei diadema, et testimonium, dederuntque in manu ejus tenendam legem, et constituerunt eum regem : unxit quoque illum Joiada Pontifex, et filii ejus : imprecatique sunt ei, atque dixerunt : Vivat rex. 12. Quod cum audisset Athalia vocem scilicet currentium atque laudantium regem, ingressa est ad populum in templum Domini.

13. Cumque vidisset regem stantem super gradum in introitu, et principes, turmasque circa eum, omnemque populum terræ gaudentem, atque clangentem tubis, et diversi generis organis concinentem, vocemque laudantium, scidit vestimenta sua, et ait : Insidiæ, insidiæ. 14. Egressus autem Joiada Pontifex ad centuriones, et principes exercitus, dixit eis : Educite illam extra sepia templi, et interficiatur foris gladio. Præcepitque Sacerdos ne occideretur in domo Domini. 15. Et imposuerunt cervicibus ejus manus : cumque intrasset portam equorum domus regis, interfecerunt eam ibi. 16. Pepigit autem Joiada fœdus inter se, universumque populum, et regem, ut esset populus Domini. 17. Itaque ingressus est omnis populus domum Baal, et destruxerunt eum : et altaria ac simulacra illius confregerunt : Mathan quoque sacerdotem Baal interfecerunt ante aras. 18. Constituit autem Joiada præpositos in domo Domini, sub manibus Sacerdotum et Levitarum, quos distribuit David in domo Domini ut offerrent holocausta Domino, sicut scriptum est in lege Moysi, in gaudio et canticis juxta dispositionem David. 19. Constituit quoque janitores in portis domus Domini, ut non ingrederetur eam immundus in omni re. 20. Assumpsitque centuriones, et fortissimos viros ac principes populi, et omne vulgus terræ, et fecerunt descendere regem de domo Domini, et introire per medium portæ superioris in domum regis, et collocaverunt eum in solio regali. 21. Lætatusque est omnis populus terræ, et urbs quievit : porro Athalia interfecta est gladio.

Hoc caput explicui IV Reg. XI.

1. ANNO AUTEM SEPTIMO CONFORTATUS (a Deo) JOIADA. — Fuit hic Pontifex magni animi et virtutis, qui regiam stirpem in regnum restituit, vixitque 130 annos, II *Paralipomen.* XXIV, 15. Nonnulli cum nostro Henrico Samerio in *Chronol.* putant eum non fuisse summum Pontificem, sed principem Sacerdotum in tribu Juda, scilicet eorum qui dispersi erant per tribum Juda, ejusque curam gerebant. Ratio eorum est, quod in Catalogo summorum Pontificum, qui exstat I *Paral.* cap. VI, et I *Esdræ* VII, 1, et apud Josephum, lib. X *Antiq.* cap. XI, non nominetur Joiada. Verum chronicon Hebræorum Joiada collocat in numero summorum Pontificum. Rursum Josephus eum vocat ἀρχιερέα, et Scriptura eum vocat Pontificem et « principem Sacerdotum, » ac in Hebræo, *primum sacerdotem, et caput sacerdotum*, id est summum Pontificem. Accedit ratio quod ipse regem Joas in regnum restituerit et regem unxerit : hoc autem erat munus summi Pontificis. Rursum, mandata et imperia quæ ipse hic dat omnibus Sacerdotibus, Levitis, totique populo in custodiendo rege et templo, arguunt eum fuisse summum omnium Pontificem. Porro nec Josephus, nec Scriptura, I *Paralip.* VI, et I *Esdræ* VII, 1, omnes recenset Pontifices, sed aliquos omittit ; nam a rege Josaphat usque ad Joiadam, quod fuit spatium 238 annorum, numerant tantum quatuor Pontifices, scilicet Achitob, Meraioth, Sadoc et Sellum; quorum quisque debuisset 59 annos fungi Pontificatu, quod est incredibile. Joiada ergo et alii nonnulli omissi sunt, eo quod non esset ex Eleazaro primo Aaronis filio, cui jure primogenituræ debebatur Pontificatus progenitoris. Forte etiam Joiada, uti et multi alii, aliud habuit nomen. Unde nonnulli putant eum qui a Josepho inter Pontifices ponitur, vocaturque Sedeas, esse Joiadam, et sequentem Iulum esse Zachariam filium Joiadæ. Zachariam enim patri Joiadæ in Pontificatu successisse censent Abulensis, Torniellus et alii, licet chronicon Hebræorum quod sequitur Genebrardus et Salianus asserat Joiadæ successisse Pedaiam. Joiada ergo restituit religionem æque ac regnum Judæ, ideoque a Joas rege post mortem sepultus est in sepulcro regum. Unde chronicon Hebræorum hoc Joiadæ dat epitaphium et elogium : « Senuit Joiada plenus dierum, et mortuus est cum esset 130 annorum. Nempe oriente in diebus Salomonis labe (idololatriæ) et ruina natus est simul Joiada qui eam corrigeret. » Natus est enim Joiada sub annum regni Salomonis 35, mortuus vero anno 28 Joas regis Juda. Ita Salianus.

5. QUI VENIUNT AD SABBATUM, — ut sabbato vicem hebdomadæ suæ ad serviendum in templo inchoent ; Judæi enim a sabbato hebdomadam inchoabant, sicut nos a Dominica, et eodem recurrente illam finiebant.

6. RELIQUUM VULGUS (tum Levitarum, tum populi fidelis) OBSERVET CUSTODIAS DOMINI, — id est, fungatur officio suo in atrio domus Domini, sive templi ; scilicet ut si quis tumultus oriatur ex militibus quos Athalia submiserit ad occidendum Joas, ipsi eos sistant, impediant et repellant. Idcirco enim jusserat vers. 5, dicens : « Reliquum vulgus sit in atriis domus Domini ; » puta in atrio, quod erat quasi templum laicorum, ac in varia minora atria erat divisum. Voluit enim Joiada novellum regem puerum, non tantum Levitarum, sed et populi fidelis præsidio communiri, ne quæ ei vis aut fraus fieret ab Athalia avia impia.

20. PORTÆ SUPERIORIS. — Hæc erat porta templi, quæ ducebat ad regis palatium. Dicitur « superior, » quia altior erat regia, ex qua in inferiori loco constituta per hanc portam in templum ascendebatur, patet IV *Reg.* XI, 6 et 19. Eadem porta vers. 5, vocatur, « fundamenti, » quia in ipsis fundamentis templi, id est in Mello erecta; ita Vilalpandus, pag. 219; hæc præ cæteris justa fuit custodiri, quia per hanc Athalia ex regia ventura erat in templum cum suo milite et satellite.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Joas ejus sub Joiada Pontifice vitæ Deum colit; at eo mortuo defectens ad idola, ideoque reprehensus a Zacharia filio Joiadæ, eum in atrio templi lapidat et necat. Quare anno sequenti Deus Judæam Syris spoliandam tradit, et Joas regem per ejus famulos occidit.

1. Septem annorum erat Joas cum regnare cœpisset : et quadraginta annis regnavit in Jerusalem, nomen matris ejus Sebia de Bersabee. 2. Fecitque quod bonum est coram Domino cunctis diebus Joiadæ Sacerdotis. 3. Accepit autem ei Joiada uxores duas, e quibus genuit filios et filias. 4. Post quæ placuit Joas ut instauraret domum Domini. 5. Congregavitque Sacerdotes, et Levitas, et dixit eis : Egredimini ad civitates Juda, et colligite de universo Israel pecuniam ad sarta tecta templi Dei vestri, per singulos annos, festinatoque hoc facite. Porro Levitæ egere negligentius. 6. Vocavitque rex Joiadam principem, et dixit ei : Quare tibi non fuit curæ, ut cogeres Levitas inferre de Juda et de Jerusalem pecuniam, quæ constituta est a Moyse servo Domini, ut inferret eam omnis multitudo Israel in tabernaculum testimonii? 7. Athalia enim impiissima, et filii ejus destruxerunt domum Dei; et de universis, quæ sanctificata fuerant in templo Domini, ornaverunt fanum Baalim. 8. Præcepit ergo rex, et fecerunt arcam, posueruntque eam juxta portam domus Domini foris secus. 9. Et prædicatum est in Juda et Jerusalem, ut deferrent singuli pretium Domino, quod constituit Moyses servus Dei super omnem Israel in deserto. 10. Lætatique sunt cuncti principes, et omnis populus : et ingressi contulerunt in arcam Domini, atque miserunt ita ut impleretur. 11. Cumque tempus esset ut deferrent arcam coram rege per manus Levitarum (videbant enim multam peconiam), ingrediebatur scriba regis, et quem primus Sacerdos constituerat : effundebantque pecuniam quæ erat in arca : porro arcam reportabant ad locum suum : sicque faciebant per singulos dies, et congregata est infinita pecunia, 12. quam dederunt rex et Joiada his qui præerant operibus domus Domini : at illi conducebant ex ea cæsores lapidum, et artifices operum singulorum, ut instaurarent domum Domini : fabros quoque ferri et æris, ut quod cadere cœperat, fulciretur. 13. Egerunteque hi qui operabantur in industrie, et obstructa est paries cicatrix per manus eorum, ac suscitaverunt domum Domini in statum pristinum, et firmiter eam stare fecerunt. 14. Cumque complessent omnia opera, detulerunt coram rege et Joiada reliquam partem pecuniæ : de qua facta sunt vasa templi in ministerium, et ad holocausta, phialæ quoque, et cætera vasa aurea et argentea : et offerebantur holocausta in domo Domini jugiter cunctis diebus Joiadæ. 15. Senuit autem Joiada plenus dierum, et mortuus est cum esset centum triginta annorum, 16. sepelieruntque eum in Civitate David cum regibus, eo quod fecisset bonum cum Israel, et cum domo ejus. 17. Postquam autem obiit Joiada, ingressi sunt principes Juda, et adoraverunt regem; qui delinitus obsequiis eorum, acquievit eis. 18. Et dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum, servieruntque lucis et sculptilibus, et facta est ira contra Judam et Jerusalem propter hoc peccatum. 19. Mittebatque eis prophetas ut reverterentur ad Dominum, quos protestantes, illi audire nolebant. 20. Spiritus itaque Dei induit Zachariam filium Joiadæ Sacerdotem, et stetit in conspectu

populi, et dixit eis : Hæc dicit Dominus Deus : Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, et dereliquistis Dominum ut derelinqueret vos? 21. Qui congregati adversus eum, miserunt lapides juxta regis imperium in atrio domus Domini. 22. Et non est recordatus Joas rex misericordiæ, quam fecerat Joiada pater illius secum, sed interfecit filium ejus. Qui cum moreretur, ait : Videat Dominus, et requirat. 23. Cumque evolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syriæ : venitque in Judam et Jerusalem, et interfecit cunctos principes populi, atque universam prædam miserunt regi in Damascum. 24. Et certe cum permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, eo quod dereliquissent Dominum Deum patrum suorum : in Joas quoque ignominiosa exercuere judicia. 25. Et abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis : surrexerunt autem contra eum servi sui, in ultionem sanguinis filii Joiadæ Sacerdotis, et occiderunt eum in lectulo suo, et mortuus est : sepelieruntque eum in Civitate David, sed non in sepulcris regum. 26. Insidiati vero sunt ei, Zabad filius Semmaath Ammanitidis, et Jozabad filius Semarith Moabitidis. 27. Porro filii ejus, ac summa pecuniæ quæ adunata fuerat sub eo, et instauratio domus Dei, scripta sunt diligentius in Libro Regum : regnavit autem Amasias filius ejus pro eo.

Hoc caput explicui IV *Reg.* XII.

22. QUI (Zacharias) CUM MORERETUR, AIT : VIDEAT DOMINUS ET REQUIRAT. — « Videat, » scilicet meam innocentiam et probitatem, qua ex officio meo (erat enim Pontifex) regem Idola colentem reprehendo. « Videat » pariter regis impietatem et ingratitudinem, qua me filium Joiadæ Pontificis, et avunculi sui, cui vitam et regnum debet, ingrate, injuste et impie interficit. « Et requirat, » ut meam necem tantaque scelera justo judicio puniat et ulciscatur. Dixit hoc Zacharias ex zelo justitiæ, qui fuit spiritus Eliæ et veteris Testamenti. At in novo Christus et Apostoli a Judæis occisi non vindictam, sed veniam a Deo occisoribus precabantur. Unde Christus in cruce : « Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, » *Matth.* cap. XXVII, et Stephanus cum lapidaretur, ut hic Zacharias : « Domine, inquit, ne statuas illis hoc peccatum, » *Actorum* cap. VII.

Exaudivit Deus orationem Zachariæ; unde Joas et Judæos multipliciter punivit; nam primo, ut sequitur, anno proxime sequenti Hazael rex Syriæ cum paucis copiis immensam Judæorum multitudinem cecidit, ac thesauros templi neque ac palatii regii in Syrium abripuit.

Secundo, in Joas regem ignominiosa exercuit judicia, ut dicitur vers. 24, exprobrans illi suam ingratitudinem et perfidiam, ac probris variisque ignominiis, atque ut videtur, plagis eum afficiens, qualibus Sedeciam perfidum affecit Nabuchodonosor, IV *Reg.* XXV.

Tertio, ex hisce probris et plagis, ac ex nova Dei castigatione Joas incidit in morbum gravem, qui ei dolores et languores magnos excitavit, vers. 25.

Quarto, servi ejus contra eum conjurarunt, eumque decumbentem in lecto mactarunt in domo Mello, quæ vicina erat palatio. Addit Josephus hos conjuratos fuisse amicos Zachariæ, unde vers. 25, hic dicuntur eum occidisse « in ultionem sanguinis Zachariæ, filii Joiadæ. » Denique S. Hieronymus, S. Thomas, Abulensis, Jansenius, Maldonatus, Barradius et alii censent hunc esse Zachariam, cujus necem Judæis exprobrat Christus, eisque excidium minatur dicens : « Ut veniat super vos omnis sanguis, etc. a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare, » *Matth.* XXIII; vide ibi dicta. Denique ob templum cædo et sanguine hujus Zachariæ pollutum, denique defecisse in templo oracula et responsa divina tradit S. Epiphanius *in Vita Zachariæ*, et ex eo Genebrardus *in Chronol.*

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Amasias rex ulciscitur necem patris sui Joas, ac Idumæos prælio superat; sed in idololatriam prolapsus a Joas rege Israel profligatur, capitur et spoliatur, atque a suis in Lachis trucidatur.

1. Viginti quinque annorum erat Amasias cum regnare cœpisset, et viginti novem annis regnavit in Jerusalem, nomen matris ejus Joadan de Jerusalem. 2. Fecitque bonum in conspectu Domini : veruntamen non in corde perfecto. 3. Cumque roboratum sibi videret imperium, jugulavit servos, qui occiderant regem patrem suum, 4. sed filios eorum non interfecit, sicut scriptum est in Libro legis Moysi, ubi præcepit Dominus dicens : Non occidentur patres pro filiis neque filii pro patribus suis, sed unusquisque in suo peccato morietur. 5. Congregavit igitur Amasias Judam, et constituit eos per familias, tribunosque et centuriones in universo Juda et Benjamin : et recensuit a viginti annis supra, invenitque trecenta millia juvenum, qui egrederentur ad pugnam, et tenerent hastam et clypeum. 6. Mercede quoque conduxit de Israel centum millia robustorum, centum talentis argenti. 7. Venit autem homo Dei ad illum, et ait : O rex, ne egrediatur tecum exercitus Israel : non est enim Dominus cum Israel, et cunctis filiis Ephraim : 8. quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus : Dei quippe est adjuvare et in fugam convertere. 9. Dixitque Amasias ad hominem Dei : Quid ergo fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Israel? Et respondit ei homo Dei : Habet Dominus unde tibi dare possit multo his plura. 10. Segregavit itaque Amasias exercitum, qui venerat ad eum ex Ephraim, ut reverteretur in locum suum ; at illi contra Judam vehementer irati reversi sunt in regionem suam. 11. Porro Amasias confidenter eduxit populum suum, et abiit in Vallem salinarum, percussitque filios Seir decem millia. 12. Et alia decem millia virorum ceperunt filii Juda, et adduxerunt ad præruptum cujusdam petræ, præcipitaverunteque eos de summo in præceps, qui universi crepuerunt. 13. At ille exercitus, quem remiserat Amasias ne secum iret ad prælium, diffusus est in civitatibus Juda, a Samaria usque ad Bethoron, et interfectis tribus millibus, diripuit prædam magnam. 14. Amasias vero post cædem Idumæorum, et allatos deos filiorum Seir, statuit illos in deos sibi, et adorabat eos, et illis adolebat incensum. 15. Quamobrem iratus Dominus contra Amasiam, misit ad illum prophetam, qui diceret ei : Cur adorasti deos qui non liberaverunt populum suum de manu tua? 16. Cumque hæc ille loqueretur : respondit ei : Num consiliarius regis es? quiesce ne interficiam te. Discedensque propheta, Scio, inquit, quod cogitaverit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, et insuper non acquievisti consilio meo. 17. Igitur Amasias rex Juda, inito pessimo consilio, misit ad Joas filium Joachaz filii Jehu, regem Israel, dicens : Veni, videamus nos mutuo. 18. At ille remisit nuntios, dicens : Carduus, qui est in Libano, misit ad cedrum Libani, dicens : Da filiam tuam filio meo uxorem ; et ecce bestiæ, quæ erant in silva Libani, transierunt, et conculcaverunt carduum. 19. Dixisti : Percussi Edom, et idcirco erigitur cor tuum in superbiam ; sede in domo tua, cur malum adversum te provocas, ut cadas et tu, et Juda tecum? 20. Noluit audire Amasias, eo quod Domini esset voluntas ut traderetur in manus hostium propter deos Edom. 21. Ascendit igitur Joas rex Israel, et mutuos sibi præbuere conspectus : Amasias autem rex Juda erat in Bethsames Juda ; 22. corruitque Juda coram Israel, et fugit in tabernacula sua. 23. Porro Amasiam regem Juda filium Joas filii Joachas cepit Joas rex Israel in Bethsames, et adduxit eum Jerusalem, destruxitque murum ejus a porta Ephraim usque ad portam anguli, quadringentis cubitis. 24. Omne quoque aurum et argentum, et universa vasa quæ repererat in domo Dei, et apud Obededom, in thesauris etiam domus regiæ, necnon et filios obsidum, reduxit in Samariam. 25. Vixit autem Amasias filius Joas rex Juda, postquam mortuus est Joas filius Joachaz rex Israel, quindecim annis. 26. Reliqua autem sermonum Amasiæ priorum et novissimorum scripta sunt in Libro regum Juda et Israel. 27. Qui, postquam recessit a Domino, tetenderunt ei insidias in Jerusalem. Cumque fugisset in Lachis, miserunt, et interfecerunt eum ibi. 28. Reportantesque super equos, sepelierunt eum cum patribus suis in Civitate David.

Hoc caput explicui IV *Reg.* XIV.

6. MERCEDE QUOQUE CONDUXIT DE ISRAEL CENTUM MILLIA ROBUSTORUM, CENTUM TALENTIS ARGENTI. — Talentum argenti continebat tria millia siclorum argenteorum, id est, tria millia florenorum Brabanticorum, quorum quisque continet quatuor Julios Romanos, sive quatuor Regales Hispanicos. Quare centum talenta argenti faciunt trecenta millia florenorum Brabanticorum quæ, si in centum millia Israelitarum hoc pretio conductorum æquabiliter distribuas, cuique militi obvenient tres florenti Brabantici, sive duodecim Julii, quod illo ævo, cum rara esset pecunia, et annona vili pretio, ingens erat et magnæ æstimationis. Quare immerito nonnulli censent hæc talenta fuisse auri, cum Scriptura expresse dicat ea fuisse argenti.

7. VENIT AUTEM HOMO DEI, — propheta a Deo missus. Hebræi in *Seder-Olam* tradunt prophetam hunc fuisse Amos, qui erat frater Amasiæ regis et pater Isaiæ prophetæ, idque probat ex *Isaiæ* XXXVII, 2, ubi S. Hieronymus legit : « Ad Isaiam filium Amos prophetæ, » sicque olim legebatur; licet jam Hebræus, Septuaginta et Romana constanter legant : « Ad Isaiam filium Amos prophetam. »

O REX, NE EGREDIATUR TECUM EXERCITUS ISRAEL : NON ENIM EST DOMINUS CUM ISRAEL, — utpote hostibus suis, et idola, puta vitulos aureos colentibus. Discant hic reges et principes Christiani non quærere auxilia principum vel militum hæreticorum, Turcarum, aliorumque infidelium; quia, si id faciant, Deum habebunt hostem, cumque vindictam sentient, uti sensit Josaphat, cujus naves confregit Deus, eo quod junctæ essent navibus impii Ochoziæ regis Israel, cap. XX, 37.

Causam dat noster Salianus anno mundi 3208, numer. 6. Nolebat, inquit, Dominus impios et infideles conjungi cum fidelibus. Itaque licet utrisque seorsim pro mirabili sua providentia faveret, dareique victoriam; conjunctos tamen non raro perimit, victosque reddidit. Erat Josaphat cum Achabo, III *Reg.* XXII, cum hic occisus est, et ille insens adiit vitæ discrimen. Erat item cum Joramo, cum exercitus siti pene enecti, tantum non Moabitarum præda facti sunt, IV *Reg.* III. Ochozias aderat Joramo in Ramoth Galaad, cum Joramus multis vulneribus a Syris affectus est, moxque rex uterque a Jehu interfectus est, IV *Regum* VIII, versu 28. Ergo ne nunc quidem conjunctis se affuturum ait, imo eladem et interitum utrisque minatur; separatis autem victoriam dedit. Nam mox Amasias victor extitit contra Idumæos, et Joas contra Amasiam, et Jeroboam contra Syros. Denique maluit Deus, et ex Deo Amasias rex perdere centum talenta argenti, imo ab Israelitis dimissis spoliari Judæam, ut patet versu 13, quam eos in societatem belli admittere.

13. CUR ADORASTI DEOS? — Audi Josephum plenius rem gestam enarrantem : « Quam ubrem a propheta conventus est miruri se dicente, quod hos Deos crederet qui cultoribus suis nihil opis offerre valuerint; neque eos ab Hebræorum vi tutos præstiterint, sed tanquam ad se non pertinentes cæsi, et captivos trahi passi sint. Quin et ipsos belli jure abductos inter reliquam captivorum turbam, Hierosolymam pervenisse. Rex, his verbis ad iram permotus, jussit illum hoc de re esse quietum, minatus supplicium, si negotiis alienis miscere se pergeret. Tum ille, si quidem quieturum dixit, Deum tamen ultorem hujusmodi novitatibus non defore. »

16. NON ACQUIEVISTI CONSILIO MEO. — « Consilio autem ejus acquiesceret, ait S. Hieronymus in *Traditi.*, si eos igne combureret, vestimenta disrumperet, cinerem super caput spargeret, et totum se pœnitentiæ daret. Hoc enim consilium illi prophetes dederat; » sed quia non acquievit, hinc propheta libere et audacter illi denuntiat :

SCIO QUOD COGITAVERIT DEUS OCCIDERE TE, — ac revera occidit, ut patet vers. 27. Auctor enim librorum *Paralipom.* hoc fine eos conscripsit, ut ex felici piorum regum, et infelici impiorum exitu, ostendat felicitatem regum et regnorum consistere in vera religione, veroque Dei cultu, infelicitatem vero in ejus neglectu.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ozias sive Azarias Deum colens superat Philistæos, Arabes et Ammonitas : unde superbiens volensque thymiama adolere in templo, a Deo lepra percutitur, ideoque regnum administrat filius ejus Joatham.

1. Omnis autem populus Juda, filium ejus Oziam annorum sedecim, constituit regem pro Amasia patre suo. 2. Ipse ædificavit Ailath, et restituit eam ditioni Juda, postquam dormivit rex cum patribus suis. 3. Sedecim annorum erat Ozias, cum regnare cœpisset, et quinquaginta duobus annis regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus Jechelia de Jerusalem. 4. Fecitque quod erat rectum in oculis Domini, juxta omnia quæ fecerat Amasias pater ejus. 5. Et exquisivit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis et videntis Deum : cumque requireret Dominum, direxit eum in omnibus. 6. Denique egressus est et pugnavit contra Philistiim, et destruxit murum Geth, et murum Jabniæ, murumque Azoti : ædificavit quoque oppida in Azoto, et in Philistiim. 7. Et adjuvit eum Deus contra Philistiim, et contra Arabes, qui habitabant in Gurbaal, et contra Ammonitas. 8. Appendebantque Ammonitæ munera Oziæ; et divulgatum est nomen ejus usque ad introitum Ægypti propter crebras victorias. 9. Ædificavitque Ozias turres in Jerusalem super portam anguli, et super portam vallis, et reliquas in eodem muri latere, firmavitque eas. 10. Extruxit etiam turres in solitudine, et effodit cisternas plurimas, eo quod haberet multa pecora, tam in campestribus, quam in eremi vastitate : vineas quoque habuit et vinitores in montibus, et in carmelo : erat quippe homo agriculturæ deditus. 11. Fuit autem exercitus bellatorum ejus, qui procedebant ad prælia sub manu Jehiel scribæ, Maasiæque doctoris, et sub manu Hananiæ, qui erat de ducibus regis. 12. Omnisque numerus principum per familias virorum fortium, duorum millium sexcentorum. 13. Et sub eis universus exercitus, trecentorum et septem millium quingentorum : qui erant apti ad bella et pro rege contra adversarios dimicabant. 14. Præparavit quoque eis Ozias, id est, cuncto exercitui, clypeos, et hastas, et galeas, et loricas, arcusque et fundas ad jaciendos lapides. 15. Et fecit in Jerusalem diversi generis machinas quas in turribus collocavit, et in angulis murorum, ut mitterent sagittas, et saxa grandia : egressumque est nomen ejus procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus, et corroborasset illum. 16. Sed cum roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum : ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis. 17. Statimque ingressus post eum Azarias sacerdos, et cum eo Sacerdotes Domini octoginta viri fortissimi, 18. restiterunt regi, et hæc dixerunt : Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium; egredere de sanctuario, ne contempseris : quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo. 19. Iratusque Ozias, tenens in manu thuribulum, et adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte ejus coram Sacerdotibus, in domo Domini super altare thymiamatis. 20. Cumque respexisset eum Azarias pontifex, et omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, et festinato expulerunt eum. Sed et ipse perterritus, acceleravit egredi, eo quod sensisset illico plagam Domini. 21. Fuit igitur Ozias rex leprosus usque ad diem mortis suæ, et habitavit in domo separata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini. Porro Joatham filius ejus rexit domum regis, et judicabat populum terræ. 22. Reliqua autem sermonum Oziæ priorum et novissimorum scripsit Isaias filius Amos propheta. 23. Dormivitque Ozias cum patribus suis, et sepelierunt eum in agro regalium sepulcrorum, eo quod esset leprosus : regnavitque Joatham filius ejus pro eo.

3. ZACHARIÆ VIDENTIS ET INTELLIGENTIS. — Hic Zacharias propheta fuit quasi pedagogus Oziæ regis, eumque religiose Deum colere docuit. At quis fuit hic Zacharias? Audi S. Hieronymum hic *in Traduct.* : « Zacharias, filius Zachariæ filii Joiadæ, qui post mortem patris natus posthumus, patris nomen sortitus est, intelligens et videns dicebatur : intelligens propter sacerdotium, videns propter prophetiam. » Sic ipse. Ii hoc tamen et illud legunt : *intelligentis in timentem Deum.* Sed certe post mortem patris natus est Zacharias, quando hoc tempore annum agere supra trecentesimum, natus scilicet 36 regni Joas. Illudamne videtur hic Zacharias filiam nomine Abiam, quæ nupsit regi Achaz, qui ex ea genuit Ezechiam regem, quod etiam in eum locum affirmat Hieronymus, nec repugnat mtas. Nullum porro prophetiæum ejus scriptum exstat : nam qui legitur penultimus in minoribus prophetis, facile trecentis abhinc annis distat. Ita Salianus anno mundi 3227, num. 3, Cajetanus, Dionysius et alii.

10. TURRES IN SOLITUDINE, — ita vocantur villæ et domus rusticanæ, turribus ad custodiam frugum fructuumque et agrorum instructæ; in quibus reponuntur agrorum fructus, et pecora stabulantur, quæ alibi « castella » dicuntur. Sic Christus discurrebat per vicos et « castella, » id est, per rusticorum villas et pagos, prædicans regnum Dei.

16. CUM ROBORATUS ESSET, ELEVATUM EST COR EJUS IN INTERITUM SUUM, ET NEGLEXIT DOMINUM DEUM SUUM. — Hæc verba D. Chrysostomus, homilia 3 *De verbis Isaiæ*, expendens, notat in iis non solum Oziæ superbiam, sed etiam superbiæ causam indicari. « Cum, inquit, roboratus esset, » seu ut legit ipse : « Cum potens esset, elevatum est cor ejus; » ut nimia potentia nimiam gennisse superbiam ostenderetur. « Non ferebat, inquit, (nempe rex Ozias) principatus magnitudinem; sed quemadmodum ex edacitate nascitur inflatio, ex inflatione gigantur febris; deinde ex febri plerumque mors : ilidem et hic ex actionum eminentia nata est superbia, mox ex superbia nata est appetentia rerum ipsi non congruentium. » Sicut ergo Amasias pater ex devicta Idumæa amicos sumpsit impietates et idolatras provocando ad bellum regem Israelis, ideoque victus, captus et spoliatus est; sic et Azarias filius ejus ex victoriis tot hostium intumescens, sacerdotale munus sibi arrogare præsumpsit, voluitque Deo adolere thymiama; sed illico a Deo humiliatus, regno et regia pulsus, ob lepram infelicem usque ad mortem traxit spiritum.

18. NON EST TUI OFFICII, OZIA. — Audi S. Chrysostomum, homil. 4 *De verbis Isaiæ* : « Vide, inquit, libertatem; vide mentem servire nescium; vide linguam cœlos attingentem; vide libertatem incoercibilem; vide hominis corpus et Angeli mentem; vide humi ingredientem, et in cœlo versantem, » etc.

19. STATIMQUE ORTA EST LEPRA IN FRONTE EJUS; — lepra enim erat supplicium sacrilegorum, et eorum qui Pontifici et sacerdotibus resistebant et rebellabant, uti fecit hic Azarias.

Addit Josephus, lib IX, cap. XI, duas alias prodigiosas Dei plagas Oziæ et Judææ inflictas : « Et ecce tibi, inquit, ibi terra vehementer concutitur, fissoque superne templo, radius solis os regis ferit, quod e vestigio lepra contractum est : accessit huic et aliud prodigium, quod eodem terræ motu, ante urbem in loco qui dicitur Eroge, dimidium montis ad Occidentem vergentis revulsum, per quatuor stadia volutum, objectu demum Orientalis montis constitit, obstructa via publica, et oppressis ruina hortis regis. »

Tertiam plagam addunt S. Hieronymus, Cyrillus, Origenes et Chrysostomus *in Isaiæ* cap. VI, 1, ad illa verba : « In anno quo mortuus est Ozias, vidi Dominum; » scilicet Deum ob peccatum Oziæ, cui nonnulli primores consenserant, privasse Judæos suis oraculis, prophetis et spiritu, usque ad mortem Oziæ. Vide ibi dicta.

Denique Hebræi in *Seder-Olam* putant Oziam lepra percussum anno 27 regni sui, quo et contigit terræ motus, de quo *Amos* cap. I, vers. 1. Verum id dici nequit; nam tunc medium natus erat Joatham qui, patre Ozia lepra percusso, gubernavit regnum. Nam Joatham natus est anno 28 Oziæ; id patet ex eo quod, patre moriente anno regni 52, Joatham erat 22 annorum, ut dicitur IV *Reg.* XV, 33. Igitur probabiliter Salianus potuit Oziam lepra percussum anno regni sui 40, quo natus est Joathamo filius Achaz, et eodem Manahen rex Israel mortuus est. Favet Aliulensis qui Oziam quatuor vel quinque annos leprosum vixisse censet. Porro S. Hieronymus in II *Paral.* XXIX, asserit Oziam lepra percussum eo anno quo mortuus est, qui fuit regni ejus 52. Peccavit Ozias dupliciter : *primo*, quod ausus sit ingredi Sanctum, quo solis sacerdotibus ingredi licebat; *secundo*, quod adoleverit thymiama quasi sacerdos, cum esset laicus, ac Pontifici obsistenti comminatus sit mortem, ut ait Josephus, quia ergo invasit sacerdotium, idcirco amisit regnum per lepram : prima tamen sententia (quod scilicet lepra percussus sit anno 27 regni sui) probabilis est, uti ostendi *Amos* I, 1; potuit enim regnum administrari per optimates, donec Joatham nasceretur et adolesceret.

Discant hic reges non invadere jura Pontificum

-t sacerdotum, ne a Deo percutiantur, uti per- -is est Ozias : qua de re passim exempla fu- -ia suggerit Baronius in suis *Annalibus*.

22. Reliqua autem sermonum Oziæ, etc. scripsit Isaias. — Historia hæc Isaiæ temporum injuria interiit. Nam in prophetia bis tantum Oziæ meminit, scilicet cap. VI, 1, jam citato, et cap. XIV, 28, ubi Philistæos ob mortem Oziæ domitoris sui exultantes compescens : « Ne, inquit, læteris Philistæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui (Oziæ) ; de radice enim colubri egredietur regulus, » scilicet Ezechias Oziæ pronepos, qui tanto acrius vos cruciabit, quanto acrius cruciat morsus reguli, quam colubri.

23. Sepelierunt eum in agro regalium sepulcrorum, eo quod esset leprosus. — Leprosi enim, uti in vita, sic et in morte a consortio cæterorum separantur : lepra enim etiam cadavera inficit et consumit. Hæc est quinta Oziæ sacerdotium invadentis pœna, quod extra sepulcra regum, juxta tamen illa, sepultus sit, sive extra urbem, sive in urbe, puta in Sion civitate David.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Joatham pius de Ammonitis triumphat, eisque annuum vectigal indicit : succedit ei impius filius Achaz.

1. Viginti quinque annorum erat Joatham, cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus Jerusa filia Sadoc. 2. Fecitque quod rectum erat coram Domino, juxta omnia quæ fecerat Ozias pater suus, excepto quod non est ingressus templum Domini, et adhuc populus delinquebat. 3. Ipse ædificavit portam domus Domini excelsam, et in muro Ophel multa construxit. 4. Urbes quoque ædificavit in montibus Juda, et in saltibus castella et turres. 5. Ipse pugnavit contra regem filiorum Ammon, et vicit eos, dederuntque ei filii Ammon in tempore illo centum talenta argenti, et decem millia coros tritici, ac totidem coros hordei : hæc ei præbuerunt filii Ammon, in anno secundo et tertio. 6. Corroboratus que est Joatham, eo quod direxisset vias suas coram Domino Deo suo. 7. Reliqua autem sermonum Joatham, et omnes pugnæ ejus, et opera, scripta sunt in Libro regum Israel et Juda. 8. Viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem. 9. Dormivitque Joatham cum patribus suis, et sepelierunt eum in Civitate David : et regnavit Achaz filius ejus pro eo.

2. Excepto quod non est ingressus templum Domini, — ad adolendum thymiama, uti fecerat pater ejus Ozias, q. d. Joatham imitatus est patris pietatem, at non temeritatem qua adolevit incensum, quod erat munus sacerdotum.

Et adhuc populus delinquebat, — more solito sacrificando in excelsis. Inveteratum fuit hoc malum et commune populi ; quare Joatham veritus ejus offensam et rebellionem illud auferre ausus non fuit. Josephus, lib. IX, cap. XI, hoc Joathamo dat elogium : « Nulla ei virtus defuit erga Deum pio, justo erga homines, et reipublicæ studioso. »

3. Ipse ædificavit (instauravit, auxit, ornavit) portam domus Domini excelsam, — scilicet Orientalem per quam a fronte erat introitus in templum, quæ erat primaria et celsissima.

Et in muro Ophel : — erat hæc turris in Jerusalem adeo excelsa, ut in culmine ejus aspiciendo caligarent oculi. « Ophel » enim Hebræis gnificat caliginem. Vide dicta *Isaiæ* XXXII, 14. Audi Adrichomium in *descript. Jerusalem*, num. 53, Ophel, quam Josephus Opiliam nominat, erat turris enormi altitudine, quasi nubi caput inserens, atque arx munita, firmo muro cincta, templo propinqua, extra murum tamen, qui habitationem sacerdotum claudebat. In hujus muro Joatham rex multa construxit. Atque Manasses eousque urbis muros reparavit. In hac habitabant Nathinæi. In hanc fugiens Manahemus tyrannus captus est et occisus. Hanc eamdem Titi milites combusserunt

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ob idola et scelera Achaz Deus Judæam diripiendam tradit 1° Syris ; 2° Israelitis, qui ex Juda occiderunt 120 millia bellatorum : sed prædam, monente propheta, remiserunt ; 3° Idumæis ; 4° Philistæis. Impio Achaz succedit pius filius Ezechias.

1. Viginti annorum erat Achaz, cum regnare cœpisset ; et sedecim annis regnavit in Jerusalem : non fecit rectum in conspectu Domini sicut David pater ejus ; 2. sed ambulavit in viis regum Israel, insuper et statuas fudit Baalim. 3. Ipse est, qui adolevit incensum in Valle Benennom, et lustravit filios suos in igne juxta ritum gentium, quas interfecit Dominus in adventu filiorum Israel. 4. Sacrificabat quoque, et thymiama succendebat in excelsis et in collibus, et sub omni ligno frondoso. 5. Tradiditque eum Dominus Deus ejus in manu regis Syriæ, qui percussit eum, magnamque prædam cepit de ejus imperio, et adduxit in Damascum : manibus quoque regis Israel traditus est, et percussus plaga grandi. 6. Occiditque Phacee, filius Romeliæ, de Juda centum viginti millia in die uno, omnes viros bellatores : eo quod reliquissent Dominum Deum patrum suorum. 7. Eodem tempore occidit Zechri, vir potens ex Ephraim, Mansiam filium regis, et Ezricam ducem domus ejus, Elcanam quoque secundum a rege. 8. Ceperuntque filii Israel de fratribus suis ducenta millia mulierum, puerorum, et puellarum, et infinitam prædam : pertuleruntque eam in Samariam. 9. Ea tempestate erat ibi propheta Domini, nomine Oded, qui egressus obviam exercitui venienti in Samariam, dixit eis : Ecce iratus Dominus Deus patrum vestrorum contra Juda, tradidit eos in manibus vestris, et occidistis eos atrociter, ita ut ad cœlum pertingeret vestra crudelitas. 10. Insuper filios Juda et Jerusalem vultis vobis subjicere in servos et ancillas, quod nequaquam facto opus est : peccastis enim super hoc Domino Deo vestro. 11. Sed audite consilium meum, et reducite captivos quos adduxistis de fratribus vestris, quia magnus furor Domini imminet vobis. 12. Steterunt itaque viri de principibus filiorum Ephraim, Azarias filius Johanan, Barachias filius Mosollamoth, Ezechias filius Sellum, et Amasa filius Adali, contra eos qui veniebant de prælio, 13. et dixerunt eis. Non introducetis huc captivos, ne peccemus Domino. Quare vultis adjicere super peccata nostra, et vetera cumulare delicta ? grande quippe peccatum est, et ira furoris Domini imminet super Israel. 14. Dimiseruntque viri bellatores prædam, et universa quæ ceperant coram principibus et omni multitudine. 15. Steterunt que viri quos supra memoravimus, et apprehendentes captivos, omnesque qui nudi erant, vestierunt de spoliis : cumque vestiissent eos, et calceassent, et refecissent cibo ac potu, unxissentque propter laborem, et adhibuissent eis curam : quicumque ambulare non poterant, et erant imbecillo corpore, imposuerunt eos jumentis, et adduxerunt Jericho civitatem palmarum ad fratres eorum, ipsique reversi sunt in Samariam. 16. Tempore illo misit rex Achaz ad regem Assyriorum, postulans auxilium. 17. Veneruntque Idumæi, et percusserunt multos ex Juda, et ceperunt prædam magnam. 18. Philistiim quoque diffusi sunt per urbes campestres, et ad meridiem Juda : ceperuntque Bethsames, et Aialon, et Gaderoth, Socho quoque, et Thamnan, et Gamzo, cum viculis suis, et habitaverunt in eis. 19. Humiliaverat enim Dominus Judam propter Achaz regem Juda, eo quod nudasset eum auxilio, et contemptui habuisset Dominum. 20. Adduxitque contra eum Thelgathphalnasar regem Assyriorum, qui et afflixit eum, et nullo resistente vastavit. 21. Igitur Achaz, spoliata domo Domini, et domo regum ac principum, dedit regi Assyriorum munera, et tamen nihil ei profuit. 22. Insuper et tempore angustiæ suæ

auxit contemptum in Dominum, ipse per se rex Achaz, 23. immolavit diis Damasci victimas percussoribus suis, et dixit : Dii regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, et aderunt mihi, cum e contrario ipsi fuerint ruinæ ei, et universo Israel. 24. Direptis itaque Achaz omnibus vasis domus Dei, atque confractis, clausit januas templi Dei, et fecit sibi altaria in universis angulis Jerusalem. 25. In omnibus quoque urbibus Juda exstruxit aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam provocavit Dominum Deum patrum suorum. 26. Reliqua autem sermonum ejus, et omnium operum suorum priorum et novissimorum scripta sunt in Libro regum Juda et Israel. 27. Dormivitque Achaz cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate Jerusalem : neque enim receperunt eum in sepulcra regum Israel. Regnavitque Ezechias filius ejus pro eo.

Hoc caput explevit IV Reg. XVI.

Vers. 5. N. Thous Syriæ. — Fuit hic Rasin, qui a Deo creatus est rex, utpote flagellum regni Juda, ejusque stola et scelera castigaret.

Vers. 15. Cumque vestissent eos et calceassent et refecissent cibo. — Vide hic insignem Israelitarum in Judæorum, licet hostium suorum, captivos humanitatem et misericordiam, omnibus Christianorum principibus et ducibus propositam, ut eam imitentur. Sic enim vicissim Dei misericordiam in se provocabunt, si in hostes a se captos sint clementes; nimirum, « clementia plus potest, quam violentia, » ut olebat Antigonus rex Macedoniæ apud Plutarchum in *Apophthegmatibus*, adeo ut Darius optarit Alexandri Magni clementiam, utpote is, licet hostis, sibi in regno succederet. Sic in hostes clementes fuere Julius Cæsar, Augustus, Vespasianus, Titus, Aurelianus.

23. Immolavit dis Damasci victimas percussoribus suis, et dixit : Dii regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, et aderunt mihi, cum e contrario ipsi fuerint ruinæ ei, et universo Israel. — Dii enim hi erant dæmones, qui non nisi nocere student Israeli, id est populo fideli. Similis fuit stultitia Romanorum Gentilium, qui hostium suorum Deos invocabant, ut evocati a terra hos illi Romam commigrarent, ac Romanis victoriam de hostibus darent, ut refert S. Augustinus, IV *De Civ.*

24. Clausit januas templi, — ut nemo in eo Deum adorare, ejique sacrificare posset; sed omnes cogerentur ire ad fana idolorum et Deorum suorum, ad eos invocandum. Fuit hæc malitia et nequitia Achaz insignis, quam nemo alius patrasse legitur.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ezechias Dei cultum a patre Achaz sublatum restituit, una cum Sacerdotibus, Levitis et cantoribus, ac plurimis victimis Deum honorat.

1. Igitur Ezechias regnare cœpit, cum viginti quinque esset annorum, et viginti novem annis regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus Abia, filia Zachariæ. 2. Fecitque quod erat placitum in conspectu Domini, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus. 3. Ipse anno et mense primo regni sui, aperuit valvas domus Domini, et instauravit eas : 4. adduxitque Sacerdotes atque Levitas, et congregavit eos in plateam Orientalem. 5. Dixitque ad eos : Audite me, Levitæ, et sanctificamini, mundate domum Domini Dei patrum vestrorum, et auferte omnem immunditiam de sanctuario. 6. Peccaverunt patres nostri, et fecerunt malum in conspectu Domini Dei nostri, derelinquentes eum : averterunt facies suas a tabernaculo Domini, et præbuerunt dorsum. 7. Clauserant ostia quæ erant in porticu, et exstinxerunt lucernas, incensumque non adoleverunt, et holocausta non obtulerunt in sanctuario Deo Israel. 8. Concitatus est itaque furor Domini super Judam et Jerusalem, tradidilique eos in commotionem, et in interitum, et in sibilum, sicut ipsi cernitis oculis vestris. 9. En, corruerunt patres nostri gladiis; filii nostri, et filiæ nostræ, et conjuges captivæ ductæ sunt, propter hoc scelus. 10. Nunc ergo placet mihi ut incamus fœdus cum Domino Deo Israel : et avertet à nobis furorem iræ suæ. 11. Filii mei, nolite negligere : vos elegit Dominus ut stetis coram eo, et

ministretis illi, colatisque eum et cremetis ei incensum. 12. Surrexerunt ergo Levitæ : Mahath filius Amasai, et Joel filius Azariæ, de filiis Caath; porro de filiis Merari, Cis filius Abdi, et Azarias filius Jalaleel. De filiis autem Gersom, Joha filius Zemma, et Eden filius Joha. 13. At vero de filiis Elisaphan, Samri et Jahiel. De filiis quoque Asaph, Zacharias et Mathanias : 14. necnon de filiis Heman, Jahiel, et Semei; sed et de filiis Idithun, Semeias et Oziel. 15. Congregaverunt que fratres suos, et sanctificati sunt; et ingressi sunt juxta mandatum regis et imperium Domini, ut expiarent domum Dei. 16. Sacerdotes quoque ingressi templum Domini ut sanctificarent illud, extulerunt omnem immunditiam, quam intro repererant in vestibulo domus Domini, quam tulerunt Levitæ, et asportaverunt ad torrentem Cedron foras. 17. Cœperunt autem prima die mensis primi mundare, et in die octavo ejusdem mensis ingressi sunt porticum templi Domini, expiaverunt que templum diebus octo, et in die sexta decima mensis ejusdem, quod cœperant impleverunt. 18. Ingressi quoque sunt ad Ezechiam regem, et dixerunt ei : Sanctificavimus omnem domum Domini, et altare holocausti, vasaque ejus, necnon et mensam propositionis cum omnibus vasis suis. 19. Cunctamque templi supellectilem, quam polluerat rex Achaz in regno suo, postquam prævaricatus est : et ecce exposita sunt omnia coram altare Domini. 20. Consurgensque diluculo Ezechias rex, adunavit omnes principes civitatis, et ascendit in domum Domini : 21. obtuleruntque simul tauros septem, et arietes septem, agnos septem, et hircos septem pro peccato, pro regno, pro sanctuario, pro Juda, dixitque sacerdotibus filiis Aaron ut offerrent super altare Domini. 22. Mactaverunt igitur tauros, et susceperunt sanguinem sacerdotes, et fuderunt illum super altare; mactaverunt etiam arietes, et illorum sanguinem super altare fuderunt, immolaverunt que agnos, et fuderunt super altare sanguinem. 23. Applicuerunt hircos pro peccato, coram rege et universa multitudine, imposueruntque manus suas super eos; 24. et immolaverunt illos Sacerdotes, et asperserunt sanguinem eorum coram altare pro piaculo universi Israelis : pro omni quippe Israel præceperat rex ut holocaustum fieret, et pro peccato. 25. Constituit quoque Levitas in domo Domini, cum cymbalis, et psalteriis, et citharis, secundum dispositionem David regis, et Gad Videntis, et Nathan Prophetæ : siquidem Domini præceptum fuit, per manum prophetarum ejus. 26. Steteruntque Levitæ tenentes organa David, et Sacerdotes tubas. 27. Et jussit Ezechias ut offerrent holocausta super altare : cumque offerrentur holocausta, cœperunt laudes canere Domino, et clangere tubis, atque in diversis organis, quæ David rex Israel præparaverat, concrepare. 28. Omni autem turba adorante, cantores et ii qui tenebant tubas, erant in officio suo, donec compleretur holocaustum. 29. Cumque finita esset oblatio, incurvatus est rex, et omnes qui erant cum eo, et adoraverunt. 30. Præcepitque Ezechias et principes Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David, et Asaph Videntis : qui laudaverunt eum magna lætitia, et incurvato genu adoraverunt. 31. Ezechias autem etiam hæc addidit : Implestis manus vestras Domino, accedite, et offerte victimas, et laudes in domo Domini. Obtulit ergo universa multitudo hostias, et laudes et holocausta, mente devota. 32. Porro numerus holocaustorum, quæ obtulit multitudo, hic fuit : Tauros septuaginta, arietes centum, agnos ducentos. 33. Sanctificaveruntque Domino boves sexcentos, et oves tria millia. 34. Sacerdotes vero pauci erant, nec poterant sufficere ut pelles holocaustorum detraherent : unde et Levitæ fratres eorum adjuverunt eos, donec impleretur opus, et sanctificarentur, antistites : Levitæ quippe faciliori ritu sanctificantur, quam Sacerdotes. 35. Fuerunt ergo holocaustâ plurima, adipes pacificorum et libamina holocaustorum : et completus est cultus domus Domini. 36. Lætatusque est Ezechias, et omnis populus, eo quod ministerium Domini esset expletum. Derepente quippe hoc fieri placuerat.

1. Nomen matris ejus (Ezechiæ) Abia filia Zacharie, — qui fuit filius Zachariæ senioris Pontificis et martyris, quem occidit Joas rex Juda, cap. XXIV, 21. Abia ergo filia hujus junioris Zacha-

auxit contemptum in Dominum, ipse per se rex Achaz, 23. immolavit diis Damasci victimas percussoribus suis, et dixit : Dii regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, et aderunt mihi, cum e contrario ipsi fuerint ruinæ ei, et universo Israel. 24. Direptis itaque Achaz omnibus vasis domus Dei, atque confractis, clausit januas templi Dei, et fecit sibi altaria in universis angulis Jerusalem. 25. In omnibus quoque urbibus Juda exstruxit aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam provocavit Dominum Deum patrum suorum. 26. Reliqua autem sermonum ejus, et omnium operum suorum priorum et novissimorum scripta sunt in Libro regum Juda et Israel. 27. Dormivitque Achaz cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate Jerusalem : neque enim receperunt eum in sepulcra regum Israel. Regnavitque Ezechias filius ejus pro eo.

Hoc caput explevit IV Reg. XVI.

Vers. 5. N. Thous Syriæ. — Fuit hic Rasin, qui a Deo creatus est rex, utpote flagellum regni Juda, ejusque stola et scelera castigaret.

Vers. 15. Cumque vestissent eos et calceassent et refecissent cibo. — Vide hic insignem Israelitarum in Judæorum, licet hostium suorum, captivos humanitatem et misericordiam, omnibus Christianorum principibus et ducibus propositam, ut eam imitentur. Sic enim vicissim Dei misericordiam in se provocabunt, si in hostes a se captos sint clementes; nimirum, « clementia plus potest, quam violentia, » ut olebat Antigonus rex Macedoniæ apud Plutarchum in *Apophthegmatibus*, adeo ut Darius optarit Alexandri Magni clementiam, utpote is, licet hostis, sibi in regno succederet. Sic in hostes clementes fuere Julius Cæsar, Augustus, Vespasianus, Titus, Aurelianus.

23. Immolavit dis Damasci victimas percussoribus suis, et dixit : Dii regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, et aderunt mihi, cum e contrario ipsi fuerint ruinæ ei, et universo Israel. — Dii enim hi erant dæmones, qui non nisi nocere student Israeli, id est populo fideli. Similis fuit stultitia Romanorum Gentilium, qui hostium suorum Deos invocabant, ut evocati a terra hos illi Romam commigrarent, ac Romanis victoriam de hostibus darent, ut refert S. Augustinus, IV *De Civ.*

24. Clausit januas templi, — ut nemo in eo Deum adorare, ejique sacrificare posset; sed omnes cogerentur ire ad fana idolorum et Deorum suorum, ad eos invocandum. Fuit hæc malitia et nequitia Achaz insignis, quam nemo alius patrasse legitur.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ezechias Dei cultum a patre Achaz sublatum restituit, una cum Sacerdotibus, Levitis et cantoribus, ac plurimis victimis Deum honorat.

1. Igitur Ezechias regnare cœpit, cum viginti quinque esset annorum, et viginti novem annis regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus Abia, filia Zachariæ. 2. Fecitque quod erat placitum in conspectu Domini, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus. 3. Ipse anno et mense primo regni sui, aperuit valvas domus Domini, et instauravit eas : 4. adduxitque Sacerdotes atque Levitas, et congregavit eos in plateam Orientalem. 5. Dixitque ad eos : Audite me, Levitæ, et sanctificamini, mundate domum Domini Dei patrum vestrorum, et auferte omnem immunditiam de sanctuario. 6. Peccaverunt patres nostri, et fecerunt malum in conspectu Domini Dei nostri, derelinquentes eum : averterunt facies suas a tabernaculo Domini, et præbuerunt dorsum. 7. Clauserant ostia quæ erant in porticu, et exstinxerunt lucernas, incensumque non adoleverunt, et holocausta non obtulerunt in sanctuario Deo Israel. 8. Concitatus est itaque furor Domini super Judam et Jerusalem, tradidilique eos in commotionem, et in interitum, et in sibilum, sicut ipsi cernitis oculis vestris. 9. En, corruerunt patres nostri gladiis; filii nostri, et filiæ nostræ, et conjuges captivæ ductæ sunt, propter hoc scelus. 10. Nunc ergo placet mihi ut incamus fœdus cum Domino Deo Israel : et avertet à nobis furorem iræ suæ. 11. Filii mei, nolite negligere : vos elegit Dominus ut stetis coram eo, et

ministretis illi, colatisque eum et cremetis ei incensum. 12. Surrexerunt ergo Levitæ : Mahath filius Amasai, et Joel filius Azariæ, de filiis Caath; porro de filiis Merari, Cis filius Abdi, et Azarias filius Jalaleel. De filiis autem Gersom, Joha filius Zemma, et Eden filius Joha. 13. At vero de filiis Elisaphan, Samri et Jahiel. De filiis quoque Asaph, Zacharias et Mathanias : 14. necnon de filiis Heman, Jahiel, et Semei; sed et de filiis Idithun, Semeias et Oziel. 15. Congregaverunt que fratres suos, et sanctificati sunt; et ingressi sunt juxta mandatum regis et imperium Domini, ut expiarent domum Dei. 16. Sacerdotes quoque ingressi templum Domini ut sanctificarent illud, extulerunt omnem immunditiam, quam intro repererant in vestibulo domus Domini, quam tulerunt Levitæ, et asportaverunt ad torrentem Cedron foras. 17. Cœperunt autem prima die mensis primi mundare, et in die octavo ejusdem mensis ingressi sunt porticum templi Domini, expiaverunt que templum diebus octo, et in die sexta decima mensis ejusdem, quod cœperant impleverunt. 18. Ingressi quoque sunt ad Ezechiam regem, et dixerunt ei : Sanctificavimus omnem domum Domini, et altare holocausti, vasaque ejus, necnon et mensam propositionis cum omnibus vasis suis. 19. Cunctamque templi supellectilem, quam polluerat rex Achaz in regno suo, postquam prævaricatus est : et ecce exposita sunt omnia coram altare Domini. 20. Consurgensque diluculo Ezechias rex, adunavit omnes principes civitatis, et ascendit in domum Domini : 21. obtuleruntque simul tauros septem, et arietes septem, agnos septem, et hircos septem pro peccato, pro regno, pro sanctuario, pro Juda, dixitque sacerdotibus filiis Aaron ut offerrent super altare Domini. 22. Mactaverunt igitur tauros, et susceperunt sanguinem sacerdotes, et fuderunt illum super altare; mactaverunt etiam arietes, et illorum sanguinem super altare fuderunt, immolaverunt que agnos, et fuderunt super altare sanguinem. 23. Applicuerunt hircos pro peccato, coram rege et universa multitudine, imposueruntque manus suas super eos; 24. et immolaverunt illos Sacerdotes, et asperserunt sanguinem eorum coram altare pro piaculo universi Israelis : pro omni quippe Israel præceperat rex ut holocaustum fieret, et pro peccato. 25. Constituit quoque Levitas in domo Domini, cum cymbalis, et psalteriis, et citharis, secundum dispositionem David regis, et Gad Videntis, et Nathan Prophetæ : siquidem Domini præceptum fuit, per manum prophetarum ejus. 26. Steteruntque Levitæ tenentes organa David, et Sacerdotes tubas. 27. Et jussit Ezechias ut offerrent holocausta super altare : cumque offerrentur holocausta, cœperunt laudes canere Domino, et clangere tubis, atque in diversis organis, quæ David rex Israel præparaverat, concrepare. 28. Omni autem turba adorante, cantores et ii qui tenebant tubas, erant in officio suo, donec compleretur holocaustum. 29. Cumque finita esset oblatio, incurvatus est rex, et omnes qui erant cum eo, et adoraverunt. 30. Præcepitque Ezechias et principes Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David, et Asaph Videntis : qui laudaverunt eum magna lætitia, et incurvato genu adoraverunt. 31. Ezechias autem etiam hæc addidit : Implestis manus vestras Domino, accedite, et offerte victimas, et laudes in domo Domini. Obtulit ergo universa multitudo hostias, et laudes et holocausta, mente devota. 32. Porro numerus holocaustorum, quæ obtulit multitudo, hic fuit : Tauros septuaginta, arietes centum, agnos ducentos. 33. Sanctificaveruntque Domino boves sexcentos, et oves tria millia. 34. Sacerdotes vero pauci erant, nec poterant sufficere ut pelles holocaustorum detraherent : unde et Levitæ fratres eorum adjuverunt eos, donec impleretur opus, et sanctificarentur, antistites : Levitæ quippe faciliori ritu sanctificantur, quam Sacerdotes. 35. Fuerunt ergo holocaustâ plurima, adipes pacificorum et libamina holocaustorum : et completus est cultus domus Domini. 36. Lætatusque est Ezechias, et omnis populus, eo quod ministerium Domini esset expletum. Derepente quippe hoc fieri placuerat.

1. Nomen matris ejus (Ezechiæ) Abia filia Zacharie, — qui fuit filius Zachariæ senioris Pontificis et martyris, quem occidit Joas rex Juda, cap. XXIV, 21. Abia ergo filia hujus junioris Zacha-

riæ, qui Oziam regem in veri Dei cultu continuit, de quo cap. XXVI, vers. 5, fuit UXOR Achaz et mater Ezechiæ, quæ eum in omni pietate et Dei timore erudivit, ideoque hic nominatur, ut indicetur Ezechiam suam virtutem et zelum cum lacte suxisse a matre. Ita S. Hieronymus *in Tradit.*, Salianus et alii.

4. PLATEA ORIENTALIS, — ita dicta, quod obversa esset portæ Orientali templi.

15. UT EXPIARENT DOMUM DOMINI, — puta atrium sacerdotum, quod eorum erat templum; nam in Sanctum nemini ingredi fas erat nisi sacerdoti, sicut in Sanctum sanctorum soli Pontifici. Unde et hic soli sacerdotes asseruntur « ingressi templum et sanctificasse, » id est, expurgasse illud ab idolis, eorumque superstitione; sordes hasce exportantes « in vestibulo, » Septuaginta *in vestibulum*, ex quo deinde Levitæ illas efferebant, et projiciebant in torrentem Cedron.

17. COEPERUNT AUTEM PRIMA DIE MENSIS PRIMI (Nisan, id est in martio) MUNDARE, — *q. d.* Primis octo diebus mensis Nisan expurgarunt atria et cubicula sacerdotum et Levitarum, quæ eis erant annexa, deinde posterioribus octo diebus expurgarunt ipsum templum, sive Sanctum.

24. ET PRO PECCATO. — ut scilicet offerretur hostia pro peccato, juxta ritum præscriptum *Levit.* cap. IV.

30. SERMONIBUS DAVID ET ASAPH VIDENTIS, — id est prophetæ : « sermones » vocat Psalmos, quos hinc liquet partim a Davide, partim ab Asaph esse compositos, uti sunt duodecim illi qui Asaph inscribuntur.

31. IMPLESTIS (id est consecrastis) MANUS VESTRAS DOMINO, — id est consecrastis vos sacerdotes, implendo manum oleo et victimis.

33. SANCTIFICAVERUNTQUE DOMINO BOVES SEXCENTOS, — *q. d.* Dicarunt, obtulerunt et donarunt Deo et templo boves sexcentos, et oves ter mille, ut ex illis aliæ offerrentur in holocaustum, aliæ pro peccato, aliæ in victimas pacificas.

34. ANTISTITES, — id est sacerdotes : hi enim a Levitis imperabant quasi Antistites. De ritu consecrandi sacerdotes, vide *Levit.* VIII. Ex hoc versu colligitur sacerdotum fuisse victimam jugulare, excoriare, dividere, altari imponere, cremare. In necessitate vero excoriationem et cætera sequentia commmicari fuisse et permissa Levitis. Ita Cajetanus, ac prior pars satis liquet ex *Levit.* cap. I, vers. 5.

CAPUT TRIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ezechias per totam Judæam, ac per decem Tribus mittit nuntios, qui omnes invitent ad solemne Phase celebrandum, idque factum summa celebritate per 14 dies.

1. Misit quoque Ezechias ad omnem Israel et Judam : scripsitque epistolas ad Ephraim et Manassen, ut venirent ad domum Domini in Jerusalem, et facerent Phase Domino Deo Israel. 2. Inito ergo consilio regis et principum, et universi cœtus Jerusalem, decreverunt ut facerent Phase mense secundo. 3. Non enim potuerant facere in tempore suo, quia sacerdotes, qui possent sufficere, sanctificati non fuerant, et populus nondum congregatus fuerat in Jerusalem. 4. Placuitque sermo regi et omni multitudini. 5. Et decreverunt ut mitterent nuntios in universum Israel, de Bersabee usque Dan, ut venirent, et facerent Phase Domino Deo Israel in Jerusalem : multi enim non fecerant sicut lege præscriptum est. 6. Perrexerintque cursores cum epistolis ex regis imperio, et principum ejus, in universum Israel et Judam, juxta id quod rex jusserat, prædicantes : Filii Israel, revertimini ad Dominum Deum Abraham, et Isaac, et Israel : et revertetur ad reliquias quæ effugerunt manum regis Assyriorum. 7. Nolite fieri sicut patres vestri et fratres, qui recesserunt a Domino Deo patrum suorum, et tradidit eos in interitum, ut ipsi cernitis. 8. Nolite indurare cervices vestras, sicut patres vestri : tradite manus Domino, et venite ad sanctuarium ejus, quod sanctificavit in æternum : servite Domino Deo patrum vestrorum, et avertetur a vobis ira furoris ejus. 9. Si enim vos reversi fueritis ad Dominum, fratres vestri et filii habebunt misericordiam coram dominis suis, qui illos duxerunt captivos, et revertentur in terram hanc ; pius enim et clemens est Dominus Deus vester, et non avertet faciem suam a vobis, si reversi fueritis ad eum. 10. Igitur cursores pergebant velociter de civitate in civitatem, per terram Ephraim et Manasse

usque ad Zabulon, illis irridentibus et subsannantibus eos. 11. Attamen quidam viri ex Aser, et Manasse, et Zabulon, acquiescentes consilio, venerunt Jerusalem. 12. In Juda vero facta est manus Domini, ut daret eis cor unum, ut facerent juxta præceptum regis et principum, verbum Domini. 13. Congregatique sunt in Jerusalem populi multi, ut facerent solemnitatem azymorum, in mense secundo : 14. et surgentes destruxerunt altaria, quæ erant in Jerusalem, atque universa, in quibus idolis adolebatur incensum, subvertentes, projecerunt in torrentem Cedron. 15. Immolaverunt autem Phase quarta decima die mensis secundi. Sacerdotes quoque atque Levitæ, tandem sanctificati, obtulerunt holocausta in domo Domini : 16. Steteruntque in ordine suo, juxta dispositionem et legem Moysi hominis Dei : sacerdotes vero suscipiebant effundendum sanguinem de manibus Levitarum, 17. eo quod multa turba sanctificata non esset : et idcirco immolarent Levitæ Phase, his qui non occurrerant sanctificari Domino. 18. Magna etiam pars populi de Ephraim, et Manasse, et Issachar, et Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit Phase, non juxta quod scriptum est : et oravit pro eis Ezechias, dicens : Dominus bonus propitiabitur 19. cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum ; et non imputabit eis quod minus sanctificati sunt. 20. Quem exaudivit Dominus, et placatus est populo. 21. Fecerunt que filii Israel, qui inventi sunt in Jerusalem, solemnitatem azymorum septem diebus in lætitia magna, laudantes Dominum per singulos dies : Levitæ quoque et Sacerdotes, per organa, quæ suo officio congruebant. 22. Et locutus est Ezechias ad cor omnium Levitarum, qui habebant intelligentiam bonam super Domino, et comederunt septem diebus solemnitatis, immolantes victimas pacificorum, et laudantes Dominum Deum patrum suorum. 23. Placuitque universæ multitudini ut celebrarent etiam alios dies septem : quod et fecerunt cum ingenti gaudio. 24. Ezechias enim rex Juda præbuerat multitudini mille tauros, et septem millia ovium : principes vero dederant populo tauros mille, et oves decem millia : sanctificata est ergo Sacerdotum plurima multitudo. 25. Et hilaritate perfusa omnis turba Juda, tam Sacerdotum et Levitarum, quam universæ frequentiæ, quæ venerat ex Israel ; proselytorum quoque de terra Israel, et habitantium in Juda. 26. Factaque est grandis celebritas in Jerusalem, qualis a diebus Salomonis filii David regis Israel in ea urbe non fuerat. 27. Surrexerunt autem Sacerdotes atque Levitæ benedicentes populo : et exaudita est vox eorum : perveniteque oratio in habitaculum sanctum cœli.

2. MENSE SECUNDO. — Hoc enim jubetur *Num.* IX, 10, ut scilicet qui mense primo, ob immunditiem aliudve impedimentum non potuerant celebrare Phasc, illud celebrent mense secundo.

3. SACERDOTES QUI POSSENT SUFFICERE SANCTIFICATI (id est consecrati) NON FUERANT : — ut enim essent sacerdotes, possentque sacrificare, debebant prius consecrari Sacerdotes eo ritu qui præscribitur *Levit.* VIII.

15. TANDEM SANCTIFICATI. — Hebræus, *pudore suffusi sunt* ; quod in tanta populi alacritate tardi fuissent in sua sanctificatione et purificatione, unde illico se sanctificarunt et mundarunt.

16. SACERDOTES VERO SUSCIPIEBANT EFFUNDENDUM SANGUINEM DE MANIBUS LEVITARUM, — omnis enim sanguis victimæ a Sacerdote in terram effundi debebat Deo, ut significaretur ipsum esse dominum necis et vitæ omnium. « De manibus Levitarum, » qui tum ex dispensatione sacrificabant, eo quod Sacerdotes consecrati, qui forent mundi, pauciores essent, quam ut possent tot victimas sacrificare : juvabant ergo eos Levitæ, ac victimas mactabant, et sanguinem effluentem dabant Sacerdotibus, ut ii juxta altare eum effunderent.

17. EO QUOD MULTA TURBA (Sacerdotum) SANCTIFICATA (ab immunditie et immunditia legali per lustrationem debitæ præscriptam *Num.* XIX, expurgata) NON ESSET : ET IDCIRCO IMMOLARENT LEVITÆ PHASE HIS, QUI NON OCCURREBANT SANCTIFICARI DOMINO. — Septuaginta, *qui non poterant purificari Domino* ; qui scilicet aliis occupati tarde venichant ut sanctificarentur, hoc est, ab immunditia legali expiarentur. Nota : « Phase » significat *primo*, agnum Paschalem, qui in paschate Deo sacrificabatur ; *secundo*, victimas Paschales, quæ per septem dies paschalis Deo immolabantur : quæ immolatio competebat solis Sacerdotibus. Agni vero Paschalis immolatio competebat cuique patri familiæ, qui quoad hoc retinebat primævum jus sacerdotale, primitus annexum primogenituræ, et cuilibet patri familias in sua familia, si tamen is mundus esset; quod si is immundus et pollu-

tus fore, tunc Levitæ ejus loco agnum immolabant, uti hic dicitur, æque ac I *Esdræ*, VI, 10. Immundi quoque non poterant comedere de agno Paschali aliisque victimis; sed quia hic erat publica solemnitas, et religionis lapsæ restauratio, ac magnus immundorum numerus, hinc cum eis pariter dispensatum fuit ut ex eis comederent, Ezechia pro eis Deum deprecante, ut sequitur. Vide dicta *Exodi* XII, 6. ob necessitatem ergo quam pariebat paucitas Sacerdotum qui mundi erant, et ob multitudinem et devotionem populi ex toto Israele concurrentis, ac ob copiam victimarum immolandarum, dispensatum videtur cum Levitis, ut non tantum Agnum Paschalem, sed et alias victimas sacrificarent : hoc est enim quod discrte dicitur vers. 15 : « Sacerdotes quoque atque Levitæ tandem sanctificati obtulerunt holocausta in domo Domini. » Credidérim tamen Sacerdotes solos macasse victimas, non est eas in Dei honorem jugulasse, occidisse, et sanguinem effudisse, in quo proprie consistebat ratio sacrificii, quodque facile erat et parvæ operæ ; deinde a se occisas victimas tradidisse Levitis, et ipsi eis pellem detraherent, abluerent, in frusta comederent, et concisas in altari rite disponerent, ac subjecto igne concremarent. Ad cunula enim hæc non sufficiebat Sacerdos immolans, quare Levitarum ope et opera uti cogebatur, uti dixi *Levit.* I, 3. Unde pro « obtulerunt holocausta, » Hebraice est וַיַּעֲלוּ *vaiaalu*, id est *intulerunt*, ut vertunt Septuaginta, Vatablus, Pagninus, *holocausta in domum Domini*, et sic factum est in solemni Phase, quod post aliquot annos celebravit Josias, cap. XXXV, vers. 11, ubi dicitur : « Et immolatum est Phase, asperseruntque Sacerdotes manu sua sanguinem [in altari ut moris erat], et Levitæ detraxerent pelles holocaustorum. »

Denique patresfamilias qui erant immundi, cedebant Levitis immolationem agni Paschalis : ipsi tamen ex eodem quoque comedebant ob festi lætissimam solemnitatem. Major enim requirebatur munditia in immolatione agni, quam in ejus comestione; sicut nunc major requiritur puritas in Sacerdote celebrante, quam in laico communicante; præsertim quia hi immundi tam cito non poterant purificari, atque accelebat ad sacrum agni epulum magna devotione interna, quam Deus magis requirit et respicit, quam externam lustrationem?

MAGNA PARS POPULI QUÆ SANCTIFICATA (id est ab immunditia legali expiata et mundata) NON ERAT, COMEDIT PHASE. — Hebræi apud S. Hieronymum tradunt multos ex eis qui immundi comederant Phase, a Deo plaga cœlitus immissa fuisse occisos; sed orante Ezechia et populi ignorantiam ac piam intentionem allegante, Deum reliquis pepercisse, et idcirco vers. 20 asserit Deum eum exaudivisse, et populo placatum esse.

QUEM EXAUDIVIT DOMINUS. — per signum aliquod sensibile, v. g. mittens ignem e cœlo, qui victimas Ezechiæ combureret, uti fecit Abelo, *Genes.* cap. IV; Aaroni, *Levit.* cap. VIII et IX, ac Salomoni, libro III *Reg.* cap. VIII, nisi enim fuisset hic sensibile signum, immundi nec secure, nec tanta lætitia ex Phase comedissent. Ita Cajetanus.

22. ET LOCUTUS EST EZECHIAS AD COR OMNIUM LEVITARUM. (eis Blandiendo eosque laudando, eo quod laborent...) INTELLIGENTIAM BONAM SUPER DOMINO, — id est eo quod periti essent sui officii, puta in canendis Deo psalmis intelligentes et accurati. Aliter Cajetanus. Locutus est eis, inquit, verba penetrantia ad cor, ut curam populi instruendi susciperent et continuarent.

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judæi in tota Judæa et in reliquis quinque Israelis tribubus idola, aras et lucos evertunt : Ezechias templi officia et ordines restituit.

1. Cumque hæc fuissent rite celebrata, egressus est omnis Israel, qui inventus fuerat in urbibus Juda, et fregerunt simulacra, succiderunteque lucos, demoliti sunt excelsa et altaria destruxerunt, non solum de universo Juda et Benjamin, sed et de Ephraim quoque et Manasse, donec penitus everterent : reversique sunt omnes filii Israel in possessiones et civitates suas. 2. Ezechias autem constituit turmas Sacerdotales et Leviticas per divisiones suas, unumquemque in officio proprio, tam Sacerdotum videlicet quam Levitarum ad holocausta et pacifica, ut ministrarent et confiterentur, canerentque in portis castrorum Domini. 3. Pars autem regis erat, ut de propria ejus substantia offerretur holocaustum, mane semper et vespere. Sabbatis quoque, et Calendis, et solemnitatibus cæteris, sicut scriptum est in lege

Moysi. 4. Præcepit etiam populo habitantium Jerusalem, ut darent partes Sacerdotibus et Levitis, ut possent vacare legi Domini. 5. Quod cum percrebruisset in auribus multitudinis, plurimas obtulere primitias filii Israel frumenti, vini, et olei, mellis quoque, et omnium, quæ gignit humus, decimas obtulerunt. 6. Sed et filii Israel et Juda, qui habitabant in urbibus Juda, obtulerunt decimas boum et ovium, decimasque sanctorum, quæ voverant Domino Deo suo : atque universa portantes, fecerunt acervos plurimos. 7. Mense tertio cœperunt acervorum jacere fundamenta, et mense septimo compleverunt eos. 8. Cumque ingressi fuissent Ezechias et principes ejus, viderunt acervos, et benedixerunt Domino ac populo Israel. 9. Interrogavitque Ezechias Sacerdotes et Levitas, cur ita jacerent acervi. 10. Respondit illi Azarias Sacerdos primus de stirpe Saloc, dicens : Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini, comedimus, et saturati sumus, et remanserunt plurima, eo quod benedixerit Dominus populo suo : reliquiarum autem copia est ista quam cernis. 11. Præcepit igitur Ezechias ut præpararent horrea in domo Domini. Quod cum fecissent, 12. intulerunt tam primitias quam decimas, et quæcumque voverant, fideliter. Fuit autem præfectus eorum Chonenias Levita, et Semei frater ejus, secundus, 13. post quem Jahiel, et Azarias, et Nahath, et Azael, et Jerimoth, Jozabad quoque, et Eliel, et Jesmachias, et Mahath, et Banaias, præpositi sub manibus Choneniæ, et Semei fratris ejus, ex imperio Ezechiæ regis et Azariæ Pontificis domus Dei, ad quos omnia pertinebant. 14. Core vero filius Jemna Levites et janitor Orientalis portæ, præpositus erat iis quæ sponte offerebantur Domino, primitiisque et consecratis in Sancta sanctorum. 15. Et sub cura ejus Eden, et Benjamin, Jesue, et Semeias, Amarias quoque et Sechenias, in civitatibus Sacerdotum, ut fideliter distribuerent fratribus suis partes, minoribus atque majoribus : 16. exceptis maribus ab annis tribus et supra, cunctis qui ingrediebantur templum Domini, et quidquid per singulos dies conducebat in ministerio, atque observationibus juxta divisiones suas, 17. Sacerdotibus per familias, et Levitis a vigesimo anno et supra, per ordines et turmas suas, 18. universæque multitudini, tam uxoribus, quam liberis eorum utriusque sexus, fideliter cibi, de his quæ sanctificata fuerant præbebantur. 19. Sed et filiorum Aaron per agros, et suburbana urbium singularum disposîti erant viri, qui partes distribuerent universo sexui masculino de Sacerdotibus et Levitis. 20. Fecit ergo Ezechias universa quæ diximus in omni Juda : operatusque est bonum et rectum et verum coram Domino Deo suo, 21. in universa cultura ministerii domus Domini, juxta legem et cæremonias, volens requirere Deum suum in toto corde suo : fecitque et prosperatus est.

2. IN PORTIS CASTRORUM DOMINI, — id est in portis templi; in templo enim erant turmæ Sacerdotum et Levitarum in suos ordines, quasi acies militares distributi, ut ibi viderentur esse castra, acies et exercitus Dei, ut patet *Num.* IV et seq., ubi Levitæ dicuntur egredi et ingredi ad militiam templi. Unde Ecclesia vocatur « castrorum acies ordinata, » *Cant.* VI, 9.

3. PARS AUTEM REGIS ERAT. — q. d. Ezechias rex has partes, hæc munia circa templi ministeria sibi assumpsit, ut ipse suppeditaret sumptus pro jugi sacrificio, aliisque victimis, populus vero aleret Sacerdotes et Levitas (eorum enim reditus ab Achaz et aliis impiis regibus erant dispersi et dissipati) « ut possent vacare legi Domini, » ut scilicet expediti a cura procurandi alimenta, toti vacarent suo officio et templi ministerio.

6. DECIMAS SANCTORUM QUÆ VOVERANT DOMINO. — Hebræus, *decimas sanctitatum* (id est rerum sanctarum) *quæ erant sanctificatæ Deo*, q. d. Obtulerunt omnium suarum rerum decimas, quas ex lege jubentur « Deo sanctificari, » id est consecrari et offerri, *Num.* cap. XVIII, vers. 8 et seq., insuper decimas alias lege non præceptas, sed quasi ipsi ultro Deo sanctificarant, id est « voverant, » dicerant et destinarant, ut vertit Noster, q. d. Præter decimas lege præscriptas, ipsi insuper ex devotione et liberalitate alias addiderunt, quas Deo dicarant et voverant, *Numerorum* cap. XVIII, vers. 14.

7. COEPERUNT ACERVORUM JACERE FUNDAMENTA, — id est cœperunt colligere primos acervos; quæ enim prima sunt, quasi sequentium sunt fundamenta. Ita Vatablus.

11. UT PRÆPARARENT HORREA — Septuaginta, *paisophoria*, id est exedras sive cubicula, in qui-

bus quasi horreis servarentur primitiæ, decimæ, aliæque res templo oblatæ.

14. CONSECRATIS IN SANCTA SANCTORUM, — ut scilicet sint sanctissima, quia eas templo et Deo sanctissimo dedicastis; primitiæ enim non offerebantur in Sancto sanctorum, sed ante atrium Sacerdotum. Simili phrasi vers. 6, vocavit « decimas sanctorum, » id est decimas Deo sanctificatas, hoc est consecratas et oblatas.

16. EXCEPTIS MARIBUS AB ANNIS TRIBUS ET SUPRA, — hoc est, præter pueros trium annorum, quibus quoque sicut et aliis omnibus, usque ad annum vigesimum præbebantur alimenta, *q. d.* Non tantum majoribus, qui templo deserviebant, sed et pueris triennibus, imo anniculis et in cunis jacentibus; quin et feminis et puellis parvulis necessaria vitæ liberaliter a Præfectis subministrabantur; ut Sacerdotes et Levitæ eos alendi cura non distraherentur, sed toti vacarent Deo et templo; tanta erant rerum oblatarum abundantia, tanta populi offerentis liberalitas, tanta Ezechiæ regis providentia, pietas et devotio.

10. PER AGROS, — *q. d.* Ezechias sicut providit Levitis in Jerusalem agentibus, sic et providit de annona iis qui extra Jerusalem per agros et alias urbes dispersi erant.

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sennacherib invadit Judæam; Ezechias cum Isaia Deum invocat; ille mittit Angelum, qui cædit 180 millia Assyriorum. Quare fugit Sennacherib, et a filiis occiditur. Inde intumescens Ezechias v. 24, morbo percutitur, sed ab Isaia curatur, ac post multa præclare gesta moritur, et successorem relinquit filium impium Manassen.

1. Post quæ et hujuscemodi veritatem, venit Sennacherib rex Assyriorum, et ingressus Judam, obsedit civitates munitas, volens eas capere. 2. Quod cum vidisset Ezechias, venisse scilicet Sennacherib, et totum belli impetum verti contra Jerusalem, 3. inito cum principibus consilio, virisque fortissimis, ut obturarent capita fontium, quæ erant extra urbem : et hoc omnium decernente sententia, 4. congregavit plurimam multitudinem, et obturaverunt cunctos fontes, et rivum qui fluebat in medio terræ, dicentes : Ne veniant reges Assyriorum, et inveniant aquarum abundantiam. 5. Ædificavit quoque, agens industrie, omnem murum, qui fuerat dissipatus, et exstruxit turres desuper, et forinsecus alterum murum : instauravitque Mello in Civitate David, et fecit universi generis armaturam et clypeos, 6. constituitque principes bellatorum in exercitu : et convocavit universos in platea portæ civitatis, ac locutus est ad cor eorum dicens : 7. Viriliter agite, et confortamini : nolite timere : nec paveatis regem Assyriorum, et universam multitudinem, quæ est cum eo : multo enim plures nobiscum sunt, quam cum illo. 8. Cum illo enim est brachium carneum : nobiscum Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatque pro nobis. Confortatusque est populus hujuscemodi verbis Ezechiæ regis Juda. 9. Quæ postquam gesta sunt, misit Sennacherib rex Assyriorum servos suos in Jerusalem (ipse enim cum universo exercitu obsidebat Lachis) ad Ezechiam regem Juda, et ad omnem populum qui erat in urbe, dicens : 10. Hæc dicit Sennacherib rex Assyriorum : In quo habentes fiduciam sedetis obsessi in Jerusalem? 11. Num Ezechias decipit vos, ut tradat morti in fame et siti, affirmans quod Dominus Deus vester liberet vos de manu regis Assyriorum? 12. Numquid non iste est Ezechias, qui destruxit excelsa illius, et altaria, et præcepit Juda et Jerusalem, dicens : Coram altari uno adorabitis, et in ipso comburetis incensum? 13. An ignoratis quæ ego fecerim, et patres mei, cunctis terrarum populis? Numquid prævaluerunt dii gentium, omniumque terrarum, liberare regionem suam de manu mea? Quis est de universis diis gentium quas vastaverunt patres mei, qui potuerit eruere populum suum de manu mea, ut possit etiam Deus vester eruere vos de hac manu? 15. Non vos ergo

decipiat Ezechias, nec vana persuasione deludat, neque credatis ei. Si enim nullus potuit Deus cunctarum gentium atque regnorum liberare populum suum de manu mea, et de manu patrum meorum, consequenter nec Deus vester poterit eruere vos de manu mea. 16. Sed et alia multa locuti servi ejus contra Dominum Deum, et contra Ezechiam servum ejus. 17. Epistolas quoque scripsit plenas blasphemiæ in Dominum Deum Israel, et locutus est adversus eum : Sicut dii gentium cæterarum non potuerunt liberare populum suum de manu mea : sic et Deus Ezechiæ eruere non poterit populum suum de manu ista. 18. Insuper et clamore magno, lingua Judaica, contra populum qui sedebat in muris Jerusalem, personabat, ut terreret eos, et caperet civitatem. 19. Locutusque est contra Deum Jerusalem sicut adversum deos populorum terræ, opera manuum hominum. 20. Oraverunt igitur, Ezechias rex, et Isaias filius Amos prophetes, adversum hanc blasphemiam, ac vociferati sunt usque in cœlum. 21. Et misit Dominus Angelum, qui percussit omnem virum robustum et bellatorem, et principem exercitus regis Assyriorum : reversusque est cum ignominia in terram suam. Cumque ingressus esset domum dei sui, filii qui egressi fuerant de utero ejus, interfecerunt eum gladio. 22. Salvavitque Dominus Ezechiam et habitatores Jerusalem de manu Sennacherib regis Assyriorum, et de manu omnium, et præstitit eis quietem per circuitum. 23. Multi etiam deferebant hostias et sacrificia Domino in Jerusalem, et munera Ezechiæ regi Juda : qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus. 24. In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem, et oravit Dominum : exaudivitque eum, et dedit ei signum. 25. Sed non juxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, quia elevatum est cor ejus : et facta est contra eum ira, et contra Judam et Jerusalem. 26. Humiliatusque est postea, eo quod exaltatum fuisset cor ejus, tam ipse, quam habitatores Jerusalem : et idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ. 27. Fuit autem Ezechias dives, et inclytus valde, et thesauros sibi plurimos congregavit argenti, et auri, et lapidis pretiosi, aromatum, et armorum universi generis, et vasorum magni pretii. 28. Apothecas quoque frumenti, vini, et olei, et præsepia omnium jumentorum, caulasque pecorum, 29. et urbes ædificavit sibi : habebat quippe greges ovium et armentorum innumerabiles, eo quod dedisset ei Dominus substantiam multam nimis. 30. Ipse est Ezechias, qui obturavit superiorem fontem aquarum Gihon, et avertit eas subter ad Occidentem Urbis David : in omnibus operibus suis fecit prospere quæ voluit. 31. Attamen in legatione principum Babyloniis, qui missi fuerant ad eum, ut interrogarent de portento, quod acciderat super terram, dereliquit eum Deus ut tentaretur, et nota fierent omnia quæ erant in corde ejus. 32. Reliqua autem sermonum Ezechiæ, et misericordiarum ejus, scripta sunt in visione Isaiæ filii Amos prophetæ, et in Libro regum Juda et Israel. 33. Dormivitque Ezechias cum patribus suis, et sepelierunt eum super sepulcra filiorum David : et celebravit ejus exequias universus Juda, et omnes habitatores Jerusalem : regnavitque Manasses filius ejus pro eo.

Hoc caput explicui *Isaiæ* cap. XXXVI, XXXVII et XXXVIII.

1. POST QUÆ ET HUJUSCEMODI VERITATEM VENIT SENNACHERIB, — *q. d.* Post hæc ab Ezechia vere gesta, et a me vere enarrata, Deus volens probare, exercere et perficere pietatem, virtutem et confidentiam Ezechiæ, quam habebat in Deum, permisit ut venirent Sennacherib, ac Judæam invaderet.

4. RIVUM (fontem Gihon, ut patet vers. 30), QUI FLUEBAT IN MEDIO TERRÆ, — scilicet illius quæ adjacebat Jerosolymæ, *q. d.* Ezechias aquas, ac præsertim fontem Gihon partim obturavit, ut castra Sennacherib siti conficeret; partim perfodiendo rupem, in puteos urbis avertit, ut obsessi Judæi haberent aquam ad potum et cæteros usus. Vide dicta *Ecclí.* XLVIII, 19.

21. MISIT DOMINUS ANGELUM. — Hanc historiam Herodotus in *Euterpe* depravavit, dicens Sennacherib Ægyptum invasisse, sed a sacerdote Vulcani fugatum per inductos mures, qui arcus et arma Assyriorum corrodebant; nam pro Judæa supponit Ægyptum, pro Ezechia sacerdotem, pro Deo Vulcanum, pro Angelo mures. Porro Sennacherib ipse in tanta suorum clade solus pene, « idcirco servatus est, ait S. Hieronymus in cap.

LXX *Isaiæ*, ut scirent potentiam Dei et blasphemantium ora comprimeret, fierentque tentis illius majestatis, quam paulo ante contempserat. Pharao quoque in decem Ægypti servatur plagis, ut novissimus perent : quod et iste passus est. » Oportebat hominem puniri gravissima ultione maximi exercitus exercitus, et divitiarum maximarum; quam jacturam non sensisset, si momento cum suis periisset. Oportebat inerodi iterum apud suos subire ignominiam, cujus aut culpa, aut imperitia, tanta strages regnum potentissimum percussisset. Oportebat denique longe illum acerbiore morte, et modis omnibus exercenda consumi : multis quippe, ut apparet, gladiorum ictibus confodendus erat, et a filiis, et in loco divinitati consecrato. Ita Salianus. Non dubium ito hanc cladem ab Angelo caesum, et magis excruciatum fuisse Rabsacen, utpote in Deum blasphemum, et in Ezechiam maledictum : porro opimus tot caesorum Assyriorum spoliis ditati sunt Ezechias et Judæi.

Fuit (Adramelech et Sarazar) INTERFECERUNT EUM GLADIO. — Causam dat R. Salomon et ex eo Lyranus, quod Sennacherib ad phanandos deos tantos tragis auctores, voluerit eis immolare hosce duos filios; sed illi id subodorati patrem prævenerunt et necarunt. Porro Sennacherib, accepta clade in Judæa, fugit redituque in suam Niniven, ubi sævit in Judæos, multosque occidit; adeo ut Tobias eos sepeliens, bonis omnibus exutus mortem fugiendo evaserit, a qua fuga post dies 45 Sennacherib a filiis occisus est : quæ omnia narrantur Tobiæ, cap. I, vers. 21, et sequent. Eamdem R. Salomonis causam tradit S. Hieronymus *in Trad.* Eamdemque ex textu Hebræo Tobiæ, cap. I, refert Serarius, ac Genebrardus *in Chronol.*

Aliam causam afferunt Lyranus et Abulensis in lib. IV *Reg.* cap. XV, Quæst. XXXI, scilicet Sennacherib occisum esse a duobus filiis senioribus, quoniam pater eis postpositis, Assarhaddonem minorem natu successorem regni esse vellet. Cujus electionis causam refert Historia Scholastica in ninivem, quo Sennacherib mutrem Assarhaddonis prosequebatur. Quæ fuisse putatur causa, cur pridem Roboam, Abiam filium Maacha reliquis filiis suis antetulerit, ut patet II *Paralipomenon*, XI, 21.

Verior certiorque causa est, quam affert Theodoretus in lib. IV *Reg.* dicens : « Quoniam adversus Deum, qui ipsum fecerat, rabie fuerat percitus, ab iis qui ex ipso procreati fuerant, fuit interfectus. »

31. DE PORTENTO, — retrocessionis solis et umbræ in Horologio Achaz, de quo fuse egi *Isaiæ* cap. XXXVIII.

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Manasses ob idololatriam et scelera vinctus in Babylonem traducitur, ubi pœnitens regno restituitur, et Dei cultum restaurat. Succedit ei impius filius Amon, ac huic pius filius Josias.

1. Duodecim annorum erat Manasses cum regnare cœpisset, et quinquaginta quinque annis regnavit in Jerusalem. 2. Fecit autem malum coram Domino, juxta abominationes gentium, quas subvertit Dominus coram filiis Israel : 3. et conversus instauravit excelsa, quæ demolitus fuerat Ezechias pater ejus : construxitque aras Baalim, et fecit lucos, et adoravit omnem militiam cœli, et coluit eam. 4. Ædificavit quoque altaria in domo Domini, de qua dixerat Dominus : in Jerusalem erit nomen meum in æternum. 5. Ædificavit autem ea cuncto exercitui cœli, in duobus atriis domus Domini. 6. Transireque fecit filios suos per ignem in Valle Benennom : observabat somnia, sectabatur auguria, maleficis artibus inserviebat, habebat secum magos, et incantatores : multaque mala operatus est coram Domino, ut irritaret eum. 7. Sculptile quoque et conflatile signum posuit in domo Dei, de qua locutus est Deus ad David et ad Salomonem filium ejus, dicens : In domo hac et in Jerusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum. 8. Et moveri non faciam pedem Israel de terra, quam tradidi patribus eorum : ita duntaxat si custodierint facere quæ præcepi eis, cunctamque legem et cæremonias, atque judicia per manum Moysi. 9. Igitur Manasses seduxit Judam, et habitatores Jerusalem, ut facerent malum super omnes gentes, quas subverterat Dominus a facie filiorum Israel. 10. Locutusque est Dominus ad eum, et ad populum illius, et attendere noluerunt. 11. Idcirco superduxit eis principes exercitus regis Assyriorum : ceperuntque Manassen, et vinctum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem. 12. Qui postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum : et egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum 13. Deprecatusque est eum, et obsecravit intente : et exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in regnum suum : et cognovit Manasses quod Dominus ipse esset Deus. 14. Post hæc ædificavit murum extra civitatem David, ad Occidentem Gihon in convalle, ab introitu portæ piscium per circuitum usque ad Ophel, et exaltavit illum vehementer : constituitque principes exercitus in cunctis civitatibus Juda munitis : 15. et abstulit deos alienos et simulacrum de domo Domini, aras quoque, quas fecerat in monte domus Domini, et in Jerusalem, et projecit omnia extra urbem. 16. Porro instauravit altare Domini, et immolavit super illud victimas, et pacifica, et laudem : præcepitque Judæ ut serviret Domino Deo Israel. 17. Attamen adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo. 18. Reliqua autem gestorum Manasse : et obsecratio ejus ad Deum suum : verba quoque Videntium, qui loquebantur ad eum in nomine Domini Dei Israel, continentur in sermonibus regum Israel. 19. Oratio quoque ejus et exauditio, et cuncta peccata atque contemptus, loca etiam in quibus ædificavit excelsa, et fecit lucos et statuas, antequam ageret pœnitentiam, scripta sunt in sermonibus Hozai. 20. Dormivit ergo Manasses cum patribus suis, et sepelierunt eum in domo sua : regnavitque pro eo filius ejus Amon. 21. Viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset, et duobus annis regnavit in Jerusalem. 22. Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater ejus, et cunctis idolis, quæ Manasses fuerat fabricatus, immolavit atque servivit. 23. Et non est reveritus faciem Domini, sicut reveritus est Manasses pater ejus : et multo majora deliquit. 24. Cumque conjurassent adversus eum servi sui, interfecerunt eum in domo sua. 25. Porro reliqua populi multitudo, cæsis iis qui Amon percusserant, constituit regem Josiam filium ejus pro eo.

3. ADORAVIT OMNEM MILITIAM COELI, — puta Solem, Lunam, cæteraque sidera quæ quasi milites Dei ordinata acie incedunt, ac pro Deo, cum opus est, pugnant, vibrantque in hostes tonitrua et fulmina. Ita S. Hieronymus.

10. LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD EUM, — non per, sed per Isaiam, aliosque Prophetas, IV *Reg.* cap. XXI, vers. 10.

11. VINCTUM CATENIS DUXERUNT IN BABYLONEM. — Manassi in carcere dabatur parvus panis ex furfuribus, parvo pondere, et parva mensura aquæ cum acelo, ut vivaret, aiunt quidam Codices Græci hic, et Auctor imperfecti, hom. 1 *in Matth.* et S. Clemens, lib. II *Constit.* cap. XXII.

16. IMMOLAVIT SUPER ILLUD VICTIMAS (holocausta et hostias pro peccato) ET PACIFICA (id est hostias pro pace, id est salute tum sua, tum populi) ET LAUDEM. — Hebraice תּוֹדָה *toda*, id est hostias eucharisticas, in Dei laudem, et gratiarum actionem pro libertate recepta, ait Cajetanus et Vatablus.

19. ORATIO QUOQUE EJUS. — Exstat oratio Manassis pœnitentis pia et proba, sed non habet auctoritatem Canonicæ Scripturæ ideoque in calcem Bibliorum rejecta est.

SCRIPTA SUNT IN SERMONIBUS HOZAI. — Hebræi apud S. Hieronymum censent *Hozai* esse Isaiam prophetam. Septuaginta *Hozai* acceperunt ut nomen non proprium, sed appellativum, videntium, id est prophetarum. Sic et Vatablus.

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Josias omnem idololatriam succidit, Dei templum cultumque instaurat, ac fœdus novum inter Deum et populum sancit.

1. Octo annorum erat Josias cum regnare cœpisset, et triginta et uno anno regnavit in Jerusalem. 2. Fecitque quod erat rectum in conspectu Domini, et ambulavit in viis David

patris sui : non declinavit neque ad dextram, neque ad sinistram. 3. Octavo autem anno regni sui cum adhuc esset puer, cœpit quærere Deum patris sui David : et duodecim anno postquam regnare cœperat, mundavit Judam et Jerusalem ab excelsis, et lucis, simulacrisque et sculptilibus. 4. Destruxeruntque coram eo aras Baalim : et simulacra, quæ superposita fuerant, demoliti sunt ; lucos etiam, et sculptilia succidit atque comminuit, et super tumulos eorum, qui eis immolare consueverant, fragmenta dispersit. 5. Ossa præterea Sacerdotum combussit in altaribus idolorum, mundavitque Judam et Jerusalem. 6. Sed et in urbibus Manasse, et Ephraim, et Simeon, usque Nephtali, cuncta subvertit. 7. Cumque altaria dissipasset, et lucos, et sculptilia contrivisset in frusta, cunctaque delubra demolitus esset de universa terra Israel, reversus est in Jerusalem. 8. Igitur anno octavo decimo regni sui, mundata jam terra, et templo Domini, misit Saphan filium Eseliæ, et Maasiam principem civitatis, et Joha filium Joachaz a commentariis, ut instaurarent domum Domini Dei sui. 9. Qui venerunt ad Helciam Sacerdotem magnum : acceptamque ab eo pecuniam, quæ illata fuerat in domum Domini, et quam congregaverant Levitæ, et janitores, de Manasse, et Ephraim, et universis reliquis Israel, ab omni quoque Juda, et Benjamin, et habitatoribus Jerusalem, 10. tradiderunt in manibus eorum qui præerant operariis in domo Domini, ut instaurarent templum, et infirma quæque sarcirent. 11. At illi dederunt eam artificibus, et cæmentariis, ut emerent lapides de lapicidinis, et ligna ad commissuras ædificii, et contignationem domorum, quas destruxerant reges Juda. 12. Qui fideliter cuncta faciebant. Erant autem præpositi operantium, Jahath et Abdias de filiis Merari, Zacharias et Mosellam de filiis Caath, qui urgebant opus : omnes Levitæ scientes organis canere. 13. Super eos vero, qui ad diversos usus onera portabant, erant scribæ, et magistri de Levitis janitores. 14. Cumque efferrent pecuniam, quæ illata fuerat in templum Domini, reperit Helcias Sacerdos Librum legis Domini per manum Moysi. 15. Et ait ad Saphan scribam : Librum legis inveni in domo Domini : Et tradidit ei. 16. At ille intulit volumen ad regem, et nuntiavit ei dicens : Omnia quæ dedisti in manu servorum tuorum, ecce complentur. 17. Argentum, quod repertum est in domo Domini, conflaverunt : datumque est præfectis artificum, et diversa opera fabricantium. 18. Præterea tradidit mihi Helcias Sacerdos hunc librum. Quem cum rege præsente recitasset. 19. audissetque ille verba legis, scidit vestimenta sua : 20 et præcepit Helciæ, et Ahicam filio Saphan, et Abdon filio Micha, Saphan quoque scribæ, et Asaæ servo regis, dicens : 21. Ite, et orate Dominum pro me, et pro reliquiis Israel et Juda, super universis sermonibus Libri istius, qui repertus est : magnus enim furor Domini stillavit super nos, eo quod non custodierint patres nostri verba Domini, ut facerent omnia quæ scripta sunt in isto voluminе. 22. Abiit ergo Helcias, et hi qui simul a rege missi fuerant, ad Oldam prophetidem, uxorem Sellum filii Thecuath, filii Hasra custodis vestium : quæ habitabat in Jerusalem in secunda : et locuti sunt ei verba quæ supra narravimus. 23. At illa respondit eis : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Dicite viro, qui misit vos ad me : 24. Hæc dicit Dominus : Ecce ego inducam mala super locum istum, et super habitatores ejus cunctaque maledicta quæ scripta sunt in Libro hoc, quem legerunt coram rege Juda. 25. Quia dereliquerunt me, et sacrificaverunt diis alienis, ut me ad iracundiam provocarent in cunctis operibus manuum suarum, ideireo stillabit furor meus super locum istum, et non exstinguetur. 26. Ad regem autem Juda, qui misit vos pro Domino deprecando, sic loquimini : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Quoniam audisti verba voluminis, 27. atque emollitum est cor tuum, et humiliatus es in conspectu Dei, super his quæ dicta sunt contra locum hunc, et habitatores Jerusalem, reverituque faciem meam, scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me : ego quoque exaudivi te, dicit Dominus. 28. Jam enim colligam te ad patres tuos, et infereris in sepulcrum tuum in pace : nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus sum super locum istum, et super

habitatores ejus. Retulerunt itaque regi cuncta quæ dixerat. 29. At ille convocatis universis majoribus natu Juda et Jerusalem, 30. ascendit in domum Domini, unaque omnes viri Juda et habitatores Jerusalem, Sacerdotes et Levitæ, et cunctus populus a minimo usque ad maximum. Quibus audientibus in domo Domini, legit rex omnia verba voluminis : 31. et stans in tribunali suo, percussit fœdus coram Domino, ut ambularet post eum, et custodiret præcepta, et testimonia, et justificationes ejus in toto corde suo, et in tota anima sua, faceretque quæ scripta sunt in volumine illo, quod legerat. 32. Adjuravit quoque super hoc omnes, qui reperti fuerant in Jerusalem et Benjamin : et fecerunt habitatores Jerusalem juxta pactum Domini Dei patrum suorum. 33. Abstulit ergo Josias cunctas abominationes de universis regionibus filiorum Israel : et fecit omnes, qui residui erant in Israel, servire Domino Deo suo. Cunctis diebus ejus non recesserunt a Domino Deo patrum suorum.

3. DUODECIMO ANNO, etc., MUNDAVIT JUDA, — id est mundare cœpit; nam mundationem hanc perfecit post sex annos, anno regni sui 18, ut dicitur vers. 8.

5. OSSA PRÆTERREA SACERDOTUM (idolorum, v. g., vitulorum aureorum) COMBUSSIT IN ALTARIBUS IDOLORUM, — scilicet ut contactu et combustione cadaverum hominum tam impiorum altaria ipsa contaminarentur, infamarentur, et horrori forent, ne quis deinceps in iis victimas idolis immolaret.

13. INVENI LIBRUM LEGIS IN DOMO DOMINI. — Genebrardus in *Chronol.* conset fuisse hoc exemplar, quod a Moyse vel ab alio eo vivo scriptum fuerat, et in sanctuario positum ante 800 annos, ut propterea majori devotione acceptum et majori fructu lectum fuerit. Porro non est dubium alibi in Judæa, et in aliis provinciis apud Judæos pios et doctos exstitisse plures libros legis : incredibile ergo videtur quod nonnulli aiunt, omnes libros S. Scripturæ cum templo a Chaldæis fuisse combustos, ac ab Esdra ex memoria restitutos.

28. INFERERIS IN SEPULCRUM TUUM IN PACE. — Dices : Josias in prælio occisus est a Pharaone Nechao; ergo non pacifice, sed violenta morte occubuit. Respondeo, pacem non privatam Josiæ, sed publicam Reipublicæ hic intelligi; vivente enim Josia et moriente, Judæa gaudebat pace et rerum abundantia; at post mortem ejus invasa fuit a variis gentibus, præsertim Babyloniis, qui illam sub Sedecia filio Josiæ funditus everterunt. Hunc esse sensum liquet ex sequentibus, ubi sic se Scriptura explicat. Vers. 28.

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Josias celebrat Phase solemne; idem Pharaoni occurrens, in prælio occiditur summo omnium luctu, sed præcipue Jeremiæ.

1. Fecit autem Josias in Jerusalem Phase Domino, quod immolatum est quarta decima die mensis primi : 2. et constituit Sacerdotes in officiis suis, hortatusque est eos ut ministrarent in domo Domini. 3. Levitis quoque, ad quorum eruditionem omnis Israel sanctificabatur Domino, locutus est : Ponite arcam in sanctuario templi, quod ædificavit Salomon filius David rex Israel ; nequaquam enim eam ultra portabitis : nunc autem ministrate Domino Deo vestro, et populo ejus Israel. 4. Et præparate vos per domos et cognationes vestras, in divisionibus singulorum, sicut præcepit David rex Israel, et descripsit Salomon filius ejus. 5. Et ministrate in sanctuario per familias turmasque Leviticas, 6. et sanctificati immolate Phase : fratres etiam vestros, ut possint juxta verba quæ locutus est Dominus in manu Moysi facere, præparate. 7. Dedit præterea Josias omni populo, qui ibi fuerat inventus in solemnitate Phase, agnos et hædos de gregibus et reliqui pecoris triginta millia, boum quoque tria millia, hæc de regis universa substantia. 8. Duces quoque ejus, sponte quod voverant, obtulerunt, tam populo, quam Sacerdotibus et Levitis. Porro Helcias, et Zacharias, et Jahiel,

principes domus Domini, dederunt Sacerdotibus ad faciendum Phase pecora commixtim duo millia sexcenta, et boves trecentos. 9. Chonenias autem, et Semeias, etiam Nathanael, fratres ejus, necnon Hasabias, et Jehiel, et Jozabad, principes Levitarum, dederunt cæteris Levitis ad celebrandum Phase quinque millia pecorum, et boves quingentos. 10. Præparatumque est ministerium, et steterunt sacerdotes in officio suo : Levitæ quoque in turmis, juxta regis imperium. 11. Et immolatum est Phase : asperserunt que Sacerdotes manu sua sanguinem, et Levitæ detra erunt pelles holocaustorum, 12. et separaverunt ea ut darent per domos, et familias singulorum, et offerrentur Domino, sicut scriptum est in Libro Moysi : de bobus quoque fecerunt similiter, 13. et assaverunt Phase super ignem, juxta quod in lege scriptum est; pacifica vero hostias coxerunt in lebetibus: et cacabis, et ollis, et festinato distribuerunt universæ plebi : 14. sibi autem et Sacerdotibus postea paraverunt; nam in oblatione holocaustorum et adipum usque ad noctem Sacerdotes fuerunt occupati : unde Levitæ sibi et sacerdotibus filiis Aaron paraverunt novissimis. 15. Porro cantores filii Asaph stabant in ordine suo, juxta præceptum David, et Asaph, et Heman, et Idithun, prophetarum regis; janitores vero per portas singulas observabant, ita ut nec puncto quidem discederent a ministerio : quam ob rem et fratres eorum Levitæ paraverunt eis cibos. 16. Omnis igitur cultura Domini rite completa est in die illa, ut facerent Phase, et offerrent holocausta super altare Domini, juxta præceptum regis Josiæ. 17. Fecerunt que filii Israel, qui reperti fuerant ibi, Phase in tempore illo, et solemnitatem azymorum septem diebus. 18. Non fuit Phase simile huic in Israel a diebus Samuelis Prophetæ : sed nec quisquam de cunctis regibus Israel fecit Phase sicut Josias, Sacerdotibus, et Levitis, et omni Judæ, et Israel qui repertus fuerat, et habitantibus in Jerusalem. 19. Octavo decimo anno regni Josiæ hoc Phase celebratum est. 20. Postquam instauraverat Josias templum, ascendit Nechao rex Ægypti ad pugnandum in Charcamis juxta Euphratem : et processit in occursum ejus Josias. 21. At ille, missis ad eum nuntiis, ait : Quid mihi et tibi est, rex Juda? non adversum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus festinato præcepit : desine adversum Deum facere, qui mecum est, ne interficiat te. 22. Noluit Josias reverti, sed præparavit contra eum bellum, nec acquievit sermonibus Nechao ex ore Dei : verum perrexit ut dimicaret in campo Mageddo. 23. Ibique vulneratus a sagittariis, dixit pueris suis : Educite me de prælio, quia oppido vulneratus sum. 24. Qui transtulerunt eum de curru in alterum currum, qui sequebatur eum more regio, et asportaverunt eum in Jerusalem, mortuusque est, et sepultus in mausoleo patrum suorum : et universus Juda et Jerusalem luxerunt eum : 25. Jeremias maxime, cujus omnes cantores atque cantatrices, usque in præsentem diem, lamentationes super Josiam replicant, et quasi lex obtinuit in Israel : Ecce scriptum fertur in lamentationibus. 26. Reliqua autem sermonum Josiæ et misericordiarum ejus, quæ lege præcepta sunt Domini, 27. opera quoque illius prima et novissima, scripta sunt in Libro regum Juda et Israel.

3. PONITE ARCAM IN SANCTUARIO TEMPLI. — Tradunt Hebræi apud S. Hieronymum arcam e Sancto sanctorum ablatam esse tempore Manassis vel Amon, ne simul cum eorum idolis consisteret in templo. Quare translatam esse in domum Sellum, qui erat avunculus Jeremiæ, et maritus Oliæ prophetissæ, cap. XXXIV, versu 22; nunc vero idolis ablatis a Josia arcam templo locoque suo fuisse restitutam. Quo facto Josias ait Levitis : « Nequaquam eam ultra portabitis, » id est, arcam amplius e templo non exportabitis; quare deinceps vos coram arca « ministrate Domino, » ac simul, « populo ejus Israel, » ut populum in lege cultuque Dei instruatis et dirigatis.

AD FACIENDUM PHASE, etc., BOVES TRECENTOS. — Hinc patet « Phase » significare non tantum Agnum Paschalem, sed et boves, cæterasque victimas quæ in paschate Deo immolabantur.

11. ASPERSERUNTQUE SACERDOTES MANU SANGUINEM, — in altari holocaustorum, uti lege erat præscriptum. Omnis enim sanguis Deo debebatur, ideoque effundebatur in altari vel juxta altare. Altare enim representabat Deum.

ET LEVITÆ DETRAXERUNT PELLES HOLOCAUSTORUM, — ut deinde sacerdotes carnes in frusta concisas altari imponerent, et subjecto igne Deo cremarent.

12. ET SEPARAVERUNT EA, — scilicet holocausta (ut habent Hebræi) jam dicta; ut illa integre « offerrentur Domino, » et tota cremarentur. « Separaverunt, » inquam, holocausta e cæteris victimis, ut eas « darent » (id est distribuerent) « per domos et familias singulorum; » ut scilicet singuli eas offerrent Deo in victimas pacificas, ac deinde ex eisdem epulum sacrum instruerent, et convivia celebrarent. Patet ex dictis vers. 7 et seq.

15. ASAPH ET HEMAN ET IDITHUN PROPHETARUM REGIS, — id est, Cantorum Davidis. Prophetæ enim vocantur Cantores, qui Deo laudes et Psalmos canebant. Ita Hebræi apud S. Hieronymum. Erant tamen aliqui ex eis veri prophetæ, uti Asaph, qui instinctu Dei plures Psalmos composuit et dictavit.

21. CONTRA ALIAM PUGNO DOMUM, — scilicet contra regem Assyriorum (1), ut patet IV *Reg.* XXIII, 29, Abulensis in IV *Reg.* cap. XXIII, *Quæst.* XLI et XLII, censet « aliam domum, » sive aliam familiam, aliumque regem, contra quem se pergere dicit Pharao, fuisse Adadremmon regem Syriæ, Josiæ fœderatum, ideoque Josiam prohibuisse Pharaonem transitu per Judæam, ut suo amicique regno consuleret. Id hausit Abulensis ex Herodoto, lib. II sub finem, qui ait regem Ægypti nomine Necum filium Psammitichi conflixisse cum Syris, et in Magdalo victoria potitum : ubi videntur nomina esse corrupta, ut Necum ponatur pro Nechao, Syri pro Assyriis, Magdalo pro Mageddo. Verum hæc sententia est improbabilis : tum quia nemo hujus Adadremmon regis Syriæ meminit; tum quia Pharao pergebat contra Assyrios habitantes juxta Euphratem, non contra Syros habitantes juxta Libanum.

Alii censent Pharaonem perrexisse proprie contra regem Assyriorum : verum nec hoc dici potest; nam Asarhaddon filius Sennacherib, post cladem

(1) Charcamis, de qua in vers. 20 agitur, et quam regem quemdam esse aliqui interpretes falso arbitrati sunt, erat urbs in Assyria, quæ videtur esse ea urbs Mesopotamiæ, quæ vocatur Europus, apud Evagrium, lib. V, cap. IX, quæ Euphrate et Abora fluviis circumdata est, et ab eis dein velut insula facta. Vide *Isaiæ.* X, 9. Ex quo autem Assyriorum vi Assyrii potiti sunt Babylonis, Charcamis ad regnum Babylonicum pertinuit, et Babylonis reges indiscriminatim modo Assyriæ, modo Babylonis reges appellati sunt, quippe qui utrumque imperium in se concilia-

patris ab Angelo acceptam in Judæa, tantum decem annis regnavit, ac cum eo et in eo quasi ultimo rege desiit regnum Assyriorum sub annum Ezechiæ regis Juda 25, qui hunc annum 31 et ultimum Josiæ antecessit nonaginta annis. Quare deficiente Asarhaddon et regno Assyriorum (unde post Asarhaddon in Scriptura nulli nominantur reges Assyriorum, sed Babyloniorum duntaxat), surrexit regnum Chaldæorum per Merodach, cui successit Ben-Merodach, huic Nabopolassar, qui alio nomine dictus est Nabuchodonosor senior, qui dominabatur Assyriis æque ac Babyloniis; unde nunc Assyriorum, nunc Babyloniorum rex vocatur. Atque hic est contra quem pugnavit Pharao Nechao, cum occidit Josiam, ac videtur eum superasse. Unde hanc patris sui cladem ulturus ejus filius Nabuchodonosor junior cognomento Magnus, qui Judæam, Asiam, multaque alia subegit, easque fecit Monarchiam, invasit Ægyptum, conflixit cum Nechao, eumque occidit, ac Ægyptum occupavit, uti eidem prædixerat Jeremias cap. XLVI, et Ezechiel cap. XXIX. Vide ibi dicta. Ita Salianus et alii. Plura hac de re dixi IV *Reg.* XXIV, 1.

AD QUAM SE DEUS FESTINATO SE PRÆCEPIT, — per oraculum Jeremiæ non scriptum, sed viva voce editum, quod ipse Jeremias per nuntium Pharaoni significavit, ut tradunt Hebræi apud S. Hieronymum. Unde et S. Justinus, *Quæst.* LXXXIX *ad Orthodoxos*, docet Josiam ideo occisum, eo quod monitis Jeremiæ, ut Pharaoni sese non opponeret, minime paruerit.

24. MORTUUSQUE EST, — non in Jerusalem, ut vult Josephus, sed in Mageddo occisus; unde eum mortuum transtulerunt in Jerusalem, ut in sepulcro regum sepelirent.

25. ET QUASI LEX OBTINUIT IN ISRAEL, — *q. d.* Mos apud Israelitas obtinuit adeo fixus et certus, ut instar legis esse videretur; ut scilicet cantores et cantatrices, dum ob lugubrem aliquem casum funebre vel triste carmen vel naniam canere vôlunt, usurpent canantque lamentationem Jeremiæ de morte Josiæ, quam si nosse cupis : « Ecce scriptum fertur in lamentationibus » Jeremiæ : Jeremias enim in *Thren* sub finem videtur ingere mortem Josiæ, ut censet Chaldæus, Josephus, Hebræi apud S. Hieronymum, Lyranus, Abulensis et Hugo; quamvis, ut ibi dixi, verius sit Threnos Jeremiæ de morte Josiæ alios fuisse ab ejus Threnis qui exstant in S. Scriptura : quare Threni de morte Josiæ injuria temporum interciderunt.

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Patri Josiæ succedit filius Joachaz, quem Nechao in Ægyptum abducit. Huic succedit frater Joakim, huic filius Joachin, hunc patruus Sedecias, qui omnes cum majore populi parte in Babylonem abducuntur a Nabuchodonosor. Hic enim Jerusalem cum templo succendit, ut Judæa manserit desolata usque ad annum primum Cyri primi Persarum Monarchæ.

1. Tulit ergo populus terræ Joachaz filium Josiæ, et constituit regem pro patre suo in Jerusalem. 2. Viginti trium annorum erat Joachaz, cum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnavit in Jerusalem. 3. Amovit autem eum rex Ægypti, cum venisset in Jerusalem, et condemnavit terram centum talentis argenti, et talento auri. 4. Constituitque pro eo regem, Eliakim fratrem ejus, super Judam et Jerusalem : et vertit nomen ejus Joakim ; ipsum vero Joachaz tulit secum, et abduxit in Ægyptum. 5. Viginti quinque annorum erat Joakim, cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem : fecitque malum coram Domino Deo suo. 6. Contra hunc ascendit Nabuchodonosor rex Chaldæorum, et vinctum catenis duxit in Babylonem. 7. Ad quam et vasa Domini transtulit, et posuit ea in templo suo. 8. Reliqua autem verborum Joakim, et abominationum ejus, quas operatus est, et quæ inventa sunt in eo, continentur in Libro regum Juda et Israel. Regnavit autem Joachin filius ejus pro eo. 9. Octo annorum erat Joachin, cum regnare cœpisset, et tribus mensibus, ac decem diebus regnavit in Jerusalem, fecitque malum in conspectu Domini. 10. Cumque anni circulus volveretur, misit Nabuchodonosor rex, qui adduxerunt eum in Babylonem, asportatis simul pretiosissimis vasis domus Domini. Regem vero constituit Sedeciam patruum ejus super Judam et Jerusalem. 11. Viginti et unius anni erat Sedecias, cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem. 12. Fecitque malum in oculis Domini Dei sui, nec erubuit faciem Jeremiæ Prophetæ, loquentis ad se ex ore Domini. 13. A rege quoque Nabuchodonosor recessit, qui adjuraverat eum per Deum : et induravit cervicem suam et cor, ut non reverteretur ad Dominum Deum Israel. 14. Sed et universi principes sacerdotum, et populus prævacati sunt inique juxta universas abominationes Gentium, et polluerunt domum Domini quam sanctificaverat sibi in Jerusalem. 15. Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum, de nocte consurgens, et quotidie commonens : eo quod parceret populo et habitaculo suo. 16. At illi subsannabant nuntios Dei, et parvipendebant sermones ejus, illudebantque Prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum ejus, et esset nulla curatio. 17. Adduxit enim super eos regem Chaldæorum, et interfecit juvenes eorum gladio in domo Sanctuarii sui : non est misertus adolescentis, et virginis, et senis, nec decrepiti quidem, sed omnes tradidit in manibus ejus. 18. Universaque vasa domus Domini, tam majora quam minora : et thesauros templi, et regis, et principum transtulit in Babylonem. 19 Incenderunt hostes domum Dei, destruxeruntque murum Jerusalem, universas turres combusserunt, et quidquid pretiosum fuerat demoliti sunt. 20. Si quis evaserat gladium, ductus in Babylonem servivit regi et filiis ejus, donec imperaret rex Persarum, 21. et compleretur sermo Domini ex ore Jeremiæ, et celebraret terra sabbata sua : cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, usque dum complerentur septuaginta anni. 22. Anno autem primo Cyri regis Persarum, ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, qui jussit prædicari in universo regno suo, etiam per Scripturam, dicens : 23. Hæc dicit Cyrus rex Persarum : Omnia

regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, et ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa : quis ex vobis est in omni populo ejus ? sit Dominus Deus suus cum eo, et ascendat.

6. ET VINCTUM (Joakim) CATENIS DUXIT IN BABYLONEM, — scilicet anno tertio regni Joakim in Babylone res suas componens, et fœdus cum eo renovans, solitumque tributum promittens, ab eo liber dimissus est in Jerusalem, ubi anno undecimo regni sui rursum rebellans, a Chaldæis occisus est, ut dixi *Jerem.* XXII, 19.

8. ET QUÆ INVENTA SUNT IN EO. — Lyranus, Abulensis, *Quæs.* XXXIX in cap. XXV lib. IV Reg., Vatablus, Magister historiæ Scholasticæ, Pererius, lib. I *in Danielem*, sub initium, et alii ex Hebræis referunt in cadavere hujus regis inventas fuisse quasdam notas impressas, et quædam stigmata insita in honorem Deorum suorum, quorum ipse adhuc vivens se stigmaticum servum profitebatur. Quid miserius et infelicius, quam regem diademate coronatum eo se abjecisse, ut stigmaticum diaboli mancipium redderetur? Contra vero divus Paulus : « De cætero, inquit, nemo mihi molestus sit ; ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto, » *Galat.* VI, 17.

9. OCTO ANNORUM ERAT JOACHIN, CUM REGNARE COEPISSET, — scilicet cum patre Joakim qui anno secundo regni sui filium Joachin octennem regem creavit, et regni socium adscivit, adeoque cum eo decem annis regnavit. Causa fuit, quod vereretur, si quid humanitus sibi accidisset, Sedeciam excluso puero Joachin invasurum regnum. Jam tum enim videbatur meditari rebellionem, ut jugo Chaldæorum se eximeret ; quo fecit anno tertio regni, idcoque eodem anno a Chaldæis abductus est in Babylonem ; unde tunc successit ei filius Joachin novem vel decem annorum : sed pater Joakim, rebus in Babylone compositis, illico rediit, ac alios octo annis cum filio regnavit : quibus exactis anno undecimo regni sui rursus rebellans, interemptus est a Chaldæis : unde tunc solus plano et pleno jure regnans successit ejus filius Joachin, qui jam octodecim erat annorum, ac tribus tantum mensibus regnavit, quibus exactis abductus est et ipse in Babylonem a Chaldæis, qui ei substituerunt Sedeciam patruum. Ita Abulensis, Salianus, Torniellus et alii.

10. CUM ANNI CIRCULUS VOLVERETUR. — Hebraice, *in revolutione anni* ; cum scilicet, anno currente finiente vel finito, novus annus inchoaretur a mense Nisan, *q. d.* cum annus currens tenderet ad finem, sive in fine anni abductus est Joachin in Babylonem, quod fuit tertio mense regni sui : cepit enim ipse regnare non in initio anni, sed tribus mensibus ante finem anni, v. g. in novembri vel decembri. Nam Hebræi annum inchoabant a Nisan, id est martio.

13. QUI ADJURAVERAT EUM PER DEUM, — ut sibi fidem datam et subjectionem promissam servaret, minans ei Dei judicis vindictam, ei illam violaret; ideoque pro « Matthania, » vocavit eum, « Sedeciam, » id est, justitiam Dei, ut hujus semper eum memorem redderet, IV *Reg.* XXIV, 17.

15. DE NOCTE CONSURGENS. — Hebraice, *manicando*, id est mane, tempestive, sollicite eos admonuit, instar boni patrisfamilias, qui mane suos famulos instruit, et dirigit ad opus diurnum.

EO QUOD PARCERET (id est quod parcere cuperet et summe optaret) POPULO ; — sed cum is monita Dei sperneret, ei non pepercit, et Chaldæis vastandum tradidit.

16. ET ESSET NULLA CURATIO, — *q. d.* Et nulla esset spes curationis et emendationis vitæ, eo quod Judæi in idololatria et sceleribus suis essent obfirmati.

21. ET CELEBRARET TERRA SABBATA SUA, — id est feriaretur et quiesceret ab oratione, qua colaatur, occatur, seritur, metitur, etc. quibus terra agitari, et quasi vexari solet.

CUNCTIS ENIM DIEBUS DESOLATIONIS EGIT SABBATUM, — id est inculta quievit, agens quasi sabbati otium. Notant Hebræi Judæos violasse festum sabbati, illudque profanasse operibus servilibus et illicitis, ideoque Deum in pœnam eos e Judæa abduxisse, ut ipsa ageret sabbatum sibi a Judæis negatum per 70 annos.

USQUE DUM COMPLERENTUR SEPTUAGINTA ANNI. — Cur fuere captivitatis Judæorum in Babylone anni 70, non 80, non 90, non centum ? Camain dat Theodoretus, *Lexit.* cap. XXVI, 34, ad illa : « Placebunt terræ sabbata sua cunctis diebus solitudinis suæ, eo quod non requieverit in sabbatis vestris, quando habitabatis in ea. » Sic enim ait : « Septuaginta annos servierunt in Babylone ; atqui a regno Saulis usque ad captivitatem numerantur anni 490, quorum septimam partem faciunt septuaginta. Hoc ergo volt dicere : Septuaginta annos terra manebit inculta, et non seminata, vobis terram alienam incolentibus, propterea quod una cum reliquis etiam sabbatis præceptum transgressi estis, » *q. d.* Terra Judææ juxta legem septimo anno arari non poterat, sed quiescebat et suum agebat « sabbatum, » id est otium et quietem, quam quia vos (multi vestrum, o Judæi, ei utentibus ex avaritia, septimo anno eam arantes ut fructus meteretis, idcirco Deus quietem ei debitam restituet in 70 annis captivitatis vestræ, quibus illa colonis suis destituta, quiescat : 70 enim sabbata ei ademistis, totidem ergo ei reddet Deus. Nam in 490 annis qui ab initio regni Saulis (si ei demus annos viginti, ac alios viginti Samueli, qui juncti faciunt 40, de quibus *Actor.* XIII, 21), usque ad ultimum annum Sedeciæ duxerunt, pariter fluxerunt 70 sabbata terræ : hæc enim septimo

Anni captivitatis cur 70 ? Respon. Prima.

quolibet anno suum ex lege exigebat sabbatum. Septimus enim annus in 490 annis recurrit septuagies : multiplica enim 70 per 7, invenies 490. Eadem causa hic insinuatur dum dicitur : « Et celebraret terra sabbata sua : cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum usque dum complerentur 70 anni. »

Rursum, Hebræi per sua scelera varia et multa contaminarunt Judæam, quæ erat terra sancta per 490 annos : unde Deus totidem annos pœnitentiæ et captivitatis potuisset eis injungere ; sed noluit, et pœnam imminuit ; ut e septem annis unum tantum pœnitentiæ eis assignaret, quo pariter terra sabbatizaret : quare dedit eis annos 70 captivitatis : hi enim septies in 490 continentur, ut his 70 annis terra quiescens et quasi sabbatum agens, a sceleribus 490 annorum ibi ea a Judæis commissis expiretur, et præsertim ab idololatria, quæ in ea diu, sed per 70 annos acrius et ardentius viguit.

Alia causa litteralis fuit, quod Chaldæorum monarchia duraret per 70 annos ; Chaldæi autem Judæorum fuere hostes et flagella Dei qui eos in Babylonem abduxerunt, ibique toto tempore monarchiæ suæ detinuerunt : quo finito in anno 70, suscitavit Cyrus Chaldæorum hostis et Judæorum amicus, qui Chaldæos evertit, et monarchiam ad Persas transtulit, ideoque Judæos e Babylone liberavit. Rursum hi 70 anni desolationis respondent 70 hebdomadibus Danielis cap. IX, quibus exactis venturus erat Christus, cujus typus fuerat Cyrus, qui eos a servitute peccati et diaboli liberaret, ac Jerusalem cœlesti restitueret.

Quarta potissima causa. Prima et potissima causa fuit Dei ita decernentis voluntas, et judiciorum ejus profunditum abyssus. Hanc causam dat *Esdras*, lib. IV, cap. III, ubi narrat se anno trigesimo desolationis Jerusalem in Babylone coram Deo questum esse, quare tamdiu Judæos fideles suos in Babylone captivos detineret, et inter alia se Deo dixisse vers. 27 : « Tradidisti civitatem tuam in manibus inimicorum tuorum. Numquid meliora faciunt qui habitant Babylonem, et propter hoc dominabitur Sion. » Et rursum : « Factum est cum venissem huc, et vidissem impietates quarum non est numerus, et delinquentes multos vidit anima mea hoc 30 anno. » Ac Urielem Angelum ei respondisse cap. IV, dixisseque : « Vade, pondera mihi ignis pondus, ac mensura mihi flatum venti, aut revoca mihi diem quæ præterlit. » Quod cum Esdras fieri non posse diceret, urget Angelus : « Si, inquit, interrogarem te quantæ sunt habitationes in corde maris, aut venæ in principio abyssi, » unde scilicet aquæ indesinenter scaturiunt, vel venæ pluviarum in cœlo, « aut qui sunt exitus paradisi, diceres mihi fortassis : In abyssum non descendi, neque in infernum adhuc, neque in cœlum unquam ascendi. Nunc autem non interrogavi te nisi de igne, et vento et die per quem transisti, et a quibus separari non potes, et non respondisti mihi de eis, et quomodo potaris capere Altissimi vias? »

Tropologica causa fuit, quam dat S. Hieronymus, *Jerem.* XXIX, 10, quod septuagenarius numerus sit symbolum pœnitentiæ, quam tota hac vita agere debemus, ut ad cœlestem gloriam perveniamus. Nam, ut dicitur *Psalm.* LXXXIX : « Dies annorum nostrorum in ipsis 70, anni. » Hinc et Ecclesia a Septuagesima commemorando lapsum Adami et posterorum, inchoat tempus luctus et pœnitentiæ. Denique voluit Deus per 70 annos, omnes senes Judæorum vitiis suis assuetos et in iis inveteratos emori, ac novam sobolem succrescere, quam per Esdram, Danielem, Jesum, Zorobabel, et alios in pietate et vero Dei cultu efformatam in terram sanctam reduceret, ut dixi *Jerem.* XXIX, 10. Tropologica.

22. ANNO AUTEM PRIMO CYRI. — Hæc ad verbum repetuntur libro sequenti Esdræ initio primi capitis, ubi ea quasi suo loco explicabo. Hinc colligunt Interpretes Esdram esse lib. *Paralipomenon* auctorem. Ejus enim finis idem plane est cum principio Esdræ.

PROEMIUM

IN SECUNDUM

HISTORIALIUM SACRÆ SCRIPTURÆ TOMUM.

Post libros Josue, Judicum, Ruth, Regum, et Paralipomenon priore opere expositos, pergo ad alterum Historialium Sacræ Scripturæ Codicum tomum, qui complectitur libros Esdræ, Nehemiæ, Tobiæ, Judith, Esther et Machabæorum.

Esdras sacerdos, propheta, scriba et doctor, totiusque Scripturæ sacræ vel deperditæ in vastitate Babylonica ex memoria dictator et restaurator, ut multi sentiunt ; vel ut verius alii, vitiatæ corrector, et elegantiori charactere Hebræo, quo nunc utimur, descriptor, cum Nehemia sacerdote, Heleiæ filio, et Artaxerxis Persarum regis pincerna, reducem e captivitate populum numerans et templi et murorum restaurationem consignans et perficiens : « Omnisque illa turba populi redeuntis in patriam (ait S. Hieronymus) et descriptio Sacerdotum, Levitarum Israelis, Proselytorum aliud in cortice proferunt, aliud in medulla retinent ; » scilicet allegorice significant in stitutionem Ecclesiæ novæ, veteri Synagoga abolita ; tropologice mystiæ Ecclesiæ, et templi in anima per peccatum violati et dejecti, per gratiam, pœnitentiam, omnisque virtutis officia, reparationem, anagogice constructionem novæ illius et cœlestis Jerusalem, quam vivis coloribus depingit S. Joannes, Apoc. XXI.

Tobias vitæ conjugalis speculum, maritum, conjugem, filium, sui quemque muneris admonet et erudit. Ad hæc quomodo in exilio et adversis retinenda sit pietas et charitas, quæ Angelorum natura, quæ species, quæ partes, quæ vita et sollicita custodia edocet.

Judith viduarum typus, viduis castitatis poculum propinat, quæ sapientissima fortitudine pudicitiæ gratiam, et ab hostibus victoriam velut abstinentiæ præmium tulit : quæ, ut ait Ambrosius de viduis, nec cibo maculata, nec adulterio, non minus servatæ continentiæ ex hostibus revexit trophæum, quam patriæ libertate ; et ex sobrietate casta, manu quidem solum Holophernem vicit, sed consilio omnium aliorum ebriorum ejus stravit exercitum. Tanti dux femina facti.

Esther uxoris castæ, modestæ, religiosæ et sapientis erga infidelem maritum et regem, piæ vero et industriæ in suos cives omnes numeros explet, et in Ecclesiæ typo (verbis utor S. Hieronymi) populum liberat de periculo, et interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes convivii, et diem celebrem mittit in posteros.

Machabæi fortitudine bellica, æque ac pietate et zelo excellunt, atque pauci numero ardenti prece Deum invocantes, ingentes hostium profligant exercitus, et divinæ victoriæ trophæa figunt æternitati.

Hæc singulorum argumenta in principio obiter quasi in synopsi collecta, o lector, accipe quæ suius suis quibusque locis explicabo.

Porro ex hisce libris protocanonici sunt Esdras et Nehemias, utpote qui semper tam ab Hebræis quam a Christianis habiti sint Canonici : Tobias vero, Judith, Esther et Machabæorum libri duo sunt Deuterocanonici, sive secundi ordinis et gradus, utpote de quorum auctoritate olim a nonnullis fuit dubitatum, postea tamen ab Ecclesia in Canonem librorum S. Scripturæ sunt relati.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quolibet anno suum ex lege exigebat sabbatum. Septimus enim annus in 490 annis recurrit septuagies : multiplica enim 70 per 7, invenies 490. Eadem causa hic insinuatur dum dicitur : « Et celebraret terra sabbata sua : cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum usque dum complerentur 70 anni. »

Rursum, Hebræi per sua scelera varia et multa contaminarunt Judæam, quæ erat terra sancta per 490 annos : unde Deus totidem annos pœnitentiæ et captivitatis potuisset eis injungere ; sed noluit, et pœnam imminuit ; ut e septem annis unum tantum pœnitentiæ eis assignaret, quo pariter terra sabbatizaret : quare dedit eis annos 70 captivitatis : hi enim septies in 490 continentur, ut his 70 annis terra quiescens et quasi sabbatum agens, a sceleribus 490 annorum ibi ea a Judæis commissis expiretur, et præsertim ab idololatria, quæ in ea diu, sed per 70 annos acrius et ardentius viguit.

Alia causa litteralis fuit, quod Chaldæorum monarchia duraret per 70 annos ; Chaldæi autem Judæorum fuere hostes et flagella Dei qui eos in Babylonem abduxerunt, ibique toto tempore monarchiæ suæ detinuerunt : quo finito in anno 70, suscitavit Cyrus Chaldæorum hostis et Judæorum amicus, qui Chaldæos evertit, et monarchiam ad Persas transtulit, ideoque Judæos e Babylone liberavit. Rursum hi 70 anni desolationis respondent 70 hebdomadibus Danielis cap. IX, quibus exactis venturus erat Christus, cujus typus fuerat Cyrus, qui eos a servitute peccati et diaboli liberaret, ac Jerusalem cœlesti restitueret.

Quarta potissima causa. Prima et potissima causa fuit Dei ita decernentis voluntas, et judiciorum ejus profunditum abyssus. Hanc causam dat *Esdras*, lib. IV, cap. III, ubi narrat se anno trigesimo desolationis Jerusalem in Babylone coram Deo questum esse, quare tamdiu Judæos fideles suos in Babylone captivos detineret, et inter alia se Deo dixisse vers. 27 : « Tradidisti civitatem tuam in manibus inimicorum tuorum. Numquid meliora faciunt qui habitant Babylonem, et propter hoc dominabitur Sion. » Et rursum : « Factum est cum venissem huc, et vidissem impietates quarum non est numerus, et delinquentes multos vidit anima mea hoc 30 anno. » Ac Urielem Angelum ei respondisse cap. IV, dixisseque : « Vade, pondera mihi ignis pondus, ac mensura mihi flatum venti, aut revoca mihi diem quæ præterlit. » Quod cum Esdras fieri non posse diceret, urget Angelus : « Si, inquit, interrogarem te quantæ sunt habitationes in corde maris, aut venæ in principio abyssi, » unde scilicet aquæ indesinenter scaturiunt, vel venæ pluviarum in cœlo, « aut qui sunt exitus paradisi, diceres mihi fortassis : In abyssum non descendi, neque in infernum adhuc, neque in cœlum unquam ascendi. Nunc autem non interrogavi te nisi de igne, et vento et die per quem transisti, et a quibus separari non potes, et non respondisti mihi de eis, et quomodo potaris capere Altissimi vias? »

Tropologica causa fuit, quam dat S. Hieronymus, *Jerem.* XXIX, 10, quod septuagenarius numerus sit symbolum pœnitentiæ, quam tota hac vita agere debemus, ut ad cœlestem gloriam perveniamus. Nam, ut dicitur *Psalm.* LXXXIX : « Dies annorum nostrorum in ipsis 70, anni. » Hinc et Ecclesia a Septuagesima commemorando lapsum Adami et posterorum, inchoat tempus luctus et pœnitentiæ. Denique voluit Deus per 70 annos, omnes senes Judæorum vitiis suis assuetos et in iis inveteratos emori, ac novam sobolem succrescere, quam per Esdram, Danielem, Jesum, Zorobabel, et alios in pietate et vero Dei cultu efformatam in terram sanctam reduceret, ut dixi *Jerem.* XXIX, 10. Tropologica.

22. ANNO AUTEM PRIMO CYRI. — Hæc ad verbum repetuntur libro sequenti Esdræ initio primi capitis, ubi ea quasi suo loco explicabo. Hinc colligunt Interpretes Esdram esse lib. *Paralipomenon* auctorem. Ejus enim finis idem plane est cum principio Esdræ.

PROEMIUM

IN SECUNDUM

HISTORIALIUM SACRÆ SCRIPTURÆ TOMUM.

Post libros Josue, Judicum, Ruth, Regum, et Paralipomenon priore opere expositos, pergo ad alterum Historialium Sacræ Scripturæ Codicum tomum, qui complectitur libros Esdræ, Nehemiæ, Tobiæ, Judith, Esther et Machabæorum.

Esdras sacerdos, propheta, scriba et doctor, totiusque Scripturæ sacræ vel deperditæ in vastitate Babylonica ex memoria dictator et restaurator, ut multi sentiunt ; vel ut verius alii, vitiatæ corrector, et elegantiori charactere Hebræo, quo nunc utimur, descriptor, cum Nehemia sacerdote, Heleiæ filio, et Artaxerxis Persarum regis pincerna, reducem e captivitate populum numerans et templi et murorum restaurationem consignans et perficiens : « Omnisque illa turba populi redeuntis in patriam (ait S. Hieronymus) et descriptio Sacerdotum, Levitarum Israelis, Proselytorum aliud in cortice proferunt, aliud in medulla retinent ; » scilicet allegorice significant in stitutionem Ecclesiæ novæ, veteri Synagoga abolita ; tropologice mystiæ Ecclesiæ, et templi in anima per peccatum violati et dejecti, per gratiam, pœnitentiam, omnisque virtutis officia, reparationem, anagogice constructionem novæ illius et cœlestis Jerusalem, quam vivis coloribus depingit S. Joannes, Apoc. XXI.

Tobias vitæ conjugalis speculum, maritum, conjugem, filium, sui quemque muneris admonet et erudit. Ad hæc quomodo in exilio et adversis retinenda sit pietas et charitas, quæ Angelorum natura, quæ species, quæ partes, quæ vita et sollicita custodia edocet.

Judith viduarum typus, viduis castitatis poculum propinat, quæ sapientissima fortitudine pudicitiæ gratiam, et ab hostibus victoriam velut abstinentiæ præmium tulit : quæ, ut ait Ambrosius de viduis, nec cibo maculata, nec adulterio, non minus servatæ continentiæ ex hostibus revexit trophæum, quam patriæ libertate ; et ex sobrietate casta, manu quidem solum Holophernem vicit, sed consilio omnium aliorum ebriorum ejus stravit exercitum. Tanti dux femina facti.

Esther uxoris castæ, modestæ, religiosæ et sapientis erga infidelem maritum et regem, piæ vero et industriæ in suos cives omnes numeros explet, et in Ecclesiæ typo (verbis utor S. Hieronymi) populum liberat de periculo, et interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes convivii, et diem celebrem mittit in posteros.

Machabæi fortitudine bellica, æque ac pietate et zelo excellunt, atque pauci numero ardenti prece Deum invocantes, ingentes hostium profligant exercitus, et divinæ victoriæ trophæa figunt æternitati.

Hæc singulorum argumenta in principio obiter quasi in synopsi collecta, o lector, accipe quæ suius suis quibusque locis explicabo.

Porro ex hisce libris protocanonici sunt Esdras et Nehemias, utpote qui semper tam ab Hebræis quam a Christianis habiti sint Canonici : Tobias vero, Judith, Esther et Machabæorum libri duo sunt Deuterocanonici, sive secundi ordinis et gradus, utpote de quorum auctoritate olim a nonnullis fuit dubitatum, postea tamen ab Ecclesia in Canonem librorum S. Scripturæ sunt relati.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

COMMENTARIA

IN

ESDRAM ET NEHEMIAM.

PROLOGUS ET ARGUMENTUM.

Esdras et Nehemias, ait S. Hieronymus epist. *ad Pammach.*, quæ Bibliis præfigitur, adjutor videlicet et consolator a Domino in unum volumen coarctantur; instaurant templum, muros extruunt civitatis, omnisque illa turba populi redeuntis in patriam, et descriptio Sacerdotum, Levitarum Israelis, Proselytorum, ac per singulas familias munerum ac tarrium opera divisa, aliud in cortice præterunt, aliud retinent in medulla.

Ubi nota : duplex fuit captivitas Hebræorum. Prior Israelis sive decem tribuum, quæ a Salmanassar abductæ sunt in Assyriam, fuitque perpetua; de qua IV *Reg.* XVII, et *Tobiæ* I, vers. 1. Altera, quæ gelore fuit posterior annis 134, qua reliquæ duæ tribus Juda et Benjamin a Nabuchodonosore ductæ sunt in Babylonem, IV *Reg.* ult. De hujus secundæ ex Babylone post 70 captivitatis annos in Jerusalem reductione hic agitur, ut ita pertexatur continuo quasi filo historia gentis Judaicæ æque ac Synagogæ, sive Ecclesiæ Dei.

Primus et secundus *Esdræ* sunt Scriptura canonica, nec de eorum fide dubitavit quisquam. Exstant enim Hebraice, suntque in canone Hebræorum; tertius vero et quartus sunt apocryphi, ut suo loco dicam (1).

Auctor libri primi est Esdras, secundi Nehemias, ut patet ex utriusque titulo, æque ac narrationis decursu (2). Dicitur tamen Liber Nehemiæ, Esdræ secundus, partim quod contineat ea quæ simul ab Esdra et Nehemia gesta sunt; partim quod olim apud Hebræos et Græcos Nehemias et Esdras unus tantum erant liber. Ita Sixtus Senensis et Bellarminus, *De Script. Eccles. in Nehemia*, et S. Hieronymus, *epist.* citata, Lyranus, Dionysius et alii; licet S. Athanasius *in Synopsi*, et Isidorus, lib. VI *Etymol.* cap. II, tam secundum, quam primum librum censeant scriptum ab Esdra.

Quæres *primo* : Quis fuit Esdras? Respondeo, fuisse filium Saraiæ summi Pontificis, qui in excidio Jerusalem cum aliis primoribus occisus est a Nabuchodonosor, anno undecimo Sedeciæ, IV *Reg.* XXV, 18 et 21. Id ita esse patet ex cap. VII, vers. 1, ubi Esdras suam genealogium recensens ait : « Esdras filius Saraiæ, filii Azariæ (qui fuit Pontifex sub Ozia rege Juda, ut patet II *Paral.* XXVI, 20,) filii Helcia, filii Sallum, filii Sadoc, » etc. Qui omnes recensentur in catalogo Pontificum II *Paral.* VI, 12 et 14, ubi et additur : « Saraias genuit Josedec. Porro Josedec egressus est, quando transtulit Dominus Judam et Jerusalem per manus Nabuchodonosor. » Unde sequitur Esdram, ex eodem patre Saraia genitum, fuisse fratrem Josedec, qui fuit Pontifex in captivitate, cui successit filius Jesus Pontifex pariter, qui cum Zorobabel duce Judæos e Babylone reduxit in Jerusalem. Imo Hebræi apud S. Hieronymum *in Tradit.* in lib. *Paralip.* et Sixtus, lib. I *Bibliath. in Esdra*, putant Esdram eumdem esse cum Josedec (habuisse enim duo nomina) ideoque fuisse Pontificem. Unde et lib. III *Esdræ*, cap. ultim. pleno et absoluto jure Pontificio in dirimendis matrimoniis Israelitarum, etiam Sacerdotum cum uxoribus alienigenis, uti videtur. Verum hoc dici nequit; nam si Esdras fuit Josedec Pontifex, ergo Jesus filius Josedec in Babylone non fuit Pontifex; vivebat enim tum Esdras. Dicendum ergo Josedec fuisse fratrem seniorem Esdræ, ideoque Pontificem, cui in Babylone mortuo successit filius Jesus, qui proinde quasi Pontifex cum Zorobabel populum e Babylone reduxit. Hoc enim non fecisset Jesus, sed Esdras, si ipse fuisset Josedec Pontifex.

Esdras non fuit Malachias.

Rupertus et alii opinantur Esdram fuisse Malachiam Prophetam, quorum rationes fuse recensui et confutavi prooemio in *Malachiam*. Vixit tamen Esdras cum Malachia, et idem pene cum eo argumentum tractat : quæ fuit occasio suspicandi fuisse unum eumdemque.

Quæres secundo an Esdras fuerit propheta? Videtur negare S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* cap. XXXVI, dicens : « Esdras magis rerum gestarum scriptor est habitus, quam propheta. »

Fuit propheta.

Verum dico Esdram non tantum fuisse historiographum, æque ac scribam, sive legis doctorem, sed et prophetam. Patet, quia instinctu divino scripsit hunc librum quasi Canonicam Scripturam, ac, ut multi volunt, libros *Paralipomenon*, et cap. XXXVI *Genesos*, ac caput ultimum *Deuteronomii*; hoc enim continet mortem Mosis, quam ipse Moses, utpote jam mortuus, scribere non potuit, imo S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* cap. XXXVI, etc., S. Isidorus, libro VI *Etym.* cap. II, censent Esdram quoque auctorem esse libri *Esther*. Porro non minus, imo majus prophetiæ donum est, libros sacros ex Deo conscribere, quam futura præsicere. Denique Esdras toto hoc libro narrat Judæos jussu Cyri e Babylone in Jerusalem redeuntes cepisse restaurare urbem cum templo, sed adversariorum calumniis impeditos, coactos desistere.

An Esdras S. Scripturam restaurarit.

Quæres *tertio*, an Esdras restaurarit S. Scripturam? Multi censent libros omnes Veteris Testamenti a Chaldæis cum Templo fuisse exustos : ac ab Esdra ex memoria potius divina, quam humana restauratos. Id enim fuse narrare videtur lib. IV *Esdræ* cap. XIV, qui liber a S. Augustino, Cypriano, Athanasio, Clemente Alexandrino et aliis subinde citatur quasi canonicus. Unde ex libro hoc hanc sententiam hausere Tertullianus, lib. *De habitu muliebri*, cap. VIII : « Jerosolymis, inquit, Babylonica expugnatione deletis omne instrumentum Judaicæ litteraturæ per Esdram constat restauratum. » D. Irenæus, lib. III, cap. XXV, ubi de miraculoso consensu Septuaginta interpretum : « Non est mirabile, inquit, Deum hoc in vis operatum, quando in ea captivitate populi, quæ facta est a Nabuchodonosor, corruptis Scripturis, et post 70 annos Judæis descendentibus in regionem suam, deinde temporibus Artaxerxis regis Persarum inspiravit Esdræ sacerdoti tribus Levi præteritorum Prophetarum omnes rememorare sermones, et restituere populo eam legem quæ data esset per Moysem. » Idem iisdem verbis asserit Eusebius, lib. V *Histor.* cap. VIII, S. Hieronymus, *Contra Helvidium* : « Sive, inquit, Moysem dicere volueris auctorem Pentateuchi, sive Esdram ejusdem instauratorem operis, non recuso. » Clemens Alexandrinus, lib. I *Strom.* : « Zorobabel, ait, cum adversarios vicisset sapientia, emit a Dario renovationem Jerusalem, et cum Esdra redit in patriam, per quem facta est populi redemptio : et divinitus inspiratorum eloquiorum recensio et renovatio. »

Nemini placuit.

S. Basilius, epist. *ad Chilonem* : « Esdras, ait, omnes divinos libros ex mandato Dei eructavit. » Idem habet Theodoretus, præfat. *in Psalmos*, Isidorus, libro VI *Etymol.* cap. III, Rabanus, libro *De Instit. Cler.* cap. LIV, Leontius, qui clarius id narrat lib. *Contra sectas*, actione 2, in fine (exstat tom. IV *Biblioth. SS. Patrum*). « Hunc rediturn, inquit, descripsit Esdras, qui cum Jerosolymam venisset, omnesque libros id temporis, quo in captivitatem abducti fuerant, reperisset exustos, ex memoria depromptos illos 22 libros, quos supra recensuimus, in litteras retulisse perhibetur. »

Idem probat Leo Castrius præfat. in *Isaiam*. IV, scilicet Esdram libros legis ex memoria restaurasse. Nec hoc mirum. Mirabilius est quod de S. Antonio Palavino legimus, eum totam S. Scripturam callluisse, adeo ut a Pontifice « Arca Testamenti » sit cognominatus. « Ita enim utriusque instrumenti paginas memoria plane affixas habebat, ut instar Esdræ potuerit, si sic res postulasset, omnes integros divinas litteras in integrum da sua memoria, etiam codicibus omnibus prorsus abolitis, restituere, » ait Auctor vitæ ejus.

Verum etsi hæc sententia ob tantam Patrum auctoritatem videatur probabilis, longe tamen probabilior, et ex ratione certa est sententia contraria, scilicet nec libros omnes sacros a Chaldæis exustos, nec ab Esdra ex memoria restitutos.

Probatur *primo*, quia Chaldæos exussisse hos libros nusquam legimus : et esto exussissent omnes qui erant Jerosolymæ (quod est incredibile), tamen exurere non potuerunt eos qui per totam Judæam, imo per totum orbem manibus Judæorum, præsertim scribarum et Rabbinorum, assidue terebantur, ac in Synagogis legebantur. Prob. Prima.

Secundo, quia Daniel, cap. IX, ait se anno primo Darii intellexisse numerum septuaginta annorum, de quibus scripserat Jeremias Propheta. Habebat ergo Prophetiam *Jeremiæ* ac cæterorum Prophetarum, eamque legitimam. Secunda.

Tertio, quia Prophetiam *Isaiæ*, cap. XLV, de Cyro ostensum fuisse a Judæis, ideoque illum sub benevolum redditi-se, testis est Josephus, lib. XI, cap. I : « Hoc, inquit, Cyrus cognovit ex lectione libri, qui Isaiæ Prophetias continet, ducentis et decem annis ante ipsius ætatem conscriptas. » Tertio.

Ad librum IV *Esdræ* respondeo illum esse apocryphum. Adde quod illo libro nihil dicitur de sacris libris Mosis aut Prophetarum restauratis, sed tantum per 40 dies a quinque viris ducentos et quatuor libros fuisse descriptos, quorum septuaginta servandi essent et tradendi sapientibus, reliqui autem palam proponendi, ut a dignis et indignis legerentur; quæ cum libris de quibus agimus nihil habent commune. Plura vide apud Bellarminum, tomo I, lib. II, cap. I, et Pererium, præfatione *in Genesim*, cap. VII.

(1) Inter manuscripta maximi pretii quæ doctissimus viator Ruppel e Germania orundus, nuper ex Abyssinia retulit (1834), duo novi libri Esdræ dicti haveniuntur.

(2) Esdram esse auctorem libri primi probari adhuc potest, tum omnium fere interpretum sive antiquorum, sive recentiorum consensu; tum scribendi ratione quæ optime congruit tempori quo vixit Esdras; et revera dicendi forma longe dissimilis Pentateuchi stylo, multo tamen expurgatior quam in Ezechiele, quod non potest supponi in auctore qui, ut volunt Spinosa, de Wette et Bertholdi vixisset tempore quo veteri lingua hebraica absolute relicta, Judæi fere omnes utebantur sermone Chaldaico, valde incorrecto et locutionibus obsoletis referto.

Esdras digessit et correxit S. Scriptu-ram.

Ad Patres respondeo, plerosque non aliud voluisse, quam Esdram libros sacros indigestos in rectum ordinem digessisse, et in lectiones (quæ Hebraice פרשיות *Perasioth* vocant, et successive in Synagogis legunt) divisisse : Ad hæc, errata, quæ vitio descriptorum multa irrepserant, correxisse, librosque pristinæ puritati et nitori restituisse, idque scientia non tam acquisita, quam cœlitus infusa. Unde *Esdræ* cap. VIII, 8, Septuaginta aiunt Esdram legisse ea quæ in illis libris scripta erant, *in scientia Domini*, id est, per scientiam a Deo infusam.

Denique Esdras, quæ in libris singulis deerant, supplevit. Unde multi censent eum assistente Spiritu Sancto Mosi addidisse cap. XXXIV *Deuter.* eoque Mosis mortem et sepulturam descripsisse ; idem fecisse *Josuæ*, cap. ult., ac *Jeremiæ*, cap. ult., ubi regnum Evilmerodach et exaltatio Jechoniæ narratur : hanc enim scribere nequivit Jeremias, utpote jam mortuus. Simili modo videtur supplevisse finem Tobiæ et Judith ; liber enim Judith scriptus putatur a Joachim Pontifice qui ante Judith vita functus est. Sic Esdras addidisse videtur, a se usque ad præsentem diem, ubicumque id dicitur, quod toties inscribit et iterat; ita Salianus anno mundi 3621, num. 10, et licita, lib. II *Alleg. in Esdram.*

Addunt S. Hieronymus in *Prologo Galeato;* et Eusebius in *Chron.* anno mundi 4740, Esdram invenisse novas litteras Hebraicas, quibus etiamnum utimur, et priscas reliquisse Samaritanis, ut Judæi nullum cum eis, ne litterarum quidem, haberent commercium.

Addunt alii, puncta (quæ Hebræis sunt loco vocalium) ab Esdra fuisse inventa, sed errant : hæc enim non fuere tempore Septuaginta Interpretum, qui Esdra ducentis annis fuere posteriores, nec tempore S. Hieronymi qui nongentis : sed paulo post eum a Rabbinis adinventa sunt in Tiberiade urbe Galilææ, post Christum natum anno 476, ut ex Elia in Massareth docet Genebrardus sub annum mundi 4573.

Quæres *quarto*, quo tempore historia Esdræ et Nehemiæ contigerit? Respondeo, eo tempore quo, finitis 70 annis captivitatis, Judæi e Babylone per Cyrum liberati fuere. Liber Esdræ ergo continet ea quæ circa hanc liberationem contigere ab anno primo monarchiæ Cyri usque ad annum septimum Artaxerxis regis, quo Esdras e Babylone cum aliis Sacerdotibus et Levitis rediit in Jerusalem, ut patet cap. VII, quod est spatium 73 annorum. Liber vero Nehemiæ ræedificationem urbis Jerosolymæ ab anno 7 usque ad annum 32 ejusdem Artaxerxis, ut patet cap. XIII, 6, quod est spatium 25 annorum. Hinc duo hi libri scripti sunt Hebraice, sed immixtis multis vocibus Chaldaicis. Hebræi enim in Babylone linguam Hebraicam corruperunt, et cum Chaldæa commiscuerunt. Epistolas quoque regum Babylonis eadem lingua qua ab eis scriptæ fuere, scilicet Chaldæa, recenset cap. IV, V, VI, VII ; qua de causa Daniel quoque suum librum partim Hebraice, partim Chaldaice conscripsit.

Hinc liquet Esdram valde longævum fuisse, et vitam prorogasse ad 132 annos. Vixit enim usque ad annum septimum Artaxerxis, ut patet cap. VII, vers. 8. Nam cum pater ejus Saraias occisus sit anno undecimo Sedeciæ, necesse est ut ipse eodem saltem anno jam fuerit natus, vel posthumus. Porro ab undecimo Sedeciæ ad primum Cyri fluxere 60 anni. His adde tres annos Cyri, sex Cambysis, 36 Darii Hystaspis, 27 Artaxerxis, habebis annos 132, quot necesse est vixisse Esdram, ac forte pluribus vixit. Nescimus enim quousque postea vitam prorogarit, nescimus etiam quoto anno ante mortem patris sit natus.

Esdræ et Nehemiæ synchroni et cœvi fuere e Prophetis Jeremias, Baruch, Daniel, Aggæus, Zacharias, Malachias; e stirpe regia, Jechonias, Salathiel et Zorobabel; e Pontificibus Saraias pater Esdræ, Josedec ejusdem frater, et Jesus nepos. Hoc tempore collecta fuit Synagoga sive Synodus magna, in qua editus fuit Canon librorum sacræ Scripturæ, cui præsederunt Esdras, Nehemias, Daniel, Mardochæus, Zorobabel et Jesus filius Josedec, in qua pariter actum est de libris sacræ Scripturæ emendandis, ac in suas sectiones et capita dividendis, cujus rei cura data fuit Esdræ. Ita tradunt Hebræi.

Tempore Esdræ floruit monarchia Chaldæorum sub Nabuchodonosor, Evilmerodach, Baltassar : in Media regnarunt Cyriaxares et Astyages : in Perside Cyrus, Cambyses, Darius, Xerxes et Artaxerxes. Romæ, expulsis regibus, surrogati sunt primi consules, Junius Brutus et Lucius Collatinus. In Græcia floruere Historici, Poetæ et Philosophi, Herodotus, Pindarus, Simonides, Anacreon, Aristoxenes, Archilochus, Alcæus, Sappho, Arion, Sophocles, Euripides, Parmenides, Empedocles, Socrates, atque e Sybillis Cumana et Hellespontica. Ita Eusebius, Torniellus, Genebrardus, Salianus et alii.

Porro quia crebra in hisce libris, æque ac in lib. *Judith et Esther*, mentio facienda est regum Persarum, ad quos monarchia a Cyro, capta Babylone, translata fuit; hinc eorum seriem et annos hic subjungam : magnam enim lucem libris his affert.

SERIES PRISCORUM REGUM PERSARUM.

Primus fuit Cyrus, Astyagis regis Medorum ex filia Mandane nepos, ac filius Cambysis regis Persarum, ait Xenophon : qui triginta annos regnavit, sed tribus ultimis tantum fuit monarcha, quibus Judæos Babylone liberavit, ut monarcha ergo regnavit 3 annis.

Secundus, Cambyses Cyri filius, qui patre Cyro contra Scythas (ubi et periit) proficiscente, in Perside imperavit per biennium; mortuo vero patre regnavit 6 annis.

Hunc Esdras cap. IV, vocat Assuerum, ac vers. 7 et 8, Artaxerxem. Hic fabricam templi a Cyro permissam impedivit, cap. IV, vers. 23.

Tertius, Smerdes magus, regnavit 7 mensibus.

Quartus, Darius filius Hystaspis, hinnitu equi creatus rex, regnavit 36 annis.

Hic dedit Judæis facultatem perficiendi templi, *Esdræ* VI, 7. Nonnulli putant Darium hunc fuisse maritum Esther, quare historiam Mardochæi et Aman suspensi sub eo contigisse; sed in prooemio Esther idipsum examinabo.

Quintus fuit Xerxes, filius Darii, qui regnavit 20 annis.

Sub hoc multi putant contigisse historiam Judith : de quo ibidem agam.

Sextus fuit Artaxerxes manu una longiore cognominatus Longimanus, filius Xerxis, qui anno septimo regni Esdram, et anno 20 Nehemiam remisit ad restaurandam Jerusalem : unde ab eo incipiunt 70 hebdomades Danielis, cap. IX, quæ finiuntur in Christo. Hic regnavit 40 annis.

Septimus fuit Darius, filius Nothus Artaxerxis jam dicti. Hic regnavit 19 annis.

Octavus, Xerxes secundus, qui regnavit 2 mensibus.

Nonus, Sogdianus, qui regnavit 8 mensibus.

Decimus, Artaxerxes, cognomento Mnemon, id est memor, a memoriæ præstantia. Fuit hic Darii Nothi filius, et regnavit 43 annis.

Undecimus, Artaxerxes Ochus, 23 annis.

Duodecimus, Arses vel Arsames Ochi filius, 3 annis.

Decimus tertius, Darius Arsis filius, cognomento Codomannus, 6 annis.

Septimo enim anno regno et vita spoliatus fuit ab Alexandro Magno, qui monarchiam a Persis ad Græcos transtulit.

Regnarunt ergo hi reges in Perside per 227 annos, sed a monarchia Cyri ducentos duntaxat. Cyrus enim factus est monarcha anno 27 regni sui.

Allegorice in hac Judæorum liberatione per Cyrum significata fuit liberatio humani generis e captivitate diaboli facta per Christum : tropologice liberatio Christianorum ab Ethnicis oppressorum facta a Constantino, Theodosio, Carolo Magno, etc.; item liberatio animæ fidelis et pœnitentis, quæ in dies fit a viris Apostolicis. Vide Bedam tomo tertio, qui allegoriam tam in Esdram, quam in Nehemiam conscripsit.

Accipe nunc seriem Pontificum Judæorum, qui regibus jam dictis fuere cœvi et synchroni.

SERIES PONTIFICUM JUDÆORUM A CAPTIVITATE BABYLONICA AD ALEXANDRUM MAGNUM ET PTOLOMÆUM PHILADELPHUM.

1. Saraias, vel ut Josephus, Sareas, filius Azariæ Pontificis. Hunc, capta Jerosolyma, Nabuchodonosor occidit cum 70 Primoribus, lib. IV *Reg.* cap. ultim., vers. 18.

2. Josedec Saraiæ filius, translatus in Babylonem, illic Pontificem egit toto tempore captivitatis usque ad Cyrum, I *Paral.* VI, 15.

3. Josue vel Jesus, filius Josedec. Hic cum Zorobabele Judæos e Babylone in Jerusalem sub Cyro reduxit, et templum rædificavit, *Esdræ* III, 2.

4. Joacim, filius Josue, Pontificatum gessit sub Dario Hystaspis et Xerxe, *Nehem.* XII, 10.

5. Eliasib, filius Joacim, Pontifex fuit sub Artaxerxe Longimano, *Nehem.* III, 1, et cap. ult., vers. 4 et 6.

6. Joiada, filius Eliasib, Pontifex sub Dario Notho Longimani filio, *Nehem.* XII, 10.

7. Jonathan, filius Joiadæ, Pontifex sub Artaxerxe Mnemone Darii Nothi filio, *Nehem.* XII, 11.

8. Jeddoa vel Jaddo, filius Jonathan, *Nehem.* XII, 11. Hic occurrit Alexandro Magno, eumque Judæis offensum reconciliavit, teste Josepho, libro XI *Antiq.* in fine. Jaddi frater fuit Manasse, primus Pontifex Samaritanorum in monte Garizim. Vide Josephum, lib. XI *Antiq.* cap. VII.

9. Onias primus filius Jaddi, Pontifex sub Ptolomæo Lagi, primo post Alexandrum rege Ægypti, teste Josepho, Eusebio et aliis.

10. Simon Oniæ filius, cognomento justus, cujus elogia describit *Eccli.* cap. L.

11. Eleazarus Simonis frater et Oniæ filius. Hic misit 70 interpretes ad Ptolomæum Philadelphum secundum Ægypti regem : qui sacram Scripturam ex Hebræo in Græcum converterunt, teste Josepho, Aristea, Eusebio et aliis.

CAPUT PRIMUM

SYNOPSIS CAPITIS.

Cyrus Deum Israelis agnoscit, ideoque Judæis e Babylone in Judæam remigrandi dat facultatem, ac præfectis mandat ut eos in reædificanda urbe et templo, sua ope et opibus adjuvent; sacra vasa e templo a Chaldæis ablata restituit. Quare Judæi læti cum Levitis in patriam redeunt.

1. In anno primo Cyri regis Persarum, ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum: et traduxit vocem in omni regno suo, etiam per Scripturam, dicens: 2. Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, et ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa. 3. Quis est in vobis de universo populo ejus? Sit Deus illius eum ipso. Ascendat in Jerusalem, quæ est in Judæa, et ædificet domum Domini Dei Israel, ipse est Deus qui est in Jerusalem. 4. Et omnes reliqui in cunctis locis ubicumque habitant, adjuvent eum viri de loco suo, argento et auro, et substantia, et pecoribus, excepto quod voluntarie offerunt templo Dei, quod est in Jerusalem. 5. Et surrexerunt principes patrum de Juda et Benjamin et Sacerdotes, et Levitæ, et omnis cujus Deus suscitavit spiritum, ut ascenderent ad ædificandum templum Domini quod erat in Jerusalem. 6. Universique qui erant in circuitu, adjuverunt manus eorum in vasis argenteis et aureis, in substantia et jumentis, in supellectili, exceptis his quæ sponte obtulerant. 7. Rex quoque Cyrus protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Jerusalem, et posuerat ea in templo Dei sui. Protulit autem ea Cyrus rex Persarum per manum Mithridatis filii Gazabar, et annumeravit ea Sassabasar principi Juda. 9. Et hic est numerus eorum: phialæ aureæ triginta, phialæ argenteæ mille, cultri viginti novem, scyphi aurei triginta. 10. Scyphi argentei secundi quadringenti decem: vasa alia mille. 11. Omnia vasa aurea et argentea, quinque millia quadringenta: universa tulit Sassabasar, cum his qui ascendebant de transmigratione Babylonis in Jerusalem.

1. IN ANNO PRIMO CYRI REGIS PERSARUM, — quo scilicet Cyrus monarchiam a Chaldæis ad Persas transtulit. Fuit ergo hic Cyri annus primus non regni Persici, sive quo ipse primo creatus rex cœpit regnare in Perside, indeque triginta totos annos regnavit, uti volunt Eusebius et Africanus *in Chronico*, S. Hieronymus in cap. I *Zachar.*, Cornelius in *Daniel.* cap. V, et alii; sed fuit annus hic Cyri primus monarchiæ et regni Babylonici, quo scilicet ipse superato Baltasare, et capta eversaque Babylone, monarchiam a Chaldæis ad se et Persas transtulit. Non potuit enim Judæos eripere e Babylone, et Chaldæorum manibus, nisi ipse superatis et victis. Patet id clare ex verbis Cyri, vers. 2, dicentis: « Omnia regna terræ dedit mihi Dominus. » Unde III *Esdræ* VI, 17, dicitur: « In primo anno, regnante Cyro rege Babyloniæ, scripsit Cyrus rex domum hanc ædificare. » etc., licet enim Darius Medus, Cyri avunculus, dicatur capta Babylone successisse in ejus regnum, *Daniel.* cap. V, vers. ult., tamen Darius, utpote senex, totum regimen concessit nepoti suo Cyro, juveni animoso, ac eodem anno vita functus eidem totum cessit imperium. Quare Cyrus eodem anno primo monarchiæ suæ, qui fuit septuagesimus et ultimus captivitatis Judæorum in Babylone, imo eosdem liberavit.

Nota ex Herodoto, Justino, Eusebio, Josepho et aliis, Cyrum cœpisse regnare in Perside sola Olympiade 55; et inde universi regni ejus anni numerantur triginta: sensim vero ultra Persidem propagasse imperium, tandemque Babylonem expugnasse, et Chaldæorum monarchiam evertisse, sequæ fecisse monarchiam: ac tum solvit captivitatem Judæorum in Babylone, cum jam expleti essent 70 anni captivitatis de quibus vaticinatus erat *Jerem.* XXV et XXIX. Fecit hoc autem Cyrus anno 27 Persici sui regni, adeoque verisimilius est eum deinceps tres duntaxat annos, capta Babylone, monarcham regnasse; id enim docet Seder Olam, sive Chronicon Hebræorum, ac passim Hebræi, ac Lyranus *in Daniel*, Vatablus in cap. I *Daniel.* et alii, quin et Josephus, lib. XI *Antiq.* cap. II. Unde Daniel, summatim annos Cyri per ejus gesta pertexens, ultra tertium non progreditur.

Nec obstat Xenophon, lib. VIII *Cyropædiæ*, ubi septem annos tribuit principatui Cyri. Unde Bellarminus, Torniellus, Salianus et Ribera in *Zachar.* I, num. 33, putant Cyrum septem annos regnasse ut monarcham; quia illi libri a Xenophonte scripti sunt, non tam ad fidem historiæ, quam ad efformandam in Cyro veri principis effigiem. Rursum ille principatus Cyri septennis accipi posset a subjugata per eum non Babylone, sed Asia. Denique magis credendum est lib. III *Esdræ* cap. V, vers. ult., quam Xenophonti. Ibi enim sat expresse dicitur Cyrum per biennium tantum regnasse a cœpta reædificatione templi, quæ, ut patet hoc capite, facta est statim a soluta captivitate, scilicet anno secundo monarchiæ Cyri: hoc enim secundo anno cœpisse Judæos reædificare templum disserte docet Esdras hic, cap. III, vers. 8; ac cap. IV, vers. 6, narrat templi fabricam illico a Cuthæis fuisse impeditam omnibus diebus Cyri. Idem clarius docet Josephus, lib. XI, cap. II, ubi ait Cuthæos eam impedivisse, Cyro nesciente, utpote in aliis negotiis occupato, ac præsertim bello Massagetico, in quo et interiit. Unde et cap. III, narrat Esdras templi fabricam, a Cyro primo suæ monarchiæ anno concessam, per novem annos fuisse suspensam, scilicet per duos annos reliquos Cyri, et per sex quibus regnavit Cambyses ejus filius, cui successit Darius Hystaspis, qui anno secundo regni sui eamdem redintegravit. Non ergo septem annis supervixit Cyrus, uti opinantur nonnulli. Quomodo enim Cyrus, Judæis ita benevolus, per septem annos Cuthæorum objecta in templi fabrica impedimenta nescisset aut tulisset? Quomodo Judæi, ac præsertim Daniel, Cyrum per se aut per legatos de tota re non informassent? Denique Herodotus, Justinus, Berosus et alii scribunt Cyrum, post captam Babylonem, postremum bellum contra Lydos, qui rebellaverant, gessisse, ac demum Massagetico prælio occubuisse. Quæ omnia triennio fecisse Cyrum credibile est: erat enim ipse bellicosissimus, et quietis impatiens.

Cyri ætas. Primum. Secundum.

Quæres: Unde nomen suum accepit Cyrus? quidque significat? *Primo*, Strabo, lib. XV, Cyrum nomen accepisse putat a flumine *Cyro*. *Secundo*, Vinlalpandus, part. I *Appar.*, lib. III, cap. II, pag. 137, censet Cyrum dictum a *Cyno*, id est cane, qui eum fingitur nutrivisse, ut sit Cyrus quasi κυνός, id est *canicus*. Nam, ut narrat Herodotus in *Clio*, Astyages Cyri avus Cyrum infantem tradidit Harpago, ut eum exponeret et perderet, eo quod ex oraculo audisset ab eo sibi auferendum regnum. Harpagus tradidit eum Mithridati bubulco Astyagis, cujus uxor vocabatur Græca lingua *Cyno* (κύνω), id est canis, Medica, Spaco. Nam canem Medi *spaca* appellant. Unde Cyrus crescens commemorabat se ab uxore bubulci fuisse educatum, semper eam laudibus prosequens, ita ut in omni ejus sermone esset Cyno. Quod nomen accipientes ejus parentes, ut ab ejus educatore Perses filius fuisse servatus, divulgarunt a cane Cyrum, cum esset expositus, fuisse educatum. Unde hæc fabula emanavit. Hæc Herodotus. Hinc et Trogus Cyrum a cane educatum tradit. Verum non ait Herodotus a *Cyno* dictum esse Cyrum: et Cyrus Persicum videtur nomen, non Græcum. Unde Justinus, lib. I: « Nutrici, inquit, sparcon postea nomen fuit, quia canem Persæ sic vocant (eo quod in sylvis Cyrum a cane lactatum alendum sibi assumpsisset); puer deinde cum esset, inter pastores Cyri nomen accepit: » ubi nullam Cyno, quasi inde dictus sit Cyrus, mentionem facit. *Tertio*, Suidas in voce *Cyrus*: « Cyrus, ait, Græce est κύριος, id est Princeps, Rex, quod per lusum inter adolescentes regni auctoritatem (quod Græcis est κύριος) adeptus est. Darium Persæ vocarunt cauponem, ob tributa imposita; Cambysen, dominum; Cyrum, patrem. Nam ille quidem vendebat omnia: Cambyses sævus erat et temerarius; Cyrus clemens et populi commodorum studiosus. » Hæc Suidas, sed rursus ipse græcum Cyro dat etymon, non persicum. *Quarto* ergo et verius Plutarchus in Vita Artaxerxis Mnemonis: « Cyrus, inquit, Persico idem est quod sol; » hunc enim ut numen colebant Persæ, æque ac Cyrum monarcham suum: unde Jeremias Cyrum vocat liberatorem quasi solem Judæorum.

Cur Cyrus sive rex comparetur soli, apposite per octodecim analogias ostendi *Isaiæ* cap. XLI, vers. 1. Hinc ferunt Cyrum in somnis vidisse solem apud pedes suos adstantem, cumque eum Cyrus vellet apprehendere, solem aufugisse, idque tertio: rogati divini quidnam hoc portenderet, responderunt portendi Cyrum per triginta annos regnaturum. Cyrus ergo inter reges gentium interque Persas effulsit quasi sol, tum sapientia, tum justitia, tum temperantia, tum magnanimitate, tum liberalitate, adeoque « omnium regiarum virtutum fuit exemplum, » inquit Xenophon. Audi Ciceronem, lib. I *De Divin.* ex Dionysio Persico: « Cum dormienti ei (Cyro) sol ad pedes visus esset, ter eum scribit frustra appetivisse manibus, cum se convolvens sol elaberetur et abiret, ei magos dixisse (quod genus sapientum et doctorum habebatur in Persis) ex triplici appetitione solis, triginta annos Cyrum regnaturum esse, portendi; quod ita contigit. nam ad septuagesimum pervenit, cum quadraginta natus annos regnare cœpisset. »

Porro *Cyrus* Hebraice idem est quod *tanquam hæres* regnorum et opum Babylonis et mundi, a radice כרש *caras*, id est *hæreditavit; Caph* enim initiale est nota similitudinis, significans: *sicut, tanquam*. Aut *Cyrus* idem est quod, *quasi pauper*, a radice רש *ras*, id est *pauper;* quia ex so erat pauper, sed a Deo factus est dives. Rursum in morte occisus a Tomyri, factus est Irus, imo Iro pauperior. Ita Pagninus *In nom. Hebr.* Hebraice.

Græce vero *Cyrus* idem est quod *auctoritate pol-*

lens, dominus, imperans, legislator; κύριος enim est *auctoritas principatus, potestas, arbitrium, dominium;* et κυρίως est *authentice, rutum facio, firmo, confirmo, obtineo, vim et pondus addo, constituo, decerno.*

Denique, Cyrus ducentis annis prior fuit Alexandro Magno, Socrate, Platone, Aristotele; nam « sub Cyro floruit Thales præceptor Anaximandri, hic Anaximenis, hic Anaxagoræ, hic Periclis; Anaxagoræ vero temporibus Xenophanes et Pythagoras fuerunt, » ait Eusebius, lib. X *De Præpar.* in fine.

Quæ sit etymon. Geminum ergo Cyri etymon est persicum, significans solem, ait Brissonius, lib. I *De regno Persarum*, quem alii sequuntur.

Idem asserit Ctesias; scribens enim de uxore Darii Nothi : « Peperit, inquit, et alterum filium regina, et impositum est ei nomen a sole Cyrus. » Refellit hoc Scaliger, lib. VI *De Emend. temp.*, quia, ait, *Cyrus* Hebraice scribitur *Cores*; ac sol Persice vocatur *Cor*. *Cores* vero Persice significat cibum et alimoniam. Verum magis credendum est præceptis Plutarchi et Ctesiæ, qui a primis Persis id acceperunt, quam uni moderno Scaligero, præsertim quia *Cores* Persicum videtur acceptum ab Hebræo *Chores*, id est *sol*. Adde *Cores* idem esse quod *Coresel*, dempta ultima littera D. Adde quoque quod שר idem est quod princeps, caput; ros enim Hebraice et Chaldaice est *caput* ku. Persice est *princeps*; unde vocatur κυαξάρης *Cyaxares*, q. d. *princeps Ares*. Ita Scaliger, lib. VI. Sic *Mithri* (unde *Mithridates*) dicitur a *Mither*, comparativo gradu, hoc est μείζων, sive *major* (Hebraice enim מתר *ithar* significat superesse, excellere, *esse majorem*), et sumitur pro Dynasta sive Domino. Hinc solem vocarunt *Mithra*, id est *Dominum, Principem*. Ita Scaliger ibidem.

Allegorice. Allegorice Cyrus fuit typus Christi, qui est sol justitiæ. Tropologice Cyrus est rex, antistes, doctor, et quilibet sapiens et sanctus, qui quasi sol sapientiæ et virtutis toto orbe resplendet.

Suscitavit Dominus spiritum (id est cor, mentem, voluntatem) Cyri regis, et tradoxit (Cyrus) vocem (præconis) in omni regno suo etiam per scripturam, — puta per epistolas scriptas quaquaversum missas : *q. d.* Excitavit Deus affectum et voluntatem Cyri ad Judæorum liberationem, ac Jerusalem et templi restaurationem, objiciendo ejus menti regna et beneficia sibi a Deo Hebræorum collata, oracula de eo pronuntiata, aliaque divinitatis signa, e quibus Cyrus agnovit verum Deum Hebræorum, ac immittendo ejus voluntatis pias affectiones ad opus hoc fabricæ moraliter bonum et plum reipsa exsequendum, ut hac ratione per eum vera Dei Ecclesia in Israele conservaretur, et juxta morem pristinum publico Dei in templo ejus cultu coalesceret. Hæc Deus operatus est interius in mente Cyri, sed exterius valde eum excitavit per oraculum ab Isaia de Cyro editum, capite XLIV, ultim. etc.; capite XLV, versu 1, ubi et Cyri nomen enuntiat, et eum vocat unum Christum, eidemque promittit se subjugaturum gentes, ac divitem potentemque effecturum. Audi Isaiam : « Qui dico Cyro : Pastor meus es, et voluntatem meam complebis. Qui dico Jerusalem : Ædificaberis, et templo fundaberis. » Et rursum cap. XLV, vers. 1 : « Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam. Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo. Et dabo thesauros tibi absconditos, etc., ut scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel, propter servum meum Jacob, et Israel electum meum, » ut scilicet tu, o Cyre, Judæis et Israelitis posteris Jacobi meis fidelibus benefacias, et templum ædifices. Hanc prophetiam Judæi, præsertim Daniel propheta, qui familiaris, imo conviva fuit tam Cyro, quam Dario Medo, ostendit Cyro; itaque eumdem ad Deum Israelis agnoscendum venerandumque ac ad Israeli benefaciendum allexit, uti docet Josephus, lib. XI, cap. I, et Theodoretus in cap. I *Danielis*, præsertim quia Isaias hæc de Cyro prædixerat decentis annis ante Cyri ortum. Id ipsum esse patet ex epistola Cyri, quam subdit hic Esdras.

Isaias de Cyro editum. Tituli Cyrum virum. Cyro Deum re stituere. Cyri conatus.

2. Omnia regna terræ dedit mihi Dominus. — Cyrus hac epistola confitetur se agnocere Deum verum Israelis, eique omnia sua regna accepta refert. Ad hæc asserit eumdem Deum sibi mandasse, ut templum Jerosolymæ reædificet; quare id reædificari præcipit, cunctosque tam Israelitas, quam alios sibi subditos, ad ejus fabricam promovendam exhortatur et impellit. Vide hic in Cyro imperi illud *Prov.* XXI, 1 : « Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud. »

Omnia regna. — Intellige accommode « omnia, » id est, pleraque omnia, plurima; aut « omnia, » scilicet quæ subjecta fuere monarchiæ Chaldæorum : *q. d.* Deus me fecit monarcham, ideoque omnia regna subjecta Chaldæis cum monarchia ad me transtulit. Sic *Lucæ* cap. II, vers. 1, dicitur : « Exit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis, » nimirum Augusto et Romano imperio subjectus. Nam Indi multique alii non subjecti, non fuere descripti. Porro Xenophon, lib. I, ait Cyrum subjugasse Syros, Assyrios, Arabes, Cappadoces, Phryges, Lydos, Cares, Phœnices, Babylonios, Bactrianos, Cilices, Indos, Paphlagones, Sacos, Mariandynos, Cyprios, Ægyptios, et alias plurimas gentes quas formidine nominis sui et terrore concutiebat, et simul benevolentia sapientiaque alliciebat, ut ab eo gubernari optarent. Audi Cyrum ducibus et militibus præcipientem apud Xenophontem, lib. I : « Dux, ait, nunquam cesset aut prodesse sibi, aut nocere hostibus : difficile est enim vel unum hominem alere otiosum, difficilius totam domum, sed omnium difficillimum universum exercitum otiosum alere, itaque exercitum cessare nunquam decet. Imperator sedulus et non cessator efficiet ut et milites commeatu abundent, et eorum corpora valitudine sint firmissima. » Hinc et Cyrus olbum non sumebat, nisi prius corpus exercuisset et sudavisset. Audiat enim tum olbum suavissime sapere ac corpus exercitio roborari, et ad labores quosvis assuescere. Ita Xenophon.

Cyri sententia.

Ipse præcipit mihi ut ædificarem ei domum (templum) in Jerusalem. — « Præcepit, » id est præordinavit, decrevit, et hoc ipso tacite « præcipit » per Isaiam, cap. XLIV, vers. ult. cujus verba paulo ante recitavi. Inde enim Cyrus intellexit voluntatem Dei esse, ut ipse restauraret templum a Chaldæis combustum, quam voluntatem ipse hic vocat præceptum.

3. Quis est in vobis de universo populo ejus (qui scilicet cupit e Babylone redire in Jerusalem)? sit Deus illius cum ipso. Ascendat in Jerusalem, et ædificet domum Domini Dei, (*q. d.* Quicumque Judæi vel Israelitæ sunt in regno meo, qui cupiunt remigrare in suam Judæam, age, congregentur in unum, ut simul e captivitate in patriam redeant : ego enim eis plenam do facultatem redeundi, urbemque et templum reædificandi : imo eis apprecor Dei sui favorem et opem ad id perficiendum.) Nam ipse est Deus, qui est in Jerusalem, — Vatablus, *qui est cernus ille ac solus Deus*, *q. d.* Non est alius Deus verus, quam Deus, quem Israelitæ coluerunt et colunt in Jerusalem. Cyrus ergo hic profitetur se agnoscere Deum Judæorum esse verum Deum, cæteros Gentium Deos non esse veros, vel certe esse numeris dignitate et potestate, ac Deo Hebræorum subjectos, quos Plato et Philosophi vocabant semideos. Unde Xenophon, libro VIII *Cyropæd.*, asserit Cyrum quoque Deos gentium coluisse, ac jam morituram habuisse somnium, quo invitabatur ut ad Deos ascenderet : quare eum adorasse invocassequæ Jovem et Solem, ac multa de animi immortalitate, quod post mortem ad Deos esset transiturus, locutum expirasse.

Cyrus Deum agnoscit.

4. Et omnes reliqui in cunctis locis ubicumque habitant, adjuvent eum viri de loco suo, argento et auro. — *q. d.* Reliqui Judæorum, qui in Babylone aliisve locis sedes fixerunt, uxores duxerunt, liberos procreavunt, agros coemerunt, ut non possunt vel nolunt illis dimissis redire in Jerusalem, hi adjuvent eos, qui redire cupiunt, argento et auro, tum ad viaticum tam longæ itineris, tum ad urbis templique reædificationem.

Cyrus Judæos jubet.

Viri de loco suo, — id est, quisque in loco et de loco suo, puta de agris et domibus suis suppeditet id quod habet. Cyrus ergo hic Judæos in Babylone remanentes, redeuntibus in Jerusalem quasi vectigales constituit. Rursum « omnes reliqui » non « olum Judæi, sed et cæteri populi nove additioni subjecti similiter adjuvent redeuntes in Jerusalem, præsertim Præfecti provinciarum, quos Josephus « amicos regios » vocat. Unde hi ex hoc Cyri edicto juverunt Judæos regredientes, ut patet vers. 9, cap. III, vers. 7.

Excepto quod voluntarie offerunt templo Dei. — Tὸ « excepto, » vox est amantis et confirmantis, *q. d.* Scio multos jam mente designasse, et animo destinasse certa dona, quæ ipsi cupiunt offerre templo : illa ergo non veto, sed laudo et confirmo, cupioque offerri; sed præter hæc volo ut quisque insuper alia adjungat, quæ redeuntibus serviant pro viatico, et urbis domorumque reædificatione, atque ad alias multiplices necessitates et usus. Unde nonnulli censent Cyrum taxasse pretium, quod quisque ad eos conferre deberet, sicut postea fecere Darius et Artaxerxes Cyri successores; imo Cyrum decrevisse ut templum ex regio ærario suoque sumptu ædificaretur, patet cap. VI, vers. 4. Unde pro « excepto quod voluntarie offerunt, » Hebraice est, *cum munere spontaneo*, *q. d.* cum oblatione quam sponte offerunt templo, dabunt etiamalia pro viatico, etc. ita Vatablus, Pagninus et alii.

8. Et surrexerunt principes patrum de Juda et Benjamin. — « Principes patrum » sunt principes familiarum; quæque enim familia suum habebat caput et patrem : sed diverse familiæ ab uno capite descendentes suum habebant principem et quasi Patriarcham.

7. Rex quoque Cyrus protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor. — Fuere ea numero 5400, ut dicitur vers. 11 : quæ omnia a Chaldæis sacrilege ablata, et dicata suo idolo Belo, Cyrus restituit Deo et templo.

8. Per manum Mithridatis filii Gazabar. — Tὸν « filii, » non est in Hebræo nec in Græco. Unde Vatablus, Pagninus, Marianus, Cajetanus et alii vertunt, *per manum Mithridatis thesaurarii*; Josephus, *per Mithridatem ærario regio præfectum*. Agazo enim dicitur *gazabar*, id est *thesaurarius*, ut patet cap. VII, vers. 21, ubi Noster vertit, « arcæ custodibus. » Nisi dicas Nostrum subaudisse בן *ben*, id est *filii*, et ex *Gazabar* fuisse nomen commune, sed officio proprium, sicut vulgo eum, qui gazæ principis præest, vocamus thesaurarium, quasi hoc nomen sit ei non ex baptismo, sed ex officio proprium, in quo sæpe filii parentibus succedunt. Porro « Mithridates » componitur ex *Mither*, id est *major*, dynasta, princeps, et דת *dath*, id est *legis*, *q. d.* dynasta legem ferens, et jus dictans.

Vers. 8. Gazabar est thesaurarius.

Et annuntiavit ea Sassabasar principi Juda. — Hic est, Zorobabel, nepoti Jechoniæ regis ex patre Salathiel. Ita Josephus, Lyranus, Dionysius, Vatablus, Marianus, Tornellus, Salianus et alii. Quare tam pater Salathiel, quam avus Jechonias, hoc anno primo Cyri videntur vita fuisse functi : nam deinceps eorum nullafit mentio, sed semper Zorobabelis, quasi ducis Juda. Porro Salathiel filio nascenti indidit nomen « Zorobabel, » id est *peregrinus in Babylone*, eo quod in Babylonica captivitate eum genuerit, sed cum Evilmerodach e carcere eduxit avum ejus Jechoniam, eumque

Sassabasar est Zorobabel, ejus

mensæ suæ regiæ convivam effecit, Zorobabeli mutatum est nomen, ut vocaretur « Sassabasar, » id est *gaudens in tribulatione*. Ita Eusebius, lib. XI *De Præpar.* cap. III et IV, *sus* enim est *gaudens*, ὃα significat *in*, *shar* significat *tribulatione*. Iursum Pagninus *in Nomin. Hebr. Sessabasar* interpretatur, *sex in tribulatione; ses* enim significat *sex*, vel *byssum*. Hebræi enim tradunt eum sic appellatum quod in sex tribulationibus steterit fortis et constans, ut in eo impletum sit illud *Job* V, 19 : « In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum. »

Ubi nota olim Hebræis, Chaldæis, Persis, Phœnicibus aliisque gentibus Orientalibus familiare fuisse peregrinis mutare nomina, illisque dare patria et propria gentis sue cui inserebantur; patria, inquam, certum quid et personæ appositum significantia, uti fecit Adam indens rebus nomina naturæ earum apposita, *Gen.* II, 19, ut nomina essent quasi omina rei naturam, virtutem aut proprietatem aliquam præsentem aut futuram significantia. Sic *Daniel.* cap. I, Hebræa nomina Ananias, Azarias, Misael in Babylone a Chaldæis commutata sunt in Chaldæa Sidrach, Misach, Abdenago. Sic cap. II, vers. 63, Hebræus Nehemias a Chaldæis Chaldaice nuncupatus est Athersata. Idem de Græcis docet Plato in *Cratylo*. Quocirca Eusebius, lib. XI *De Præpar.* cap. III et IV, ex hoc argumentum sumit pro exquisita Hebræorum sapientia, quod scilicet sacra Scriptura hominum propriorum significatione et vi utatur.

40. SCYPHI ARGENTEI SECUNDI, — « secundi » scilicet ordinis et generis, qui nimirum censebantur secundo loco, tam pretio quam pulchritudine, primi enim ordinis erant scyphi aurei; secundi vero argentei.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Catalogus redeuntium cum Zorobabel in Jerusalem, item munerum et donorum ad templi fabricam oblatorum.

1. Hi sunt autem provinciæ filii, qui ascenderunt de captivitate, quam transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis in Babylonem, et reversi sunt in Jerusalem et Judam, unusquisque in civitatem suam. 2. Qui venerunt cum Zorobabel, Josue, Nehemia, Sarahia, et Rahelaia, Mardochai, Belsan, Mesphar, Beguai, Rehum, Baana, numerus virorum populi Israel. 3. Filii Pharos, duo millia centum septuaginta duo. 4. Filii Sephatia, trecenti septuaginta duo. 5. Filii Area, septingenti septuaginta quinque. 6. Filii Phahath Moab, filiorum Josue : Joab, duo millia octingenti duodecim. 7. Filii Ælam, mille ducenti quinquaginta quatuor. 8. Filii Zethua, nongenti quadraginta quinque. 9. Filii Zachai, septingenti sexaginta. 10. Filii Bani, sexcenti quadraginta duo. 11. Filii Bebai sexcenti viginti tres. 12. Filii Azgad, mille ducenti viginti duo. 13. Filii Adonicam, sexcenti sexaginta sex. 14. Filii Beguai, duo millia quinquaginta sex. 15. Filii Adin, quadringenti quinquaginta quatuor. 16. Filii Ather, qui erant ex Ezechia, nonaginta octo. 17. Filii Besai, trecenti viginti tres. 18. Filii Jora, centum duodecim. 19. Filii Hasum, ducenti viginti tres. 20. Filii Gebbar, nonaginta quinque. 21. Filii Bethlehem, centum viginti tres. 22. Viri Netupha, quinquaginta sex. 23. Viri Anathoth, centum viginti octo. 24. Filii Azmaveth, quadraginta duo. 25. Filii Cariathiarim, Cephita, et Beroth, septingenti quadraginta tres. 26. Filii Rama et Gabaa, sexcenti viginti unus. 27. Viri Machmas, centum viginti duo. 28. Viri Bethel et Hai, ducenti viginti tres. 29. Filii Nebo, quinquaginta duo. 30. Filii Megbis, centum quinquaginta sex. 31. Filii Ælam alterius, mille ducenti quinquaginta quatuor. 32. Filii Harim, trecenti viginti. 33. Filii Lod, Hadid, et Ono, septingenti viginti quinque. 34. Filii Jericho, trecenti quadraginta quinque. 35. Filii Senaa, tria millia sexcenti triginta. 36. Sacerdotes : Filii Jadaia in domo Josue, nongenti septuaginta tres. 37. Filii Emmer, mille quinquaginta duo. 38. Filii Phashur, mille ducenti quadraginta septem. 39. Filii Harim mille decem et septem. 40. Levitæ : Filii Josue et Cedmihel filiorum Odoviæ, septuaginta quatuor. 41. Cantores : Filii Asaph, centum viginti octo.

42. Filii Janitorum : filii Sellum, filii Ater, filii Telmon, filii Accub, filii Hatita, filii Sobai : universi centum triginta novem. 43. Nathinæi : filii Siha, filii Hasupha, filii Tabbaoth. 44. Filii Ceros, filii Sian, filii Phadon, 45. filii Lebana, filii Hagaba, filii Accub. 46. Filii Hagab, filii Semlai, filii Hanan, 47. filii Gaddel, filii Gaher, filii Raia. 48. Filii Rasin, filii Necoda, filii Gazam. 49. Filii Aza, filii Phasea, filii Besee. 50. Filii Asena, filii Munim, filii Nephusim. 51. Filii Bacbuc, filii Hacupha, filii Harhur. 52. Filii Besluth, filii Magida, filii Harsa. 53. Filii Bercos, filii Sisara, filii Thema. 54. Filii Nasia, filii Hatipha. 55. Filii servorum Salomonis, filii Sotai, filii Sopheret, filii Pharuda. 56. Fili Jala, filii Dercon, filii Geddel. 57. Filii Saphatia, filii Hatil, filii Phochereth, qui erant de Asebaim, filii Ami. 58. Omnes Nathinæi, et filii servorum Salomonis, trecenti nonaginta duo. 59. Et hi qui ascenderunt de Thelmala, Telharsa, Cherub, et Adon, et Emer ; et non potuerunt indicare domum patrum suorum et semen suum, utrum ex Israel essent. 60. Filii Dalaia, filii Tobia, filii Necoda, sexcenti quinquaginta duo. 61. Et de filiis Sacerdotum, filii Hobia, filii Accos, filii Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis uxorem, et vocatus est nomine eorum. 62. Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, et non invenerunt, et ejecti sunt de sacerdotio. 63. Et dixit Athersatha eis, ut non comederent de Sancto Sanctorum, donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus. 64. Omnis multitudo quasi unus quadraginta duo millia trecenti sexaginta, 65. exceptis servis eorum, et ancillis, qui erant septem millia trecenti triginta septem: et in ipsis cantores atque cantatrices, ducenti. 66. Equi eorum septingenti triginta sex, muli eorum ducenti quadraginta quinque ; 67. cameli eorum quadringenti triginta quinque, asini eorum, sex millia septingenti viginti. 68. Et de principibus patrum, cum ingrederentur templum Domini, quod est in Jerusalem, sponte obtulerunt in domum Dei ad exstruendam eam in loco suo. 69. Secundum vires suas dederunt impensas operis, auri solidos sexaginta millia, et mille, argenti minas quinque millia, et vestes sacerdotales centum. 70. Habitaverunt ergo Sacerdotes, et Levitæ, et de populo, et cantores et janitores, et Nathinæi, in urbibus suis, universusque Israel in civitatibus suis.

1. HI SUNT AUTEM PROVINCIÆ FILII, — *q. d.* Hi sunt Judæi, qui in provincia Babylonis nati vel educati, ex ea remigrarunt in pristinam patrum sedem, puta in Jerusalem. Filii enim Provinciæ vocantur, qui in ea ex advenis nati, vel educati diu habitavere. Hæc enim phrasis significat nativitatem vel incolatum, ait Vatablus. Unde alii per filios intelligunt incolas. Sic vocantur « filii Sion, filii Orientis, filii Jerusalem, etc., filii, » id est « incolæ. » Porro Provincia intelligitur Babylonia tum potens et dominans, sicut per Urbem nunc omnes intelligunt Romam : licet Beda per Provinciam hic intelligat Judæam ; ad hanc enim pertinebant, inquit, Judæi e Babylone in eam redeuntes, quasi filii Ecclesiæ.

ET REVERSI SUNT IN JERUSALEM, — ita tamen ut manerent Cyro et Persis quasi servi dominis subditi, et tributarii, ut liquet cap. IV, 13, et lib. II *Esdræ* VI, 36. Unde reges Persarum eis constituebant principes, uti Zorobabelem hic vers. 2, et cap. V, vers. 14, ac Esdram, et Nehemiam, cap. VII, vers. 14, et lib. II, cap. V, vers. 14.

2. QUI VENERUNT CUM ZOROBABEL, — Duce et Josue Pontifice, qui alio nomine dictus est « Jesus filius Josedec, » ut patet *Zachar.*

MARDOCHEI. — Multi censent hunc esse Mardochæum patruum Esther, qui redierit in Judæam, ut possessiones paternas recuperaret, ac deinde reversus sit in Persidem, ubi sedem figere destinarat.

NUMERUS VIRORUM POPULI ISRAEL, — scilicet revertentis e Babylone in Jerusalem, est iste quem subjicio. Israel hic ponitur pro Juda et Benjamin, soli enim Judæi et Benjaminitæ redeuntes hic numerantur. Alibi, cum Israel opponitur Judæ, significat decem tribus, quæ a Juda et Benjamin schisma facientes, regem sibi crearunt Jeroboam; illis enim abductis in Assyriam, ibique plane dispersis et quasi eversis, Israelis nomen et decus rediit et remansit in Juda ; hæc enim duodecim tribuum fuit nobilissima, imo regia. Sic dicitur *Psalm.* CXIII, 2 : « Facta est Judæa sanctificatio ejus : Israel potestas ejus. » « Israel, » id est « Judæa, » in Psalmis enim crebro posterius hemistichium explicat ac confirmat prius, ut cum dicitur : « Deus, in adjutorium meum intende ; Domine, ad adjuvandum me festina. » Et *Isaiæ* XLVIII : « Audite, ait, hæc domus Jacob, qui vocamini nomine Israel, et de aquis Juda existis, » id est qui de fonte ac stirpe Juda propagati estis.

6. FILII PHAHATH MOAB (est nomen proprium viri. Vatablus vertit, *filii Ducis* (Chaldæus enim

Fabe (*phat* significat *ducem*) *Moab*. Ita cognominatus est, quod in Moab victoriam aliquam sit adeptus, aut quid præclare gesserit.) FILIORUM JOSUE, JOAB, —*q. d.* Ii filii Phahath Moab, descendentes et progenii ex filiis Josue et Joab (hi enim duo erant viri illo ævo celebres et charissimi) fuere 2812. Unde Vatablus vertit, *filiorum Ducis Moab de filiis Josue et Joab* 2812.

20. FILII GEBBAR NONAGINTA QUINQUE, — ita legendum cum Hebræo, Septuaginta et Romanis, male ergo nonnulli legunt, *nongenti*.

21. FILII BETHLEHEM CENTUM VIGINTI TRES. — Filii, id est cives et incolæ, ut dixi vers. 1, sive ex civibus et incolis *Bethlehem* oriundi. Hucusque enim per patresfamilias distinxit capita; deinceps vero usque ad vers. 31, per urbes distinguit, forte quia patres erant ignoti vel obscuri.

Notes : Judæi jam per 70 annos fuerant in Babylone, unde plerique qui ex Bethlehem aliisque urbibus erant abducti, jam erant mortui. Filii vero eorum erant nati in Babylone, etc. Respondeo ita esse, sed tamen iidem vocantur filii Bethlehem; quia a Bethlehemitis, qui ex Bethlehem venerant, erant progenii. Aut certe Judæi in Babylone in suos vicos et pagos distributi, eis nomina Bethlehem aliarumque Judææ urbium indiderunt, ut se in exilio memoria patriæ suæ solarentur, ut jam Hispani in Peru et Mexico urbibus suis indunt nomina urbium Hispaniæ; ut vocantur Granata, Corduba, Vallisoletum, etc. Simili modo Helenus Priami filius, Troja eversa fugiens, urbem novam condens, nuncupavit eam Trojam. Audi Virgilium, lib. III *Æneid.* :

> Procedo, et parvam Trojam simulataque magnis
> Pergama, et arentem Xanthi cognomine rivum
> Agnosco, Scææque amplector limina portæ.

Ita Sanchez.

31. FILII ÆLAM. — Alius est hic Ælam ab illo vers. 7; sed mirum utrumque pares numerasse filios nepotes, scilicet 1254.

36. SACERDOTES (Hucusque laicos e tribu Juda et Benjamin recensuit, nunc recenset Sacerdotes, et vers. 40, Levitas, et vers. 43, Nathinæos templi servos. Ait ergo:) SACERDOTES : FILII JADAIA IN DOMO JOSUE, — id est qui erant de domo et familia Josue, puta filii, et nepotes Jesu filii Josedec Pontificis, erant num. 973; Jadaia enim fuit ex posteris Jesu et Josedec, ut patet *1 Paral.* IX, 10.

43. NATHINÆI, — id est *donati*, scilicet templi ministerio a Josue; erant enim in Gabaonite (ideoque Chananæi, non Judæi) qui ob fraudem suam ad hoc opus damnati fuere. Vide dicta Josue IX.

58. OMNES NATHINÆI, ET FILII SERVORUM SALOMONIS; — sicut Josua Gabaonitas, sic Salomon alios bello captos vel proselytos templo donavit. Ili vocantur « servi Salomonis : » unde ex eis multi ab eo addicti fuere fabricæ templi, II *Paral.* II, 17.

59. Hi qui ASCENDERUNT DE THELMALA, THELHARSA, CHERUB, ET ADON, ET EMER. — Nomina sunt enim duntaxat 29818; quare ut summam hic do-

urbium Chaldææ, e quibus multi emigrarunt in Judæam. Hi non potuerunt probare se oriundos esse ex Judæis, ut sequitur :

61. FILII BERZELLAI, QUI (Berzellai) ACCEPIT DE FILIABUS BERZELLAI GALAADITIS (Sacerdotis) UXORES, ET VOCATUS EST NOMINE EORUM, (scilicet Sacerdotum,) — *q. d.* Ille Berzellai duxit uxorem filiam Berzellai sacerdotis, et per eam vocatus est Sacerdos, id est ortus ex genere sacerdotali; sed cum id ex publicis Genealogiarum libris probare non posset, tam ipse quam filii ejus a sacerdotio rejecti fuere, donec Deus consuleretur.

63. ET DIXIT ATHERSATHA. — Hic est Nehemias, inquit Lyranus, Cajetanus et Vatablus, idque liquet ex *Nehem.* VII, 64. Ubi idem narratur, quod hic. Unde videtur hæc historia contigisse posteriori sub Nehemia, et *Nehem.* VIII, 9, ubi dicitur : « Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha,) id est pincerna Regis; » ita a Chaldæis vocatus a verbo Chaldæo, *tersa*, id est *duxit*, et *scata*, id est *bibit*, *q. d. ducas potu* regem, hoc est pincerna regis; loquitur hic Nehemias de se in tertia persona, atque ut cap. XII, 26; sed in libro Nehemiæ, ipse de se loquitur semper in prima persona. Unde nonnulli putarunt alium esse Nehemiam, qui fuit Esdræ socius, a Nehemia, qui inducitur lib. II *Esdræ*, ejusque est auctor. De Athersatha rursum dicam, *Nehem.* VIII, 9.

UT NON COMEDERENT DE SANCTO (cibo) SANCTORUM, id est victimarum Deo sanctificatarum, id est oblatarum et sacrificatarum, hoc est ut non comederent de sacrificiis pro peccato oblatis, aut armum dextrum e victimis pacificis : hæ enim cedebant solis sacerdotibus; quales se esse hi probare non poterant.

DONEC SURGERET SACERDOS DOCTUS ATQUE PERFECTUS. — Hebraice, *sacerdos cum Urim et Thummim*, *q. d.* Donec sacerdos aliquis summus vestibus Pontificalibus, in quibus erant Urim et Thummim, indutus, consulens Deum, ab eo perfecte doceretur an hi essent ex genere sacerdotali, an non. Est ergo metonymia.

Nota : « Urim et Tummim » inscripta vel intexta erant Rationali Pontificis. « Urim » Hebraice significat *illuminationes*; « Thummim, » *perfectiones* : quia sacerdos summus, Pontificalibus indutus, perfecte illuminatur a Deo circa ea, de quibus eum consulebat, ut patet *Num.* XXVII, 21. Allegorice significabatur Christus Pontifex, per quem lux veritas facta est, *Joan.* I. Tropologice per hæc duo admonebatur tum Pontifex, tum populus, studere veritati doctrinæ, et perfectioni vitæ : atque per hæc duo anagogice aspirare ad lumen gloriæ, et perfectam Dei fruitionem et amorem.

64. OMNIS MULTITUDO QUASI UNUS 42360. — Hæc summa eorum, qui cum Jesu et Zorobabel in Judæam redierunt, quam tamen non invenies, si sigillatim numeros singularum familiarum hic assignatos per additionem computes : omnibus

sitam expleas, addendi sunt 1242 : quam conflant illi, qui ex decem tribubus cum tribu Juda et Benjamin redierunt in Jerusalem; sed hic non recensentur. Porro hi ipsi eodem fere modo, demptis paucilis, numerantur *Nehem.* VII, 6, et alii.

65. ET IN IPSIS CANTORES ATQUE CANTATRICES DUCENTI. — « Cantores » templo adhibebantur ad canendos Psalmos, « cantatrices » ad laicas cantiones, v. g. ad canendum in funeribus, nuptiis, convivis, etc., significatur lætissimus fuisse Hebræorum a Babylone reditus, ut præ gaudio manerent et jubilarent; juxta oraculum *Isaiæ* LXVI : « Adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, et in quadrigis, et in lectica et in mulis, et in carrucis ad montem sanctum Jerusalem. » Et *Psalm.* CXXV : « In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati. » (Hebraice *sicut somniantes*, id est in exultantes, ut videremur somniare reditum, non autem vere redire in patriam.) Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione. »

66. EQUI EORUM 736, — Ita Hebræus et Romani. Vers. 66. Male ergo aliqui legunt, *septem*.

68. CUM INGREDERENTUR TEMPLUM DOMINI. — Templum jam erat a Chaldæis exustum. Templum ergo hic vocatur locus, in quo steterat templum, quia is sacer erat, ac sacrificiis et divino cultui a Deo destinatus. Unde Judæi mox ut eo altare erexerunt, in eoque sacrificarunt, ut patet *infra*, XLI, vers. 5; *Baruch* I, 10. Vers. 68.

69. AURI SOLIDOS SEXAGINTA MILLIA ET MILLE. — hoc est sexaginta et unum millia : ita legunt Hebræus et Romani. Alii, pro « sexaginta millia, » legunt : « quadraginta millia : » a tot enim numerantur *Nehem.* VII, 5, de quo iidem plura. Diversitas hæc orta videtur ex transpositione ciphrarum obvia et facili : nam IX sunt 60; XI vero sunt 60. Vide Franciscum Lucam fuse hac de re disserentem in *Notat.* 79. Vers. 69.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jesus Pontifex, et Zorobabel Dux cum populo reiluentes in Jerusalem exstruunt altare, in eo sacrificant, celebrant festum Tabernaculorum, et novi templi fundamenta jaciunt.

1. Jamque venerat mensis septimus, et erant filii Israel in civitatibus suis : congregatus est ergo populus quasi vir unus in Jerusalem. 2. Et surrexit Josue filius Josedec et fratres ejus Sacerdotes, et Zorobabel filius Salathiel, et fratres ejus, et ædificaverunt altare Dei Israel, ut offerrent in eo holocautomata, sicut scriptum est in lege Moysi viri Dei. 3. Collocaverunt autem altare Dei super bases suas, deterrentibus eos per circuitum populis terrarum, et obtulerunt super illud holocaustum Domino mane et vespere. 4. Fecerunque solemnitatem Tabernaculorum, sicut scriptum est : et holocaustum diebus singulis per ordinem secundum præceptum, opus diei in die suo. 5. Et post hæc holocaustum juge, tam in calendis, quam in universis solemnitatibus Domini, quæ erant consecratæ, et in omnibus in quibus ultro offerebatur munus Domino. 6. A primo die mensis septimi cœperunt offerre holocaustum Domino : porro templum Dei nondum fundatum erat. 7. Dederunt autem pecunias latomis et cæmentariis : cibum quoque, et potum, et oleum Sidoniis Tyriisque, ut deferrent ligna cedrina de Libano ad mare Joppe, juxta quod præceperat Cyrus rex Persarum eis. 8. Anno autem secundo adventus eorum ad templum Dei in Jerusalem, mense secundo, cœperunt Zorobabel filius Salathiel, et Josue filius Josedec, et reliqui de fratribus eorum Sacerdotes, et Levitæ, et omnes qui venerunt de captivitate in Jerusalem, et constituerunt Levitas a viginti annis et supra, ut urgerent opus Domini. 9. Stetitque Josue et filii ejus, et fratres ejus, Cedmihel et filii ejus, et filii Juda, quasi vir unus; ut instarent super eos qui faciebant opus in templo Dei : filii Henadad, et filii eorum, et fratres eorum Levitæ. 10. Fundato igitur a cæmentariis templo Domini, steterunt Sacerdotes in ornatu suo cum tubis : et Levitæ filii Asaph in cymbalis, ut laudarent Deum per manus David regis Israel. 11. Et concinebant in hymnis et confessione Domino : Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus super Israel. Omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum,

quod fundatum esset templum Domini. 12. Plurimi etiam de Sacerdotibus et Levitis, et Principes patrum, et Seniores, qui viderant templum prius cum fundatum esset, et hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna : et multi vociferantes in lætitia, elevabant vocem. 13. Nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, et vocem fletus populi; commixtim enim populus vociferabatur clamore magno, et vox audiebatur procul.

1. JAMQUE VENERAT MENSIS SEPTIMUS. — Hebraice vocatus *Tisri*, qui nostro partim septembri, partim octobri respondet. Hebræi enim utebantur mensibus lunaribus, quos singulæ lunæ lunationes efficiunt. Hinc videtur quod Judæi Babylone discesserint initio veris, anno primo Cyri, et post quatuor menses itineris pervenerint in Jerusalem mense Julio, ac mox erexerint altare, seque præparârint ad festum Tabernaculorum, cæteraque mense septimo celebranda. Simili modo Esdras septimo anno Artaxerxis primo die mensis primi discesserit Babylone, et primo die mensis quinti pervenit in Jerusalem, ut audiemus capite VII, vers. 1.

2. ET SURREXIT JOSUE (sive Jesus) FILIUS JOSEDEC (qui mortuo patre Josedec, ei in Pontificatu successerat, eratque Esdræ ex fratre nepos; Esdras enim erat frater Josedec), ET ZOROBABEL FILIUS SALATHIEL, — filii Jechoniæ, qui mortuo avo et patre, successit in ducatum populi. Hi duo ergo duces fuere populi reducis in Jerusalem : Jesus in Ecclesiasticis, Zorobabel in Politicis.

4. FECERUNTQUE SOLEMNITATEM (id est celebrarunt festum « Tabernaculorum, » sive « Scenopegiæ, » die 15 mensis septimi per septem dies) ET HOLOCAUSTUM DIEBUS SINGULIS PER ORDINEM SECUNDUM PRÆCEPTUM, OPUS DIEI IN DIE SUO, — q. d. Obtulerunt tot quotidie per totam festi octavam victimas, quot et quales, qualique ritu eas offeri, præceperat Deus, *Num.* XXIX.

5. ET POST HÆC HOLOCAUSTUM JUGE, — de quo dixi *Num.* XXVIII, 3.

8. ANNO AUTEM SECUNDO ADVENTUS EORUM AD TEMPLUM (ad locum in quo steterat templum jam a Chaldæis exustum) DIEI IN JERUSALEM, MENSE SECUNDO COEPERUNT — reædificare templum.

10. FUNDATO IGITUR A CÆMENTARIIS TEMPLO (id est jactis jam templi fundamentis) UT LAUDARENT DEUM PER MANUS DAVID, — id est, per opera Davidis, puta per Psalmos a Davide compositos, et per musica instrumenta ab eo concinne institute ad Dei laudes in templo concinendas.

11. EO QUOD FUNDATUM ESSET TEMPLUM, — id est, eo quod fundamenta templi jam essent jacta, sed necdum parietes erecti, ut patet ex sequent.

12. FLEBANT VOCE MAGNA, — quod templi novi fundamenta non responderent magnitudini et majestati prioris templi, quodque ejus ruinas circumquaque conspicerent : vicissim tamen gaudebant de novi templi reædificatione, deque suo in patriam reditu, ac Cyri benevolentia, sed præsertim de Deo prius irato jam sibi reconciliato : quare fletus hic gaudio miscebatur, ac voce fletum et exsultantium commixtæ harmoniam efficiebant mixtam planctu et jubilo.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Samaritani per præfectos Persarum impetrato a Cambyse Cyri successore rescripto, impediunt fabricam urbis et templi.

1 Audierunt autem hostes Judæ et Benjamin, quia filii captivitatis ædificarent templum Domino Deo Israel : 2. et accedentes ad Zorobabel, et ad principes patrum, dixerunt eis : Ædificemus vobiscum, quia ita ut vos quærimus Deum vestrum : ecce nos immolavimus victimas a diebus Asor Haddan regis Assur, qui adduxit nos huc. 3. Et dixit eis Zorobabel, et Josue, et reliqui principes patrum Israel : Non est vobis et nobis ut ædificemus domum Deo nostro, sed nos ipsi soli ædificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis Cyrus rex Persarum. 4. Factum est igitur, ut populus terræ impediret manus populi Judæ, et turbaret eos in ædificando. 5. Conduxerunt autem adversus eos consiliatores, ut destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persarum, et usque ad regnum Darii regis Persarum. 6. In regno autem Assueri, in principio regni ejus, scripserunt accusationem adversus habitatores

Judæ et Jerusalem. 7. Et in diebus Artaxerxis scripsit Beselam Mithridates, et Thabeel, et reliqui, qui erant in consilio eorum, ad Artaxerxem regem Persarum : epistola autem accusationis scripta erat Syriace, et legebatur sermone Syro. 8. Reum Beelteem, et Samsai scriba, scripserunt epistolam unam de Jerusalem Artaxerxi regi, hujuscemodi : 9. Reum Beelteem, et Samsai scriba et reliqui consiliatores eorum, Dinæi, et Apharsathachæi, Terphalæi, Apharsæi, Erchuæi, Babylonii, Susanechæi, Dievi, et Ælamitæ, 10. et cæteri de Gentibus, quas transtulit Asenaphar magnus et gloriosus : et habitare eas fecit in civitatibus Samariæ, et in reliquis regionibus trans Flumen in pace : 11. (Hoc est exemplar epistolæ, quam miserunt ad eum) Artaxerxi regi, servi tui, viri qui sunt trans Fluvium, salutem dicunt. 12. Notum sit regi, quia Judæi, qui ascenderunt a te ad nos, venerunt in Jerusalem civitatem rebellem et pessimam, quam ædificant, exstruentes muros ejus, et parietes componentes. 13. Nunc igitur notum sit regi quia, si civitas illa ædificata fuerit, et muri ejus instaurati, tributum, et vectigal, et annuos reditus non dabunt; et usque ad reges hæc noxa perveniet. 14. Nos autem memores salis, quod in palatio comedimus, et quia læsiones regis videre nefas ducimus, idcirco misimus et nuntiavimus regi, 15. ut recenseas in libris historiarum patrum tuorum, et invenies scriptum in commentariis : et scies quoniam urbs illa, urbs rebellis est, et nocens regibus et provinciis, et bella concitantur in ea ex diebus antiquis : quam ob rem et civitas ipsa destructa est. 16. Nuntiamus nos regi, quoniam si civitas illa ædificata fuerit, et muri ipsius instaurati, possessionem trans Fluvium non habebis. 17. Verbum misit rex ad Reum Beelteem, et Samsai scribam, et ad reliquos qui erant in concilio eorum habitatores Samariæ, et cæteris trans Fluvium, salutem dicens et pacem. 18. Accusatio, quam misistis ad nos, manifeste lecta est coram me, 19. et a me præceptum est : et recensuerunt, invenerunt-que, quoniam civitas illa a diebus antiquis adversum reges rebellat, et seditiones, et prælia concitantur in ea : 20. nam et reges fortissimi fuerunt in Jerusalem, qui et dominati sunt omni regioni quæ trans Fluvium est : tributum quoque et vectigal et reditus accipiebant. 21. Nunc ergo andite sententiam : Prohibeatis viros illos, ut urbs illa non ædificetur, donec si forte a me jussum fuerit. 22. Videte ne negligenter hoc impleatis, et paulatim crescat malum contra reges. 23. Itaque exemplum edicti Artaxerxis regis lectum est coram Reum Beelteem, et Samsai scriba, et consiliariis eorum : et abierunt festini in Jerusalem ad Judæos, et prohibuerunt eos in brachio et robore. 24. Tunc intermissum est opus domus Domini in Jerusalem, et non fiebat usque ad annum secundum regni Darii regis Persarum.

1. HOSTES JUDÆ, — scilicet Samaritani, sive incolæ Samariæ perpetui Judæorum inimici, ut patet vers. 2 et 10. De his dixi IV *Reg.* XVII, 24.

FILII CAPTIVITATIS, — id est Judæi nuper captivi, et jam ex captivitate reversi.

2. ASOR HADAN, — Hic est Asar Haddan filius Sennacherib, ultimus rex Assyriorum, de quo IV *Reg.* XIX, vers. ult.

3. NON EST VOBIS ET NOBIS (societas et communio in hac templi fabrica ut vobiscum conjuncti) ÆDIFICEMUS DOMUM DEO NOSTRO, — quia vos estis schismatici, imo hæretici et idololatræ : nam cum Deo nostro et vero colitis idola, quæ coluistis in Assyria, ex qua traducti estis in Samariam. Noluerunt ergo Judæi Samaritas habere in fabrica socios. *Primo*, quia ipsi erant hæretici : unde disce quam communionem cum hæreticis fugere debeamus, præsertim in rebus sacris et Sacramentis. *Secundo*, quia ipsi erant hostes Judæorum; unde fraudem in fabrica committere potuissent, ut pro templo idolum fabricarent. *Tertio*, ne Samaritæ templum quasi a se fabricatum sibi vindicarent, aut certe ejus partem habere vellent, in eoque suas superstitiones et idolorum cultus celebrarent. *Quarto*, ne malo dolo arenam pro calce, ne terram pro lapidibus fabricæ immiscerent, itaque fabrica templi ruinas ageret, ac tandem rueret.

Samaritani Judæi cum Samaritis fabricam. Prima.

4. POPULUS TERRÆ. — Samaritani jam dicti, accolæ et incolæ terræ vicinæ, puta Samariæ.

5. CONDUXERUNT (pretio et donis) CONSILIATORES, — id est consiliarios, puta Persarum in Samaria, Syria et Judæa præfectos ac quæstores, ut vivente Cyro, quem sciebant favere fabricæ urbis et templi, tarde et parce suppeditarent sumptus, aliisque dolis et malis artibus opus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

impedirent. Mortuo autem anno sequente Cyro, Cambysem ejus filium aggressi, ad eum scripserunt litteras quibus Judæos ut pacis turbatores, et seditiosos accusabant; itaque ab eo rescriptum impetrarunt, quo jubebantur Judæi a fabrica supersedere. Ubi nota epistolas tam Regum quam Præfectorum hoc cap. et cap. seq. vers. 6 et 7 in textu Hebræo, proprio ipsorum idiomate scilicet Chaldæo scribi, non Hebræo. Idem fit in Daniele. Præsertim quia Hebræi nuper in Babylone captivi ibidem linguam Chaldæam didicerant, ac inde redeuntes, in illam declinarunt, atque avitam linguam Hebræam cum Chaldæa commiscuerunt: ex qua commistione orta est lingua Syro-Hebraea, vel Chaldæo-Hebræa, quam alii Jerosolymitanam vocant. Sic lingua latina a Gothis cum Gothica commixta peperit nobis linguam Hispanicam, Italicam, Francicam.

Dices: Cur Judæi non recurrerunt ad Cyrum sibi faventem, eique crudes et dolos Samaritanum et Præfectorum detexerunt? Respondeo: Quia teste Josepho Cyrus domo abierat, profectus in bellum contra Lydos rebellantes, ac deinde contra Scythas, ubi et anno sequenti interiit. Cyro ergo absente, domi regebat Cambyses; cujus consiliarios muneribus corruperunt Samaritæ, ut templi fabricam impedirent. Fuit autem hoc per biennium, ut habet liber III *Esdræ*, cap. v, vers. ultim., ex quo liquet octo annos, qui vulgo dantur regno Cambysis, inchoandos esse ab eo tempore, quo patre Cyro apud Lydos et Massagetos occupato, ipse rebus imperii domi præerat. Nam post biennium occiso Cyro, solus Cambyses regnavit sex annos duntaxat. Vide Josephum.

Vers. 6. Assuerus. Cambyses ejus filius.

6. IN REGNO AUTEM ASSUERI. — Id est Cambysis. Ita Josephus, et patet ex præced., hic enim patri Cyro in regno successit. Nota: Assuerus Chaldaice, Persice Artaxerxes, erat commune nomen regum Persarum et Babyloniorum, sicut Ægyptiorum regum commune nomen erat Pharao, et postea Ptolemæus, ac Romanorum Cæsar. Id ita esse patet ex hoc capite, ac ex *Esther* I, 1, collato cum cap. XIII, 1, et cap. XVI, 1. Assuerus vel, ut Chaldaice dicitur, Achasuerus deducitur ab *achas*, id est *magnus*, et *vos*, id est *caput*, hoc est *magnum caput*, scilicet magnus rex et princeps. Unde iisdem fere litteris in aliam linguam transumptis, mutatis tamen vocalibus Græce vocatur Ὀξύης Ὀαγαρες, id est *acer Mars*, martius, bellicosus: et Xerxes, quæ vox Græce, ait Herodotus lib. VI, significat bellatorem; *Artaxerxes* autem, *magnum bellatorem*. Unde Scaliger, sect. VI, part. II, aliique linguarum periti asserunt hæc nomina fere idem esse, idemque significare, *scilicet Ὀαγαρες, Ochosoarces, Ochoarses, Xerxes, Assuerus, Artaxes, Artaxerxes*, vel ut Persæ pronuntiant *Xastes, Artaxastes*, vel *Artaxata*: ita enim ma est in Hebræo, vers. 3.

7. IN DIEBUS ARTAXERXIS. — Est idem Cambyses, qui Chaldaice dictus est *Assuerus*, Persice *Artaxerxes*, uti jam dixi ex Septuaginta. Unde *Artaxerxes* non est in Hebræo. Id ita esse patet ex Septuaginta. Quæ enim hic dicuntur scripta ad Assuerum, ibi leguntur ad Artaxerxem data: imo nonnulli Codices hic vers. 6, sic habent: « In regno autem Assueri, ipse est Artaxerxes (ita Complutensis, idque patet ex fine capitis, vers. ult.,) « usque ad Darium; » solus enim Cambyses post Cyrum legitimus rex usque ad Darium intercessit. Idem patet ex Josepho: Esdras enim descripturus, ait Cajetanus, modum quo præfecti ad regem scripserunt, more Hebræo resumit tempus quo scripserunt, nominando eumdem alio nomine, scilicet Persico, quod ipse epistolis suis præfigere solebat. Videtur enim Esdras ex publicis chronicis et diariis Persarum, epistolam Samaritanorum descripsisse cum suo titulo qui erat: « Et in diebus Artaxerxis, » ita ut quem Esdras vocat « Assuerum, » chronica Persica vocarent nomine Persico « Artaxerxem. » Aliter Christophorus a Castro in cap. I *Aggæi*, sub initium, qui censet Assuerum esse Cambysem, Artaxerxem vero esse Smerdem magum, qui Cambysi successit, et se per fraudem in regnum intrusit. Pejus Scaliger censet Assuerum esse Xerxem; Artaxerxem vero esse Longimanum Xerxis filium, de quo plura vers. 24. Similis resumptio sermonis est *Marci* XV, 8 et 9, et sæpe alibi.

Cambyses fuit Judæorum hostis, unde ab eis vocabatur secundus Nabuchodonosor, teste Eusebio in *Chronico*: erat enim Cambyses deorum contemptor, sacrilegus et parricida: nam fratrem proprium interfecit, ait Justinus; sororem vero duxit in uxorem, quam deinde interemit. Unde justa numinis vindicta seipsum occidit; insilienti enim in equum vagina gladii excidit, unde nudatus gladius in ejus femur infixus est, ex quo vulnere paulo post obiit, ait Herodotus et Justinus. Cambyses Judæorum hostis, et parricida.

Notat Cajetanus, quod licet Samaritæ sub Cyro per consiliarios impedierint ædificationem templi ex sumptibus publicis et regiis, non tamen Judæos a fabrica cessasse; sed in illa perrexisse ex privatis propriisque sumptibus: unde hoc quoque impediverunt litteris ad Cambysem datis.

8. BEELTEEM, — est nomen officii significans *præfectum rationis*, vel *magistrum sapientiæ*, ait Lyranus. Arias vero vult esse nomen proprium, et significare *possessorem saporis*, vel *gustus*, vel *rationis*, vel *eloquii*; ONB *tam* enim Hebraice et Chaldaice *tem* est *sapor, gustus*, et metaphorice *sapientia*; Hebraice *Baal* et Chaldaice *beel* est *Dominus, præfectus, præses*; igitur « Beelteem, » vel ut Hebræi pronuntiant *Baaltaam*, idem est quod *præses rationis et consilii*, quod agitabatur in senatu et concilio, hoc est *Cancellarius*; hujus enim erat ad regem facta omnia referre, eaque scripto tabulis publicis consignare, et sua manu, sigilloque obsignare. Ita Josephus.

10. ASENAPHAR. — Hic est Asarhaddon, vel Sennacherib, vel quis alius ex ejus cognatis, vel agnatis.

13. SI URBS (civitatis Jerusalem, quam Judæi ædificant) INSTAURATI FUERINT, TRIBUTUM, etc. NON DABUNT, — quia confisi suis muris rebellabunt, et in libertatem (cujus sunt avidissimi) se asserent. Hinc patet Judæos, licet e Babylone liberos, mansisse tamen Cyro et Persis vectigales et tributarios. Rursum Cyrum Judæis facultatem dedisse non tantum templi, sed et urbes reædificandæ.

Vers. 14. 14. NOS AUTEM MEMORES SALIS, QUOD IN PALATIO COMEDIMUS, — *q. d.* Nos memores sumus alimoniæ *et salutis* (hoc enim a *sale* est dictum) quod nobis in aula dedisti, ut gratum erga te nos olentem animum ostendamus, monemus te de periculo, quod tibi a fabrica urbis Jerusalem imminet, ut eam impedias. Sic Pythagoras hoc symbolo: « Salem et mensam ne prætereas, » suos gratitudinis admonebat, quasi dicat: In rebus prosperis ne memoria excidat gratitudo debita amicis, qui sui salis et mensæ participem te fecerunt. Sal enim notat convivium, quia in eo omnia sale condiuntur, ut sapiant. Hebraice est, *quoniam sale palatii saliti sumus*. Ita Septuaginta, id est quoniam in palatio tuo educati sumus. Potest quoque verti: *Sale templum salivimus*, id est omnino illud destruximus; alim enim cum locum aliquem desolare vellent, seminabant in eo sal. Sal notat convivium.

Vers. 24. 24. TUNC INTERMISSUM EST OPUS DOMUS DOMINI (fabrica templi) IN JERUSALEM, ET NON FIEBAT USQUE AD ANNUM SECUNDUM REGNI DARII REGIS PERSARUM.

Quis hic Darius. Quæres: Quis fuit hic Darius? Scaliger et Severus Sulpitius, lib. II *Histor.*, censent esse Darium Nothum, qui fuit filius nothus sive spurius Artaxerxis Longimani, ac post eum regnavit 19 annis. Contendit enim Scaliger Assuerum, cujus mentio facta est vers. 6, esse Xerxem; Artaxerxem vero de quo vers. 7, esse Longimanum Xerxis filium; Darium de quo hoc vers. esse Nothum; Artaxerxem, qui cap. VII, 7, misit Esdram et Nehemiam in Jerusalem, esse Artaxerxem cognomento Mnemonem, Darii Nothi filium et successorem. Quare sub Dario Nothо ædificatum fuisse templum, urbem vero Jerusalem sub Artaxerxe Mnemone, atque ab anno secundo Darii Nothi inchoandas esse 70 hebdomades, quæ fluxere usque ad ortum Christi, de quibus *Daniel.* cap. IX. Ita Scaliger, qui dum unus ipse rerum omnium Chronologorum agit Aristarchum, omnes vicissim in se acriores provocat Aristarchos. Nam sub Dario non Nothо, sed Hystaspis filio, qui Cambysi successit, ædificatum esse templum et urbem, patet ex communi Chronologorum, Interpretum et Doctorum consensu. *Secundo*, ex Josepho, qui id expresse docet. *Tertio*, ex lib. III *Esdræ*, cap. IV, vers. 43, ubi Darius hic vovit ædificare templum, si rex fieret, de quo mox plura. *Quarto*, quia juxta Scaligerum a Cyro, et a soluta captivitate Babylonica usque ad instaurata mœnia Jerusalem, fluxissent anni 144; tot enim sunt a Cyro usque ad Darium Nothum: quod licet admittat Scaliger, repugnat tamen Aggæus, cap. II, 4, ubi illi qui primitus e Jerusalem in Babylonem captivi abducti fuerant, adhuc superstites, videntes novam novi Zorobabelis templi fabricam, eam præ templo primi Salomonis, quasi parvi vel nullius pretii habuerunt. A combusto autem templo Salomonis per Chaldæos, usque ad Darium Nothum fluxere anni 176, ait ipse Scaliger. Quis, quæso, illo ævo vitam prorogabat ad annum 176? Rursum, si Esdras missus fuit ab Artaxerxe Mnemone in Jerusalem, ergo Esdras vixit duentos fere annos: genitus est enim a Saraia Pontifice, qui occisus est a Chaldæis anno primo captivitatis Babylonicæ. Insuper Zorobabel, et Jesus filius Josedec, qui sub Cyro præfuerunt restitutioni captivitatis, et postea interfuerunt hujus reædificationi templi sub Dario, fuissent 130 aut 140 annorum, cum tamen libro III *Esdræ* cap. III, 4. Zorobabel vocetur « adolescens unus e custodibus Darii. » Fuit ergo hic Darius non Nothus, sed Hystaspis. Ita Josephus, lib. XI *Antiq.* cap. IV, Eusebius *in Chron.*, S. Hieronymus in cap. IX *Daniel.* Bellarminus, Genebrardus, Torniellus, Salianus, et passim recentiores. Argumenta Scaligeri solvam *Nehemiæ* cap. XII, 10, et cap. XIII, 28; vult enim ipse Sanaballat, de quo ibi agitur, fuisse coævum Jaddo Pontifici et Alexandro Magno, sed falso. Anno ergo secundo Darii Hystaspis resumpta est templi fabrica per annos novem intermissa, ac sexto ejusdem anno fuit absoluta, scilicet fabrica Sancti et Sancti sanctorum; nam atrium sive exterior pars templi, et per consequens totum templum quoad omnia consummatum fuit anno 6 Darii, ut habet Josephus, lib. XI, cap. IV, 46. Porro, causa quæ Darium movit ad reædificandum templum, fuit Zorobabel, qui Dario fuit auctus gratissimus et in deliciis, eique adhuc principi suggessit, ut votum faceret de ædificando templo si crearetur rex: creatus proposita quæstione: « Quid esset omnium fortissimum? » cum unus dixisset esse vinum, alius esse mulieres, tertius esse regem, Zorobabel dixit esse veritatem, de eaque re tam sapienter et eleganter disseruit, ut Darius jusserit eum petere quicquid vellet: quo audito Zorobabel ita ergus est lib. III *Esdræ* cap. IV, 43: « Memor esto voti tui, quod vovisti, ædificare Jerusalem in die qua regnum accepisti, et omnia vasa quæ accepta sunt ex Jerusalem remittere, quæ separavit Cyrus, quando mactavit Babyloniam, et voluit remittere ea ibi. Et tu vovisti ædificare templum quod incenderunt Idumæi, quando exterminata est Judæa a Chaldæis. Et nunc hoc est quod postulo, Domine, et quod peto: hoc est, majestas, quod a te postulo, ut facias votum quod vovisti regi cœli ex ore tuo. Tunc surgens Darius rex osculatus est illum, et scripsit epistolas ad omnes dispensatores et præfectos et purpuratos, ut deducerent eum, et eos qui cum illo erant omnes

Darius vovit templum fabricare.

ascendentes ædificare Jerusalem. Et omnibus Præfectis qui erant in Syria, et Phœnice, et Libano scripsit epistolas, ut traherent ligna cedrina a Libano in Jerusalem, ut ædificarent cum eis Civitatem. »

Cyri succinium de Dario.

Denique « Darius » Persice significat πράκτωρ, id est *prudentem*, ait Hesychius. Prudentia enim et providentia est prima dos regis, ad rite gubernandum; unde Herodotus, lib. I, sub finem, hoc de eo Cyri contra Schytas (ubi et perilt) tendentis somnium recenset : « Videbatur Cyrus in somniis cernere maximum natu filiorum Hystaspis habentem in humeris alas, quarum altera Asiam, altera Europam inumbraret. Erat ex Hystaspi Achæmenidæ Arsamenis filio, ex liberis natu maximus Darius, tunc ferme vigesimum ætatis annum agens, in Persidem relictus, quod non maturus militiæ esset. Experrectus Cyrus visum suum intra se retractabat. Quod cum ei magni momenti viderotur, vocato Hystaspi, remotis arbitris, inquit : Filius tuus Hystaspes mihi atque regno meo insidiari deprehensus est. »

Addidit deinde se id rescivisse ex somnio jam dicto, quod Hystaspi enarravit.

« Quapropter tu, ait, celerrime in Persidem revertere, facitoque ut cum ego subactis Massagetis illuc rediero, filium tuum mihi sistas ad causam dicendam. »

Sed occisus Cyrus successorem reliquit Cambysem, cui successit Darius. Hinc « Darius » Græce idem est quod *coercitor*, ait Herodotus lib. VI, διερκτὴς enim idem est quod *vapulabit*, a δίφω, id est *cædo, verbero, excorio*. Hebraice vero « Darius » idem est quod *investigator*, a rad. דרשׁ *daras*, id est, *quæsivit, investigavit* : hoc est opus prudentis, qualis erat « Darius, » qui Persice idem est quod *prudens* : aut « Darius » idem est quod *generatio et duratio* : דור enim est *generatio et duratio*. Apte : Darii enim stirps duravit in imperio Persico usque ad Darium Ochum.

Dei regium.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Aggæus et Zacharias prophetæ hortantur Judæos ut fabricam templi resumant; qua de re Darium regem consulunt ejus præfecti, an id et placeat.

1. Prophetaverunt autem Aggæus Propheta et Zacharias filius Addo, prophetantes ad Judæos, qui erant in Judæa et Jerusalem, in nomine Dei Israel. 2. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, et Josue filius Josedec, et cœperunt ædificare templum Dei in Jerusalem, et cum eis prophetæ Dei adjuvantes eos. 3. In ipso autem tempore venit ad eos Thathanai, qui erat dux trans flumen, et Stharbuzanai, et consiliarii eorum : sicque dixerunt eis : Quis dedit vobis consilium ut domum hanc ædificaretis, et muros ejus instauraretis? 4. Ad quod respondimus eis, quæ essent nomina hominum auctorum ædificationis illius. 5. Oculus autem Dei eorum factus est super senes Judæorum, et non potuerunt inhibere eos. Placuitque ut res ad Darium referretur, et tunc satisfacerent adversus accusationem illam. 6. Exemplar epistolæ, quam misit Thathanai dux regionis trans flumen, et Stharbuzanai, et consiliatores ejus Arphasachæi, qui erant trans flumen, ad Darium regem. 7. Sermo, quem miserant ei, sic scriptus erat : Dario regi pax omnis. 8. Notum sit regi isse nos ad Judæam provinciam, ad domum Dei magni, quæ ædificatur lapide impolito, et ligna ponuntur in parietibus, opusque illud diligenter exstruitur, et crescit in manibus eorum. 9. Interrogavimus ergo senes illos, et ita diximus eis : Quis dedit vobis potestatem ut domum hanc ædificaretis, et muros hos instauraretis? 10. Sed et nomina eorum quæsivimus ab eis, ut nuntiaremus tibi : scripsimusque nomina eorum virorum, qui sunt principes in eis. 11. Hujuscemodi autem sermonem responderunt nobis, dicentes : Nos sumus servi Dei cœli et terræ, et ædificamus templum, quod erat exstructum ante hos annos multos, quodque rex Israel magnus ædificaverat et exstruxerat. 12. Postquam autem ad iracundiam provocaverunt patres nostri Deum cœli, tradidit eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis Chaldæi, domum quoque hanc destruxit, et populum ejus transtulit in Babylonem. 13. Anno autem primo Cyri regis Babylonis, Cyrus

rex posuit edictum ut domus Dei hæc ædificaretur. 14. Nam et vasa templi Dei aurea et argentea, quæ Nabuchodonosor tulerat de templo, quod erat in Jerusalem, et asportaverat ea in templum Babylonis, protulit Cyrus rex de templo Babylonis, et data sunt Sassabasar vocabulo, quem et principem constituit, 15. dixitque ei : Hæc vasa tolle, et vade, et pone ea in templo, quod est in Jerusalem, et domus Dei ædificetur in loco suo. 15. Tunc itaque Sassabasar ille venit et posuit fundamenta templi Dei in Jerusalem, et ex eo tempore usque nunc ædificatur, et necdum completum est. 17. Nunc ergo, si videtur regi bonum, recenseat in bibliotheca regis, quæ est in Babylone, utrumnam a Cyro rege jussum fuerit ut ædificaretur domus Dei in Jerusalem, et voluntatem regis super hac re mittat ad nos.

1. ZACHARIAS FILIUS ADDO. — « Filius, » id est nepos, ut patet *Zachar.* I, 1. Hebræi enim nepotes quoslibet vocant filios, ut patet *Matth.* I, 1; *Judith* VIII, 1, et alibi.

5. OCULUS AUTEM DEI, — *q. d.* Divinæ providentiæ, gratiæ et favoris (hujus enim signum et symbolum est oculus benignus, quo Deus Judæos respexit) erga Judæos opus fuit, quod ipsé Thathanai Præfecto hanc mentem injecerit, ut non impediret templi urbisque fabricam, licet necdum consuluisset Darium, imo ut scriberet apposite Dario ad utilitatem Judæorum, ac Darius lectis ejus litteris concesserit templum restaurari. Nullus enim hostium Judæis se opponebat, ac Darius in Judæos fuit benevolus opera Zorobabelis, qui erat aulicus Darii, ut dixi. Similis phrasis est VII, 6, et *Exodi* XII, 36, et *Numer.* VI, 25.

Nota : S. Scriptura Deo dat oculos, aures, brachia, pedes, non vere et proprie, ut voluerunt Anthropomorphitæ censentes Deum habere corpus (quod etiam sensisse videtur Tertullianus, licet eum excuset Pamelius), teste S. Epiphanio et S. Augustino in eorum hæresi; sed metaphorice, ut humano captui se accommodet, ac per humanas actiones et membra Dei attributa significet, scilicet per oculos, quod omnia videat; per aures, quod omnia audiat; per brachia, quod omnia possit; per pedes, quod sit summe stabilis, constans et æternus. Ita S. Eucherius, *De formulis spiritual.* cap. II.

11. REX ISRAEL MAGNUS, — sapientia, opibus, imperio, fama et gloria, puta Salomon.

13. HÆC VASA TOLLE, ET VADE, ET PONE EA IN TEMPLO, QUOD EST IN JERUSALEM, ET DOMUS DEI ÆDIFICETUR. — Est hysteronproteron, sive ordo præposterus : prius enim erat ædificanda domus Dei sive templum, antequam in ea vasa a Chaldæis ablata reponi possent : ita Cajetanus. Aut certe per templum intellige locum, et gazophylacium vicinum templo jam exusto : in hoc enim inserebantur et servabantur vasa et dona templi.

17. IN BIBLIOTHECA REGIS. — Chaldaicus בבית כיניא *bebet quinzaia*, id est, ut Septuaginta, *in domo thesaurorum*, vel gazæ regiæ ubi erat Bibliotheca non philosophorum, sed librorum, et scripturarum archivum maxime ad opes, expensas (v. g. quas Cyrus fecerat in templum, cap. VI, 8), census et ad rem nummariam pertinentium. Ita Vatablus. Ita pariter servabantur authentica exemplaria legum et decretorum regiorum.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Darius suis sumptibus juxta decretum Cyri perficit templum, quod anno sexto, magno populi lætitia, multis victimis consecratur; mox celebratur Phase per septem dies.

1. Tunc Darius rex præcepit : et recensuerunt in bibliotheca librorum, qui erant repositi in Babylone, 2. et inventum est in Echatanis, quod est castrum in Medena provincia, volumen unum, talisque scriptus erat in eo commentarius : 3. Anno primo Cyri regis : Cyrus rex decrevit ut domus Dei ædificaretur, quæ est in Jerusalem, in loco ubi immoleant hostias, et ut ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta, et latitudinem cubitorum sexaginta, 4. ordines de lapidibus impolitis tres, et sic ordines de lignis novis : sumptus autem de domo regis dabuntur. 5. Sed et vasa templi Dei aurea et argentea, quæ Nabuchodonosor tulerat de templo Jerusalem, et attulerat ea in Babylonem, reddantur et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

referantur in templum in Jerusalem in locum suum, quæ et posita sunt in templo Dei. 6. Nunc ergo Thathanai dux regionis, quæ est trans flumen, Stharbuzanai, et consiliarii vestri Apharsachæi, qui estis trans flumen, procul recedite ab illis, 7. et dimittite fieri templum Dei illud a duce Judæorum, et a senioribus eorum, ut domum Dei illam ædificent in loco suo. 8. Sed et a me præceptum est, quid oporteat fieri a presbyteris Judæorum illis, ut ædificetur domus Dei, scilicet ut de arca regis, id est de tributis quæ dantur de regione trans flumen, studiose sumptus dantur viris illis, ne impediatur opus. 9. Quod si necesse fuerit, et vitulos, et agnos, et hædos in holocaustum Deo cœli, frumentum, sal, vinum, et oleum, secundum ritum Sacerdotum, qui sunt in Jerusalem, detur eis per singulos dies, ne sit in aliquo querimonia. 10. Et offerant oblationes Deo cœli, orentque pro vita regis et filiorum ejus. 11. A me ergo positum est decretum: Ut omnis homo qui hanc mutaverit jussionem, tollatur lignum de domo ipsius, et erigatur, et configatur in eo; domus autem ejus publicetur. 12. Deus autem, qui habitare fecit nomen suum ibi, dissipet omnia regna, et populum qui extenderit manum suam, ut repugnet et dissipet domum Dei illam, quæ est in Jerusalem. Ego Darius statui decretum, quod studiose impleri volo. 13. Igitur Thathanai dux regionis trans flumen, et Stharbuzanai, et consiliarii ejus, secundum quod præceperat Darius rex, sic diligenter executi sunt. 14. Seniores autem Judæorum ædificabant, et prosperabantur juxta prophetiam Aggæi prophetæ, et Zachariæ filii Addo, et ædificaverunt et construxerunt, jubente Deo Israel, et jubente Cyro, et Dario, et Artaxerxe, regibus Persarum: 15. et compleverunt domum Dei istam, usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus regni Darii regis. 16. Fecerunt autem filii Israel, Sacerdotes et Levitæ, et reliqui filiorum transmigrationis dedicationem domus Dei in gaudio. 17. Et obtulerunt in dedicationem domus Dei, vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato totius Israel duodecim, juxta numerum tribuum Israel. 18. Et statuerunt Sacerdotes in ordinibus suis, et Levitas in vicibus suis, super opera Dei in Jerusalem, sicut scriptum est in libro Moysi. 19. Fecerunt autem filii Israel transmigrationis Pascha, quartadecima die mensis primi. 20. Purificati enim fuerant Sacerdotes et Levitæ quasi unus: omnes mundi ad immolandum Pascha universis filiis transmigrationis, et fratribus suis Sacerdotibus, et sibi. 21. Et comederunt filii Israel, qui reversi fuerant de transmigratione, et omnes qui se separaverant a coinquinatione Gentium terræ ad eos, ut quærerent Dominum Deum Israel. 22. Et fecerunt solemnitatem azymorum septem diebus in lætitia, quoniam lætificaverat eos Dominus, et converterat cor regis Assur ad eos, ut adjuvaret manus eorum in opere domus Domini Dei Israel.

2. In Ecbatanis. — Hebraice, *in Achmata;* litteræ enim *beth* et *mem* sunt labiales, ideoque sæpe commutantur, et una pro alia substituitur.

In Medena. — Hebraice, *Madai*, id est *Media;* sive regno Medorum, quod a Persis jam erat subjugatum, et in provinciam redactum.

3. Altitudinem cubitor. sexaginta. — Prius templum Salomonis erat duplo altius, erat enim altum 120 cubitis; sed noluit Cyrus novum hoc tam alte exstrui, ne Judæi ex eo arcem facerent et rebellarent.

Et latitudinem cubitorum 60. — Per latitudinem hic accipit extensionem, sive ea fiat in longum, sive in latum. Ita Chaldæus; vetat enim templum extendi quaquaversum ultra 60 cubitos. Unde Lyranus: *Latitudinem*, inquit, hoc est *longitudinem*. longitudo enim templi, id est Sancti et Sancti sanctorum, erat cubitorum 60; latitudo vero viginti. Ita Ribera, lib. I *De Templo*, capite XXVII.

5. Posita sunt in templo, — id est ponenda sunt in templo ædificando. Septuaginta, *ut ponantur*. Melius, proprie « posita sunt in templo, » id est in gazophylacio templi, ut dixi, cap. v, vers. 15. Narrat enim Darius edictum Cyri jam esse expletum. Cyrus enim præceperat vasa reponi in templo: Darius jam narrat esse reposita, juxta ejus præceptum.

14. Ædificaverunt, etc., jubente Cyro, et Dario, et Artaxerxe. — Hoc refer non ad ædificationem templi in se, puta Sancti et Sancti sanctorum; hæc enim perfecta est anno sexto Darii, versu 15, sed ad consummationem atriorum et ornamentorum templi, et ad prosperitatem oblationum, donorum

et celebritatum templi: hæc enim perfecta est sub Artaxerxe. Rursum templi fabrica consummata fuit sub Dario, urbis vero Jerusalem sub Artaxerxe.

Artaxerxes quis? Quæres: Quis fuit hic Artaxerxes, de quo hic et cap. VII et seq.? Nonnulli putant esse Xerxem; hic enim fuit Darii Hystapsis filius eique in regno successit. Neque enim apparet ratio cur Esdras omiserit Xerxem, et per saltum a Dario avo transierit ad nepotem Artaxerxem Longimanum; præsertim cum celeberrimus fuerit hic Xerxes, utpote qui undecies centena millia militum duxit in eodem contra Græcos, ac copiis suis terras, classibus maria stravit, ideoque prius fuit terror Græciæ, sed mox ludibrium, cum victus pene solus fugere coactus est. Unde Xerxem speciatim describit Daniel, cap. XI, vers. 1. Adde: Xerxes optime in Judæos fuit affectus, ut narrat Josephus, lib. XI *Antiq.* cap. V, quare videtur ipse fabricam templi promovisse. Denique Esdras jam plane grandævus et senex, non videtur post tempora Xerxis idoneus fuisse tam arduæ legationi in Jerusalem, de qua cap. VII, vers. 6. Unde Josephus ait Esdram senem sub Xerxe vita functum non multo post reformatam Reipublicam. Genebrea in hac reformatione claudit hic liber gestorum Esdræ.

Respondetur quæstioni. Verum alii passim probabilius censent Artaxerxem hunc esse Longimanum Xerxis filium: *primo*, quia non Xerxes, sed Longimanus proprie ab omnibus historicis vocatur Artaxerxes; *secundo*, idem liquet ex continuatione hujus historiæ cum historia Nehemiæ, quæ olim unus erat liber cum hoc Esdræ. Nam qui hic dicitur Artaxerxes, et qui cap. VII, anno septimo regni sui misit Esdram in Jerusalem, idem *Nehemiæ*, cap. II, vers. 5, dicitur eodem misisse Nehemiam anno regni sui vigesimo: ille autem qui misit Nehemiam, fuit Longimanus, ut ibi patebit. Causa cur Esdras Xerxem omiserit, est quod ille totus occupatus bello Græco, non cogitarit de Judæis et templo, nec quid opis ad hoc eis contulerit. Porro Josephus confundit Xerxem cum Artaxerxe, nam Xerxi dat 28 annos, cum constet eum nonnisi viginti annos regnasse; quare cæteri octo anni dandi sunt Artaxerxi. De nomine « Artaxerxis » dixi cap. II, vers. 6, quibus adde, quod « Artaxerxes, » Hebraice et Chaldaice dicitur *Artachsasta*, quod Hebraice idem est quod *fervor gaudii*, ait Pagninus a חרה *ruheh*, id est *fervere et ballire*, et שש *sus* quod *gaudere*. Aut idem est quod « lumen festinans ponere, » et sic desivatur ab אור *or*, id est *lux*, et חש *sach*, id est *ponere*. Denique causa cur Artaxerxes tam benevolus fuerit Judæis, fuit Esther, quam multi putant ejus fuisse uxorem; ideoque alii eo suspensus fuit Aman, Mardochæus vero exaltatus. Sed hoc examinabo prooemio in *Esther*.

15. Mensis Adar. — Hic est mensis duodecimus Vers. 15. et ultimus Hebræorum, qui nostro partim februario, partim martio respondet.

Qui est annus sextus Darii regis. — Igitur anno sexto Darii pars interior templi, quæ proprie vocabatur « templum, » in quod solis Sacerdotibus ingredi fas erat, perfecta est; sed anno nono Darii omnes templi partes tam interiores quam exteriores, puta atria, porticus, aliaque templi ornamenta perfecta fuere. Ita Josephus, Ribera, Perrius, et alii.

20. Quasi unus, — scilicet unanimi consensu, Vers. 20. quasi omnes fuissent vir unus, unum idemque habentes cor et animum.

21. Qui se separaverant a coinquinatione gen- Vers. 21. tium. — Qui relicto Gentilismo facti proselyti, per circumcisionem initiati erant Judaismo.

22. Et converterat cor regis Assur ad eos. — Vers. 22. Hic est Darius rex Persarum, qui dicitur « rex Assur, » quia Assyrii olim rerum domini et monarchæ, atque ac Babylonii a Cyro subacti, jam subierant monarchiæ Persarum ac Darii.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Artaxerxes mittit Esdram in Jerusalem, ut Judæos visitet, instruat, dirigat et regat.

1. Post hæc autem verba, in regno Artaxerxis regis Persarum, Esdras filius Saraiæ, filii Azariæ, filii Helciæ, 2. filii Sellum, filii Sadoc, filii Achitob, 3. filii Amariæ, filii Azariæ, filii Maraioth, 4. filii Zaraiæ, filii Ozi, filii Bocci, 5. filii Abisue, filii Phinees, filii Eleazar, filii Aaron Sacerdotis ab initio. 6. Ipse Esdras ascendit de Babylone, et ipse scriba velox in lege Moysi, quam Dominus Deus dedit Israel: et dedit ei rex, secundum manum Domini Dei ejus super eum, omnem petitionem ejus. 7. Et ascenderunt de filiis Israel, et de filiis Sacerdotum, et de filiis Levitarum, et de cantoribus, et de janitoribus, et de Nathinæis, in Jerusalem, anno septimo Artaxerxis regis. 8. Et venerunt in Jerusalem mense quinto, ipse est annus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

referantur in templum in Jerusalem in locum suum, quæ et posita sunt in templo Dei. 6. Nunc ergo Thathanai dux regionis, quæ est trans flumen, Stharbuzanai, et consiliarii vestri Apharsachæi, qui estis trans flumen, procul recedite ab illis, 7. et dimittite fieri templum Dei illud a duce Judæorum, et a senioribus eorum, ut domum Dei illam ædificent in loco suo. 8. Sed et a me præceptum est, quid oporteat fieri a presbyteris Judæorum illis, ut ædificetur domus Dei, scilicet ut de arca regis, id est de tributis quæ dantur de regione trans flumen, studiose sumptus dantur viris illis, ne impediatur opus. 9. Quod si necesse fuerit, et vitulos, et agnos, et hædos in holocaustum Deo cœli, frumentum, sal, vinum, et oleum, secundum ritum Sacerdotum, qui sunt in Jerusalem, detur eis per singulos dies, ne sit in aliquo querimonia. 10. Et offerant oblationes Deo cœli, orentque pro vita regis et filiorum ejus. 11. A me ergo positum est decretum: Ut omnis homo qui hanc mutaverit jussionem, tollatur lignum de domo ipsius, et erigatur, et configatur in eo; domus autem ejus publicetur. 12. Deus autem, qui habitare fecit nomen suum ibi, dissipet omnia regna, et populum qui extenderit manum suam, ut repugnet et dissipet domum Dei illam, quæ est in Jerusalem. Ego Darius statui decretum, quod studiose impleri volo. 13. Igitur Thathanai dux regionis trans flumen, et Stharbuzanai, et consiliarii ejus, secundum quod præceperat Darius rex, sic diligenter executi sunt. 14. Seniores autem Judæorum ædificabant, et prosperabantur juxta prophetiam Aggæi prophetæ, et Zachariæ filii Addo, et ædificaverunt et construxerunt, jubente Deo Israel, et jubente Cyro, et Dario, et Artaxerxe, regibus Persarum: 15. et compleverunt domum Dei istam, usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus regni Darii regis. 16. Fecerunt autem filii Israel, Sacerdotes et Levitæ, et reliqui filiorum transmigrationis dedicationem domus Dei in gaudio. 17. Et obtulerunt in dedicationem domus Dei, vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato totius Israel duodecim, juxta numerum tribuum Israel. 18. Et statuerunt Sacerdotes in ordinibus suis, et Levitas in vicibus suis, super opera Dei in Jerusalem, sicut scriptum est in libro Moysi. 19. Fecerunt autem filii Israel transmigrationis Pascha, quartadecima die mensis primi. 20. Purificati enim fuerant Sacerdotes et Levitæ quasi unus: omnes mundi ad immolandum Pascha universis filiis transmigrationis, et fratribus suis Sacerdotibus, et sibi. 21. Et comederunt filii Israel, qui reversi fuerant de transmigratione, et omnes qui se separaverant a coinquinatione Gentium terræ ad eos, ut quærerent Dominum Deum Israel. 22. Et fecerunt solemnitatem azymorum septem diebus in lætitia, quoniam lætificaverat eos Dominus, et converterat cor regis Assur ad eos, ut adjuvaret manus eorum in opere domus Domini Dei Israel.

2. In Ecbatanis. — Hebraice, *in Achmata;* litteræ enim *beth* et *mem* sunt labiales, ideoque sæpe commutantur, et una pro alia substituitur.

In Medena. — Hebraice, *Madai*, id est *Media;* sive regno Medorum, quod a Persis jam erat subjugatum, et in provinciam redactum.

3. Altitudinem cubitor. sexaginta. — Prius templum Salomonis erat duplo altius, erat enim altum 120 cubitis; sed noluit Cyrus novum hoc tam alte exstrui, ne Judæi ex eo arcem facerent et rebellarent.

Et latitudinem cubitorum 60. — Per latitudinem hic accipit extensionem, sive ea fiat in longum, sive in latum. Ita Chaldæus; vetat enim templum extendi quaquaversum ultra 60 cubitos. Unde Lyranus: *Latitudinem*, inquit, hoc est *longitudinem*. longitudo enim templi, id est Sancti et Sancti sanctorum, erat cubitorum 60; latitudo vero viginti. Ita Ribera, lib. I *De Templo*, capite XXVII.

5. Posita sunt in templo, — id est ponenda sunt in templo ædificando. Septuaginta, *ut ponantur*. Melius, proprie « posita sunt in templo, » id est in gazophylacio templi, ut dixi, cap. v, vers. 15. Narrat enim Darius edictum Cyri jam esse expletum. Cyrus enim præceperat vasa reponi in templo: Darius jam narrat esse reposita, juxta ejus præceptum.

14. Ædificaverunt, etc., jubente Cyro, et Dario, et Artaxerxe. — Hoc refer non ad ædificationem templi in se, puta Sancti et Sancti sanctorum; hæc enim perfecta est anno sexto Darii, versu 15, sed ad consummationem atriorum et ornamentorum templi, et ad prosperitatem oblationum, donorum

et celebritatum templi: hæc enim perfecta est sub Artaxerxe. Rursum templi fabrica consummata fuit sub Dario, urbis vero Jerusalem sub Artaxerxe.

Artaxerxes quis? Quæres: Quis fuit hic Artaxerxes, de quo hic et cap. VII et seq.? Nonnulli putant esse Xerxem; hic enim fuit Darii Hystapsis filius eique in regno successit. Neque enim apparet ratio cur Esdras omiserit Xerxem, et per saltum a Dario avo transierit ad nepotem Artaxerxem Longimanum; præsertim cum celeberrimus fuerit hic Xerxes, utpote qui undecies centena millia militum duxit in eodem contra Græcos, ac copiis suis terras, classibus maria stravit, ideoque prius fuit terror Græciæ, sed mox ludibrium, cum victus pene solus fugere coactus est. Unde Xerxem speciatim describit Daniel, cap. XI, vers. 1. Adde: Xerxes optime in Judæos fuit affectus, ut narrat Josephus, lib. XI *Antiq.* cap. V, quare videtur ipse fabricam templi promovisse. Denique Esdras jam plane grandævus et senex, non videtur post tempora Xerxis idoneus fuisse tam arduæ legationi in Jerusalem, de qua cap. VII, vers. 6. Unde Josephus ait Esdram senem sub Xerxe vita functum non multo post reformatam Reipublicam. Genebrea in hac reformatione claudit hic liber gestorum Esdræ.

Respondetur quæstioni. Verum alii passim probabilius censent Artaxerxem hunc esse Longimanum Xerxis filium: *primo*, quia non Xerxes, sed Longimanus proprie ab omnibus historicis vocatur Artaxerxes; *secundo*, idem liquet ex continuatione hujus historiæ cum historia Nehemiæ, quæ olim unus erat liber cum hoc Esdræ. Nam qui hic dicitur Artaxerxes, et qui cap. VII, anno septimo regni sui misit Esdram in Jerusalem, idem *Nehemiæ*, cap. II, vers. 5, dicitur eodem misisse Nehemiam anno regni sui vigesimo: ille autem qui misit Nehemiam, fuit Longimanus, ut ibi patebit. Causa cur Esdras Xerxem omiserit, est quod ille totus occupatus bello Græco, non cogitarit de Judæis et templo, nec quid opis ad hoc eis contulerit. Porro Josephus confundit Xerxem cum Artaxerxe, nam Xerxi dat 28 annos, cum constet eum nonnisi viginti annos regnasse; quare cæteri octo anni dandi sunt Artaxerxi. De nomine « Artaxerxis » dixi cap. II, vers. 6, quibus adde, quod « Artaxerxes, » Hebraice et Chaldaice dicitur *Artachsasta*, quod Hebraice idem est quod *fervor gaudii*, ait Pagninus a חרה *ruheh*, id est *fervere et ballire*, et שש *sus* quod *gaudere*. Aut idem est quod « lumen festinans ponere, » et sic desivatur ab אור *or*, id est *lux*, et חש *sach*, id est *ponere*. Denique causa cur Artaxerxes tam benevolus fuerit Judæis, fuit Esther, quam multi putant ejus fuisse uxorem; ideoque alii eo suspensus fuit Aman, Mardochæus vero exaltatus. Sed hoc examinabo prooemio in *Esther*.

15. Mensis Adar. — Hic est mensis duodecimus Vers. 15. et ultimus Hebræorum, qui nostro partim februario, partim martio respondet.

Qui est annus sextus Darii regis. — Igitur anno sexto Darii pars interior templi, quæ proprie vocabatur « templum, » in quod solis Sacerdotibus ingredi fas erat, perfecta est; sed anno nono Darii omnes templi partes tam interiores quam exteriores, puta atria, porticus, aliaque templi ornamenta perfecta fuere. Ita Josephus, Ribera, Perrius, et alii.

20. Quasi unus, — scilicet unanimi consensu, Vers. 20. quasi omnes fuissent vir unus, unum idemque habentes cor et animum.

21. Qui se separaverant a coinquinatione gen- Vers. 21. tium. — Qui relicto Gentilismo facti proselyti, per circumcisionem initiati erant Judaismo.

22. Et converterat cor regis Assur ad eos. — Vers. 22. Hic est Darius rex Persarum, qui dicitur « rex Assur, » quia Assyrii olim rerum domini et monarchæ, atque ac Babylonii a Cyro subacti, jam subierant monarchiæ Persarum ac Darii.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Artaxerxes mittit Esdram in Jerusalem, ut Judæos visitet, instruat, dirigat et regat.

1. Post hæc autem verba, in regno Artaxerxis regis Persarum, Esdras filius Saraiæ, filii Azariæ, filii Helciæ, 2. filii Sellum, filii Sadoc, filii Achitob, 3. filii Amariæ, filii Azariæ, filii Maraioth, 4. filii Zaraiæ, filii Ozi, filii Bocci, 5. filii Abisue, filii Phinees, filii Eleazar, filii Aaron Sacerdotis ab initio. 6. Ipse Esdras ascendit de Babylone, et ipse scriba velox in lege Moysi, quam Dominus Deus dedit Israel: et dedit ei rex, secundum manum Domini Dei ejus super eum, omnem petitionem ejus. 7. Et ascenderunt de filiis Israel, et de filiis Sacerdotum, et de filiis Levitarum, et de cantoribus, et de janitoribus, et de Nathinæis, in Jerusalem, anno septimo Artaxerxis regis. 8. Et venerunt in Jerusalem mense quinto, ipse est annus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

septimus regis. 9. Quia in primo die mensis primi cœpit ascendere de Babylone, et in primo die mensis quinti venit in Jerusalem, juxta manum Dei sui bonam super se. 10. Esdras enim paravit cor suum, ut investigaret legem Domini, et faceret et doceret in Israel præceptum et judicium. 11. Hoc est autem exemplar epistolæ edicti, quod dedit rex Artaxerxes Esdræ Sacerdoti, scribæ erudito in sermonibus et præceptis Domini, et cæremoniis ejus in Israel. 12. Artaxerxes rex regum Esdræ Sacerdoti, scribæ legis Dei cœli doctissimo, salutem. 13. A me decretum est, ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Israel, et de Sacerdotibus ejus, et de Levitis, ire in Jerusalem, tecum vadat. 14. A facie enim regis, et septem consiliatorum ejus, missus es, ut visites Judæam et Jerusalem in lege Dei tui, quæ est in manu tua : 15. et ut feras argentum et aurum, quod rex et consiliatores ejus sponte obtulerunt Deo Israel, cujus in Jerusalem tabernaculum est. 16. Et omne argentum et aurum quodcumque inveneris in universa provincia Babylonis, et populus offerre voluerit, et de Sacerdotibus quæ sponte obtulerint domui Dei sui, quæ est in Jerusalem, 17. libere accipe, et studiose eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, et sacrificia, et libamina eorum, et offer ea super altare templi Dei vestri, quod est in Jerusalem. 18. Sed et si quid tibi et fratribus tuis placuerit, de reliquo argento et auro ut faciatis juxta voluntatem Dei vestri facite. 19. Vasa quoque, quæ dantur tibi in ministerium domus Dei tui, trade in conspectu Dei in Jerusalem. 20. Sed et cætera, quibus opus fuerit in domum Dei tui, quantumcumque necesse est ut expendas, dabitur de thesauro, et de fisco regis, 21. et a me. Ego Artaxerxes rex, statui atque decrevi omnibus custodibus arcæ publicæ, qui sunt trans flumen, ut quodcumque petierit a vobis Esdras Sacerdos, scriba legis Dei cœli, absque mora detis, 22. usque ad argenti talenta centum, et usque ad frumenti coros centum, et usque ad vini batos centum, et usque ad batos olei centum, sal vero absque mensura. 23. Omne, quod ad ritum Dei cœli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cœli : ne forte irascatur contra regnum regis, et filiorum ejus. 24. Vobis quoque notum facimus de universis Sacerdotibus, et Levitis, et cantoribus, et janitoribus, Nathinæis, et ministris domus Dei hujus, ut vectigal, et tributum, et annonas, non habeatis potestatem imponendi super eos. 25. Tu autem Esdra, secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue judices et præsides, ut judicent omni populo qui est trans Flumen, his videlicet qui noverunt legem Dei tui, sed et imperitos docete libere. 26. Et omnis qui non fecerit legem Dei tui, et legem regis diligenter, judicium erit de eo, sive in mortem, sive in exsilium, sive in condemnationem substantiæ ejus, vel certe in carcerem. 27. Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificaret domum Domini, quæ est in Jerusalem, 28. et in me inclinavit misericordiam suam coram rege et consiliatoribus ejus, et universis principibus regis potentibus : et ego confortatus manu Domini Dei mei, quæ erat in me, congregavi de Israel principes qui ascenderent mecum.

1. Post hæc verba, — post hæc acta et gesta.

Esdras (scriptor hujus libri) filius Saraiæ, — Pontificis occisi a Chaldæis, et frater Josedec, ac patruus Jesu Pontificis.

6. Ipse Scriba velox in lege Moysi, — *q. d.* Esdras legis Mosaicæ erat peritissimus, in eaque docenda et explicanda promptissimus ; « scriba » ergo idem est quod « legis peritus » vel « legis doctor. » Nota : Sicut Græci olim suos sapientes vocabant Philosophos, Chaldæi Magos, Galli Druydas, Indi Brachmanes, Gymnosophistas ; ita Judæi suos Doctores vocabant סופרים *Sopherim*, quod Septuaginta vertunt γραμματεῖς ; Noster « scribas » a ספר *sepher*, id est *littera* vel *scriptura*, *q. d. Litterati*, aut *scribæ*, eo quod circa S. Litteras describendas, docendas, explicandas versarentur. Scribarum enim officium erat S. Scripturam incorruptam servare, correctæ ejus descriptioni invigilare, illam interpretari tum scripto, tum viva voce : inde responsa conscribere, tractatus conficere, variis modis eam enarrare, etc. ; ita S. Epiphanius, *Hæresi* 15. Unde *sepher*, id est « scriba, » derivari potest a ספר *saphar*, id est *enarrare, recensere*, ut *sopher* sit idem quod *enarrator legis* ; sed Noster et Septuaginta ad etymon *sepher* respexerunt, ut dixi : sic Grammatici olim

nuncupati sunt qui γράμματα, id est litteras, versabant, et obscuras dubiasque poetarum sententias explicabant. Omne enim Judæorum studium erat in sacris litteris ; nam profanas et gentiles vix norant. Ita Jansenius, Toletus, Maldonatus et alii, ubi agunt de legisperitis cum quibus Christus crebro disseruit. Inter hos scribas eminuit Esdras, ut dixi in *Prooemio*. Hinc Elias Germanus, *in Thisbi* : « Scribæ, ait, sunt sapientes, qui alio nomine vocantur magistri : » *Sopher* ergo idem est quod *Rabbi*, *Rab*, *Rabban*. Idem innuit S. Hieronymus, *epist.* 152.

Ascendit de Babylone, — in Jerusalem.

Et dedit ei rex (Artaxerxes) secundum manum Domini Dei ejus super eum, omnem petitionem ejus. — « Manus » significat favorem et operationem, qua Deus faciebat Esdram gratiosum regi, ait Cajetanus, ut rex ei concederet quicquid peteret. Non dubium autem Esdram petiisse a rege, ut Jerusalem restauraretur, et muris cingeretur, ideoque illud impetrasse. Unde ab hoc anno septimo Artaxerxis, et ab hac regis concessione, multi inchoant septuaginta hebdomades, usque ad Christum, ut dixi *Daniel.* IX.

7. Anno septimo Artaxerxis. — A sexto anno Darii, quo absolutum et dedicatum fuit templum usque ad annum septimum Artaxerxis, qui Darii ex filio Xerxe fuit nepos, fluxere anni 57. Quare Esdras tunc erat grandævus et plusquam centenarius, sed fortis adhuc et vegetus, Deo eum sustentante ad commodum populi, ut eum in lege Domini erudiret et expoliret. Unde sequitur :

9. Esdras enim præparavit cor suum, ut investigaret legem Domini, (ut scilicet eam cognosceret, et plane perspectam haberet,) et (deinde) facere, (id est opere adimpleret,) et (denique) docere in Israel præceptum et judicium, — quid scilicet lex fieri, vel non fieri præcipiat, quidque per eam sit justum, vel injustum (hoc enim discernere, est « judicium »), licitum, vel illicitum. Disce hic ab Esdra ordinem docendi esse hunc, primo ut plene discas ; *secundo*, ut quod didicisti, prior ipse facias et opere impleas ; *tertio*, ut idem alios doceas. Sic Christus « cœpit » primo « facere, » deinde « docere, » *Act.* I, 1.

13. A facie (id est, jussu et auctoritate), Regis et septem consiliatorum ejus. — Persarum enim reges habebant septem summos principes et consiliarios. Unde congrue ad hunc numerum deinceps in Scriptura similiter nominantur septem Angeli primarii quasi principes Dei : « Septem viri aulæ cœlestis. » Nam, ut ait Aristoteles, (vel quisquis est Auctor, lib. *De mundo*, post medium), « majestas et gubernatio regum Persarum fuit imago divinæ majestatis et providentiæ. » Vide dicta *Apoc.* I, 4, ad illa : « Et a septem Spiritibus. »

Ut visites Judæam in lege Dei tui. — Rex ergo hic constituit Esdram visitatorem Judæorum sibi subjectorum, ut videat an ipsi observent legem Dei, et si cubi ab ea aberrent, eos erudiat, corrigat et castiget.

20. Dabitur de thesauro regis. — Vide hic pietatem regum Gentilium, scilicet Artaxerxis, qui æque ut Cyrus et Darius, ex suo ærario præstitit sumptus necessarios ad templi ministeria.

24. Ut vectigal, etc., non habeatis potestatem imponendi super eos. — Hinc patet Judæos fuisse servos et tributarios Persarum ; sed rex eorum hic ab omni tributo simillive onere publico immunes facit Sacerdotes, Levitas, cæterosque templi ministros. Quod notent Principes Christiani.

25. Tu autem Esdra, etc., constitue judices et præsides ut judicent omni populo, — ut lites dissidentium in populo juridice definiant, et judicialiter decidant.

26. Et omnis qui non fecerit legem, etc., judicium erit de eo sive in mortem. — Ecce hic rex dat Esdræ, et judicibus ab eo e populo constituendis, potestatem necis in prævaricatores, quam Judæis negarunt Romani : illam enim dantaxat Pilato, cæterisque suis præsidibus concesserunt. Unde Judæi, dicente Pilato, ut ipsi Christum secundum legem judicarent, responderunt : « Nobis non licet interficere quemquam, » *Matth.* XXVII.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur per familias Judæi, qui cum Esdra e Babylone redierunt in Judæam. Item vasa, munera, hostiæ quas Deo obtulerunt.

1. Hi sunt ergo principes familiarum, et genealogia eorum, qui ascenderunt mecum in regno Artaxerxis regis de Babylone. 2. De filiis Phinees, Gersom. De filiis Ithamar, Daniel. De filiis David, Hattus. 3. De filiis Sechenïæ, filiis Pharos, Zacharias : et cum eo numerati sunt viri centum quinquaginta. 4. De filiis Phahath Moab, Elioenai filius Zarehe, et cum eo ducenti viri. 5. De filiis Sechenïæ, filius Ezechiel, et cum eo trecenti viri. 6. De filiis Adan, Abed filius Jonathan, et cum eo quinquaginta viri. 7. De filiis Alam, Isaias filius Athaliæ, et

cum eo septuaginta viri. 8. De filiis Saphatiæ, Zebedia filius Michael, et cum eo octoginta viri. 9. De filiis Joab, Obedia filius Jahiel, et cum eo ducenti decem et octo viri. 10. De filiis Selomith, filius Josphiæ, et cum eo centum sexaginta viri. 11. De filiis Bebai, Zacharias filius Bebûi, et cum eo viginti octo viri. 12. De filiis Azgad, Johanan filius Eccetan, et cum eo centum et decem viri. 13. De filiis Adonicam, qui erant novissimi : et hæc nomina eorum : Elipheleth, et Jehiel, et Samaias, et cum eis sexaginta viri. 14. De filiis Beguî, Uthai et Zachur, et cum eis septuaginta viri. 15. Congreguvi autem eos ad fluvium, qui decurrit ad Ahava, et mansimus ibi tribus diebus, quæsivique in populo, et in Sacerdotibus de filiis Levi, et non inveni ibi. 16. Itaque misi Eliezer, et Ariel, et Semeiam, et Elnathan, et Jarib, et alterum Elnathan, et Nathan, et Zachariam, et Mosollam principes : et Joiarib, et Elnathan sapientes. 17. Et misi eos ad Eddo, qui est primus in Chasphiæ loco, et posui in ore eorum verba, quæ loquerentur ad Eddo, et fratres ejus Nathinæos, in loco Chasphiæ, ut adducerent nobis ministros domus Dei nostri. 18. Et adduxerunt nobis per manum Dei nostri bonam super nos, virum doctissimum de filiis Moholi, filii Levi filii Israel, et Sarabiam et filios ejus et fratres ejus decem et octo, 19. et Hazabiam, et cum eo Isaiam de filiis Merari, fratresque ejus et filios ejus viginti. 20. Et de Nathinæis, quos dederat David et principes ad ministeria Levitarum, Nathinæos ducentos viginti : omnes hi suis nominibus vocati sunt. 21. Et prædicavi ibi jejunium juxta fluvium Ahava, ut affligeremur coram Domino Deo nostro, et peteremus ab eo viam rectam nobis et filiis nostris, universoque substantiæ nostræ. 22. Erubui enim petere a rege auxilium et equites, qui defenderent nos ab inimico in via, quia dixeramus regi : Manus Dei nostri est super omnes qui quærunt eum in bonitate : et imperium ejus, et fortitudo ejus, et furor super omnes qui derelinquunt eum. 23. Jejunavimus autem, et rogavimus Deum nostrum per hoc : et evenit nobis prospere. 24. Et separavi de principibus Sacerdotum duodecim, Sarabiam, et Hasabiam, et cum eis de fratribus eorum decem. 25. Appendique eis argentum, et aurum, et vasa consecrata domus Dei nostri, quæ obtulerat rex et consiliatores ejus, et principes ejus, universusque Israel eorum qui inveni fuerant : 26. et appendi in manibus eorum argenti talenta sexcenta quinquaginta, et vasa argentea centum, auri centum talenta : 27. et crateres aureos viginti, qui habebant solidos millenos, et vasa æris fulgentis optimi duo, pulchra ut aurum. 28. Et dixi eis : Vos sancti Domini, et vasa sancta, et argentum et aurum quod sponte oblatum est Domino Deo patrum nostrorum, 29. vigilate et custodite, donec appendati scoram principibus Sacerdotum, et Levitarum, et ducibus familiarum Israel in Jerusalem, in thesaurum domus Domini. 30. Susceperunt autem Sacerdotes et Levitæ pondus argenti, et auri, et vasorum, ut deferrent Jerusalem in domum Dei nostri. 31. Promovimus ergo a fumine Ahava, duodecimo die mensis primi, ut pergeremus Jerusalem : et manus Dei nostri fuit super nos, et liberavit nos de manu inimici, et insidiatoris in via. 32. Et venimus Jerusalem, et mansimus ibi tribus diebus. 33. Die autem quarta appensum est argentum, et aurum, et vasa in domo Dei nostri, per manum Meremoth filii Uriæ Sacerdotis, et cum eo Eleazar filius Phinees, cumque eis Jozabed filius Josue, et Noadaia filius Benroi Levitæ, 34. juxta numerum et pondus omnium : descriptumque est omne pondus in tempore illo. 35. Sed et qui venerant de captivitate filii transmigrationis, obtulerunt holocautomata Deo Israel, vitulos duodecim pro omni populo Israel, arietes nonaginta sex, agnos septuaginta septem, hircos pro peccato duodecim : omnia in holocaustum Domino. 36. Dederunt autem edicta regis satrapis, qui erant de conspectu regis, et ducibus trans Flumen et elevaverunt populum et domum Dei.

Vers. 1. 1. QUI ASCENDERUNT MECUM. — Hinc patet Esdram hunc catalogum scripsisse, ipsumque esse hujus libri auctorem.

13. QUI ERANT NOVISSIMI, — id est qui ultimo loco Esdræ se associarunt, ut cum eo redirent in Jerusalem.

17. ET MISI EOS AD EDDO, QUI EST PRIMUS (principe) IN CHASPHIÆ LOCO. — « Chasphia » erat pagus, vel vicus in Babylone, in quo habitabant Judæi separati a Chaldæis, cujus pagi vel vici princeps erat « Eddo. »

21. ET PRÆDICAVI (id est indixi et promulgavi ceremonie) JEJUNIUM, etc., UT PETEREMUS AB EO VIAM RECTAM. — ut scilicet Deus via recta nos salvos et incolumes per tot hostes, pericula et anfractus duceret in Jerusalem, omniaque nostra prosperaret.

23. ROGAVIMUS DEUM NOSTRUM PER HOC, (Hebræus et Septuaginta : *Pro hoc*, vel *propter hoc*, ut scilicet propter hoc jejunium dirigeret et prosperaret iter nostrum ; quod et fecit : nam) EVENIT NOBIS PROSPERE. — Vide hic quam apud Deum potens sit oratio armata jejunio, ut videatur Deo vim inferre ad concedendum id quod petitur.

27. ET CRATERES AUREOS 20 QUI HABEBANT (pondus, id est ponderabant) SOLIDOS MILLENOS. — Hebræus et Septuaginta, *drachmas mille*.

35. OBTULERUNT HOLOCAUTOMATA. — Holocaustum proprie erat sacrificium, quo tota victima in honorem Dei cremabatur ; sed hic latius sumitur pro qualibet hostia, etiam pro peccato oblata, ut sequitur. Vide dicta *Levit.* 1 et seq.

36. ET ELEVAVERUNT POPULUM, — *q. d.* Satrapæ et præfecti Persarum *exaltarunt* Judæos suo patrocinio, favore, ope et opibus, promovendo fabricam templi, animando, adjuvando, annonam præbendo, munera offerendo, uti eis præceperat Artaxerxes cap. præcedenti.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Esdras delictum populi (quod gentilitias duxissent uxores), vestes lacerando, et crines vellendo deplorat : Deumque obsecrat, ut iram a populo avertat.

1. Postquam autem hæc completa sunt, accesserunt ad me principes, dicentes : Non est separatus populus Israel, Sacerdotes et Levitæ, a populis terrarum, et abominationibus eorum, Chananæi videlicet, et Hethæi, et Pherezæi, et Jebuzæi, et Ammonitarum, et Moabitarum, et Ægyptiorum, et Amorrhæorum : 2. tulerunt enim de filiabus eorum sibi et filiis suis, et commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum : manus etiam principum et magistratuum fuit in transgressione hac prima. 3. Cumque audissem sermonem istum, scidi pallium meum et tunicam, et evelli capillos capitis mei et barbæ, et sedi mœrens. 4. Convenerunt autem ad me omnes, qui timebant verbum Dei Israel, pro transgressione eorum qui de captivitate venerant ; et ego sedebam tristis usque ad sacrificium vespertinum : 5. et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea, et scisso pallio et tunica, curvavi genua mea, et expandi manus meas ad Dominum Deum meum, 6. et dixi : Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te : quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usque ad cœlum, 7. a diebus patrum nostrorum : sed et nos ipsi peccavimus graviter usque ad diem hanc, et in iniquitatibus nostris traditi sumus ipsi, et reges nostri, et Sacerdotes nostri, in manum regum terrarum, et in gladium, et in captivitatem, et in rapinam, et in confusione vultus sicut et die hac. 8. Et nunc quasi parum et ad momentum facta est deprecatio nostra apud Dominum Deum nostrum, ut dimuterentur nobis reliquiæ, ut daretur nobis paxillus in loco sancto ejus, et illuminaret oculos nostros Deus noster, et daret nobis vitam modicam in servitute nostra, 9. quia servi sumus, et in servitute nostra non dereliquit nos Deus noster, sed inclinavit super nos misericordiam coram rege Persarum, ut daret nobis vitam et sublimaret domum Dei nostri, et exstrueret solitudines ejus, et daret nobis sepem in Juda et Jerusalem. 10. Et nunc quid dicemus, Deus noster, post hæc? quia dereliquimus mandata tua, 11. quæ præcepisti in manu servorum tuorum prophetarum, dicens : Terra, ad quam vos ingredimini ut possideatis eam, terra immunda est, juxta immunditiam populorum, cæterarumque terrarum, abominationibus eorum qui repleverunt eam ab ore usque ad os in coinquinatione sua. 12. Nunc

ergo filias vestras ne detis filiis eorum, et filias eorum ne accipiatis filiis vestris, et non quæratis pacem eorum, et prosperitatem eorum, usque in æternum : ut confortemini, et comedatis quæ bona sunt terræ, et hæredes habeatis filios vestros usque in sæculum. 13. Et post omnia quæ venerunt super nos in operibus nostris pessimis, et in delicto nostro magno, quia tu, Deus noster, liberasti nos de iniquitate nostra, et dedisti nobis salutem sicut est hodie, 14. ut non converteremur, et irrita faceremus mandata tua, neque matrimonia jungeremus cum populis abominationum istarum. Numquid iratus es nobis usque ad consummationem ne dimitteres nobis reliquias ad salutem? 15. Domine Deus Israel, justus es tu : quoniam derelicti sumus, qui salvaremur sicut die hac. Ecce coram te sumus in delicto nostro, non enim stari potest coram te super hoc.

2. TULERUNT ENIM DE FILIABUS EORUM SIBI — uxores. Nota : Deus, *Exodi* XXXIV, et *Deuter.* VII, 3, præceperat Judæis ne uxores ducerent Chanan eas quæ incolebant terram sanctam a Judæis occupandam, idque ob periculum perversionis : ne scilicet ab idololatris uxoribus pellicerentur ad colendum idola, ut insinuat Nehemias, cap. ult., vers. 24 et 26. Idem judicium erat de Ammonitis, Moabitis, Ægyptiis, etc. : intelligo nisi uxores prius abjectis idolis ad Deum verum et Judaismum se converterent; tunc enim licebat eas ducere, ut Salomon duxit Rahab, et Booz duxit Ruth.

Causam peccati Lyranus et Glossa assignant hanc, quod Judæi venientes in Jerusalem, videntes uxores suas ex labore et ærumnis itineris macilentas, rugosas et deformes, eas contemserint, ideoque duxerint e vicinis gentibus juvenculas, vegetas et speciosas.

MANUS ETIAM PRINCIPUM ET MAGISTRATUUM FUIT IN TRANSGRESSIONE HAC PRIMA, — quasi dicat : In hoc opere ducendi uxores gentiles, primi fuere principes, qui alios ab hoc scelere avertere et compescere debuissent. Manus enim adhibetur operi ut illud operemur; atque manu juncta manui solet dari fides mutua mariti et uxoris.

7. SICUT ET DIE HAC, — cernimus, experimur et sentimus plagas jam dictas, quibus Deus dorsa nostra assidue verberat, et peccata nostra flagellat.

8. ET NUNC QUASI PARUM ET AD MOMENTUM FACTA EST [gratia et exaudita deprecatio nostra apud Dominum, — *q. d.* Parvum quiddam et parvo, ut verendum est, tempore duraturum deprecatione nostra obtinuimus a Deo, ut scilicet liceret nobis e Babylone redire in patriam. Unde Septuaginta vertunt : *Et nunc ut parum manufactus est nobis Dominus.* Timebat enim Esdras ne ob conjugia hæc cum Gentilibus inita, Deus rursum iratus reditum in Jerusalem revocaret, impediret, et aliis ærumnis involveret.

ET DARETUR NOBIS PAXILLUS IN LOCO SANCTO EJUS, (ita lege cum Hebræo, Septuaginta, Romanis, non, « pax illius, » *q. d.* « Et daretur nobis paxillus, » id est modica firmitas (paxillis enim et clavis figebant tabernacula, trabes et ligna, ut firma consisterent) habitationis nostræ in Jerusalem. Unde Septuaginta pro « paxillus, » vertunt *firmamentum.* Ita Cajetanus, Vatablus et alii. Symbolice, « paxillus » significat principes et magistratus e gente Judaica : ab his enim pendebat populus, sicut vas vel trabs pendet a paxillo, ut dixi *Isaiæ* XXII, 23, ad illa Dei de Eliacim Pontifice : « Et figam illum paxillum in loco fideli, et erunt in solium gloriæ domui patris ejus. » Esdras ergo pro magno beneficio computat, quod Artaxerxes Judæis dederit e gente sua principes et magistratus, qui eos secundum leges et instituta patria regerent, et in vero Dei cultu promoverent; si enim Persas dedisset, parum illi Dei cultum conservare curassent. Et hoc beneficio) ILLUMINARET (id est recrearet, lætificaret (sicut enim tenebræ tristitiæ, sic lux lætitiæ est symbolum et causa) OCULOS NOSTROS DEUS NOSTER : ET DARET NOBIS VITAM MODICAM IN SERVITUTE NOSTRA. — « Vitam, » intellige jucundam, liberam et letam; nam vivere in morore et servitute, mors potius est quam vita. Adde quod tradit Xenophon, lib. VII *Cyropædiæ*, Cyrum, cum capta Babylone Persæ sævirent in cives, præcepisse ut parcerent et vitam darent eis qui loquerentur lingua Syriaca, id est Judaice : hanc enim mentem ei indidit Deus in gratiam Judæorum.

9. ET EXSTRUERET SOLITUDINES, (ita vocat ruinas et domos desolatas in Jerusalem, quæ jam restaurabantur.) ET DARET NOBIS SEPEM — (ita lege cum Romanis non « spem, » ut legunt alii,) id est munimen, tutelam et securitatem a Samaritis, aliisque hostibus qui nunc sub Cambyse fabricam urbis et templi impediverunt; idque factum est per favorem Artaxerxis, tam benevoli tamque potentis monarchæ. Vers. 9

11. QUI REPLEVERUNT EAM AB ORE USQUE AD OS IN CONFUSIONE SUA, — id est impleverunt eam ab omni parte, sicut vas impletur ab ore ad os, id est, ab una extremitate usque ad aliam aceto, aliove liquore. Addit Sanchez : « Os, ait, mensuram denotat, quia mensura omnis maxime liquidorum orificium habet, quod est in vase summum, et ubi magna est alicujus liquoris abundantia, ex uno vase jam pleno in aliud per canalem transfunditur, et inde rursus in aliud, donec omnia vasa ad summum expleantur. » Quo decendi modo multæ provinciæ significantur plenæ abominatione gentilitia. Vers. 11

12. NUNC ERGO, — sunt verba Dei prohibentis, ne quis ducat uxorem gentilem.

ET NON QUÆRATIS PACEM EORUM ET PROSPERITATEM EORUM, — *q. d.* Ne curetis, ametis, quæratis prosperitatem Gentium vicinarum, quæ pace fruentes abundant opibus et deliciis, ut propterea cupiatis cum eis fœdus et matrimonia inire; sed potius Deo vestro servite in terra vestra, ab eoque prospera omnia petite et exspectate. *Secundo, q. d.* Non sitis solliciti de Gentium vicinarum pace et prosperitate, ut de ea gaudeatis; et si illa eis auferatur, doleatis; nolo enim vos cum eis amicitiam inire, et matrimonia jungere, sed potius cupio vos ab eis esse aversos et inimicos, ut eos conculcetis, evertatis et exscindatis, ut jussit Deus, *Exodi* XXIII, 32.

13. ET POST OMNIA QUÆ VENERUNT SUPER NOS IN OPERIBUS (id est propter opera : est enim כ' pretii sive meriti) NOSTRIS PESSIMIS, ET IN DELICTO NOSTRO, (magno idololatriæ, quo sub Salomone, Manasse, Jechonia, etc., relicto Deo columus idola gentium;) QUIA TU DEUS NOSTER LIBERASTI NOS (e captivitate Babylonica, in quam ob peccata nostra incideramus,) ET DEDISTI NOBIS SALUTEM (libertatem, ut salvi rediremus in Jerusalem) SICUT EST HODIE, — id est sicut hodie factum cernimus, gaudemus et gratulamur; idque, Domine, fecisti hoc fine, ut tanto beneficio tuo illecti,

14. NON CONVERTEREMUR — ad pristina idola et vitia. Nota : Ts *ki*, id est *quia*, hic non sumitur proprie ut significet causam, sed impropriæ idque dupliciter; *primo* ut sit particula nil significans, sed per pleonasmum redundans et ornatus causa duntaxat addita : sic enim Hebræi sæpe usurpant כי *ki*, præsertim cum rem gravem vel eximiam, vel valde desideratam aut gratam significare volunt, ut *Joan.* IV, ubi Christus ait Samaritanæ : « Bene dixisti, quia non habeo virum; » id est me non habere virum. Et *Osee*, cap. X, vers. 3 : « Quia luxit super eum populus. » Et cap. eodem, vers. 3 : « Quia nunc dicent : Non est rex nobis. » Et *Psalm.* XVII, quater particula כי Hebraice ad ornatum ponitur, et *quoniam* latine, quæ illi respondet, quæ idem valet quod *quia*, vers. 31, 32, 33, 35. Quare sensus erit : Post hæc omnia, quæ propter nostra opera scelerata pertulimus, tu Deus noster liberasti nos. Ita Sanchez. Quia aliquando sumitur ut est particula redundans.

Secundo, magis nervose Vatablus pro *quia* vertit *tamen*. Hebraice enim *ki*, id est *quia*, sæpe est adversarium et sumitur pro *sed*, *tamen*, *verumtamen*, ut *Isaiæ* XXXVI : « Numquid parturiet terra in una die? quia parturivit et peperit Sion; » id est non poterit parere uno die terra; verumtamen poterit Sion. *Psalm.* XXXVI, cum dixisset David de justis : « Non confundentur in tempore malo; » subjicit de impiis : « Quia peccatores peribunt; » id est, verumtamen peccatores peribunt. Et *Psal.* XIII, cum dixisset de peccatoribus : « Trepidaverunt timore, ubi non erat timor; » de justis statim subjicit : « Quoniam Dominus in generatione justa est, » id est verumtamen Deus cum justis erit et ideo non timebunt. Pro pro tamen.

Sic et hic : unde Vatablus vertit : *Postequam vero omnia hæc venerunt super nos propter opera nostra mala, et propter ingentia delicta nostra; tu tamen, o Deus noster, pepercisti, ne nos deperiremus ob iniquitates nostros.* Admiratur enim Esdras immensam Dei in Judæos clementiam, quod eos ob tanta scelera in Babylone non derliquerit, nec plane disperdiderit, sed pepercerit; quin et novis magnisque donis auxerit, nimirum libertate, reditu in patriam, restauratione urbis et templi; a deo ut beneficiis suis cum ipsorum ingratitudine et maleficiis certasse videatur. Hæc est divina clementia omnem humanam superans, et Deo soli propria.

NUMQUID IRATUS ES NOBIS USQUE AD CONSUMMATIONEM (ut nos plane disperderes et consumeres) NE DIMITTERES NOBIS RELIQUIAS AD SALUTEM? — ne scilicet ex tot millibus Judæorum salvares paucos aliquos, quasi populi reliquias? *q. d.* Minime gentium : licet enim tu id optimo jure nobis facere potuisses ob nostra scelera, tamen noluisti. Vicit enim tua clementia tuam justitiam, ut non tantum paucas reliquias, sed multa millia Judæorum tam in Judæa quam in Babylone salvaris, et in vita conservaris, quæ pristinum Israelis ac Reipublicæ et Ecclesiæ tuæ decus et splendorem quasi emortuum suscitabunt, et redivivum gloriosumque exhibebunt.

15. DOMINE DEUS ISRAEL, JUSTUS ES TU : QUONIAM DERELICTI SUMUS QUI SALVAREMUR SICUT DIE HAC, — apparet et ab omnibus cernitur, *q. d.* Multi quidem e nobis perierunt ob peccata, quia justo tuo judicio eos condemnasti; non pauci tamen in vita superstites derelicti sunt qui salvarentur : qua in re excessum quemdam justitiæ fecisti, ut justissimus sis et dicaris, eo quod non omnes perdideris, uti juste poteras; sed multos salvaris, ut justitiam tuam clementia magna temperares; imo justitia tua sineret se vinci a tua clementia, aut potius ipsa se converteret in clementiam, faceretque ut clementia justitiæ locum occuparet. Ille enim est excessus justitiæ, cum justitia locum suum cedit clementiæ, imo in eam se commutat et transformat. Vers. 15

ECCE CORAM TE SUMUS IN DELICTO NOSTRO, — *q. d.* Reos nos tibi sistimus gravissimi delicti, scilicet quod uxores gentilitias duxerimus.

NON ENIM STARI POTEST CORAM TE SUPER HOC, — *q. d.* Non potest hoc ulla ratione negari, excusari, velari, vel defendi; Hebræus : *Non enim est stare coram te super hoc*; quin in judicio causa cadamus, judicemurque peccatores, ingrati, et res mese divinæ majestatis. Quare præ pudore vultum velamus, imo in terram projicimus, flagitante gratiam et misericordiam tuam. Talis debet esse pœnitentium sensus et oratio, pudor et contritio-

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Esdras mandat dimitti uxores gentilitias ; designantur præfecti qui hoc mandatum exsequantur ; recensentur ii qui gentilitias duxerant.

1. Sic ergo orante Esdra, et imprecante eo, et flente, et jacente ante templum Dei, collectus est ad eum de Israel cœtus grandis nimis virorum, et mulierum, et puerorum, et flevit populus fletu multo. 2. Et respondit Sechenias filius Jehiel de filiis Ælam, et dixit Esdræ : Nos prævaricati sumus in Deum nostrum, et duximus uxores alienigenas de populis terræ : et nunc, si est pœnitentia in Israel super hoc, 3. percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, ut projiciamus universas uxores, et eos qui de his nati sunt, juxta voluntatem Domini, et eorum qui timent præceptum Domini Dei nostri : secundum legem fiat. 4. Surge, tuum est decernere, nosque erimus tecum : confortare, et fac. 5. Surrexit ergo Esdras, et adjuravit principes Sacerdotum et Levitarum, et omnem Israel, ut facerent secundum verbum hoc, et juraverunt. 6. Et surrexit Esdras ante domum Dei, et abiit ad cubiculum Johanan filii Eliasib, et ingressus est illuc, panem non comedit, et aquam non bibit : lugebat enim transgressionem eorum qui venerant de captivitate ; 7. et missa est vox in Juda et in Jerusalem omnibus filiis transmigrationis, ut congregarentur in Jerusalem ; 8. et omnis qui non venerit in tribus diebus juxta consilium principum et seniorum, auferetur universa substantia ejus, et ipse abjicietur de cœtu transmigrationis. 9. Convenerunt igitur omnes viri Juda et Benjamin in Jerusalem tribus diebus, ipse est mensis nonus, vigesimo die mensis : et sedit omnis populus in platea domus Dei, trementes pro peccato, et pluviis. 10. Et surrexit Esdras Sacerdos, et dixit ad eos : Vos transgressi estis, et duxistis uxores alienigenas, ut adderetis super delictum Israel. 11. Et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum et facite placitum ejus, et separamini a populis terræ, et ab uxoribus alienigenis. 12. Et respondit universa multitudo, dixitque voce magna : Juxta verbum tuum ad nos, sic fiat. 13. Verumtamen quia populus multus est, et tempus pluviæ, et non sustinemus stare foris, et opus non est diei unius vel duorum (vehementer quippe peccavimus in sermone isto), 14. constituantur principes in universa multitudine : et omnes in civitatibus nostris qui duxerunt uxores alienigenas, veniant in temporibus statutis, et cum his seniores per civitatem et civitatem, et judices ejus, donec avertatur ira Dei nostri a nobis super peccato hoc. 15. Igitur Jonathan filius Azahel, et Jasia filius Thecue, steterunt super hoc, et Mesollam, et Sebetlai Levites adjuverunt eos : 16. fecerunteque sic filii transmigrationis. Et abierunt Esdras Sacerdos, et viri principes familiarum, in domos patrum suorum, et omnes per nomina sua, et sederunt in die primo mensis decimi ut quærerent rem 17. Et consummati sunt omnes viri, qui duxerant uxores alienigenas, usque ad diem primam mensis primi. 18. Et inventi sunt de filiis Sacerdotum qui duxerant uxores alienigenas. De filiis Josue filii Josedec, et fratres ejus, Maasia, et Eliezer, et Jarib, et Godolia. 19. Et dederunt manus suas ut ejicerent uxores suas, et pro delicto suo arietem de ovibus offerrent. 20. Et de filiis Emmer, Hanani, et Zebedia. 21. Et de filiis Harim, Maasia, et Elia, et Semeia, et Jehiel, et Ozias. 22. Et de filiis Phesh r, Elioenai, Maasia, Ismael, Nathanael, Jozabed, et Elasa. 23. Et de filiis Levitarum, Josabed et Semei, et Celaia, ipse est Calita, Phataia, Juda, et Eliezer. 24. Et de cantoribus, Eliasib. Et de janitoribus, Sellum, et Telem, et Uri. 25. Et ex Israel, de filiis Pharos, Remeia, et Jezia, et Melchia, et Miamin, et Eliezer, et Melchia, et Banea. 26. Et de filiis Ælam, Mathania, Zacharias, et Jehiel, et Abdi, et Jerimoth, et Elia. 27. Et de filiis Zethua, Eliœnai, Eliasib, Mathania, et Jerimuth, et Zabad, et Aziza. 28. Et de filiis Bebai, Johanan, Hanania, Zabbai, Athalai. 29. Et de filiis Bani, Mosollam, et Melluch, et Adaia, Jasub, et Saal, et Ramoth. 30. Et de filiis Phahath, Moab, Edna, et Chalal, Banaias, et Maasias, Mathanias, Bese eel, Benui, et Manasse. 31. Et de filiis Herem, Eliezer, Josue, Melchias, Semeias, Simeon, 32. Benjamin, Maloch, Samarias. 33. Et de filiis Hasom, Mathanai, Mathatha, Zabad, Eliphelet, Jermai, Manasse, Semei. 34. De filiis Bani, Maaddi, Amram, et Vel, 35. Banea, et Badaias, Cheliau, 36. Vania, Marimoth, et Eliasib, 37. Mathanias, Mathanai, et Jasi, 38. et Bani, et Bennui, Semei, 39. et Salmias, et Nathan, et Adaias, 40. et Mochnedebai, Sisai, Sarai, 41. Ezrel, et Selemiau, Semeria, 42. Sellum, Amaria, Joseph. 43. De filiis Nebo, Jehiel, Mathathias, Zabad, Zabina, Jeddu, et Joel, et Banaia. 44. Omnes hi acceperant uxores alienigenas ; et fuerunt ex eis mulieres quæ pepererant filios.

1. SIC ERGO ORANTE ESDRA ET IMPLORANTE (Dei misericordiam), ET FLENTE, ET JACENTE ANTE TEMPLUM. — Fecit hoc Esdras, ut populum ad pœnitentiam inveterati abusus docendi alienigenas, sua oratione et fletu impelleret; ipse enim confitetur et deflet hic peccatum non suum, sed populi, ejusque personam et peccatum in se suscipit (atque ac fecit Christus, cujus Esdras hic est typus), ideoque publicam orationem instituit, cum gemitu et lacrymis prostratus in terram, et jacens ante templum, quasi indignum se existimans qui templum ingrederetur, ibique oraret; utque ante templum oraus et plorans, ut habent Septuaginta, a toto populo circumfuso audiretur.

2. ET NUNC SI EST POENITENTIA IN ISRAEL SUPER HOC. — Hebræus et Septuaginta : *Si est spes*, scilicet Deum per pœnitentiam placandi. « Pœnitentia » enim est dolor de peccatis cum spe veniæ impetrandæ. Qui enim non habet spem veniæ non pœnitet, sed desperat instar Judæ. Quare pœnitentia includit spem remissionis peccati.

3. PERCUTIAMUS FOEDUS CUM DOMINO DEO NOSTRO, UT PROJICIAMUS UNIVERSAS UXORES (alienigenas), ET EOS QUI DE HIS NATI (ne natorum intuitus et amor nos solliciet ad revocandas earum matres alienigenas. Verum cum hi sint filii nostri, impium et inhumanum foret eos omnino abjicere : quare abjiciamus eos non plane et absolute, sed) JUXTA VOLUNTATEM DOMINI, ET PRAECEPTUM EORUM QUI TIMENT DOMINUM, — ut scilicet modum abjiciendi, quem viri sapientes et timentes Deum nobis præscripserint, exsequamur.

5. ET JURAVERUNT, — se uxores alienigenas absolute et omnino dimissuros; filios vero ex eis procreatos non absolute, sed juxta consilium Esdræ et sapientum Deum timentium a se abjecturos. Sapientes autem hunc modum præscripserunt, ut filios a se et domo sua amandarent ad collegia et pædagogia ad hoc instituta et instituenda, ut in iis a viris prudentibus erudirentur in vera Dei fide, timore et cultu, ac in bonis moribus. Ita Cajetanus.

Magna fuit hæc resolutio Judæorum, plane seria pœnitentia, et juramentum valde arduum. Jurant enim se uxores suas, quibus ardore magno tot annos agglutinati fuerant, quasque amabant ut viscera sua, abjecturos, ut Dei voluntati legique satisfaciant; idem facturos de prolibus, quos ut sua membra, imo ut vivas sui imagines, ac ut alteros se, utpote in quibus post mortem superstites fulori, et in hominum memoria continue victuri erant, abjecturos et spem posteritatis quasi succisuros, *q. d.* Malumus placere Deo, quam uxoribus et filiis nostris; malumus gratiam Dei, quam uxorum. Deum enim amamus supra omne amabile : quare ut ejus amori, religioni et legi obsequamur, illos a Deo nobis dilectos abdicabimus, et quasi membra nostra a nobis dissecabimus. Imitabimur Abraham patrem nostrum, qui unicum suum Isaac Deo immolare voluit.

Matrimonia Judæorum cum alienigenis irrita.

Nota : Nonnulli cum Bellarmino, lib. I *De Matrimonio*, cap. XXIII, censent hæc matrimonia Judæorum cum alienigenis fuisse irrita et nulla, eo quod lex *Exod.* XXIII, et *Deut.* VII, vetans illa, videatur eadem pariter irritare et annullare. Probabilius Cajetanus et alii censent illa lege fuisse duntaxat vetita, non autem irrita. Lex enim nil tale exprimit, quo significet illa esse nulla. Dissolvit tamen ea Esdras, quia in lege connubia solvi poterant per libellum repudii Judæis permissum, ac proinde hoc casu debebant solvi, utpote contra legem inita, et vetita ob periculum idololatriæ.

6. ET SURREXIT ESDRAS ANTE DOMUM DEI, ET ABIIT AD CUBICULUM JOHANAN FILII ELIASIB. — Hic « Eliasib » fuit Pontifex, ac filius Joacim. Hæc enim fuit series Pontificum illius ævi : Saraia occiso a Chaldæis successit filius Josedec, huic Jesus, huic Joacim, huic Eliasib, ut patet *Nehem.* XII, 22, vicesimo ergo Joacim jam fuisse mortuus, ut et successerit Eliasib, uti asserit Josephus, lib. XI, cap. V, et Eusebius *in Chron.* Certe anno Artaxerxis vigesimo Eliasib fuisse Pontificem, liquet *Nehem.* cap. III, vers. 1. Vers. 6.

7. ET MISSA EST VOX IN JUDA, — *q. d.* Missus est præco qui sua voce omnes Judæos citaret, et convocaret in Jerusalem sub pœna excommunicatio- Vers. 7.

nis et confiscationis bonorum, ut audirent mandatum Esdræ et principum de dimittendis uxoribus gentilitiis. Porro sub Juda et Benjamin intellige cæteros Israelitas, qui se tribui Judæ aggregarant sub Duce Zorobabele et Jesu Pontifice.

9. IPSE EST MENSIS NONUS, VIGESIMO DIE MENSIS.— Nota : Hebræi utebantur mensibus non solaribus ut nos, sed lunaribus. Una enim lunatio sive unus lunæ per Zodiacum cursus, unum constituebat mensem. Porro primus mensis erat is cujus novilunium proximus erat æquinoctio verno, quod modo incidit sub diem 21 martii : tunc enim liberati fuerunt Hebræi ex Ægypto per primam celebrationem Paschæ et Agni Paschalis in mense primo. Primus hic mensis vocabatur Nisan, qui respondebat nostro partim martio, partim aprili. Vide dicta *Exodi* XII. Nonus ergo mensis, de quo hic, vocabatur Casleu, qui respondebat nostro partim novembri, partim decembri. Ordo enim mensium Hebræorum est hic : Nisan, Jiar, Sivan, Tammuz, Ab, Elul, Tisri, Marchesvan, Casleu, Tevet, Sabat, Adar. Ita Genebrardus in *Calendario Hebræorum*.

ET SEDIT OMNIS POPULUS IN PLATEA DOMUS DEI, TREMENTES PRO PECCATO ET PLUVIIS, — *q. d.* Tremebant interius ex conscientia sceleris eos exagitante, quod scilicet uxores gentilitias duxissent, contra legem Dei ; tremebant pariter exterius ob pluvias et frigora ; erat enim november.

11. ET NUNC DATE CONFESSIONEM DOMINO DEO. — Hebræus, *Date* הודאה *todhah*, id est *confessionem, laudem, gloriam*, *q. d.* Pœniteat vos, ac confitemini Domino reatum peccati vestri, cum serio et efficaci satisfactionis et emendationis proposito, repudiandi scilicet uxores alienigenas. Hæc enim confessio et pœnitentia vestra valde Deum laudabit et glorificabit. Nam *primo* testabitur ipsum esse justum, vos vero peccatores ; *secundo*, subdet vos Deo Deique voluntati et legi ; *tertio*, abdicabit a vobis periculum idololatriæ ; *quarto*, separabit vos quasi fideles et sanctos a contactu et contaminatione infidelium et immundorum. Vide dicta *Josue* VII, 19, ubi Josue ait ad Achan : « Fili, da gloriam Deo. »

14. CONSTITUANTUR PRINCIPES,—qui exsequantur edictum jam editum, ac curent, ut singuli, qui uxores alienigenas duxerunt, eas dimittant. Hinc videtur edictum hoc exsecutioni mandatum fuisse, ac singulos partim sponte, partim coactos a principibus dimisisse uxores gentilitias ; id enim factum esse expresse narrat Josephus, lib. XI, cap. V, ac lib. III *Esdræ* cap. IX, 36. Negat tamen hoc Cajetanus, atque Esdram non prævaluisse, ut id posset exsequi ob multitudinem resistentium, qui uxoribus suis agglutinati erant, sed id perfecisse post decem annos Nehemiam, cap. XIII, 23 : « In diebus, inquit, illis vidi Judæos ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, Moabitidas ; et filii eorum ex media parte loquebantur Azotice, et nesciebant loqui Judaice, et loquebantur juxta linguam populi et populi. »

Verum hic locus non convincit. Dici enim potest, estque valde probabile, Judæos post tot promissiones, juramenta, lacrymas et gemitus redisse ad vomitum, ac easdem uxores alienigenas revocasse, vel alias similes duxisse. Nam diserte totus populus hoc loco consensit Esdræ in alienigenarum repudium, ut patet versu 12, ubi dicitur : « Et respondit universa populi multitudo, dixitque voce magna : Juxta verbum tuum ad nos (sient locutus es et edixisti nobis) sic fiat. »

17. ET CONSUMMAVERUNT (plane et plene numerati, annotati, et in catalogum redacti sunt) OMNES VIRI, QUI DUXERUNT UXORES ALIENIGENAS. — Unde eorum nomina deinceps fuse recensentur etiam sacerdotum ; quæ res indicat magnam fuisse tunc morum corruptionem, ut sacerdotes quoque pervaserit. Porro, « sicut populus, sic sacerdos, » ait Isaias cap. XXIV, vers. 2.

44. OMNES HI ACCEPERUNT UXORES ALIENIGENAS, ET FUERUNT EX ILLIS MULIERES QUÆ PEPERERANT FILIOS. — Pro « pepererant, » Hebraice est ישיבו *iasimu*, id est *posuerunt* ; quod nonnulli sic explicant, *q. d.* Mulieres nonnullæ alienigenæ filios suos, quos ex Judæis conceperant, exposuerunt arbitrio et voluntati judicum, ut ejicerent eos, aut retinerent. Verum hæc res non spectabat ad mulieres, sed ad maritos, et ad judices, qui hic cum viris, non cum uxoribus, rem et causam egerunt. Igitur *mulieres posuere filios* idem est quod *parere filios*, ut vertit Noster, Septuaginta, Vatablus et alii.

LIBER NEHEMIÆ.

ARGUMENTUM.

Nehemias primitus, ut patet *Esdræ* I, 23, ante Esdram (qui sub Artaxerxe rediit), sub Cyro cum Zorobabele et populo, Babylone reversus fuerat in Jerusalem, ut eam cum templo reædificaret. Unde eum ibi invenit Esdras, ut patet *Esdræ* I, cap. VIII, 9 ; verum cum Samaritani sub Cambyse Cyri filio fabricam urbis et templi impedirent per novem annos, Nehemias regressus est cum Zorobabele Babylonem, fulique pincerna Artaxerxis ; unde anno ejus vigesimo facultate ab eo impetrata restaurandæ urbis, rediit secundo in Jerusalem, eamque instauravit, et muris undique cinxit, spatio duodecim annorum, scilicet ab anno 20 Artaxerxis usque ad annum 32 ejusdem, ut patet cap. XIII, 6 ; quo facto, tertio rediit Babylonem, indeque tertio reversus est in Jerusalem, ibique paulo post mortuus. Audi Josephum, libro XI, capite V in fine : « Post hæc, inquit, et alia multa honesta et laude digna opera, Nehemias jam senex defunctus est. Vir ad virtutem et justitiam natus, et in populares suos beneficentissimus, relicto sempiterno sui monumento in Hierosolymitanis mœnibus. »

Zorobabel autem in Babylone mansit ; ibique mortuus est, ut tradunt Hebræi *in Seder-Olam*, et lib. III *Esdræ* cap. III, IV et VI.

Nehemias quis?

Quæres : Quis et qualis fuit Nehemias ? Severus Sulpitius, S. Isidorus et Sixtus Senensis in *Nehemia* censent eum fuisse de tribu Juda. Verum sacerdotem eum fuisse ideoque oriundum ex tribu Levi, liquet II *Machab.* II, 21. Porro fuit ipse auricus Artaxerxis, imo pincerna ; unde ab eo obtinuit facultatem urbem reædificandi, idque facili magno labore, magnaque fortitudine assidue certando cum hostibus fabricam impedientibus. Artaxerxes hic fuit Longimanus Xerxis filius, sub quo Pontifex Judæorum erat Eliasib filium Joacim, nepos Jesu Nehemiæ familiaris et adjutor. Porro, Nehemias præter hunc librum scripsit alium de rebus quæ Judæis post reditum in Jerusalem contigerunt, cujus fit mentio II *Machab.* II, 13 : « Inferebantur autem in descriptionibus et commentariis Nehemiæ hæc eadem ; et ut construens Bibliothecam congregavit de regionibus libros et Prophetarum, et David, et Epistolas Regum, et de donariis.

An idem cum Esdra?

Quæres secundo an hic Nehemias sit idem cum Nehemia, cujus meminit Esdras, cap. II et seq. Nonnulli censent esse diversum : probant *primo*, quia ille Esdras fuit unus e ducibus redeuntium e captivitate sub Cyro ; quare tunc erat viginti annorum ut minimum. A primo autem anno Cyri usque ad annum 32 Artaxerxis Longimani, ad quem Nehemias hic noster pervenit, ut patebit cap. XIII, 6, fluxere 96. Quare tunc Nehemias erat ut minimum centum et sedecim annorum, ac proinde ineptus ad officium pincernæ Artaxerxis, multo ineptior ad laboriosam istam legationem, et profectionem e Jerusalem in Persidem ad Artaxerxem, de qua cap. XIII, 6 ; *secundo*, quia Nehemias hic passim de se loquitur in prima persona : de Nehemia autem Esdræ socio loquitur Scriptura in tertia persona, ut patet cap. VII, 65, et cap. VIII, 9 ; *tertio*, quia Nehemias hic vidit Jaddum qui fuit Pontifex, et occurrit Alexandro Magno, ut innuitur cap. XII, 11 ; debuisset ergo Nehemiassesse ducentorum annorum (tot enim sunt ab Esdra et Cyro usque ad Alexandrum) et amplius.

Respondeo primo.

Verum plures censent unum eumdemque esse Nehemiam, non duos, idque videtur verius. Nam Nehemias tam in hoc libro, quam in libro Esdræ, vocatur Athersatha. Audi lib. I, cap. VIII, 9 : « Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha) et Esdras sacerdos : » *secundo*, quia quod de Athersatha, id est Nehemia, dicitur I *Esdræ* cap. II, 63, scilicet eum præcepisse ut sacerdotes incerti et dubii non comederent de victimis sanctificatis, donec oraculo pontificis constaret ipsos esse veros sacerdotes ; idem prorsus de eodem dicitur Nehemiæ cap. VII, 65 ; *tertio*, quia hic Nehemias cap. VII, 7, dicitur cum Zorobabel et Josue, sive Jesu filio Josedec, sub Cyro, venisse in Jerusalem ; *quarto*, quia cap. VIII, 9, Nehemias cum Esdra interpretatus est legem populo. Ergo unus fuit Nehemias idemque Esdræ socius, eo tamen junior. Ita Salianus, Sanchez et alii.

Respondeo secundo.

Ad *primum* respondeo, Nehemiam fuisse longævum, adeoque fortem et vegetum a Deo in multam senectam conservatum, in commodum populi, ut Jerusalem reædificaret, et civium causam apud Artaxerxem ageret. Sic et Esdras fuit 132 annorum et amplius, ut in proœmio *Esdræ* ostendi.

Ad *secundum* respondeo, Nehemias hujus libri est auctor, ideoque hic subinde loquitur de se in prima persona, et non semper ; nam in tertia persona de se loquitur, VII, 7 et 70, ac VIII, 9.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nis et confiscationis bonorum, ut audirent mandatum Esdræ et principum de dimittendis uxoribus gentilitiis. Porro sub Juda et Benjamin intellige cæteros Israelitas, qui se tribui Judæ aggregarant sub Duce Zorobabele et Jesu Pontifice.

9. IPSE EST MENSIS NONUS, VIGESIMO DIE MENSIS.— Nota : Hebræi utebantur mensibus non solaribus ut nos, sed lunaribus. Una enim lunatio sive unus lunæ per Zodiacum cursus, unum constituebat mensem. Porro primus mensis erat is cujus novilunium proximus erat æquinoctio verno, quod modo incidit sub diem 21 martii : tunc enim liberati fuerunt Hebræi ex Ægypto per primam celebrationem Paschæ et Agni Paschalis in mense primo. Primus hic mensis vocabatur Nisan, qui respondebat nostro partim martio, partim aprili. Vide dicta *Exodi* XII. Nonus ergo mensis, de quo hic, vocabatur Casleu, qui respondebat nostro partim novembri, partim decembri. Ordo enim mensium Hebræorum est hic : Nisan, Jiar, Sivan, Tammuz, Ab, Elul, Tisri, Marchesvan, Casleu, Tevet, Sabat, Adar. Ita Genebrardus in *Calendario Hebræorum*.

ET SEDIT OMNIS POPULUS IN PLATEA DOMUS DEI, TREMENTES PRO PECCATO ET PLUVIIS, — *q. d.* Tremebant interius ex conscientia sceleris eos exagitante, quod scilicet uxores gentilitias duxissent, contra legem Dei ; tremebant pariter exterius ob pluvias et frigora ; erat enim november.

11. ET NUNC DATE CONFESSIONEM DOMINO DEO. — Hebræus, *Date* הודאה *todhah*, id est *confessionem, laudem, gloriam*, *q. d.* Pœniteat vos, ac confitemini Domino reatum peccati vestri, cum serio et efficaci satisfactionis et emendationis proposito, repudiandi scilicet uxores alienigenas. Hæc enim confessio et pœnitentia vestra valde Deum laudabit et glorificabit. Nam *primo* testabitur ipsum esse justum, vos vero peccatores ; *secundo*, subdet vos Deo Deique voluntati et legi ; *tertio*, abdicabit a vobis periculum idololatriæ ; *quarto*, separabit vos quasi fideles et sanctos a contactu et contaminatione infidelium et immundorum. Vide dicta *Josue* VII, 19, ubi Josue ait ad Achan : « Fili, da gloriam Deo. »

14. CONSTITUANTUR PRINCIPES,—qui exsequantur edictum jam editum, ac curent, ut singuli, qui uxores alienigenas duxerunt, eas dimittant. Hinc videtur edictum hoc exsecutioni mandatum fuisse, ac singulos partim sponte, partim coactos a principibus dimisisse uxores gentilitias ; id enim factum esse expresse narrat Josephus, lib. XI, cap. V, ac lib. III *Esdræ* cap. IX, 36. Negat tamen hoc Cajetanus, atque Esdram non prævaluisse, ut id posset exsequi ob multitudinem resistentium, qui uxoribus suis agglutinati erant, sed id perfecisse post decem annos Nehemiam, cap. XIII, 23 : « In diebus, inquit, illis vidi Judæos ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, Moabitidas ; et filii eorum ex media parte loquebantur Azotice, et nesciebant loqui Judaice, et loquebantur juxta linguam populi et populi. »

Verum hic locus non convincit. Dici enim potest, estque valde probabile, Judæos post tot promissiones, juramenta, lacrymas et gemitus redisse ad vomitum, ac easdem uxores alienigenas revocasse, vel alias similes duxisse. Nam diserte totus populus hoc loco consensit Esdræ in alienigenarum repudium, ut patet versu 12, ubi dicitur : « Et respondit universa populi multitudo, dixitque voce magna : Juxta verbum tuum ad nos (sient locutus es et edixisti nobis) sic fiat. »

17. ET CONSUMMAVERUNT (plane et plene numerati, annotati, et in catalogum redacti sunt) OMNES VIRI, QUI DUXERUNT UXORES ALIENIGENAS. — Unde eorum nomina deinceps fuse recensentur etiam sacerdotum ; quæ res indicat magnam fuisse tunc morum corruptionem, ut sacerdotes quoque pervaserit. Porro, « sicut populus, sic sacerdos, » ait Isaias cap. XXIV, vers. 2.

44. OMNES HI ACCEPERUNT UXORES ALIENIGENAS, ET FUERUNT EX ILLIS MULIERES QUÆ PEPERERANT FILIOS. — Pro « pepererant, » Hebraice est ישיבו *iasimu*, id est *posuerunt* ; quod nonnulli sic explicant, *q. d.* Mulieres nonnullæ alienigenæ filios suos, quos ex Judæis conceperant, exposuerunt arbitrio et voluntati judicum, ut ejicerent eos, aut retinerent. Verum hæc res non spectabat ad mulieres, sed ad maritos, et ad judices, qui hic cum viris, non cum uxoribus, rem et causam egerunt. Igitur *mulieres posuere filios* idem est quod *parere filios*, ut vertit Noster, Septuaginta, Vatablus et alii.

LIBER NEHEMIÆ.

ARGUMENTUM.

Nehemias primitus, ut patet *Esdræ* I, 23, ante Esdram (qui sub Artaxerxe rediit), sub Cyro cum Zorobabele et populo, Babylone reversus fuerat in Jerusalem, ut eam cum templo reædificaret. Unde eum ibi invenit Esdras, ut patet *Esdræ* I, cap. VIII, 9 ; verum cum Samaritani sub Cambyse Cyri filio fabricam urbis et templi impedirent per novem annos, Nehemias regressus est cum Zorobabele Babylonem, fulique pincerna Artaxerxis ; unde anno ejus vigesimo facultate ab eo impetrata restaurandæ urbis, rediit secundo in Jerusalem, eamque instauravit, et muris undique cinxit, spatio duodecim annorum, scilicet ab anno 20 Artaxerxis usque ad annum 32 ejusdem, ut patet cap. XIII, 6 ; quo facto, tertio rediit Babylonem, indeque tertio reversus est in Jerusalem, ibique paulo post mortuus. Audi Josephum, libro XI, capite V in fine : « Post hæc, inquit, et alia multa honesta et laude digna opera, Nehemias jam senex defunctus est. Vir ad virtutem et justitiam natus, et in populares suos beneficentissimus, relicto sempiterno sui monumento in Hierosolymitanis mœnibus. »

Zorobabel autem in Babylone mansit ; ibique mortuus est, ut tradunt Hebræi *in Seder-Olam*, et lib. III *Esdræ* cap. III, IV et VI.

Nehemias quis?

Quæres : Quis et qualis fuit Nehemias ? Severus Sulpitius, S. Isidorus et Sixtus Senensis in *Nehemia* censent eum fuisse de tribu Juda. Verum sacerdotem eum fuisse ideoque oriundum ex tribu Levi, liquet II *Machab.* II, 21. Porro fuit ipse auricus Artaxerxis, imo pincerna ; unde ab eo obtinuit facultatem urbem reædificandi, idque facili magno labore, magnaque fortitudine assidue certando cum hostibus fabricam impedientibus. Artaxerxes hic fuit Longimanus Xerxis filius, sub quo Pontifex Judæorum erat Eliasib filium Joacim, nepos Jesu Nehemiæ familiaris et adjutor. Porro, Nehemias præter hunc librum scripsit alium de rebus quæ Judæis post reditum in Jerusalem contigerunt, cujus fit mentio II *Machab.* II, 13 : « Inferebantur autem in descriptionibus et commentariis Nehemiæ hæc eadem ; et ut construens Bibliothecam congregavit de regionibus libros et Prophetarum, et David, et Epistolas Regum, et de donariis.

An idem cum Esdra?

Quæres secundo an hic Nehemias sit idem cum Nehemia, cujus meminit Esdras, cap. II et seq. Nonnulli censent esse diversum : probant *primo*, quia ille Esdras fuit unus e ducibus redeuntium e captivitate sub Cyro ; quare tunc erat viginti annorum ut minimum. A primo autem anno Cyri usque ad annum 32 Artaxerxis Longimani, ad quem Nehemias hic noster pervenit, ut patebit cap. XIII, 6, fluxere 96. Quare tunc Nehemias erat ut minimum centum et sedecim annorum, ac proinde ineptus ad officium pincernæ Artaxerxis, multo ineptior ad laboriosam istam legationem, et profectionem e Jerusalem in Persidem ad Artaxerxem, de qua cap. XIII, 6 ; *secundo*, quia Nehemias hic passim de se loquitur in prima persona : de Nehemia autem Esdræ socio loquitur Scriptura in tertia persona, ut patet cap. VII, 65, et cap. VIII, 9 ; *tertio*, quia Nehemias hic vidit Jaddum qui fuit Pontifex, et occurrit Alexandro Magno, ut innuitur cap. XII, 11 ; debuisset ergo Nehemiassesse ducentorum annorum (tot enim sunt ab Esdra et Cyro usque ad Alexandrum) et amplius.

Respondeo primo.

Verum plures censent unum eumdemque esse Nehemiam, non duos, idque videtur verius. Nam Nehemias tam in hoc libro, quam in libro Esdræ, vocatur Athersatha. Audi lib. I, cap. VIII, 9 : « Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha) et Esdras sacerdos : » *secundo*, quia quod de Athersatha, id est Nehemia, dicitur I *Esdræ* cap. II, 63, scilicet eum præcepisse ut sacerdotes incerti et dubii non comederent de victimis sanctificatis, donec oraculo pontificis constaret ipsos esse veros sacerdotes ; idem prorsus de eodem dicitur Nehemiæ cap. VII, 65 ; *tertio*, quia hic Nehemias cap. VII, 7, dicitur cum Zorobabel et Josue, sive Jesu filio Josedec, sub Cyro, venisse in Jerusalem ; *quarto*, quia cap. VIII, 9, Nehemias cum Esdra interpretatus est legem populo. Ergo unus fuit Nehemias idemque Esdræ socius, eo tamen junior. Ita Salianus, Sanchez et alii.

Respondeo secundo.

Ad *primum* respondeo, Nehemiam fuisse longævum, adeoque fortem et vegetum a Deo in multam senectam conservatum, in commodum populi, ut Jerusalem reædificaret, et civium causam apud Artaxerxem ageret. Sic et Esdras fuit 132 annorum et amplius, ut in proœmio *Esdræ* ostendi.

Ad *secundum* respondeo, Nehemias hujus libri est auctor, ideoque hic subinde loquitur de se in prima persona, et non semper ; nam in tertia persona de se loquitur, VII, 7 et 70, ac VIII, 9.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ad *tertium* respondebo, cap. XII, vers. 11.

Nehemias Typus Christi.

Allegorice. Nehemias fuit typus Christi tam nomine quam re : Nehemias enim Hebraice idem est quod consolator Dei ; quia ipse a Deo missus est ad solatium populi, ut eum roboraret in reædificanda Jerusalem. Sic Christus a Patre missus est in carnem, ut consolaretur lugentes in Sion, ut Isaias cap. LXII, utque Ecclesiam veterem lapsam restauraret, et in novam sanctamque transformaret, adeoque ut singulorum Christianorum animas faceret urbes, imo templa Dei : ita Beda, Glossa, alii atque S. Hieronymus, epist. ad *Paulinum*, cujus verba recitavi proœmio in *Esdram*.

Rursum Nehemias fuit uti genere et stirpe, sic et vitæ sanctitate magnisque animi dotibus illustris, ideoque Artaxerxi peræquus, imo pincerna ; sic et Christus ex Davide, Salomone, cæterisque regibus Juda oriundus fuit sanctus sanctorum et sapiens sapientium, imo « plenus gratiæ et veritatis, » *Joan.* I, *Luc.* II.

Tertio, Nehemias ingenti labore et zelo Jerusalem resædificavit, ac Rempublicam fidelium optimis legibus communivit, atque pro ea contra Samaritanos assidue certavit, nec ullum pro ea periculum defugit, nullam fatigationem recusavit, adeoque ter Babylonem vel Persidem adiit, ter in Jerusalem rediit, licet jam grandævus et senex. Sic Christus divino zelo accensus ædificavit Ecclesiam tam militantem, quam triumphantem, eamque sanctissimis præceptis et consiliis Evangelicis ornavit et stabilivit; ac pro ea et animarum salute nullum laborem aut periculum detrectavit, sed totam vitam omnesque vires pro ejus salute impendit, ac tandem infamem et atrocem crucis mortem subiit. Idem imitentur Prælati, Principes, Pastores, Sacerdotes, Religiosi et Fideles zelosi. Simili modo Esdras pro Israelis bono bis Babylonem adiit, bis in Jerusalem rediit. Carolus Magnus quater, ait Eginhardus in ejus Vita, Romam venit, ut Pontifici et Ecclesiæ Romanæ contra Longobardos aliosque hostes auxiliaretur. Unde imperator, anno Domini 800, creari, et a Leone III Pontifice coronari meruit Romæ in Basilica S. Petri ipso festo Nativitatis Christi, ait Anastasius Bibliotheca et ex eo Baronius, anno Christi 800. S. Ludovicus bis expeditionem in Terram sanctam suscepit : ac licet in priore captus maleque acceptus fuisset, secundo tamen reversus peste exercitum invadente vitam in eadem posuit, ac moriens filiis posterisque ultimum hoc dedit monitum ut pro Dei gloria et Ecclesiæ salute ac tutela nullum discrimen reformidarent, nullum laborem detractarent ; sed, si opus sit, sanguinem vitamque in tam glorioso opere profunderent, ideoque se eis exemplo præviisse, ac lætum alacremque in causa tam pia mori. Lege ejus Vitam.

Carolus Magnus quater adiit Romam.

S. Ludovicus bis contra hostes in terram sanctam.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nehemias, auditis Judæorum in Judæa afflictionis, luget et gemit, ac jejuniis et precibus Dei opem implorat.

1. Verba Nehemiæ filii Helchiæ. Et factum est in mense Casleu, anno vigesimo, et ego eram in Susis castro. 2. Et venit Hanani unus de fratribus meis, ipse et viri ex Juda : et interrogavi eos de Judæis qui remanserant et supererant de captivitate, et Jerusalem. 3. Et dixerunt mihi : Qui remanserunt, ut reliqui sunt de captivitate ibi in provincia, in afflictione magna sunt, et in opprobrio : et murus Jerusalem dissipatus est, et portæ ejus combustæ sunt igni. 4. Cumque audissem verba hujusmodi, sedi, et flevi, et luxi diebus multis : jejunabam, et orabam ante faciem Dei cœli. 5. Et dixi : Quæso, Domine Deus cœli fortis, magne atque terribilis, qui custodis pactum et misericordiam cum his qui te diligunt, et custodiunt mandata tua : 6. fiant aures tuæ auscultantes, et oculi tui aperti, ut audias orationem servi tui, quam ego oro coram te hodie, nocte et die, pro filiis Israel servis tuis ; et confiteor pro peccatis filiorum Israel, quibus peccaverunt tibi : ego et domus patris mei peccavimus, 7. vanitate seducti sumus, et non custodivimus mandatum tuum, et cæremonias et judicia quæ præcepisti Moysi famulo tuo. 8. Memento verbi quod mandasti Moysi servo tuo, dicens : Cum transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos ; 9. et si revertamini ad me, et custodiatis præcepta mea, et faciatis ea, etiamsi abducti fueritis ad extrema cœli, inde congregabo vos, et reducam in locum quem elegi, ut habitaret nomen meum ibi. 10. Et ipsi servi tui, et populus tuus, quos redemisti in fortitudine tua magna, et in manu tua valida. 11. Obsecro, Domine, sit auris tua attendens ad orationem servi tui, et ad orationem servorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum : et dirige servum tuum hodie, et da ei misericordiam ante virum hunc ; ego enim eram pincerna regis.

1. Verba Nehemiæ. — Loquitur enim hic Nehemias, suaque facta pro Judæis enarrat et emirando conscribit. Unde liquet eum hujus libri esse auctorem. Nota : Nehemias sub Cyro cum Zorobabele Judæos e Babylone reduxerat in Jerusalem : mox cum Cambyses Cyri filius urbis templique fabricam impediret, rediit in Babylonem, ac sua industria, sanctitate et obsequio Artaxerxem regem sibi et Judæis devinxit.

In mense Casleu (qui nostro partim novembri, partim decembri respondet) anno vigesimo — Artaxerxis, non Mnemonis, ut vult Scaliger et Pererius, sed Longimani, ut passim docent Interpretes.

Et ego eram in Susis castro. — Susa erant sedes et regia Artaxerxis regumque Persarum, ita dicta a lilio, et liliorum fertilitate. Susan enim est lilium. Vide dicta *Daniel.* VIII, 2. Hæc urbs erat munitissima, ideoque vocatur castrum.

2. Et venit Hanani unus de fratribus meis, — id est, contribulibus meis, puta oriundus ex tribu Levi, e qua ego descendo.

3. Et murus Jerusalem dissipatus est, et portæ ejus combustæ sunt igni — a Chaldæis, IV *Reg.* cap. ult., 10. Verum hoc jam pridem sciebat, imo viderat Nehemias, cum sub Cyro rediit in Jerusalem. Quare videntur Judæi sub Dario Hystaspis ædificantes templum, simul urbem, muros et portas levi opere instaurasse. Ubi enim habitassent tuta et secura tot millia Levitarum, et sacerdotum templo servientium, et civium e Babylone reducum, nisi in Jerusalem muris cincta et portis clausa? Hic apparet quod, post reditum Nehemiæ e Jerusalem in Babylonem, Samaritæ aliique hostes Judæorum Jerusalem invaserint, muros dissiparint, et portas combusserint, idque Hanani hic nuntiat Nehemiæ, qui id audiens ingemuit, et patriæ suæ, cujus erat amantissimus, calamitatem deploravit. Videntur enim multi Judæorum, qui e Babylone in Jerusalem redierant, cum viderent urbis desolationem et hostium crebros insultus, rediisse in Babylonem, ideoque hostibus facile fuit muros urbis dissipare, et portas comburere : templum non item, quia hoc erat instar arcis et a paucis Judæis pro aris et focis pugnantibus strenue defendebatur.

9. Extrema cœli, id est extremas terræ regiones : quæ enim in horizonte nostro extremæ sunt, videntur contingere cœli curvi et rotundi extremitatem. Ita judicat vulgi oculus, cujus sensui subinde S. Scriptura se conformat. Septuaginta vertunt, *in summitate fundamenti cœli*, id est ab ea parte, ubi videtur cœlum fundari, ac quasi inniti et incumbere extremitati terræ. Sic dicitur *Deuter.* XXX, 4 : « Si ad cardines cœli, » id est ad extrema terræ, quæ videntur esse quasi cardines sustinentes cœlum, « fueris dissipatus, inde te retrahet. »

10. Quos redemisti, — ex Ægyptia servitute, ac deinceps sæpe e jugo Philistinorum, Ammonitarum, Madianitarum, etc., ut patet ex libro Judicum et Regum.

11. Et da ei (mihi Nehemiæ) misericordiam ante virum hunc — Artaxerxem regem, cujus ego pincerna sum, ut ab eo impetrem quod data occasione postulare desidero, scilicet restaurationem Jerosolymæ.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nehemias ab Artaxerxe impetrat facultatem redeundi in Jerusalem, ejusque muros instaurandi : cui rei strenue insistit, frustra hostibus eum impedire conantibus.

1. Factum est autem in mense Nisan, anno vigesimo Artaxerxis regis : et vinum erat ante eum et levavi vinum, et dedi regi ; et eram quasi languidus ante faciem ejus. 2. Dixitque mihi rex : Quare vultus tuus tristis est, cum te ægrotum non videam? non est hoc frustra, sed malum nescio quod in corde tuo est. Et timui valde, ac nimis ; 3. et dixi regi : Ilex, in æternum vive ; quare non mœreat vultus meus, quia civitas domus sepulcrorum patris mei deserta est, et portæ ejus combustæ sunt igni? 4. Et ait mihi rex : Pro qua re postulas? Et oravi Deum cœli, 5. et dixi ad regem : Si videtur regi bonum, et si placet servus tuus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ante faciem tuam, ut mittas me in Judæam, ad civitatem sepulcri patris mei, et ædificabo eam. 6. Dixitque mihi rex, et regina quæ sedebat juxta eum : usque ad quod tempus erit iter tuum, et quando reverteris? Et placuit ante vultum regis, et misit me : et constitui ei tempus. 7. Et dixi regi : Si regi videtur bonum, epistolas det mihi ad duces regionis trans Flumen, ut traducant me, donec veniam in Judæam : 8. et epistolam ad Asaph custodem saltus regis, ut det mihi ligna, ut tegere possim portas turris domus, et muros civitatis, et domum quam ingressus fuero. Et dedit mihi rex juxta manum Dei mei bonam mecum. 9. Et veni ad duces regionis trans flumen, dedique eis epistolas regis. Miserat autem rex mecum principes militum, et equites. 10. Et audierunt, Sanaballat Horonites, et Tobias servus Ammanites : et contristati sunt afflictione magna, quod venisset homo, qui quæreret prosperitatem filiorum Israel. 11. Et veni Jerusalem, et eram ibi tribus diebus, 12. et surrexi nocte ego, et viri pauci mecum, et non indicavi cuiquam quid Deus dedisset in corde meo ut facerem in Jerusalem, et jumentum non erat mecum, nisi animal cui sedebam. 13. Et egressus sum per portam vallis nocte, et ante fontem draconis, et ad portam stercoris, et considerabam murum Jerusalem dissipatum, et portas ejus consumptas igni. 14. Et transivi ad portam fontis, et ad aquæductum regis, et non erat locus jumento cui sedebam, ut transiret. 15. Et ascendi per torrentem nocte, et considerabam murum, et reversus veni ad portam vallis, et redii. 16. Magistratus autem nesciebant quo abiissem, aut quid ego facerem : sed et Judæis et sacerdotibus, et optimatibus, et magistratibus, et reliquis qui faciebant opus, usque ad id loci nihil indicaveram. 17. Et dixi eis : Vos nostis afflictionem in qua sumus, quia Jerusalem deserta est, et portæ ejus consumptæ sunt igni; venite, et ædificemus muros Jerusalem, et non simus ultra opprobrium. 18. Et indicavi eis manum Dei mei quod esset bona mecum, et verba regis, quæ locutus esset mihi, et aio : Surgamus, et ædificemus. Et confortatæ sunt manus eorum in bono. 19. Audierunt autem, Sanaballat Horonites, et Tobias servus Ammanites, et Gossem Arabs, et subsannaverunt nos, et despexerunt, dixeruntque : Quæ est hæc res quam facitis? numquid contra regem vos rebellatis? 20. Et reddidi eis sermonem, dixique ad eos : Deus cœli ipse nos juvat, et nos servi ejus sumus; surgamus et ædificemus : vobis autem non est pars, et justitia, et memoria in Jerusalem.

Vers. 1. 1. FACTUM EST AUTEM IN MENSE NISAN ANNO VIGESIMO ARTAXERXIS — Longimani; hic enim (non vero Xerxes pater ejus, cui proinde perperam hoc ascribit Josephus) 32 annis et amplius regnavit, ut dicitur cap. XIII, 6. Ita Julius Africanus, S. Hieronymus, Augustinus, Eusebius, Chrysostomus, Theodoretus, Beda, Rupertus et alii quos citat Pererius, lib. XI *in Daniel.* qui proinde passim ab hoc anno vigesimo Artaxerxis, quo ipse Nehemiæ facultatem dedit Jerosolymæ reædificandæ, inchoant 70 hebdomades Danielis, cap. IX, 25. Vide ibi dicta. Fuse enim ibidem hunc locum pertractavi. Quare eo hic non repetam.

Causa qui Nehemias regi cu. ET LEVAVI VINUM (de mensa) EI DIXIT REGI, — in manus, ut biberet, quasi ejus pincerna. Quæres quomodo Nehemias adeo evectus sit, ut Artaxerxi monarchæ fuerit familiaris, imo a poculis, quod officium in aula est primarium, nec nisi magnis et fidelissimis committitur. Respondeo : *Prima* causa fuit sapientia, virtus et gratia Nehemiæ, ut dixi, qua se insinuabat in animos Principum, ut eos sibi suæque genti Judaicæ conciliaret.

Secunda. *Secunda* causa fuit, quod multi censeant Esther fuisse uxorem hujus Artaxerxis, quæ illum sibi, Nehemiæ et Judæis astrinxit. Sed hoc examinandum in libro Esther.

Tertia causa magis particularis exstitit, quod reges Persarum biberent vinum Syriacum sive a Syria advectum, teste Suida, lib. XV, et Athenæo; Syria autem pars vel appendix est Judææ. Quare Nehemiam Judæum voluit Artaxerxes esse suum pincernam, ut is veluti vinorum patriæ suæ apprime peritus, meliora vina e Judæa vel Syria sibi devehi curaret, eaque accurate conservaret et regeret ea arte et modo, quo in Syria conservari et regi solebant, ne acorem aliudve vitium contraherent.

Reges Persarum vinum Sibeliebant Syria. Audi Athenæum, lib. I, cap. XXIX : « Persarum reges, inquit, vinum Chalibonium tantum bibebant. Possidonius in Damasco Syriæ gigni tradit, illicque satas a Persis vites. » PORRO de eorum aqua, quam potabant, ita scribit idem Athenæus, lib. II, cap. VI : « Herodotus, ait lib. I, scribit regi Persarum aquam vehi ex Choaspe fluvio Susa præterlabente, ex quo tantum et alio nullo bibit. » Fuit hæc mira regum superstitio, ut dignitate regia indignum ducerent aliam aquam bibere. Audi Ælianum, lib. XII : Cum alii commeatus magnificentia et ostentatione pleni sequebantur Xerxem, tum etiam aqua ex Choaspe simul vehebatur. Cum vero in loco deserto sitirent, neque siti remedium ullum inveniretur, proclamatum in exercitu est, si quis aquam ex Choaspe haberet, ut regi eam daret bibendam, et inventus est quidam qui pauxillum haberet idque putridum. Bibit igitur illam Xerxes, et eum qui dederat in benefactoris loco habuit; quoniam, nisi illa fuisset inventa, periisset. »

ET ERAM QUASI LANGUIDUS ANTE FACIEM EJUS. — Hebræus, *et antea non fueram malus* (hoc est *tristis*) *coram eo*. Ita Vatablus et Pagninus. Verum Noster pro לֹא *lo* per א, id est *non*, legit לוֹ *lo* per ו, id est *ei*; unde vertit : *Et eram quasi malus*, id est tristis, macilentus, exhaustus, languidus *coram eo*; nimirum mœror, vigiliæ, jejunia faciem ejus pallentem, macilentam et languidam effecerant. Porro Septuaginta pro רַע *ra*, id est malus, legentes aliis punctis רֵע *rea*, id est socius, vertunt : *Et non erat alter* (id est socius), *coram eo*, q. d. Ego solus eram cum rege.

2. DIXITQUE MIHI REX : QUARE VULTUS TUUS TRISTIS EST, CUM TE EGROTUM NON VIDEAM? NON EST HOC FRUSTRA, SED MALUM NESCIO QUOD EST IN CORDE TUO. — Suspicatus est rex ex vultu dejecto Nehemiæ illum habere aliquid quod eum valde afflingeret, aut certe eum facinus aliquod machinari, aut forte insidias aliquas contra se moliri. Unde causam tristitiæ ab eo exquirit, et ambigue loquitur, ut Nehemias causam sincere expromat, aitque : « Malum nescio quod est in corde tuo; » « malum, » id est afflictio, dolor, mœror, q. d. Mœstus est vultus tuus; ergo mœstitia aliqua est in corde tuo : hæc enim mœsto vultu se ostendit et pandit; aut « malum, » id est malitia, maligna machinatio, ut forte contra me quid mali mediteris; unde Septuaginta vertunt : *Non est hoc nisi nequitia*, id est *prauitas cordis*. Hebraice enim רַע *ra*, id est *malum*, tam pravitatem et malitiam, quam tristitiam et afflictionem significat, ut *Matth.* VI : « sufficit diei malitia, » id est afflictio « sua; » sicut ex adverso « bonum » significat tam bonitatem et honestatem virtutis, quam jucunditatem et felicitatem, juxta illud : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum, » *Psal.* XIII, 2. Videtur metuisse rex ne Nehemias sibi in vino venenum propinaret. Reges enim, qui sibi suoque apici formidant, multosque habent æmulos, omnia tuta timent, ac præsertim venena in cibo et potu; nam, ut ait Seneca in *Thyeste*; « Venenum in auro bibitur; » præsertim si Nehemias idipsum a rege oblatum ex mœrore bibere noluit, quod non est incredibile.

3. REX, IN ÆTERNUM VIVE, — q. d. Opto ut diutissime et in æternum, si fieri potest, vivas. Dicit hoc, ut timorem regi eximat, sciatque se nihil contra ejus vitam moliri.

QUIA CIVITAS DOMUS SEPULCRORUM PATRIS MEI DESERTA EST, — q. d. Ego mœstus sum, quia Jerusalem, in qua sepulti sunt patres mei, exstantque eorum sepulcra, deserta est. Sepulcra vocat domus, quia domus Hebræis significat quemvis locum, antrum, thecam, loculum, qui aliquod corpus ambit et continet : sic nidi vocantur domus avium, flumen et mare vocantur domus pisciam.

Religio sepulcri quæ. Porro magna fuit priscis cura et religio sepulcri patrum et avorum, ne ossa eorum exhumarentur, et abjicerentur, aut profanarentur, et rebus profanis vel immundis miscerentur. Unde Baruch, cap. II, 24, idipsum a Chaldæis factum luget et deplorat dicens : « Statuisti verba tua quæ locutus es in manibus puerorum tuorum Prophetarum, ut transferrentur ossa regum nostrorum et ossa patrum nostrorum de loco suo, et ecce projecta sunt in calore solis et in gelu noctis. Hoc enim eis comminatus erat Deus per Jeremiam, cap. VIII, 1. « Ejicient, inquit, ossa regum Juda, et ossa sacerdotum, et ossa prophetarum, et ossa eorum qui habitaverunt Jerusalem de sepulcris suis. » Apud omnes gentes enim valde gravis injuria et infamia habita fuit violatio sepulcrorum. Unde Horatius *in Epodo*, Ode 16, id metuens ita luget :

Barbarus, heu, cineres insistet victor, et urbem
Equus sonante verberabit ungula,
Quæque carent ventis, et solibus ossa Quirini
(Nefas videre) dissipabit insolens.

Quocirca Artaxerxes hanc justam gravemque Nehemiæ querelam æquis auribus accepit, memor quid Scythæ Dario avo suo respondissent. Rem gestam narrat Valerius Maximus, lib. V, cap. IV : « Dario, inquit, totius regni sui viribus in eorum regiones subinde impetum facienti; paulatim cedentes ad ultimas Asiæ solitudines pervenerant. Interrogati deinde ab eo per legatos quem fugiendi finem, aut quod initium pugnandi facturi essent, responderunt se neque urbes ullas, neque agros cultos, pro quibus dimicarent, habere. Cæterum, cum ad parentum suorum monumenta venisset, sciturum quemadmodum Scythæ pœniari soleant. »

Sic etiamnum Arabes, licet feri et barbari, sepulcra suorum ducum et patrum tuentur, pro iisque quasi pro aris et focis depugnant, ut mihi Romæ narrarunt eorum vicini Maronitæ.

4. ORAVI DEUM, — brevi oratione jaculatoria, sed ardenti, ut sicut ipse cœperat regem mihi meisque facere benevolum, sic et pergeret, ut postulationi meæ quam ei propositurus eram de reædificanda Jerusalem, annueret.

6. DIXITQUE MIHI REX ET REGINA, (scilicet Esther, inquit Tornellus, Gordonus, Serarius, Salianus, Sanchez et Bellarminus, tom. I, lib. I, cap. VII, de quo plura in prœmio *Esther*;) USQUE AD QUOD TEMPUS ERIT ITER TUUM? q. d. Quantum temporis in itum et reditum insumes? optamus enim te quam citissime redire, ut in tuo pincernæ officio,

quo tam egregie perfungeris, nobis inservire pergas; nolumus enim diu tua tam grata nobis carere præsentia. Quid ad hæc respondent Nehemias non narrat: certum tamen est ipsum respondisse et tempus aliquod assignasse, idque breve, quamvis forte postea dicto et opinione sua diutius detentus fuerit Jerosolymæ; illi enim ut dux præfuit per duodecim annos, scilicet ab anno 20 Artaxerxis usque ad 32, ut patet cap. VI, 1, et cap. XIII, 6. Unde nonnulli putant eum toto hoc tempore abfuisse a rege per duodecim annos, sed regis et reginæ desiderium non videtur fuisse tam longam absentiam; quare verisimile est Nehemiam paulo post 52 dies, quibus murorum fabricam perfecit, ad regem rediisse, ut patebit cap. VI, vers. 14.

7. TRANS FLUVIUM (Euphraten) UT TRADUCANT ME, DONEC VENIAM IN JUDÆAM. — Cis Euphraten enim omnes fere gentes usque ad Judæam erant æmulæ et inimicæ Judæorum, ut nollent Jerusalem urbem olim tam potentem et celebrem sibique formidabilem restaurari. Deus enim omnes regiones a Jerusalem usque ad Euphraten dederat Judæis, et Euphraten eis dederat limitem. Unde et David victricia sua arma protulit usque ad Euphraten. Hinc et Josephus, lib. XI, cap. V, ait has gentes tempore Nehemiæ diu noctuque grassatas fuisse in agros Judæorum, omnia cædibus, rapinis et cladibus miscendo. Quare id sciens Nehemias merito a rege petiit, ut curaret salvum se conduci usque in Jerusalem; rex vero hoc et amplius ei indulsit; addidit enim ei ad tutelam militum præsidium.

8. ET EPISTOLAM AD ASAPH CUSTODEM SALTUS REGIS, — qui erat in monte Libano, ut inde darentur mihi ligna, ac per mare in Joppen mitterentur ad fabricam urbis Jerusalem. Ita Sanchez et Vilalpandus, tom. III, lib. III.

UT TEGERE POSSIM PORTAS TURRIS DOMUS — Dei, puta templi, ut habent Complutenses. Licet enim templum jam esset exstructum, appendices tamen templi necdum erant exstructæ. Ita Vatablus. Unde Hebraice est: *Ut tegere possim portas palatii regii*, quod erat domui, scilicet Dei, id est templo annexum.

11. ET ERAM IBI TRIBUS DIEBUS, — latens et absconditus, ut nocte lustrarem ruinas urbis, videremque quid statim resarciri oporteret, ne Sanaballat et socii consilia mea rescirent et impedirent.

12. ET JUMENTUM NON ERAT MECUM, NISI ANIMAL CUI SEDEBAM, *q. d.* Ego solus ob senium et fatigationem vehebar equo vel asino; socii vero mei pedites incedebant, ne ex equorum equitumque numero et strepitu hostes nostri excitarentur ad nos infestandum.

13. EGRESSUS SUM PER PORTAM VALLIS. (Porta hæc non erat illa orientalis, quæ ducebat in vallem Josaphat, sed altera occidentalis, quæ respiciebat valles cadaverum et Calvariæ. Ita Septuaginta) ET ANTE FONTEM DRACONIS, (ex quo scilicet aquæ saliebant et vomebantur per os anuli vel lapidei draconis:) ET PORTAM STERCORIS, — per quam stercora evehebantur. Ita Borchardus, Vilalpandus, Adrichomius, Salianus.

ET CONSIDERABAM MURUM JERUSALEM DISSIPATUM. — Hebr. חמ פרוצים *hem parutsim*, id est *ipsi*, scilicet muri *dissipati*, ubi in *hem* mem finale, quod solet esse clausum, est apertum, ut indicetur murus urbis fuisse hians et apertus, quia disjectus et dissipatus.

14. ET TRANSIVI AD PORTAM FONTIS (Siloe), ET AD AQUÆDUCTUM REGIS — Ezechiæ; Ezechias enim aquas fontis Siloe per aquæductum, perfossa rupe, derivavit in puteos urbis Jerusalem, ut cives obsessi a Sennacherib haberent aquam ad potum, et Assyrii obsidentes, aquarum inopia laborantes sibi conflecrentur. Id patet ex libro II *Paralip.* cap. XXXII, vers. 30: « ipse est Ezechias, qui obturavit superiorem portam aquarum Gihon, et avertit eas subter ab occidente urbis David. » Et clarius *Eccli.* cap. XLVIII, vers. 19: « Ezechias munivit civitatem suam, et induxit in medium ipsius aquam, et fodit ferro rupem, et ædificavit ad aquam puteum. » Vide ibi dicta.

ET NON ERAT LOCUS JUMENTO, UT TRANSIRET, — quia hinc erant rupes præruptæ, inde ruderа murorum disjectorum, atque aquæ omnia opplentes; quare iter reflectere coactus sum.

15. ET ASCENDI PER TORRENTEM (Cedron) NOCTE, ET CONSIDERABAM MURUM, — ut viderem quid primo in eo restaurandum foret, et cui parti statim manus adhibere deberem: ET REVERSUS VENI AD PORTAM VALLIS cadaverum et Calvariæ, de qua vers. 12.

16. ET RELIQUIS QUI FACIEBANT OPUS, — id est opificibus et præfectis operum, qui scilicet destinati erant ad fabricam murorum, sed ob hostium incursus et vexationes opus intermiscerant, vel tarde et remisse illud exercebant.

18. ET INDICAVI EIS MANUM DEMEI, QUOD ESSET BONA MECUM. — Manus symbolum est opis et auxilii, item directionis et protectionis; hanc enim a Deo senserat Nehemias, tum quod regem Artaxerxem tam sibi benevolum et liberalem effecisset, tum quod suum iter per tot hostes et difficultates, iis superatis prosperasset. Igitur Nehemias significans Judæis partim Dei, partim regis erga se et ipsos benevolentiam, animavit eos ut fabricam murorum urbis ob Samaritanum insultus omissam, vel negligenter curatam generose et ferventer resumerent.

19. AUDIERUNT AUTEM SANABALLAT HORONITES — Alius est hic a Sanaballat socero Manassis, primi Pontificis Samaritanorum in monte Garizim. Ille enim Horonites hunc Manassis socerum antecessit 109 annis, ait Salianus, de quo plura inferius.

ET TOBIAS SERVUS AMMONITES, — qui ex servo et mancipio evectus, ac Ammonitidis Præfectus a rege Persarum erat constitutus, æque ac Sanaballat Samaritæ, et Gosem Arabiæ. Hi ergo tres Præ-

vicinarum regionum Nehemiæ et Judæis (e intensi et in fabrica adversarii.

20. VOBIS AUTEM NON EST PARS ET JUSTITIA, ET MEMORIA IN JERUSALEM. — « Justitia, » id est jus, *q. d.* Vos quasi Samaritani estis (olim ab Assyriis traducti ad incolendam Samariam, III *Reg.* XVII). Ammonitæ et Arabes, a Persis jus acceptis ad administrandam Samariam, Ammonitidem et Arabiam, non autem ad Judæam et Jerusalem, nec hactenus in Jerusalem habitastis; nulla enim in ea vestri est memoria. Quare agite res vestras apud vestros vobis commissos, nostris autem rebus nolite vos immiscere; ego enim a rege Persarum potestatem reædificandæ Jerusalem pleno jure accepi: quare caveto ne vos mihi opponatis; alioquin enim regi Persarum vos opponetis, eumque vindicem experiemini. Ita Cajetanus, Sanchez et alii.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nehemias recenset quam quisque muri partem, quas terras et portas reædificarit.

1. Et surrexit Eliasib sacerdos magnus, et fratres ejus sacerdotes, et ædificaverunt portam gregis; ipsi sanctificaverunt eam, et statuerunt valvas ejus, et usque ad turrim centum cubitorum sanctificaverunt eam usque ad turrim Hananeel. 2. Et juxta eum ædificaverunt viri Jericho: et juxta eum ædificavit Zachur filius Amri. 3. Portam autem piscium ædificaverunt filii Asnaa: ipsi texerunt eam, et statuerunt valvas ejus, et seras, et vectes, et juxta eos ædificavit Marimuth filius Uriæ, filii Accus. 4. Et juxta eum ædificavit Mosollam filius Barachiæ, filii Mesezebel; et juxta eos ædificavit Sadoc filius Baana: 5. et juxta eos ædificaverunt Thecuei; optimates autem eorum non supposuerunt colla sua in opere Domini sui. 6. Et portam veterem ædificaverunt Joiada filius Phasea, et Mosollam filius Besodia: ipsi texerunt eam, et statuerunt valvas ejus, et seras, et vectes; 7. et juxta eos ædificaverunt Meltias Gabaonites, et Jadon Meronathites, viri de Gabaon et Maspha, pro duce qui erat in regione trans flumen. 8. Et juxta eum ædificavit Eziel filius Araia aurifex: et juxta eum ædificavit Ananias filius pigmentarii; et dimiserunt Jerusalem usque ad murum plateæ latioris. 9. Et juxta eum ædificavit Raphaia filius Hur, princeps vici Jerusalem. 10. Et juxta eum ædificavit Jedaia filius Haromaph contra domum suam: et juxta eum ædificavit Hattus filius Hasebonias. 11. Medium partem vici ædificavit Melchias filius Herem, et Hasub filius Phahath Moab, et turrim furnorum. 12. Et juxta eum ædificavit Sellum filius Alohes, princeps mediæ partis vici Jerusalem, ipse et filiæ ejus. 13. Et portam vallis ædificavit Hanum, et habitatore Zanoe: ipsi ædificaverunt eam, et statuerunt valvas ejus, et seras, et vectes, et mille cubitos in muro usque ad portam sterquilinii. 14. Et portam sterquilinii ædificavit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacharam: ipse ædificavit eam, et statuit valvas ejus, et seras, et vectes. 15. Et portam fontis ædificavit Sellum filius Chollhoza, princeps pagi Maspha: ipse ædificavit eam, et texit, et statuit valvas ejus, et seras, et vectes, et muros piscinæ Siloe in hortum regis, et usque ad gradus qui descendunt de civitate David. 16. Post eum ædificavit Nehemias filius Azboc, princeps dimidiæ partis vici Bethsur, usque contra sepulcrum David, et usque ad piscinam, quæ grandi opere constructa est, et usque ad domum fortium. 17. Post eum ædificaverunt Levitæ, Rehum filius Bennui: post eum ædificavit Hasebias princeps dimidiæ partis vici Ceilæ in vico suo. 18. Post eum ædificaverunt fratres eorum, Bavai filius Enadad, princeps dimidiæ partis Ceilæ. 19. Et ædificavit juxta eum Azer filius Josue, princeps Maspha, mensuram secundam, contra ascensum firmissimi anguli. 20. Post eum in monte ædificavit Baruch filius Zachai mensuram secundam, ab angulo usque ad portam domus Eliasib sacerdotis magni. 21. Post eum ædificavit Merimuth filius Uriæ filii Haccus mensuram

secundam, a porta domus Eliasib, donec extenderetur domus Eliasib. 22. Et post eum ædificaverunt sacerdotes, viri de campestribus Jordanis. 23. Post eum ædificavit Benjamin et Hasub contra domum suam : et post eum ædificavit Azarias filius Maasiæ filii Ananiæ contra domum suam. 24. Post eum ædificavit Bennui filius Henadad mensuram secundam, a domo Azariæ usque ad flexuram, et usque ad angulum. 25. Phalel filius Ozi contra flexuram, et turrim, quæ eminet de domo regis excelsa, id est, in atrio carceris : post eum Phadaia filius Pharos. 26. Nathinæi autem habitabant in Ophel usque contra portam aquarum ad Orientem, et turrim quæ prominebat. 27. Post eum ædificaverunt Thecueni mensuram secundam e regione, a turre magna et eminente usque ad murum templi. 28. Sursum autem a porta equorum ædificaverunt sacerdotes, unusquisque contra domum suam. 29. Post eos ædificavit Sadoc filius Emmer contra domum suam. Et post eum ædificavit Semaia filius Sechenia custos portæ Orientalis. 30. Post eum ædificavit Hanania filius Selemiæ, et Hanun filius Seleph sextus, mensuram secundam : post eum ædificavit Mosollam filius Barachiæ, contra gazophylacium suum. Post eum ædificavit Melchias filius aurificis usque ad domum Nathinæorum, et scruta vendentium contra portam judicialem, et usque ad cœnaculum anguli. 31. Et inter cœnaculum anguli in porta gregis ædificaverunt aurifices et negotiatores.

1. ELIASIB SACERDOS MAGNUS, — hoc est Pontifex. Erat hic filius et successor Joiacim filii Josedec. Philo Annianus tradit Jesum pontificatu et vita defunctum anno 20 Darii Hystaspis, eique successisse Joiacim usque ad annum 12 Artaxerxis : quo mortuus Joacim successorem reliquit filium Eliasib, qui pontificatu functus est usque ad annum 33 Artaxerxis. Hæc Philo ille, pones quem sit fides.

ÆDIFICAVERUNT PORTAM GREGIS, — per quam oves et boves immolandi induci debebantur in urbem, ut abluti in probatica piscina inferrentur in templum.

IPSI SANCTIFICAVERUNT EAM, — hoc est mundarunt portam gregis a ruinis, ruderibus et profanatione incendii, erigendo illam uti fuerat prius, ac pristino decori eam restituendo, ait Vatablus, Cajetanus et Vilalpandus. Sic *Exodi* XIX, Deus ait Mosi : « Sanctifica populum, » id est jube ut se purificet et mundet lavando vestes, et abstinendo ab uxoribus. Secundo, « Sanctificaverunt eam, » id est dedicarunt eam Domino; quia hæc erat porta gregis, per quam victimæ Deo sanctificandæ et per immolationem consecrandæ indebebantur in templum, ideoque portam hanc ipse pontifex et sacerdotes ædificarunt et consecrarunt Deo ac per eam reliquas portas, totamque urbem. Erat enim et vocabatur Jerusalem urbs sancta, utpote separata a profano Gentilium ritu. Deinque veri cultui dicata, Deinque quasi spectilum, maxime per templum a Salomone Deo tam magnifice erectum. Unde Mariana, Salianus, Emmanuel Sa, et Sanchez censent Eliasib pontificem hanc portam gregis urbemque totam solemni prece, vel sacrificio, vel aqua lustrali similive benedictione Deo (cui propria erat) dedicasse et consecrasse; idque satis colligitur ex eo quod de eis dicunt Samaritæ, cap. sequenti, vers. 2 : « Num sacrificabunt et complebunt in una die? » Et cap. XII, vers. 27, ubi dicitur : « In dedicatione autem muri Jerusalem requisierunt Levitas. » Et vers. 30 : « Et mundati sunt Sacerdotes et Levitæ, et mundaverunt populum, et portas et murum. » Idem imitati sunt Gentiles. Unde Servius in lib. III *Æneid.*, tradit eos in fundatione urbis sacrificasse Libero patri, ut libera esset civitas. Audi Æneam e Troja profugum in Thracia novam molientem urbem, *Æneid.* III, paulo post initium :

> Mania prima loco fatis ingressus iniquis,
> Æneadasque meo nomen de nomine fingo
> Sacra Dionææ matri divisque ferebam
> Auspicibus cœptorum operum; superoque nitentem
> Cœlicolum regni mactabam in littore taurum.

Porro apud Gentiles portæ et muri sacri erant, uti docet Alexander ab Alexandria, lib. VI *Genial.* cap. XIV, et ibi Tiraquellus.

USQUE AD TURRIM CENTUM CUBITORUM. — Hebræus *usque ad turrim Meah*, quæ scilicet vocabatur *Meah*, id est *centum*, eo quod centum esset cubitorum.

6. ET PORTAM VETEREM ÆDIFICAVERUNT JOIADA, etc. — Notæ ex Vilalpando, tomo III, lib. III, cap. XXVI, præcipuas Jerosolymæ portas fuisse duodecim, quæ sitæ erant ad tria urbis latera, tres mundi partes respicientia; quodlibet enim latus habebat quatuor portas; nam ad quartum latus respiciens meridiem, in quo præruptæ rupes montis Sion urbem claudebant, exitumque et introitum negabant, nulla erat porta. Orientale latus ergo habebat primo portam « gregis » jam dictam; secundo portam « equorum, » per quam equi ducebantur aquatum ad torrentem Cedron; tertio portam « aquarum, » ita dictam a collectione aquarum fontis Siloe, quam ibidem fecit Ezechias; quarto « fictilem, » eo quod juxta eam figuli suam figulinam artem exercerent, et fictilia vasa formarent.

Vers. 6. Jerusalem 12 habebat portas.

A Septentrionale urbis latus habebat primo portam « Benjamin, » quia per eam ibatur in sortem tribus Benjamin; secundo portam « piscium, » per quam pisces in urbem et forum piscium invehebantur; tertio portam « judiciariam, in qua sedebant judices, et judicia tam advenarum quam civium exercebant, quæ erat vicina templo et portæ « gregis. » Eadem hoc versu vocatur « vetus, » eo quod in ea veteris fabricæ Jebusæorum et Melchisedech vestigia exstarent; quarto portam « Ephraim, » per quam scilicet ibatur ad tribum Ephraim. Quarta hæc æque ac sequens porta « anguli » hic non nominantur, eo quod restauratione non indigerent, ut insinuatur vers. 8.

A Septentrionem quatuor.

A Occidentale latus habebat primo portam « anguli, » ita dictam quod in angulo urbis occidentali et aquilonari consisteret; secundo portam « vallis » cadaverum et Calvariæ; tertio portam « piscinæ, » quarto portam « fontis, » de quibus dixi capite præcedenti, vers. 13.

A Occidentem quatuor.

Ad has duodecim portas Jerusalem allusit S. Joannes, *Apocal.* cap. XXI, vers. 12, ubi totidem Jerusalem cœlestis portas recenset.

8. DIMISERUNT JERUSALEM USQUE AD MURUM PLATEÆ LATIORIS, — id est interniserunt ædificationem muri per spatium 400 cubitorum, quod erat inter portam Ephraim et portam anguli jam dictas; eo quod non ita pridem Azarias rex hoc latus egregie repararat et munierat, ut a Chaldæis dirui non potuerit.

A Oriente quatuor.

16. USQUE AD DOMUM FORTIUM, — in qua habitarant triginta fortissimi heroes Davidis ac postea eorum successores. Videtur enim hæc domus fuisse quasi seminarium vel collegium virorum fortium, qui arma tractarent et bellis præessent docerentque milites præliari. Vide dicta II *Reg.* cap. XXIII, vers. 8 et seq.

17. POST EUM ÆDIFICAVIT HASEBIAS PRINCEPS DIMIDIÆ PARTIS VICI CEILÆ IN VICO SUO. — Erat Jerusalem in suos vicos distributa, et cuique vico suus præerat dux et præfectus, qui hic vocatur princeps. Idem etiamnum fit Romæ. Roma enim ab olim in suos vicos sive regiones distributa fuit, quorum quisque suum habebat præfectum, qui Italice vocantur *Caporioni*, id est capita regionum urbis, quorum sede vacante, magna est auctoritas; ipsorum enim est urbem tueri et tumultus compescere, ideoque reos plectere.

30. USQUE AD DOMUM NATHINÆORUM. — Hi erant Gabaonitæ, de quibus dixi *Josue* IX.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judæi una manu fabricant, altera gladium tenent, ut Samaritas incursantes repellant : quare Nehemia instante et orante, fabrica murorum et portarum absolvitur.

1. Factum est autem, cum audisset Sanaballat quod ædificaremus murum, iratus est valde : et motus nimis subsannavit Judæos, 2. et dixit coram fratribus suis, et frequentia Samaritanorum : Quid Judæi faciunt imbecilles? Num dimittent eos gentes? Num sacrificabunt, et complebunt in una die? Numquid ædificare poterunt lapides de acervis pulveris, qui combusti sunt? 3. Sed et Tobias Ammanites proximus ejus, ait : Ædificent : si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum. 4. Audi, Deus noster, quia facti sumus despecui : converte opprobrium super caput eorum, et da eos in despectionem in terra captivitatis. 5. Ne operias iniquitatem eorum, et peccatum eorum coram facie tua non deleatur, quia irriserunt ædificantes. 6. Itaque ædificavimus murum, et conjunximus totum usque ad partem dimidiam : et provocatum est cor populi ad operandum. 7. Factum est autem, cum audisset Sanaballat, et Tobias, et Arabes, et Ammanitæ, et Azotii, quod obducta esset cicatrix muri Jerusalem, et quod cœpissent interrupta concludi, irati sunt nimis. 8. Et congregati sunt omnes pariter, ut venirent, et pugnarent contra Jerusalem, et molirentur insidias. 9. Et oravimus Deum nostrum, et posuimus custodes super murum die ac nocte contra eos. 10. Dixit autem Judas : Debilitata est fortitudo portantis, et humus nimia est, et nos non poterimus ædificare murum. 11. Et dixerunt hostes nostri : Nesciant, et ignorent, donec veniamus in medium eorum, et interficiamus eos, et cessare faciamus opus. 12. Factum est autem, venientibus Judæis, qui habitabant juxta eos, et dicentibus nobis per decem vices, ex omnibus locis quibus venerant ad nos, 13. statui in loco post murum per circuitum populum in

ordinem cum gladiis suis, et lanceis, et arcubus. 14. Et perspexi atque surrexi : et alo ad optimates et magistratus, et ad reliquam partem vulgi : Nolite timere a facie eorum. Domini magni et terribilis mementote, et pugnate pro fratribus vestris, filiis vestris, et filiabus vestris, et uxoribus vestris, et domibus vestris. 15. Factum est autem, cum audissent inimici nostri nuntiatum esse nobis, dissipavit Deus consilium eorum. Et reversi sumus omnes ad muros, unusquisque ad opus suum. 16. Et factum est a die illa, media pars juvenum eorum faciebat opus, et media parata erat ad bellum, et lanceæ, et scuta, et arcus, et loricæ, et principes post eos in omni domo Juda, 17. ædificantium in muro, et portantium onera, et imponentium; una manu sua faciebat opus, et altera tenebat gladium. 18. Ædificantium enim unusquisque gladio erat accinctus renes. Et ædificabant, et clangebant buccina juxta me. 19. Et dixi ad optimates, et ad magistratus, et ad reliquam partem vulgi : Opus grande est et latum, et nos separati sumus in muro procul alter ab altero : 20. in loco quocumque audieritis clangorem tubæ, illuc concurrite ad nos : Deus noster pugnabit pro nobis. 21 Et nos ipsi faciamus opus ; et media pars nostrum teneat lanceas, ab ascensu auroræ donec egrediantur astra. 22. In tempore quoque illo dixi populo : Unusquisque cum puero suo maneat in medio Jerusalem, et sint nobis vices per noctem, et diem, ad operandum. 23. Ego autem et fratres mei, et pueri mei, et custodes, qui erant post me, non deponebamus vestimenta nostra : unusquisque tantum nudabatur ad baptismum.

2. NUM DIMITTENT NOS GENTES? — *q. d.* Num nos Judæorum vicini, qui summis gentes tot et tam validæ, sinemus ut Judæi suam Jerusalem ædificent, ex qua deinde nos invadant et vexent uti olim fecerunt? *q. d.* Minime gentium; nullo modo id nos permittere oportet, ut arcem hanc condant et nostris humeris imponant.

NUM SACRIFICABUNT ET COMPLEBUNT UNA DIE? — *q. d.* Putantne se una die, id est brevissimo tempore, posse inchoare fabricam tantæ urbis (quod fiebat sacrificando et muros dedicando, indeque læte epulando) et simul complere? *q. d.* Nunquam; nam tempestive occurremus, eosque interturbabimus, et per vim a fabrica cessare cogemus.

NUNQUID ÆDIFICARE POTERUNT LAPIDES DE ACERVIS PULVERIS, QUI COMBUSTI SUNT? — Hebraice pro « ædificare » est *revificare*, Septuaginta, *sanare*, *q. d.* Nunquid lateres et lapides a Chaldæis combusti, et in cinerem redacti, Judæi poterunt reformare, et in pristinam lapidum laterumque soliditatem, robur et usum restituere, ut ex illis muros reædificent? *q. d.* Judæi tentant rem perdifficilem, imo fabricam impossibilem.

3. SI ASCENDERIT VULPES, TRANSILIET MURUM EORUM. — Hebraice, *vulpes ascendet et dirumpet murum lapideum eorum*. Est sarcasmus sive hostilis irrisio, *q. d.* Agant, laborent, sudent Judæi quantum volunt, tam fragilis et humilis erit murus quem erigunt, ut a vulpe transiliri, imo dirui possit. Ita Cajetanus.

5. NE OPERIAS INIQUITATEM EORUM — oblivione et impunitate, *q. d.* Recordare, Domine, horum injuriarum et sannarum quibus nos injuste agitant hostes nostri, eosque compesce et puni. Nam Deus cum parcit, dicitur tegere peccata; cum non parcit, sed punit, ea aperire, aspicere et ante oculos suos statuere. Unde S. Stephanus orans pro Judæis : « Domine, ait, ne statuas illis hoc peccatum, » *Actorum* cap. VII. Igitur Nehemias non supplicat ut Deus non ignoscat culpam pœnitentibus; hoc enim petere esset impium et diabolicum, sed ne ponam impœnitentibus et in culpa persistentibus condonet.

10. DIXIT AUTEM JUDAS,—id est dixere Judæi, qui fessi labore et territi minis hostium cœperunt in opere languere, et obmurmurare Nehemiæ opus fabricamque urgenti.

DEBILITATA EST FORTITUDO PORTANTIS, — id est operariorum et bajulorum lapides, ligna, aquam calcemque portantium humeri manusque tanto tamque assiduo, longoque labore debilitati sunt, ut amplius vix ea portare queant.

ET HUMUS NIMIA EST, — *q. d.* Opus est nimio calce, humo, vel, ut Hebræice et Græce est, *pulvere*, intrita et commixta. Aut simpliciter, *q. d.* « humus, » id est in effodienda humo ac jaciendis murorum fundamentis, rudera terræ et lapidum nimis multa exhaurienda restant, quam ut a paucis operariis bajulisque eruderari et exportari queant. Vicit tamen hanc quoque suorum querelam Nehemias in patiendo lassitudinem, et in animando eos constantia.

12. DICENTIBUS NOBIS PER DECEM VICES, — id est pluries dicebant et indicabant nobis hostium insidias, et instantes occultos eorum insultus) : EX OMNIBUS LOCIS,—*q. d.* Undique veniebant indices idem indicantes, scilicet hostes cogitare per insidias nos aggredi. Quocirca Nehemias suos armans et in acie collocans hostium insidias prævertit, discussit et avertit.

17. ÆDIFICANTIUM, etc. (subaudi unusquisque)

UNA MANU SUA FACIEBAT OPUS ET ALTERA TENEBAT GLADIUM, — ut hostes repente ex insidiis incurrentes repelleret. Nota hic prudentiam æque ac constantiam et ardorem populi in fabricando. Sic olim Hispani assidue cum Saracenis Hispaniam occupantibus confligentes, cum orarent, aut quid aliud agerent, gladium ad manus habebant, ut eos incursantes propellerent; unde mos adhuc viget, ut nunc quoque rustici in Hispania gladiati incedant, imo non arent nisi gladio accincti. Sic etiammum Hungari ab aratro prosiliunt ad arma, cum vicini Turcæ repente eos invadunt.

Allegoriam et tropologiam vide apud Bedam qui ait : « Ædificantes namque gladio accinguntur renes, cum hi qui bonis insistunt operibus, et commissos sibi regulari curant ratione disponere (hoc enim est vivos lapides in ædificio Ecclesiæ ordine competenti locare), fluxo in se luxuriæ acumine verbi Dei restringere satagunt. » Igitur dum rationi, operi charitatis, prædicationi, aliisque piis virtutum actibus, quibus fabricam spiritalem meritorum in anima construimus, insistimus, altera manu teneamus gladium mortificationis, quo carnis tentationes et diaboli mundique suggestiones vanæ gloriæ, superbiæ, invidiæ, gulæ, libidinis, etc., fortiter repellamus, imo a nobis amputemus. Hæc sunt « arma justitiæ, » quibus quoslibet fidelem « a dextris et sinistris » communit Apostolus, II *Cor.* VI, 7, et fusius *Ephes.* VI, 13 ; « Induite, inquit, armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. » Deinde panoplium, qua militem Christi a capite ad talos obarmat, assignat, nimirum cingulum veritatis, loricam justitiæ, calceum præparationis Evangelii, scutum fidei, galeam salutis et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Vide ibi dicta.

21. DONEC EGREDIANTUR ASTRA, — scilicet usque ad noctem, quando astra videntur quasi prodire e suis antris vel thalamis, in quibus tota die fulgente sole latuerunt, ut noctumus agant excubias. Loquitur Scriptura ad sensum vulgi, quod censet astra per diem in suis latibulis absconditi, e quibus per noctem prodeant, ut stationem suam quasi castrensem peragant usque ad auroram, cum suas latebras repetant, et Lucifer « statione novissimus exit. » Ita Vatablus.

22. UNUSQUISQUE CUM PUERO (puta cum famulo suo) MANEAT (noctu quoque) IN MEDIO JERUSALEM,— nec illo abeat, ut si noctu hostes nos invadant, omnes simul juncti eis occurramus et resistamus.

ET SINT NOBIS VICES PER NOCTEM ET DIEM AD OPERANDUM. — Hebræus et Septuaginta, *Et sit nobis nox custodia et dies opus*. Clare Vatablus : *Quisque cum puero suo pernoctet in medio Jerosolymæ, ut nocte sint nobis excubiæ, interdiu autem in opus*, ut scilicet noctu custodiant nos, et interdiu operentur in muro. Jubet ergo Nehemias ut omnes in urbe pernoctent cum famulis, atque ex eis aliqui designentur, qui noctu per vices excubent, cæteri vero dormiant, sed fere vestiti, ut si excubitores signum adventantis hostis dederint, illico armis correptis iis occurrant; per diem vero ita manus partiantur, ut pars una operetur, altera cum lanceis armata operantibus ad tutelam assistat.

23. EGO AUTEM ET FRATES MEI, ET PUERI MEI, ET CUSTODES QUI ERANT POST ME NON DEPONEBAMUS VESTIMENTA, — ut ego quasi dux cæteros cives et milites idem facere docerem, non tam verbo et jussu, quam facto et exemplo, ut scilicet vestes et arma noctu non deponerent, juxta illud ducis illius apud *Livium*, lib. VII : « Facta non dicta mea vos milites sequi volo : nec disciplinam modo, sed exemplum etiam a me petere. » Quod fecit Cato, de quo Lucanus, lib. IX :

> Ipse manu sua pila gerens præcedit anheli
> Militis ora, pedes : monstrat tolerare labores,
> Non docet.

Simili modo cum in Belgio degerem, Marchio Spinola biennio obsidens Ostendam, per septem integros menses dormiens vestes nunquam exuit, atque hac sua vigilantia tandem urbem in maris faucibus sitam, ideoque quasi inexpugnabilem, magnaque nominis sui gloria de ea triumphavit.

UNUSQUISQUE TANTUM NUDABATUR AD BAPTISMUM. — Hebraice, *unusquisque dimisso vel deposito ejus* (ex ejus redundat, more Hebræo) intelligo *vestimento* de quibus sermo præcessit, ad aquas, scilicet baptismales, id est purificatorias, cum nimirum vellet corpus abluere, seque mundare. Judæi enim tum ob immunditiem legalem, quam contracta rei legaliter immundæ, v. g. ex conversatione cum Gentilibus, facile contrahebant; tum ob caloremindeque sudorem et fœtorem, tum ob sordes aliunde contractas (unde Ammianus, lib. II, et Martialis, lib. IV *Epigram.* IV, Judæos appellant fœtentes) crebro totum corpus abluebant, imo vestes quoque et lectos. Vide dicta *Marci* cap. VII, vers. 3

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

In pauperum copia et clamore Nehemias opulentos avaros objurgat, usuras vetat, sua in pauperes effundit.

1. Et factus est clamor populi et uxorum ejus magnus, adversus fratres suos Judæos. 2. Et erant qui dicerent : Filii nostri, et filiæ nostræ multæ sunt nimis : accipiamus pro pretio eorum frumentum, et comedamus, et vivamus. 3. Et erant qui dicerent : Agros nostros, et vineas, et domos nostras opponamus, et accipiamus frumentum in fame. 4. Et alii dicebant : Mutuo sumamus pecunias in tributa regis, demusque agros nostros et vineas : 5. et nunc sicut carnes fratrum nostrorum, sic carnes nostræ sunt : et sicut filii eorum, ita et filii nostri. Ecce nos subjugamus filios nostros et filias nostras in servitutem, et de filiabus nostris sunt famulæ, nec habemus unde possint redimi, et agros nostros, et vineas nostras alii possident. 6. Et iratus sum nimis, cum audissem clamorem eorum secundum verba hæc : 7. cogitavitque cor meum mecum : et increpavi optimates et magistratus, et dixi eis : Usurasne singuli a fratribus vestris exigitis ? Et congregavi adversum eos concionem magnam, 8. et dixi eis : Nos, ut scitis, redemimus fratres nostros Judæos, qui venditi fuerant gentibus, secundum possibilitatem nostram : et vos igitur vendetis fratres vestros, et redimemus eos ? Et siluerunt, nec invenerunt quid responderent. 9. Dixique ad eos : Non est bona res, quam facitis : quare non in timore Dei nostri ambulatis, ne exprobretur nobis a gentibus inimicis nostris ? 10. Et ego, et fratres mei, et pueri mei, commodavimus plurimis pecuniam et frumentum : non repetamus in commune istud, æs alienum concedamus, quod debetur nobis. 11. Reddite eis hodie agros suos, et vineas suas, et oliveta sua, et domos suas : quin potius et centesimam pecuniæ, frumenti, vini et olei, quam exigere soletis ab eis, date pro illis. 12. Et dixerunt : Reddemus, et ab eis nihil quæremus : sicque faciemus ut loqueris. Et vocavi Sacerdotes, et adjuravi eos, ut facerent juxta quod dixeram. 13. Insuper excussi sinum meum, et dixi : Sic excutiat Deus omnem virum, qui non compleverit verbum istud, de domo sua, et de laboribus suis : sic excutiatur, et vacuus fiat. Et dixit universa multitudo : Amen. Et laudaverunt Deum. Fecit ergo populus, sicut erat dictum. 14. A die autem illa, qua præceperat rex mihi ut essem dux in terra Juda, ab anno vigesimo usque ad annum trigesimum secundum Artaxerxis regis, per annos duodecim, ego et fratres mei annonas, quæ ducibus debebantur non comedimus : 15. Duces autem primi, qui fuerant ante me, gravaverunt populum, et acceperunt ab eis, in pane, et vino, et pecunia, quotidie siclos quadraginta ; sed et ministri eorum depresserunt populum. Ego autem non feci ita propter timorem Dei : 16. quin potius in opere muri ædificavi, et agrum non emi, et omnes pueri mei congregati ad opus erant. 17. Judæi quoque et magistratus, centum quinquaginta viri, et qui veniebant ad nos de gentibus quæ in circuitu nostro sunt, in mensa mea erant. 18. Parabatur autem mihi per dies singulos hos unus, arietes sex electi, exceptis volatilibus, et inter dies decem vina diversa, et alia multa tribuebam : insuper et annonas ducatus mei non quæsivi : valde enim attenuatus erat populus. 19. Memento mei, Deus meus, in bonum, secundum omnia quæ feci populo huic.

3. Domos nostras opponamus, — id est oppignoremus fœneratoribus. Recenter enim redierant Babylone, omniaque sua in viatico et in fabrica urbis consumpserant. Quare magna paupertate laborabant, ad quam levandam sua oppignorare, imo filios et filias suas vendere vers. 2, cogitabant.

4. In tributa regis, — ut scilicet comparemus id quod loco tributi regi Persarum quotannis solvere debemus.

5. Et nunc (subaudi valde dure et inique aditioribus exhaurimur, nam) sicut carnes fratrum nostrorum, sic carnes nostræ sunt; et sicut filii eorum, ita et filii nostri. — *q. d.* Nos et filii nostri hic duram servimus servitutem similem illi, quam serviunt fratres, id est contribules nostri, qui in Babylone et Perside remanserunt, idque dilectorum Judæorum iniquitate et injuria, qui nos fratres suos pauperes usuris et filiorum emptione opprimunt, ut sequitur. Quare pejori loco sumus quam fratres nostri in Perside : illi enim a Persis exteris et idololatris ; nos vero a contribulibus nostris, qui sanguine et religione fratres nostri sunt, affligimur. Acerbius enim est ab amico et fratre, quam ab inimico et extero cruciari. Nam cum lex *Deut.* xxiii, 19, jubeat ut fratribus mutuum detur gratis, ipsi a nobis pro mutuo magnas usuras exigunt : quare cogimur filios et filias nostras vendere vel tradere in servitutem, ut usuras has solvamus. Ita Cajetanus, Vatablus, et alii.

7. Congregavi adversum eos (divites usurarios) concionem magnam, — id est, cœtum magnum totius populi, ut coram eo a me reprehensi et confusi usuras suas dimitterent.

Vers. 11. Centesimam pecuniæ, frumenti, vini et olei. — « Centesimam, » scilicet usuram, qua nimirum singulis mensibus pro usu mutui sive usura exigebant unum pro centum; hoc est annuatim duodecim pro centum. Hinc patet hanc usuram frequentem fuisse apud Judæos, uti postea fuit apud Romanos ; eratque gravis utpote in qua singulis annis octava pars summæ capitalis mutuo acceptæ solveretur, nam duodecim v. g. aurei sunt octava pars centum aureorum, quia octies duodecim faciunt 96, quibus adde quatuor, habebis centum. Quare octavo anno usura æquabat pene ipsum capitale, ideoque illud duplicabat, ut pro mutuo centum aureorum solvendi essent pene ducenti aurei, scilicet præcise 196, ac post alios octo annos idem triplicabat, et post alios octo quadruplicabat. Cum vero dimidium hujus usuræ, sex pro centum quotannis solverentur, vocabantur *usuræ semisses*, sive dimidiatæ ; cum quatuor pro centum penderentur, dicebantur *trientariæ* ; cum unum duntaxat, nominabantur *unciales*, quæ erat usura minima, sicut illa duodenaria erat maxima.

Centesimæ usuræ quæ?

Semisses usuræ. Trientariæ.

Date pro illis, — id est illis condonate, quin et acceptam reddite, et restituite, uti præcessit : unde hæc non exstant in Hebræo, quia ex præcedenti repetenda subintelliguntur. Usura cum sit contra justitiam commutativam, non transit in dominium usurarii ; unde ab eo restituenda est illi, qui eamdem pro mutuo dedit.

12. Et dixerunt (partim pudore, partim auctoritate et exemplo Nehemiæ, partim boni publici amore, partim pauperum commiseratione permoti) : reddemus (agros, vineas et oliveta, quæ pauperes pro mutuo accepto nobis oppignorarunt, et quasi pignora tradiderunt, donec mutuum redderent) : et ab eis (deinceps) nihil quæremus, — id est, nihil pro usura exigemus.

Et vocavi Sacerdotes (hujus usuræ reos), et (secreto ob reverentiam sacerdotii, ne eos coram populo pudefacerem) adjuravi eos, — ut usuras remitterent, haeque in re laicis usurariisque exemplo justitiæ et charitatis præirent.

13. Sic excutiat Deus omnem virum qui non compleverit verbum istud de domo sua (ut domo sua spoliatus, exsul et vagus oberrare cogatur) et de laboribus suis, — ut fructu et mercede laborum suorum privetur, uti ego sinum meum excussi. Qui enim alios per usuras excutiunt, merentur et ipsi a domibus et opibus suis excuti, exsulare et depauperari, uti sæpe justo Dei judicio fit.

14. A die autem illa, qua præceperat mihi rex ut essem dux in terra Juda, ab anno vigesimo usque ad annum 32 Artaxerxis, ego et fratres mei annonas, quæ ducibus debebantur, non comedimus. — Solebant duces a civibus Jerosolymæ, quibus præerant, accipere annonas, id est, necessaria ad victum, verbi gratia, certam mensuram frumenti, vini, olei, pecuniæ, etc. ; sed Nehemias noluit ea accipere, tum ne populum pauperem hac contributione gravaret, tum ut divitibus daret exemplum remittendi usuras : idque fecit per duodecim annos, quibus præfuit Jerosolymæ quasi dux : unde multi putant eum continue per duodecim annos commoratum fuisse Jerosolymæ. Verum hoc non satis respondet desiderio regis et reginæ optantium, ut illico Nehemias ad se rediret, ac tempore modico ab eo constituto, ut dictum est cap. II, 6. Quamobrem videtur Nehemias paulo post fabricam murorum absolutam, puta post 32 dies, ut dicitur cap. VI, 15, ad regem rediisse, ac vicarium loco sui sive viceducem Jerosolymæ reliquisse, qui populo præesset. Artaxerxes enim eum Jerosolymæ ducem constituerat per 12 annos, sive absens foret sive præsens. Quare absens jure suo poterat has annonas quasi stipendia ducatus sui a populo exigere, præsertim qui absena erat ob evocationem et obsequium regis ; sed noluit ea accipere ob causas jam dictas. Ita Salianus et Sanchez. Hæc magis patebunt vers. 17 et cap. XIII, 6, ubi Nehemias anno 32 Artaxerxis rediens in Jerusalem correxit multos abusus, qui per duodecim annos quibus ipse abfuerat, in Jerusalem irrepserant.

15. Duces autem primi qui fuerant ante me (ab Esdra jussu regis constituti, ut dictum est *Esdræ* VII, 25), gravaverunt populum, et acceperunt ab eis in pane et vino (certum mensuram panis et vini), et pecunia quotidie siclos 40. — Ex Hebræo liquet eos præter panem et vinum in pecunia ac-

cepisse siclos 40; sic enim habet: *Aggravaverunt populum in pane et vino post argenti siclos* 40, qui faciunt quadraginta florenos Brabanticos, sive 40 Francos Gallicos, quæ immanis erat summa et plebi adeo pauperi insubilis.

16. QUIN POTIUS IN OPERE MURI ÆDIFICAVI cap. III, nullum audivimus locum particularem Nehemiæ ad fabricandum assignatum, sed ipse quasi dux omnibus in loco sibi determinato fabricantibus aderat, et præerat omnes dirigendo, incitando, et opera per se et suos adjuvando; ET AGRUM NON EMI, — *q. d.* Rem meam et prædia non auxi, sed potius me meaque omnia expendi pro urbis et civium commodis. Fuit hæc mira continentia Nehemiæ, æque ac charitas et liberalitas in cives suos. Multi enim duces et præsides subditos expilant, ut se ditent; unde paucis præfecturæ suæ annis opibus onusti, domum redeunt. Non ita fecit Nehemias, cujus profunde memoria in benedictione est. Idem fecit Thomas Morus, qui cum plures annos Cancellarium Angliæ egisset, rem tamen suam et annuum censum non auxit ad aureos ducentos, uti narrat Stapletus in ejus Vita.

17. JUDÆI QUOQUE ET MAGISTRATUS (quos per Judæam jussu regis constitueram) 150 VIRI, ET QUI VENIEBANT AD NOS DE GENTIBUS (legati gentium vicinarum) QUÆ IN CIRCUITU NOSTRO SUNT, IN MENSA MEA ERANT. — *q. d.* Omnes hos alebam sumptu meo sive ex meis opibus, quas mihi rex donaverat.... Hinc liquet Nehemiam non mansisse duodecim annos in Jerusalem. Nam tantos sumptus quotidie tot convivis per tot annos præstare non potuisset, imo regias opes exhausisset.

18. INTER DIES DECEM VINA DIVERSA. — Locus hic obscurus est: unde *primo* Pagninus sic vertit et explicat, *q. d.* Tantum vini absumebant hi convivæ uno die, quantum mihi meaque familiæ sufficisset ad decem dies. *Secundo*, Vatablus, aptius ad Hebræa et Græca vertit: Decimo quoque die dabatur omnibus vinum affatim; cæteris vero novem diebus dabatur certa mensura. *Tertio* Sanchez: Porrigebantur, inquit, decem vinorum genera, singula diebus singulis, ita ut exacto decem dierum curriculo, decem illa vina jam essent propinata, et iterum atque iterum idem vinorum genus et series eodem ordine recurreret. Varia versio

Hæc sententia vulgatæ versioni conformior est, si *inter decem* non ad vina (insuitatum enim est et insolens in uno convivio decem generum vin. convivis propinare, quod ne reges quidem summique gulones fecerant), sed ad dies referas, *q. d.* Singulis diebus dabantur varia vina, idque per decem dies, quibus exactis exhauriebantur dolia, ac alia vina pariter diversi generis suggerere oportebat. Magnus ergo et magnificus dux fuit Nehemias, ac in omnibus se eximium ostendit. Vere Bias: « Magistratus, inquit, virum ostendit. » Et Cicero, lib. *De Senectute*, de magno illo Catone Censorio ait: « Bonus est senator, bonus imperator, bonus agricola. » Idem et plura dicas de Nehemia.

19. MEMENTO MEI, etc., — *q. d.* Præsta mihi, o Domine, talia qualia ego præstiti populo tuo et meo, ut tum sis liberalis in me quam ego fui in eum.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hostes Judæorum Nehemiæ tendunt insidias; mox minantur accusationem affectati ab eo regni; tertio pseudoprophetas contra eum subsultant; quarto proditores subornant: sed omnia hæc dissipavit Nehemiæ prudentia et animi magnitudo.

1. Factum est autem, cum audisset Sanaballat, et Tobias, et Gossem Arabs, et cæteri inimici nostri, quod ædificassem ego murum, et non esset in ipso residua interruptio (usque ad tempus autem illud valvas non posueram in portis), 2. miserunt Sanaballat et Gossem ad me, dicentes: Veni, et percutiamus simus pariter in viculis in Campo Ono. Ipsi autem cogitabant ut facerent mihi malum. 3. Misi ergo ad eos nuntios, dicens: Opus grande ego facio, et non possum descendere, ne forte negligatur, cum venero et descendero ad vos. 4. Miserunt autem ad me secundum verbum hoc per quatuor vices: et respondi eis juxta sermonem priorem. 5. Et misit ad me Sanaballat juxta verbum prius quinta vice puerum suum, et epistolam habebat in manu sua scriptam hoc modo: 6. IN GENTIBUS auditum est, et Gossem dixit quod tu et Judæi cogitetis rebellare, et propterea ædifices murum, et levare te velis super eos regem: propter quam causam, 7. et prophetas posueris, qui prædicent de te in Jerusalem, dicentes: Rex in Judæa est. Audituri sunt rex verba hæc: idcirco nunc veni, ut ineamus consilium pariter. 8. Et misi ad eos, dicens: Non est factum secundum verba hæc quæ

tu loqueris: de corde enim tuo tu componis hæc. 9. Omnes enim hi terrebant nos, cogitantes quod cessarent manus nostræ ab opere, et quiesceremus. Quam ob causam magis confortavi manus meas: 10. et ingressus sum domum Semaiæ filii Dalaiæ filii Metabeel secreto. Qui ait: Tractemus nobiscum in domo Dei in medio templi, et claudamus portas ædis: quia venturi sunt ut interficiant te, et nocte venturi sunt ad occidendum te. 11. Et dixi: Num quisquam similis mei fugit? et quis ut ego ingredietur templum, et vivet? Non ingrediar. 12. Et intellexi quod Deus non misisset eum, sed quasi vaticinans locutus esset ad me, et Tobias et Sanaballat conduxissent eum. 13. Acceperat enim pretium, ut territus facerem, et peccarem, et haberent malum, quod exprobrarent mihi. 14. Memento mei, Domine, pro Tobia et Sanaballat, juxta opera eorum talia: sed et Noadiæ prophetæ, et cæterorum prophetarum, qui terrebant me. 15. Completus est autem murus vigesimo quinto die mensis Elul, quinquaginta duobus diebus. 16. Factum est ergo cum audissent omnes inimici nostri, ut timerent universæ gentes, quæ erant in circuitu nostro, et conciderent intra semetipsos, et scirent quod a Deo factum esset opus hoc. 17. Sed et in diebus illis, multæ optimatum Judæorum epistolæ mittebantur ad Tobiam, et a Tobia veniebant ad eos. 18. Multi enim erant in Judæa habentes juramentum ejus, quia gener erat Secheniæ filii Area, et Johanan filius ejus acceperat filiam Mosollam filii Barachiæ; 19. sed et laudabant eum coram me, et verba mea nuntiabant ei: et Tobias mittebat epistolas ut terreret me.

2. PERCUTIAMUS SIMUS PARITER IN VICULIS. — Sic et Septuaginta et Vatablus. Verum Pagninus retinet nomen Hebræum quasi proprium, vertitque in *Kephirim*. Utrumque verum, quia *Kephirim* erat nomen loci ita dicti a copia villarum et viculorum.

IN CAMPO ONO. — Campus hic erat juxta Jordanem in tribu Benjamin, vulgoque dicebatur « Vallis artificum. » Ita Adrichomius, idque sat liquet ex cap. XI, vers. 31 et 35.

UT FACERENT MIHI MALUM, — ut me caperent, vel occiderent.

6. ET LEVARE TE VELIS SUPER EOS REGEM, — scilicet quod tu, o Nehemia, velis te super eos exaltare et regem constituere. Hæc erat eorum accusatio et calumnia.

7. ET PROPHETAS POSUERIS QUI PRÆDICENT DE TE IN JERUSALEM, DICENTES: REX IN JUDÆA EST. — Prophetas propric accipe. Criminantur enim Nehemiam, quod is se velit regem facere, ideoque prophetas subornet, qui populo vaticinentur idipsum velle Deum, ut scilicet Judææ, quæ tot annis regibus caruit, jam suus rex restituatur. Ita Sanchez. Alii tamen per « prophetas » intelligunt præcones, qui per plateas Nehemiam regem proclament.

10. ET INGRESSUS SUM DOMUM SEMAIÆ FILII DALAIÆ FILII METABEEL SECRETO. — Semaia erat Sacerdos de vico Dalaiæ, quæ ordine erat vigesima tertia, ut liquet I *Paral.* XXIV, 18, atque domi manebat quasi studio et orationi deditus. Unde Sanaballat eum pecunia corrupit, ut quasi vir religiosus, imo propheta, ut patet vers. 12, Nehemiam ad se evocaret, eique quasi vaticinans metum hostium injiceret, ideoque fugam suaderet, idque hoc fine ut Nehemiam probro timiditatis afficeret, et populo contemptibilem redderet; imo ut Nehemia timente et fugiente, timeret pariter et fugeret populus. Patet ex seqq.

11. ET DIXI: NUM QUISQUAM SIMILIS MEI (magni animi et dux populi) FUGIT? — *q. d.* Non decet meam magnanimitatem nec dignitatem turpis hæc fuga. Duce enim fugiente, fugiet totus populus. Nehemiæ magnanimitas

ET QUIS UT EGO (mei similis, magnanimus et princeps) INGREDIETUR TEMPLUM ET VIVET? — Vatablus, *ut vivat*, *q. d.* Ne quidem vitæ servandæ causa me ad templum fugere decet; satius enim est generose mori quam turpiter fugere, et inferre crimen gloriæ suæ, ut aiebat Judas Machabæus. Aut *et vivat*, *q. d.* Si fugiam ad templum, non vivam, sed occidar a populo quasi timidus et fugitivus, qui eos in hoc periculum hostium temere conjecerim, et quasi sceleris alicujus conscius. Ita Sanchez.

12. ET INTELLEXI, — vel Deo revelante, vel sollertia et sagacitate ingenii mei ex verbis et gestibus Semaiæ, ipsum venditare se esse prophetam, ac ut talem vaticinare minas hostium, cum revera esset pseudopropheta pretio subornatus a Sanaballat, ut me terrendo, populo redderet vilem et exosum.

13. UT TERRITUS (oraculo ficto periculi instantis) FACERER (quod ipse suadebat, scilicet fugerem in templum quasi timidus; aut quasi sceleris alicujus conscius confugerem ad templum quasi ad asylum) ET PECCAREM, — tam in Deum per diffidentiam, tum in me per pusillanimem fugam, tum in populum, eum mea fuga percellendo et in fugam agendo.

14. MEMENTO MEI, DOMINE, PRO TOBIA ET SANABALLAT JUXTA OPERA EORUM TALIA. — ut me ab eis liberes ac illos castiges, ut vel ipsi, vel alii ipso-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rum exemplo et castigatione sapiant, discantque viros probos non vexare, nec eis insidiari.

SED ET NOADIÆ PROPHETÆ. — Hebraice *prophetissæ* (erat enim femina), hoc est pseudoprophetissæ pretio corruptæ a Sanaballat, quæ similes minas et metus mihi injiciebat. Repete : « Memento, Domine, ut eam pro meritis castiges et castigando emendes, vel ipsam vel alios ipsius exemplo. Dixit hæc Nehemias ex justo dolore et zelo non vindictæ privatæ, sed justitiæ publicæ.

15. COMPLETUS EST AUTEM MURUS 25 DIE MENSIS ELUL (sexti qui nostro partim augusto, partim septembri respondet) 52 DIEBUS. — Nonnulli hos 52 dies inchoant non ab initio fabricæ, sed a minis et insidiis hisce Sanaballat Nehemiæ intentatis : unde Josephus asserit murorum fabricam perfectam fuisse duobus annis et tribus mensibus, anno 28 Xerxis, id est Artaxerxis. Josephum sequuntur Historici Scholastici, Cajetanus, Vatablus et Mariana. Verius est hoc 52 dies inchoandos ab initio fabricæ, ut censent Lyranus, Dionysius, Vilalpandus et Sanchez. Si enim fabrica murorum per biennium durasset, utique Sanaballat sollicitando vicinas gentes, conflato exercitu eam impedivisset. Instabat ergo Nehemias, urgebatque opus ut illico absolveretur. Idque fieri potuit 52 diebus, tum quia omnes operi strenue et ardenter incumbebant, et opus in singulos, nomine excepto, ordinate erat distributum; tum quia fundamenta murorum, quæ Chaldæi diruere non potuerant, supererant, imo multis in locis muri integri. Chaldæi enim muros dumtaxat variis in locis destruxerant, hoc est, interoperant, ut patet IV *Reg.* cap. ult., vers. 4 et 10. Portæ quoque non erant dirutæ, sed earum valvæ combustæ, ut patet *Esdræ* I, 3, valvas ergo tantum restaurari oportuit. Ad hæc fabricabant ex lapide non cæso et polito, sed rudi et impolito, imo ex lapidibus quos inveniebant in ruinis et ruderibus veterum murorum. Denique Deus eos secundavit, ut spatio 52 dierum muros perficerent. Sic Alexander Magnus muros novæ Alexandriæ ad Tanaim per longitudinem stadiorum sexaginta erexit spatio 17 dierum, ut vult Q. Curtius; vel viginti, ut narrat Arianus. Sic hodie Hollandi urbes vastas obsidentes, easdem spatio viginti dierum circumquaque ita vallo cingunt, ut eis succurri nequeat. Nam more Romano milites singuli cum armis ligones vel trullas deferunt ad fodiendum vel fabricandum. Tot autem manus junctæ illico opus ingens perficiunt.

16. UT TIMEREST UNIVERSÆ GENTES, — nos, nostramque fabricam, quam tam cito videbant esse perfectam, ut ipsæ faterentur hoc esse opus Dei potius quam hominum.

17. MULTÆ OPTIMATUM JUDÆORUM EPISTOLÆ MITTEBANTUR AD TOBIAM. — Erant hi patriæ proditores, qui contra Nehemiam cum hostibus conspirarant, eisque gesta et consilia Nehemiæ perscribebant, ut ea disturbarent. Causam subdit :

18. MULTI ENIM ERANT IN JUDÆA HABENTES JURAMENTUM EJUS, — *q. d.* Multi Judæorum jurarant Tobiæ, eique per juramentum fidem suam addixerant, se scilicet illi fore amicos et fideles, et proinde cum eo contra me et patriam suam conjurarant.

QUIA (Tobias) GENER ERAT SECHENIÆ, *q. d.* Causa cur multi Judæorum faverent Tobiæ hosti Judæorum, erat quod cum eo ejusque fœderatis affinitatem per matrimonia mutua contraxerant. Nam ET JOHANAN FILIUS EJUS (Tobiæ) ACCEPERAT FILIAM MOSOLLAM FILII BARACHIÆ, — qui erant Judæi et Judæorum optimates.

19. SED ET LAUDABANT RUM (Tobiam) CORAM ME. — Hebraus, *quin et bonitatem* (vel benefacta sive munificentias) *ejus prædicabant coram me*. Alludunt ad nomen *Tobiæ*, quod Hebraice significat *bonitatem Dei*, *q. d.* Ipse vere est Tobias juxta nomen suum, qui in omnes existit bonus et beneficus. Ita Vatablus. Hæc fuit summa Judæorum iniquitas, et summa Nehemiæ injuria et afflictio, scilicet civium suorum proditio, quam tamen ipse dissimulando, patientia, consilio et constantia superavit.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jerosolymæ jam muris cinctæ Nehemias custodes apponit. Inde, vers. 6, numerantur ii qui cum Zorobabele Babylone redierant, ac vers. 70, dona auri et vasorum in fabricam sponte a variis oblata.

1. Postquam autem ædificatus est murus, et posui valvas, et recensui janitores, et cantores, et Levitas : 2. præcepi Hanani fratri meo, et Hananiæ principi domus de Jerusalem (ipse enim quasi vir verax et timens Deum plus cæteris videbatur) 3. et dixi eis : Non aperiantur portæ Jerusalem usque ad calorem solis. Cumque adhuc assisterent, clausæ portæ sunt, et oppilatæ : et posui custodes de habitatoribus Jerusalem, singulos per vices suas, et unumquemque contra domum suam. 4. Civitas autem erat lata nimis et grandis, et populus parvus in medio ejus, et non erant domus ædificatæ. 5. Deus autem dedit in corde meo, et congregavi optimates, et magistratus, et vulgus, ut recenserem eos, et inveni librum census eorum, qui ascenderant primum, et inventum est scriptum in eo. 6. Isti filii provinciæ, qui ascenderunt de captivitate migrantium, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis, et reversi sunt in Jerusalem, et in Judæam, unusquisque in civitatem suam. 7. Qui venerunt cum Zorobabel, Josue, Nehemias, Azarias, Raamias, Nahamani, Mardochæus, Belsam, Mespharath, Begoai, Nahum, Baana. Numerus virorum populi Israel : 8. filii Pharos, duo millia centum septuaginta duo : 9. filii Saphatia, trecenti septuaginta duo : 10. filii Area, sexcenti quinquaginta duo : 11. filii Phahathmoab filiorum Josue et Joab, duo millia octingenti decem et octo : 12. filii Ælam, mille ducenti quinquaginta quatuor : 13. filii Zethua, octingenti quadraginta quinque : 14. Filii Zachai, septingenti sexaginta : 15. Filii Bannui, sexcenti quadraginta octo : 16. filii Bebai, sexcenti viginti octo : 17. filii Azgad, duo millia trecenti viginti duo : 18. filii Adonicam, sexcenti sexaginta septem : 19. filii Beguai, duo millia sexaginta septem : 20. filii Adin, sexcenti quinquaginta quinque : 21. filii Ater, filii Hezeciæ, nonaginta octo : 22. filii Hasem, trecenti viginti octo : 23. filii Besai, trecenti viginti quatuor : 24. filii Hareph, centum duodecim : 25. filii Gabaon, nonaginta quinque : 26. filii Bethlehem et Netupha, centum octoginta octo. 27. Viri Anathoth, centum viginti octo. 28. Viri Bethazmoth, quadraginta duo. 29. Viri Cariathiarim, Cephira et Beroth, septingenti quadraginta tres. 30. Viri Rama et Geba, sexcenti viginti unus. 31. Viri Machmas, centum viginti duo. 32. Viri Bethel et Hai, centum viginti tres. 33. Viri Nebo alterius, quinquaginta duo. 34. Viri Ælam alterius, mille ducenti quinquaginta quatuor. 35. Filii Harem, trecenti viginti. 36. Filii Jericho, trecenti quadraginta quinque. 37. Filii Lod, Hadid et Ono, septingenti viginti unus. 38. Filii Senaa, tria millia nongenti triginta. 39. Sacerdotes : Filii Idaia in domo Josue, nongenti septuaginta tres. 40. Filii Emmer, mille quinquaginta duo. 41. Filii Phashur, mille ducenti quadraginta septem. 42. Filii Arem, mille decem et septem. Levitæ : 43. Filii Josue et Cedmihel filiorum. 44. Oduiæ, septuaginta quatuor. Cantores : 45. Filii Asaph, centum quadraginta octo. 46. Janitores : Filii Sellum, filii Ater, filii Telmon, filii Accub, filii Hatita, filii Sobai, centum triginta octo. 47. Nathinæi : filii Soha, filii Hasupha, filii Thebbaoth, 48. filii Ceros, filii Siaa, filii Phadon, filii Lebana, filii Hagaba, filii Selmai, 49. filii Hanan, filii Geddel, filii Gaher, 50. filii Raaia, filii Rasin, filii Necoda, 51. filii Gezem, filii Aza, filii Phasea, 52. filii Besai, filii Munim, filii Nephussim, 53. filii Bachuc, filii Hacupha, filii Harhur, 54. filii Besloth, filii Mahida, filii Harsa, 55. filii Bercos, filii Sisara, filii Thema. 56. filii Nasia, filii Hatipha. 57. filii servorum Salomonis, filii Sothai, filii Sopheret, filii Pharida, 58. filii Jahala, filii Darcon, filii Jeddel, 59. filii Saphatia, filii Hatil, filii Phochereth, qui erat ortus ex Sabaim, filio Amon. 60. Omnes Nathinæi, et filii servorum Salomonis, trecenti nonaginta duo. 61. Hi sunt autem qui ascenderunt de Thelmela, Thelharsa, Cherub, Addon et Emmer : et non potuerunt indicare domum patrum suorum, et semen suum, utrum ex Israel essent. 62. Filii Dalaia, filii Tobia, filii Necoda, sexcenti quadraginta duo. 63. Et de Sacerdotibus, filii Habia, filii Accos, filii Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis uxorem : et vocatus est nomine eorum. 64. Hi quæsierunt scripturam suam in censu, et non invenerunt : et ejecti sunt de sacerdotio. 65. Dixitque Athersatha eis, ut non manducarent de Sanctis sanctorum, donec staret Sacerdos doctus et eruditus. 66. Omnis multitudo quasi vir unus, quadraginta duo millia trecenti sexaginta, 67. absque servis et ancillis eorum, qui erant septem millia trecenti triginta septem, et inter eos cantores, et cantatrices, ducenti quadraginta quinque : 68. Equi eorum, septingenti triginta sex : muli eorum, ducenti quadraginta quinque. 69. Cameli eorum, quadringenti triginta quinque : asini, sex millia septingenti viginti.

Hucusque refertur quid in commentario scriptum fuerit, exin Nehemiæ historia texitur.

70. Nonnulli autem de principibus familiarum dederunt in opus. Athersatha dedit in thesaurum auri drachmas mille, phialas quinquaginta, tunicas sacerdotales quingentas triginta. 71. Et de principibus familiarum dederunt in thesaurum operis, auri drachmas viginti millia, et argenti minas duo millia ducentas. 72. Et quod dedit reliquus populus, auri drachmas viginti millia, et argenti minas duo millia, et tunicas sacerdotales sexaginta septem. 73. Habitaverunt autem Sacerdotes, et Levitæ, et janitores, et cantores, et reliquum vulgus, et Nathinæi, et omnis Israel, in civitatibus suis.

2. PRÆCEPIT HANANI FRATRI (cognato) MEO. (Hic est ille Hanani, qui nuntium de oblationis Jerosolem ad Nehemiam in Persidem detulit, cap. I, vers. 2,) ET HANANIÆ PRINCIPI (id est præfecto) NOMUS. — scilicet palatii regii, ut habent Hebræi in monte Sion. Hos duos, utpote pro ceteris viros veraces, id est sinceros et integros, ac timentes Deum, Nehemias posuit custodes urbis Jerusalem.

3. CUMQUE ADHUC ASSISTERENT, — q. d. Non nisi his duobus custodibus, scilicet Hanani et Hanania præsentibus et assistentibus vespere claudebantur portæ, ne qua fieret fraus ex hostium insidiis. Harum mane non aperiebantur « ante calorem solis, » id est, ante clarum diem, cum omnes vigilant.

4. ET POPULUS PARVUS, — qui pauci Babylone redierant, et ex his paucis nonnulli videntes desolationem urbis et hostium minas, ad alias Judææ urbes et vicos se contulerant, alii in Babylonem vel Persidem reversi erant, inter quos fuit Dux Zorobabel.

5. DEUS AUTEM DEDIT IN CORDE MEO, — q. d. Deus mihi suggessit consilium modumque supplendi paucitatem incolarum Jerosolymæ, nimirum recensendo catalogum eorum qui primitus cum Esdra e Babylone redierant, ac juxta eum, illos invitando et evocando ad incolendam Jerusalem, quod reipsa per sortem factum esse audiemus cap. XI. Unde mox catalogum continentem censum populi, qui redierat, recenset.

6. ISTI (sunt) FILII PROVINCIÆ, QUI ASCENDERUNT DE CAPTIVITATE MIGRANTIUM, — id est qui redierunt e transmigratione Babylonis, puta e Babylone in Jerusalem cum Zorobabel sub Cyro. Hic est catalogus, sive census populi, quem recensuit Esdras, cap. II, sed aliis subinde verbis et numeris fere diversis, præsertim in medio; nam initium et finis utrobique est idem. Ratio est quod census hic populi, sive catalogus semel sit initus et descriptus; scilicet *primo* in Babylone, cum inde egressi sunt Judæi : *secundo* in Jerusalem, cum primum eo appulerunt; *tertio* cum templo restitutum, illud solemni populi concursu dedicatum fuit. Hi autem census inter se variabant; quia aliis morientibus alii nascebantur, aliis absentibus alii adventabant. Quare ex uno censu catalogum suum descripsit Esdras, ex alio Nehemias; ideoque variant. Vide Franciscum Lucam *in Notat.* 79.

65 DIXITQUE ATHERSATHA, — hoc est Nehemias, ut patet cap. VIII, vers. 9.

Hucusque catalogus. Annotatio hæc sequestris non exstat in Hebræo, Græco et quibusdam Latinis. Unde Græcus Epanorthotes, aliique eam omittendam censent, imo rejiciunt, ut Lyranus et Carthusianus. Sane diversus character satargnit hæc inserta verba, neque de textu esse, neque de fide, ait Sanctes. Habent tamen annotationem hanc Biblia Romæ correcta. Videtur ergo addita ab Interprete, uti multa similia addita sunt in libro Esther, vel a paraphraste, aut commentatore aliquo : ita Franciscus Lucas, *Notat.* 79.

70. NONNULLI AUTEM DE PRINCIPIBUS, — Hic est catalogus donariorum ad fabricam oblatorum, estque idem cum eo quem recensuit Esdras, cap. II, sed ut dixi, in numeris diversus : forte, quod Esdras plurium dona complexus sit, nempe eorum etiam omnium qui ex regno Cyri, sive Judæi sive Persæ, hortante Cyro, de opibus suis aliquid ad fabricam contulerunt aut postea in Jerusalem submiserunt : Nehemias autem Judæorum tantum e captivitate redeuntium dona, eaque præcipua duntaxat, ideoque pauciora quam Esdras recenseat, ait Franciscus Lucas loco citato.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Esdras, convocato omni populo die prima mensis septimi, illi legem Dei prælegit explicatque. Idem facit die 15 mensis per octo dies festi Tabernaculorum, quod ab omnibus magna solemnitate celebratur.

1. Et venerat mensis septimus : filii autem Israel erant in civitatibus suis. Congregatusque est omnis populus, quasi vir unus, ad plateam quæ est ante portam aquarum : et dixerunt Esdræ scribæ ut afferret librum legis Moysi, quam præceperat Dominus Israeli. 2. Attulit ergo Esdras sacerdos legem coram multitudine virorum et mulierum, cunctisque qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi. 3. Et legit in eo aperte in platea quæ erat ante portam aquarom, de mane usque ad mediam diem, in conspectu virorum et mulierum et sapientium, et aures omnis populi erant erectæ ad Librum. 4. Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum : et steterunt juxta eum Mathathias, et Semeia, et Ania, et Uria, et Helcia, et Maasia, ad dexteram ejus; et ad sinistram, Phalaia, Misael, et Melchia, et Hasum, et Hasbadana, Zacharia, et Mosollam. 5. Et aperuit Esdras librum coram omni populo : super universum quippe populum eminebat; et cum aperuisset eum, stetit omnis populus. 6. Et benedixit Esdras Domino Deo magno, et respondit omnis populus : Amen, Amen, elevans manus suas; et incurvati sunt, et adoraverunt Deum proni in terram. 7. Porro Josue, et Bani, et Serebia, Jamin, Accub, Septhai, Odia, Maasia, Celita, Azarias, Josabed, Hanan, Phalaia, Levitæ, silentium faciebant in populo ad audiendam legem : populus autem stabat in gradu suo. 8. Et legerunt in Libro legis Dei distincte, et aperte ad intelligendum : et intellexerunt, cum legeretur. 9. Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha) et Esdras sacerdos et scriba, et Levitæ interpretantes universo populo : Dies sanctificatus est Domino Deo nostro, nolite lugere, et nolite flere. Flebat enim omnis populus, cum audiret verba legis. 10. Et dixit eis : Ite, comedite pinguia, et bibite mulsum, et mittite partes his qui non præparaverunt sibi; quia sanctus dies Domini est, et nolite contristari : gaudium enim Domini est fortitudo nostra. 11. Levitæ autem silentium faciebant in omni populo, dicentes : Tacete, quia dies sanctus est, et nolite dolere. 12. Abiit itaque omnis populus, ut comederet et biberet, et mitteret partes, et faceret lætitiam magnam : quia intellexerant verba quæ docuerat eos. 13. Et in die secundo congregati sunt principes familiarum universi populi, Sacerdotes et Levitæ, ad Esdram scribam, ut interpretaretur eis verba Legis. 14. Et invenerunt scriptum in Lege, præcepisse Dominum in manu Moysi, ut habitent filii Israel in tabernaculis, in die solemni, mense septimo : 15. et ut prædicent, et divulgent vocem in universis urbibus suis, et in Jerusalem, dicentes : Egredimini in montem, et afferte frondes olivæ, et frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, et ramos palmarum, et frondes ligni nemorosi, ut fiant tabernacula, sicut scriptum est. 16. Et egressus est populus, et attulerunt. Feceruntque sibi tabernacula unusquisque in domate suo, et in atriis suis, et in atriis domus Dei, et in platea portæ aquarum, et in platea portæ Ephraim. 17. Fecit ergo universa ecclesia eorum qui redierant de captivitate, tabernacula, et habitaverunt in tabernaculis : non enim fecerant a diebus Josue filii Nun taliter filii Israel usque ad diem illum. Et fuit lætitia magna nimis. 18. Legit autem in Libro legis Dei per dies singulos, a die primo usque ad diem novissimum, et fecerunt solemnitatem septem diebus, et in die octavo, collectam juxta ritum.

1. Et venerat mensis septimus. — Videntur hæc gesta anno septimo Artaxerxis sub Esdra, qui ab eo missus rediit in Jerusalem. Unde sicut catalogus cap. præcedentis *Nehemiæ* idem est cum catalogo *Esdræ* cap. II; sic et quæ hoc cap. VIII dicuntur, videntur esse eadem cum iis quæ narravit Esdras cap. III, ut patet utrumque conferenti. Utrobique enim nominatur mensis septimus, Esdras, festum Tabernaculorum, etc. Nec dubium est Esdram scribam officio et zelo suo perfunctum, mox ut anno septimo Artaxerxis rediit in Jerusalem, ut populum in captivitate legis oblitum legem doceret. Ad hoc enim ipse missus erat ab Artaxerxe dicente, « ut libere doceat imperitos » *Esdræ* cap. VII, vers. 15, sicut Zorobabel et Jesus missi sunt ad ædificandum templum, Nehemias vero ad restaurandos muros et urbem. Adde : Non videtur Esdras vixisse usque ad annum vigesimum Artaxerxis, quo Nehemias muros instauravit; sic enim fuisset annorum 147 (quod illo ævo erat insolens) : tot enim fluxere ab anno ultimo Sedeciæ, quo occisus est Saraias pater Esdræ, usque ad annum vigesimum Artaxerxis. Verum hæc ratio non est solida : nam Esdram anno 20 Artaxerxis vixisse patet cap. XII, vers. 33 et 35, ubi dicitur interfuisse Esdras scriba dedicationi urbis facta a Nehemia ; licet Cajetanus putet ibi alium esse Esdram ab hoc nostro diversum. Quocirca nonnulli censent hæc contigisse sub Nehemia anno 20 Artaxerxis, ut Esdras anno eo tertio redierit in Jerusalem, fuerilque grandævus, nimirum 147 annorum.

4. Stetit Esdras super gradum ligneum, — Hebræus, *super turrim ligneam*, id est super suggestum, quod instar turriculæ e terra assurgebat in altum.

5. Stetit omnis populus, — tum ut reverentiam Dei legi stando deferret, tum ut arrectis auribus stans facilius lectionem Esdræ perciperet. Hinc et Christiani ad Evangelium assurgunt reverentiæ causa.

8. Et legerunt (tum Esdras, tum ejus socii, qui Esdræ seni et fesso in lectione succedebant; sed ubi quid difficultatis occurrebat, explicabat illud Esdras) in libro legis (in Pentateucho, ac præsertim in Deuteronomio ubi lex tota repetitur et iteratur) distincte (ut omnes singula perfecte audire possent. Septuaginta vertunt : *et distinxit in scientia Domini*, id est distincte legem legit et explicuit per scientiam a Domino acceptam. Perperam ergo nonnulli hoc torquent ad restaurationem librorum a Chaldæis combustorum, quasi illos Esdras restaurarit ex memoria per scientiam a Deo infusam) : et aperte ad intelligendum. — Hebræus, *peccado* (id est dando) *intellectum* : *q. d.* Esdras inter legendum explicabat ubi opus erat Syriace vel Chaldaice, quæ Hebraice scripta ex Deuteronomio legebantur; atque insuper sententias quæ occurrebant paraphrastice interpretabatur, ut dicitur vers. 13. Populus enim in Babylone linguam suam Hebræam corruperat, et cum Chaldæa miscuerat : quare pure Hebraice non satis capiebat. Esdras ergo Hebraice dicta interpretabatur lingua Syriaca, quæ populo redeunti erat jam propria et nativa.

Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha). — Nehemias dictus est *Athersatha* a radice ירש *iaras*, id est hæreditavit, *q. d.* Athersatha, id est אתה ירשתא *atta irrasta*, hoc est secundo a תירוש *hæreditasti tu*, quia tu solus præ omnibus hæreditalem patrum possedisti, qui urbem destructam restaurasti, muris cinxisti, tutamque posteris tuis possidendam tradidisti. Ita Vilalpandus : vel *tiros*, id est tirsham, et שתה *seata*, id est bibit; *q. d.* præbibator vini regis; erat enim pincerna. Ita Marinus in *Lexico*. Tertio, *Athersatha* valde convenit cum *Artaxatha*, id est Artaxerxe. Videtur enim rex sui nominis potestatem Nehemiæ fecisse, aut certe ipse, utpote regi charissimus, ipsius regis nomine compellatus fuit ab aulicis. Ita Vilalpandus, part. I *De templo*, lib. III, cap. IV. Vers. 9. Athersatha vel Nehemias? Valet?

Porro fabulosum videtur quod Lyranus ait, « Athersatha » Hebraice idem esse quod *relaxatus* : sicque Nehemiam vocari, eo quod per sapientes Hebræorum relaxatus sit, cum eoque dispensatum ut biberet vinum regis Gentilis, puta Artaxerxis, cujus pincerna erat Athersatha; quia Athersatha non est nomen Hebraicum, sed Chaldæum et a Chaldæis inditum.

Flebat enim omnis populus, cum audiret verba legis ; — quia videbat legis minas, puta clades omnis generis sibi accidisse ob ejus prævaricationem in hisque adhuc se magna ex parte perdurare ab initio captivitatis Babylonicæ usque ad annum 20 Artaxerxis, quod erat spatium 147 annorum.

10. Ite, comedite pinguia. — Sic Christiana lex vetat jejunium in Dominica, ob Festi lætitiam. Ita S. Thomas, II II, Quæst. CXLVII, art. V, ad 3.

Nolite contristari, — quia licet jure lugeatur et fleatur, tamen hoc die festo Neomeniæ, quo recolimus beneficia Dei tum antiqua, tum nova et continua in nos collata, gaudendum est, non lugendum.

Gaudium etenim Domini est fortitudo nostra. — Gaudium Domini dupliciter accipi potest. *Primo* active, quod est gaudium, quo gaudet Dominus, cum videt nos in adversis esse forti magnoque animo, non parvo et abjecto. Hic enim stimulus valde pungit animos pios, ut in quantalibet adversitate et tribulatione animum non dimittant, sed roborent, ut in ea gaudeant, et exultent, si cogitent id Deo gratum esse. Deinique gaudere et delectari nostra fortitudine et gaudio in adversis : ita Sanchez; *secundo* passive gaudium Domini est, quod de Domino vel ex Domini amore, reverentia, imitatione et obedientia concipitur; *q. d.* Gaudet Deus diebus festis, eo quod illis a fidelibus magis colatur, adoretur, invocetur : quare ipse pariter cupit ut fideles hoc suum gaudium imitentur, et induant, gaudeantque die festo, ut gaudentes illi sacrificent victimas pacificas ex quibus hilariter comedant, ac cum Deo ipso quasi epulentur. Hoc enim gaudio acquiritur fortitudo mentis et corporis, tum ad legem Dei implendam, tum ad adversa (quibus jam opprimimur) quælibet fortiter ferenda; imo per gaudium hoc lenienda et discutienda, ac per Deum amovenda. Deus enim si nos lætos et gaudentes, indeque fortes et constantes viderit in lege festorumque suorum cultu, amovebit a nobis plagas, quas ob tristitiam et pusillanimem eorum negligentiam nobis immisit. Sicut enim tristitia facit mœstos, pusillanimes, tardos : ita lætitia ex adverso facit hilares, magnanimos et celeres Dei cultores legisque custodes; unde Vatablus vertit : *Gaudium Domini est robur vestrum* : seque explicat : divino gaudio efficiemini fortiores animis et alacriores. Gaudium enim spiritus vitales et animales multiplicat, excitat, acuit, et per totum corpus diffundit, ut illud vegetent, excitent et ad opus alacres efficiant; tristitia vero eosdem attenuat, arctat, gravat, avocat, ut totus homo sit mœstus, gravis, contractus et ineptus ad omne bonum. Quocirca Apostolus ad hoc gaudium perenne fideles adhortatur dicens : « Gaudete in Domino semper : iterum dico, gaudete; » *Philipp.* IV. Vide ibi dicta. Adde quod Deus in se et de se gaudentibus novam gratiam, novas vires, novum robur assidue suggerat, quibus ad omnia licet tristia et ardua, fiant generosi, fortes et alacres. Deus enim, cum sit summus et liberalissimus lætissimusque Dominus, vult a nobis famulis suis sibi serviri in lætitia, exultatione et jubilo, juxta illud : « Servite Domino in lætitia. » Et illud : « Lætamini in Domino, et exultate justi. » cap. XXXI, vers. 11. Gaudium Domini duplex.

13. Ut interpretaretur (Esdras) eis verba (Gr. : — ut solveret dubia quæ ex pridiana lectione eis suborta erant, præsertim circa ritus celebrandi instans festum Scenopegiæ, sive Tabernaculorum, quos lex præscribit *Levit.* XXIII, ubi de iis fuse egi.

15. Divulgent voces, — id est voce præconis ubique promulgent, ut omnes conveniant in Jerusalem ad festum Tabernaculorum imminens, juxta legem per octo dies celebrandum.

Afferte frondes ligni pulcherrimi. — Hebræus *ligni olei*, id est pinguis et oleati, quod Septuaginta interpretantur *cypressum*; Pagninus, *pinum*; melius alii *cedrum*. Vide dicta *Levit.* XXIII, 36.

16. Fecerunteque tabernacula in domate suo, — id est in tecto domus suæ. Ita Hebræi; tecta enim apud Hebræos erant plana, ut in illis sub dio ambulare, stare, sedere, pernoctare, dormire possent. Clima enim Judææ est calidum et siccum, unde ejus incolæ noctu in tectis frigidum aerem sudumque captant.

17. A diebus Josue (id est ab ingressu Hebræorum in Chananæam eis a Deo promissam) non fecerunt taliter filii Israel, — non celebrarunt tale festum Tabernaculorum tanta lætitia, tanta devotione legendo legem publice, ejusque explicationem faciendo tanto populi undique confluentis concursu, ut etiam in tectis Tabernacula construere deburint : ita Cajetanus et alii.

18. Et in die octavo collectam, — id est festum cœtus populis, quod quale fuerit explicui *Levit.* XXIII, 40.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judæi in jejunio et sacco confitentur peccata Deo. Levitæ celebrant prisca beneficia, quibus Deus cum malefactis populi certavit : ac fœdus inter Deum et populum renovant.

1. In die autem vigesimo quarto mensis hujus, convenerunt filii Israel in jejunio et in saccis, et humus super eos. 2. Et separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena : et steterunt, et confitebantur peccata sua, et iniquitates patrum suorum. 3. Et consurrexerunt ad staudum : et legerunt in volumine legis Domini Dei sui, quater in die, et quater confitebantur, et adorabant Dominum Deum suum. 4. Surrexerunt autem super gradum Levitarum, Josue, et Bani, et Cedmihel, Sabania, Bonni Sarebias, Bani et Chanani : et clamaverunt voce magna ad Dominum Deum suum. 5. Et dixerunt Levitæ, Josue, et Cedmihel, Bonni, Hasebnia, Serebia, Odaia, Sebnia, Phathathia : Surgite, benedicite Domino Deo vestro ab æterno usque in æternum; et benedicant nomini gloriæ tuæ excelso in omni benedictione et laude. 6. Tu ipse, Domine, solus, tu fecisti cœlum, et cœlum cœlorum, et omnem exercitum eorum : terram, et universa quæ in ea sunt : maria, et omnia quæ in eis sunt; et tu vivificas omnia hæc, et exercitus cœli te adorat. 7. Tu ipse, Domine Deus, qui elegisti Abram, et eduxisti

1. Et venerat mensis septimus. — Videntur hæc gesta anno septimo Artaxerxis sub Esdra, qui ab eo missus rediit in Jerusalem. Unde sicut catalogus cap. præcedentis *Nehemiæ* idem est cum catalogo *Esdræ* cap. II; sic et quæ hoc cap. VIII dicuntur, videntur esse eadem cum iis quæ narravit Esdras cap. III, ut patet utrumque conferenti. Utrobique enim nominatur mensis septimus, Esdras, festum Tabernaculorum, etc. Nec dubium est Esdram scribam officio et zelo suo perfunctum, mox ut anno septimo Artaxerxis rediit in Jerusalem, ut populum in captivitate legis oblitum legem doceret. Ad hoc enim ipse missus erat ab Artaxerxe dicente, « ut libere doceat imperitos » *Esdræ* cap. VII, vers. 15, sicut Zorobabel et Jesus missi sunt ad ædificandum templum, Nehemias vero ad restaurandos muros et urbem. Adde : Non videtur Esdras vixisse usque ad annum vigesimum Artaxerxis, quo Nehemias muros instauravit; sic enim fuisset annorum 147 (quod illo ævo erat insolens) : tot enim fluxere ab anno ultimo Sedeciæ, quo occisus est Saraias pater Esdræ, usque ad annum vigesimum Artaxerxis. Verum hæc ratio non est solida : nam Esdram anno 20 Artaxerxis vixisse patet cap. XII, vers. 33 et 35, ubi dicitur interfuisse Esdras scriba dedicationi urbis facta a Nehemia ; licet Cajetanus putet ibi alium esse Esdram ab hoc nostro diversum. Quocirca nonnulli censent hæc contigisse sub Nehemia anno 20 Artaxerxis, ut Esdras anno eo tertio redierit in Jerusalem, fuerilque grandævus, nimirum 147 annorum.

4. Stetit Esdras super gradum ligneum, — Hebræus, *super turrim ligneam*, id est super suggestum, quod instar turriculæ e terra assurgebat in altum.

5. Stetit omnis populus, — tum ut reverentiam Dei legi stando deferret, tum ut arrectis auribus stans facilius lectionem Esdræ perciperet. Hinc et Christiani ad Evangelium assurgunt reverentiæ causa.

8. Et legerunt (tum Esdras, tum ejus socii, qui Esdræ seni et fesso in lectione succedebant; sed ubi quid difficultatis occurrebat, explicabat illud Esdras) in libro legis (in Pentateucho, ac præsertim in Deuteronomio ubi lex tota repetitur et iteratur) distincte (ut omnes singula perfecte audire possent. Septuaginta vertunt : *et distinxit in scientia Domini*, id est distincte legem legit et explicuit per scientiam a Domino acceptam. Perperam ergo nonnulli hoc torquent ad restaurationem librorum a Chaldæis combustorum, quasi illos Esdras restaurarit ex memoria per scientiam a Deo infusam) : et aperte ad intelligendum. — Hebræus, *peccado* (id est dando) *intellectum* : *q. d.* Esdras inter legendum explicabat ubi opus erat Syriace vel Chaldaice, quæ Hebraice scripta ex Deuteronomio legebantur; atque insuper sententias quæ occurrebant paraphrastice interpretabatur, ut dicitur vers. 13. Populus enim in Babylone linguam suam Hebræam corruperat, et cum Chaldæa miscuerat : quare pure Hebraice non satis capiebat. Esdras ergo Hebraice dicta interpretabatur lingua Syriaca, quæ populo redeunti erat jam propria et nativa.

Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha). — Nehemias dictus est *Athersatha* a radice ירש *iaras*, id est hæreditavit, *q. d.* Athersatha, id est אתה ירשתא *atta irrasta*, hoc est secundo a תירוש *hæreditasti tu*, quia tu solus præ omnibus hæreditalem patrum possedisti, qui urbem destructam restaurasti, muris cinxisti, tutamque posteris tuis possidendam tradidisti. Ita Vilalpandus : vel *tiros*, id est tirsham, et שתה *seata*, id est bibit; *q. d.* præbibator vini regis; erat enim pincerna. Ita Marinus in *Lexico*. Tertio, *Athersatha* valde convenit cum *Artaxatha*, id est Artaxerxe. Videtur enim rex sui nominis potestatem Nehemiæ fecisse, aut certe ipse, utpote regi charissimus, ipsius regis nomine compellatus fuit ab aulicis. Ita Vilalpandus, part. I *De templo*, lib. III, cap. IV. Vers. 9. Athersatha vel Nehemias? Valet?

Porro fabulosum videtur quod Lyranus ait, « Athersatha » Hebraice idem esse quod *relaxatus* : sicque Nehemiam vocari, eo quod per sapientes Hebræorum relaxatus sit, cum eoque dispensatum ut biberet vinum regis Gentilis, puta Artaxerxis, cujus pincerna erat Athersatha; quia Athersatha non est nomen Hebraicum, sed Chaldæum et a Chaldæis inditum.

Flebat enim omnis populus, cum audiret verba legis ; — quia videbat legis minas, puta clades omnis generis sibi accidisse ob ejus prævaricationem in hisque adhuc se magna ex parte perdurare ab initio captivitatis Babylonicæ usque ad annum 20 Artaxerxis, quod erat spatium 147 annorum.

10. Ite, comedite pinguia. — Sic Christiana lex vetat jejunium in Dominica, ob Festi lætitiam. Ita S. Thomas, II II, Quæst. CXLVII, art. V, ad 3.

Nolite contristari, — quia licet jure lugeatur et fleatur, tamen hoc die festo Neomeniæ, quo recolimus beneficia Dei tum antiqua, tum nova et continua in nos collata, gaudendum est, non lugendum.

Gaudium etenim Domini est fortitudo nostra. — Gaudium Domini dupliciter accipi potest. *Primo* active, quod est gaudium, quo gaudet Dominus, cum videt nos in adversis esse forti magnoque animo, non parvo et abjecto. Hic enim stimulus valde pungit animos pios, ut in quantalibet adversitate et tribulatione animum non dimittant, sed roborent, ut in ea gaudeant, et exultent, si cogitent id Deo gratum esse. Deinique gaudere et delectari nostra fortitudine et gaudio in adversis : ita Sanchez; *secundo* passive gaudium Domini est, quod de Domino vel ex Domini amore, reverentia, imitatione et obedientia concipitur; *q. d.* Gaudet Deus diebus festis, eo quod illis a fidelibus magis colatur, adoretur, invocetur : quare ipse pariter cupit ut fideles hoc suum gaudium imitentur, et induant, gaudeantque die festo, ut gaudentes illi sacrificent victimas pacificas ex quibus hilariter comedant, ac cum Deo ipso quasi epulentur. Hoc enim gaudio acquiritur fortitudo mentis et corporis, tum ad legem Dei implendam, tum ad adversa (quibus jam opprimimur) quælibet fortiter ferenda; imo per gaudium hoc lenienda et discutienda, ac per Deum amovenda. Deus enim si nos lætos et gaudentes, indeque fortes et constantes viderit in lege festorumque suorum cultu, amovebit a nobis plagas, quas ob tristitiam et pusillanimem eorum negligentiam nobis immisit. Sicut enim tristitia facit mœstos, pusillanimes, tardos : ita lætitia ex adverso facit hilares, magnanimos et celeres Dei cultores legisque custodes; unde Vatablus vertit : *Gaudium Domini est robur vestrum* : seque explicat : divino gaudio efficiemini fortiores animis et alacriores. Gaudium enim spiritus vitales et animales multiplicat, excitat, acuit, et per totum corpus diffundit, ut illud vegetent, excitent et ad opus alacres efficiant; tristitia vero eosdem attenuat, arctat, gravat, avocat, ut totus homo sit mœstus, gravis, contractus et ineptus ad omne bonum. Quocirca Apostolus ad hoc gaudium perenne fideles adhortatur dicens : « Gaudete in Domino semper : iterum dico, gaudete; » *Philipp.* IV. Vide ibi dicta. Adde quod Deus in se et de se gaudentibus novam gratiam, novas vires, novum robur assidue suggerat, quibus ad omnia licet tristia et ardua, fiant generosi, fortes et alacres. Deus enim, cum sit summus et liberalissimus lætissimusque Dominus, vult a nobis famulis suis sibi serviri in lætitia, exultatione et jubilo, juxta illud : « Servite Domino in lætitia. » Et illud : « Lætamini in Domino, et exultate justi. » cap. XXXI, vers. 11. Gaudium Domini duplex.

13. Ut interpretaretur (Esdras) eis verba (Gr. : — ut solveret dubia quæ ex pridiana lectione eis suborta erant, præsertim circa ritus celebrandi instans festum Scenopegiæ, sive Tabernaculorum, quos lex præscribit *Levit.* XXIII, ubi de iis fuse egi.

15. Divulgent voces, — id est voce præconis ubique promulgent, ut omnes conveniant in Jerusalem ad festum Tabernaculorum imminens, juxta legem per octo dies celebrandum.

Afferte frondes ligni pulcherrimi. — Hebræus *ligni olei*, id est pinguis et oleati, quod Septuaginta interpretantur *cypressum*; Pagninus, *pinum*; melius alii *cedrum*. Vide dicta *Levit.* XXIII, 36.

16. Fecerunteque tabernacula in domate suo, — id est in tecto domus suæ. Ita Hebræi; tecta enim apud Hebræos erant plana, ut in illis sub dio ambulare, stare, sedere, pernoctare, dormire possent. Clima enim Judææ est calidum et siccum, unde ejus incolæ noctu in tectis frigidum aerem sudumque captant.

17. A diebus Josue (id est ab ingressu Hebræorum in Chananæam eis a Deo promissam) non fecerunt taliter filii Israel, — non celebrarunt tale festum Tabernaculorum tanta lætitia, tanta devotione legendo legem publice, ejusque explicationem faciendo tanto populi undique confluentis concursu, ut etiam in tectis Tabernacula construere deburint : ita Cajetanus et alii.

18. Et in die octavo collectam, — id est festum cœtus populis, quod quale fuerit explicui *Levit.* XXIII, 40.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judæi in jejunio et sacco confitentur peccata Deo. Levitæ celebrant prisca beneficia, quibus Deus cum malefactis populi certavit : ac fœdus inter Deum et populum renovant.

1. In die autem vigesimo quarto mensis hujus, convenerunt filii Israel in jejunio et in saccis, et humus super eos. 2. Et separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena : et steterunt, et confitebantur peccata sua, et iniquitates patrum suorum. 3. Et consurrexerunt ad staudum : et legerunt in volumine legis Domini Dei sui, quater in die, et quater confitebantur, et adorabant Dominum Deum suum. 4. Surrexerunt autem super gradum Levitarum, Josue, et Bani, et Cedmihel, Sabania, Bonni Sarebias, Bani et Chanani : et clamaverunt voce magna ad Dominum Deum suum. 5. Et dixerunt Levitæ, Josue, et Cedmihel, Bonni, Hasebnia, Serebia, Odaia, Sebnia, Phathathia : Surgite, benedicite Domino Deo vestro ab æterno usque in æternum; et benedicant nomini gloriæ tuæ excelso in omni benedictione et laude. 6. Tu ipse, Domine, solus, tu fecisti cœlum, et cœlum cœlorum, et omnem exercitum eorum : terram, et universa quæ in ea sunt : maria, et omnia quæ in eis sunt; et tu vivificas omnia hæc, et exercitus cœli te adorat. 7. Tu ipse, Domine Deus, qui elegisti Abram, et eduxisti

eum de igne Chaldæorum, et posuisti nomen ejus Abraham. 8. Et invenisti cor ejus fidele coram te : et percussisti cum eo fœdus, ut dares ei terram Chananæi, Hethæi, et Amorhæi, et Pherezæi, et Jebusæi, et Gergesæi, ut dares semini ejus : et implesti verba tua, quoniam justus es. 9. Et vidisti afflictionem patrum nostrorum in Ægypto, clamoremque eorum audisti super mare Rubrum. 10. Et dedisti signa atque portenta in Pharaone, et in universis servis ejus, et in omni populo terræ illius : cognovisti enim quia superbe egerunt contra eos; et fecisti tibi nomen, sicut et in hac die. 11. Et mare divisisti ante eos, et transierunt per medium maris in sicco : persecutores autem eorum projecisti in profundum, quasi lapidem in aquas validas. 12. Et in columna nubis ductor eorum fuisti per diem, et in columna ignis per noctem, ut appareret eis via per quam ingrediebantur. 13. Ad montem quoque Sinai descendisti, et locutus es cum eis de cœlo, et dedisti eis judicia recta, et legem veritatis, cæremonias, et præcepta bona; 14. et sabbatum sanctificatum tuum ostendisti eis, et mandata, et cæremonias, et legem præcepisti eis in manu Moysi servi tui. 15. Panem quoque de cœlo dedisti eis in fame eorum, et aquam de petra eduxisti eis sitientibus, et dixisti eis ut ingrederentur et possiderent terram, super quam levasti manum tuam, ut traderes eis. 16. Ipsivero et patres nostri superbe egerunt, et induraverunt cervices suas, et non audierunt mandata tua. 17. Et noluerunt audire, et non sunt recordati mirabilium tuorum quæ feceras eis. Et induraverunt cervices suas, et dederunt caput ut converterentur ad servitutem suam, quasi per contentionem. Tu autem Deus propitius, clemens et misericors, longanimis et multæ miserationis, non dereliquisti eos, 18. et quidem cum fecissent sibi vitulum conflatilem, et dixissent : Iste est Deus tuus, qui eduxit te de Ægypto : feceruntque blasphemias magnas. 19. Tu autem in misericordiis tuis multis non dimisisti eos in deserto : columna nubis non recessit ab eis per diem, ut duceret eos in viam; et columna ignis per noctem, ut ostenderet eis iter per quod ingrederentur. 20. Et spiritum tuum bonum dedisti qui doceret eos, et manna tuum non prohibuisti ab ore eorum, et aquam dedisti eis in siti. 21. Quadraginta annis pavisti eos in deserto, nihilque eis defuit : vestimenta eorum non inveteraverunt, et pedes eorum non sunt attriti. 22. Et dedisti eis regna, et populos, et partitus es eis sortes : et possederunt terram Sehon, et terram regis Hesebon, et terram Og regis Basan. 23. Et multiplicasti filios eorum sicut stellas cœli, et adduxisti eos, ad terram, de qua dixeras patribus eorum ut ingrederentur et possiderent. 24. Et venerunt filii, et possederunt terram, et humiliasti coram eis habitatores terræ Chanaan eos, et dedisti eos in manu eorum, et reges eorum et populos terræ, ut facerent eis sicut placebat illis. 25. Ceperunt itaque urbes munitas, et humum pinguem, et possederunt domos plenas cunctis bonis; cisternas ab aliis fabricatas, vineas et oliveta, et ligna pomifera multa : et comederunt, et saturati sunt, et inpinguati sunt; et abundaverunt deliciis in bonitate tua magna. 26. Provocaverunt autem te ad iracundiam, et recesserunt a te, et projecerunt legem tuam post terga sua : et prophetas tuos occiderunt, qui contestabantur eos ut reverterentur ad te; feceruntque blasphemias grandes. 27. Et dedisti eos in manu hostium suorum, et afflixerunt eos. Et in tempore tribulationis suæ clamaverunt ad te, et tu de cœlo audisti, et secundum miserationes tuas multas dedisti eis salvatores, qui salvarent eos de manu hostium suorum. 28. Cumque requievissent, reversi sunt ut facerent malum in conspectu tuo : et dereliquisti eos in manu inimicorum suorum, et possederunt eos. Conversique sunt, et clamaverunt ad te : tu autem de cœlo exaudisti, et liberasti eos in misericordiis tuis, multis temporibus. 29. Et contestatus es eos ut reverterentur ad Legem tuam. Ipsi vero superbe egerunt, et non audierunt mandata tua, et in judiciis tuis peccaverunt, quæ faciet homo, et vivet in eis : et dederunt humerum recedentem, et cervicem suam induraverunt, nec audierunt. 30. Et protraxisti super eos annos multos, et contestatus es eos in spiritu tuo per manum prophetarum tuorum : et

non audierunt, et tradidisti eos in manu populorum terrarum. 31. In misericordiis autem tuis plurimis non fecisti eos in consumptionem, nec dereliquisti eos : quoniam Deus misericordiarum, et clemens es tu. 32. Nunc itaque Deus noster magne, fortis, et terribilis, custodiens pactum et misericordiam, ne avertas a facie tua omnem laborem qui invenit nos, reges nostros, et principes nostros, et sacerdotes nostros, et prophetas nostros, et patres nostros, et omnem populum tuum, a diebus regis Assur usque in diem hanc. 33. Et tu justus es in omnibus quæ venerunt super nos : quia veritatem fecisti, nos autem impie egimus. 34. Reges nostri, principes nostri, sacerdotes nostri et patres nostri non fecerunt legem tuam, et non attenderunt mandata tua, et testimonia tua quæ testificatus es in eis. 35. Et ipsi in regnis suis, et in bonitate tua multa quam dederas eis, et in terra latissima et pingui quam tradideras in conspectu eorum, non servierunt tibi, nec reversi sunt a studiis suis pessimis. 36. Ecce nos ipsi hodie servi sumus, et terra quam dedisti patribus nostris ut comederent fructum ejus, et quæ bona sunt ejus, ecce nos ipsi servi sumus in ea. 37. Et fruges ejus multiplicantur regibus, quos posuisti super nos propter peccata nostra, et corporibus nostris dominantur, et jumentis secundum voluntatem suam, et in tribulatione magna sumus. 38. Super omnibus ergo his nos ipsi percutimus fœdus, et scribimus, et signant principes nostri, Levitæ nostri et Sacerdotes nostri.

Vide c. Facilitatis tria Symbola.

1. Et ejecimus (id est pulvis et cinis) super eos. — Nota hic tria pœnitentiæ officia, æque ac Symbola. *Primum* est, caput aspergere cinere, quasi confitendo quod viles et cinerei sumus, utpote ex cinere formati et in cinerem rediturî, juxta illud *Genes.* III, 19 : « Pulvis es et in pulverem reverteris. » *Secundum* est publicum et solemne jejunium. *Tertium*, saccus, sive cilicium.

2. Separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena, — *q. d.* Separarunt se ab uxoribus gentilitiis, ac filios, quos ex eis procrearant, separarunt a filiis, quos ex uxoribus Israeliticis genuerant eo modo quem dixi I *Esdræ* X, 3.

3. Et consurrexerunt (Levitæ) ad standum, — in loco editiore, e quo a populo videri et audiri possent.

Et quater confitebantur, — *q. d.* Ad singulas lectiones canebant Deo psalmos et hymnos, quibus Dei beneficentiam celebrarent, ac populi ingrati malefacta confiterentur, supplicesque veniam orarent a Deo postulabant.

6. Coelum coelorum, (id est cœlum altissimum, vastissimum et præstantissimum, scilicet empyreum;) et omnem exercitum eorum, — puta omnes angelos et omnia astra.

7. Elegisti Abram, et eduxisti eum de igne Chaldæorum. — Dices : Hebræus et Septuaginta habent, *de Ur Chaldæorum*, et sic vertit Noster *Genes.* XI, 31, et alibi.

Respondeo : *Ur* sive *Ura*, ut habet Josephus, est nomen proprium urbis Chaldæorum, ex qua Deus eduxit Abraham, quam Eupolemus apud Eusebium, lib. IX *Præpar.* cap. IV, vocat Camirinem. Dicta videtur a cultu agri (hunc enim Hebraice significat *ur*) quem teste S. Hieronymo, *Quæst. in Genesim*, ut Deum colverunt Chaldæi. Sicut Heliopolis in Ægypto dicta est a cultu solis : « Heliopolis » enim idem est quod ; ἥλιος πόλις, id est *solis urbs*; ideoque Noster ut interpretetur nomen Hebraicum *ur*, vertit *ignis*. Unde et quædam Biblia *ex ignis* hoc loco scribunt per majusculam I, quasi nomen proprium urbis; omnino enim hic alluditur ad *Genes.* XI, 31, ubi dicitur : « Eduxi eos de Ur Chaldæorum; » sic enim et alibi sæpe Noster interpretatur etyma nominum propriorum Hebræorum, quia in eis latet aliquod mysterium, aut vis et energia, ut *Judic.* XV, 19. *Genes.* XXVI, 20 et 22.

Hinc *secundo*, Ur potest accipi quasi nomen non proprium, sed appellativum, ut significet ignem, id est pressuram et afflictionem : sicut et *Psalm.* XVI, 3, et *Psalm.* LXV, 12; multas enim afflictiones passum esse Abraham a Chaldæis, eo quod nollet adorare ignem, quem ipsi æque ac Persæ ut Deum colebant, testatur Josephus, libro I *Antiq.* VIII, et S. Augustinus libro XVI *De Civit. Dei*, cap. XIII. Imo Hebræorum traditio est hac de causa Abrahamum in ignem fuisse conjectum, sed a Deo miraculose liberatum, quam approbat S. Hieronymus, *Quæst. in Genesim*. Nec mirum hujus rei non meminisse Josephum, nec Philonem, nec S. Paulum, *Hebr.* XI, (quod objicit Pererius), quia illi fere ea tantum referunt, quæ exstant in Scripturis, ut sæpe de se profitetur Josephus. Vide dicta *Genes.* XI, 31.

10. Et dedisti signa atque portenta in Pharaone, — puta decem plagas, quibus Deus percussit Pharaonem, ut cogeret eum dimittere Hebræos in Chanaan. Celebrant hic Levitæ magnificentiam et beneficentiam Dei, recensendo omnia quæ Deus pro Hebræis gessit in Ægypto et Chanaan; scilicet quod pro eis afflixerit Ægyptum decem plagis, quod dederit eis columnam ignis quasi ducem viæ, item manna, legem, aquam de petra, terram

Chanaan. Unde confitentur pariter ingratitudinem populi Deo inobedientis. Itaque hæc eorum confessio et oratio est quasi compendium librorum Pentateuchi, Judicum et Regum.

16. Panes quoque de cœlo dedisti eis, — scilicet manna, de quo *Exodi* XVI.

Levasti manum tuam, — id est jurasti. Juramus enim manu elevata, quasi Deum invocantes in testem.

17. Et dederunt caput. — Vatablus, *ut elegerunt*, id est eligere voluerunt *ducem*, qui eos reduceret in Ægyptum ad pristinam servitutem, *Num.* XIV. *Secundo simplicius*, « dederunt caput ut converterentur, » id est obstinata cervice, ut præcessit, ne obdurato capite resolute voluerunt reverti in Ægyptum. Sic versu 29. dicitur : « Dederunt humerum recedentem et cervicem suam induraverunt. »

32. Ne avertas a facie tua (sed assidue aspice benignis oculis, ut nobis consulueris et misereris) omnem laborem (omnes ærumnas nostras), a diebus regis Assur, — qui decem tribus anno sexto Ezechiæ captivas abduxit in Assyriam.

33. Veritatem fecisti, — id est vere implesti, vere exhibuisti præmia quæ promiseras, et pœnas quas transgressoribus comminatus fueras.

37. Fruges multiplicantur regibus, — *q. d.* Judæa multas quidem profert fruges, at non nobis, sed regibus Persarum, quibus eas pro tributo solvere cogimur.

38. Super omnibus ergo his, — *q. d.* Propter omnia ergo hæc, ut nostri miserearis, ecce nova promissione et fœdere pollicemur nos, abdicatis idolis et sceleribus, deinceps tibi soli fideliter et constanter perpetim servituros.

Et scribimus — litteras hujus fœderis quod tecum inimus, illudque nomine omnium subscribi et obsignari faciemus a Principibus nostris, quorum nomina sequenti capite referuntur.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Enumerantur hi qui fœdus populi cum Deo initum subsignarunt, qui pollicentur 32 *mandata Dei universa servaturos, ac nominatim Sabbatum, annumque septimum : item decimas, ac primitias a lege statutas persoluturos, utpote in quibus hucusque negligentes et prævaricatores exstiterant.*

1. Signatores autem fuerunt Nehemias, Athemias, Athersatha filius Hachelai et Sedecias, 2. Saraias, Azarias, Jeremias, 3. Phesehur, Amarias, Melchias, 4. Hattus, Sebenia, Melluch, 5. Harem, Merimuth, Obdias, 6. Daniel, Genthon, Baruch, 7. Mosollam, Abia, Miamin, 8. Maasia, Belgai, Semeia : hi Sacerdotes. 9. Porro Levitæ, Josue filius Azaniæ, Bennui de filiis Henadad, Cedmihel, 10. et fratres eorum, Sebenia, Odaia, Celita, Phalaia, Hanan, 11. Micha, Rohob, Hasebia, 12. Zachur, Serebia, Sabania, 13. Odaia, Bani, Baninu. 14. Capita populi, Pharos, Phahathmoab, Ælam, Zethu, Bani, 15. Bonni, Azgad, Bebai, 16. Adonia, Bergoai, Adin, 17. Ater, Hezecia, Azur, 18. Odaia, Hasum, Bessi, 19. Hareph, Anathoth, Nebai, 20. Megphias, Mosallam, Hazir, 21. Mesizabel, Sadoc, Jeddua, 22. Pheltia, Aanani, Anaia, 23. Osee, Hanania, Hasub. 24. Alohes, Phalea, Sobec, 25. Rehum, Hasebna, Maasia, 26. Echaia, Hanan, Anan, 27. Melluch, Haran, Baana : 28. et reliqui de populo, Sacerdotes, Levitæ, janitores et cantores, Nathinæi, et omnes qui se separaverunt de populis terrarum ad legem Dei, uxores eorum, filii eorum et filiæ eorum, 29. omnes qui poterant sapere spondentes pro fratribus suis, optimates eorum, et qui veniebant ad pollicendum, et jurandum ut ambularent in lege Dei, quam dederat in manu Moysi servi Dei, ut facerent et custodirent universa mandata Domini Dei nostri, et judicia ejus, et cæremonias ejus, 30. et ut non daremus filias nostras populo terræ, et filias eorum non acciperemus filiis nostris. 31. Populi quoque terræ, qui important venalia, et omnia ad usum, per diem sabbati ut vendant, non accipiemus ab eis in sabbato, et in die sanctificato. Et dimittemus annum septimum, et exactionem universæ manus. 32. Et statuemus super nos præcepta ut demus tertiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri. 33. Ad panes propositionis, et ad sacrificium sempiternum, et in holocaustum sempiternum in sabbatis, in calendis, in solemnitatibus, et in sanctificatis, et pro peccato : ut exoretur pro Israel, et in omnem usum domus Dei nostri. 34. Sortes

ergo misimus super oblationem lignorum, inter Sacerdotes, et Levitas, et populum, ut inferrentur in domum Dei nostri per domos patrum nostrorum, per tempora, a temporibus anni usque ad annum : ut arderent super altare Domini Dei nostri, sicut scriptum est in lege Moysi : 35. et ut afferremus primogenita terræ nostræ, et primitiva universi fructus omnis ligni, ab anno in annum in domo Domini. 36. Et primitiva filiorum nostrorum, et pecorum nostrorum, sicut scriptum est in lege, et primitiva boum nostrorum et ovium nostrarum, ut offerrentur in domo Dei nostri, Sacerdotibus qui ministrant in domo Dei nostri : 37. et primitias ciborum nostrorum, et libaminum nostrorum, et poma omnis ligni, vindemiæ quoque et olei, afferemus Sacerdotibus ad gazophylacium Dei nostri, et decimam partem terræ nostræ Levitis. Ipsi Levitæ decimas accipient ex omnibus civitatibus operum nostrorum. 38. Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum, et Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri, ad gazophylacium in domum thesauri. 39. Ad gazophylacium enim deportabunt filii Israel, et filii Levi, primitias frumenti, vini et olei : et ibi erunt vasa sanctificata, et Sacerdotes, et cantores, et janitores, et ministri, et non dimittemus domum Dei nostri.

1. Signatores (fœderis populi cum Deo initi) fuerunt Nehemias (quasi dux), Athersatha, filius Hachelai. — Alius est hic a Nehemia, qui Athersatha quoque nuncupabatur.

28. Et omnes quise separaverunt de populis terrarum ad legem Dei, — qui scilicet a gentilismo conversi sunt ad Judaismum, factique proselyti.

29. Omnes qui poterant sapere. — Refer ad « filios » *q. d.* Omnes filii proselytorum, qui non erant infantes, sed adulti et rationis compotes, signarunt quoque hoc fœdus.

Spondentes (erant) pro fratribus suis optimates eorum, — *q. d.* In tanto numero non poterant omnes hoc fœdus signare : quare optimates soli jurarunt et obsignarunt pro cæteris contribulibus suis.

Et qui (similes optimatibus erant in populo præcipui) veniebant ad pollicendum et jurandum. — Hebraice additur *cum exercratione*, dicentes : Deus nos puniat, si non servaverimus ejus mandata.

31. Dimittemus annum septimum, — sive Sabbaticum, *q. d.* Sinemus terram anno septimo sabbatisare, ut agros non colamus, sed sponte in eis nata pauperibus relinquamus, juxta legem *Exodi* XXIII. 11.

Et exactionem universæ manus, — *q. d.* Dimittemus pariter debitoribus ea quæ per syngraphamanus eorum nobis sunt debita, ita scilicet ut anno septimo ea non exigamus. Hoc enim lex pariter jubebat, ut, cum terra non coleretur anno septimo, eodem quoque debita ex fructibus terræ solvenda non solverentur.

33. Et in sanctificatis, — id est, in hostiis pacificis, quæ Deo offeruntur; has enim distinguit a victimis pro peccato, de quibus proxime sequitur.

34. A temporibus anni usque ad annum, — id est quotanis, sive singulis annis.

37. Decimam partem terræ, — id est decimas fructuum terræ. Nec enim Levitæ terram possidere poterant, sed tantum ex ea fructuum decimas accipere.

Operum nostrorum. — Hinc patet Judæos decimas solvisse non tantum agrorum, sed et laborum et operum suorum, ut ex lucro inde eis proveniente decimam partem darent Levitis.

38. Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum, (id est sacerdotes filii Aaron a habebunt partem decimarum cum Levitis, nimirum decimam decimæ. Nam ut sequitur :) Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei. — Igitur decimam decimarum suarum partem Levitæ dabant sacerdotibus, sacerdotes vicissim decimam decimæ suæ dabant Pontifici, qui proinde erat dives valde et opulentus, ut dixi *Num.* XVIII. Vers. 38. Decimas laborum solvendas.

39. Et ibi erunt vasa sanctificata, et Sacerdotes, et cantores, et janitores, et ministri, — dum tempore vicis suæ in templo ministrant. Hi enim habitabant in cubiculis templo annexis, quæ exedræ et gazophylacia dicebantur, ibique alebantur; nam sumptu colonorum et Levitarum ad hæc gazophylacia deferri debebant primitiæ, quæ sacerdotibus cedebant. Spondent ergo Hebræi se omnia hæc diligenter curaturos, quæ antea neglexerant.

Et non dimittemus domum Dei, — *q. d.* Curabimus omnia quæ ad templi usus et Sacerdotum ac Levitarum sustentationem pertinent. Hæc ergo se facturos jurant, quia in eis hucusque negligentiores exstiterant.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jerusalem jam muris cincta, e plebe decima pars per sortem deligitur, quæ eam incolat et ædificet; cæteri vero ad alias Judææ urbes et pagos excolendos mittuntur : unde mox tam Jerusalem, quam cæterarum urbium incolæ nominantur et numerantur.

1. Habitaverunt autem principes populi in Jerusalem : reliqua vero plebs misit sortem, ut tolleret unam partem de decem, qui habitaturi essent in Jerusalem civitate sancta, novem vero partes in civitatibus. 2. Benedixit autem populus omnibus viris qui se sponte obtulerant ut habitarent in Jerusalem. 3. Hi sunt itaque principes provinciæ, qui habitaverunt in Jerusalem, et in civitatibus Juda. Habitavit autem unusquisque in possessione sua, in urbibus suis, Israel, Sacerdotes, Levitæ, Nathinæi, et filii servorum Salomonis. 4. Et in Jerusalem habitaverunt de filiis Juda, et de filiis Benjamin : de filiis Juda, Athaias filius Asiam, filii Zachariæ, filii Amariæ, filii Saphatiæ, filii Malaleel : de filiis Phares, 5. Maasia filius Baruch, filius Cholhosæ, filius Hazia, filius Adaia, filius Joiarib, filius Zachariæ, filius Sinonitis : 6. omnes hi filii Phares, qui habitaverunt in Jerusalem, quadringenti sexaginta octo viri fortes. 7. Hi sunt autem filii Benjamin : Sellum filius Mosollam, filius Joed, filius Phadaïa, filius Colaia, filius Masia, filius Ethiel, filius Isaia, 8. et post eum Gebbai, Sellai, nongenti viginti octo. 9. et Joel, filius Zechri præpositus eorum, et Judas filius Senua super civitatem secundus. 10. Et de Sacerdotibus, Idaia filius Joarib, Jachin. 11. Saraia filius Helciæ, filius Mosollam, filius Sadoc, filius Meraioth, filius Achitob princeps domus Dei, 12. et fratres eorum facientes opera templi : octingenti viginti duo. Et Adaia filius Jeroham, filius Phelelia, filius Amsi, filius Zachariæ, filius Phesbur, filius Melchiæ. 13. Et fratres ejus principes patrum, ducenti quadraginta duo. Et Amassai filius Azreel, filius Ahazi, filius Mosollamoth, filius Emmer, 14. et fratres eorum potentes nimis : centum viginti octo, et præpositus eorum Zabdiel filius potentium. 15. Et de Levitis Semeia filius Hasub, filius Azaricam, filius Hasabia, filius Boni, 16. et Sabbathai, et Josabed, super omnia opera quæ erant forinsecus in domo Dei, a principibus Levitarum. 17. Et Mathania filius Micha, filius Zebedei, filius Asaph, princeps ad laudandum et ad confitendum in oratione, et Bechecia secundus de fratribus ejus, et Abda filius Samua, filius Galal, filius Idithum : 18. Omnes Levitæ in civitate sancta ducenti octoginta quatuor. 19. Et janitores, Accub, Telmon, et fratres eorum qui custodiebant ostia : centum septuaginta duo. 20. Et reliqui ex Israel Sacerdotes et Levitæ in universis civitatibus Juda, unusquisque in possessione sua. 21. Et Nathinæi, qui habitabant in Ophel, et Siaha, et Gaspha de Nathinæis. 22. Et episcopus Levitarum in Jerusalem, Azzi filius Bani, filius Hasabiæ, filius Mathaniæ, filius Michæ. De filiis Asaph, cantores in ministerio domus Dei. 23. Præceptum quippe regis super eos erat, et ordo in cantoribus per dies singulos. 24. Et Phathahia filius Meszebel, de filiis Zara, filii Juda in manu regis, juxta omne verbum populi, 25. et in domibus per omnes regiones eorum. De filiis Juda habitaverunt in Cariatharbe et in filiabus ejus : et in Dibon, et in filiabus ejus : et in Cabseel, et in tentis ejus, 26. et in Jesue, et in Molada, et in Bethphaleth, 27. et in Hasersual, et in Bersabee, et in filiabus ejus, 28. et in Siceleg, et in Mochona, et in filiabus ejus, 29. et in Remmon, et in Saraa, et in Jerimuth, 30. Zanoa, Odollam, et in villis earum, Lachis, et regionibus ejus, et Azeca, et filiabus ejus. Et manserunt in Bersabee usque ad vallem Ennom. 31. Filii autem Benjamin, a Geba Mechmas, et Hai, et Bethel, et filiabus ejus : 32. Anathoth, Nob, Ananias, 33. Asor, Rama, Gethaim, 34. Hadid, Seboim, et Neballat, Lod, 35. et Ono valle artificum : 36. et de Levitis portiones Judæ et Benjamin.

Vers. 1. 1. HABITAVERUNT AUTEM PRINCIPES POPULI IN JERUSALEM. — tanquam in metropoli, ac civitate sancta, et a Deo electa ad templum aque ac regnum, vel primum.

RELIQUA VERO PLEBS MISIT SORTEM, UT TOLLERENT UNAM PARTEM DE DECEM, QUI HABITATURI ESSENT IN JERUSALEM CIVITATE SANCTA. NOVEM VERO PARTES IN CIVITATIBUS, — cæteris Judææ. Erat enim Jerusalem tam incolis, quam domibus destituta; quare decima pars plebis sorte delecta est ad eam incolendam, ac ad domos, fora, plateas in ea ædificandum, quod duobus annis incolæ sorte delecti perfecerunt, teste Beda et Josepho, XI *Antiq.* cap. v. Sorte delectis accessere ii qui sponte se obtulerunt ad habitandum in Jerusalem, ut dicitur vers. 2.

3. ET FILII SERVORUM SALOMONIS. — Quinam fuerint hi, dixi I *Esdræ* II, 43, et lib. *Paralip.* IX, 2.

9. ET JUDAS FILIUS SENUA SUPER CIVITATEM SECUNDUS. — *q. d.* Primus civitatis Jerusalem præfectus sive præpositus erat Joel, qui præcessit : secundus vero erat Judas.

11. SARAIA, etc., PRINCEPS DOMUS DEI. — Princeps, id est procurator : nam eum non fuisse Pontificem liquet ex cap. seq. vers. 10, ubi inter Pontifices non nominatur.

14. FILIUS POTENTIUM, — id est unius e potentibus et primoribus.

15. SEMEIA FILIUS HASUB (qui Hasub erat) FILIUS AZARICAM (qui Azaricam erat) FILIUS HASABIA (qui Hasabia erat) FILIUS BONI. — Unde Vatablus et alii vertunt : *Semeia filius Hasub, filii Azaricam, filii Hasabia, filii Boni.* Simili modo *ii filius* exponendum est vers. 7, 9, 10 et omnibus sequentibus, subaudiendo « qui erat. » Unde clarius ubique pro « filius » cum Pagnino et Vatablo vertas *filii*.

16. JOSABED SUPER OMNIA OPERA, QUÆ ERANT FORINSECUS IN DOMO DEI A PRINCIPIBUS LEVITARUM. — Quasi dicat : Josabed præerat cultui exterorum, Deo cum vasorum ad templum pertinentium; quorum adaptatio a principibus Levitarum facienda erat.

17. MATHANIA, etc., PRINCEPS AD LAUDANDUM. — hoc est, præerat cantoribus et instrumentis musicis.

22. ET EPISCOPUS LEVITARUM, — id est præfectus v Levitarum : episcopus enim Græce idem est quod *superintendens*. Unde Cicero, lib. VII Epistol. *ad Atticum*, Campanæ Præfectum vocat episcopum.

23. PRÆCEPTUM QUIPPE REGIS SUPER EOS ERAT, ET ORDO IN CANTORIBUS PER SINGULOS DIES, — quas dicas : Artaxerxes præcepit ut Levitæ quotidie per vices juxta ordinem a Davide et Salomone institutum Deo in templo psalmos et hymnos concinerent.

24. ET PHATHAHIA, etc., IN MANU REGIS JUXTA OMNE VERBUM POPULI. — Hebræus, *Phathahia erat ad manum regis ad omne negotium populi; q. d.* Phathahias jurisperitus constitutus erat ab Artaxerxe, ut nomine ejus cum Nehemia duce omnes populi causas litesque deciderat; sic aliamnum Prætoribus et Judicibus adjungi solet assessor juris legumque peritus.

25. ET IN DOMIBUS PER OMNES REGIONES EORUM. — Hebræus, *et in villis*, scilicet extra Jerusalem; quasi dicas : Hucusque recensui incolas Jerusalem, jam recensebo incolas villarum et urbium extra Jerusalem sitarum, per omnes Judææ et Judæorum regiones.

35. ET ONO VALLE ARTIFICUM, — quis fuerit hic locus dixi cap. VI, vers. 2.

36. ET DE LEVITIS PORTIONES JUDÆ ET BENJAMIN, — *q. d.* Levitæ non habitabant simul omnes in Jerusalem, sed sparsi erant per omnes urbes : quare portiones eorum erant distribuæ per omnes regiones Judææ et Benjamin, ut quæque ex eis suum haberet numerum, qui incolas ea quæ ad Dei legem et cultum spectabant, doceret. Hoc enim sanxerat Deus per Mosen. Unde Vatablus declare vertit : *Levitæ vero possessionem habebant hos in Juda, quam in Benjamin.* Alii : *In confinio Juda et Benjamin.* Hebraice est : *Ex Levitis divisiones, vel præsidiales erant Juda et Benjamin; q. d.* Levitæ dividebantur per Juda et Benjamin. Septuaginta, *ex Levitis partes in Juda et Benjamin.*

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur Sacerdotes et Levitæ tempore Nehemiæ. Unde, vers. 27, ipse eosdem convocat ad murorum dedicationem, quæ vers. 31, facta narratur eorumdem per muros solemni processione cum duobus chori canentium, populi plausu, et immolatione hostiarum. Denique, vers. 43, statuuntur qui præsint gazophylaciis et templi sumptibus, ac Sacerdotibus et Levitis de alimentis prospiciant.

Ii sunt autem Sacerdotes et Levitæ, qui ascenderunt cum Zorobabel filio Salathiel, et Josue : Saraia, Jeremias, Esdras, 2. Amaria, Melluch, Hattus, 3. Sebenias, Ilheum, Merimuth, 4. Addo, Genthon, Abia, 5. Miamin, Malia, Belga, 6. Semeia et Joiarib, Idaia, Sellum, Amoc, Helcias. 7. Idaia. Isti principes Sacerdotum, et fratres eorum, in diebus Josue. 8. Porro Levitæ, Jesua, Bennui, Cedmihel, Sarebia, Juda, Mathanias, super hymnos ipsi et fratres eorum : 9. et Bechecia atque Hanni, et fratres eorum, unusquisque in officio suo. 10. Josue autem genuit Joacim, et Joacim genuit Eliasib, et Eliasib genuit Joiada, 11. et Joiada genuit Jonathan, et Jonathan genuit Jeddoa. 12. In diebus autem Joacim erant Sacerdotes et principes familiarum : Saraiæ, Maraia : Jeremiæ, Hanania : 13. Esdræ, Mosallam : Amariæ, Johanan : 14. Milicho, Jonathan : Sebeniæ, Joseph : 15. Haram, Edna : Maraioth, Helci : 16. Adaiæ, Zacharia : Genthon, Mosollam : 17. Abiæ, Zechri : Miamin et Moadiæ, Phelti : 18. Belgæ, Sammua : Semaiæ, Jonathan : 19. Joiarib, Mathanai : Jodaiæ, Azzi : 20. Sellai, Celai : Amoc, Heber : 21. Helciæ, Hasebia : Idaiæ, Nathanael. 22. Levitæ in diebus Eliasib et Joiada, et Johanan, et Jeddoa, scripti principes familiarum, et Sacerdotes in regno Darii Persæ. 23. Filii Levi principes familiarum, scripti in Libro verborum dierum, et usque ad dies Jonathan, filii Eliasib. 24. Et principes Levitarum, Hasebia, Serebia, et Josue filius Cedmihel : et fratres eorum per vices suas, ut laudarent et confiterentur juxta præceptum David viri Dei, et observarent æque per ordinem. 25. Mathania, et Bechecia, Obedia, Mosollam, Telmon, Accub, custodes portarum et vestibulorum ante portas. 26. Ii in diebus Joacim filii Josue, filii Josedec, et in diebus Nehemiæ ducis, et Esdræ Sacerdotis scribæque. 27. In dedicatione autem muri Jerusalem, requisierunt Levitas de omnibus locis suis, ut adducerent eos in Jerusalem, et facerent dedicationem, et lætitiam in actione gratiarum, et cantico, et in cymbalis, psalteriis, et citharis. 28. Congregati sunt autem filii cantorum de campestribus circa Jerusalem, et de villis Nethuphati, 29. et de domo Galgal, et de regionibus Geba et Azmaveth : quoniam villas ædificaverunt sibi cantores in circuitu Jerusalem. 30. Et mundati sunt sacerdotes et Levitæ, et mundaverunt populum, et portas, et murum. 31. Ascendere autem feci principes Juda super murum, et statui duos magnos choros laudantium. Et ierunt ad dexteram super murum ad portam sterquilinii. 32. Et ivit post eos Osaias, et media pars principum Juda, 33. et Azarias, Esdras, et Mosollam, Judas, et Benjamin, et Semeia, et Jeremias. 34. Et de filiis sacerdotum in tubis, Zacharias filius Jonathan, filius Semeiæ, filius Mathaniæ, filius Michaiæ, filius Zechur, filius Asaph, 35. et fratres ejus, Semeia, et Azareel, Malalai, Galalai, Maai, Nathanael, et Judas, et Hanani, in vasis canticis David viri Dei : et Esdras scriba ante eos in porta Fontis. 36. Et contra eos ascenderunt in gradibus Civitatis David, in ascensu muri super domum David, et usque ad portam Aquarum ad Orientem. 37. Et chorus secundus gratias referentium ibat ex adverso, et ego post eum, et media pars populi super murum et super turrim furnorum, et usque ad murum latissimum, 38. et super portam Ephraim, et super portam antiquam, et super portam piscium, et turrim

Hananeel, et turrim Emath, et usque ad portam gregis : et steterunt in porta custodiæ, 39. steteruntque duo chori laudantium in domo Dei, et ego, et dimidia pars magistratuum mecum. 40. Et Sacerdotes, Eliachim, Measia, Miamin, Michea, Elioenai, Zacharia, Hanania, in tubis, 41. et Maasia, et Semeia, et Eleazar, et Azzi, et Johanan, et Melchia, et Ælam, et Ezer. Et clare cecinerunt cantores, et Jezraia præpositus. 42. Et immolaverunt in die illa victimas magnas, et lætati sunt : Deus enim lætificaverat eos lætitia magna ; sed et uxores eorum et liberi gavisi sunt, et audita est lætitia Jerusalem procul. 43. Recensuerunt quoque in die illa viros super gazophylacia thesauri ad libamina, et ad primitias, et ad decimas, ut inferrent per eos principes civitatis in decore gratiarum actionis, Sacerdotes et Levitas : quia lætificatus est Juda in Sacerdotibus et Levitis adstantibus. 44. Et custodierunt observationem Dei sui, et observationem expiationis, et cantores, et janitores juxta præceptum David, et Salomonis filii ejus, 45. quia in diebus David et Asaph ab exordio erant principes constituti cantorum, in carmine laudantium, et confitentium Deo. 46. Et omnis Israel, in diebus Zorobabel, et in diebus Nehemiæ, dabant partes cantoribus et janitoribus per dies singulos, et sanctificabant Levitas, et Levitæ sanctificabant filios Aaron.

Vers. 1. Esdras unus, non duo

1. ESDRAS. — Cajetanus putat hunc Esdram esse diversum ab Esdra de quo lib. I, quem ipse conscripsit. Probat, quia hic simpliciter vocatur Esdras, ille vero, lib. I, vocatur Sacerdos et scriba. Verum Sanchez et alii censent esse unum eumdemque. Nam hic quoque vers. 36, vocatur « Esdras scriba, » dicturque præfuisse uni choro cantorum. Quare Esdras hoc anno 20 Artaxerxis superstes jam erat 147 annorum, ut superius dixi. Addit Historia Scholastica *in Judith* cap. X : *Dedit is jam manibus, defunctus est Esdras et Jerosolymæ sepultus.*

7. ISTI PRINCIPES SACERDOTUM, etc., IN DIEBUS JOSUE, — hoc est Jesu filii Josedec Pontificis, qui anno primo Cyri cum Zorobabel Judæos e Babylone reduxit, et templum ædificavit.

10. JOSUE AUTEM GENUIT JOACIM, ET JOACIM GENUIT ELIASIB, ET ELIASIB GENUIT JOIADA.

11. ET JOIADA GENUIT JONATHAN, ET JONATHAN GENUIT JEDDOA. — Jeddoa est Jaddo, qui pontificalibus indutus occurrit Alexandro magno, eumque Judæis offensum (eo quod ipsi Dario Codomanno regi Persarum, cui erant subditi, favissent, non sibi eum invadenti) placavit. Unde eum supplex veneratus est Alexander, teste Josepho, lib. XI *Antiq.* CAP. VIII.

Dices : Nehemias non potuit Jaddum videre pontificem ; sic enim debuisset vivere ducentos annos : tot enim fluxere a Cyro ad Alexandrum, totque annis stetit monarchia Persarum, quam victo Dario Alexander transtulit ad Græcos. Vixit enim et gessit hæc Nehemias sub Artaxerxe Longimano, qui Alexandrum antecessit centum annis et amplius : quare non potuit ipse Jaddum sub Alexandro videre pontificem. Hoc argumento convictus Scaliger, *De Emendatione Temporum*, contendit Artaxerxem, qui misit Nehemiam in Judæam, non fuisse Longimanum, sed Mnemonem, qui paulo ante Alexandrum regnavit in Perside. Verum respondeo : Hæc omnia in argumento objecta vera esse ; ideoque hunc vers. 11, æque ac Nehemias vers. 22, non esse scriptum a Nehemia, sed post ejus mortem huic libro hoc loco insertum a Synagoga Judæorum, quæ tum regebatur a Spiritu Sancto, vel a aliquo scriptore Hagiographo, ad ostendendam successionem Pontificum successionem toto tempore regni Persarum usque ad Alexandrum, a cujus gestis incipiunt libri Machabæorum, ut continuam Israelis, hoc est reipublicæ et Ecclesiæ Dei historiam pertexant per Machabæos Pontifices et Principes usque ad Christum. Primus enim Josue, sive Jesus, qui hic nominatur, fuit pontifex sub Cyro : ultimus vero Jeddoa, sive Jaddo, fuit Pontifex sub Dario Codomanno et Alexandro : intermedii vero fuere Pontifices successive sub Dario, Xerxe, Artaxerxe aliisque regibus Persarum pariter intermediis, uti ostendi in catalogo et serie horum Pontificum, quam præfixi Esdræ. Id ita esse colligitur ex vers. 23 et 26 ubi dicitur, tempore Nehemiæ fuisse Pontifices Joacim et Eliasib, « usque ad dies Jonathan filii Eliasib ; » Jonathan autem fuit pater Jeddoæ, sive Jaddi : quare eum Nehemias non vidit Pontificem. Simili modo libris Mosis ac Josue et aliorum, ab Esdra additi sunt ultima capita, quibus eorum mors describitur, ut dixi proœmio in Esdram.

Nehemias videre potuit Jaddum?

Respondeo *secundo*, Nehemiam vidisse Jaddum puerum, sed non Pontificem. Id liquet ex cap. XIII. vers. 28, ubi dicitur aliquis filiorum Joiadæ Pontificis dedisse filiam suam uxorem Sanaballat Horonitæ ; itaque eum sibi fecisse generum, « quem, inquit Nehemias, fugavi a me. » Nam hic filius Joiadæ fuit Jonathan pater Jaddi, vel certe fuit frater Jonathan. Quare si tunc Jonathan, vel frater ejus habebat filiam nubilem, utique poterat et filium habere Jaddum. Sicut ergo Esdras, Deo dante, fuit longævus vixitque 147 annos ; sic et longævus fuit Nehemias Esdræ coævus, æque ac longævi fuere Jesus filius Josedec, Daniel et similes illo ævo, idque hoc fine, ut Synagogam in

captivitate ex parte prolapsam, in fide, lege et cultu veri Dei, instaurarent, nimirum, ut ille ait: « Senium non sentit charitas. » Quare Jaddo pontifex, tempore Alexandri Magni, videtur fuisse grandævus, scilicet 94 circiter annorum, ita ut natus sit sub Artaxerxe, vel Dario Notho ejus filio, visusque a Nehemia puer, vel juvenis existens; nam ab ultimo anno Artaxerxis ad Alexandrum fluxere 94 anni. Et hac de causa Jeddoa hic non vocatur pontifex, sed simpliciter nominatur duntaxat, diciturque genitus a Jonathan.

12. In diebus autem Joacim erant sacerdotes et principes familiarum (sacerdotalium tum recentium et prio esteris florentium) : Saraiæ, Maraia : Jeremiæ, Hanania : Esdræ, Mosollam, etc., — q. d. In familia Saraiæ, quæ tempore Josuæ, sive Jesu pontificis inter sacerdotales familias erat celebris et prima, ut dictum est versu 1, jam tempore Joacim filii Jesu Pontificis primarius et princeps erat Maraia : in familia vero Jeremiæ primus et princeps erat Hanania; in familia vero Esdræ caput et princeps erat Mosollam; et ita de ceteris qui sequuntur.

22. Levitæ in diebus Eliasib et Joiadæ et Johanan, et Jeddoa, scripti principes familiarum, et sacerdotes (supple, erant ii quos supra ordo versu 24; hucusque enim recensuit principes Levitarum familiarum sacerdotalium : nunc simili modo recenset principes familiarum Leviticarum) in regno (Hebræus, usque ad regnum, ut vertunt Pagninus et Vatablus) Darii Persæ, — scilicet Darii Codomanni ultimi Persarum regis, quem anno septimo regni vicit Alexander, itaque monarchiam a Persis ad Græcos transtulit. Hic versus videtur inseritus Nehemiæ ab aliquo posteriore, ut dixi versu 11; nam Nehemias non vidit Darium Codomannum, nec Jaddum sub eo Pontificem : sic enim debuisset vivere annos ducentos. Nisi dicas Darium hic accipi non Codomannum, sed Nothum, qui fuit filius spurius Artaxerxis Longimani, illique in regno successit. Hunc enim videre potuit Nehemias, adeoque si Jaddus natus est initio regni Darii Nothi, tempore Alexandri Magni erat 94 circiter annorum.

23. In libro verborum dierum, — id est, in annalibus, sive diariis et chronicis Pontificum Judæorum. Hos enim annales exacte conscripsisse Judæos liquet ex libro *Paralip.* et ex Josepho, idque per seriem annorum Pontificum, utpote regibus jam extinctis. Unde pariter patet annales hos diversos esse a libro *Paralip.*, nam ab eo citantur.

27. In dedicatione autem muri Jerusalem. — Hinc patet solemnem hanc dedicationem fuisse muri Jerusalem; ideoque paulo post 52 dies, quibus murus perfectus fuit, esse peractam, ut censent Salianus, Sanchez et alii : licet nonnulli putent hanc dedicationem fuisse non muri duntaxat, sed totius urbis, postquam in illa domus, fora, vici et plateæ fuere ædificatæ et perfectæ per spatium biennii, teste Josepho, quare hanc dedicationem totius urbis factam aiunt anno 32 Artaxerxis. Unde ipsi ab hoc anno 32 quo dedicata est urbs, inchoant 70 hebdomades Danielis usque ad Christum.

Porro ritus hujus dedicationis describitur versu 30 et sequentibus. Hinc cæpit usus pius dedicandi novas urbes et domos, quem proinde etiamnum religiosiores studiose observant. Idem fecere Gentiles, ut dixi superius. Hinc Justinus Imperator, lib. *sacra loca* IX, § *Sancta*, ff. *de rerum divisione* : « Sancta quoque res, inquit, velut muri et portæ civitatis quodam modo divini juris sunt, et ideo nullius in bonis sunt. » Sacros esse muros apud Romanos multis docet Servius ad illud Virgilii, lib. V *Æneid.* :

Interea Æneas urbem designat aratro.

Ubi certos ostendit ritus et sacrificia, quæ in murorum designationem et fabricam adhibebantur.

30. Mundaverunt populum, et portas, et murum. — Nimirum aspergendo ea aqua lustrali : item orando et sacrificando pro eorum incolumitate. Rursum iisdem ritibus mundarunt muros et populum ab omni immunditia et irregularitate quam in illa lege facile et multis modis contrahebant.

31. Ascendere autem feci principes Juda super murum. — Muri enim exiguam habebant latitudinem, unde paucos capiebant. Jussi ergo fuere soli principes, non omnes, sed aliqui eos conscendere, utpote quorum erat eos contra hostes tueri. Porro hinc inde ad latus principum erant duo chori Sacerdotum et Levitarum pari cum eis passu procedentium, et Dei laudes canentium. Uni choro præerat Esdras, ut patet versu 35; alteri Nehemias cum suis asseclis, qui partim sacerdotes erant, partim laici, præsertim e principum numero, ut patet vers. 37 et 39.

42. Et immolaverunt in illa die victimas magnas, — quas Deus sibi gratas ostendit, dum aquas ritibus perfusæ erant victimæ, convertit in ignem, qui victimas concremavit : qua de causa Hebræi, in tantum miraculum quotannis recolere ot, instituerunt festum dati a Deo ignis, ut patet II *Machab.* I, 18.

43. Recenserunt quoque in die illa viros super gazophylacia thesauri ad libamina, et ad primitias, et ad decimas, ut introferrent per eos principes civitatis in decore gratiarum actionis (in decoram gratiarum actionem, pro eorum meritis). Sacerdotes et Levitas, (ut scilicet per viros gazophylacis præfectos inducerent Sacerdotes et Levitas ad ipsa gazophylacia, ut ex eis acciperent decimas, libamina, et primitias sibi ex lege debitas, ut scilicet ex eis darent partes Sacerdotibus et Levitis, ut habent Hebræus, Septuaginta, Sixtini, Vatablus et alii; idque « in decore gratiarum actionis, » ut scilicet per has oblationes decoras agerent gratias Sacerdotibus et Levitis, quod

in hac dedicatione et processione concinne canendo, et religiose sacrificando egregie munere suo perfuncti forent; hoc est enim quod subditur) quia lætificatus est Juda in Sacerdotibus, et Levitis adstantibus : — eo quod officium suum in dedicatione murorum tam præclare obivissent, ut dixi.

Vers. 45. Sanctificare populum, pro eo quod sanctificare Levitas.

46. Sanctificabant Levitas, (id est *Levitis*, ut habent Hebræus et Septuaginta, quasi dicat : Rem sanctam, puta decimas personis sacris, puta Levitis ex lege debitas deferebant. Et in his decimis) Levitæ sanctificabant filios Aaron, — id est, deferebant sacerdotibus suam decimam, de qua *Num.* cap. XVIII, 8. Sanctificare ergo hic idem est, quod rem sanctam, puta decimam, offerre. Ex re sancta enim videtur quasi sanctificari persona, cui res sancta lege illi debita offertur; ita Cajetanus, Vatablus et alii. Sic vir infidelis dicitur sanctificari (per denominationem extrinsecam) a muliere fideli, ac vicissim mulier infidelis per virum fidelem, I *Corinth.* VII, 14.

Rursum sanctificare, ait Sanchez, est ostendere aliqua actione religiosa et sancta aliquid esse sanctum. Quomodo dicimur sanctificare Sabbatum, aut templum, aut etiam Deum, non quia a nobis aliquid sanctitatis accipiant; sed quia, dum illa veneramur et colimus, eorum sanctitatis hominibus argumenta proebemus. Est autem non levis alicujus sanctitatis argumentum, si publicis aliquem Ordinem sumptibus alamus, maxime si illius obsequii, cum impenditur, causa redditur, qualis hic a populo redditur liberalis et grato.

Vel vera Regni Lib. Esdræ Sic.

Sic ergo populus sanctificabat Levitas; dando enim eis decimas ostendebat eos se esse majores, quasi Dei ministros publicis decimis ab ipso; vicissim Levitæ, decimarum suarum decimam dando sacerdotibus, ostendebant eos esse se majores et sanctiores. Unde Apostolus, *Hebr.* VII, 4, ex eo quod Abraham dedit decimas Melchisedecho, probat eum majorem fuisse Abrahamo. Decimæ enim a laicis dantur sacerdotibus quasi Dei ministris, ut pro ipsis Deo serviant et sacrificent.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nehemias anno 32 Artaxerxis, rediens in Jerusalem, corrigit varios abusus qui se obtenta, et mortuo jam Esdra, irrepserant : nimirum primo admissionem Moabitarum et Ammonitarum in officia magistratus Israelis, vers. 1; secundo, Tobiæ gazophylacium usibus templi restituit, vers. 4; tertio, Levitas profugos ob stipendia negata iis datis revocat, vers. 10; quarto, profanationem Sabbati per opera servilia resecat, vers. 15; quinto, conjugia cum alienigenis, indeque filios Azotice loquentes tollit, vers. 23.

1. In die autem illo lectum est in volumine Moysi, audiente populo; et inventum est scriptum in eo, quod non debeant introire Ammonites et Moabites in ecclesiam Dei usque in æternum : 2. eo quod non occurrerint filiis Israel cum pane et aqua, et conduxerint adversum eos Balaam, ad maledicendum eis : et convertit Deus noster maledictionem in benedictionem. 3. Factum est autem, cum audissent legem, separaverunt omnem alienigenam ab Israel. 4. Et super hoc erat Eliasib sacerdos, qui fuerat præpositus in gazophylacio domus Dei nostri, et proximus Tobiæ 5. Fecit ergo sibi gazophylacium grande, et ibi erant ante eum reponentes munera, et thus, et vasa, et decimam frumenti, vini, et olei, partes Levitarum, et cantorum, et janitorum, et primitias sacerdotales. 6. In omnibus autem his non fui in Jerusalem, quia anno trigesimo secundo Artaxerxis regis Babylonis veni ad regem, et in fine dierum rogavi regem. 7. Et veni in Jerusalem, et intellexi malum quod fecerat Eliasib Tobiæ, ut faceret ei thesaurum in vestibulis domus Dei. 8. Et malum mihi visum est valde. Et projeci vasa domus Tobiæ foras de gazophylacio : 9. præcepique, et emundaverunt gazophylacia : et retuli ibi vasa domus Dei, sacrificium, et thus. 10. Et cognovi quod partes Levitarum non fuissent datæ, et fugisset unusquisque in regionem suam de Levitis, et cantoribus, et de his qui ministrabant : 11. et egi causam adversus magistratus, et dixi : Quare derelinquimus domum Dei? Et congregavi eos, et feci stare in stationibus suis. 12. Et omnis Juda apportabat decimam frumenti, vini, et olei, in horrea. 13. Et constituimus super horrea Selemiam Sacerdotem, et Sadoc scribam, et Phadaiam de Levitis, et juxta eos Hanan filium

Zachur, filium Mathaniæ : quoniam fideles comprobati sunt, et ipsis creditæ sunt partes fratrum suorum. 14. Memento mei, Deus meus, pro hoc, et ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, et in cæremoniis ejus. 15. In diebus illis vidi in Juda calcantes torcularia in sabbato, portantes acervos, et onerantes super asinos vinum, et uvas, et ficus, et omne onus, et inferentes in Jerusalem die sabbati. Et contestatus sum ut, in die qua vendere liceret, venderent. 16. Et Tyrii habitaverunt in ea, inferentes pisces, et omnia venalia : et vendebant in sabbatis filiis Juda in Jerusalem ; 17. et objurgavi optimates Juda, et dixi eis : Quæ est hæc res mala, quam vos facitis, et profanatis diem Sabbati ? 18. Numquid non hæc fecerunt patres nostri, et adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, et super civitatem hanc ? Et vos additis iracundiam super Israel, violando Sabbatum. 19. Factum est autem, cum quievissent portæ Jerusalem in die Sabbati, dixi : et clauserunt januas, et præcepi ut non aperirent eas usque post Sabbatum : et de pueris meis constitui super portas, ut nullus inferret onus in die Sabbati. 20. Et manserunt negotiatores, et vendentes universa venalia, foris Jerusalem semel et bis. 21. Et contestatus sum eos, et dixi eis : Quare manetis ex adverso muri ? si secundo hoc feceritis, manum mittam in vos. Itaque ex tempore illo non venerunt in Sabbato. 22. Dixi quoque Levitis ut mundarentur, et venirent ad custodiendas portas, et sanctificandam diem Sabbati : et pro hoc ergo memento mei, Deus meus, et parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum. 23. Sed et in diebus illis vidi Judæos ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, et Moabitidas. 24. Et filii eorum ex media parte loquebantur Azotice, et nesciebant loqui Judaice, et loquebantur juxta linguam populi et populi. 25. Et objurgavi eos, et maledixi. Et cecidi ex eis viros, et decalvavi eos, et adjuravi in Deo, ut non darent filias suas filiis eorum, et non acciperent de filiabus eorum filiis suis, et sibimetipsis, dicens : 26. Numquid non in hujuscemodi re peccavit Salomon rex Israel ? et certe in gentibus multis non erat rex similis ei, et dilectus Deo suo erat, et posuit eum Deus regem super omnem Israel : et ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ. 27. Numquid et nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc, ut prævaricemur in Deo nostro, et ducamus uxores peregrinas ? 28. De filiis autem Joiada filii Eliasib sacerdotis magni, gener erat Sanaballat Horonites, quem fugavi a me. 29. Recordare, Domine Deus meus, adversum eos qui polluunt sacerdotium, juxtaque Sacerdotale et Leviticum. 30. Igitur mundavi eos ab omnibus alienigenis, et constitui ordines Sacerdotum et Levitarum, unumquemque in ministerio suo : 31. et in oblatione lignorum in temporibus constitutis, et in primitivis : memento mei, Deus meus, in bonum. Amen.

1. SCRIPTUM IN EO, QUOD NON DEBUANT INTROIRE AMMONITES ET MOABITES IN ECCLESIAM DEI. — Scripta est hæc lex *Deuter.* cap. XXIII, vers. 3, ubi eam explicui, docuique quid per ecclesiam Dei intelligatur, nimirum intellige dignitatem, eminentiam et magistratum in cœtu populi Israelitici : ad hanc enim admitti non poterant Ammonitæ et Moabitæ; iidem tamen fieri poterant proselyti; itaque cum Judæis ingredi templum et sacris interesse, uti Ruth Moabitis fecit nupsitque Booz Israelitæ. Sic et apud Hispanos Mauri possunt fieri Christiani, sed ad magistratus non admittuntur.

4. ET SUPER HOC ERAT ELIASIB SACERDOS, (*q. d.* Super custodiam legis jam citatæ vers. 1, constitutus erat Eliasib Pontifex, cujus erat curare ne quis Ammonites ad officia publica in Israele admitteretur : sed ipse adeo id non curavit, ut Tobiam Ammonitam sibi affinem fecerit, ideoque gazophylacio præposuerit. Unde sequitur :) QUI (Eliasib) FUERAT PRÆPOSITUS IN GAZOPHYLACIO DOMUS DEI NOSTRI, ET PROXIMUS TOBIÆ, etc. — Tobias hic erat « servus Ammonites, » ut dictum est cap. II, vers. 10. Ideoque infensus Judæorum hostis, sed dives et potens, ideoque cum eo affinitatem per connubium contraxerat Eliasib Pontifex : qua de causa eum ut sibi affinem præfecerat gazophylacio templi, quæ erat magna Tobiæ dignitas, neque ac utilitas, sed major Israelis indignitas et noxa, quod scilicet servus Ammonita ad tantam dignitatem in Israel eveheretur contra legem *Deute.* XXIII, 3, citatam vers. 1. Erat et noxa, quia Tobias gazophylacium non ad usus sacerdotum et templi, ad quod institutum erat, sed ad sua commoda avertebat, reponens in eo omnem suam supellectilem. Quod indignissimum ratus Nehemias eum e gazophylacio expulit, illudque Israeli restituit.

5. FECIT ERGO SIBI (Hebræus et Septuaginta, *fecit ei*, scilicet Tobiæ, ut patet vers. 7,) GAZOPHYLACIUM GRANDE, ET ERANT IBI ANTE EUM REPONENTES MUNERA, ET THUS, ET VASA, etc. — *q. d.* Eliasib præfecit Tobiam Ammonitem toti gazæ templi, puta primitiis et decimis, cæterisque quæ Levitis et Sacerdotibus afferebantur.

7. UT FACERET EI THESAURUM, — scilicet gazophylacium jam dictum, ut habent Septuaginta, in quo thesauri templi asservabantur. Patet ex Hebræo.

8. PROJECI VASA, — id est supellectilem Tobiæ.

9. ET RETULI IBI VASA DOMUS DEI ET SACRIFICIUM, — id est res ad sacrificium pertinentes, puta oleum, vinum, similam, sal, etc.

11. FECI STARE IN STATIONIBUS SUIS, — *q. d.* Suis locis et officiis restitui Levitas et cantores.

19. CUM QUIEVISSENT PORTÆ JERUSALEM IN DIE SABBATI, — a suo officio emittendi et admittendi ingredientes. Hebræus, *cum obumbratæ essent portæ*, id est cum adesset vespera feriæ sextæ : tunc enim inchoabatur Sabbatum, uti jam dixi. Unde Septuaginta vertunt, *ante diem*, scilicet artificialem, *Sabbati*. Jussit ergo Nehemias claudi portas tota die naturali Sabbati per 24 horas, ne quis per illas onera portando violaret Sabbatum.

UT NULLUS INFERRET ONUS, — per portas. Hinc porta dicta est, quod per eam onera importentur et exportentur, ait Cato, et ex eo Isidorus, lib. XV *Etymol.* cap. II; licet Donatus portam dici velit ab aratri portatione : quia, inquit, in designatione urbium, subjunctis vacca et tauro qui urbem designabat in porta, aratrum manu suspendebat, ne sulcum faceret, ubi aditus civitatis erant relinquendi.

21. MANUM MITTAM IN VOS, — id est comprehendam et puniam, et onera mercium quas inferetis confiscabo.

24. ET FILII EORUM EX MEDIA PARTE (Hebræus, *medietas, sive media pars filiorum*) LOQUEBANTUR AZOTICE (lingua autem Azotica olebat religionem exoticam et Azoticam. Alia enim medietas loquebatur Moabitice, vel Ammonitice, vel Madianitice,) JUXTA LINGUAM POPULI, ET POPULI, — id est singulorum populorum, ex quibus matres erant oriundæ; filii enim, a matribus educati, earum linguam cum arte imbibebant.

25. ET MALEDIXI, (id est anathematizavi et excommunicavi talium filiorum parentes, imo et) CECIDI (flagellis) ET DECALVAVI—(properatam Complutensia habent *deculcavi*), id est depilavi et capillos evulsi, quod magnæ est ignominiæ. Inter quos præcipuus erat filius Joiadæ Pontificis, de quo vers. 28.

28. DE FILIIS AUTEM JOIADA FILII ELIASIB SACERDOTIS MAGNI (pontificis) GENER ERAT SANABALLAT HORONITES. — Ita Romana, licet Complutensia et prisca Biblia habeant *Horonitis* in genitivo; itaque legendum videtur; nam sic habent Hebræi, Septuaginta, Vatablus, Pagninus et alii, ut sensus sit : Unus e filiis Joiadæ duxerat filiam Sanaballat Horonitis, ideoque erat ejus gener.

QUEM FUGAVI A ME, — et a cœtu Israel, indignum ratus Sanaballat Samaritam et infidelem connubia miscere cum Israele, imo cum Pontifice.

Porro alius est hic Sanaballat a Sanaballat Præfecto Samariæ, qui teste Josepho, lib. XI, cap. VII et VIII, filiam suam dedit uxorem Manassi fratri Jaddi pontificis sub Alexandro Magno, ideoque Manassen pontificem templi schismatici a schismaticis constructi in Samaria, in monte Garizim, de quo templo perpetua fuit lis inter Judæos et Samaritanos, etiam tempore Christi, ut patet *Joan.* cap. IV, vers. 24; alium fuisse liquet ex eo quod hic Sanaballat Horonites socer erat filii Joiadæ : ille vero Josephi socer erat Manassis fratris Jaddi Pontificis; ergo hic ille non fuit : Joiada enim fuit avus Jaddi : Joiada enim genuit Jonathan; Jonathan vero genuit Jaddum; Jaddi autem frater Manasses, fuit gener hujus posterioris Sanaballat. Forte hic posterior prioris fuit filius, vel nepos.

QUEM FUGAVI A ME. — Per « quem » accipe non tam Sanaballat, quam generum Sanaballat filium scilicet Joiadæ pontificis, qui filiam Sanaballat uxorem duxerat; hunc enim Nehemias expulit, et sacerdotio privavit, ob ductam alienigenam. Ita Sanchez. Nec enim Sanaballat aderat, multo minus subjectus erat Nehemiæ; sed ipsi aderat et subjectus erat filius Joiadæ : unde et expulit eum.

DE LIBRO III ET IV ESDRÆ.

QUÆ ET QUANTA SIT EORUM AUCTORITAS.

Nota quos hos Esdræ libros non esse canonicos, ut Genebrardus notat *in Chronol.* pag. 90, sed esse apocryphos, id est occultæ auctoritatis; quia Ecclesiæ certum non est eos esse canonicos et partes sanctæ Scripturæ, ac proinde eos extra catalogum sacrorum librorum rejecit, locatque inter apocryphos : unde hi duo libri non exstant in textu Hebræo, nec Græco Septuaginta. Citant tamen eos multi veterum, vel ut sacros, vel ut probos : in multis enim Græcis codicibus liber ter-

Zachur, filium Mathaniæ : quoniam fideles comprobati sunt, et ipsis creditæ sunt partes fratrum suorum. 14. Memento mei, Deus meus, pro hoc, et ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, et in cæremoniis ejus. 15. In diebus illis vidi in Juda calcantes torcularia in sabbato, portantes acervos, et onerantes super asinos vinum, et uvas, et ficus, et omne onus, et inferentes in Jerusalem die sabbati. Et contestatus sum ut, in die qua vendere liceret, venderent. 16. Et Tyrii habitaverunt in ea, inferentes pisces, et omnia venalia : et vendebant in sabbatis filiis Juda in Jerusalem ; 17. et objurgavi optimates Juda, et dixi eis : Quæ est hæc res mala, quam vos facitis, et profanatis diem Sabbati ? 18. Numquid non hæc fecerunt patres nostri, et adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, et super civitatem hanc ? Et vos additis iracundiam super Israel, violando Sabbatum. 19. Factum est autem, cum quievissent portæ Jerusalem in die Sabbati, dixi : et clauserunt januas, et præcepi ut non aperirent eas usque post Sabbatum : et de pueris meis constitui super portas, ut nullus inferret onus in die Sabbati. 20. Et manserunt negotiatores, et vendentes universa venalia, foris Jerusalem semel et bis. 21. Et contestatus sum eos, et dixi eis : Quare manetis ex adverso muri ? si secundo hoc feceritis, manum mittam in vos. Itaque ex tempore illo non venerunt in Sabbato. 22. Dixi quoque Levitis ut mundarentur, et venirent ad custodiendas portas, et sanctificandam diem Sabbati : et pro hoc ergo memento mei, Deus meus, et parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum. 23. Sed et in diebus illis vidi Judæos ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, et Moabitidas. 24. Et filii eorum ex media parte loquebantur Azotice, et nesciebant loqui Judaice, et loquebantur juxta linguam populi et populi. 25. Et objurgavi eos, et maledixi. Et cecidi ex eis viros, et decalvavi eos, et adjuravi in Deo, ut non darent filias suas filiis eorum, et non acciperent de filiabus eorum filiis suis, et sibimetipsis, dicens : 26. Numquid non in hujuscemodi re peccavit Salomon rex Israel ? et certe in gentibus multis non erat rex similis ei, et dilectus Deo suo erat, et posuit eum Deus regem super omnem Israel : et ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ. 27. Numquid et nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc, ut prævaricemur in Deo nostro, et ducamus uxores peregrinas ? 28. De filiis autem Joiada filii Eliasib sacerdotis magni, gener erat Sanaballat Horonites, quem fugavi a me. 29. Recordare, Domine Deus meus, adversum eos qui polluunt sacerdotium, juxtaque Sacerdotale et Leviticum. 30. Igitur mundavi eos ab omnibus alienigenis, et constitui ordines Sacerdotum et Levitarum, unumquemque in ministerio suo : 31. et in oblatione lignorum in temporibus constitutis, et in primitivis : memento mei, Deus meus, in bonum. Amen.

1. SCRIPTUM IN EO, QUOD NON DEBUANT INTROIRE AMMONITES ET MOABITES IN ECCLESIAM DEI. — Scripta est hæc lex *Deuter.* cap. XXIII, vers. 3, ubi eam explicui, docuique quid per ecclesiam Dei intelligatur, nimirum intellige dignitatem, eminentiam et magistratum in cœtu populi Israelitici : ad hanc enim admitti non poterant Ammonitæ et Moabitæ; iidem tamen fieri poterant proselyti; itaque cum Judæis ingredi templum et sacris interesse, uti Ruth Moabitis fecit nupsitque Booz Israelitæ. Sic et apud Hispanos Mauri possunt fieri Christiani, sed ad magistratus non admittuntur.

4. ET SUPER HOC ERAT ELIASIB SACERDOS, (*q. d.* Super custodiam legis jam citatæ vers. 1, constitutus erat Eliasib Pontifex, cujus erat curare ne quis Ammonites ad officia publica in Israele admitteretur : sed ipse adeo id non curavit, ut Tobiam Ammonitam sibi affinem fecerit, ideoque gazophylacio præposuerit. Unde sequitur :) QUI (Eliasib) FUERAT PRÆPOSITUS IN GAZOPHYLACIO DOMUS DEI NOSTRI, ET PROXIMUS TOBIÆ, etc. — Tobias hic erat « servus Ammonites, » ut dictum est cap. II, vers. 10. Ideoque infensus Judæorum hostis, sed dives et potens, ideoque cum eo affinitatem per connubium contraxerat Eliasib Pontifex : qua de causa eum ut sibi affinem præfecerat gazophylacio templi, quæ erat magna Tobiæ dignitas, neque ac utilitas, sed major Israelis indignitas et noxa, quod scilicet servus Ammonita ad tantam dignitatem in Israel eveheretur contra legem *Deute.* XXIII, 3, citatam vers. 1. Erat et noxa, quia Tobias gazophylacium non ad usus sacerdotum et templi, ad quod institutum erat, sed ad sua commoda avertebat, reponens in eo omnem suam supellectilem. Quod indignissimum ratus Nehemias eum e gazophylacio expulit, illudque Israeli restituit.

5. FECIT ERGO SIBI (Hebræus et Septuaginta, *fecit ei*, scilicet Tobiæ, ut patet vers. 7,) GAZOPHYLACIUM GRANDE, ET ERANT IBI ANTE EUM REPONENTES MUNERA, ET THUS, ET VASA, etc. — *q. d.* Eliasib præfecit Tobiam Ammonitem toti gazæ templi, puta primitiis et decimis, cæterisque quæ Levitis et Sacerdotibus afferebantur.

7. UT FACERET EI THESAURUM, — scilicet gazophylacium jam dictum, ut habent Septuaginta, in quo thesauri templi asservabantur. Patet ex Hebræo.

8. PROJECI VASA, — id est supellectilem Tobiæ.

9. ET RETULI IBI VASA DOMUS DEI ET SACRIFICIUM, — id est res ad sacrificium pertinentes, puta oleum, vinum, similam, sal, etc.

11. FECI STARE IN STATIONIBUS SUIS, — *q. d.* Suis locis et officiis restitui Levitas et cantores.

19. CUM QUIEVISSENT PORTÆ JERUSALEM IN DIE SABBATI, — a suo officio emittendi et admittendi ingredientes. Hebræus, *cum obumbratæ essent portæ*, id est cum adesset vespera feriæ sextæ : tunc enim inchoabatur Sabbatum, uti jam dixi. Unde Septuaginta vertunt, *ante diem*, scilicet artificialem, *Sabbati*. Jussit ergo Nehemias claudi portas tota die naturali Sabbati per 24 horas, ne quis per illas onera portando violaret Sabbatum.

UT NULLUS INFERRET ONUS, — per portas. Hinc porta dicta est, quod per eam onera importentur et exportentur, ait Cato, et ex eo Isidorus, lib. XV *Etymol.* cap. II; licet Donatus portam dici velit ab aratri portatione : quia, inquit, in designatione urbium, subjunctis vacca et tauro qui urbem designabat in porta, aratrum manu suspendebat, ne sulcum faceret, ubi aditus civitatis erant relinquendi.

21. MANUM MITTAM IN VOS, — id est comprehendam et puniam, et onera mercium quas inferetis confiscabo.

24. ET FILII EORUM EX MEDIA PARTE (Hebræus, *medietas, sive media pars filiorum*) LOQUEBANTUR AZOTICE (lingua autem Azotica olebat religionem exoticam et Azoticam. Alia enim medietas loquebatur Moabitice, vel Ammonitice, vel Madianitice,) JUXTA LINGUAM POPULI, ET POPULI, — id est singulorum populorum, ex quibus matres erant oriundæ; filii enim, a matribus educati, earum linguam cum arte imbibebant.

25. ET MALEDIXI, (id est anathematizavi et excommunicavi talium filiorum parentes, imo et) CECIDI (flagellis) ET DECALVAVI—(properatam Complutensia habent *deculcavi*), id est depilavi et capillos evulsi, quod magnæ est ignominiæ. Inter quos præcipuus erat filius Joiadæ Pontificis, de quo vers. 28.

28. DE FILIIS AUTEM JOIADA FILII ELIASIB SACERDOTIS MAGNI (pontificis) GENER ERAT SANABALLAT HORONITES. — Ita Romana, licet Complutensia et prisca Biblia habeant *Horonitis* in genitivo; itaque legendum videtur; nam sic habent Hebræi, Septuaginta, Vatablus, Pagninus et alii, ut sensus sit : Unus e filiis Joiadæ duxerat filiam Sanaballat Horonitis, ideoque erat ejus gener.

QUEM FUGAVI A ME, — et a cœtu Israel, indignum ratus Sanaballat Samaritam et infidelem connubia miscere cum Israele, imo cum Pontifice.

Porro alius est hic Sanaballat a Sanaballat Præfecto Samariæ, qui teste Josepho, lib. XI, cap. VII et VIII, filiam suam dedit uxorem Manassi fratri Jaddi pontificis sub Alexandro Magno, ideoque Manassen pontificem templi schismatici a schismaticis constructi in Samaria, in monte Garizim, de quo templo perpetua fuit lis inter Judæos et Samaritanos, etiam tempore Christi, ut patet *Joan.* cap. IV, vers. 24; alium fuisse liquet ex eo quod hic Sanaballat Horonites socer erat filii Joiadæ : ille vero Josephi socer erat Manassis fratris Jaddi Pontificis; ergo hic ille non fuit : Joiada enim fuit avus Jaddi : Joiada enim genuit Jonathan; Jonathan vero genuit Jaddum; Jaddi autem frater Manasses, fuit gener hujus posterioris Sanaballat. Forte hic posterior prioris fuit filius, vel nepos.

QUEM FUGAVI A ME. — Per « quem » accipe non tam Sanaballat, quam generum Sanaballat filium scilicet Joiadæ pontificis, qui filiam Sanaballat uxorem duxerat; hunc enim Nehemias expulit, et sacerdotio privavit, ob ductam alienigenam. Ita Sanchez. Nec enim Sanaballat aderat, multo minus subjectus erat Nehemiæ; sed ipsi aderat et subjectus erat filius Joiadæ : unde et expulit eum.

DE LIBRO III ET IV ESDRÆ.

QUÆ ET QUANTA SIT EORUM AUCTORITAS.

Nota quos hos Esdræ libros non esse canonicos, ut Genebrardus notat *in Chronol.* pag. 90, sed esse apocryphos, id est occultæ auctoritatis; quia Ecclesiæ certum non est eos esse canonicos et partes sanctæ Scripturæ, ac proinde eos extra catalogum sacrorum librorum rejecit, locatque inter apocryphos : unde hi duo libri non exstant in textu Hebræo, nec Græco Septuaginta. Citant tamen eos multi veterum, vel ut sacros, vel ut probos : in multis enim Græcis codicibus liber ter-

tius *Esdræ*, ipse est primus *Esdræ*; quia liber hic tertius incipit a gestis Josiæ regis, qui Esdram antecessit; qui vero in Latinis Bibliis vocantur primus et secundus *Esdræ*, hia Græcis nominantur secundus *Esdræ*. Ita citant hunc librum tertium *Esdræ*, Origenes, hom. 9 *in Josue*, sub finem, S. Athanasius, oratione 3 *Contra Arianos*, Clemens, lib. I *Strom.* pag. 64, Cyprianus, epist. *ad Pomp.*, Auctor operis imperfecti, hom. 4 *in Matth.*, Sulpitius, lib. II *Hist.*, ubi eadem fere habet quæ apud nos Esdræ, demptis illa insigni, cap. III, trium regionum juvenum historia et disputatione de re fortissima, in qua primus dicit: Forte est vinum; secundus: Fortior est rex; sed tertius Zorobabel fortiores sit mulieres; sed fortissima est veritas, quam tamen citat Josephus, lib. XI *Antiq.* IV, et S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* XXXVI, mystice adaptat Christo, qui est veritas vincens omnia. Nec habet hic liber quippiam de fabulis suspectum; itaque majoris est auctoritatis quam historia Livii, Sallustii, Curtii et aliorum scriptorum non hagiographorum. Denique hic liber tertius Esdræ narrat eadem quæ narrata sunt libro primo et secundo; sed quæ ibi breviter dicta sunt, fusius hic recensentur, ac nonnulla ibi omissa addit et supplet. Quare illis idem est, quod libri *Paralip.* sunt ad libros *Regum*.

Dices: Hic liber cap. I versu ultimo numerat 77 annos servitutis, cum tamen *Jerem.* cap. XXV, tantum numerantur 70. Respondeo, utrumque esse verum; nam 70 sunt usque ad annum primum Cyri; 77 sunt, si post Cyrum addas annos regni Cambysis hostis Judæorum, usque ad Darium Hystaspi, qui plenam et stabilem eis libertatem cum templi fabrica concessit. Quocirca Bellarminus, lib. I *De verbo Dei*, cap. XX, librum tertium *Esdræ* asserit esse canonicum tertii ordinis, cujus sunt liber tertius et quartus Machabæorum, ac liber Hermetis, sive Pastoris. Quartus vero liber *Esdræ* plus habet difficultatis. Nam S. Hieronymus, Præfat. *in Esdram*, ait eum continere somnia usque a Sixto Senensi, lib. I *Biblioth.*, Pererio in *Danielem*, pag. 897, Bellarmino, loco jam citato, hic liber vocatur fabulosus, ac falsitatis et mendacii arguitur, videturque olere fabulas, maxime Thalmudicorum: sed revera nihil in eo reperi, quod aperte falsitatis convinci possit, quodque non commodum et verum admittat sensum, si presse verba capias.

Nam quod primo objiciunt, cap. IV, vers. 35, 36, 41, dici animas sanctorum detineri in inferno in promptuariis, donec impleatur numerus electorum Dei, qui est error Vigilantii et Calvini: Respondeo, falso id ei impingi; nam vers. 35 et 36, tantum dicit animas esse in promptuariis, et exspectare mercedem, scilicet plenam et perfectam, quæ eis obtinget in resurrectione communi, completo electorum numero. Rursum, vers. 41, dicit eas esse in promptuariis in inferno, scilicet limbo patrum, vel purgatorio, quorum utrumque verum est: non enim dicit eas in inferno detinendas, donec compleatur electorum numerus. Quare locus hic citatur et probatur a S. Ambrosio, lib. *De Bono mortis*, cap. X, nec majorem habet difficultatem, quam ille *Apocal.* VI, de animabus sub altari; imo S. Joannes ibi huc et ad cap. XV, vers. 8, allusisse videtur.

Objicitur *secundo* et maxime quod cap. VI, vers. 49 et seq., dicitur Deus die quinto geneseos mundi conservasse duas animas, nomine uni Henoch, alteri Leviatan: et quia aquæ non poterant utrumque capere, ideo Deum dedisse Henoch aridam, quæ videtur fabula Thalmudica. Respondeo hinc quidem Thalmudicos fabulæ suæ de piscibus, unare et feruna, et bove immensæ magnitudinis mactandis in adventu Messiæ ad epulum omnium Judæorum, occasionem sumere et detorquere potuisse; sed nil tale habet ille locus; et perinde rejiciendus esset *Psalm.* CIII, nam ejus vers. 26, ad eamdem fabellam abutuntur, ut et passim alias Scripturas nugis suis contaminant. Possetque sic explicari vere hic locus, dicendo Deum die quinta mundi conservasse duas animas, quas illo die creavit, genericas scilicet, id est duo genera animarum, sive animalium, aves nimirum et pisces: aut si *determinatam* mavis speciem, struthionem aut gryphem avium maximam, et balænam maximum piscium: uni, avibus scilicet, dedit nomen Henoch, id est dedicatus, vel initiatus, quia aves fuerunt primum vivens animal creatum a Deo, earumque creatione ex aquis quasi dedicatæ sunt aquæ; et quia aqua piscium et avium matrix utrasque capere non poterat, ob disparem utriusque complexionem, ideo Deus Henoch, id est avibus et grypho, terram assignavit. Deinde potest responderi aliud hic latere secretum, aut mysterium nobis occultum. Similia enim multa symbolica sunt *in Daniele et Apocalyps.*, et similis iis moveri posset de Behemoth et Leviatan, *Job.* XL.

Objicies *tertio*: Cap. VII, vers. 28, dicere videtur post annos 400 venturum Christum, et occidendum, cum tamen ab Esdra ad Christum sint fere 500 anni. Respondeo, verum dicere eum, qui post 400 annos aliquid futurum dicit, licet post 500 futurum sit: sæpe enim præcise tempus determinare nolumus; et forte alludit ad 70 hebdomadas Danielis (hæ enim cœperunt sub Artaxerxe, qui Esdram remisit in Judæam) id est 490 annos, volunique solos centenarios, utpote plenos et perfectos, exprimere.

Objicies *quarto*: Cap. XIII, vers. 40 et seq., videtur fabulari de decem tribubus inter montes Caspios a Deo conclusis, eorumque locis inaccessis. Respondeo eum ne verbum quidem habere de montibus Caspiis, sed tantum dicere tribus illas a Deo deductas sicco pede trans Euphraten: «Statuet, ait, venas fluminis (id est stare faciet, ita ut sicco pede transeantur), ut proficiscerentur in ulteriorem regionem, ubi nunquam inhabitavit genus humanum, ut ibi servarent legitima sua.»

Quod ante tempora Esdræ verum esse potuit; indeque eas miraculo reducturum, quod forte factum post tempora Esdræ, quando aliqui in Judæam redierant, aut futurum est in fine mundi. Certe ex *Isaia* cap. IX, colligitur multos in Judæa fuisse ex tribu Zabulon et Nephtalim, videlicet Apostolos, et alios tempore Christi. Similis difficultas moveri posset de loco paradisi, de transitu Jordanis et maris Rubri.

Quinto.

Objicies *quinto*: Cap. XIV, partitur omne mundi sæculum in duodecim partes, atque decem cum dimidia præteriisse, et tantum unam cum dimidio restare: hoc autem falsum est, nam mundus ante Esdram non stetit 4000 annis, et tamen post eum jam stetit bis mille annis, quod dimidium est sæculi prioris. Respondeo, has partes non esse tempore æquali mensurandas, sed dividi ab eo, alio respectu, quomodo nos sex aut septem mundi ætates dividimus: quo autem respiciat nos latet, forte ad reges 12 de quibus cap. XII, vers. 14, item *Apoc.* XVII, 10.

Similis quæstio et lis moveri posset de 70 hebdomadibus Danielis, et mille annis qui post resurrectionem assignantur *Apocal.* XX, 4, qua de causa olim nonnullis etiam orthodoxis suspecta fuit Apocalypsis; quam tamen jam constat esse Scripturam canonicam.

Objicies *sexto*: Cap. IV, vers. 1 et 38, habet peregrina angelorum nomina, Uriel et Jeremiel; cum tamen Concilium Romanum sub Zacharia, ut refert Surius in vita S. Bonifacii, mense junio, pag. 494, dicat se non nisi tria Angelorum nomina agnoscere, scilicet Michael, Gabriel, Raphael: reliqua, ut Uriel, potius esse nomina dæmonum quam Angelorum. Respondeo, Ecclesiam hæc tria Angelorum nomina sola agnoscere ex divina Scriptura, ut addit Concilium eaque sola publice celebrare et invocare, alia tamen non damnare, nisi ab hæreticis vel magis sint commenta, vel commentis inserta; qualia et quales erant contra quos agit ibi Concilium. Quis enim neget mendaces, sicuti plurimi sunt, ita et plurima habuere nomina, perinde ac dæmones? Apte autem dicitur Uriel, id est ignis, aut lux Dei; Jeremiel, id est magnitudo Dei, iisque veteres usos patet ex Aretha in cap. IX *Apoc.*

Objicies *ultimo*, librum hunc miras proferre visiones et somnia, quæ videntur ludicra et fabulosa. Respondeo, quia de iis eorumque sensu non constat, miras nobis videri, ideoque et S. Hieronymus, prolog. *in Esdram*, has dicit rejiciendas, scilicet extra canonem S. Scripturæ, sed tamen persimiles sunt eodem tempore ostensæ Ezechieli, ac postea S. Joanni in *Apocal.* imo multo magis stupendæ; quin etiam *Apocal.* ad hæc sæpe alludere videtur, ut statim patebit; et tamen constat hæc non esse ludicra. Habet quidem hic liber prophetias quasdam et historias, quarum nemo alius meminit: verum in hisce, si quis ea credere nolit, saltem suspendat eum Ecclesia judicium sunum. Non enim sequitur: Nemo alius hoc scribit, ergo verum non est. Sic enim sacræ Scripturæ, Josepho, Livio, aliisque historicis in multis fides deroganda foret.

Liber I Thalmudicorum.

Dico ergo hunc librum non esse commentum Thalmudicorum. Patet *primo*, quia Hebraice non exstat, imo nec Græce, neque ejus meminit Josephus, nec Philo, nec Rabbini et Thalmudici. *Secundo*, quia hic liber longe ætatem Thalmudicorum, qui S. Hieronymum secuti sunt, ut patet ex Genebrardi Chronologia, antecessit. Citatur enim et probatur a S. Ambrosio libro secundo *in Lucam*, et libro *De Bono mortis*, cap. X, et epist. 21 *ad Horontianum*, ubi ex hoc libro probat animæ immortalitatem. Item a S. Cypriano, epist. *ad Demetr.* Insuper ex hoc libro, cap. XIV, vers. 20 et seq., S. Basilius, epist. *ad Chilonem*; S. Hieronymus, *Contra Helvid.*; Irenæus, lib. III, cap. XXV; Tertullianus, lib. *De Habitu mulierum*; Isidorus, lib. VI *Etymol.* et alii docent Esdram spiritu Dei afflatum vetus testamentum a Chaldæis combustum, idem uti prius erat, restituisse, et de novo dictasse, hujus enim sententiæ nullum alibi est invenire indicium. Quæ sententia probabilis est; neque ex ea sequitur omnes libros sacros per totum orbem cum incendio urbis et templi periisse, sed tantum periisse in Judæa et Jerosolymis. Esdras enim in captivitate hæc scripsit, ubi difficile putabat ex aliis orbis partibus exemplaria reliqua se posse nanciscI; itaque ad Judæorum in captivitate consolationem spiritu Dei plenus eadem ad verbum dictavit, uti opinantur Patres jam citati. Sed tamen nil cogit locum illum de libris sacris accipere; imo copia librorum et distinctio satis indicat eum de aliis loqui. Rursum ex cap. IV, vers. 28, et passim alibi patet hunc librum longe ante Christum, scilicet in captivitate Babylonica scriptum. *Tertio*, quia S. Joannes *in Apoc.* sæpe ad hunc alludere videtur, ut patet conferenti cap. VI, cum IV hic, vers. 33, 36, et cum cap. XV, 8. Idem cap. XII *Apoc.* cum IX, hic vers. 8 et seqq. Ad hæc Apoc. cap. VII, cum cap. II, hic vers. 38 et 42. Denique cap. XVIII *Apoc.* cum cap. V et XVI hic.

Liber II Thalmudicorum.

Dico *secundo*: Cum hic liber a tot veteribus videatur receptus, et Ecclesia illo utatur in introitu Missæ feria tertia Pentecostes: «Accipite, inquit, jucunditatem gloriæ vestræ, gratias agentes Deo, qui vos ad cœlestia regna vocavit;» et: «Modo coronantur et accipiunt palmam,» *in Officio de Martyr.* quæ habentur hic cap. II, cumque Ecclesia hactenus illum in sacris Bibliis exeuderit, ac liber ipse habeat documenta docta, pia, gravia et illustria; denique nusquam non legentibus peccati horrorem, decrescentis mundi increscentem vanitatem et malitiam, judiciorum Dei terrorem et futuri sæculi memoriam incutiat; nihilque habeat quod non commode accipi possit; hisce, inquam, de causis, sua etiam illi concedenda videtur auctoritas. Neque mirum hanc hactenus latuisse, et etiammum latere, an sacra sit. Id enim

Deus permisit olim in omnibus libris Deuterocanonicis; imo permisit multos libros prophetarum intercidere, qui citantur in libris Regum. Sane Esdras, vel quisquis est libri Auctor, vir fuit doctus et pius, ut patet librum legenti. Unde noster Alcazar in cap. VII *Apocal.* pag. 489, littera *A* : Suspicor, inquit, librum quartum Esdræ scriptum post Apocalypsim, ejusque auctorem alludere voluisse ad Apocalypsim, sed ipsius seriem et contextum non probe tenuisse. Verum ex dictis liquet librum hunc scriptum ante Apocalypsim, ideoque S. Joannem in *Apocalypsi* ad eum alludere. Audi elegantem piamque Esdræ visionem, quam ipse recenset hoc lib. cap. II, atque persimilem illi, quam narrat S. Joannes, Apoc. cap. VII : « Ego Esdras vidi in monte Sion turbam, quam numerare non potui, et omnes canticis collaudabant Dominum. Et in medio eorum erat juvenis statura celsus, eminentior omnibus illis, et singulis eorum capitibus imponebat coronas, et magis exaltabatur : ego autem miraculo tenebar. Tunc interrogavi Angelum et dixi : Qui sunt hi, Domine? Qui respondens dixit mihi : Hi sunt qui mortalem tunicam deposuerunt, et immortalem sumpserunt, et confessi sunt nomen Dei : modo coronantur et accipiunt palmas. Et dixi Angelo : Ille juvenis quis est, qui eis coronas imponit, et palmas in manus tradit? Et respondens dixit mihi : Ipse est Filius Dei, quem in sæculo confessi sunt : ego autem magnificare eos cœpi, qui fortiter pro nomine Domini steterunt. »

Denique Auctor hujus lib. IV, cap. I, vers. 1, significat se eumdem esse cum Esdra scriba et sacerdote, qui auctor fuit libri primi; nam vocat se filium Saraiæ Pontificis, eosdemque avos et atavos recenset, quos recensuit Esdras, lib. I, cap. VII; sed Esdras ibi quindecim duntaxat avos numerat, hic vero novemdecim. Unde liquet aliquos ex eis ab Esdra omissos cap. VII. Auctor ergo hujus libri, vel fuit Esdras, vel certe Esdræ personam assumit : semper enim in Esdræ persona loquitur (1).

(1) D. Calmetus in duabus de tertio et quarto libro Esdræ dissertationibus, minus favet istis libris, licet tamen quartum tertio anteponat. Porro tertii libri auctorem Judæum hellenistam vetustissimum esse, quarti vero scriptorem sævientibus primis adversus Christianos persecutionibus vixisse asserit.

COMMENTARIA

IN TOBIAM.

ARGUMENTUM.

Quæritur primo an hic Liber sit canonicus, ut infallibilis, et divinæ sit veritatis? Respondeo, olim nonnullos Patres eum non habuisse pro canonico, eo quod non exstat in canone Hebræorum. Idem censent de libro *Judith*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici* et *Machabæorum*. Ita S. Hieronymus in *Prologo Galeato*, S. Athanasius in *Synopsi*, Nazianzenus in carm. *De libris Sacris*, Lyranus et Abulensis.

Verum jam de fide est, eum æque ac cæteros jam nominatos, esse canonicum; ita enim definivit Concilium Carthaginiense III, *Can.* XLVII, Concilium Florentinum et Tridentinum, *sess.* IV, et Gelasius primus in decreto de divinis libris, ac talem eum habuere S. Irenæus, S. Chrysostomus, S. Augustinus, Cyprianus, Ambrosius, Basilius, Clemens Alexander, Rabanus, Cassiodorus, Isidorus, et alii quos citat Bellarminus, lib. I *De verb. Dei*, cap. XI, Serarius hic, et Sixtus Senensis, lib. VIII *Biblioth.* hæresi 11 (1).

(1) Hujus libri canonicitas, præterquam nitatur Conciliorum et Patrum auctoritate, probari potest insuper : *Primo*, testimonio auctorum librorum qui vere divini et inspirati ab omnibus habentur. Auctor *Eccli.* XLIX, 15, de libro *Tobiæ*, IV, 10, 11, sententiam de fructibus eleemosynæ mutuasse videtur. Descriptio novæ Jerusalem quæ in *Apocal.* legitur, cap. XXI, e libro *Tobiæ*, cap. XIII, haud dubie desumitur. Ipse Salvator apud *Matth.* VII, 12, hujus libri *Tobiæ* sententiæ videtur alludere : « Quod ab alio alteri fieri tibi, vide ne tu alteri facias, » IV, 16; nam addendo : « Hæc est enim lex et Prophetæ, » satis clare probat se aliquem e Scripturis locum innuere voluisse.

Secundo, ipsa libri natura; quippe qui nihil nisi vere inspirati auctoris dignum continet; a Deo jubente scriptus fuit, cap. XII, 20, et duas insuper prophetias ab ipso auctore factas exhibet, unam de Jerusalem et allegoriæ de Ecclesia, cap. XIII; alteram, quam Tobias Thobiam maritus adhuc natus de eversione Ninives et Jerusalem, de dispersione et reditu Judæorum.

Tertio, imbecillitate rationum quæ divinitati hujus libri opponuntur. Nam quod liber *Tobiæ* in Hebræorum canone non completur nihil mirum, cum dici possit non fuisse repertum nisi postquam Esdræ canon, qui libros solummodo hebraice scriptos continebat, clausus fuit. Hunc equidem librum Ecclesia statim inter sacra volumina non admisit, quia primum solum Hebræorum canonem tenendum censuit; attamen illum semper ut vere divinum et honoravit et prædicavit, utque dum canonicis libris inseruit et annumeravit. Enimvero a principio, non alias Scripturas admisit Ecclesia Romana, nisi quæ in Bibliis Judæorum Hellenistarum continebantur, inter quas liber *Tobiæ* recensebatur. Adde quod vetus Italica, quæ tempore Apostolorum obtinebat, hunc etiam librum comprehendebat, et quod eum Ecclesia græca semper ut vere canonicum retinuit. Tandem S. Augustinus, licet hunc librum a Judæis non receptum fateatur, « tamen, inquit, recipit ejusdem Salvatoris Ecclesia, » lib. XVIII *De Civit. Dei*, cap. XXXVI.

Difficultates, antilogiæ, mendacia etiam quæ in hoc libro reperiretur, et probarent, juxta quosdam, Spiritus Sancti non esse fœtum, suo quoque loco enucleabuntur

(2) Doctor laba, in Universitate Viennensi S. Scripturæ olim professor, permultas difficultatibus quas in hoc libro

Historia.

Est historia non comœdia.

Quæritur secundo, quodnam sit ejus Argumentum? Respondeo, describere vitam, gesta, et mores Tobiæ utriusque, patris scilicet, et filii, qui fuere speculum probitatis, ideoque a conjugibus omnibus imitandi. Liber hic enim totus est moralis et pius, ac exemplar vitæ honestæ et sanctæ exhibet adolescentibus, præsertim sponsis, item vivum exemplum custodiæ Angelorum. Docet insuper quanta sit vis et virtus orationis, quis debeat esse usus et finis conjugii, ac qualis vita conjugatorum. Tobias ergo œconomicus est, ac longe superat œconomicos Aristotelis et Xenophontis. Denique quanta sit Dei erga suos fideles providentia, quantamque eorum curam gerat, ut per omnia eos dirigat ad optatum finem.

Cavendus est hic error Pauli Fagii, qui in sua versione Latina Tobiæ ex textu Hebræo, in præfatione asserit librum hunc non esse historiam, sed comœdiam comica ratione conscriptam, ut auctor boni patris familias in eo typum ob oculos poneret, ideoque apte ei Tobiæ nomen dederit. Tobias enim bonitatem et probitatem significat : unde alius Tobias filius patri similis editur et progignitur. Sic Xenophon scripsit Cyropædiam, ut in Cyro daret ideam boni principis, et œconomicum, ut in eo verum patrem familias describeret. Verum certum est hanc veram esse historiam, uti omnes orthodoxi censent; nam in ea nominantur tempora, personæ, anni, et acta tam Tobiæ utriusque, quam Angeli Raphaelis, Saræ, etc., quasi veræ historiæ : si enim essent hæc omnia comica et ficta, non vera et facta, liber hic excusari non posset a fuco, sed nec a mendacio (2).

Deus permisit olim in omnibus libris Deuterocanonicis; imo permisit multos libros prophetarum intercidere, qui citantur in libris Regum. Sane Esdras, vel quisquis est libri Auctor, vir fuit doctus et pius, ut patet librum legenti. Unde noster Alcazar in cap. VII *Apocal.* pag. 489, littera *A* : Suspicor, inquit, librum quartum Esdræ scriptum post Apocalypsim, ejusque auctorem alludere voluisse ad Apocalypsim, sed ipsius seriem et contextum non probe tenuisse. Verum ex dictis liquet librum hunc scriptum ante Apocalypsim, ideoque S. Joannem in *Apocalypsi* ad eum alludere. Audi elegantem piamque Esdræ visionem, quam ipse recenset hoc lib. cap. II, atque persimilem illi, quam narrat S. Joannes, Apoc. cap. VII : « Ego Esdras vidi in monte Sion turbam, quam numerare non potui, et omnes canticis collaudabant Dominum. Et in medio eorum erat juvenis statura celsus, eminentior omnibus illis, et singulis eorum capitibus imponebat coronas, et magis exaltabatur : ego autem miraculo tenebar. Tunc interrogavi Angelum et dixi : Qui sunt hi, Domine? Qui respondens dixit mihi : Hi sunt qui mortalem tunicam deposuerunt, et immortalem sumpserunt, et confessi sunt nomen Dei : modo coronantur et accipiunt palmas. Et dixi Angelo : Ille juvenis quis est, qui eis coronas imponit, et palmas in manus tradit? Et respondens dixit mihi : Ipse est Filius Dei, quem in sæculo confessi sunt : ego autem magnificare eos cœpi, qui fortiter pro nomine Domini steterunt. »

Denique Auctor hujus lib. IV, cap. I, vers. 1, significat se eumdem esse cum Esdra scriba et sacerdote, qui auctor fuit libri primi; nam vocat se filium Saraiæ Pontificis, eosdemque avos et atavos recenset, quos recensuit Esdras, lib. I, cap. VII; sed Esdras ibi quindecim duntaxat avos numerat, hic vero novemdecim. Unde liquet aliquos ex eis ab Esdra omissos cap. VII. Auctor ergo hujus libri, vel fuit Esdras, vel certe Esdræ personam assumit : semper enim in Esdræ persona loquitur (1).

(1) D. Calmetus in duabus de tertio et quarto libro Esdræ dissertationibus, minus favet istis libris, licet tamen quartum tertio anteponat. Porro tertii libri auctorem Judæum hellenistam vetustissimum esse, quarti vero scriptorem sævientibus primis adversus Christianos persecutionibus vixisse asserit.

COMMENTARIA

IN TOBIAM.

ARGUMENTUM.

Quæritur primo an hic Liber sit canonicus, ut infallibilis, et divinæ sit veritatis? Respondeo, olim nonnullos Patres eum non habuisse pro canonico, eo quod non exstat in canone Hebræorum. Idem censent de libro *Judith*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici* et *Machabæorum*. Ita S. Hieronymus in *Prologo Galeato*, S. Athanasius in *Synopsi*, Nazianzenus in carm. *De libris Sacris*, Lyranus et Abulensis.

Verum jam de fide est, eum æque ac cæteros jam nominatos, esse canonicum; ita enim definivit Concilium Carthaginiense III, *Can.* XLVII, Concilium Florentinum et Tridentinum, *sess.* IV, et Gelasius primus in decreto de divinis libris, ac talem eum habuere S. Irenæus, S. Chrysostomus, S. Augustinus, Cyprianus, Ambrosius, Basilius, Clemens Alexander, Rabanus, Cassiodorus, Isidorus, et alii quos citat Bellarminus, lib. I *De verb. Dei*, cap. XI, Serarius hic, et Sixtus Senensis, lib. VIII *Biblioth.* hæresi 11 (1).

(1) Hujus libri canonicitas, præterquam nitatur Conciliorum et Patrum auctoritate, probari potest insuper : *Primo*, testimonio auctorum librorum qui vere divini et inspirati ab omnibus habentur. Auctor *Eccli.* XLIX, 15, de libro *Tobiæ*, IV, 10, 11, sententiam de fructibus eleemosynæ mutuasse videtur. Descriptio novæ Jerusalem quæ in *Apocal.* legitur, cap. XXI, e libro *Tobiæ*, cap. XIII, haud dubie desumitur. Ipse Salvator apud *Matth.* VII, 12, hujus libri *Tobiæ* sententiæ videtur alludere : « Quod ab alio alteri fieri tibi, vide ne tu alteri facias, » IV, 16; nam addendo : « Hæc est enim lex et Prophetæ, » satis clare probat se aliquem e Scripturis locum innuere voluisse.

Secundo, ipsa libri natura; quippe qui nihil nisi vere inspirati auctoris dignum continet; a Deo jubente scriptus fuit, cap. XII, 20, et duas insuper prophetias ab ipso auctore factas exhibet, unam de Jerusalem et allegoriæ de Ecclesia, cap. XIII; alteram, quam Tobias Thobiam maritus adhuc natus de eversione Ninives et Jerusalem, de dispersione et reditu Judæorum.

Tertio, imbecillitate rationum quæ divinitati hujus libri opponuntur. Nam quod liber *Tobiæ* in Hebræorum canone non completur nihil mirum, cum dici possit non fuisse repertum nisi postquam Esdræ canon, qui libros solummodo hebraice scriptos continebat, clausus fuit. Hunc equidem librum Ecclesia statim inter sacra volumina non admisit, quia primum solum Hebræorum canonem tenendum censuit; attamen illum semper ut vere divinum et honoravit et prædicavit, utque dum canonicis libris inseruit et annumeravit. Enimvero a principio, non alias Scripturas admisit Ecclesia Romana, nisi quæ in Bibliis Judæorum Hellenistarum continebantur, inter quas liber *Tobiæ* recensebatur. Adde quod vetus Italica, quæ tempore Apostolorum obtinebat, hunc etiam librum comprehendebat, et quod eum Ecclesia græca semper ut vere canonicum retinuit. Tandem S. Augustinus, licet hunc librum a Judæis non receptum fateatur, « tamen, inquit, recipit ejusdem Salvatoris Ecclesia, » lib. XVIII *De Civit. Dei*, cap. XXXVI.

Difficultates, antilogiæ, mendacia etiam quæ in hoc libro reperiretur, et probarent, juxta quosdam, Spiritus Sancti non esse fœtum, suo quoque loco enucleabuntur

(2) Doctor laba, in Universitate Viennensi S. Scripturæ olim professor, permultas difficultatibus quas in hoc libro

Historia.

Est historia non comœdia.

Quæritur secundo, quodnam sit ejus Argumentum? Respondeo, describere vitam, gesta, et mores Tobiæ utriusque, patris scilicet, et filii, qui fuere speculum probitatis, ideoque a conjugibus omnibus imitandi. Liber hic enim totus est moralis et pius, ac exemplar vitæ honestæ et sanctæ exhibet adolescentibus, præsertim sponsis, item vivum exemplum custodiæ Angelorum. Docet insuper quanta sit vis et virtus orationis, quis debeat esse usus et finis conjugii, ac qualis vita conjugatorum. Tobias ergo œconomicus est, ac longe superat œconomicos Aristotelis et Xenophontis. Denique quanta sit Dei erga suos fideles providentia, quantamque eorum curam gerat, ut per omnia eos dirigat ad optatum finem.

Cavendus est hic error Pauli Fagii, qui in sua versione Latina Tobiæ ex textu Hebræo, in præfatione asserit librum hunc non esse historiam, sed comœdiam comica ratione conscriptam, ut auctor boni patris familias in eo typum ob oculos poneret, ideoque apte ei Tobiæ nomen dederit. Tobias enim bonitatem et probitatem significat : unde alius Tobias filius patri similis editur et progignitur. Sic Xenophon scripsit Cyropædiam, ut in Cyro daret ideam boni principis, et œconomicum, ut in eo verum patrem familias describeret. Verum certum est hanc veram esse historiam, uti omnes orthodoxi censent; nam in ea nominantur tempora, personæ, anni, et acta tam Tobiæ utriusque, quam Angeli Raphaelis, Saræ, etc., quasi veræ historiæ : si enim essent hæc omnia comica et ficta, non vera et facta, liber hic excusari non posset a fuco, sed nec a mendacio (2).

Chaldaïce conscriptus.

Quæritur *tertio*, qua lingua hic liber sit conscriptus? Paulus Fagius, natione Germanus, secta Lutheranus, suum Lutherum secutus, putat primitus Hebraice conscriptum, esseque illum, quem Constantinopoli ad se allatum asserit, quemque ipse ex Hebræo in Latinum traduxit, et typis vulgavit, idque arguere styli sinceritatem, soliditatem, et correspondentiam cum aliis libris Hebraicis; et ex Hebræo deinde translatum esse in idioma Græcum, et ex Græca in Chaldæum, ex Chaldæo denique a S. Hieronymo traductum in Latinum.

Verum Hebræus ille primogenitus Tobiæ textus, editus a Fagio, suppositilius videtur. Mirum enim est eum non fuisse a S. Hieronymo visum, qui expresse testatur hic in præfatione hunc librum non Hebræo, sed Chaldæo sermone conscriptum. Porro phrasis textus Hebræi a Fagio editi plane videtur esse alicujus mimi Rabbini, qui pueriliter ad verbum ex Græco Tobiam in Hebraicum traduxerit. Græco enim sæpe ad verbum respondet: unde ex eo traductus videtur, resectis nonnullis quæ Fagio vel traductori displicebant. Addit nonnulla ridicula, ut quod Tobias, cum curari non posset, iverit in Alemaniam, sive Germaniam, quod dederit tertias decimas pro restaurando domo, secundum legem Domini. Harum enim decimarum nulla in lege est mentio.

Fixum ergo sit ex S. Hieronymo librum hunc primitus sermone non Hebræo, sed Chaldæo fuisse conscriptum, ex quo deinde, ceu fonte variæ translationes, tam Græcæ, quam Hebraïcæ, et Syriacæ emanarunt, de quibus Serarius hic, *Prolegom.* IV.

In Assyria.

Hinc videtur liber hic in captivitate Assyriaca conscriptus: ibi enim usus erat lingua Chaldaica, in Judæa vero Hebraica. Addit Serarius, quod præter Hebræam, et Græcam illam, quæ nostræ huic Latinæ versioni respondet, alia exstat Hebræa, et Græca paulo amplior et fusior, in qua Tobias semper ἐν πρώτοις, seu in prima persona loquitur; unde merito putant aliqui Tobiam bis eamdem historiam conscripsisse, semel succincte, quam hic habemus; iterumque fusius, quæ Græce etiamnum exstat, ut dixi. Hæc posterior exstat apud S. Ambrosium et in Bibliis Complutensibus. Porro hæ versiones sæpe inter se dissentiunt. Nobis ex decreto Concilio Tridentino, *sess.* IV. sequenda est Latina vulgata potius quam Hebræa, et Græca, cum ab ea dissentit.

Auctor Tobiæ uterque.

Quæritur *quarto*, quis sit auctor libri? Respondeo: Sixtus Senensis et Serarius censent esse Tobiam utrumque: priorem enim partem scripsisse Tobiam patrem, posteriorem vero Tobiam filium; narrat enim ea quæ post mortem patris contigerunt. Probant ex cap. XII, vers. 25, ubi pro *a* narrate omnia, » Hebræa et Græca habent: *Scribite omnia hæc, quæ contigerunt, in libro*: videtur ergo Tobias pater librum hunc jussu Raphaelis Archangeli usque ad cap. XIII. scripsisse; filius vero id caput ad indicatum jam versum 16, perduxisse. Nam et in illius principio Hebraice ita scriptum: *In isto tempore scripsit Tobias ultima verba hæc in gaudio.* Tobias, inquam, filius; nam patrem, ut supra dictum, vocare solet Hebræus ille textus non Tobiam, sed Tobi, quemadmodum et statim, dum subjungit: *Et dixi Tobi: Benedictus Dominus Deus.* Quis vero sit ille tertius qui extremos duos versus addidit, mihi haud compertum, quemadmodum neque constat manum Deuteronomio ultimam quis imposuerit, etsi de Josue quorumdam est opinio.

Alii censent aliquem istius ævi scribam, ac forte Esdram, ut opinatur Sanchez, librum Tobiæ scripsisse; cum in codice Græco citatur Jeremias, quem ætate diu antecessit Tobias uterque, nisi quis dicat Jeremiæ nomen e margine in textum irrepsisse.

Quæritur *quinto*, quis et qualis fuit Tobias? Respondeo fuisse Galilæum oriundum, ex tribu et civitate Nephtali, ut patet cap. I, vers. 1. Fuisse Prophetam liquet ex cap. XIV, vers. 6 et seq., ubi prophetat instans Ninives excidium, ac Jerosolymæ felicitatem et gloriam: unde Beda in cap. XIII: « Repletus, inquit, Tobias spiritu Prophetico, de superna Jerusalem multa decantat. »

Tobias bonum ad quod homines natos docuit.

Idem docet S. Irenæus, lib. I, vers. 34, Hugo, Lyranus, Dionysius, Vatablus et alii. Porro fuit vir eximiæ patientiæ, charitatis et zeli: unde apte Tobias vocatur. Tobias enim Hebraice idem est quod *bonus Deus*, vel *bonus tuus*, vel *bonitas Dei*, ait Serarius: aut presse, *bonum meum Deus*, ait Pagninus *in Nomin. Hebr.* Tobias enim omnes res, et spes omnes, suasque opes in uno Deo reposuit, ut dicerat cum Psalmista: « Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. » *Psalm.* LXXII, 25, et cum S. Francisco: « Deus meus, amor meus, et omnia. »

Tropologice scripsit S. Ambrosius librum de Tobia contra fœneratores et avaritiam. Rursum documenta ad bonos mores spectantia, ex hoc libro collegit Petrus Berchorius Pictaviensis, lib. XVII *Moralitatum*. Allegoriam in Tobiam tradidit Beda, tom. IV.

CHRONOTAXIS.

Sedecias eorum Tobiæ patrix.

Tobias senior e Chaldæa captivus ductus est in Assyriam a Salmanasar rege, agens annum ætatis 39, ut ex textu Hebræo Serarius et Salianus colligunt; vixit in captivitate annos 63; vixit ergo universim annos 102. Excæcatus fuit anno ætatis 56, vixit cæcus annos quatuor, visum recuperavit anno 60, deinde vixit adhuc annos 42. Hæc juxta textum Latinum vulgatæ editionis, cap. XIV, vers 1, quæ nobis sequenda est. Nam juxta textum Græcum, Tobias venit in captivitatem anno ætatis 37, vixit in ea annos 128, mortuus est anno 158. Excæcatus est anno ætatis 58, vixit cæcus annos octo, visum recepit anno 66, deinde vixit adhuc annos 92.

Tobias junior, ait Serarius, sub finem libri, cum esset duorum annorum, cum patre ductus est in Assyriam. Ivit in Mediam, ibique Saram duxit uxorem, anno ætatis 23 vel 24; vixit cum vivo parente annos 65 vel 66, vixit post parentis mortem annos 99; hoc est universim annos 164 vel 165. Hæc tria ultima vera sunt, juxta textum Græcum, quem sequitur S. Ambrosius, non Latinum Vulgatum, qui nobis sequendus est, uti mox dicam.

Rursum Tobias uterque ductus est in Assyriam, anno sexto Ezechiæ regis Juda: illo enim Salmanasar, expugnata Samaria, decem tribus abduxit in Assyriam, ubi ob virtutem et probitatem charus fuit regi Salmanasar; sed a filio ejus Sennacherib post cladem in Judæa acceptam Judæos prosequente quæsitus ad necem, fugiens sese abscondit, donec post 45 dies Sennacherib a filiis occisus est, ut patet cap. I, vers. 24.

Mortuus est Manasses.

Cum ergo Tobias senior, anno sexto Ezechiæ, quo ductus est in Assyriam, fuerit 39 annorum, ut dictum est, hinc necessario sequitur eum natum esse anno 31 Oziæ regis Juda, cum anno sequente Isaias, cap. VI, vidit visionem illam augustam S. Trinitatis, et Seraphinorum illi acclamantium: « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. » Sub idem tempus cecinit Olympiades, ac nati sunt Romulus et Remus Romæ conditores. Mortuus vero est Tobias senior, anno 40 Manassis; nam si a 31 anno Oziæ numeres 102 annos (quot vixit Tobias), pervenies ad annum 40 Manassis. Ita Salianus, Serarius et Sanchez.

Filius natus anno 4 Ezechiæ, mortuus 16 Josiæ.

Tobias vero junior natus est anno 4 Ezechiæ regis Juda, sub initia urbis Romæ; mortuus vero anno 16 Josiæ regis Juda, cum esset 99 annorum. Tot enim annos ei dat vulgata editio Latina, cap. XIV, vers. 16, nam ab anno 4 Ezechiæ ad 16 Josiæ finxere 99 anni. Ita Salianus et Sanchez. At vero juxta editionem Græcam Tobias junior mortuus est anno ætatis 127: quare hoc computo, mortuus est initio regis Sedeciæ ultimi regis Judæ paulo ante excidium Jerusalem, et templi pariter a Chaldæis. Ita Serarius. Verum nobis sequenda est Latina vulgata editio ex decreto Concilii Tridentini.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Descriptio rerum gestarum, patria, virtutes sui pueri et juvenis, quam viri, ac ob eas gratum fuisse Salmanasar; sed a filio ejus Sennacherib fugere compulsum.

1. Tobias ex tribu et civitate Nephtali (quæ est in superioribus Galilææ supra Naasson, post viam quæ ducit ad Occidentem, in sinistro habens civitatem Sephet), 2. cum captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captivitate tamen positus, viam veritatis non deseruit, 3. ita ut omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptivis fratribus, qui erant ex ejus genere, impertiret. 4. Cumque esset junior omnibus in tribu Nephtali, nihil tamen puerile gessit in opere. 5. Denique cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium, 6. sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini, et ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiva sua, et decimas suas fideliter offerens, 7. ita ut in tertio anno proselytis et advenis ministraret omnem decimationem. 8. Hæc et his similia secundum legem Dei puerulus observabat. 9. Cum vero factus esset vir, accepit uxorem Annam de tribu sua, genuitque ex ea filium, nomen suum imponens ei, 10. quem ab infantia timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato. 11. Igitur cum per captivitatem devenisset cum uxore sua, et filio, in civitate Niniven cum omni tribu sua (12. cum omnes ederent ex cibis Gentilium), iste custodivit animam suam, et nunquam contaminatus est in escis eorum. 13. Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis, 14. et dedit illi potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset. 15. Pergebat ergo ad omnes qui erant in captivitate, et monita salutis dabat eis. 16. Cum autem venisset in Rages civitatem Medorum, et ex his, quibus honoratus fuerat a rege, habuisset decem talenta argenti: 17. et cum in multa turba generis sui Gabelum egentem videret, qui erat ex tribu ejus, sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti. 18. Post multum vero temporis, mortuo Salmanasar rege, cum regnaret Sennacherib filius ejus pro eo, et nitos Israel exosos haberet in conspectu suo: 19. Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, et consolabatur eos, dividebatque unicuique, prout poterat, de facultatibus suis. 20. Esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, et mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat. 21. Denique cum reversus esset rex Sennacherib, fugiens a Judæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam, et iratus multos occideret ex filiis Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum. 22. At ubi nuntiatum est regi, jussit eum occidi, et tulit omnem substantiam ejus 23. Tobias vero cum filio suo et cum uxore fugiens, nudos latuit, quia multi diligebant eum. 24. Post dies vero quadraginta quinque occiderunt regem filii ipsius, 25. et reversus est Tobias in domum suam, omnisque facultas ejus restituta est ei.

1. TOBIAS EX TRIBU ET CIVITATE NEPHTALI. — In Græco additur Tobiæ genealogia hoc modo: *Liber sermonum Tobiæ, filii Tobiel, filii Ananiel, filii Adiel, filii Gabael de semine Asiel*, addit Hebræus *filii Nenathiel*; ergo *Tobias* pater fuit *Tobiel*, avus *Ananiel*, proavus *Aduel*, vel forte *Adiel*, abavus *Gabael*, tritavus *Asiel*, tetartavus *Nenathiel*. Avia paterna fuit Debbora, sic enim vers. 8, in Hebræo et Græco legitur: *Sicut mandaverat mihi Debbora mater patris mei, propterea quod a patre meo relictus sum orphanus.* Hæc ergo avia probe et pie educavit Tobiam, ut ipse suam probitatem illi debeat. Sic Macrina discipula S. Gregorii Thaumaturgi, avia S. Basilii, eum cum fratribus et sorore Macrina educans in omni virtute insignem effornavit, magnumque effecit. Simili modo Ludmilla enutriens S. Wenceslaum ducem Bohemiæ, eum sanctum et martyrem reddidit.

Porro Tobias fratrem habuit Anaelem, cujus filii duo Achiacharus, et Nasbas, vel Nabac nominantur in Græco, vers. 8, de quo plura vers. ult. Denique ex *et liber sermonum Tobiæ* liquet Tobiam hujus libri esse auctorem, ideoque Tobias hic in Græco et Hebræo deinceps semper loquitur in prima persona dicens: *Ego Tobias in viis veritatis ambulavi*, etc. Rursum hinc patet librum hunc ab eodem bis fuisse conscriptum; primo Chaldaice, sed breviter, ex quo S. Hieronymus nostram vulgatam Latinam traduxit; secundo etiam Chaldaice (licet Serarius malit Hebraice, idque bis scilicet semel a patre Tobia, et secundo ab ejus filio), sed fusius, ex quo traducta est versio Græca, nisi malis initio fusius conscriptum, deinde ab ipso auctore, vel alio quopiam fuisse nonnihil abbreviatum.

EX TRIBU ET CIVITATE — quæ a tribu idem nomen accepit, ideoque κατ᾽ ἐξοχήν, ut habent Græca Complutensia (licet Romani habeant κώμης, quæ vox quid significet, ignoratur), id est proprie, vocetur « Nephtali, » ex qua prognati fuere plures Christi discipuli et Apostoli, ut patet *Isaiæ* IX, 1, quorum typus et forte parens fuit noster Tobias.

IN SUPERIORIBUS (regionibus) GALILÆÆ, — e quibus scilicet Jordanis exoriens, quasi e superiore loco in inferiorem defluit, ideoque una Galilæa superior, altera inferior dicitur. Sicut Germania superior dicitur ea quæ adjacet Rheno nascenti, indeque quasi e superiore in inferiorem locum (qui exinde Germania inferior dicitur) defluenti, sit Serarius.

Galilæa supe- rior quæ?

Galilæa superior dicitur quoque Galilæa gentium, quia pars ejus a Salomone data fuit gentili regi Tyri Hiram, indeque a Tyriis et aliis gentibus incolebatur. Eidem dicitur quoque Samaria, quia reges Israel dominantes in Samaria, quasi metropoli, Galilæam sibi habebant subjectam; alioqui Samaria, proprie non erat Galilæa, sed inter Galilæam et Judæam erat interjecta.

Thesbe patria Tobiæ et Eliæ.

Porro urbs hæc Nephtali, in qua natus est Tobias, in Græco vocatur Thesbe, in qua natus est Elias, indeque dictus Thesbites. Ita Salianus, Serarius et alii, licet Adrichomius Thesbe collocet in tribu Gad non Nephtali.

2. CUM CAPTUS ESSET IN DIEBUS SALMANASAR. — Græce corrupte vocatur *Enemassar*. Captus est ergo Tobias anno sexto Ezechiæ regis Juda, qui fuit nonus, et ultimus Osee regis Israel, quo Salmanasar decem tribus, ac inter eos Tobiam abduxit in Assyriam, lib. IV *Reg.* XVII et XVIII, licet enim pater Salmanasaris, puta Teglatphalasar multos ex decem tribubus jam ante abduxisset, tamen multos pariter in Samaria et Nephtali reliquit, quos omnes tandem abduxit Salmanasar.

VIAM VERITATIS (scilicet viam veræ fidei et religionis æque ac charitatis et virtutis) NON DESERUIT, — *q. d.* inter idololatras solus fere Tobias mansit verus piusque Dei cultor. Magnæ hoc fuit constantiæ et virtutis, quam jam imitantur Catholici in Anglia, Scotia, Saxonia, etc., ideoque laurea cœlesti digni, utpote nobiles illustresque fidei athletæ. « Platonem non accepit nobilem philosophia, sed fecit, » ait Seneca, *epist.* 44. Hebræorum est proverbium: « Myrtus semper est myrtus, etiamsi inter urticas sit. » Vide S. Gregorium, lib. I *Moral.* cap. 1: « Sicut, ait, gravioris culpæ inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconii bonum etiam inter malos existisse. » D. Bernardus, serm. 48 *in Cantica*: « No mediocris, ait, titulus perfectæ virtutis, inter pravos vivere bonum et inter malignantes innocentiæ retinere candorem. » Exempla sunt in Machabæis, Job, Loth, quem idcirco laudat S. Petrus, II *Epistolæ*, cap. II in Noe et Abraham, et in Philippensibus cap. II, in Pergamenis, *Apoc.* II.

Myrtus est myrtus inter urticas.

3. ITA UT OMNIA, QUÆ HABERE POTERAT, QUOTIDIE CONCAPTIVIS FRATRIBUS (Israelitis) QUI ERANT EX EJUS GENERE, IMPERTIRET, — tum ut eorum captivitatem solaretur, tum ut eorum fami et paupertati succurreret, tum ut eos in vera fide et religione conservaret, ne illi desciscerent ad idola Assyriorum, ut ab eis vitæ subsidia impetrarent. Laudatur hic Tobias ante conjugium a septem virtutibus: *primo*, a constantia in fide; *secundo*, a charitate in suos cives et contribules, vers. 3; *tertio*, quod fugerit malorum consortia vers. 5; *quarto*, ab observantia legis divinæ, vers. 6; *quinto*, a pietate in Deum, ibidem; *sexto*, quod fideliter Deo offerret omnes decimas et primitias, ibidem; *septimo*, quod a puero cætera legis præcepta servaret, vers. 8.

Virtutes Tobiæ ante con- jugium.

4. CUMQUE ESSET JUNIOR OMNIBUS (omnium), NIHIL TAMEN PUERILE GESSIT IN OPERE. — Idem fecit S. Malachias Hiberniæ Episcopus; nam ut in ejus Vita scribit S. Bernardus: « Agebat senem moribus, annis puer, expers lasciviæ puerilis. » Et unum quoddam subjungit: « Quod non modo bonæ, sed et magnæ cujusdam insigne spei in puero dedisse indicat. Cum enim exactus opinione magistri cujusdam, ad eum litterarum discendarum causa venisset, eumque subula ludentem, et sulcos, nescio quos, in pariete facientem vidisset, eo, inquit, solo visu offensus puer serius, quod levitatem redoleret, resiluit ab eo. » Talem etiam describit Nazianzenus, *orat.* 20, S. Basilium.

Senectus puerilis et puerilis senectus.

Aureum est dogma S. Augustini in *Psal.* CXII: « Sit, inquit, senectus vestra puerilis, et sit puericia senilis, id est, ut nec sapientia vestra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia, ut laudetis in Dominum ex hoc nunc, et usque in seculum. » Nam ut de nonnullis queritur Seneca, *epist.* 4: « Auctoritatem habemus senum, vitia puerorum, nec puerorum tantum, sed infantium. Illi levia, hi falsa formidant, nos utraque. »

5. CUM IRENT OMNES AD VITULOS AUREOS (a Jero- VERS. 5.

boam primo rege Israelis deos erectos et evectos, lib. III *Reg.* XII, 28], HIC SOLUS FUGIEBAT CONSORTIA OMNIUM, SED PERGEBAT IN JERUSALEM, — ad Deum verum adorandum in templo. « Solus, » hoc est pene solus, nam Hebræus et Græca addunt cum eo fuisse Ananiam et Jonathan. Tobias ergo fuit quasi sol Israelis; sol enim dictus est, eo quod solus lucet. S. Epiphanius, *hæresi* 30, Josephum a Constantino Magno comitem creatum dilaudat, quod Scytopoli « solus ipse orthodoxus esset, » ceteri vero omnes Ariani. S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 20, laudat S. Basilium quod secum corruptos Athenienses Academiæ mores deviarit. « Et quis, ait, fluvius per salsum mare dulcis fluens, restitur, si quod in igne, quo omnia consumuntur, animal salitare, id nos inter omnes adolescentes, pravos scilicet et corruptos eramus. » Et quia multorum risus et convicia sunt audienda, admonet Epictetus, *Enchirid.* cap. XIX : « Sapientiæ, inquit, studium suscipere cupis? Ad hoc te ipsum statim para, ut deridearis, quasi te subsannaturi sint multi, et quasi dicturi : Iste nobis repente philosophus advenit; et unde nobis hoc supercilium? » Addit loco citato Nazianzenus, « Cum sodalibus versabantur, non petulantissimis, sed temperatissimis; non pugnacissimis; sed maxime pacificis, et quibuscum agere utilissimum, scientes facilius esse militiam a sociis accipere, quam virtutem eis dare, cum et proclivius sit morbi participem fieri, quam sanitatem largiri. »

Vix erat prudentiæ, inquit, studium suscipere cupis? Ad hoc te ipsum statim para, ut deridearis, quasi te subsannaturi sint multi, et quasi dicturi : Iste nobis repente philosophus advenit; et unde nobis hoc supercilium? Vix esset prudentiæ, inquit, studium suscipere cupis? Ad hoc te ipsum statim para, ut deridearis, quasi te subsannaturi sint multi, et quasi dicturi : Iste nobis repente philosophus advenit; et unde nobis hoc supercilium?

PERGEBAT IN JERUSALEM, — addit Græcus *in festa* scilicet tribus anni præcipuis, nimirum Paschæ, et Pentecostes, et Tabernaculorum, uti jubet lex, *Exodi* XXIII, 24.

7. IN TERTIO ANNO. — Erat hoc tertium decimarum genus a lege præscriptum, *Deut.* XIV, 22. Vide quæ ibidem de tribus decimis annotavi.

Hæ fuere septem illustres Tobiæ virtutes ante conjugium, sequuntur totidem post conjugium, nimirum *prima*, pia filii institutio, vers. 9; *secunda*, abstinentia a cibis gentilicæ, vers. 12; *tertia*, quod memor fuerit Dei in toto corde suo, vers. 13; *quarta*, quod captivis monita salutis darei, vers. 15; *quinta*, quod Gabelo egenti magnum argenti pondus mutuarit, vers. 17; *sexta*, quod in persecutione Sennacherib suos animarit, omnique ope et opera adjuverit, vers. 19; *septima*, quod esurientes aluerit, nudos vestiverit, et mortuos sepelíverit, vers. 20.

Tobiæ 7 virtutes post conjugium.

9. CUM VERO FACTUS ESSET VIR, ACCEPIT UXOREM ANNAM, — virilem enim ætatem, et fortitudinem exigit conjugium, tum ad prolem validam generandam, tum ad labores, et onera conjugii et familiæ fortiter subeunda. Sapienter Pindarus, et ex eo Athenæus, lib. XI *De cœnis Sapientum* : « No, inquit, actionem aliquam prosequaris animi maturiorem numero annorum tuorum, » hoc est, ne ante justam ætatem connubium meas. Audi Aristotelem, lib. VII *Polit.* cap. XVI : « Est autem adolescentum conjunctio improba ad filiorum procreationem, in cunctis enim animalibus juveniles partus imperfecti sunt, et feminæ crebrius quam mares, et parva corporis forma ejiciuntur : quocirca necesse est hoc idem in hominibus provenire. Hujus autem conjectura fuerit, quod in quibuscumque civitatibus consuetudo est adolescentes mares, puellasque conjugari, in eisdem inutilia, ac pusilla hominum corpora existunt, in partu quoque laborant magis puellæ, ac pereunt plures. » Et paulo post : « Ad continendam quoque utile est nuptias fieri seriores; intemperatiores enim esse videntur, cum puellæ Veneri assuescunt. At musculorum corpora crescere impeditur, si adhuc augescente semine consuetudinem ineant. » Verum ob ardores juventutis et periculum incontinentiæ, multis salutarius est tantum ætatem non exsuperare, sed citius uxorem ducere.

Vers. 9. Virilis ætas matura conjugium.

10. FILIUS (suum) AB INFANTIA DEUM TIMERE DOCUIT, ET ABSTINERE AB OMNI PECCATO. — Idem filios suos docuit David, *Psalm.* XXXIII, 12, et Salomon, *Prov.* IV, 4, et *Eccli.* cap. XXX, vers. 1 et *seq.* Sic S. Blanca filio suo S. Ludovico, Franciæ regi, hoc crebro inculcabat : « Fuge peccatum : malo te videre agentem animam, quam peccatum lethale in Deum tuum admittentem. »

12. CUM OMNES EDEBENT EX CIBIS GENTILIUM (puta idolothytis, id est iis quæ idolis fuerant immolata, vel lege Mosaica vetitis, uti erat caro porcina, etc.), ISTE NUNQUAM CONTAMINATUS EST. — Idem fecit Daniel, cap. I, Eleazarus, et Machabæi, lib. II *Machab.* cap. VI et VII, qui maluerunt ab Antiocho excarnificari, et in sartagine frigi, quam suillam lege vetitam edere.

13. ET QUONIAM MEMOR FUIT DOMINI (et omnium præceptorum ejus) IN TOTO CORDE SUO, — ut totum cor applicaret, et daret ad cognoscendam et exsequendam in omnibus Dei legem et voluntatem, hinc Deus ei vicem, et gratiam rependit; nam, ut sequitur :

DEDIT ILLI DEUS GRATIAM IN CONSPECTU SALMANASAR REGIS. — Ex hac gratia regis tria ab eo insignia accepit beneficia. *Primum* carnificiar, vers. 14 : « Et dedit, inquit, illi potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset, » qua libertate optime usus est Tobias, obeundo domos Hebræorum, eisque monita salutis dando, ut sequitur.

Tria Salmanasar regis principia beneficia.

Secundum fuere ampla dona et munera, adeo ut ex eis decem talenta tradiderit Gabelo, ac copiosus in egentes Hebræos eleemosynas fecerit, ut patet vers. 19 et 20. Fuit ergo Tobias ex regiis donis et officio, de quo mox, dives et opulentus.

Tertium addunt Græca, quæ habent, *et fuit emptor Regis*, Græce ἀγοραστὴς, id est omnium, quæ ad regem spectarent, emptor et procurator, sive esset annona, sive vestes, sive equi, sive arma, sive prædia, etc.; fuit ergo Tobias dispensator domus regiæ, uti fuit Joseph Pharaonis, *Genes.* XLV, unde Hebræa habent : *Constitutus fuit super omnia quæ habuit Salmanasar.* Fuit igitur Tobias œconomus regius, quæ prima est in aula regia dignitas, ideoque honorata, et magni stipendii lucrique : ex quo proinde Tobias evasit locuples, ut omnibus Hebræis egentibus sua liberalitate succurreret.

16. ET EX HIS QUIBUS HONORATUS (id est muneratus et ditatus) FUERAT A REGE, HABUISSET DECEM TALENTA ARGENTI. — Nonnulli, ait Serarius, decem hæc talenta confecisse putant 3072 coronatos Francicos; alii sexies mille, eo quod uni talento dent coronatos sexcentos; alii, ut Cardanus, libro *De Libris suis*, uni talento dant ducatos quingentos, unde decem talenta facerent quinque millia ducatorum. Nil enim certi hic assignari potest, eo quod ignoremus an talentum hoc fuerit Babylonicum, an Persicum, an Hebræum : sed certum est ingentem fuisse summam plurium millium aureorum; unde patet Tobiæ opulentia, æque ac charitas et liberalitas in Gabelum, aliosque Hebræos inopes.

17. ET CUM MULTA TURBA GENERIS SUI (gentis suæ) GABELUM EGENTEM VIDERET, QUI ERAT EX TRIBU EJUS (Nephtali) SUB CHIROGRAPHO (prudenter, ut sibi cautum foret de debito) DEDIT ILLI MEMORATUM FONDES ARGENTI. — Pro « dedit, » Græce est ἐφόδιον, id est *deposuit*, quasi hæc pecunia fuerit depositum datum Gabelo ut illud servaret, donec Tobias illud repeteret, et in egenos Judæos, in Rages et Media degentes, distribueret; ita tamen, ut Gabelo potestatem faceret eo utendi pro urgenti necessitate sua : quare depositum hoc fuit simul et mutuum; sed nullam mutui usuram exegit Tobias, imo nec quidpiam petiit pro lucro sibi cessante et damno emergente, ait S. Ambrosius, lib. *De Tobia*, cap. XXIV : « Non pignus quæsivit, non fœnus foris poposcit. » Et cap. II : « Plus honestati quam necessitati consulens cui sua decrant, alimoniam commodaverat proximo suo, quam toto vitæ suæ tempore in tanta indigentia non reposcit. Ubi se fessum vidit, ut depositum senectuti, insinuavit filio : non tam cupiens commodatum reposcere, quam sollicitus ne fraudaret heredem. » Vide hic charitatem et liberalitatem Tobiæ.

18. POST MULTUM VERO TEMPORIS, MORTUO SALMANASARE, CUM REGNARET SENNACHERIB FILIUS EJUS PRO EO, ET FILIOS ISRAEL EXOSOS HABERET, — ab initio regni sui, sed maxime post acceptam cladem 185 millium cæsorum ab Angelo in Judæa, anno 14 Ezechiæ regis Juda.

19. TOBIAS QUOTIDIE PERGEBAT PER OMNEM COGNATIONEM SUAM, ET CONSOLABATUR EOS, DIVIDEBATQUE UNICUIQUE, PROUT POTERAT, DE FACULTATIBUS SUIS.

20. ESURIENTES ALEBAT, NUDISQUE VESTIMENTA PRÆBEBAT, ATQUE OCCISIS SEPELIEBAT SOLLICITUS EXHIBEBAT. — Ecce hæc sunt opera pietatis, et misericordiæ tum corporalis quam spiritualis, in quibus opes et vires suas pie sanctoque exhausit Tobias, ob quæ martyrii spem, ac pene rem, et laureum consecutus est; uti S. Januarius, S. Marius et Martha cum filiis, pluresque alii visitantes, alentes et sepelientes martyrum corpora, martyrii coronam adepti sunt.

Tobias æmulator fuit S. Malachiæ Episcopus Hiberniæ, de quo ita scribit S. Bernardus in ejus Vita post initium : « Denique cura erat ei maxima in sepeliendis defunctis pauperibus, quod hoc sibi non minus humilitatem sapere, quam humanitatem. Nec defuit novo nostro Tobiæ rediviva a muliere tentatio, imo a serpente per mulierem. Germana ejus indignitatem (ut sibi videbatur) officii exhorrens : Quid facis (inquit) o insane? Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Et hoc illi quotidie exprobrans ingerebat, sed respondebatur mulieri stulte, juxta stultitiam suam. Misera, tu eloquii casti vocem tenes, sed virtutem ignoras. Ita ministerium ad quod coactus accesserat, devotus tamen, indefessus exercuit. »

22. AT UBI NUNTIATUM EST REGI (Sennacherib), JUSSIT EUM OCCIDI, ET TULIT OMNEM SUBSTANTIAM EJUS. — Tobias ergo spolium bonorum omnium, ac fugam, et exilium, quin et sententiam mortis pro fide et charitate sua libens accepit, fuit igitur ipse confessor, et voto martyr. Audi S. Ambrosium, lib. *De Tobia*, cap. I : « Ob virtutes scilicet agendas quibus prædītus fuerat, subiit ærumnam captivitatis, quam ferebat humiliter ac patienter, communem magis injuriam, quam privatam dolens; nec sibi virtutum suffragia nihil prodesse deplorans, sed magis eam contumeliam minorem suorum peccatorum pretio arbitratus. »

Vers. 22.

Pie et sapienter S. Bernardus *in Sentent.* : « Martyrium sine sanguine, ait, triplex est : Paucitas in ubertate, quam habuit David et Job; largitas in pauperiate, quam exercuit Tobias, et vidua in Evangelio; castitas in juventute, qua usus est Joseph in Ægypto. »

23. TOBIAS VERO CUM FILIO SUO ET CUM UXORE SUA FUGIENS, NUDES LATUIT. — Hebræus habent Tobiam delituisse per dies novemdecim.

Vers. 23.

24. POST DIES VERO 45 (a clade accepta, et fuga ex Judæa) OCCIDERUNT REGEM FILII IPSIUS. — Vide dicta IV *Reg.* XXVII, 21.

Vers. 24.

25. ET REVERSUS EST TOBIAS IN DOMUM SUAM OMNISQUE FACULTAS (optima) RESTITUTA EST EI. — Quæ nimirum adhuc supererat. Nam multa fuisse ab officialibus regis, satellitibus et militibus consumpta, direpta, distracta, dissipata, liquet ex eo quod Anna uxor Tobiæ texendo quæsierit victum, ut dicitur cap. II, 19. Unde S. Ambrosius, cap. I : « Vix tandem, inquit, per amicum potuit, direpto patrimonio, egenus et exsul restitui suis. » Vix nota ei *per amicum*; nam Hebræa et Græca addunt Tobiam bonis suis restitutum fuisse per Achiacharum, sive Akakarum, nepotem suum, qui in magna erat gratia et honore apud Asarhaddon (quem Græca vocant Sarchedon) filium et successorem Sennacherib. Achiacharus enim (quem Noster, cap. XI, vers. 20, vocat Achior) erat filius Anaelis, qui erat frater Tobiæ, quem Asarhaddon constituit

Vers. 25. Achior.

tuit *primo*, suum pincernam; *secundo*, ab annulo regio, ut quasi sigillifer eo litteras regias obsignaret, qualis fuit Mardochæus apud Assuerum, *Esther*, cap. VIII; *tertio*, totius imperii Assyriorum Διοικητὴν, id est gubernatorem; *quarto*, rationibus omnibus præfectum, seu Rationalem; *quinto*, secundum a se sive vicarium suum, ut habent Hebræa et Græca. Quinque Tobiæ honores.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tobias ex sepultura fessus, et obdormiens stercore hirundinum excæcatur: unde ab uxore et amicis convicia affectus, omnia, quasi alter Job, mira excipit patientia.

1. Post hæc vero, cum esset dies festus Domini, et factum esset prandium bonum in domo Tobiæ, 2. dixit filio suo: Vade, et adduc aliquos de tribu nostra, timentes Deum, ut epulentur nobiscum. 3. Cumque abiisset, reversus nuntiavit ei unum ex filiis Israel jugulatum jacere in platea. Statimque exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, jejunus pervenit ad corpus: 4. tollensque illud portavit ad domum suam occulte, ut dum sol occubuisset, caute sepeliret eum. 5. Cumque occultasset corpus, manducavit panem cum luctu et tremore, 6. memorans illum sermonem, quem dixit Dominus per Amos prophetam: Dies festi vestri convertentur in lamentationem et luctum. 7. Cum vero sol occubuisset, abiit, et sepelivit eum. 8. Arguebant autem eum omnes proximi ejus, dicentes: Jam hujus rei causa interfici jussus es, et vix effugisti mortis imperium, et iterum sepelis mortuos; 9. sed Tobias, plus timens Deum quam regem, rapiebat corpora occisorum, et occultabat in domo sua, et mediis noctibus sepeliebat ea. 10. Contigit autem ut quadam die lassatus a sepultura, veniens in domum suam, jactasset se juxta parietem, et obdormisset, 11. et ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos ejus, fieretque cæcus. 12. Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et sancti Job. 13. Nam cum ab infantia sua semper Deum timuerit, et mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum quod plaga cæcitatis evenerit ei; 14. sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ. 15. Nam sicut beato Job insultabant reges, ita isti parentes et cognati ejus irridebant vitam ejus, dicentes: 16. Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas et sepulturas faciebas? 17. Tobias vero increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui; 18. quoniam filii sanctorum sumus, et vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo. 19. Anna vero uxor ejus ibat ad opus textrinum quotidie, et de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat. 20. Unde factum est ut hœdum caprarum accipiens detulisset domi: 21. cujus cum vocem balantis vir e us audisset, dixit: Videte ne forte furtivus sit, reddite eum dominis suis; quia non li et nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere. 22. Ad hæc uxor ejus irata respondit: Manifeste vana facta est spes tua, et eleemosynæ tuæ modo apparuerunt. 23. Atque his et aliis hujuscemodi verbis exprobrabat ei.

1. CUM ESSET DIES FESTUS. — Pentecostes, ut habent 11 Hebræa et Græca. Hoc enim die præcipue exercendum operibus charitatis, hinc enim sunt dicti Spiritus Sancti, cujus festum celebratur in Pentecoste, *Act.* II, 1 et seq.

4. ET CUM SOL OCCUBUISSET, CAUTE (occulte, ne quis eum apud regem accusaret, itaque vitæ periculum adiret, uti fecerat cap. I, vers. 22), SEPELIRET EUM. — « Interdicto, ait S. Ambrosius, cap. I, non revocabatur magis, quam inhibebatur, ne deserere officium pietatis mortis meto videretur: erat enim cæde cordis pretium mortis pœna. » Idem lib. I *Offic.* cap. IV: « Tobias, ait, formam pietatis expressit evidentius, cum relicto convivio mortuos sepeliret, et ad cibos pauperis mensæ invitaret inopes. » Et S. Augustinus, lib. *De cura pro*

mortuis, cap. I et seq.: « Tobias, ait, sepeliendo mortuos Deum promeruisse, teste Angelo, commendatur. » Sepultura enim est ultimum misericordiæ officium, naturæ debitum, quasi honor defuncti et cognatorum solatium, ac naturæ desiderium. Audi S. Ambrosium hic, cap. I et II: « Magnum hoc opus. Si viventes operire nudos præcipimur, quanto magis debemus operire defunctorum corpora? Si viantes ad longiora deducere solemus, quanto magis in illam æternam domum profectos, unde jam non revertentur? Nihil hoc officio præstantius, ei conferro, qui tibi jam non potuit reddere, vindicare a volatilibus, vindicare a bestiis consortem naturæ. Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus dedisse produntur, homines negabunt? »

Adde fidelibus sanctis sepelienda esse corpora, ut per hoc protestemur fidem et spem resurrectionis, scilicet ea non abjici, ut cadavera equorum et canum, quorum animæ cum corpore intereunt, sed sepeliri, ut resurrectura in anima, et corpore ad vitam immortalem. Rursum per sepulturam virtuti sanctorum et martyrum magnus defertur honos: unde tanta Pontificibus primis sepelendi martyres cura exstitit; imo S. Nicomedes sepeliendo corpus S. Feliculæ Martyris, et S. Justinus presbyter S. Laurentii, aliique plures per sepulturam martyrum, martyrii lauream adepti sunt.

Sic Marcianus, postea cum in corpus recens occisi incidisset, illudque sepelire vellet, captus est quasi ille eum occidisset, ideoque damnatus ad mortem; sed Dei providentia factum, ut deprehenderetur cædis auctor, itaque Marcianus liberaretur, inquit Evagrius, lib. II, cap. I. Atque hoc opere meruit Marcianus evehi ad imperium, fierique maritus S. Pulcheriæ sororis Theodosii Imperatoris, quo proinde nullus melior, nullus fortior, nullus pientior fuit Imperator: ita Baronius anno Christi 450.

10. CONTIGIT AUTEM UT QUADAM DIE (Græce, *eadem illa nocte*, quia scilicet diem Pentecostes, de qua vers. 1 subsecuta est), JACTASSET SE JUXTA PARIETEM. — Hebræus addit: *Nec statim ingressus eum domum meam, eo quod pollutus essem super mortuo* (ex contactu mortui quem sepelierat juxta legem *Numer.* XIX, 11 et 16); *sed dormivi, apertis oculis, extra atrium juxta parietem* sub dio, ubi hirundines nidificant, et stercora in humum egerunt, itaque omnia communiunt (1).

11. ET EX NIDO HIRUNDINUM DORMIENTI ILLI CALIDA STERCORA INCIDERENT SUPER OCULOS EJUS, FIERETQUE CÆCUS. — « Hirundinum: » Græca habent χελιδόνια, id est *passeres*; sed Septuaginta στρουθία vertunt pro Hebræo שיקורים *sipporim*, id est aves, ut Vatablus vertit. Has autem aves ex circumstantiis loci optime Noster intellexit fuisse hirundines; harum enim stercora oculos excæcant: unde et alter textus Hebræus hic habet דרור *deror*, id est, avis libera, puta hirundo, quæ libere volat, et libere cum hominibus conversatur, et in tectis nidulatur, ait R. David. Unde illud Pythagoræ symbolum: « Hirundines sub eodem tecto ne habeas, » hoc est, cave a commercio garrulorum et susurronum, uti ex Aristotele explicat S. Hieronymus *in Apol. contra Ruffinum*, et Clemens Alexandrinus, lib. V *Strom.* cap. III. Sic et a Latinis subinde quælibet aves nominantur passeres, ut ostendit hic Serarius (2).

HÆRETIQUE CÆCUS, — quia hirundinum stercus est siccum, calidum et urens, ideoque humorem oculorum siccat, itaque naturaliter excæcat (3). Ita Franciscus Valesius, *Sacræ Philos.* cap. XLII. Minus recte ergo Lyranus hanc excæcandi vim negat stercori hirundinis. Probabilius Dionysius et Valesius censent Tobiam non fuisse excæcatum, sed albuginem et membranam duntaxat oculis ejus obductam fuisse: quam subinde chirurgi acu deducentes, oculos suæ libertati visuique restituunt, de qua re plura cap. VI, vers. 9. Porro hoc de causa pulli hirundinum inter parentum stercora versantes excæcantur, sed a parentibus rursum visus eis redditur per herbam quæ dicitur chelidonia. Audi Tertullianum, lib. *De pœnitent.* cap. XIV: « Hirundo, si excæcaverit pullos, novit filicea oculare rursus de sua chelidonia. » Et Plinium, lib. VIII, cap. XXVII: « Chelidoniam visui saluberrimam hirundines monstravere, vexatis pullorum oculis, illa medentes. » Et lib. XXV, cap. VIII: « Hæc (chelidonia) hirundines oculis pullorum in nido restituerunt visum, ut quidam volunt, etiam erutis oculis. » Pulli hirundinum sanantur chelidonia.

Mirum hoc est, æque ac illud, quod idem scri-

(1) Nec mirum alicui videatur, si Tobias apertis oculis dormierit; nam quibusdam hoc in consuetudine est, ut leporibus, verbi gratia his apud quos palpebrarum musculus (orbicularius dictus) parvus laborat, ex qua evenit ut palpebra superior esse retrahat; et oculi orbem apertum ostendat, quod quidem morbus a medicis *lagophtalmia* vocatur.

(2) Sive Tobias casu oculos aperuerit, sive ita dormire soleret, inquit Calmetus, sive clamis oculis resolutus fuerit in somnum, facile intelligitur hirundinis stercore ejus oculos vitiari potuisse. Res in expedito est si apertis oculis recubuit, neque major difficultas si clausis oculis stercora decidit. Nam lapso super palpebras stercore, acris humor per angulos oculorum sese insinuavit, ut afflictione manus, ut naturaliter fit, acutissimam inflammationem produxit, ex qua cæcitas evenit.

(3) Quomodo istam oculorum inflammationem subsecuta est cæcitas, in promptu est dicere: Juxta optionem probabiliorem salva remanserunt nervus opticus, pupilla et humor dictus aqueus vel vitreus, sed cornea tunica, superinducta est parvula membrana, quæ tunicis radios intercludebat, qui morbus dicitur *albugo*, quia plerumque ipsam tunicam cornæam albugines obducunt, et eam periuciditate orbant; sive concrescere dicuntur ex humoribus coagulatis, sive sint membranulæ ibi succrescentes et oculum excæcantes. Non tamen casu id evenisse viro sancto putandum, maxime ut utroque simul oculo privaretur, sed singulari Dei providentia, ob finis qui versu sequenti explicantur.

bit Plinius, lib. X, cap. XXXVII, hirundinum oculos erutos renasci. Idem asserit Ælianus, lib. III, cap. III; ellatque Aristoteles, sed inutile. Verba enim Aristotelis, lib. VI *Histor. anim.* cap. V, sunt: « Pullorum hirundinis recentium oculi, si quis stimulo vexaverit, renascunt, et cornuli vim postea plane recipiunt. » Jam aliud profecto, ait Aldrovandus *in Hirundine*, pag. 683, est visum vexatum recipere, aliud oculos erutos renasci, quod asserit Ælianus et Plinius. Idem vero Aldrovandus, pag. 689, cinerem pulli hirundinis cum melle oculis inspersum earum caliginem aliatæ claritate dispellere, ex Dioscoride et Avicenna asseverat, imo ad idem valere fel et stercus frigidum (calidum enim acre est et uritens, unde Tobiam excæcavit) hirundinum ex Alberto magno contendit. Hirundo.

Tropologice B. Petrus Damianus, lib. II *epistolarum*, epistola 12, et in ordine 33 : « Quid, inquit, leviter volitantes hirundines, nisi leves adulantium et blanda loquentium significant mores? qui, dum blandiloqui sui suavitate demulcent, dum adulationis oleo caput audientis inunguant, interiores oculos, ne soluta luce perfruantur, excæcant. »

Rursum Dionysius Carthusianus : Dormienti, ait, Ecclesiæ incidere nonnunquam ab hæreticorum hirundinum nidis stercora, et multos excæcari videmus. Porro lib. II, cap. LVI, Thomas Cantipratensis explicat quemadmodum apibus hirundines, et aves infestæ sint, id est pias, easdemque animis damones. « Potest, ait, et aliud lentationum genus, hirundinum, quarum stercore Tobias cæcatus est, vel aliarum avium vexatio designare, ut sub vanitatum specie, virtutum tenebris involvamur; verbi gratia : captat quis dives fieri, et congregare divitias, ut in fine condat uberius testamentum, faciatque heredem Christum, qui copiarum suarum derelinquit, vel dominos terræ, vel parentes, aut clientulos suos, vel raptores quoslibet nequissimos possessores. Hoc maxime in clericis videmus, quorum tamen bona pauperum esse deberent, et quæ eis omni die superfluunt, non in marsupio, vel in area, sed indigo ori familiæ, et in ventribus esurientium deberent liberaliter erogari. »

Hirundinis de

Act 12. 12. HANC AUTEM TENTATIONEM IDEO PERMISIT DOMINUS EVENIRE ILLI, UT POSTERIS DARETUR EXEMPLUM PATIENTIÆ EJUS, SICUT ET SANCTI JOB. — Tobias ergo et Job sunt duo patientiæ exempla et speculum omnibus cæcis, et afflictis assidue intuenda et imitanda; an enim mali cuipiam fideli obvenit, nisi ex certa Dei præscientia et voluntate ad eum, vel a vitiis purgandum, vel in virtute, et patientiæ perficiendum, itaque ad ejus meritum et præmia in cœlo augenda. Sic permisit bonis Jacobum Abel impietate fraterna occidi; Abrahamum charissimi filii holocausto beatari; Josephum a fratribus impie vendi; Mosen cum toto populo Israelitico crudeli Pharaonis tyrannide opprimi; Davidem implacabili regis Saulis odio subjici; Susannam impudicorum calumniis exponi; Prophetam Isaiam mediuna sera serrari; Danielem objici leonibus. Vide decem rationes, ob quas Deus permittit Sanctos affligi recensentem S. Chrysostomum, hom. 1 *ad populum*. Vere S. Augustinus, serm. 226 *De Temp.* qui est de Tobia : « Ad hoc, ait, excæcatus incurrit exitium ut Angelum susciperet medicum. »

13. NON ESSE CONTRISTATUS CONTRA DEUM, — ut murmuraret, vel quereretur, diceretque : Domine, cur permisisti me in opere mo, ob sepulturam scilicet mortuorum, ab hirundine stercorari, et excæcari? Audi S. Ambrosium, lib. *De Tobia*, cap. II : « Tam sancto fessus officio propheta, dum requiesset juxta parietem aulæ, cadeate de passerum nido stercore, albugine excitatem incidit, nec conquestus ingemuit, nec dixit : Hæc mercees laborum meorum? Fraudari magis se doluit obsequiorum, quam oculorum munere : nec excitatem posnam, sed impedimentum putabat. »

Porro Græci et ex iis S. Ambrosius addunt : *Et facta sunt aliquanto in oculis meis. Et abii ad medicos, et non profuerunt mihi; Achiacharus* (meus de fratre nepos) *autem nutriebat me, quousque profectus sum in Elymaïde*, periculi vitandi causa, de quo in fine cap. ultimi. Videtur enim Tobias post excitatem rursum ab aliquo apud regem accusatus et bonis spoliatus, sed ut habet Græcus et Hebraus, ab Achiacharo altus et sustentatus. Achiachar vero eum ob causam videtur et ipse calumniam passus, prout Græce cap. ultimo dicitur, unaque Tobias, vel relegatus esse, vel profugisse in Elymaïdem, et in Græco legimus. Ita Serarius et alii.

14. SED IMMOBILIS IN DEI TIMORE PERMANSIT, AGENS VOTA IN GRATIAS DEO OMNIBUS DIEBUS VITÆ SUÆ. — Hic est actus heroicæ patientiæ, hic status viri sancti et perfecti, qui terrena cuncta, tam adversa, quam prospera despiciens, mente in cœlis versatur, et jam recheat prægustatque cœlestem felicitatem. Ita Job undique afflictus dicebat cap. I, vers. 21: « Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. » In adversis ergo omnibus Deo gratias age, et sanctus, imo beatus eris. Porro Auctor *Quæst. ex utroque testamento* apud S. Augustinum, Quæst. CXIX : « Quum laudabilis, inquit, sit sanctus Tobias, Scriptura decemur, cujus devotionem, nec captivitas minui, nec oculorum amissio, quominus Deo benedicaret, persuasit : neque exhausta substantia a via justitiæ et veritatis avertit. Necessitas enim probat justum. In egestate exquisitam servare, vera et perfecta justitia est. Unde enim quorumdam devotio minuitur, nisi augmentum facit laude dignus Tobias? » Et paulo post : « Sancti Tobiæ erectus ad Deum animus, nec captivitate fractus, nec inopia humiliatus. »

Ita Sancti in excitate Deo gratias cum Tobia egerunt, imo excitatem amarunt. Cæcus fuit S. Domenius martyr, cui cum Julianus Apostata Exemplo cæcorum Deum

excitatem exprobraret : « Ego vero, inquit Pigmenius, Deo optimo maximo æternas ago grates, quod non videam Julianum. » Tandem ob egregiam Christianæ legi operam navatam, et paganorum eversa idolorum monstra, in Tiberim projectus ex illo in cœlum migravit : plus hic unus vidit cæcus, quam omnes larvarum cultores oculati. Cæcus fuit Didymus S. Hieronymi præceptor, quem ipse sumn videntem vocat. Cæcus per 4 annos fuit Spes Abbas, cujus morientis animæ specie columbæ evolavit in cœlum, teste S. Gregorio, lib. IV *Dialog.* cap. X. Plura vide apud nostrum Matthæum Raderum, parte III *Viridarii*, cap. III. Cæcus fuit S. Audomarus Tervani episcopus anno Domini 658, qui eum per S. Vedastum usum videndi dudum animum recuperasset, fortur ægro id animo tulisse, et votis impetrasse, ut reserata lumina rursum oborta excitate velarentur, quam in saluteni suam, a Deo immissam sibi dictitabat. Hic vidit quid commodi excitas afferret, quantorumque malorum occasiones præcideret. Sanctimonialis illa apud Joannem Moschum in *Prato spir.*, cap. XCVI, oculos sibi erutos mist ad adolescentem specie oculorum suorum captum, itaque eum compunxit, ut monachum probatissimum effecerit. S. Aquilinus tempore Clodovei, pontifex Ebroicensis creatus, petivit ab æterna luce, ut sibi mortalia oculorum lumina clauderet, ut cœlestem contemplari firmioribus mentis oculis lucem posset : impetravit, nihilominus munere Pontificatus egregie concionando perfunctus. Ita habet vita ejus apud Surium die 19 octobris.

15. NAM SICUT BEATO JOB INSULTABANT REGES. — Hinc patet amicos Job, scilicet Eliphaz, Baldad et Sophar fuisse reges, id est regulos et principes aliquot oppidorum, de quo plura Job cap. II et ultimo. Hi venerant consolaturi Job, sed pro consolatione ingesserunt desolationem; arguerunt enim eum scelerum gravium, quasi ob ea Deo tam dire castigaretur : unde insultasse eos Job liquet. Nonne cap. VI, versu 23, referuntur « detraxisse sermonibus veritatis? » versu 25 : « ad increpandum tantum eloquia condemnasse, et in ventum verba protulisse, super pupillum irruisse, et amicum subvertere voluisse? » Nonne cap. XIII, 4, vocantur « fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum? » cap. XVI, 9 : « falsiloqui? » et cap. XIX, 2 : « Usquequo, ait Job, affligis animam meam, et atteritis me sermonibus! En decies confundistis me, et non erubescitis opprimentes me. Vos contra me erigimini, et arguitis me opprobriis meis. » Tandem vero quis contra eos Deo ipso vel testis, vel judex gravior? eorum certe uni, cap. XLII, versu 7, Deus cœlitus oclamat : « Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos; quoniam non estis locuti contra me rectum, sicut servus meus Job. » Ita Serarius.

Porro Job adhuc vivens vocatur beatus, quia, ut ait S. Jacobus, cap. I, 12 : « Beatus vir qui suffert tentationem; quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. » « Beatus fuit Job, ait, epist. II, cap. IX, S. Fulgentius, cum in divitiis juste viveret; sed beatior, cum in paupertate justior existisset. Beatus fuit, cum decem circumdaretur filiis; sed beatior, cum una cunctorum simul orbitate perexutus, in Dei dilectione permansit immobilis. Beatus etiam fuit in corporis sospitate; sed beatior est factus in vulnere. Beatior etiam in acervo squaloribus pleno, quam in palatio marmoribus adornato. »

16. UBI EST SPES TUA? — q. d. Spes tua te fefellit, fuitque falsa et fallax; sperabas enim per eleemosynas obtinere a Deo prospera omnia, et ecce Deus per sepulturam mortuorum te excæcavit, et oculis privavit. Quid enim infelicius et miserius oculis orbato et cæco?

18. FILII SANCTORUM SUNT, — puta Abrahæ, Isaac et Jacob, etc., eorum ergo fidem, spem, patientiam et constantiam in adversis imitemur. Idem dicat Christianus afflictus : Filius sum Christi; ejus ergo passionem et crucem jugiter intuebor, ac patientiam imitabor. Filius sum SS. Apostolorum et Martyrum, ut S. Pauli, S. Laurentii, S. Stephani, S. Vincentii, etc., qui tot et tanta pro Christo pertulerunt : ergo eos sequar, et vel modicum meum malum Christi amore libenter et fortiter sustinebo. Sum enim filius Sanctorum, ideoque ipse sum sanctus, id est fidelis, Deo dicatus, et ab eo vocatus ad perfectam sanctitatem, quæ in patientia consistit. « Patientia enim opus perfectum habet, » *Jacobi* I, 4.

ET VITAM ILLAM EXSPECTABAMUS, QUAM DEUS DATURUS EST HIS QUI FIDEM SUAM NUNQUAM MUTANT AD EO. — Respondet apposite Tobias insultantibus sibi : « Ubi est spes tua? » *q. d.* Spes mea non refertur ad bona præsentia, sed futura. Spero enim post hanc, aliam vitam beatam et æternam, quam Deus dabit iis qui in fide et spe illius constanter in quibusvis adversis persistunt. Hæc spes alterius et felicis vitæ excitavit septem fratres Machabæos, ut sartagines, tympana, equuleos et omnia tormenta superarent, imo contemnerent; unde ad Antiochum tyrannum intrepide dicebant : « Tu quidem scelestissime, in præsenti vita nos perdis, sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit, » II *Mach.* IX. Idem senserunt et dixerunt ceteri martyres fere ad unum omnes, qui, ut ait Apostolus, *Hebr.* XI, 37 : « Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, etc., non suscipientes redemptionem, ut melioren invenirent resurrectionem; » quia et Christus ipse, ut ait idem ibidem, cap. XII, 2, « proposito sibi gaudio (mox futuræ resurrectionis et ascensionis gloriosæ) sustinuit crucem confusione contempta. » Quam imitatur S. Franciscus : « Tanta, ait, est gloria quam exspecto, ut omnis me pœna delectet. »

20. UNDE FACTUM EST UT HEDUM CAPRARUM ACCI-

Tobias irrisus ab uxore.

PRIUS DEFUISSET DOMI, — in domum. Græca addunt hædum hunc dono additum Annæ supra mercedem texturæ suæ; cumque Annæ hoc dicenti non crederet Tobias plane, illa irata cum irrisit dicens: « Vana facta est spes tua, etc. » Habebat Tobias occasionem dubitandi de furto, tum quia nunquam hædus talis domi suæ comparuerat, nec talis dari solet pro mercede textricibus, nec talem unquam acceperat, et attuleral Anna; tum quia Anna erat pauper: timebat ergo ne paupertas eam coegisset ad hædum errantem et perditum in domum inducendum; tum quia ipse erat justitiæ amantissimus, et furti osor acerrimus, eaque ac tenerrimæ et delicatissimæ conscientiæ: « Bonarum autem mentium est timere culpam, ubi non est culpa, » ait S. Bernardus. Simili modo in summa rerum inopia, et fame oblatam divinitus panem, « timens ne forte alienus esset, et culpam velut ex jactatæ perpetraret, » suis apponere mercenariis formidabat S. Sanctitas apud D. Gregorium, *Dialogorum* lib. III, cap. XXXVII.

Vers. 22. 22. AD HÆC UXOR EJUS IRATA RESPONDIT: MANIFESTE VANA FACTA EST SPES TUA, ET ELEEMOSYNÆ TUÆ MODO APPARUERUNT ESSE VANÆ, — cum per eas te et me, totamque familiam in tantam egestatem, cæcitatem et angustiam adduxeris. Disce hic a Tobia pro benefactis maledicta, imo maleficia etiam ab intimis amicis recipere, et constanter ferre. Hoc est præmium patientiæ, hæc ejus corona, ut ipsa novam passionem provocet, in eaque nova majorique patientia coronetur. Audi S. Augustinum, serm. 18 *in Matth.*: « Quanta putatur infelicitas hominum, qui lucem istam corpoream non videnti! Execratus est aliquis? continuo dicitur: iratum Deum habuit; aliquid mali commisit. Hoc uxor Tobiæ dicebat viro. Clamabat ille propter hædum, ne de furto esset: nolebat sonum furti audire in domo sua. Illa defendens factum suum, opprobrio percutiebat maritum; et cum ille diceret: Reddite, si de furto est; illa respondebat resultans: Ubi sunt justitiæ tuæ? Quam cæca erat, quæ furtum defendebat? et quam lucem videbat, qui furtum reddi imperabat! illa erat foris in luce solis, ille erat intus in luce justitiæ. Quis eorum erat in luce meliore? » Et S. Cyprianus, lib. *De mortalitate*: « Et Tobias post opera magnifica, post misericordiæ suæ munita et gloriosa præconia, cæcitatem luminum passus, timens et benedicens in adversis Deum, per ipsam corporis sui cladem, crevit ad laudem, quem et ipsum uxor sua depravare tentavit, dicens: Ubi sunt justitiæ tuæ? ecce quæ pateris. At ille circa timorem Dei stabilis et firmus, et ad omnem tolerantiam passionis fide religionis armatus, tentationi uxoris invalidæ in dolore non cessit, sed magis Deum patientia majore promeruit, quem postmodum Raphael angelus collaudat. »

Exemplum Saturi.

Simili modo S. Saturus procurator domus Hunerici regis Ariani, cum ab eo maximis minis, indeque ab uxore propria multis lacrymis sollicitaretur ad Arianismum, intrepide cum S. Job respondit: « Tanquam una ex insipientibus mulieribus loqueris. Formidarem, mulier, si sola esset hujus vitæ amaræ dulcedo; artificio, conjux, diaboli ministraris. Si diligeres maritum, nunquam ad secundam mortem attraheres propriam virum. Distrahant filios, separent uxorem, auferant substantiam mei Domini, ego securus de promissis verbis tenebo: Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros, aut domum, meus non poterit esse discipulus. Quid ultra? discedente muliere cum filiis refutata, confortatur Saturus, ad coronam discutitur, exspoliatur, pœnis conteritur, mendicus dimittitur, » ita Victor Uticensis, lib. I *Persecutionis Vandalicæ*, sub finem.

Antistrophæ virtutes Job et Tobiæ.

Job et Tobias in multis fuere persimiles: *primo*, in profusis eleemosynis, et cujuslibet misericordiæ officiis, qualia de se deprædicat Job, capite XXXI, et Tobias hic, cap. I. Job et Tobias similes. Primo.

Secundo, in constanti rerum adversarum, præsertim paupertatis, cæcitatis, et morborum tolerantia, imo gratiarum actione. Sunt enim ipsa Dei magna beneficia, utpote magnæ virtutis, magnique præmii materia. Dicebat ergo Job patiens: « Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. » Idem dicebat Tobias. Secundo.

Tertio, Tobias hæc omnia sustinuit ob spem futuræ vitæ beatæ, vers. 18. Sic et Job, cap. XIX, 25: « Scio, ait, quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum, etc., reposita est hæc spes mea in sinu meo. » Tertio.

Quarto, Job irrisus fuit ab uxore et amicis, sed irridentes irrisit; sic et Tobias. Quarto.

Quinto, Deus Tobiæ opes ablatas visumque restituit; sic et Jobo, cap. ultim. omnia reddidit duplicia. Quinto.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tobias irrisus ab uxore, Sara ab ancilla, gementes et orantes a Deo exaudiuntur, qui proinde mittit sanctum Raphaelem, ut utrumque curet.

1. Tunc Tobias ingemuit, et cœpit orare cum lacrymis. 2. dicens: Justus es, Domine, et omnia judicia tua justa sunt, et omnes viæ tuæ, misericordia, et veritas, et judicium. 3. Et nunc, Domine, memor esto mei, et ne vindictam sumas de peccatis meis; neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. 4. Quoniam non obedivimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, et captivitatem, et mortem, et in fabulam, et improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos. 5. Et nunc, Domine, magna judicia tua, quia non egimus secundum præcepta tua, et non ambulavimus sinceriter coram te. 6. Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, et præcipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis quam vivere. 7. Eadem itaque die contigit ut Sara filia Raguelis in Rages civitate Medorum, et ipsa audiret improperium ab una ex ancillis patris sui, 8. quoniam tradita fuerat septem viris, et dæmonium nomine Asmodæus occiderat eos, mox ut ingressi fuissent ad eam. 9. Ergo cum pro culpa sua increparet puellam, respondit ei, dicens: Amplius ex te non videamus filium aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum. 10. Numquid et occidere me vis, sicut jam occidisti septem viros? Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus suæ: et tribus diebus, et tribus noctibus non manducavit, neque bibit; 11. sed in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum, ut ab isto improperio liberaret eam. 12. Factum est autem die tertia, dum compleret orationem, benedicens Dominum, 13. dixit: Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum: qui cum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te. 14. Ad te, Domine, faciem meam converto, ad te oculos meos dirigo. 15. Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certe desuper terram eripias me. 16. Tu scis, Domine, quia nunquam concupivi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. 17. Nunquam cum ludentibus miscui me: neque cum his qui in levitate ambulant, participem me præbui. 18. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere. 19. Et, aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan me non fuerunt digni: quia forsitan viro alii conservasti me. 20. Non est enim in hominis potestate consilium tuum. 21. Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur; et si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. 22. Non enim delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem, tranquillum facis; et post lacrymationem et fletum, exultationem infundis. 23. Sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in sæcula. 24. In illo tempore exaudite sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei: 25. et missus est Angelus Domini sanctus Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.

Vers. 1. Tobias probatur irrisum, non credere, curat

1. TUNC TOBIAS INGEMUIT, ET COEPIT ORARE CUM LACRYMIS. — Græce, *cum gemitu et lacrymis*; Hebraice, *cum suscepto dolore magno, et quadam etiam corporis ægritudine*. Dolor enim animi creat dolorem corporis, et ægritudo mentis ægritudinem parit carnis. Passio enim, et affectio animi per sympathiam in corpus sese diffundit. Vide hic quam verum sit illud *Eccles.* VII, 8: « Calumnia conturbat sapientem. » En tibi cæcitas non turbavit Tobiam, sed conturbavit eum calumnia uxoris. Ca-

citatem enim sciebat sibi immissam a Deo ex ratione justa; at calumniam sentiebat sibi ab uxore fieri non ex ratione, sed ex passione injusta, quæ ideirco grave erat peccatum, quod proinde ipsum valde affligebat. Magis enim offensa Dei creatoris sui, quam injuria propria, eum cruciabat.

Oratio justi ad vias est coeli.

CEPIT ORARE CUM LACRYMIS, — ex intimo cordis sensu, devotione et compunctione : ideoque quasi vim intulit Deo, ut sum exaudiret et consolaretur. Audi S. Augustinum, serm. 228 *De Tempore*, qui est de Tobia : « Oratio justi, clavis est cœli. Ascendit precatio et descendit Dei miseratio. Licet alta sit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam. Cum sensibus loquitur, si sit solus noster gemitus. Sufficit auribus imber oculorum, dictus etiam audit, quam voces. » Audi et S. Bernardum, *De modo bene vivendi*, serm. 10 : « Anna, mater Samuelis, per compunctionem et lacrymas meruit habere filium; imo per obedientiam apud Deum prophetiæ donum. David per compunctionem et lacrymas obtinuit veniam perpetrati homicidii, atque adulterii. Sic enim audivit per prophetam : Non morieris, quia Dominus transtulit peccatum tuum. Pater Tobias per compunctionem et lacrymas meruit accipere curationem cæcitatis et consolationem paupertatis. Sic enim dixit ei Raphael angelus : Gaudium tibi semper sit; et adjecit : Forti animo esto, in proximo est ut a Deo cureris. Etiam Maria Magdalena per compunctionem et lacrymas meruit a Domino audire : Remittuntur tibi peccata tua. »

Vers. 2. Viæ Dei quæ sunt.

2. ET OMNES VIÆ TUÆ MISERICORDIA, ET VERITAS, ET JUDICIUM. — Viæ Dei sunt ordinationes, consilia, decreta, gubernationes, actiones, opera. Hisce enim quasi viis utitur, et ad creaturas, hominesque regendos descendit; quasi dicat omnia Dei opera sunt misericordia, vera et justa; misericordia, quia mille nostris miseriis, mille miserationibus succurrit. Rursum quia cum peccata nostra punit, punit citra condignum, et justitiam misericordia temperat. Item punit levibus pœnis in hac vita, ut per eas mutentes, et mutantes atrocissima gehennæ supplicia, declinando a peccatis caveamus. Denique punit unum, vel paucos, ut cæteri omnes eorum exemplo sapiant. Eadem sunt vera, quia sapientiæ et veritati primæ conformia; et quia verissime quod promisit, quodque minatus est, præstat. Est enim ipse in dictis factisque verissimus et constantissimus. Eadem sunt judicium, quia manant ab æterna lege, quæ est in mente Dei, et a prima jus ita, judicioque divino, ideoque justissimo.

Tropologice.

Tropologice, Deus vult ut in hisce tribus ipsum imitemur. Capit ergo in omnibus octonibus nostris « misericordiam » quamdam inesse, ut vel aliis subveniamus, vel certe nobis ipsis : « veritatem, » ut convenienter naturæ ac rationi, convenienter etiam fini nostro, et si quid ulli dixerimus, dictis ipsis convenienter agamus : « judicium, » ut cuilibet, quod suum est, Deo, proximo, nobis ipsis tribuamus, prudenterque vivamus. Ita Serarius.

6. PRÆCIPE IN PACE RECIPI SPIRITUM MEUM. — Græca addunt : *Quia audivi exprobrationes immeritas*; unde patet quam graviter probra uxoris et aliorum pupugerint animum Tobiæ, ut optaverit mori. Ait enim : « Expedit enim mihi mori magis, quam vivere. » Vita enim in assiduo magnoque mœrore non est vita, sed mors, imo pejor morte; quare recta ratio dictat tunc satius esse mori, quam vivere, si nimirum ita placeret Deo. Sic Job, cap. VII, vers. 15 : « Suspendium, ait, elegit anima mea, et mortem ossa mea. » Et Elias, lib. III *Reg.* cap. XIX, vers. 4, persecutiones sustinens a Jezabel, « petivit animæ suæ, ut moreretur, et ait : Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam. » Et S. Paulus, II *Cor.* I. 8 : « Supra modum, ait, gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. » Fortioris tamen et generosioris animi est mortem non optare, sed adversa quælibet invicto animo tolerare et superare. Unde S. Augustinus a Vandalis Hippone obsessus : « Noveritis, inquit, me hoc tempore nostræ calamitatis, id Deum rogare, ut aut hanc civitatem ab hostibus circumdatam liberare dignetur, aut, si aliud ei videtur, suos servos ad perferendam suam voluntatem fortes faciat; aut certe, ut me de hoc sæculo ad se accipiat. » Et hoc tertium obtinuit. Nam tribus mensibus antequam urbs caperetur, vita functus est.

Vita mortem est mala.

7. EADEM ITAQUE DIE CONTIGIT UT SARA. — Nota hic tuipam Dei erga suos fideles providentiam. Combinavit enim calumniam Tobiæ cum calumnia Saræ, ac orationem et compunctionem Tobiæ cum oratione et compunctione Saræ, ut utrumque consolaretur per mutuum conjugium. Et hoc significat *eadem itaque*, quod respicit futuram conjugii narrationem. Hoc est quod ait Salomon, *Proverb.* XIX. 14 : « Domus et divitiæ dantur a parentibus : a Domino autem proprie uxor prudens. »

Uxor prudens datur a Deo Ecclesiastes.

Similia sunt in vitis Sanctorum. Joannes Moschus in *Prato spirituali*, cap. CCI, narrat filium cujusdam Constantinopolitani viri clarissimi, qui omnia erogarat in pauperes, ac moriens non nisi Christum filio curatorem reliquerat, cum filius jam depauperatus templum ingressus, devote Deum invocaret, visum a Patricio quodam ditissimo, qui pro hac potate filium suum cum ampla dote illi desponsat.

IN RAGES CIVITATE MEDORUM. — Græca habent, in *Ecbatanis*; nam Rages civitas sita erat in monte Ecbatanis, ut dicitur cap. V, vers. 8, eratque metropolis et regia Medorum (1).

(1) Objicitur : Auctor hujus libri, 700 circiter annos ante Christum scribebat, et tamen de civitate Rages in Media loquitur, quæ nonnisi 300 annos ante Christum, a Seleuco Nicatore juxta Strabonem ædificata est. Itaque per Sara, filia Raguelis, cap. III, 7, habitasse dicitur in Rages civitate Medorum, et nihilominus Tobias, cum ad

8. QUONIAM TRADITA FUERAT (successive) SEPTEM VIRIS, ET DÆMONIUM NOMINE ASMODÆUS OCCIDERAT EOS, MOX UT INGRESSI FUISSENT AD EAM. — Causam necis a Raphaele audiemus cap. VI, vers. 17 : « Dæmonium » græce additur τὸ πονηρόν, id est *illud malum et nequam*, scilicet, pessimum et nequissimum, ut ait S. Prosper, parte II *Promis.* XXXIX.

Dæmonis etymon.

Plato in *Cratylo* ait dæmones dici, quasi δαήμονες, id est scientes, quod plenum habeant naturæ, et rerum naturalium cognitionem, idque probat Lactantius, lib. II *Divin. Inst.* cap. XIV, et S. Augustinus, lib. IX *De Civit. Dei*, cap. XX. *Secundo*, alii dæmonis etymon derivant a δαίεσθαι id est regere, quod dæmones sint hominum gubernatores; unde Plutarchus scripsit librum de genio Socratis, qui eum dirigebat. *Tertio*, Eusebius, lib. IV *Præpar. Evang.* : Dæmon, inquit, dicitur a δαίεσθαι, id est terrere, quod homines terrefaciat. Nam : « Si quod, ait apud S. Athanasium S. Antonius, dæmones in pectoribus malæ mentis et pavoris semen inveperint, quasi latrones qui deserta obtinent loca, cœptos cumulant timores, et crudeliter imminentes infelicem puniunt animam. » Addit S. Athanasius : Ad sanctum Antonium adductus est adolescentulus « principalem habens dæmonem, » quem ad discipulum suum ablegans dicebat : « Non est hoc meum opus. Nam contra hunc dæmonum ordinem, » principalem scilicet, « nondum sum donatus gratia; sed hæc est Pauli gratia simplicis, » prout Palladius cap. XXVIII narrat.

Quarto, Eugubinus, libro VIII *De perenni phil.* cap. XIX, Græcum δαίμων derivat ab Hebræo שׂדים *sedim*, vel per crasim *sdaim*, id est perditores, vastatores; tales enim sunt, et talis maxime est Asmodæus.

Asmodæi quis?

Asmodæus Eliam in Thisbi asserunt primo, Asmodæum natum e Noema, quæ fuit soror Tubalcain, et Schimronis uxor, *Genes.* IV, 22. Quatuor enim dæmonum esse matres, scilicet, Noemia, sive ut ipsi nominant, Nahema, Lilith, Ozereth, et Machlath. *Secundo*, Asmodæum esse eum, qui in paraphrasi Chaldaica, Job XXVIII, vocatur Samael, qui Evam tentavit et superavit, ac conjugem exagitat, uterque est omnium rixarum. Cum illo Sare certamen fuisse, quæ ab angelo Dei adjuta victrix abiit : unde ipsa a vincendo et prævalendo nomen accepit. Sara enim Hebraice idem est, quod dominans et domina. Hoc posterius aptum verumque est. *Tertio*, *Eccles.* I, 1 : « Ego Ecclesiastes fui Rex; » Chaldæus vertit : *Aschmedai malleo decebelim*, id est *Asmodæus rex dæmonum*. Addit Zohar Salomonem regno ejectum ab Asmodæo in deserto fuisse detentum; ipsumque Asmodæum interim speciem Salomonis assumpsisse, ac jus Hebræis in Jerusalem dixisse. Verum hæc Rabbinorum sunt commenta, ideoque figmenta.

Regnum.

Dico ergo Asmodæum esse dæmonem, qui homines ad libidinem exagitat, ac superatos a se plectit, maleque mulctat, utl male mulctavit septem Sare sponsos ob impudicitiam, id ita esse colligitur ex ea quæ Asmodæo, cap. VI, vers. 17, concessa potestas est : « Hi namque qui conjugium tu suscipiunt, ut Deum a se, et sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet dæmonium potestatem super eos. » Solent vero dæmones eorum ipsorum, quos deseperint, esse carnifices : « A quo enim quis superatus est, hujus et servus est, » II Pet. II, 19. In eos ergo, quos reos et mancipia sua suppliciis suis grassatur Asmodæus. Unde Asmodæus, vel Asmodei socius, aut subditus fuit dæmon ille, quem Cyprianus primum magus, sed postea fidelis, et martyr suis incantationibus excivit, ut S. Justinum virginem et martyrem in adolescentis, qui eam ambiebat, amorem inflecteret, sed frustra. Vidit enim eum signo crucis, oratione et constantia S. Justina. Talis quoque fuit dæmon ille, qui puellam ab adolescente mago incantatam obsidens, a S. Hilarione rogatus eur ipsum adolescentem magum potius non obsedisset, respondit : « Ut quid in eum intrarem, qui habebat collegam meum amoris dæmonem? » uti refert S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis. Denique audi S. Athanasium in Vita S. Antonii : « Dæmon ille ad Antonii se genua provolvens, humana voce flebat, dicens : Multos reduxi, plurimos decepi; nunc autem, ut a cæteris Sanctis; ita et tuo sum labore superatus. Quem cum interrogaret Antonius, quisnam esset qui talia loqueretur, ait : Ego sum fornicationis amicus, ego multimoda adversum omnes adolescentes turpitudinis arma suscepi; hinc et spiritus fornicationis vocor. Quantos pudice vivere disponentes fefelli! quot tenuiter incipientes ad sordes pristinas

Quæres quisnam sit Asmodæus : Rabbini apud

locum pervenisset ubi erat Sara, rogavit Raphaelem ut iret ad Gabelum in Rages civitatem Mediorum, » cap. IX, 2, o. Respondetur *primo*, sæpe sæpius historicos scriptores ædificationem alicujus civitatis adjudicare principi vel duci qui solummodo hanc civitatem amplavit et exornavit. Sic Nemrod Babylonis fundamenta posuerat anno 2268 ante Christum; hanc Belus exornat anno 1993, et tandem Babylon a Semirami regina nomina dicitur anno 1910 ante Christum; et hoc non obstat quin Nabuchodonosor exclamaret : « Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi? » *Daniel.* IV, 27; quia ambo, Semiramis scilicet et Nabuchodonosor, eam civitatem dilataverunt, et magnificentissime exornarunt.

Respondetur *secundo*, vel duas in Media fuisse civitates quibus idem nomen Rages inditum, sicut duæ fuerunt Bethlehem in Palæstina; vel corrigendam esse Vulgatam ex græca versione, omnium *Tobiæ* interpretationum antiquissima, et in qua legitur : *In eamem die contigit filiæ Raguel Sarræ in Ecbatanis Mediæ*, et dicendum, ex Ecbatanis Raphaelem in Rages pervenisse; vel Rages totius provinciæ metro polim, uti Ecbatana sita erat, illi civitati nomen suum indidisse, sicut in Europa videmus civitatem simul et regnum Neapolis dicta; vel Saram dici fuisse in Rages, non quod in ipsa civitate fuerit, sed in loco vicino, sicut Romæ habitare dicitur qui Tusculi seu alibi in agro Romano habitat; vel tandem Raguelem et Saram non jam in Rages consedisse, cum Tobias in domum Raguelis pervenerit, et inde emigrasse, cum dæmon septem Saræ maritos interfecerit.

redire persuasi? ego sum propter quem propheta lapsos increpat dicens : Spiritu fornicationis seducti estis ; et revera per me illi fuerant supplantati, ego sum qui te ipsum sæpe tentavi, et semper repulsus sum. »

Asmodæi et nocua. Beringi.

Quæres *secundo*, cur vocetur Asmodæus? Respondet *primo* Serarius : Asmodæus dicitur quasi אֵשׁ *es*, id est ignis Medai, id est Mediæ, quod esset rex dæmonum omnium, qui tum Mediam (in qua erat Rages, ubi agebat Sara, ejusque septem sponsi occisi ab Asmodæo) vicinasque provincias incolebant. Cum enim in Media versaretur, ubi regem nisi in ea ipsa regione ageret? ipse ergo omnes Medos ad libidinem suscitabat, ac superatos a se affligebat. Sunt enim dæmones Persici, Medici, Africi, Australes, Meridionales, sepulcrales, aerii, ignei, aquei, terrei, uti docet Rhodiginus, lib. II, cap. IV et V, Chaldæus, *Cant.* cap. IV, vers. 6, et Thomas Cantipratensis, lib. II *Apum*, cap. LVII, num. 9.

Secundo, Asmodæus, vel ut Hebraice dicitur *Asmodai*, significat peccati abundantiam ; אַשְׁמָה *ascam*, enim est peccatum, דַּי *dai* est abundantia ; ubi enim ardet libido, ibi abundant peccata. Nam ut ait S. Gregorius in lib. I *Reg.* cap. XV : « More ignis libido succenditur, et si negligenter extinguitur, adjacens stipula velociter inflammatur. »

Tertio, Asmodæus idem est quod אֵשׁ *es*, id est ignem, vel אַשְׁמָה *ascam*, id est peccatum, מְרַדֵּד *moded*, id est metiens et mensurans, ut quanta sit concupiscentia exploret, tantamque pœnam culpæ commensam irroget.

Quarto, Asmodæus idem est quod disperditor, desolator, *ab* אָשַׁם *ascam*, id est desolavit, vel a שָׁכַד *schamad*, id est disperdidit.

Quinto et aptissime, Asmodæus dicitur quasi *es*, id est ignis, vel *ascam*, id est peccati, שׁוֹכֵר *scomed*, id est disperditor. Ipse enim inducitur hic, ut libidinis ultor, et sponsorum impudicorum occisor.

MOX UT INGRESSI FUISSENT AD EAM. — Græce, *antequam essent ipsi cum ea, ut in uxoribus*, id est antequam congrederentur. Non enim permisit Deus Saram tam castam a tam incestis tangi, sed ante tactum eos per Asmodæum occidit, eo quod vellent eam effreni libidine invadere.

9. AMPLIUS (deinceps ; nam nullum hucusque genuerat filium) EX TE NON VIDEAMUS FILIUM, AUT FILIAM SUPER TERRAM, INTERFECTRIX VIRORUM TUORUM. — Gravis fuit hæc contumelia jactata ab ancilla, vel ut græce est ab æmilla in Saram, Græca magis eam exaggerantia. Sic enim habent : « Et dixerunt ad eam : Non intelligis suffocans tu viros? ecce septem habuisti, et unius eorum non es nominata. Quid nos flagellas? Si mortui sunt, vade cum eis : non videamus tuum filium, vel filiam in sæculum. »

Ubi nota tria convicia ab ancilla Saræ fuisse objecta ; *primo*, quod septem sponsos occidisset, imo suffocasset, cum id non fecisset ipsa, sed Asmodæus. *Quid* enim turpius, quid atrocius sponsæ, quam dicere : Tu occidisti tuum sponsum? *Secundo*, quod nomen ejus depravet ; pro « Sara » enim, id est domina, vocat eam עָגַם *tearam*, id est tribulatam et miseram. *Tertio*, sterilitatem ei perpetuam imprecatur. Sic S. Monica, ab ancilla vocata meribibula, valde fuit afflicta, ut refert S. Augustinus, lib. IX *Confess.* cap. VIII. Sic et Sara hic adeo fuit excruciata, ut vers. 15 oret : « Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certe desuper terram eripias me. »

10. AD HANC VOCEM PERREXIT IN SUPERIUS CUBICULUM. — Græce est : *Tristata est, ὡς τι ἀπάγξασθαι*, quod Vatablus vertit : *ut præfocare se cogitaret* ; sed resiliens, seseque corrigens dixit : *Unico patri meo sum ; illud si faciam, ipsi dedecus sempiternum erit, et præsentissima mortis occasio, quia ipse senectutem cum mœrore ad inferos deducam*, id est ad mortem, seu sepulcrum, ut cap. VI, vers. 7. Ita et Hebræus qui habet : *In tantum affligebatur, ut strangulare se cuperet ; quod etiam fecisset, nisi cogitasset iterum, sic deducam canes patris et matris mei dolore ad sepulcrum.* Melius Interpres Græcorum Bibliorum Regiorum vertit : *Tristata est, ut suffocaretur*, scilicet præ angustia doloris et mœroris.

11. ET TRIBUS DIEBUS, ET TRIBUS NOCTIBUS NON MANDUCAVIT, NEQUE BIBIT ; SED IN ORATIONE PERSISTENS. — Vide hic fructum contumeliæ ; ipsa enim peperit compunctionem ; hæc jejunium et orationem triduanam. Nam, ut ait Lyranus : « Fervor orationis, et prolixitas inducit oblivionem cibi et potus. » Et Glossa : « Sola, inquit, oratione pinguescit, quem macies corporis pascit. »

13. BENEDICTUM EST NOMEN TUUM, DEUS. — Græca uberius habent : *Benedictus es, Domine Deus meus, et benedictum nomen tuum sanctum, et gloriosum in sæcula. Benedicant te omnia opera tua in sæculum.* Hac oratione triduana impetravit Sara a Deo resignationem et tranquillitatem animi cum magna in Deum confidentia, ut novam orationem ordiens prorumperet in Dei benedictionem et laudem ; nam, ut ait S. Ambrosius, capite II *Inst. Virg.* : « Bona oratio, quæ ordinem servat, ut primo a divinis inchoemus laudibus. Si enim, cum apud hominem agimus, benevolum volumus judicem facere, quanto magis cum dominum nostrum precamur? Primo ergo immolemus Deo sacrificium laudis. »

ET IN TEMPORE TRIBULATIONIS PECCATA (ob quæ tribulantur, et consequenter tribulationem ipsam) dimissa enim culpa sæpe dimittitur et pœna) IN MITTIS HIS QUI INVOCANT TE ; — nam ut ait Eccli. cap. II, vers. 13 : « Pius et misericors est Deus, et remittet in die tribulationis peccata. » Rursumque cap. III, vers. 17 : « In die tribulationis commemorabitur tui, et sicut in sereno glacies, solventur peccata tua. »

16. TU SCIS, DOMINE, QUIA NUNQUAM CONCUPITI VIRUM, — ut eum ambirem ex concupiscentia et libidine, sed tantum eum accepi prolis causa, ut parentibus obtemperarem, eisque nepotes et hæredes procrearem.

MUNDAM SERVAVI ANIMAM MEAM AB OMNI CONCUPISCENTIA, — non tantum libidinis, sed et gulæ, superbiæ, avaritiæ, cæterarumque illecebrarum. Magna fuit hæc puritas et continentia Saræ, ob quam meruit a Deo exaudiri, et beari.

17. NUNQUAM CUM LUDENTIBUS SUSCEPI ME. — *Primo* Rabbini ludum impudicum accipiunt, qualem ludunt obscœni fornicarii. Sicque explicant illud *Exodi* cap. XXXII, vers. 6 : « Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere, » id est fornicari. Melius Hugo et alii ludum quemlibet accipiunt puellis familiarem, præsertim saltationem et choream, ait Hugo, quam vir sapiens et probus apud Cæsarium, lib. IV, cap. XI, vocat « ludum diaboli. » et Matthæus Clingius *in Locis commun.* cap. *De tripudio et chorea* : « Quid, ait, est chorea? Est circulus cujus centrum est diabolus, et circumferentia omnes Angeli ejus. » Quocirca B. Virgo, teste S. Gregorio, IV *Dialog.* cap. XVII, monebat Musam virginem, « ut nihil ultra leve aut puellare ageret, jocis ludisque abstineret. » Unde etiam Jeremias, cap. XV, vers. 17 : « Non sedi, ait, in concilio ludentium. » Quem in locum S. Hieronymus : « Utinam, ait, Dominus præstet et nobis non sedere in concilio ludentium, et eorum qui futura non cogitant! » Sic etiam *Psal.* XXV, David : « Non sedi cum concilio vanitatis. »

21. HOC AUTEM PRO CERTO HABET OMNIS QUI TE COLIT, QUOD VITA EJUS, SI IN PROBATIONE FUERIT, CORONABITUR, — si nimirum in tentatione et probatione manserit Deo fidelis et constans. Nam, ut ait S. Jacobus, cap. I, vers. 12 : « Beatus homo qui suffert tentationem ; quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. »

ET SI IN CORREPTIONE (ita legendum cum Romanis et Græcis, non « corruptione, » uti legunt nonnulli) AD MISERICORDIAM TUAM VENIRE LICEBIT, — q. d. Si tuus cultor, o Domine, a te ob aliquod delictum corripiatur et castigetur, per pœnitentiam veniam postulans, illam a te impetrabit. Hoc fine enim eum corripuisti et castigasti, ut eum ad defecti pœnitentiam impelleres, et pœnitenti parceres, tibique reconciliares.

22. QUIA POST TEMPESTATEM TRANQUILLUM FACIS : ET POST LACRYMATIONEM ET PLETUM EXULTATIONEM INFUNDIS, — nimirum post nebulis plenos, post noctem aurora, post hyemem messes, post morbum sanitas, post desolationem consolatio, post crucem gloria, post mortem resurrectio, et ut ait Tertullianus in *Apolog.* Christus, post fel, favos et mella gustavit. Vere Salomon, *Prov.* XIV, 10 : « Cor, ait, quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus. » Vide ibi dicta. Et Psalles, *Psalm.* XCIII, 19 : « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. »

Raphael ejusque qualis.

23. ET MISSUS EST ANGELUS DOMINI SANCTUS RAPHAEL, UT CURARET EOS AMBOS, QUORUM UNO TEMPORE SUNT ORATIONES IN CONSPECTU DOMINI RECITATÆ, — id est præsentatæ et oblatæ per Angelos utriusque custodes, imo per S. Raphaelem, uti ipse Tobiæ asserit cap. XII, vers. 12 : « Quando, inquit, orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino. » Hinc Apoc. VIII, 3, dicitur Angelus stetisse cum thuribulo aureo, eoque obtulisse Deo incensum, id est orationes sanctorum « Raphael » Hebraice dicitur quasi רְפָא אֵל *rophe el*, id est *medicus Dei*, aut *medicina et curatio Dei*. Ita S. Gregorius, hom. 34 *in Evang.*, et S. Hieronymus in cap. VIII *Danielis*. Sic Deus ipse vocatur *rophe*, id est medicus, curator et salvator tuus, Græce ὁ ἰατρός σε, id est *medens tibi, et sanans te*, *Exodi* XV, 26, *Psal.* XXXIX, 5, et alibi sæpe. Raphael ergo est Dei medentis vicarius, executor et operator sanitatis. Unde Ecclesia in officio Michaelis orat Christum :

> Angelum nobis medicum salutis
> Mitte de cœlis Raphael, ut omnes
> Sanet ægrotos, pariterque nostra
> Dirigat actus.

Apud S. Augustinum, *serm.* 220, ait ipse Raphael : « Ego sum minister curationis, Deus est auctor sanitatis. » D. Hieronymus, loco citato : « Ubicumque, ait, medicina et curatio necessaria est, Raphael mittitur, qui interpretatur curatio vel *medicina* Dei, hoc videlicet nominis interpretatione significante, quod in Deo sit medicina vera. » Hebraicus textus paulo infra : « Misit, ait, Dominus Angelum Raphaelem, Principem curationibus propositum, sive qui sanitatum præses est. » Unde in Romano Missali, quod anno 1520 Parisiis editum, Missa est de S. Raphaele, pro ægrotantibus et peregrinantibus.

Porro Hebræus hoc loco sic habet : *In tempore illo exaudita est oratio amborum in conspectu ipsius Serenah, et in conspectu throni gloriæ Jehoveh ; oratio quidem Tobiæ pro excitate oculorum suorum ; oratio vero Saræ pro humiliatione parentum suorum.* Secessu est Spiritus Sanctus, ait R. Elias, ita dictus, quod habitet in sanctis ; שְׁכִינָה enim est *habitare*.

Græca Romana habent : *Exaudita est oratio amborum in conspectu gloriæ magni Raphaelis*, id est magni Dei, qui summus est Raphael, id est medicus et curator, uti jam dixi ; aut, *q. d.* Exaudita est oratio in conspectu Dei, ut vertit Noster, qui est gloria magni Raphaelis. Deus enim omnium Angelorum et hominum est deus et gloria, juxta illud *Psal.* III, 4 : « Tu, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum. » Aut tertio et optime, *q. d.* Exaudita est oratio amborum a Deo, in conspectu gloriosi magnique Raphaelis, qui eamdem divinæ majestati obtulerat. Esto enim Raphael Tobiæ esset præsens, ideoque a Sara absens, tamen absentis preces ipse videbat et audiebat : imo poterat in ictu oculi a Tobia avolare ad Saram, indeque revolare ad Tobiam, adeoque ad

Deum in cœlum empyreum. Angeli enim sunt celerrimi, et instar fulguris e cœlo in terram dilabuntur.

Allegorice est Jesus Christus.

Allegorice Glossa : « Mystice, ait, per Raphaelem intelligi potest Dominus noster Jesus Christus, qui dicitur magni consilii Angelus secundum translationem 70, *Isaiæ* IX. Et venit in mundum ad curandum in utroque sexu genus humanum. » In Græcis porro dicuntur paulo signatius nonnulla : *Missus est Raphael, ut ambobus mederetur; quia Tobiæ albugines abstergeret, et Saram Raguelis filiam daret Tobiæ, filio Tobit uxorem, et eiceret Asmodæum, malum dæmonium, quia ad Tobiam pertineret hæreditatem illam accipere*, id est Saram, quæ illi velut optima hæreditas debebatur, idque quia, ut ait Hebræus : *Tobias jus erat propinquitatis*, id est propinquitatis jure illam sibi vindicare poterat.

Raphael ex quo Angelico ordine. Hesp. Primo.

Quæres ex qua hierarchia sit Raphael : Dominicus Flamnes in I part., *Quæst.* CXII, art. 4, putat esse ex infimo ordine Angelorum, quia ipse videtur fuisse Angelus custos Tobiæ ; Angeli autem custodes sunt ex infimo ordine. Unde S. Thomas, I part. *Quæst.* CXIII, art. 3, ait Michaelem esse ex ordine Principatuum, Gabrielem ex ordine Archangelorum, Raphaelem ex ordine Angelorum.

Secundo.

Secundo, Serarius hic, *Quæst.* II, putat esse ex ordine penultimo, qui est Archangelorum. Nam S. Isidorus, libro VII, Origenes, capite V, Prosper, part. II *Promis.* cap. XXIX, et alii Raphaelem vocant Archangelum.

Tertio.

Tertio, alii apud Joannem Eckium, homilia 3 *in festo S. Michaelis*, censent Raphaelem esse ex ordine Potestatum. Hi enim potestatis suæ imperium in dæmones exercent, uti fecit hic Raphael, ligando Asmodæum. Alii opinantur eum esse ex ordine Virtutum.

Quarto sure.

Quarto et optime plures censent Raphaelem esse ex primo ordine Seraphinorum, adeoque esse unum e septem primis Seraphinis. Hi enim proxime assistunt Deo, uti astare se ait Raphael, cap. XII. 15. Ita Gregorius de Valentia, I part. *in Quæst.* CXII *D. Thomæ*, Quæst. VI, Viegas, comment. II, sect. XVIII, in cap. XII *Apoc.*, Nazianzenus et Cyrillus, quos citat et sequitur noster Ribadeneira *in festo S. Michaelis*. Hinc et Missa Æthiopica tam Raphaelem quam Michaelem et Gabrielem unum e præstantioribus Angelis constituit. Unde Septuaginta Romana hoc vers. *Raphaelem* vocant *magnum* : *Coram gloria*, inquiunt, *magni Raphaelis*.

Hebræi, ut est apud Lyranum, cap. XVIII *Genes.*, tres Angelos sub virili forma Abrahamo visos, Michaelem, Gabrielem, Raphaelem appellant. *Primum* ad nuntiandum Isaac filii generationem; *secundum* ad impuras urbes flammis diruendas; *tertium* ad curandum Abraham a vulnere circumcisionis missos dixerunt : at refellitur Hebræi a Tostato, cap. XVIII *Genes.* Porro Raphael bonæ valetudini præsidet; et ideo missus est ad pellendam Tobiæ cæcitatem; hinc nomen ejus sonat, medicina Dei : Michael precibus oblationibusque fidelium, Gabriel hominum præliis præfecti sunt. Toletus in cap. I *Luc.* annotat. 16, agit de Gabriele bellis præfecto, ut D. Hieronymus, cap. VIII *Dan.*, ac Rupertus in cap. VIII *Apoc.*

Raphaelis est præses.

Rursus Raphael est præses itinerum, duxque proficiscentium ; unde in Itinerario Ecclesiæ ab iis invocatur. Qua de re insigne exemplum cujusdam Aurelianensis peregrini ab hostibus invasi invocantis S. Raphaelem, et ab eo liberati recenset Petrus de Natali, Episcopus Aquilejensis, lib. IV, cap. CXLI.

An Raphael sit custos Tobiæ.

Quæres *secundo*, an Raphael proprie fuerit Angelus custos Tobiæ? Affirmat Dominicus Bannes loco citato. Probat quia Angeli custodis munus est preces offerre Deo ; hoc autem fecit Raphael. Rursum ipse Tobiam per totum iter comitatus custodivit, ac omnibus periculis eripuit. Fuit ergo ejus custos. Verum dico cum Serario et Gregorio de Valentia eum non fuisse proprie custodem Tobiæ : *primo*, quia hic custos est ex nono et infimo ordine Angelorum; Raphael autem est ex primo ordine Seraphinorum ; *secundo*, tutelares Angeli ab exordio vitæ a Deo hominibus tribuuntur, vel (ut placet nonnullis) a conceptu : at Raphael missus cultus fuit, cum Tobias adolescentiæ ageret annos; *tertio*, non fuit præcipue missus ad juniorem Tobiam regendum tuendumque; sed ad Tobiam patrem sanandum, Saramque a dæmone liberandum, ut patet cap. XII. Hinc patet responsio ad argumentum ; nam non solum Angeli, sed et Seraphini nostras preces Deo offerunt; « omnes enim sunt administratorii spiritus in ministerium missi, » ut ait Apostolus, *Hebr.* I, vers. ult.

Raphael est præses custodiæ Tobiæ.

Denique sicut Asmodæus est rex dæmonum et præses luxuriæ, sic ejus antagonista S. Raphael est Rex Angelorum et præses castitatis et castorum tutelaris, uti fuit hic Tobiæ et Saræ. Unde ipse vel ejus associæ S. Thomam Aquinatem cingulo castitatis cinxerunt, ut habet ejus vita, ac S. Equitium quasi castrando, castitatis dono præmiarunt, uti refert S. Gregorius, libro I *Dialog.* cap. IV.

Tropologice disce hic quanta sit animæ dignitas quantaque Dei et Angelorum, etiam Seraphinorum (qualis est Raphael) dignatio, qua dignantur hominum peccatorum, vilium et miserorum tantam, tamque particularem et providam curam gerere, quantam hic gessit Raphael Tobiæ et Saræ. Lege S. Bernardum in *Psal.* XC, serm. 17, ubi inter cætera obtupescens ait : « Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. Confiteantur, et dicant inter gentes, quoniam magnificavit Dominus facere cum eis. Domine, quid est homo, quia innotuisti ei, aut quid apponis erga eum cor tuum? Apponis cor erga eum, geris pro eo sollicitudinem, curam illius habes. Denique ei mittis

unigenitum tuum, immittis spiritum tuum, promittis etiam vultum tuum. Et ne quid in cœlestibus vacet ab opera sollicitudinis nostræ, beatos illos spiritus propter nos mittis, in ministerium custodiæ nostræ deputas, nostros jubes fieri pedagogos. » Et nonnullis interjectis : « Mira dignatio, et vere magna dilectio charitatis, etc. Summa ergo majestas mandavit Angelis, et Angelis suis mandavit : illis utique sublimibus, tam beatis, tam proximis sibi cohærentibus, tam familiariter adhærentibus, et vere domesticis Dei. Mandavit de te. Tu quis es, Domine? quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam reputas eum? quasi vero non sit homo putredo, et filius hominis vermis? Sed quid putas mandavit de te? » etc.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tobias moriturus, uti putabat, filio dat ultima virtutis salutisque monita.

1. Igitur cum Tobias putaret orationem suam exaudiri, ut mori potuisset, vocavit ad se Tobiam filium suum, 2. dixitque ei : Audi, fili mi, verba oris mei, et ea in corde tuo, quasi fundamentum, construe. 3. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli : et honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus : 4. memor enim esse debes, quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo. 5. Cum autem et ipsa compleverit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me. 6. Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: et cave ne aliquando peccato consentias, et prætermittas præcepta Domini Dei nostri. 7. Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere : ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. 8. Quomodo potueris, ita esto misericors. 9. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. 10. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. 11. Quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. 12. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam. 13. Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, et præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. 14. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo, dominari permittas : in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. 15. Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, et merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat. 16. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. 17. Panem tuum cum esurientibus et egenis comede, et de vestimentis tuis nudos tege. 18. Panem tuum et vinum tuum super sepulturam justi constitue, et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus. 19. Consilium semper a sapiente perquire. 20. Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. 21. Indico etiam tibi, fili mi, dedisse me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus esses, Gabelo, in Rages civitate Medorum, et chirographum ejus apud me habeo : 22. et ideo perquire quomodo ad eum pervenias, et recipias ab eo supra memoratum pondus argenti, et restituas ei chirographum suum. 23. Noli timere, fili mi : pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene.

Monita Tobiæ.

Monita Tobiæ duodecim.

Sunt ea numero duodecim. *Primum* est de pietate patri et matri tam in vita quam post mortem exhibenda, vers. 3, 4 et 5; *secundum* de religione erga Deum, vers. 6 et 20; *tertium* de eleemosyna, vers. 7 et 17; *quartum* de fuga fornicationis, et castitate, vers. 13; *quintum* de fuga superbiæ et humilitate, vers. 14; *sextum* de justitia et mercede operariis juste statim persolvenda, vers. 15; *septimum* de talione, ut nemini faciat id quod sibi fieri nolit, vers. 16; *octavum* de cura pro mortuis, vers. 18; *nonum* de prudentia, ut nil faciat sine consilio viri sapientis, vers. 19; *decimum*, de

Deum in cœlum empyreum. Angeli enim sunt celerrimi, et instar fulguris e cœlo in terram dilabuntur.

Allegorice est Jesus Christus.

Allegorice Glossa : « Mystice, ait, per Raphaelem intelligi potest Dominus noster Jesus Christus, qui dicitur magni consilii Angelus secundum translationem 70, *Isaiæ* IX. Et venit in mundum ad curandum in utroque sexu genus humanum. » In Græcis porro dicuntur paulo signatius nonnulla : *Missus est Raphael, ut ambobus mederetur; quia Tobiæ albugines abstergeret, et Saram Raguelis filiam daret Tobiæ, filio Tobit uxorem, et eiceret Asmodæum, malum dæmonium, quia ad Tobiam pertineret hæreditatem illam accipere*, id est Saram, quæ illi velut optima hæreditas debebatur, idque quia, ut ait Hebræus : *Tobias jus erat propinquitatis*, id est propinquitatis jure illam sibi vindicare poterat.

Raphael ex quo Angelico ordine. Hesp. Primo.

Quæres ex qua hierarchia sit Raphael : Dominicus Flamnes in I part., *Quæst.* CXII, art. 4, putat esse ex infimo ordine Angelorum, quia ipse videtur fuisse Angelus custos Tobiæ ; Angeli autem custodes sunt ex infimo ordine. Unde S. Thomas, I part. *Quæst.* CXIII, art. 3, ait Michaelem esse ex ordine Principatuum, Gabrielem ex ordine Archangelorum, Raphaelem ex ordine Angelorum.

Secundo.

Secundo, Serarius hic, *Quæst.* II, putat esse ex ordine penultimo, qui est Archangelorum. Nam S. Isidorus, libro VII, Origenes, capite V, Prosper, part. II *Promis.* cap. XXIX, et alii Raphaelem vocant Archangelum.

Tertio.

Tertio, alii apud Joannem Eckium, homilia 3 *in festo S. Michaelis*, censent Raphaelem esse ex ordine Potestatum. Hi enim potestatis suæ imperium in dæmones exercent, uti fecit hic Raphael, ligando Asmodæum. Alii opinantur eum esse ex ordine Virtutum.

Quarto sure.

Quarto et optime plures censent Raphaelem esse ex primo ordine Seraphinorum, adeoque esse unum e septem primis Seraphinis. Hi enim proxime assistunt Deo, uti astare se ait Raphael, cap. XII. 15. Ita Gregorius de Valentia, I part. *in Quæst.* CXII *D. Thomæ*, Quæst. VI, Viegas, comment. II, sect. XVIII, in cap. XII *Apoc.*, Nazianzenus et Cyrillus, quos citat et sequitur noster Ribadeneira *in festo S. Michaelis*. Hinc et Missa Æthiopica tam Raphaelem quam Michaelem et Gabrielem unum e præstantioribus Angelis constituit. Unde Septuaginta Romana hoc vers. *Raphaelem* vocant *magnum* : *Coram gloria*, inquiunt, *magni Raphaelis*.

Hebræi, ut est apud Lyranum, cap. XVIII *Genes.*, tres Angelos sub virili forma Abrahamo visos, Michaelem, Gabrielem, Raphaelem appellant. *Primum* ad nuntiandum Isaac filii generationem; *secundum* ad impuras urbes flammis diruendas; *tertium* ad curandum Abraham a vulnere circumcisionis missos dixerunt : at refellitur Hebræi a Tostato, cap. XVIII *Genes.* Porro Raphael bonæ valetudini præsidet; et ideo missus est ad pellendam Tobiæ cæcitatem; hinc nomen ejus sonat, medicina Dei : Michael precibus oblationibusque fidelium, Gabriel hominum præliis præfecti sunt. Toletus in cap. I *Luc.* annotat. 16, agit de Gabriele bellis præfecto, ut D. Hieronymus, cap. VIII *Dan.*, ac Rupertus in cap. VIII *Apoc.*

Raphaelis est præses.

Rursus Raphael est præses itinerum, duxque proficiscentium ; unde in Itinerario Ecclesiæ ab iis invocatur. Qua de re insigne exemplum cujusdam Aurelianensis peregrini ab hostibus invasi invocantis S. Raphaelem, et ab eo liberati recenset Petrus de Natali, Episcopus Aquilejensis, lib. IV, cap. CXLI.

An Raphael sit custos Tobiæ.

Quæres *secundo*, an Raphael proprie fuerit Angelus custos Tobiæ? Affirmat Dominicus Bannes loco citato. Probat quia Angeli custodis munus est preces offerre Deo ; hoc autem fecit Raphael. Rursum ipse Tobiam per totum iter comitatus custodivit, ac omnibus periculis eripuit. Fuit ergo ejus custos. Verum dico cum Serario et Gregorio de Valentia eum non fuisse proprie custodem Tobiæ : *primo*, quia hic custos est ex nono et infimo ordine Angelorum; Raphael autem est ex primo ordine Seraphinorum ; *secundo*, tutelares Angeli ab exordio vitæ a Deo hominibus tribuuntur, vel (ut placet nonnullis) a conceptu : at Raphael missus cultus fuit, cum Tobias adolescentiæ ageret annos; *tertio*, non fuit præcipue missus ad juniorem Tobiam regendum tuendumque; sed ad Tobiam patrem sanandum, Saramque a dæmone liberandum, ut patet cap. XII. Hinc patet responsio ad argumentum ; nam non solum Angeli, sed et Seraphini nostras preces Deo offerunt; « omnes enim sunt administratorii spiritus in ministerium missi, » ut ait Apostolus, *Hebr.* I, vers. ult.

Raphael est præses custodiæ Tobiæ.

Denique sicut Asmodæus est rex dæmonum et præses luxuriæ, sic ejus antagonista S. Raphael est Rex Angelorum et præses castitatis et castorum tutelaris, uti fuit hic Tobiæ et Saræ. Unde ipse vel ejus associæ S. Thomam Aquinatem cingulo castitatis cinxerunt, ut habet ejus vita, ac S. Equitium quasi castrando, castitatis dono præmiarunt, uti refert S. Gregorius, libro I *Dialog.* cap. IV.

Tropologice disce hic quanta sit animæ dignitas quantaque Dei et Angelorum, etiam Seraphinorum (qualis est Raphael) dignatio, qua dignantur hominum peccatorum, vilium et miserorum tantam, tamque particularem et providam curam gerere, quantam hic gessit Raphael Tobiæ et Saræ. Lege S. Bernardum in *Psal.* XC, serm. 17, ubi inter cætera obtupescens ait : « Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. Confiteantur, et dicant inter gentes, quoniam magnificavit Dominus facere cum eis. Domine, quid est homo, quia innotuisti ei, aut quid apponis erga eum cor tuum? Apponis cor erga eum, geris pro eo sollicitudinem, curam illius habes. Denique ei mittis

unigenitum tuum, immittis spiritum tuum, promittis etiam vultum tuum. Et ne quid in cœlestibus vacet ab opera sollicitudinis nostræ, beatos illos spiritus propter nos mittis, in ministerium custodiæ nostræ deputas, nostros jubes fieri pedagogos. » Et nonnullis interjectis : « Mira dignatio, et vere magna dilectio charitatis, etc. Summa ergo majestas mandavit Angelis, et Angelis suis mandavit : illis utique sublimibus, tam beatis, tam proximis sibi cohærentibus, tam familiariter adhærentibus, et vere domesticis Dei. Mandavit de te. Tu quis es, Domine? quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam reputas eum? quasi vero non sit homo putredo, et filius hominis vermis? Sed quid putas mandavit de te? » etc.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tobias moriturus, uti putabat, filio dat ultima virtutis salutisque monita.

1. Igitur cum Tobias putaret orationem suam exaudiri, ut mori potuisset, vocavit ad se Tobiam filium suum, 2. dixitque ei : Audi, fili mi, verba oris mei, et ea in corde tuo, quasi fundamentum, construe. 3. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli : et honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus : 4. memor enim esse debes, quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo. 5. Cum autem et ipsa compleverit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me. 6. Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: et cave ne aliquando peccato consentias, et prætermittas præcepta Domini Dei nostri. 7. Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere : ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. 8. Quomodo potueris, ita esto misericors. 9. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. 10. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. 11. Quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. 12. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam. 13. Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, et præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. 14. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo, dominari permittas : in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. 15. Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, et merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat. 16. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. 17. Panem tuum cum esurientibus et egenis comede, et de vestimentis tuis nudos tege. 18. Panem tuum et vinum tuum super sepulturam justi constitue, et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus. 19. Consilium semper a sapiente perquire. 20. Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. 21. Indico etiam tibi, fili mi, dedisse me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus esses, Gabelo, in Rages civitate Medorum, et chirographum ejus apud me habeo : 22. et ideo perquire quomodo ad eum pervenias, et recipias ab eo supra memoratum pondus argenti, et restituas ei chirographum suum. 23. Noli timere, fili mi : pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene.

Monita Tobiæ.

Monita Tobiæ duodecim.

Sunt ea numero duodecim. *Primum* est de pietate patri et matri tam in vita quam post mortem exhibenda, vers. 3, 4 et 5; *secundum* de religione erga Deum, vers. 6 et 20; *tertium* de eleemosyna, vers. 7 et 17; *quartum* de fuga fornicationis, et castitate, vers. 13; *quintum* de fuga superbiæ et humilitate, vers. 14; *sextum* de justitia et mercede operariis juste statim persolvenda, vers. 15; *septimum* de talione, ut nemini faciat id quod sibi fieri nolit, vers. 16; *octavum* de cura pro mortuis, vers. 18; *nonum* de prudentia, ut nil faciat sine consilio viri sapientis, vers. 19; *decimum*, de

assidua Dei memoria, laude et invocatione, vers. 20; *undecimum* de providentia alendæ familiæ, repetendo pecuniam Gabelo mutuo datam, vers. 22; *duodecimum* ut paupertatem suam soletur spe in Deum, qui sperantes in se ditat. Similia aurea monita, et documenta virtutum viri sancti morituri filiis, et posteris suis tradidere, ut S. Ludovicus filio suo Philippo : lege ea in vita S. Ludovici apud Surium die 25 Augusti ; S. Ephrem, ut patet ex ejus testamento ; S. Theodorus Studita, S. Dominicus, S. Franciscus, cujus testamentum exstat in fine tom. IV *Bibliothec. Sanctorum Patrum*.

2. HONOREM HABERIS MATRI TUÆ, — juxta illud Dei in Decalogo : « Honora patrem et matrem, ut sis longævus super terram, » *Deut.* v, 16. Vide ibi dicta. Mirare hic Tobiæ æquanimitatem, qui acri probro exceptus ab uxore, ejus tamen honorem et curam filio demandat, utque ipse memor sit dolorum, fastidiorum et periculorum quæ ipsa pro eo passa est in utero, et deinceps. Audi *Eccli.* cap. III, 8 et 18 : « Qui timet Dominum, honorat parentes : et quasi dominis serviet his qui se genuerunt. Quam malæ famæ est, qui derelinquit Patrem : et est maledictus a Deo, qui exasperat matrem ! »

3. SEPELIAS EAM JUXTA ME, — Hebræa et Græca : *Sepeli eam juxta me honorifice in eodem sepulcro.* Vir enim et uxor sunt quasi una caro, id est, una persona civilis, *Gen.* II, 24. Sic Abraham cum Sara, Isaac cum Rebecca, Jacob cum Lia eodem sepulcro sepeliri voluere, *Gen.* XLIX, 29. Memorabile est quod scribit S. Gregorius Turonensis, *De gloria Confess.* cap. XXXII, de duobus amantibus, viro scilicet et uxore, in continentia et castitate mutuo consensu viventibus. Cum enim uxor jam defuncta ferretur ad sepulturam, vir ejus expansis in cœlum manibus ait : « Gratias tibi rerum omnium artifex ago, quod sicut mihi eam commendare dignatus es, ita tibi reddidi ab omni voluptatis contagio impollutam. At illa subridens ait : Sile, sile, vir Dei, quia non est necesse prolixi nostrum, nemine id rogante, secretum. Posthæc obtecta opertorio recessit. Non post multum vero tempus et ipse migravit a sæculo, sepultusque est in loco suo. Erat autem in una quidem basilica, sed a diversis parietibus utrumque sepulcrum habebatur. Et unum quidem ad meridiem, alterum ad aquilonem. Mane autem facto inventa sunt parites (id est conjuncta) esse sepulcra, quæ usque hodie sic perdurant : idcirco nunc incolæ duos amantes vocitant, et summo venerantur honore. »

Exemplum decorum amantium

6. OMNIBUS AUTEM DIEBUS VITÆ TUÆ IN MENTE HABETO DEUM, — puta in memoria, ut illius semper sis memor in intellectu, et de illo crebro cogites et mediteris : in voluntate, ut illum jugiter reverearis, ames, laudes, invoces, obedias, glorifices, ideoque caveas ab omni ejus offensa et peccato, ut sequitur, studiose : juxta illud *Prov.* III, 6 : « In omnibus viis tuis cogita Dominum, et ipse dirriget gressus tuos. » Sic Enoch ambulavit æque ac Noe, *Gen.* V et VI. Sic Abraham audivit a Deo : « Ambula coram me, et esto perfectus, » *Gen.* XVII, 1. Sic Elias : « Vivit, ait, Dominus, in cujus conspectu sto, » III *Reg.* XVII, 1. Et Eliseus : « Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, » IV *Reg.* III, 14. Quin et Seneca, *epist.* 19 : « Sic vive, ait cum hominibus, tanquam Deus videat. »

Vers. 7.

7. FAC ELEEMOSYNAM, ET NOLI AVERTERE FACIEM TUAM (Hebræus, *ne avertias oculos tuos*) AB ULLO PAUPERE. — Sex hic eleemosynæ fructus et stimulos Tobias dat filio, *primus* est : « Ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini, » *q. d.* Talionem tibi reddet Deus, quia ipse est curator pauperum. Quare si ab eis faciem tuam averteris, negando eleemosynam, aut consolationem, quam eis dare potes, avertet pariter faciem suam a te Deus, negando gratiam et opem quam postulas.

Eleemosyna est quasi legitima.

Sex eleemosynæ fructus. Primus.

Vers. 8.

8. QUOMODO POTUERIS, ITA ESTO MISERICORS, — ut si habeas aurum, panem, cibum, illa des : si non habeas, des consilium, verbo soleris pauperem, eique bene precaris, ostendens commiserationis affectum ; commiseratio enim levat misero miseriam, ejusque partem in se suscipit.

Vers. 9. Secundus.

10. PRÆMIUM ENIM BONUM TIBI THESAURIZAS IN DIE NECESSITATIS, — ac præsertim in hora mortis : quod illi dabit Deus, utpote a se misericordibus promissum. Pro « præmium, » Græce est *depositum* ; quia quæ in pauperes conferuntur, non pereunt dati, sed quasi in sinum Dei custodienda deponuntur, ut ea dante suo tempore reddat, tum in hac vita simplicia, tum duplicia, imo centuplicia in cœlo. Hebræi hic addunt : *Possidebis autem divitias et thesauros argenti et auri in justitia. Nam thesauri nihil prodernnt et eleemosyna liberabit a morte. Et quicumque fecit eleemosynam, is videbit faciem Dei, sicut scriptum est : Ego in justitia contemplabor faciem tuam, et qui occupantur ea, de cœtis sunt.*

Vers. 11. Tertius.

Est hic *secundus* eleemosynæ fructus et stimulus. Sequitur *tertius*.

11. QUONIAM ELEEMOSYNA AB OMNI PECCATO ET A MORTE (æterna, et sæpe a præsenti) LIBERAT. — Qua ratione ? *Primo* dispositive, quia eleemosyna impetrat gratiam majorem, qua sensim eleemosynarii provehuntur ad remissionem culpæ, etiam mortalis, et ad illam disponit, si nimirum fiat ex gratia Dei prævenientis, uti ad eamdem disponunt fides, spes, timor ; maxime si ipsa fiat ob motivum aliquod supernaturale, v. g. ut peccati veniam adipiscaris, ut Deo placeas, ut ejus gratiam impetres ; *secundo*, quia si culpa jam sit remissa, eleemosyna meretur remissionem pœnæ restantis ; *tertio*, quia Deus ob eleemosynam, pœnam præsentis vitæ aufert, vel differt, etiam non remissa culpa. Unde eleemosynarii etiam alias impii raro in hac vita a Deo castigantur. Quocirca Daniel, cap. IV, Nabuchodonosori sævo et impio suasit dicens : « Peccata tua eleemosynis redime : » imo S. Augustinus, lib. XXI *De Civit. Dei*, cap. XXVII, ait quosdam sine eleemosyna non posse salvari. Unde S. Ambrosius, *serm.* 30 et 31, eleemosynam comparat baptismo : « Ita, inquit, eleemosyna exstinguit peccata, sicut aqua baptismi gehennæ exstinguit incendium. Ergo eleemosyna quodammodo animarum aliud est lavacrum, ut si quis forte post baptismum humana fragilitate deliquerit, supersit ei, ut iterum eleemosyna mundetur. » Et S. Cyprianus, lib. *De oratione et eleemosyna* : « Sicut lavacro aquæ salutaris gehennæ ignis exstinguitur, ita eleemosynis atque operibus justis, delictorum flamma sopitur. » S. Bernardus, serm. 1 *post Epiphaniam*, hydriam tertiam, qua peccatorum ablutio fiat, statuit eleemosynam. Sic et eamdem baptismo comparat D. Leo, homil. 2 *De Collectis*, et *serm.* 5 : « Eleemosynæ, inquit, peccata delent, mortem perimunt, et pœnam perpetui ignis exstinguunt, » nonnoque Tobiæ locum subjungit. » Vide dicta *Eccli.* III, 33, ad illa : « Ignem ardentem exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis. »

ET NON PATIETUR ANIMAM IRE IN TENEBRAS, — gehennæ, quia ipsa quasi claudit et oppilat os gehennæ. Objicit S. Augustinus, serm. 18 *De verbis Domini secundum Matth.* cap. XVI, ac simul respondet : « Si, inquit, ei filius responderet mirattus : Quid ergo pater, tu eleemosynas non fecisti, ut modo cæcus loquaris ? tu nunc nonne in tenebris es, qui mihi dicis : eleemosynam non sinunt ire in tenebras ? Noverat ille, de qua luce doceret filium, noverat in interiore homine quod videbat. Filius patri porrigebat manum, ut ambularet per terram : et pater filio, ut habitaret in cœlo. » Idem, *hom.* 47, inter 50 : « Patrocinatur, ait, eleemosyna in die judicii homini, ut flammas æternas non timeat. » Hic est *quartus* eleemosynæ fructus ; sequitur *quintus* et *sextus*.

Vers. 12. Quintus et Sextus.

12. FIDUCIA MAGNA ERIT CORAM SUMMO DEO ELEEMOSYNA OMNIBUS FACIENTIBUS EAM. — Hebræus, *munus amplum et bonum repudetur coram sancto.* Vatablus, *merces optima reddetur.* Hæc de causa eleemosyna habitu Reginæ Virginis coronam in capite gestans ex ramis olivarum, in somnis apparuit S. Joanni Eleemosynario Archiepiscopo Alexandrino eique dixit : « Ego sum prima filiarum regis ; si me possederis amicam, ego te ducam in conspectum imperatoris. Etenim nemo habet partem apud eum, sicut ego. Ego quippe feci eum in terris hominem fieri, et salvare homines. » Qua visione excitatus S. Joannes omnia sua dabat pauperibus, et quo plura erogabat, eo plura a Deo recipiebat, adeoque stannum in argentum convertebat : ita Leontius Episcopus Neapolis in Cypro, in ejus Vita.

13. ATTENDE TIBI, FILI MI, AB OMNI FORNICATIONE, — quam multi gentilium putarunt esse licitam, ideoque ab Apostolis nominatim fuit vetita gentibus ad Christum conversis, *Act.* XV, 29, et Paulus scribens ad gentes identidem eam vetat sub pœna gehennæ, ut I *Corinth.* VI ; *Gal.* V ; *Ephes.* V ; *Hebr.* XIII, et S. Joannes, *Apoc.* XXI, 8 : « Fornicantium, ait, pars erit in stagno ardenti, igne et sulphure, quod est mors secunda. »

ET PRÆTER UXOREM TUAM NUNQUAM PATIARIS CRIMEN SCIRE, — *q. d.* Præter uxorem nullam feminam cognoscas, ut eum ea crimen fornicationis admittas. Idem ex Mose didicit Plato, sanxitque, lib. VII *De legibus* : « Nemo, inquit, audeat ullam attingere, præter legitimam suam uxorem. »

14. SUPERBIAM NUNQUAM IN TUO SENSU (in tua mente, in tua cogitatione, æstimatione, judicio et voluntate), AUT IN TUO VERBO DOMINARI PERMITTAS, (ut licet tentationes superbiæ sentias, tamen eis non consentias, ut ipsa tibi dominetur ; sed tu generose eam reprime, eique dominare :) IN IPSA ENIM INITIUM SUMPSIT OMNIS PERDITIO, — tam Luciferi et Angelorum, quam Adami et hominum ; imo, ut ait S. Prosper, lib. *De Vita contemp.* XXV : « nullum peccatum sine superbia potest, vel potuit esse, aut poterit, » quia omnis qui peccat, præponit se, suumque appetitum Deo, ejusque legi, quod utique est superbia. Audi S. Bernardum, serm. 1 *De Adventu* : « Si superbientibus Angelis Deus non pepercit, quanto minus tibi, putredo et vermis ? Nihil ille fecit, nihil operatus est ; tantum cogitavit superbiam : et in momento, in ictu oculi, irreparabiliter præcipitatus est, quia in veritate non stetit. Fugite superbiam, fratres mei, quæso, multum fugite. Initium omnis peccati superbia, quæ tam velociter ipsum quoque sideribus cunctis clarius micantem æterna caligine obtenebravit Luciferum ; quæ non modo Angelum, sed Angelorum primum in diabolum commutavit. » Denique serm. 34 *in Cant.* : « Superbo Angelo horrenda et formidolosa maledictio intorquitur, quoniam in veritate non stetit. Si sic actum est cum Angelo, quid de te fiet, terra et cinere ? Ille in cœlo intumuit : ego in sterquilinio. Quis non tolerabiliorem in divite superbiam, quam in paupere ducat ? Vae mihi, si tam dure in potente illo animadversum est, pro eo quod elevatum est cor illius : nec profuit quod cognata potentibus superbia esse cognoscitur, quid de me exigendum et misero et superbo ? » Et S. Chrysostomus, hom. 4 *ad Popul.* : « Sicut est principium modestiæ jejunium, id est fundamentum et constitutio : sic etiam peccati superbia, et ab ea omne peccatum inchoatur. Ex superbia nascitur pauperum despectus, pecuniarum concupiscentia, amor principatus, multæ desideriorum gloriæ. Elatus etiam neque a majoribus, nedum ab inferioribus contumeliam pati sustinet, » etc. Gregorius, lib. XXXIV *Moral.* cap. XVII : « Sicut inferius radix tegitur, sed ab illa rami extrinsecus expanduntur, ita se superbia intrinsecus celat, sed ab illa protinus aperta vitia pullulant. Nulla quippe mala ad publicum prodirent, nisi hæc mentem in occulto constringeret. » Denique superbia hominem indecorum reddit et ignobilem, *Prov.* XI, 2 : « Ubi

fuerit su, verbis, ibi erit et contumelia ; » et cap. XXIX, 23 : « Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritum suscipit gloria. »

15. QUICUNQUE TIBI ALIQUID OPERATUS FUERIT, STATIM EI MERCEDEM RESTITUE, — scilicet « ante solis occasum, » si pauper sit, ut præcipitur *Deut.* XXIV, et *Lev.* XIX : « Non morabitur, ait, opus mercenarii tui apud te usque mane. »

16. QUOD AB ALIO ODERIS FIERI TIBI, VIDE NE TU ALIQUANDO ALTERI FACIAS. — Hæc est primum principium, ex quo omnes virtutes proximum concernentes, quasi conclusiones educuntur, omniaque vitia proximum lædentia rescinduntur. Audi S. Chrysostomum, hom. 13 *ad Popul.* : « Non opus est multis sermonibus, neque prolixis lectionibus, nec varia doctrina. Voluntas tua sit lex. Vis beneficia capere ; confer beneficium alteri. Vis misericordiam consequi ? miserere proximi. Vis laudari ? lauda alium. Vis amari ? ama. Vis primis partibus potiri ? cede prius alteri. Tu sis judex. Tuæ vitæ tuus legislator. » Et rursum : « Quod odisti, aliis ne feceris. Per hoc quidem fugam a malo induxit, perfidiæ autem virtutis operationem. Odisti contumeliam pati ? neque tu alteri invideas. Odio habes falli ? neque tu fallas alium. Et in omnibus generaliter, si duo hæc verba retinebimus, alterius disciplinæ non indigebimus. »

Idem docet S. Augustinus, lib. II *De Ordine vitæ*, cap. VIII, et lib. III *De Doctr. Christ.* cap. XIV, quin et Alexander Imperator, gentilis licet, teste Lampridio, « clamabat sæpius quod a quibusdam, sive Judæis, sive Christianis audierat et tenebat, idque per præconem, cum aliquem emendabat, dici jubebat : Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris : » quin et Christus ipse hanc virtutis normam sanxit. *Matth.* VII, 12 : « Omnia, ait, quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. » Græca hic adduntur : *Vinum ad ebrietatem ne bibas, et ne ambulet ebrietas tecum in via tua*, quia faciet te cespitare et ruere in fossas et præcipitia, indeque in gehennam. Hebræus, *cave tibi ipsi ab ebrietate, et nulla unquam vanitas tibi arrideat.*

17. PANEM TUUM ET VINUM TUUM SUPER SEPULTURAM JUSTI CONSTITUE. — Hebraice et Græce : *Effunde panes tuos et vinum tuum super sepulcra justorum.* Munsterus per sepulcra accipit ora, q. d. Accipe vinum tuum, et panem pone in ore justorum, ut non morientur fame ; sed nemo non videt hoc esse ineptum, aliquem et contorium. Nota ergo olim apud Christianos (nome præsertim et in Africa) mos fuisse, ut fideles epulas ferrent ad sepulcra, et memorias martyrum, quas per martyres hoc quasi contactu sanctificatas, prælibabant ipsi et amici eorum, deinde eas erogant in pauperes, qui in Ecclesia ad agapen in martyrum natalitiis convocabantur, idque in honorem martyrum, atque hoc solitam facere S. Monicam matrem suam narrat S. Augustinus, lib. VI *Confess.* cap. II.

Veteres imprecabant pro sepulchris. cur?

Nota *secundo* idem eos fecisse in sepultura defunctorum suorum, quorum dubia erat salus, vel gloria, scilicet eleemosynas, aut convivium, seu agapen hanc instruxisse in cœmeteriis, aut templis ; tum ad luctus solatium, tum ut animam defuncti, si pœnis purgatorii detineretur, eleemosyna hac, et precibus pauperum expiarent. Verum quia ritus hic parentalis referebat mores gentilium, qui manibus suis (ita animas defunctorum, earumque genios, sive deos præsides vocabant) hoc modo parentabant, quasi animæ defunctorum illis epulis vescerentur, ut patet ex Virgilio, VI *Æneid.*, Plinio, lib. VIII, cap. XII, Macrobio, Cicerone et aliis, quæ profunde a Festo feralia et inferiæ, a Poetis Hecatis cœna, a Livio visceratione, a Plauto pollinctura, a Nonio siliceruia appellantur ; quibus etiamnum utuntur Japones et Peruani, ut liquet ex *epist. Indicis.* Similiter propter aliosus comessationum et compotationum S. Ambrosius Mediolani hunc ritum epulandi e templis sustulit, cujus exemplum, docente postea S. Augustino, Africana Ecclesia secuta est, ac eleemosynæ pro defunctis domi distribui cœperunt, uti etiamnum fit, etsi nonnullis in locis, uti in Hispania, panes in sepultura adhuc offerantur, qui sacerdotibus cedant, ut orent pro anima defuncti, ait Sanchez. Hæc omnia patent ex S. Augustino, lib. VI *Conf.* cap. II, et *epist.* 64, et S. Paulino, epist. *ad Alethium*, et S. Chrysostomo, hom. 32 *in Matth.* Idem ergo innuit hic Tobias faciendum apud Judæos, et forte ab eis Christiani hunc ritum, uti et plures alios mutuati sunt. Sensus ergo est, q. d. Panem et vinum tuum distribue fidelibus pauperibus, ut ipsi orent pro defuncto jam sepulto. Hinc addit : ET NOLI EX EO MANDUCARE ET BIBERE CUM PECCATORIBUS, — scilicet, cum infidelibus, perversisque hominibus, tum quia eorum preces parum valent apud Deum, pro liberanda e pœnis anima defuncti, tum ne ab eis discas potare et impie agere. Nam, et ait Epictetus, « qui cum contaminatis versatur, contaminatus evadet ; » et Theognis :

——— Ne te conjungito pravis,
Sed conjunge bonis, et ab his bona plurima disces.
Cum pravis vivens, tu quoque pravus eris.

« Qui tetigerit picem, ait noster Siracides, cap. XIII, vers. 1, inquinabitur ab ea : et qui communicaverit superbo, induet superbiam. » Paulo ante vero dixerat, cap. XII, vers. 13 : « Quis miserebitur incantatori a serpente percusso, et omnibus qui appropinquat bestiis ? Sic et qui comitatur cum viro iniquo, et obvolutus est in peccatis ejus. » Porro S. Gregorius, part. III *Past.* XXV, sic explicat : « Panem suum et vinum peccatoribus præbet, qui iniquis subsidia pro eo quod iniqui sunt, impendit. Unde et nonnulli hujus mundi divites, cum fame cruciantur Christi pauperes, effusis largitatibus nutriunt histriones. »

Hinc ergo liquet esse Purgatorium, ac piorum

eleemosynas et suffragia animabus in eo detentis prodesse. Vide Bellarminum, lib. I *De Purgat.* cap. III. Plura hac de re dixi *Eccli.* XXX, 18, ad illa : « Appositiones epularum circumposite sepulcro. »

Ratione ait facto.

12. CONSILIUM SEMPER A SAPIENTE PERQUIRE, — tum quia in propriis etiam sapientes cæcutiunt : affectus enim excæcat rationem. Unde *Proverb.* III, 5, dicitur : « Ne innitaris prudentiæ tuæ, » tum quia sapientes sapientia dant consilia, et a sapientibus sapientiam disces ; unde Græcus hic habet : *Consilium ab omni prudente quæras, neque ullum vile consilium asperneris.* » Hebræus : « Audi et accipe a quolibet, qui tibi dederit consilium bonum. » Idem sondet Hesiodus, cujus versus citat laudatque Aristoteles, I *Ethic.* cap. IV :

Is rectum bonus est, paret qui recta monenti.
At qui ex se nescit, cuiquam nec porrigit aures ;
Et bonus percipit, donecus et inutilis ille est.

« Fili, ait Ecclesiasticus, cap. XXXII, vers. 24, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis. » Et Salomon, cap. XIX, vers. 20 : « Audi consilium et suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis. »

Et ut se semper ore Deum.

20. OMNI TEMPORE BENEDIC DEUM, ET PETE AB EO UT VIAS TUAS DIRIGAT, — dicens cum Psalmista, *Psal.* CXVIII : « Utinam (Domine) dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. » Et : « Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. » Hebræi ad eleemosynæ hoc loco habent : « *Omni tempore pete a Domino, ut ipse dirigat gressus tuos atque consilium tuum : quoniam non est in hominis manu consilium aliquod, sed in manibus Dei, qui est benedictus : quia omnia, quæ voles, faciet, justumque humiliabit.* Græcus vero : *Dominum Deum benedic omni tempore, et ab ipso pete ut recta fiant viæ tuæ, omnesque semitæ, et consilia tua bene procedant, seu secundentur. Neque enim est ulla gens, quæ consilium habeat : sed ipse Dominus bona omnia dat, et quemcumque voluerit, humiliat, prout vult.* Quia et Isocrates ad Demonicum : « Bona, ait, deliberatio ab hominibus est, ejus prosperitas (prospera executio, prosper effectus) a dis. »

27. NOLI TIMERE, FILI MI : PAUPERTAS QUIDEM VITAM GERIMUS (Græce *πτωχεύομεν*, id est mendicemus, vel mendici sumus), SED MULTA BONA HABEBIMUS, SI TIMUERIMUS DEUM. — « Habebimus, » non solum in futura vita, sed etiam in præsenti, ac præsertim deus meritumque virtutis et pietatis. Vidit hoc per umbram Cicero, qui *Tuscul.* I et ult., ait : « Quis dubitet quin in virtute divitiæ positæ sint, quoniam nulla possessio, nulla vis auri et argenti pluris æstimanda quam virtus est ? Etenim si callidi rerum æstimatores, prata et arcas quasdam magni æstimant, quod ei generi possessionum minime quasi nocere potest ; quanti est æstimanda virtus quæ nec eripi, nec surripi potest unquam ; neque naufragio, neque incendio amittitur, nec temporum, nec tempestatum permutatione mutatur ? Qua qui præditi sunt, soli sunt divites ; soli enim possident res et fructuosas et sempiternas. »

Hebræus habet : *Viriliter age, et esto roboratus, quia Dominus erit tecum ut te adjuvet, et prosperos faciat, si requisieris eum in toto corde tuo, et tota anima tua.* Et postea : *Si timueris Dominum, et custodieris timentipsum ab omni peccato, ipse dabit tibi divitias magnas.* « Vobis dico, ait S. Augustinus, servi, 7 *De Tempore*, pauperes, qui mendicatis, qui de eleemosyna Christianorum vivitis ; Consolamini, consolamini, tribulatio vestra convertetur in gaudium, et dolor vester in lætitiam. Non vobis sit ingratum, quod mendicatis, nec ideo in corde vestro aliquid contra Deum murmuretis ; quia ille justus et pius est in omnibus operibus suis. Et te ideo fecit pauperem, ut sufferendo brevem inopiam, æternam vitam acquireres. Ut ut vitem ideo fecit, ut dum superflua daret, remedium peccatis suis acquireret. Et ideo patientes estote et exspectate Dominum. »

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Raphael Angelus se Tobiæ ducem offert in Rages, spondetque Patri se cum incolumem ducturum et reducturum.

1. Tunc respondit Tobias patri suo, et dixit : Omnia quæcumque præcepisti mihi faciam, pater. 2. Quomodo autem pecuniam hanc requiram, ignoro. Ille me nescit, et ego eum ignoro : quod signum dabo ei ? Sed neque viam, per quam pergatur illuc, aliquando cognovi. 3. Tunc pater suus respondit illi, et dixit : Chirographum quidem illius penes me habeo : quod dum illi ostenderis, statim restituet. 4. Sed perge nunc, et inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum, salva mercede sua : ut, dum adhuc vivo, recipias eam. 5. Tunc egressus Tobias, invenit juvenem splendidum, stantem præcinctum, et quasi paratum ad ambu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

laudum. 6. Et ignorans quod Angelus Dei esset, salutavit eum, et DIXIT : Unde te habemus, bone juvenis? 7. At ille respondit : Ex filiis Israel. Et Tobias dixit ei : Nosti viam quæ ducit in regionem Medorum? 8. Cui respondit : Novi, et omnia itinera ejus frequenter ambulavi, et mansi apud Gabelum fratrem nostrum, qui moratur in Rages civitate Medorum, quæ posita est in monte Ecbatanis. 9. Cui Tobias ait : Sustine me, obsecro, donec hæc ipsa nuntiem patri meo. 10. Tunc ingressus Tobias, indicavit universa hæc patri suo, super quæ admiratus pater, rogavit ut introiret ad eum. 11. Ingressus itaque salutavit eum, et dixit : Gaudium tibi sit semper. 12. Et ait Tobias : Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video? 13. Cui ait juvenis : Forti animo esto, in proximo est ut a Deo cureris. 14. Dixit itaque illi Tobias : Numquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages civitatem Medorum? et cum redieris, restituam tibi mercedem tuam. 15. Et dixit ei Angelus : Ego ducam et reducam eum ad te. 16. Cui Tobias respondit : Rogo te, indica mihi de qua domo aut de qua tribu es tu? 17. Cui Raphael Angelus dixit : Genus quæris mercenarii, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat? 18. Sed ne forte sollicitum te reddam, ego sum Azarias Ananiæ magni filius. 19. Et Tobias respondit : Ex magno genere es tu. Sed peto ne irascaris quod voluerim cognoscere genus tuum. 20. Dixit autem illi Angelus : Ego sanum ducam, et sanum tibi reducam filium tuum. 21. Respondens autem Tobias, ait : Bene ambuletis, et sit Deus in itinere vestro, et Angelus ejus comitetur vobiscum. 22. Tunc paratis omnibus, quæ erant in via portanda, fecit Tobias vale patri suo et matri suæ, et ambulaverunt ambo simul. 23. Cumque profecti essent, cœpit mater ejus flere, et dicere : Baculum senectutis nostræ tulisti, et transmisisti a nobis. 24. Nunquam fuisset ipsa pecunia, pro qua misisti eum. 25. Sufficiebat enim nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus hoc, quod videbamus filium nostrum. 25. Dixitque ei Tobias : Noli flere, salvus perveniet filius noster, et salvus revertetur ad nos, et oculi tui videbunt illum. 27. Credo enim quod Angelus Dei bonus comitetur ei, et bene disponat omnia, quæ circa eum geruntur, ita ut cum gaudio revertatur ad nos. 28. Ad hanc vocem cessavit mater ejus flere, et tacuit.

Vers. 5. Raphael dux viatorum.

5. TUNC EGRESSUS TOBIAS INVENIT JUVENEM SPLENDIDUM, STANTEM PRÆCINCTUM, ET QUASI PARATUM AD AMBULANDUM. — Erat hic Raphael Angelus, qui apparuit Tobiæ, ut « juvenis, » ob vigorem et robur, utpote immortalis, æternus, immutabilis, ideoque numquam senescens aut deficiens; ut « splendidus, » ob splendorem, tum naturæ Angelicæ, quæ purus et lucidissimus est spiritus, tum gloriæ beatificæ, ut « stans præcinctus, » quasi dux viæ; est enim Raphael præses viarum et viatorum. Quocirca ipse Vasco Gamæ, misso ab Emmanuele rege Lusitaniæ ad aperiendam viam in Indiam orientalem, eamdem ipsi et fidei Christianæ aperuit anno Domini 1498. Audi nostrum Maffeium, libro I *Histor. Indicar.* : « Prætoriæ (navi) inditum est nomen a S. Gabriele, ut quæ ex orbe nostro ad antipodas viam Evangelio muniebat, sub tutela præsidioque haberet Archangeli potentissimum ejus, qui primus e cœlo, terris olim allatis Evangelium : secundam Archangelo Raphaeli, viatorum duci ac tutori dicarunt. » Deinde superato Bonæ Spei promontorio appulerunt ad locum, cui, ut ait Maffeius, « Bona Signa nomen impositum, et amicitia cum Barbaris inita, subductæ naves, et multis in locis refectæ : ibidem columna cum titulo Raphaelis Archangeli de more fixa. » Sic Theodosii Imperatoris exercitus ab Angelo (Raphaele, vel ejus assecla pastoris persona induto) per paludes visaque invias ductus, Revennam se recepit, et Joannem tyrannum profligavit, anno Domini 425, ut narrat Socrates, lib. VII, cap. LXXIII, et ex eo Baronius, tom. V.

Similia prosus vitæ-speciæ Raphael Angelus ducem viæ se obtulit S. Macario Romano; iisdemque pene verbis, quibus hic Tobiam cum compellavit, imo cum deduxit ad loca tormentorum, in quibus torquentur impii, et gaudiorum in quibus exsultant justi. Ita habet vita S. Macarii in *Vitis Patrum*, apud nostrum P. Heribium Rosweydum.

Vers. 7. Raphael videtur se ex filiis Israel esse mentitus.

7. EX FILIIS ISRAEL. — Verum dicit Raphael, tum quia ipse veniebat ex urbibus filiorum Israel, utpote fidelium, quorum sanitatis et salutis curæ sibi erat a Deo demandatus. Unde Lyranus et Isidorus Cartusianus inquiunt : « Quæ ab Angelis inter homines dicuntur et fiunt, sunt figurativa : et locutio, qua dicit Raphael se ex Israelis filiis esse significat esse charitatis conjunctionem, qua S. Angeli devotis fidelibus conjunguntur : » tum quia « Israel » Hebraice idem est quod *dominatur Deus*, sive *dominans Deus*, cujus ipse æque ut cæteri Angeli sunt creaturæ, et quasi filii, juxta illud Job, cap. XXXVIII : « Ubi eras cum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei? » puta SS. Angeli. Aliter Sanchez *Israel*, inquit, Hebraice idem est quod *vir videns Deum*. Raphael ergo est Israel et Israelita, quia videt Deum facie ad faciem, et hac visione beatur.

8. QUÆ (Rages civitas) POSITA EST IN MONTE ECBATANIS. — Ecbatana, sive Ecbatanis est nomen indeclinabile urbis Medorum, quæ deinde toti monti et planitiei adjacenti, ubi sita erat Rages, nomen dedit suum. Unde Hebræi habent : *Est iter duorum dierum ab Ecbatanis usque Rages; et Rages quidem est in montanis, Ecbatanis autem in planitie campi.*

12. ET AIT TOBIAS : QUALE GAUDIUM MIHI ERIT, QUI IN TENEBRIS SEDEO, ET LUMEN COELI NON VIDEO? — *Primo*, Hugo sic explicat, *q. d.* Appreciatus es mihi gaudium : videris ergo scire modum, quo visum recipere, ideoque gaudere queam, die illum si nosti. *Secundo* Dionysius, *q. d.* Non cupio in hac vita gaudium, cum cæcus nunc vivam, et propediem moriturus sim, futura gaudia desidero. *Tertio* et genuine, *q. d.* Eheu qua ratione gaudere queam, qui omni luce destitutus, in tenebris cæcitatis obscuram, miseram et mœstam vitam ago?

17. GENUS QUÆRIS MERCENARII. — Vide hic miram dignationem et demissionem magni S. Raphaelis, qui se vocat facitque quasi servum mercenarium Tobiæ; unde et servi formam speciemque induerat. Causam dat S. Augustinus, serm. 226 *De Temp.*, qui est *De Tobia* : « Quid, inquit, meruistis, pater Tobit (sic enim Græca vocant patrem Tobit) filiusque Tobia, mercenarium habere cœlestem, et tanquam operarium locare terrestrem? Celavit vobis Angelus nomen, Azarias sum, inquit, Ananiæ magni filius : et non dixit : Ego sum Raphael Angelus. Celavit in primo nomine dignitatem, ne faceret locatori terrorem. Si enim diceret : Ego sum angelus, non esset Tobiæ mercenarius. Servata dignitas nominis, ut postremo magnitudo clarescaret dignitatis. Unde recte hoc decanonum morale colligit et subjungit : Videte, charissimi, quantum sit eleemosynæ meritum. Angelum meruit habere operarium. Videtis quantum proficit mortuos sepelire, ut oblatio ejus per Angelum Raphaelem ad cœlestem ascenderet majestatem. Videtis quia eleemosyna a morte liberat, et ipsa purgat peccata, facit purgationem oculorum, liberat a tenebris peccatorum. »

Vers. 18. Raphael videtur se Azariam filium.

Disce ergo hic quod tantum viæ ducem, puta S. Raphaelem, meruerit eleemosyna, et pietas ultriusque Tobiæ, patris scilicet et filii.

18. EGO SUM AZARIAS ANANIÆ MAGNI FILIUS. — Witakerus scribens contra P. Edmondum Campianum, p. 77, ait Raphaelem hic mentiri : sed apage impudens blasphemia. Dico ergo Angelum dicere verum : *primo*, quia, ut ait S. Athanasius in *Synopsi*, Raphael Tobiam comitatus assumpsit affigiem et formam Azariæ, ejusque personam præ se ferebat : sic imaginem S. Petri per metonymiam vere vocamus S. Petrum. Sic *Gen.* XXXI, 13, Angelus vere ait : « Ego sum Deus Bethel, » quia loquebatur in persona Dei, quasi ejus legatus. Sic *Exodi* XX, Angelus, vice Dei promulgans Decalogum, ait : « Ego sum Deus, » quia loquitur in persona Dei. Addunt aliqui ex S. Thoma, I *part. Quæst.* LI, art. 2, Raphaelem dici Azariam, quia corpus Azariæ jam vita functi ex sepulcro assumpserat et induerat. Verum hoc indecens fuisset, nec sufficeret, quia corpus Azariæ non est Azarias. Denique, male id colligunt ex S. Thoma, qui Angelis tribuit corpus aereum.

Secundo, quia, ut ait S. Gregorius, *hom.* 34, Angeli in se non habent nomina, cum invicem videant et colloquantur facie ad faciem, sed ea sortiuntur et assumunt, ratione ministerii quod apud homines obeunt. Sic Michael pugnans pro fidelibus cum dracone superbo assumit nomen humilitatis, æque vocat Michael, id est, « quis ut Deus? » *Apocal.* XII. Gabriel vero idem est quod « fortitudo Dei, » quia præest prœliis Dei. Raphael idem est quod « curatio Dei, » quia ipse cæcitatem Tobiæ curavit. Idem hic se vocat « Azariam, » id est auxilium vel adjutorium Dei, quia ipse æque ac omnes Angeli sunt « administratorii spiritus, » ut ait Apostolus, *Hebr.* cap. I, vers. ult., hoc est ministri et adjutores Dei. Porro Græca habent : *Ego sum de genere Azariæ et Ananiæ magni et fratris tui, q. d.* Ego sum junior, sive minor Azarias filius senioris Azariæ, qui fuit filius magni Ananiæ, sive parentis Ananiæ, ut habet Hebræus. Raphael enim cæterique Angeli sunt filii Azariæ senioris, id est filii Dei, qui est compar et adjutor magni Ananiæ, id est Dei patris.

Secundo.

Posset quoque Azarias significare *prohibitio*, vel *retentio Dei*, a radice עזר *azar*, id est prohibuit, cohibuit, clausit, quia Raphael cohibuit Asmodæum, eumque in deserto conclusit.

Posset rursum « Azarias » significare *divitem*, vel *divitias Dei*, a radice עשר *ascar*, id est dives fuit : aut thesaurus Dei, a radice אוצר *otsar*, id est thesaurus : ipse etenim thesauros sapientiæ et beneficentiæ Dei in se continet, eorumque est minister et dispensator.

Posset denique « Azarias » verti *beatus*, vel *beatitudo* Dei, a radice אשר *asar*, id est beatitudo.

ANANIÆ MAGNI FILIUS. — Ananias si per ה *chet* scribatur, ut Hebraice dicatur Chananias, idem est quod *gratia Dei*, ait Beda, sive ut Pagninus, *donum, miseratio et gratificatio Dei, sive Deus donans, miserans et gratificans*; hujus enim filii sunt Angeli, ipseque Raphael, quia gratis ab eo acceperunt angelicam suam naturam, gratiam et gloriam, idque ut vult Franciscus Suarez et alii, per merita Christi, qui proinde per Ananiam hic accipi potest, ut ipse sit pater, princeps et Dominus Raphaelis omniumque Angelorum, ut docet Apostolus, *Ephes.* I, et *Hebr.* I.

Si autem *Ananias* scribatur per ע *ain*, idem est quod עב *anan* is, id est nubes Dei, quia scilicet Raphael et Angeli sunt filii Dei, qui est invisibilis, et per gloriam incomprehensibilis, cujus rei symbolum est nubes. Unde nubes in Scriptura dicitur latibulum, et quasi vestimentum Dei, quia Deus in nube se abscondebat et loquebatur, responsa dans ex propitiatorio, *Levit.* XVI, 2, ac per nubem passim apparebat Mosi et filiis Israel. Idem Dei imitatione fecit hic Raphael, qui per naturam suum Tobiæ erat invisibilis, ideoque corpore quasi nube se texit, et idcirco Tobias incognitus fuit in via. Illuc putet nomen Azariæ et Ananiæ hic magis esse appellativum quam proprium, de quo mox plura.

Raphael typus Christi. Allegorice Raphael fuit hic typus Christi. Ipse est « Azarias, » id est *adjutor Dei*, ad illuminandum, redimendum et salvandum homines cæcos, ac magni Ananiæ, id est Dei patris, ejusque gratiæ et misericordiæ filius, quia in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et gratiæ Dei absconditi, in eoque « inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, » ad *Colos.* II, 9, ideoque ipse jure Ananiæ, id est charitum et gratiarum filius est et appellatur. Hoc est, quod ait Christus, *Isaiæ* cap. L, vers. 7 : « Dominus Deus auxiliator meus; » et cap. LXIII, vers. 7 : « Miserationum Domini recordabor. » Tropologice Azarias fuit S. Paulus et Apostoli, virique Apostolici; hi enim sunt Dei adjutores in salute hominum procuranda. Unde ipse ait II *Cor.* V, 18 : « Deditque nobis ministerium reconciliationis : pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos : Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. »

Tropologia et Apostoli.

Azarias nomen appellativum.

Porro Azariæ nomen apud Hebræos fuit illustre, hincque magnorum Regum, Principum, Pontificum, Prophetarum, Cantorum. Rex enim Ozias filius Amasiæ dictus est Azarias; ac Pontifex, qui animose restitit Ozix regi volenti offerre incensum, pariter dictus est Azarias, ut patet II *Paral.* XXVI, fuitque filius Johanan Pontificis, ut patet I Par. VI, 10. Johanan autem idem est quod Ananias hoc eo vivus fuit Tobias. Fuit rursum alius Azarias Pontifex filius Sadoc Pontificis tempore Salomonis, de quo III *Reg.* IV, 2, et I *Paral.* VI, 9. Fuit et tertius Azarias filius Helciæ et pater Saraiæ Pontificis, avusque Esdræ, qui Ezechiæ regis pietatem adjuvit, II *Paral.* XXXI, 10, et I *Esdræ* VII, 1. Fuit insuper Azarias filius Nathan prefectus annonæ Salomonis, III *Reg.* IV, 5. Fuit Azarias filius Ethan, nepos Pharez et abnepos Judæ Patriarchæ, I *Paral.* II, 8, 38, alius nominatur Azarias filius Josiæ. Ad hæc fuit Azarias propheta, qui vaticinando animavit Asa regem Juda ad destruendam idola, II *Paral.* XV, 1 et seq. Rursum filius Josaphat regis Juda vocatus fuit Azarias, II *Paral.* XXI, 2. Fuit et Azarias, princeps Israelis, qui Israelitas præclum ex Juda abactam restituere generose coegit, II *Paral.* XXVIII, 12, tempore Achaz Regis Juda, ecl. pariter coævus fuit Tobias. Ac ut plures alios taceam, Ananias, Azarias et Mizael fuerunt tres adolescentes regii, socii Danielis Prophetæ, qui ob Dei cultum in fornacem ardentem conjecti, in ea illæsi permanserunt, *Daniel.* III, atque ex Azaria Levita prognatus est Samuel Propheta, ejusque nepos Heman Cantor in templo, tempore Davidis, I *Paral.* VI, 46. Ad omnes hos alludit hic Raphael, sed præsertim ad Azariam Pontificem filium Johanan, sive Ananiæ. Est enim Raphael rex Angelorum, sicut Asmodæus dæmonum, ut dixi. Idem quasi Pontifex obtulit incensum Deo, scilicet preces Tobiæ, cap. XII, vers. 12 ; idem ut cantor assidue canit Deo : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, » *Isaiæ* VI, 3. Ipse enim est ex Seraphinis. Idem est Propheta, quia hic Tobiæ curationem excitatis prædicit, imo præstitit. Quocirca recte notat Salianus, tom. IV, anno mundi 3220, num. 3. Azariæ nomen non tam esse proprium quam appellativum, utpote quod sibi honoris causa multi Pontifices, quasi agnomen asciverunt, quasi eo postulantes et sperantes auxilium Dei (hoc enim significat Azarias). Nam Septuaginta Sixtini filium Joiadæ, non Zachariam, sed Azariam vocant, II Par. XXIV. Et Rex ipse Ozias in libris Regum dicitur Azarias, et quidem cognomento, ut ait S. Hieronymus in cap. I *Amos*. Et Pontifex qui tempore Ezechiæ floruit, a Josepho et Chronologis Hebræis vocatur Nerias, II *Paral.* XXXII, 10 et 13. Azarias nomiantur.

Ad quem alludit Raphael.

19. Et Tobias respondit : Ex magno genere es tu. — Addunt Græca eum subjunxisse : *Ananiæ et Jonathan Magni filius Samiæ* (Hebræus, *Semoth*, id est pacifici, vel retribuentis) *filius ego novi jam tum, cum Jerosolymam una adorandi, et primogenita decimasque fructuum consecrandi causa profecti eramus; non enim in errorem cognatorum nostrorum ad duci fuerunt, ut adorarent vitulos aureos a Jeroboam in Israel erectos.* Ex hisce verbis liquet : *primo*, vere ævo Tobiæ fuisse Azariam filium Ananiæ; *secundo*, Ananiam fuisse Israelitam, non Judæum; *tertio*, fuisse virum fidelem et pium; *quarto*, Tobiæ cognitum et amicum, ideoque Azariæ ejus filii speciem et nomen assumpsit Raphael.

Vers. 19.

21. Angelus eius comitatus vobiscum. — Illinc patet illo ævo Tobiam et fideles credidisse Angelos custodes singulis hominibus a Deo deputatos, eos comitari, dirigere, instruere, defendere, etc. Græca addunt Tobiam Angelo pro mercede sui ducatus promisisse drachmam per diem, et necessaria ad vitam et victum, atque si sani redissent, additum se honorarium super mercedem. Drachma auri est coronatus Francicus, qui nimium erat Tobiæ pauperi pretium; quare drachma argenti, quæ valet Regalem Hispanicum quinque stuferorum, sive decem bajocorum hic accipienda videtur.

Vers. 21.

23. Cumque profecti essent, — addunt Græca, et canis pueri cum eis, quod habet cap. sequent., vers. 1.

27. Comitetur me, — id est, cum vel cum eo

Nec putes esse solœcismum, sic enim loquitur Cicero, *Tusculan. Quæstionibus*, cap. V, et sic latine dicimus : ipse mihi est comes; comitari enim est esse comitem.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Raphael monet Tobiam, ut piscem se invadentem branchia ex aquis extrahat, exenteret, ac cor, fel, jecur ad pharmaca reservet; deinde, ut Saram sibi postulet uxorem a Raguele patre.

1. Profectus est autem Tobias, et canis secutus est eum, et mansit prima mansione juxta fluvium Tigris. 2. Et exivit ut lavaret pedes suos, et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum. 3. Quem expavescens Tobias clamavit voce magna, dicens : Domine, invadit me. 4. Et dixit ei Angelus : Apprehende branchiam ejus, et trahe eum ad te. Quod cum fecisset, attraxit eum in siccum, et palpitare cœpit ante pedes ejus. 5. Tunc dixit ei Angelus : Exentera hunc piscem, et cor ejus, et fel, et jecur repone tibi; sunt enim hæc necessaria ad medicamenta utiliter. 6. Quod cum fecisset, assavit carnes ejus, et secum tulerunt in via : cætera salierunt, quæ sufficerent eis, quousque pervenirent in Rages civitatem Medorum. 7. Tunc interrogavit Tobias Angelum, et dixit ei : Obsecro te, Azaria frater, ut dicas mihi quod remedium habebunt ista quæ de pisce servare jussisti? 8. Et respondens Angelus, dixit ei : Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, sive à viro, sive à mulicre, ita ut ultra non accedat ad eos. 9. Et fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, et sanabuntur. 10. Et dixit ei Tobias : Ubi vis ut maneamus? 11. Respondensque Angelus, ait : Est hic Raguel nomine, vir propinquus de tribu tua, et hic habet filiam nomine Saram; sed neque masculum, neque fœminam ullam habet aliam præter eam. 12. Tibi debetur omnis substantia ejus, et oportet eam te accipere conjugem. 13. Pete ergo eam a patre ejus, et dabit tibi eam in uxorem. 14. Tunc respondit Tobias, et dixit : Audio quia tradita est septem viris, et mortui sunt; sed et hoc audivi, quia dæmonium occidit illos. 15. Timeo ergo ne forte et mihi hæc eveniant : et cum sim unicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos. 16. Tunc Angelus Raphael dixit ei : Audi me, et ostendam tibi quæ sunt, quibus prævalere potest dæmonium. 17. Illi namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et sue libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus : habet potestatem dæmonium super eos. 18. Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, et nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea. 19. Ipsa autem nocte, incenso jecore piscis, fugabitur dæmonium. 20. Secunda vero nocte, in copulatione sanctorum patriarcharum admitteris. 21. Tertia autem nocte, benedictionem consequeris, ut filii ex vobis procreentur incolumes. 22. Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.

1. Et canis secutus est eum, — uti canes familiares sequuntur heros, a quibus nutriuntur. Dicit hoc ad nexum historiæ : nam mœsti parentes ex præcurrente cane cognoverunt reditum Tobiæ, cap. XI, vers. 9.

Et mansit prima mansione juxta fluvium Tigris, — puta in domo, vel hospitio Tigri adjacente. Exierat enim illo die e Ninive, quæ Tigri adjacet.

2. Et exivit (ex hospitio ad flumen Tigrim), ut lavaret pedes suos, — ex itinere fatigatos, ac pulvere et sudore sordidos et olidos. Vers. 2.

Et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum. — Quæres : Quisnam fuit hic piscis? *Primo* aliqui censent fuisse cetum, sive balænam; hæc enim homines vorat et glutit. Verum balenas, utpote vastissimas, non capit Tigris fluvius, sed Piscis immanis quis? Resp.

vastum mare. Rursum balænam solus Tobias extrahere nequivisset.

Secundo. *Secundo*, Dionysius Carthusianus putat fuisse crocodilum : hic enim ex Nilo egreditur et homines in terra insequitur, necat et devorat. Est enim amphibius, tamque in terra, quam in aquis degit et pascitur. Verum crocodilum extrahere nequivisset Tobias. Addo : Crocodilus in terra vivit; hic autem piscis, extractus in terram a Tobia, cœpit « ante pedes ejus palpitare, » deficere et mori, uti solent pisces extra aquam.

Tertio. *Tertio*, Rubini, quos sequitur Georgius Venetus, tom. VI, *Problem.* CLXXXV, censent esse lucium piscem, qui vorax est, adeoque ceteros pisces devorat, ideoque dicitur lucius, Græce λύκος, id est lupinus, quasi lupus piscium. Verum lucii non sunt tam grandes et audaces, ut hominem invadere audeant.

Quarto recitat Salmeron. Gallicanus piscis describitur, etc. *Quarto*, ergo verisimilius Franciscus Valesius Sacræ *Philos.* cap. XLII, ex Plinio, Nicandro et aliis censet hunc piscem fuisse callionymum, id est, pulchri nominis, qui maximus est, carnivorus et voracissimus, dentes habens serrulos, ac pectulos in vertice capitis fixos; unde et uranoscopos, id est, cœlum spectans vocatur, et os inter oculos situm, ideoque ab Italis vocatur *bocca in cielo*; unde ejus aspectu territus fuit Tobias. Abundat felle, quod valet ad albugines ex oculis extergendas. Ita Dioscorus, lib. I, cap. XCVI, Galenus et Plinius, lib. XXXII, cap. VII, sub initium, quem audi : « Callionymi fel cicatrices sanat, et carnes oculorum supervacuas consumit; mulit hoc piscium copiosius. Idem piscis et uranoscopos vocatur ab oculo, quem in capite habet. » Ille ergo « exivit, » non interim, sed extra aquam, caput et guttur erigens et extendens, « ad devorandum eum, » scilicet Tobiam. Addo : Oppianus, libro II, callionymum vocat ἀγρυπνίτην, eo quod interdiu indormiat, noctu vigilet prædæ quærendæ causa, cui fures interdiu dormiunt, noctu vigilant, ut furentur. Ieitur potuit hic piscis e Tigri egredi in arenam vicinam, ibique Tobiam invadere. Subjungit Oppianus adeo voracem esse hunc piscem, ut ciborum copia nimis distento ventre disrumpatur et emoriatur, quo tristi exitu homines a luxu crapulaque deterret. Piscem hunc graphice per omnia membra describit Guillelmus Rondeletius, lib. X *De Piscibus*, cap. ult., ubi et addit eum callionymum, id est, pulchri nominis dici, eo quod, licet in se sit fœdus et turpis, oculos tamen habeat in vertice, ut semper in cœlum suspiciat, quæ forma dignior est homine, quam pisce. Hominis enim proprium est sursum aspicere et mente cœlum contemplari, fragilia et caduca quæque falso in bonis a vulgo habentur, contemnere, et infra se posita despicere : ergo hominis mens, æque ac nomen, sit uranoscopos juxta illud Ovidii :

Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit, et erecto ad sidera tollere vultus.

Dices : Callionymus, teste Plinio et Oppiano, est piscis marinus; hic autem erat ex Tigri fluvio. Respondeo : Pisces marini sæpe in magnis fluviis reperiuntur, præsertim in maris refluxu, quando fluvii exundant. Pisces enim amant aquam dulcem, qualis est in fluviis, sed nimirum est callionymum, qui duorum pedum mensuram non excedit, teste Rondeletio et Aldrovando, ausum fuisse Tobiam invadere : verum piscis hic vorax est æque ac stolidus, ideoque Tobiam invasit.

8. CORDIS EJUS PARTICULAM SI SUPER CARBONES FOVEAS (assés), FUMUS EJUS EXTRICAT OMNE GENUS DÆMONIORUM. — Quæres qua vi ac virtute piscis hujus cor æque ac fel vers. 19, fugat dæmones : Valesius, *Sacræ Philos.* cap. XXVIII, dicit pisci huic virtutem supernaturalem a Deo fuisse tributam ad fugandum dæmones, sicut igni inferni eadem tributa est ad eos torquendos, atque aquæ benedictæ data est vis eosdem fugandi, et animam a culpis abluendi. Innuitur hæc virtus verbo « extricat! » Favent Guillelmus Parisiensis, lib. *De Universo*, Dionysius Carthusianus, Petrus Gregorius Tolosanus, *Syntagm. Juris*, lib. XXXIV, cap. XXII, Hieronymus Mengus in flagello dæmonum, dicentes dæmones ob superbiam a Deo subjici certis corporibus, ac herbis. Verum hæc virtus in hoc pisce est inaudita, nec unica ejus suffumigatio potuit habere vim perpetuo arcendi dæmonem, « ita ut ultra non accedat, » ut hic dicitur.

Vers. 8. Cor pis ces fugat dæmones, qui vis? Resp. Prima.

Secundo. *Secundo*, noster Sanchez censet dæmonem fugari fumo cordis piscis hujus, ex eo quod hæc suffumigatio rei tam vilis fiat in dæmonis ignominiam et contemptum, quem ipse, utpote superbissimus non ferens, abit et refugit. Hinc exorcistæ energumenis colaphos impingunt, ridicula simulacra rerum turpissimarum e collo suspendunt, et probrosis verbis dæmonem exagitant, quæ ille ex superbia sustinere nequit, ideoque non raro abscedit, uti experientia constat : unde et in libro, qui inscribitur *flagellum dæmonum*, asseritur suffitus hosce adhibendos energumeno, et ignominiosa verba in dæmonem jaciendo. Unde in eo exorcismo quarto ita ab exorcista appellatur dæmon : « Spiritus immunde, miserrime, tentator, fallax, pater mendacii, hæretice, fatue, bestialis, furiose, tui Creatoris inimice, luxuriose, insipiens, crudelis, inique, prædo, bestia, serpens et sus macra, famelica, et immundissima, bestia scabiosa, bestia truculentissima, bestia omnium bestiarum bestialissima, ejecte de paradiso, de gratia Dei, de loco inenarrabili, de consortio et societate Angelorum creatura damnata, reprobata, et maledicta a Deo in æternum ob superbiam et nequitiam tuam, scelerate et nefande, maledicte, et excommunicate, blasphеme, damnate atque damnande. » Priscique hujus moris index est etiam Prudentius *Contra Symmachum* :

Intonat audistes Domini ; Fuge, calcibe serpens,
Exue te membris, et spiras a tre latentes;
Mancipium Christi, fur corruptissime, vesa.

Secundo.

Tertio. Tertio planius et plenius Lyranus, Serarius et Abulensis in I *Reg.* XVI, Quæst. XLVI, et Pererius in *Daniel.* pag. 272, censent fumum cordis piscis callionymi expulisse dæmonem inchoate vi naturali, ut insinuat hic Raphael, sed complete vi Angelica et cœlesti. Naturali, nimirum impediendo actionem dæmonis, per dispositionem contrariam, quomodo musica Davidis impediebat agitationem Saulis per dæmonem. Dæmon enim agit per naturales causas et humores maxime melancholicos : quæ ergo humores hosce tollunt vel minuunt, dæmonis actionem et vexationem infringunt. Hinc idipsum dicitur facere ruta, hypericon, cornua caprina, artemisia, cameleontis jecur, lapis Sandius, et Chrysolytus, etc. Quia (si tamen id verum est) nimirum discutiunt melancholiam, exhilarant animam, itaque mœrorem, perturbationem et anxietatem, ac desperationem, quam suggerit dæmon, dissipant. Vide Serarium et Delrio *in Magic.* lib. III, Quæst. XXVII, sect. II. Completa tamen causa, abigens dæmonem, fuit Raphael Angelus, qui ad suffitum jecoris propter merita et orationem Tobiæ fugabat dæmonem. Hoc autem tacuit Raphael, et suffitum prætexuit, ne se palefaceret, neve Tobias sciret eum esse Angelum, quem quasi hominem habebat viæ comitem et ducem; sicut eadem de causa vocavit se Azariam, ac cum Tobia comedit et bibit, id ita esse indicant Græca, quæ hanc vim non tribuunt cordi piscis; sed sic habent : *Fac fumigare cor et jecur coram viro, et non perturbabitur amplius*; quia, scilicet, ad hoc signum ego ex condicto et promisso meo pellam, et fugabo dæmonem perturbationis auctorem. Unde et cap. VIII, vers. 2, dicitur : « Protulit (Tobias) de cassidili suo partem jecoris, posuitque eam super carbones vivos; tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, et religavit illud in deserto : » non ergo jecur piscis, sed Raphael apprehendit et fugavit dæmonem, non tantum ex domo Raguelis, sed ex tota Media. Simili modo Magi et Saxæ per certas herbas et signa maleficii nocent, bestiasque et pueros occidunt, cum tamen illa per se ad hoc inefficacia sint, nullamque habeant vim physicam, sed tantum moralem, scilicet, ex pacto dæmonis. Dæmon enim, posito signo a se dato, damna hæc per se bestiis et infantibus infert.

Mystice Beda : « Piscis, inquit, qui Tobiam devorare cupiens, Angelo docente, occisus est, Diabolum significat, qui, dum in Redemptore nostro carnem appetit, captus est potentia divinitatis. » Ex adverso S. Augustinus, serm. 3 *De Petro et Paulo* : « Est, inquit, Christus piscis ille, qui ad Tobiam ascendit de flumine vivus; cujus jecore per passionem assato, fugatus est diabolus : et per amaritudinem fellis afflatus est cæcus, et illuminatus est mundus. » Sic Optatus Milevitanus in III *Contra Parmen.* per piscem Tigris accipit Christum.

EXTRICAT. — Nota : Proprium est dæmonis intricare, Raphaelis vero et Angelorum, extricare : sicut enim piscator pisces hamo et venator feras laqueo, aves vero visco et reti implicare satagit, ut capiat; sic dæmon corpus et animam variis doloribus, majoribus curis, angoribus, difficultatibus, scrupulis, litibus, rixis, concupiscentiis, intricare contendit, ut se expedire nequeat, sed fiat ejus et gehennæ præda. Vide S. Gregorium, XXXII *Moral.* cap. XVII, ad illa *Job* XL, 12 : *Nervi testiculorum ejus perplexi sunt.* « Suggestionum, inquit, illius (dæmonis) argumenta implicatis inventionibus illigantur, ut plerosque ita peccare faciat, qualenus si forte peccatum fugere appetant, hac sine alio peccato non evadant, et culpam faciant, dum vitant; » atque variis exemplis demonstrat, et tandem viam ex hoc labyrintho se extricandi, ostendit per hanc regulam, quasi per filum Ariadnes : « Dum mens inter minora et majora peccata constringitur, si omnino nullus sine peccato evadendi aditus patet, minora semper eligantur; quia et qui murorum undique ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi se in fugam præcipitat, ubi brevior murus invenitur. »

9. ET FEL VALET AD UNGENDOS OCULOS, IN QUIBUS FUERIT ALBUGO, ET SANABUNTUR. — Quæres an Tobias per fel hujus piscis naturali ejus vi et virtute visum receperit. Respondeo affirmative, Deo tamen vel Raphaele cooperante et suppleute, quod causæ illi naturali, puta felli piscis deerat, si videlicet sterilis illud calidum hirundinum humorem crystallinum et vim visivam internam Tobiæ non exsiccaverat, sed tantum albuginem et pelliculam oculis ejus obduxerat; hanc enim erosi fel piscis, uti indicatur cap. XI, 13. Sic enim ibi dicitur : « Tunc sumens Tobias de felle piscis, linivit oculos patris sui. Et sustinuit quasi dimidiam fere horam; et cœpit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi, egredi. Quam apprehendens Tobias, traxit ab oculis ejus, statimque visum recepit. Quid clarius : clariora tamen ibidem sunt Græca, quæ sic habent : *Ingersit fel super oculos patris sui, dicens : Confide, pater. Ut autem erosi sunt, detrivit oculos suos, et desquamate sunt ab angulis oculorum albugines. Et videns filium suum, procidit super collum ejus, et ploravit et dixit : Benedictus es, Deus.*

Vers. 9. Ad fe illuminandos oculos Tobiæ!

Secundo, quia hanc virtutem felli callionymi tribuit Plinius, lib XXXII, cap. VII, et Franciscus Valesius, *S. Philos.* cap. XLVII, quem audi : « Quia, cum ad extergendas albugines nihil magis a medicis omnibus celebratum sit, quam fel, inter omnia ejus genera, omnium maxime commendatu fel callionymi piscis, et mox hienæ. » Galenus quoque, libro X *De simplicium medicamentorum facultatibus*, capite XII : « Porro, inquit, quorumdam animalium bilis singulariter a medicis extollitur, tanquam aciem exacuat oculorum, et suffusionum initia digerat, veluti piscis, quem vocant callionymum, hienæ, et scorpii

marini, tum galli et perdicis. » Sic ille. Idem docet Ælianus, lib. XIII, cap. XIV, cæterique medici. Ita censent Lyranus, Dionysius, Serarius et alii.

Dices : Tobias erat excæcatus, planeque cæcus; ergo a felle piscis visum recipere non potuit. Respondeo, erat cæcus exterius ob pellem oculis obductam, non interius, ut vis visiva fuerit extincta, ideoque erat cæcus actu, ac potentiam proximam videndi amiserat, non remotam et radicalem : si quis contendat eum omnino fuisse cæcum, et vim visivam amisisse, necesse est ut consequenter dicat eum non fuisse piscis, sed sola virtute divina supernaturali illuminatum fuisse, uti dixi de fugatione Asmodæi per cor piscis. Allegorice Tobias, per fel illuminans patrem, fuit typus Christi, qui cæcum a nativitate illuminavit sua saliva et luto, *Joan.* cap. IX, vers. 6.

Tropologice, fel est amaritudo perversitatis et tribulationis, quæ oculos sequis molle voluptatis terrenæ excæcatos, eo discusso aperit, ut videant peccati turpitudinem, gehennæ atrocitatem, virtutis pulchritudinem, Dei benignitatem, cæli gaudia, etc.

Mystice S. Prosper, parte II *Promis.* cap. XXIX : « Mysticum, ait, actionis hujus hoc est, quod ex interioribus piscis, et dæmon fugatus est, et Tobias illuminatus. Hoc agit piscis magnus ex passione sua Christus, purgans Mariam, ex qua expulit septem dæmonia. » Et postea : « *Ipse* namque, Latine piscem, sacris litteris majores nostri hoc interpretati sunt, ex Sybillinis versibus colligentes, quod est Jesus Christus Filius Dei salvator, piscis in sua passione decoctus, cujus ex interioribus remediis quotidie illuminamur et pascimur. »

Vers. 14 et 15. 14 et 15. AUDIO QUIA TRADITA EST SEPTEM VIRIS, ET MORTUI SUNT : SED ET HOC AUDIVI, QUIA DÆMONIUM OCCIDIT ILLOS. TIMEO ERGO NE FORTE ET MIHI AD SARA HUIC EVENIANT. — Græca addunt : *Quoniam dæmonium amat ipsam, quod injuria non afficit quemquam præter accedentes ad eam*, q. d. Ipsa habet dæmonem incubum, qui, amans ipsam, cæteros ejus proceres occidit. Nam dæmones in corpora assumpto excipere semen alicujus viri, illudque in feminam infundere, ac per illud prolem generare, uti aiunt Merlinum ac Arelurum esse progenitos, asserunt D. Thomas, Abulensis, Victoria, Molina, Cantipratensis, Cæsarius, Camerinus, Hector, Boethius et alii quos citat et sequitur Serarius, cap. VIII, *Quæst.* IV. Adde S. Augustinum, XV *De Civ.* XXIII : « Creberrimo fama est, multique se expertos, vel ab eis qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audisse affirmant Sylvanos et Faunos, quos vulgo incubos vocant, improbos exstitisse mulieribus, et earum appetisse ac peregisse concubitum, et quosdam dæmones, quos Dusios Galli nuncupant, hanc assiduo inimunditiam tentare, et efficere : plures, imoque asseverant, ut hoc negare impudentiæ vindicatur. » Audi et exemplum quod refert Auctor *Vitæ S. Bernardi*, lib. II, versu 6 : « Mulier quædam in regione Nannetî a quodam petulante dæmone sex annis, habito ejus consensu, incredibili libidine vexata est. Apparuerat ei in specie pulchri militis, et sæpe abutebatur ea invisibiliter, marito ejus in eodem lecto cubante, lascivus ille spiritus. Quæ anno septimo timore correpta, veniente in prædictam civitatem S. Bernardo Clarævallis abbate, misera mulier ad pedes ejus corruit, passionem horribilem et ludificationem diabolicam multis cum lacrymis confessa, sucurrî sibi flagitavit : a quo consolata, et quid facere deberet edocta, post confessionem diabolus ad illam accedere non potuit. »

Verum dæmon proprie non amat feminas libidinis suæ causa, cum carne careat, ideoque nullam habeat libidinis sensum, sed amorem simulat, ut feminas in sui amorem et peccatum infandum pelliciat. Porro non est verisimile Asmodeum hic fuisse amasium et incubum Saræ, tum quia sciebat illam esse castissimam, ideoque ei generose restituram. Quare Tobias, dicens Asmodeum amare Saram, id dixit non ex suo, sed ex vulgi sensu et fama. « Audio, » inquit : vulgus enim, videns septem sponsos Saræ esse occisos a dæmonio, suspicabatur id fieri ex ejus rivali amore et zelotypia; sic enim proci eamdem ambientes sponsam sæpe se mutuo interimunt. Nam versu 17. Raphael Angelus non hanc, sed prorsus aliam, et, quas) contrariam occisionis eorum affert causam, scilicet eos cæsos ab Asmodæo, ob scelera et effrenem libidinem. Ita Serarius.

17. ET SUÆ LIBIDINI ITA VACENT, SICUT EQUUS ET MULUS, — nam ut Aristoteles, lib. VI *Hist. anim.* cap. XXIII : Salacissimus omnium tam feminarum, quam marium, equus est. » Unde illud *Jerem.* V, 7 et 8 : » In domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores et admissarii facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. » Mulus quoque, licet sterilis, ardet libidine. Unde veteres luxuriosum designabant pingendo mulum, aut mulam, teste Pierio, *Hieroglyph.* XII. Adde certum genus mulorum a cæteris diversum esse in Cappadocia et Syria, quæ parit et procreat instar equorum, teste Aristotele, lib. I *Histor. anim.* cap. VI, et lib. VI, cap. XXIV. Vers. 17.

19. INCESSO JECORE PISCIS FUGABITUR DÆMONIUM. — non tam vi jecoris, quam mea, hoc est angelica et divina ob tuas, o Tobia, preces et merita, virtute. Vide dicta vers. 8. Mystice S. Augustinus, loco citato : « Christus, inquit, est piscis iste qui ad Tobiam ascendit; hujus jecore per passionem (in ara crucis) assato fugatus est diabolus » Apte id fit per jecur, quia in jecore est sedes amoris et concupiscentiæ quæ hic Christi passione exstinguitur. Vers. 19.

20. SECUNDA VERO NOCTE IN COPULATIONE SANCTORUM PATRIARCHARUM ADMITTERIS, — *q. d.* Eris particeps meritorum, seu sanctitatis S. Patriarcharum, puta Abrahæ, Isaac, Jacob, Joseph, etc., ut Vers. 20.

sient ipsi caste utentes suis uxoribus insignes, sanctosque genuere filios, sic et tu facias ex Sara, ut sequitur versu 21. Jubet ergo Raphael Tobiæ, ut per tres primas a conjugio noctes vacet orationi cum Sara, antequam illud consummet; sic enim fugandum Asmodæum, qui libidinosos occidit, ac conjugium sancte initurum, ac sanctos a Deo adepturum filios. Utinam conjuges Christiani consilium hoc Raphaelis, et Tobiæ ei obedientis, exemplum sequantur. In Tridentino Concilio *Sess.* XXIV, ita legitur *De Reform. Matrim.* cap. I : « Sancta synodus conjuges hortatur, ut, antequam contrahant, vel saltem triduo, ante matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, et ad SS. Eucharistiæ Sacramentum pie accedant. »

22. AMORE FILIORUM MAGIS QUAM LIBIDINE DUCTUS. — Finis enim copulæ debet esse desiderium prolium fidelium. « Hæc enim sunt tria matrimonii bona, fides (conjugalis), proles, sacramentum, » ut ex S. Augustino docent Theologi.

Audi S. Augustinum, lib. *De bono conjug.* cap. VI : « Conjugalis, ait, concubitus generandi gratia non habet culpam : concupiscentiæ vero vitiandæ, sed tamen cum conjuge, propter fidem thori, venialem habet culpam. Adulterium vero, sive fornicatio lethalem habet culpam; ac, per hoc, melior est quidem ab omni concubitu continentia, quam vel ipse matrimonialis concubitus, qui fit causa gignendi. » Et S. Fulgentius, epist. I, cap. III : « Conjugalis potestatis, ait, inculpabilis est usus, officio gignendi divinitus attributus, si justitia terminum transgredi libidinosus non permittatur excessus. Justitia vero utendi conjugii hæc est, ut non explendæ libidinis, sed substituendæ prolis obtentu, sibi conjuges concreo tempore misceantur. Sic ergo quæri debet ex nuptiis fructus, ut cohibendus sit lubricæ voluptatis excessus. »

Quin et Philosophi idem sensere, ut Plato, lib. IV *De legibus* : « Oportet, inquit, parentes gignere et educare liberos, qui vitam tanquam lampadem posteris tradant, ut sint semper aliqui Deum colentes, juxta ipsius leges. »

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tobias Saram uxorem a patre Raguele postulat, et impetrat; conjugii tabulæ scribuntur, et nuptiæ celebrantur.

1. Ingressi sunt autem ad Raguelem, et suscepit eos Raguel cum gaudio. 2. Intuensque Tobiam Raguel, dixit Annæ uxori suæ : Quam similis est juvenis iste consobrino meo! 3. Et cum hæc dixisset, ait : Unde estis juvenes nostri? At illi dixerunt : Ex tribu Nephtali sumus, ex captivitate Ninive. 4. Dixitque illis Raguel : Nostis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt : Novimus. 5. Cumque multa bona loqueretur de eo, dixit Angelus ad Raguelem : Tobias, de quo interrogas, pater istius est. 6. Et misit se Raguel, et cum lacrymis osculatus est eum, et plorans super collum ejus, dixit : Benedictio sit tibi, fili mi, quia bonus et optimus vir filius es. 8. Et Anna uxor ejus, et Sara ipsorum filia, lacrymatæ sunt. 9. Postquam autem locuti sunt, præcepit Raguel occidi arietem, et parari convivium. Cumque hortaretur eos discumbere ad prandium; 10. Tobias dixit : Ilic ego hodie non manducabo, neque bibam, nisi prius petitionem meam confirmes, et promittas mihi dare Saram filiam tuam. 11. Quo audito verbo Raguel expavit, sciens quid evenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam : et timere cœpit ne forte et huic similiter contingeret; et eam mutaret, et nec daret petenti ullum responsum. 12. Dixit ei Angelus : Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debetur conjux filia tua; propterea alius non potuit habere illam. 13. Tunc dixit Raguel : Non dubito quod Deus preces et lacrymas meas in conspectu suo admiserit. 14. Et credo quoniam ideo fecit vos venire ad me, ut ista conjungeretur cognationi suæ secundum legem Moysi : et nunc noli dubium gerere quod tibi eam tradam. 15. Et apprehendens dexteram filiæ suæ, dextræ Tobiæ tradidit dicens : Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob vobiscum sit, et ipse conjungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis. 16. Et accepta charta, fecerunt conscriptionem conjugii. 17. Et post hæc epulati sunt, benedicentes Deum.

18. Vocavitque Raguel ad se Annam uxorem suam, et præcepit ei ut præpararet alterum cubiculum. 19. Et introduxit illuc Saram filiam suam, et lacrymata est. 20. Dixitque ei : Forti animo esto, filia mea, Dominus cœli det tibi gaudium pro tædio quod perpessa es.

Vers. 2. 2. QUAM SIMILIS EST JUVENIS CONSOBRINO SUO? — puta Tobiæ seniori, qui Raguelis erat patruelis. Tobias enim junior similis erat patri suo, uti sæpe accidit.

Vers. 3. 3. EX TRIBU NEPHTALI SUMUS. — Non Tobiam hoc dixisse, non angelum Raphaelem. Tobias autem putabat Raphaelem non esse Angelum, sed contribulem suum : « Dixerunt » ergo, hoc est, dixit unus Tobias respondens pro utroque scilicet tam pro Angelo comite suo, quam pro se ipso : si tamen quis contendat hæc utriusque esse verba, ac Raphaelem asserere se esse tribus Nephtali non filium, sed Angelum custodem, vel tutelarem, quomodo *Daniel.* X, vocatur Angelus Persarum, Græcorum, Hebræorum. Atque hoc sensu Angeli nobis concives et contribules dici queunt. Ita Angelus Joannis Apostoli se conservum vocat Apoc. XIX, 10. Denique Raphael hic sumpserat formam, personam et nomen Azariæ, ideoque recte se Nephtalitam vocare poterat; talis enim erat Azarias. Vide dicta, cap. V, vers. 18.

Vers. 6. 4. NOSTIS TOBIAM FRATREM MEUM? — « Fratrem, » id est patruelem et cognatum, uti jam dixi.

Vers. 9. 6. ET MISIT SE RAGUEL. — in collum Tobiæ, cum complexans et osculans. Græce est : *Emisit Raguel* præ lætitia.

Vers. 8. 8. LACRYMATA SUNT. — Addunt Græca, id fecisse postquam audierunt Tobiam amisisse visum oculorum.

Vers. 11. 11. QUID EVENERIT SEPTEM VIRIS QUI INGRESSI SUNT AD EAM, — scilicet in thalamum nuptialem ante complexum maritalem. Nam Græci et Hebræa addunt : « Dæmonium occidit eos, antequam cum ea ipsi fuissent ut in uxoribus, » id est antequam uxoriam copulam cum ea habuissent.

Quæres : Cur tot sponsi ambierunt Saram, præsertim cum posteriores vidissent priorum necem? Respondeo : *Prima* illecebra fuit singularis Saræ forma et pulchritudo; *secunda*, quod unica esset hæres ingentium opum Raguelis patris sui; *tertia*, quod existimaverint fortasse jure propinquitatis sibi debitam; cum non adesset Tobias, cui, ut habetur vers. 14, debebatur tanquam propinquiori. *Quarta*, quia amor dementabat eos. Nam, ut ait S. Augustinus, « nimium præceps est, qui transire contenderit, ubi alium conspexerit cecidisse. »

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Et, ut ait Plinius, lib. XXVIII, cap. V : « Optimum est aliena insania frui. »

Rursum disce hic quam omnis voluptas etiam conjugii sit anceps et instabilis. En tibi hi sponsi in ipsis sponsæ nuptiis occiduntur, uti plurimos similibus contigit, et sæpe contingit; unde proverbium est Ben-Spira : « Sponsa ascendit in thalamum, neque quid sibi eventurum sit novit. » Nam ut ait Seneca, *epist.* 26 : « Incertum est quo loco te mors exspectet. Itaque tu illam omni loco exspecta. »

Rursum discant hic conjuges caste uti conjugio, cæterique caste vivere, ne ab Asmodæo, atque ac impudici hi sponsi occidantur. Ante paucos annos in Belgio existenti mihi narravit sacerdos gravis e Societate nostra, in missione castrensi, se militem quemdam ob concubinatum infamem carpius monuisse, ut vitam corrigeret, sed frustra : quare tandem zelo et enthusiasmo actum minatum ei fuisse, edixisseque, nisi cito esse emendaret, experturum iram Dei vindictam. Ita factum, nam paulo post, Deus tempestatem, tonitrua ac fulmina cum horrendo fragore, omniumque terrore emisit, ac unicum illum in turpi concubinæ complexu una cum illa, fulgure afflavit et sideravit; itaque in flagranti delicto corpus fulguri, animam gehennæ tradidit, omnibus succlamantibus : « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum! »

TOBIÆ COEPIT, NE ET HUIC FORTE SIMILITER CONTINGERET. — Laudat Raguelem S. Ambrosius, libro III *Offic.* cap. XIV : « Raguel, inquit, præcipue formam honestatis expressit, qui contemplatione honestatis, cum rogaretur, ut filiam suam in conjugium daret, vitia quoque filiæ non tacebat, ne circumvenire petitorem tacendo videretur. » Et paulo post : « Justus vir plus alienis timebat, et malebat sibi innuptam manere filiam, quam propter nuptias ejus extraneos periclitari. »

Vers. ult. 16. FECERUNT CONSCRIPTIONES CONJUGII. — Fecerunt instrumentum authenticum, in quo conscripserunt conditiones et pacta conjugii, scilicet promissa tam sponsi, quam sponsæ, ejusque parentum. Non dubitarunt parentes, licet territi nece septem sponsorum, dare Saram filiam Tobiæ; tum quia Raphael vultus verborumque gravitate, imo majestate id suadebat, et securitatem spondebat, tum quia Deus eos interius ad connubium hoc peragendum incitabat; ita Dionysius, Serarius et alii.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tobias suffitu cordis et jecoris piscis fugat Asmodæum, quem Raphael in deserto alligat. Tobiam, consummato matrimonio, Raguel omnium bonorum hæredem facit.

1. Postquam vero cœnaverunt, introduxerunt juvenem ad eam. 2. Recordatus itaque Tobias sermonum Angeli, protulit de cassidili suo partem jecoris, posuitque eam super carbones vivos. 3. Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, et religavit illud in deserto superioris Ægypti. 4. Tunc hortatus est virginem Tobias, dixitque ei : Sara, exsurge, et deprecemur Deum hodie, et cras, et secundum cras; quia his tribus noctibus Deo jungimur : tertia autem transacta nocte, in nostro erimus conjugio. 5. Filii quippe sanctorum sumus, et non possumus ita conjungi, sicut gentes quæ ignorant Deum. 6. Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul, ut sanitas daretur eis. 7. Dixitque Tobias : Domine Deus patrum nostrorum, benedicant te cœli et terræ, mareque, et fontes, et flumina, et omnes creaturæ tuæ, quæ in eis sunt. 8. Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adjutorium Hevam. 9. Et nunc, Domine, tu scis quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum. 10. Dixit quoque Sara : Miserere nobis, Domine, miserere nobis, et consenescamus ambo pariter sani. 11. Et factum est circa pullorum cantum, accersiri jussit Raguel servos suos, et abierunt cum eo pariter ut foderent sepulcrum. 12. Dicebat enim : Ne forte simili modo evenerit ei, quo et cæteris illis septem viris, qui sunt ingressi ad eam. 13. Cumque parassent fossam, reversus Raguel ad uxorem suam, dixit ei : 14. Mitte unam ex ancillis tuis, et videat, si mortuus est, ut sepeliam eum antequam illucescat dies. 15. At illa misit unam ex ancillis suis. Quæ ingressa cubiculum, reperit eos salvos et incolumes, secum pariter dormientes. 16. Et reversa nuntiavit bonum nuntium : et benedixerunt Dominum, Raguel videlicet et Anna uxor ejus, 17. et dixerunt : Benedicimus te, Domine Deus Israel, quia non contigit quemadmodum putabamus. 18. Fecisti enim nobiscum misericordiam tuam, et exclusisti a nobis inimicum persequentem nos. 19. Misertus es autem duobus unicis. Fac ecs, Domine, plenius benedicere te, et sacrificium tibi laudis tuæ et suæ sanitatis offerre, ut cognoscat universitas gentium, quia tu es Deus solus in universa terra. 20. Statimque præcepit servis suis Raguel, ut replerent fossam quam fecerant, priusquam elucesceret. 21. Uxori autem suæ dixit, ut instrueret convivium, et præpararet omnia quæ in cibos erant iter agentibus necessaria. 22. Duas quoque pingues vaccas, quatuor arietes occidi fecit, et parari epulas omnibus vicinis suis, cunctisque amicis. 23. Et adjuravit Raguel Tobiam ut duas hebdomadas moraretur apud se. 24. De omnibus autem quæ possidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiæ, et fecit scripturam, ut pars dimidia quæ supererat, post obitum eorum, Tobiæ domino deveniret.

Vers. 2. 2. PROTULIT DE CASSIDILI, — id est de pera viatorum, instar cassis, sive retis confecta, quali aucupes et piscatores utuntur. Cassidilis enim est diminutivum a cassis, q. d. parva cassis, vel parvum rete, puta sacculus reticulatus, in qua viatores suas reculas et alimenta reponunt. Ita Lyranus, Dionysius et Budæus. Aut cassidula dicitur a casside, id est galea, quod galeæ similitudinem referat.

PARTEM JECORIS, POSUITQUE EAM SUPER CARBONES VIVOS, — id est ardentes et flammantes : ignis enim, per flammam esse agitans et quasi respirans videtur vivere. Græca uberius sic habent :

et imposuit cor piscis, et hepar, fumumque fecit; et quando odoratus est dæmon odores, fugit ad Ægypti suprema. Hebræus autem : *Percepit Asmodæus odorem et fugit.* Ergo fumus hic jecoris et cordis aliquid physice efficiebat, quo fugabatur dæmon : quidnam hoc fuerit dixi cap. VI, vers. 8. Quibus adde sanctitatem, *scripta*, benedictionem, et preces tam Raphaelis, quam Tobiæ, juncta fumo illi energiam dedisse ad fugandum Asmodæum : sicut pulsu campanarum ab Ecclesia benedictarum fugatur dæmon excitans procellas et tempestates, non vi pulsus, sed vi orationis Ecclesiæ, per quam benedicta sunt. Idem fit per aquam lustralem, per agnos et cereos benedictos, perque alias res consecratas. Sic olim S. Hieronymus, S. Antonius, aliique Anachoretæ, dantes energumeno panem vel oleum a se benedictum, expellebant dæmonem.

Similiter prorsus refert Josephus, lib. VIII *Antiquitat.* cap. II, de radice dicta Baaras a Salomone ostensa, cujus odoratu fugabatur dæmon : « Vidi, inquit, ex popularibus meis quemdam Eleazarum in præsentia Vespasiani, et filiorum, et tribunorum, reliquorumque militum multos arreptitios percurantem. Modus vero curationis erat hic : Admoto naribus dæmoniaci annulo, sub cujus sigillo inclusa erat radicis species a Salomone indicata; ad cujus olfactum per nasum extrahebat dæmonium, et collapso mox homine, adjurabat id, ne amplius rediret : Salomonis interim mentionem faciens, et incantationes ab illo inventas recitans. » Hæc si vera sunt et proba, non magica, uti proba esse censent Jansenius et Franciscus Lucas in cap. XII *Matth.*, Tolletus in cap. XI *Lucæ*, Salmeron, tom. VIII, tractat. 16, dicendum est quod a D. Thoma, *Quæst. VI De potentia*, art. 10, ad 3, dictum est, et a Victoria relectum de Magia usurpatum, potuisse quidem certam quamdam et piam formulam ejiciendi dæmones institui a Salomone, sancto nullute, quam Deus peculiari sua auctoritate, ad dæmones fugandos confirmaret. In hac etiam nihil magicum, nihil ex amicitia et fœdere cum dæmone. At a Salomone idololatra et magicæ artis postea sterilioso, si unquam conscripti, traditive exorcismi, hos oportet magicos fuisse, et nulla divina aut angelica virtute fultos, ad abigendos dæmones, sed tantum pacto impio et nefaria magia. Hanc sane olet radix illa Josephi inclusa annulo, in qua nulla facultas supra spiritum, ait noster Pineda, libro III *De rebus Salom.* cap. XXIX. Nam et Serario hic *Quæst.* V, cap. VII, displicent hæc duæ. *Primum*, quod lib. VII *Belli*, cap. V, asserat radicem Baaras e terra evelli non posse, nisi moriatur is qui evellit, sive homo sit, sive canis. *Secundum*, quod dæmones vocet malorum hominum spiritus. Quin et Delrio *in Magic.* lib. VI, cap. II, Quæst. III, sect. 2, cum Pineda censet falso radices has et dæmonum exorcismos adscribi Salomoni. Illi ergo suspecti sunt, incertique et dubiæ fidei. Judæi enim, qui eos jactant, magis abundant, ac forte Eleazarus ille Josephi fuit magus. Sanctior, ideoque securior, et dæmoni formidabilior fuit virga S. Benedicti, de qua S. Gregorius, lib. II *Dialog.* cap. IV. Siquidem percussus Monachus, quem sæpe nigellus puer ab oratione abducebat, « deinceps ad orationis studium immobilis permansit, sicque antiquus hostis dominari non ausus est ejus in cogitatione, ac si percussus fuisset ex verbere. »

3. ET RELIGAVIT ILLUD IN DESERTO. — Nota : Raphael ligavit Asmodæum in deserto per decretum et potestatem divinam, cum detinendo in deserto, ut se loco movere, et inde egredi non posset. Hoc autem fieri potest tribus modis; *primo*, jubendo ex parte Dei ne se moveret, ac si secus faciat, minando ei acres pœnas et verbera : imo si egrediatur, vi et verberibus eum ad regressum compellendo. Sic lex ligat hominem, id est obligat hominem, ideoque lex a ligando dicitur, ut multi volunt juxta illud : Raphael religavit Asmodæum. Tirinus.

Verba ligant homines, taurorum cornua funes.

Secundo, imprimendo dæmoni qualitatem aliquam detentivam, v. g. impetum et vim permanentem, quæ eum in loco detineat. Sic enim vis fortis debilem brachiis suis detinet, et certo loco affigit. Cur idem facere nequeat Angelus diabolo. Bernardin.

Tertio et efficacissime orando Deum, ut subtrahat dæmoni concursum suum, qui necessarius est ad motum localem, ut egredi possit. Sic dæmones ligantur in inferno, ut egredi nequeant. Sic Lucifer ibidem ligatus est per mille annos, *Apoc.* XX, 2. Sic quatuor Angeli ligati fuere in Euphrate, *Apoc.* IX, 14. Vide ibi dicta. Tertio.

Porro, quamdiu Asmodæus ligatus fuerit a Raphaele non constat. Probabile est per totam vitam Tobiæ et Saræ fuisse ligatum, ne eis unquam nocere posset : propter eos enim alligatus fuit. Ita Sanchez et Serarius.

Multo magis dæmon ligatus est a Christo, ut ait S. Antonius apud S. Athanasium : « Hamo crucis ut draco adunctatus a Domino est, et capistro ligatus, ut jumentum, et quasi mancipium fugitivum vinculis circuli, et armilla labia perforatus, nullum omnino fidelium devorare permittitur. Nunc miserabilis, ut passer, ad ludendum irretitus a Christo est, calcaneo Christianorum subtractus gemit. Ille, qui universa maria a se deleta plaudebat, ille, qui orbem terrarum manu sua tenere politebatur, ecce a nobis vincitur, ecce me adversum se prohibere non potest disputantem. »

IN DESERTO SUPERIORIS ÆGYPTI, — puta in parte Australi Ægypti, quæ alta et montosa est, ex qua defluit Nilus, quæque Thebais vocatur, ait Joannes Leo, lib. VIII *De Africa*, cap. II. Causam dat S. Hieronymus *in Ezechielem*, cap. XXX : « Quod ibi Nilus innavigabilis est, et cataractarum fragor, et omnia invia plenaque serpentum et venenatorum animantium. » Talis enim locus decet dæmonem, ne cui homini nocere queat. Quocirca dæmones

eorum SS. Antonio, Macario, aliisque Thebaidis eremitis graviter questi sunt, quod ipsi suum locum invasissent et suam Thebaidem Monachis implessent, uti refert S. Athanasius in Vita S. Antonii, Palladius *in Lausiaca*, cap. X, Cassianus, *Collat* VII, cap. XIII.

Tropologice multis virtutibus, quasi funibus ligatur dæmon, ne ad nos accedat et noceat. *Prima* est, abstinentia et jejunium; *secunda*, oratio; *tertia*, castitas. Novi ego, ait Serarius, quemdam, qui, si quando Asmodæum irrepentem et blandientem sentiat, illico castitatis, e formula, votum iterat : ut, dum inferre dæmon plagam velit, luculentissimum ipse accipiat. Ita enim suo pene gladio jugulatur Goliath : et incidit in foveam impius, quam fecit. *Quarta*, passionis, crucisque Christi sedula meditatio. *Quinta*, lectio et studium S. Scripturæ. *Sexta*, sacra synaxis et crebra communio : « Tanquam leones, inquit, serm. 61 *ad Pop.* S. Chrysostomus, ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles, et caput nostrum mente revolventes, et charitatem, quam nobis exhibuit. » Et paulo post : « Hic mysticus sanguis dæmones quidem expellit, et procul esse facit; ad nos autem Angelos vocat, et Angelorum Dominum. Ubi namque Dominicum viderint sanguinem, dæmones fugiunt; concurrunt autem Angeli. » Et S. Bernardus, serm. 1 *in cœna Dom.* : « Si quis vestrum, non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat corpori, et sanguini Domini, quoniam virtus Domini operatur in eo : et gaudeat, quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem. » *Septima* est eleemosyna, et officia pia charitatis, quæ fuse hic prosequitur Serarius. Tirinus. Ligatur virtutibus quasi funibus.

4. DEPRECABUNTUR DEUM HODIE, ET CRAS, ET SECUNDUM CRAS, — id est post crastinum, puta per tres noctes ante copulam, uti præceperat Raphael, cap. VI, vers. 18. Vers. 4.

9. NON LUXURIÆ CAUSA ACCIPIO SOROREM MEAM CONJUGEM. — Saram vocat Tobias sororem, non quod proprie soror esset; sic enim non potuisset eam ducere uxorem, sed quod generice esset soror; quia scilicet ex eadem gente et tribu erat prognata. « Sororem » ergo, id est concivem et contribulem. Vers. 9.

11. CIRCA PULLORUM (galli et gallinarum) CANTUM, — puta in aurora ante solis ortum, de quibus Plinius, lib. X, cap. XXI : « Nec solis ortum, inquit, incautis patiuntur obrepere, diemque venientem nuntiant, » *Cant.* XI. Vers. 11.

UT FODERENT SEPULCRUM. — Licet enim Raguel confortatus a Raphaele sperarit Tobiam cum Sara in conjugio fore salvum, tamen alia ex parte metuebat ne occideretur ab Asmodæo, uti occisi sunt septem priores Saræ sponsi. Reliqua hujus capitis plana sunt : unde alia explanatione non egent.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tobias mittit Raphaelem in Rages, ut exigat depositum a Gabelo, eumque ducat ad nuptias. Venit Gabelus, ac sponsis omnia felicia apprecatur.

1. Tunc vocavit Tobias Angelum ad se, quem quidem hominem existimabat, dixitque ei : Azaria frater, peto ut ausculites verba mea. 2. Si meipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ. 3. Tamen obsecro te ut assumas tibi animalia sive servitia, et vadas ad Gabelum in Rages civitatem Medorum, reddasque ei chirographum suum, et recipias ab eo pecuniam, et roges eum venire ad nuptias meas. 4. Scis enim ipse quoniam numerat pater meus dies : et si tardavero una die plus, contristatur anima ejus. 5. Et certe vides quomodo adjuravit me Raguel, cujus adjuramentum spernere non possum. 6. Tunc Raphael assumens quatuor ex servis Raguelis, et duos camelos, in Rages civitatem Medorum pervenit, et inveniens Gabelum, reddidit ei chirographum suum, et recepit ab eo omnem pecuniam. 7. Indicavitque ei de Tobia filio Tobiæ omnia quæ gesta sunt : fecitque eum secum venire ad nuptias. 8. Cumque ingressus esset domum Raguelis, invenit Tobiam discumbentem : et exiliens, osculati sunt se invicem; et flevit Gabelus, benedixitque Deum, 9. et dixit : Benedicat te Deus Israel, quia filius es optimi viri, et justi, et timentis Deum, et eleemosynas facientis; 10. et dicatur benedictio super uxorem tuam, et super parentes vestros : 11. et videatis filios vestros, et filios filiorum vestrorum usque in tertiam et quartam generationem : et sit semen vestrum benedictum a Deo Israel, qui regnat in sæcula sæculorum. 12. Cumque

omnes dixissent : Amen, accesserunt ad convivium ; sed et cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant.

2. Si me ipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ. — hoc est, tuæ providæ erga me curæ non satisfecerò, nec condignam ei mercedem rependero.

3. Servitia, — id est servos.

Vadas ad Gabelum in Rages Medorum. — Dices : Jam erant in Rages ; nam ibi dicitur habitasse Sara, cap. III, vers. 7. Respondeo : Erant in Rages, id est, in agro vel territorio Rages, sicut qui Tusculi habitat, Romæ habitare dicitur, etsi in ipsa urbe Roma non habitet. Aut potius dicendum est duas fuisse urbes habentes idem nomen Rages. Ita Lyranus, Bellarminus et alii. Causam dat Sanchez, quod Rages sit vox Meda a Græcis accepta. Græce enim ῥαγὲς, id est fissura, ruptura, sive fractura. Rages igitur significat locum scopulosum, scissum, interruptum ; quia ergo utraque hæc urbs sita erat in locis confragosis et asperis, hinc utraque dicta est Rages. Hebraice vero *Rages*, significat *turbam, tumultum, strepitum, tremorem, frenitum*.

10. Et dicatur benedictio super uxorem tuam, et super parentes vestros, — ut omnes videntes vestram virtutem, ideoque Dei benedictionem et prosperitatem, vobis benedicendo apprecentur, et dicant : Benedicta sit Sara, quæ tam probi viri Tobiæ est uxor ; benedicti sint parentes utriusque, qui tam ingenuos post se relinquunt filios et filias. Honor enim et laus filiorum est honor et laus parentum ; nam dedecus, æque ac decus filiorum in parentes redundat. Quocirca Basilius Imperator hoc Leoni filio insigne dedit monitum, imo et virtutis paternæ æmulandæ stimulum : « Ne me, quæso, patrem amantem pudefacias. Debent enim pictores corporum delineamenta, filii autem regum, quasi vivæ imagines patrum virtutes referre. » Sic et mulier illa, videns Christi virtutes et sapientiam, exclamavit : « Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti, » *Lucæ* XI, 27.

12. Sed et cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant, — Convivabantur hilariter, sed honeste, modeste, sobrie et caste, ne crapula, aut sermone lascivo, vel obsceno Deum offenderent, ut Asmodæum rursum in domum mitteret. Imitentur hoc conjuges et convivæ, ut a mensis arceant ebrietatem, jurgia, detractiones, spurcitiem sermonum, quibus Deus offenditur, conjugibus et conviviis maledicat. Audiant Platonem, lib. VI *De Legibus* : « Impensa secundum divitias fiat ; bibere vero usque ad ebrietatem ne alibi quidem usquam decet ; neque vero tutum est ; maxime vero connubio conjuncti, sponsus et sponsa tunc mentis compotes esse debent, quando non parvam ineunt vitæ mutationem ; præsertim ut et quam maxime moderatis generatio fiat : ferme etiam incertum est quæ nox, aut dies, ipsum cum Deo peragat. Quare ut solidus, stabilis, et quietus conceptus fiat, non oportet, diffluentibus ebrietate corporibus, dare operam liberis. Qui autem vino refertus est, tam animæ quam corporis rabie concitatus, quavis et trahit, et trahitur. Idcirco ebrius, tanquam mente captus, ad serendum est inutilis. Nempe verisimile est eum fœtus inæquales, instabiles, obliquos tam membris, quam corporibus procreare. Quamobrem per totam quidem vitam, et maxime quamdiu generationi vacat, abstinebit quisque, cavebitque ne faciat, vel quæ sua natura et sponte morbos inducunt, vel quæ ad petulantiam injuriamque declinant. Hæc enim in animos et corpora eorum, qui enascuntur, liberorum, necessario transferuntur, iisque imprimuntur, pejoresque inde nascuntur. Sed præcipue die illa (nuptiarum) ac nocte. » Græca hic addunt : *Benedixit Tobiæ uxorem suam* ; id est, bene precatus est ei, ut foret fecunda et probos gigneret, educaretque filios : sic Isaac « deprecatus est Dominum pro uxore sua » Rebecca, *Genes.* XXV, 21.

Vers. 12. Monita sacra nuptiarum

Ebrii prave nati filii.

Adulteria ebriis usitata.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Mater Tobiæ suspirat ad ejus reditum ; Raguel dimittit Tobiam cum Sara filia sua, iisque dimidiam bonorum partem tradit, ac Saræ monita dat, ut diligat maritum, soceros honoret, et probe familiam regat.

1. Cum vero moras faceret Tobias, causa nuptiarum, sollicitus erat pater ejus Tobias, dicens : Putas quare moratur filius meus, aut quare detentus est ibi ? 2. Putasne, Gabelus mortuus est, et nemo reddet illi pecuniam ? Cœpit autem contristari nimis ipse, et Anna uxor ejus cum eo : et cœperunt ambo simul flere, eo quod die statuto minime reverteretur filius

eorum ad eos. 4. Flebat igitur mater ejus irremediabilibus lacrymis, atque dicebat ; Heu, heu me, fili mi, ut quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ ? 5. Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis. 6. Cui dicebat Tobias : Tace, et noli turbari, sanus est filius noster ; satis fidelis est vir ille cum quo misimus eum. 7. Illa autem nullo modo consolari poterat, sed quotidie exiliens circumspiciebat, et circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, ut procul videret eum, si fieri posset, venientem. 8. At vero Raguel dicebat ad generum suum : Mane hic, et ego mittam nuntium salutis de te ad Tobiam patrem tuum. 9. Cui Tobias ait : Ego novi quia pater meus et mater mea modo dies computant, et cruciatur spiritus eorum in ipsis. 10. Cumque verbis multis rogaret Raguel Tobiam, et ille eum nulla ratione vellet audire, tradidit ei Saram, et dimidiam partem omnis substantiæ suæ, in pueris, in puellis, in pecudibus, in camelis, et in vaccis, et in pecunia multa, et salvum atque gaudentem dimisit eum a se, 11. dicens : Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro, perducatque vos incolumes, et inveniatis omnia recte circa parentes vestros et videant oculi mei filios vestros priusquam moriar. 12. Et apprehendentes parentes filiam suam, osculati sunt eam, et dimiserunt ire : 13. monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, guberuare domum, et seipsam irreprehensibilem exhibere.

4. Heu heu me, fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum ? (Pater enim erat cæcus, mater præ senio cæcutiebat : quare filius eis erat instar oculorum, ut per eum viderent, legerent, agerentque quæ videnda, legenda, agenda erant. Eumdem vocat) baculum senectutis nostræ. (Sic Scipio Romæ appellatus est, eo quod ipse patrem senem et cæcutientem, quasi Scipio, sive baculus sustentaret, et per viam duceret et dirigeret). Et solatium vitæ nostræ ; (filii enim solantur senectutem parentum, ejusque miserias et ærumnas). Et spem posteritatis nostræ ; — erat enim unicus ille filius, a quo omnis familiæ propagatio pendebat. Optant enim parentes filios post se relinquere, ut in eis quasi maneant superstites, vivantque in memoria hominum, ut docet *Eccli.* cap. XXX, 4 et seq.

Primum.

Secundum.

10. Tradidit ei Saram, et dimidiam partem omnis substantiæ suæ in pueris, etc. — Hebræi uberius addunt : *Dedit ei Raguel Saram filiam suam, dimidium dimitiarum suarum, et servos et servas, et greges, et boves, et asinos, et camelos, et vestes lineas et pretiosas, et vasa argentea et aurea.* Græca habent : *Dedit ei corpora, jumenta et argentum. Corpora*, id est, servos sive mancipia, quæ cum libertate careant, non nisi videntur esse corpora, servitio heri mancipata. Ita Aristoteles, I *Rhetor.*, Demosthenes, *Philipp.* III, Strabo, lib. I, σώματα, id est, corpora vocant mancipia.

11. Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro, perducatque vos incolumes. — Hinc rursum patet Gabelum et priscos Hebræos credidisse Angelum considerari ad custodiam, qui eum in via dirigat.

Vers. 13. Monita sacra nuptiarum

13. Monentes eam honorare soceros, — quasi parentes ; unde Græca addunt : *Quia ipsi nunc parentes tui sunt.* Raguel hic Saræ filiæ suæ dat monita virtutis et salutis. *Primum* est, ut honoret soceros, scilicet Tobiam seniorem, et Annam ; *secundum*, ut diligat maritum, utpote cum quo facta jam est una caro, ac consequenter una persona, unum cor, una anima, una voluntas. Hæc dilectio facit ut uxor mariti mores suis dissimiles, cholerum, vitia, infortunia, et quælibet adversa, quæ multa in conjugio occurrunt, fortiter superet. Unde S. Monica uxores monebat ut per conjugium se maritorum ancillas factas existimarent, ait S. Augustinus, libro IX *Confessionum*, cap. IX. *Tertium*, ut regat familiam, puta filios, servos et ancillas, ut omnes in officio, concordia, pace et charitate mutua contineat. *Quartum*, ut gubernet domum in ea manendo, non huc illuc vagando, prandium et cœnam omnibus apparando, supellectilem, annonam, vestes, cæteraque necessaria procurando, uti fecit mulier illa fortis laudata a Salomone, *Proverbiorum* XXXI. Vide ibi dicta. *Quintum*, ut se irreprehensibilem exhibeat, non tantum in fide et castitate conjugali, sed et per linguæ continentiam, justitiam, prudentiam, comitatem in conversatione, tam cum domesticis, quam cum externis. Eadem monita dat uxoribus S. Paulus *ad Titum*, cap. II, vers. 4 et 5 : « Ut viros suos ament, filios suos diligant, prudentes sint, castæ, domus curam habentes, benignæ, subditæ viris suis. » Vide ibi dicta. Similia conjugibus præcepta tradit S. Petrus, *epist.* I, cap. III ; quæ et Plato, lib. VI *De Legibus*, Xenophon *in Œconomico*, et Plutarchus *De nuptialibus præceptis*. Denique in Græco, et *Edna* (sic enim habent pro *Anna*), mater Saræ, sic Tobiam generum suum valedicendo alloquitur : *Dominus cæli, frater dilecte, te tuis restituat, mihique concedat ut filios tuos ex Sara filia mea videam, et coram Domino gaudeam. Ecce ego tibi filiam meam, quasi quoddam depositum.*

Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tuis, consilio, ne ulla eam afficias molestia. Mox subditur : Ipse vero Tobias post hæc profectus est, Deo gratias agens, quod iter prosperum sibi dedisset, Raguelemque et Ednam ejus uxorem benedicebat (sua fausta eis omnia precabatur) et pergebat, quod Ninivem appropinquarent.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Raphael Tobiam domum ad parentes salvum reducit : qui felle piscis linitis oculos patris, ei visum restituit. Unde omnes præ gaudio Deum benedicunt, et epulantur.

1. Cumque reverterentur, pervenerunt ad Charan, quæ est in medio itinere contra Niniven, undecimo die. 2. Dixitque Angelus : Tobia frater, scis quemadmodum reliquisti patrem tuum. 3. Si placet itaque tibi, præcedamus, et lento gradu sequantur iter nostrum familia, simul cum conjuge tua, et cum animalibus. 4. Cumque hoc placuisset ut irent, dixit Raphael ad Tobiam : Tolle tecum ex felle piscis, erit enim necessarium. Tulit itaque Tobias ex felle illo, et abierunt. 5. Anna autem sedebat secus viam, quotidie in supercilio montis, unde respicere poterat de longinquo. 6. Et dum ex eodem loco specularetur adventum ejus, vidit a longe, et illico agnovit venientem filium suum, currensque nuntiavit viro suo, dicens : Ecce venit filius tuus. 7. Dixitque Raphael ad Tobiam : At ubi introieris domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum ; et gratias agens ei, accede ad patrem tuum, et osculare eum. 8. Statimque lini super oculos ejus ex felle isto piscis, quod portas tecum : scias enim quoniam mox aperientur oculi ejus, et videbit pater tuus lumen cœli, et in aspectu tuo gaudebit. 9. Tunc præcucurrit canis, qui simul fuerat in via ; et quasi nuntius adveniens, blandimento suæ caudæ gaudebat. 10. Et consurgens cæcus pater ejus cœpit offendens pedibus currere : et data manu puero, occurrit obviam filio suo. 11. Et suscipiens osculatus est eum cum uxore sua, et ceperunt ambo flere præ gaudio. 12. Cumque adorassent Deum, et gratias egissent, consederunt. 13. Tunc sumens Tobias de felle piscis, linivit oculos patris sui. 14. Et sustinuit quasi dimidiam fere horam ; et cœpit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi, egredi. 15. Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, statimque visum recepit. 16. Et glorificabant Deum, ipse videlicet, et uxor ejus, et omnes qui sciebant eum. 17. Dicebatque Tobias : Benedico te, Domine Deus Israel, quia tu castigasti me, et tu salvasti me, et ecce ego video Tobiam filium meum. 18. Ingressus est etiam post septem dies Sara uxor filii ejus, et omnis familia sana, et pecora, et cameli, et pecunia multa uxoris ; sed et illa pecunia quam receperat a Gabelo : 19. et narravit parentibus suis omnia beneficia Dei, quæ fecisset circa eum per hominem qui eum duxerat. 20. Venerunt quoque Achior et Nabath consobrini Tobiæ gaudentes ad Tobiam, et congratulantes ei de omnibus bonis quæ circa illum ostenderat Deus. 21. Et per septem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gavisi sunt.

Vers. 1. 1. Pervenerunt ad Charan, quæ est in medio itinere contra Niniven, undecimo die. — Charan est Haran, e qua evocatus est Abraham a Deo in Chanaan(1), Gen. xi, 31 et seq., quæ postea Charra dicta est, ubi cum exercitu Romano a Parthis cæsus est M. Crassus. Sita erat contra, id est versus « Ninivem in medio itinere, » a Rages usque ad Niniven. Rages enim erat in Media, Ninive in Assyria, inter utramque media erat Charan, sive Haran urbs sita in Mesopotamia. Hinc probabiliter Serarius, *part.* IV, colligit Tobiam in totum hoc undecimus cursus distantem fuisse, sedum propter ætatem et valetudinem teneram Tobiæ et uxoris ejus, tum propter multum comitatum servorum, pecudum, etc., tot in eundo dies consumptos fuisse.

(1) Hebraico dicitur *Acrim*, unde non videtur esse ita Abrahami patria, de qua *Genes.* xi, 31, quæ erat in Mesopotamia cis Tigrim. Nam hoc Tobiæ *Charan* sita erat trans Tigrim, inter Ecbatanas Mediæ et Ninivem Assyriæ urbem; et forte est *Chatrum*, de qua Ptolomæus (Tirinus). Ex eo vero quod non nisi post undecimum diem in Charan pervenerint, non concludendum est Charan ab Ecbatanis

iter eundo, scilicet in Rages, inneque redeundo in Niniven ad patrem, assumpsisse circiter sex septimanas, sive dies 47; Torniellus vero dies 38, Salianus dies 34.

Vers. 7. 7. Dixitque Raphael ad Tobiam : At (כו « at » significat hæc verba nectenda esse prioribus Angeli verbis vers. 4, ac vers. 5 et 6, per parenthesin quasi interjici) ubi introieris domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum, et gratias agens ei, accede ad patrem tuum, et osculare eum. — Disce hic, cum peregrinaris vel proficisceris quopiam, primo adire templum, Deumque invocare, ut viam tuam prosperet, et dirigat ad suam gloriam et tuam, aliorumque salutem. Deinde rediens, primo ad templum pariter redi, Deoque gratias age : ita faciunt viri religiosi et probi. Audi Pacatum *in Panegyrici* : « Magnas urbes ingressi, primum sacras ædes, et dicata summo Numini delubra visimus; tum fora atque gymnasia. » Et sua in *Regula* S. Benedictus : « Suscepti, ait, hospites ad orationem ducantur. » Ita fecit S. Antonius visitans S. Paulum primum Eremitam, teste S. Hieronymo in ejus Vita, cæterique monachi et anachoretæ, teste Cassiano.

Vers. 8. 9. Tunc præcucurrit canis. — Audi Bedam : « Non est contemnenda figura canis hujus, quia viator et comes Angeli est; Doctores enim exprimit Ecclesiæ, qui confligendo cum hæreticis, lupos graves a Pastoris summi fugant ovili. Et pulchre dixit, *quasi nuntius adveniens*, quia nimirum Doctor quisquam fidelis nuntius est veritatis : pulchre *blandimento suæ caudæ gaudebat*. Cauda, quæ quasi finis est corporis, finem bonæ operationis, id est perfectionem, vel certe mercedem, quæ sine fine tribuitur, insinuat. »

Vers. 10. 10. Et consurgens cæcus pater cœpit offendere pedibus. — Mystice : « Tobias cæcus, ait Pineda, significat Judæorum populum e perfidiæ suæ veterno surgentem et currentem ad Dominum, quamvis offenderet gressibus operum, donec plenus fidei et operationis bonæ lucem reciperet, regeneratus in Christo et instructus. »

Vers. 11. 11. Et ceperunt ambo flere præ gaudio. — Græca addunt dixisse matrem : *Vide te, fili, jam moriar*, scilicet, contenta et læta. Sic Simeon, viso Christo, ait : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. »

Vers. 12. 12. Tunc sumens Tobias de felle piscis (callionymi) linivit oculos patris sui.

Vers. 14. 14. Et sustinuit quasi dimidiam fere horam, — donec fel secum sua acrimonia albuginem et membranam oculis patris obductam erroderet, attenuaret et consumeret. Hinc patet hanc cæcitatis per fel curationem fuisse naturalem, ut ex Lyrano, Dionysio, Serario, Sanchez et aliis dixi cap. VI, 8. Unde Græca habent Raphaelem dixisse : *Tu, fel unge in oculos ejus, et ipse morsus deterget, superque albugines, et ipsa te intuebitur.* Et infra : *Tobias sparsit in oculos ejus illud fel; ut vero morsi compuncti sunt oculi, eos confricuit, et ab earum canthis, seu angulis albugines squamarum instar deciderunt.* Pro quo Noster habet : « Et cœpit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi, egredi. Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, statimque visum recepit. » Porro Tobias fuit cæcus per 4 annos, scilicet ab anno ætatis 36 usque ad 60, quo visum recepit, ut patet cap. XIV, vers. 3, ubi tamen Græca habent eum octo annos vixisse cæcum, nimirum ab anno ætatis 58 usque ad 66, quo illuminatus est. In vita S. Gregorii Turonensis Archiepiscopi narratur, quod pater ejus Florentius simili modo fuerit curatus; sic enim ait auctor Vitæ : « Florentius redivivo calore captatus est; accenditur febris, intumescunt pedes, dolor pessimus intorquet : perendinata pestis humiliem contiverat, jam pene conclamatus jacebat. Interea puer (filius Gregorius Turonensis) vidit iterum in somno personam, sese, utrumne librum Tobiæ cognitum haberet, interrogantem. Respondit : Nequaquam. Qui ait : Noveris hunc fuisse cæcum, atque per filium ex jecore piscis, Angelo comitante, curatum. Tu ergo fac similiter, et salvabitur genitor tuus. Hæc ille matri retulit, quæ confestim pueros ad aumam direxit; piscis capitur, quæ de exiis jussa fuerant, prunis imponuntur. Non fefellit virum eventus; ut enim primo fumus odoris in naribus patris reflavit, protinus omnis ille tumor dolorque recessit. Hæc omnia pene ad verbum repetit ipse S. Gregorius Turonensis, libro *De Gloria Confessorum*, cap. XI.

Mystice Beda : Albugo, inquit, significat stultitiam placendi sibi ipsi, ovum spem et fiduciam, Tobias populum Judaicum; habet ergo in oculis suis albuginem, qui in oculis suis magnus, candidus et justus apparet, sibique nimis placet et arrogat; sed habet eam instar membranæ ovi, quia cæcitatem mentis sustinet sub spe stultissima nascituri Christi; hunc enim non natum credunt, sed nasciturum sperant, et vane exspectant Judæi. Verum quibus a Raphaele medico, id est ab Angelo magni consilii Christo Domino abiata fuerit hæc omnis caligo, agnoscunt Messiam jam venisse et redemisse mundum, eumque esse Jesum Christum.

Allegorice, piscis est Christus, uti jam dixi ex S. Augustino, Prospero et aliis. Caro hujus sacratissimi piscis, charitas hujus est, tot operibus in nostrum bonum factis testata, ac passionibus et doloribus ostensa. Fumus autem cordis ejus, est oratio nostra meritorum ejus valori salutifera. Ideo enim hæc aliquid potest apud Patrem, non quia nostra tantum est, sed quia a membro Christi filii naturalis fusa, et in ipsius meritis et charitate fundata. Hæc extricat omne genus dæmoniorum, quia diabolum vincit, et illius tentationes et dolos irridet. Ac profunde Chrysostomus sapienter casum nostrum absentiæ orationis et victoriam ipsius præsentiæ tribuit.

tuis, consilio, ne ulla eam afficias molestia. Mox subditur : Ipse vero Tobias post hæc profectus est, Deo gratias agens, quod iter prosperum sibi dedisset, Raguelemque et Ednam ejus uxorem benedicebat (sua fausta eis omnia precabatur) et pergebat, quod Ninivem appropinquarent.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Raphael Tobiam domum ad parentes salvum reducit : qui felle piscis linitis oculos patris, ei visum restituit. Unde omnes præ gaudio Deum benedicunt, et epulantur.

1. Cumque reverterentur, pervenerunt ad Charan, quæ est in medio itinere contra Niniven, undecimo die. 2. Dixitque Angelus : Tobia frater, scis quemadmodum reliquisti patrem tuum. 3. Si placet itaque tibi, præcedamus, et lento gradu sequantur iter nostrum familia, simul cum conjuge tua, et cum animalibus. 4. Cumque hoc placuisset ut irent, dixit Raphael ad Tobiam : Tolle tecum ex felle piscis, erit enim necessarium. Tulit itaque Tobias ex felle illo, et abierunt. 5. Anna autem sedebat secus viam, quotidie in supercilio montis, unde respicere poterat de longinquo. 6. Et dum ex eodem loco specularetur adventum ejus, vidit a longe, et illico agnovit venientem filium suum, currensque nuntiavit viro suo, dicens : Ecce venit filius tuus. 7. Dixitque Raphael ad Tobiam : At ubi introieris domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum ; et gratias agens ei, accede ad patrem tuum, et osculare eum. 8. Statimque lini super oculos ejus ex felle isto piscis, quod portas tecum : scias enim quoniam mox aperientur oculi ejus, et videbit pater tuus lumen cœli, et in aspectu tuo gaudebit. 9. Tunc præcucurrit canis, qui simul fuerat in via ; et quasi nuntius adveniens, blandimento suæ caudæ gaudebat. 10. Et consurgens cæcus pater ejus cœpit offendens pedibus currere : et data manu puero, occurrit obviam filio suo. 11. Et suscipiens osculatus est eum cum uxore sua, et ceperunt ambo flere præ gaudio. 12. Cumque adorassent Deum, et gratias egissent, consederunt. 13. Tunc sumens Tobias de felle piscis, linivit oculos patris sui. 14. Et sustinuit quasi dimidiam fere horam ; et cœpit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi, egredi. 15. Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, statimque visum recepit. 16. Et glorificabant Deum, ipse videlicet, et uxor ejus, et omnes qui sciebant eum. 17. Dicebatque Tobias : Benedico te, Domine Deus Israel, quia tu castigasti me, et tu salvasti me, et ecce ego video Tobiam filium meum. 18. Ingressus est etiam post septem dies Sara uxor filii ejus, et omnis familia sana, et pecora, et cameli, et pecunia multa uxoris ; sed et illa pecunia quam receperat a Gabelo : 19. et narravit parentibus suis omnia beneficia Dei, quæ fecisset circa eum per hominem qui eum duxerat. 20. Venerunt quoque Achior et Nabath consobrini Tobiæ gaudentes ad Tobiam, et congratulantes ei de omnibus bonis quæ circa illum ostenderat Deus. 21. Et per septem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gavisi sunt.

Vers. 1. 1. Pervenerunt ad Charan, quæ est in medio itinere contra Niniven, undecimo die. — Charan est Haran, e qua evocatus est Abraham a Deo in Chanaan(1), Gen. xi, 31 et seq., quæ postea Charra dicta est, ubi cum exercitu Romano a Parthis cæsus est M. Crassus. Sita erat contra, id est versus « Ninivem in medio itinere, » a Rages usque ad Niniven. Rages enim erat in Media, Ninive in Assyria, inter utramque media erat Charan, sive Haran urbs sita in Mesopotamia. Hinc probabiliter Serarius, *part.* IV, colligit Tobiam in totum hoc undecimus cursus distantem fuisse, sedum propter ætatem et valetudinem teneram Tobiæ et uxoris ejus, tum propter multum comitatum servorum, pecudum, etc., tot in eundo dies consumptos fuisse.

(1) Hebraico dicitur *Acrim*, unde non videtur esse ita Abrahami patria, de qua *Genes.* xi, 31, quæ erat in Mesopotamia cis Tigrim. Nam hoc Tobiæ *Charan* sita erat trans Tigrim, inter Ecbatanas Mediæ et Ninivem Assyriæ urbem; et forte est *Chatrum*, de qua Ptolomæus (Tirinus). Ex eo vero quod non nisi post undecimum diem in Charan pervenerint, non concludendum est Charan ab Ecbatanis

iter eundo, scilicet in Rages, inneque redeundo in Niniven ad patrem, assumpsisse circiter sex septimanas, sive dies 47; Torniellus vero dies 38, Salianus dies 34.

Vers. 7. 7. Dixitque Raphael ad Tobiam : At (כו « at » significat hæc verba nectenda esse prioribus Angeli verbis vers. 4, ac vers. 5 et 6, per parenthesin quasi interjici) ubi introieris domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum, et gratias agens ei, accede ad patrem tuum, et osculare eum. — Disce hic, cum peregrinaris vel proficisceris quopiam, primo adire templum, Deumque invocare, ut viam tuam prosperet, et dirigat ad suam gloriam et tuam, aliorumque salutem. Deinde rediens, primo ad templum pariter redi, Deoque gratias age : ita faciunt viri religiosi et probi. Audi Pacatum *in Panegyrici* : « Magnas urbes ingressi, primum sacras ædes, et dicata summo Numini delubra visimus; tum fora atque gymnasia. » Et sua in *Regula* S. Benedictus : « Suscepti, ait, hospites ad orationem ducantur. » Ita fecit S. Antonius visitans S. Paulum primum Eremitam, teste S. Hieronymo in ejus Vita, cæterique monachi et anachoretæ, teste Cassiano.

Vers. 8. 9. Tunc præcucurrit canis. — Audi Bedam : « Non est contemnenda figura canis hujus, quia viator et comes Angeli est; Doctores enim exprimit Ecclesiæ, qui confligendo cum hæreticis, lupos graves a Pastoris summi fugant ovili. Et pulchre dixit, *quasi nuntius adveniens*, quia nimirum Doctor quisquam fidelis nuntius est veritatis : pulchre *blandimento suæ caudæ gaudebat*. Cauda, quæ quasi finis est corporis, finem bonæ operationis, id est perfectionem, vel certe mercedem, quæ sine fine tribuitur, insinuat. »

Vers. 10. 10. Et consurgens cæcus pater cœpit offendere pedibus. — Mystice : « Tobias cæcus, ait Pineda, significat Judæorum populum e perfidiæ suæ veterno surgentem et currentem ad Dominum, quamvis offenderet gressibus operum, donec plenus fidei et operationis bonæ lucem reciperet, regeneratus in Christo et instructus. »

Vers. 11. 11. Et ceperunt ambo flere præ gaudio. — Græca addunt dixisse matrem : *Vide te, fili, jam moriar*, scilicet, contenta et læta. Sic Simeon, viso Christo, ait : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. »

Vers. 12. 12. Tunc sumens Tobias de felle piscis (callionymi) linivit oculos patris sui.

Vers. 14. 14. Et sustinuit quasi dimidiam fere horam, — donec fel secum sua acrimonia albuginem et membranam oculis patris obductam erroderet, attenuaret et consumeret. Hinc patet hanc cæcitatis per fel curationem fuisse naturalem, ut ex Lyrano, Dionysio, Serario, Sanchez et aliis dixi cap. VI, 8. Unde Græca habent Raphaelem dixisse : *Tu, fel unge in oculos ejus, et ipse morsus deterget, superque albugines, et ipsa te intuebitur.* Et infra : *Tobias sparsit in oculos ejus illud fel; ut vero morsi compuncti sunt oculi, eos confricuit, et ab earum canthis, seu angulis albugines squamarum instar deciderunt.* Pro quo Noster habet : « Et cœpit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi, egredi. Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, statimque visum recepit. » Porro Tobias fuit cæcus per 4 annos, scilicet ab anno ætatis 36 usque ad 60, quo visum recepit, ut patet cap. XIV, vers. 3, ubi tamen Græca habent eum octo annos vixisse cæcum, nimirum ab anno ætatis 58 usque ad 66, quo illuminatus est. In vita S. Gregorii Turonensis Archiepiscopi narratur, quod pater ejus Florentius simili modo fuerit curatus; sic enim ait auctor Vitæ : « Florentius redivivo calore captatus est; accenditur febris, intumescunt pedes, dolor pessimus intorquet : perendinata pestis humiliem contiverat, jam pene conclamatus jacebat. Interea puer (filius Gregorius Turonensis) vidit iterum in somno personam, sese, utrumne librum Tobiæ cognitum haberet, interrogantem. Respondit : Nequaquam. Qui ait : Noveris hunc fuisse cæcum, atque per filium ex jecore piscis, Angelo comitante, curatum. Tu ergo fac similiter, et salvabitur genitor tuus. Hæc ille matri retulit, quæ confestim pueros ad aumam direxit; piscis capitur, quæ de exiis jussa fuerant, prunis imponuntur. Non fefellit virum eventus; ut enim primo fumus odoris in naribus patris reflavit, protinus omnis ille tumor dolorque recessit. Hæc omnia pene ad verbum repetit ipse S. Gregorius Turonensis, libro *De Gloria Confessorum*, cap. XI.

Mystice Beda : Albugo, inquit, significat stultitiam placendi sibi ipsi, ovum spem et fiduciam, Tobias populum Judaicum; habet ergo in oculis suis albuginem, qui in oculis suis magnus, candidus et justus apparet, sibique nimis placet et arrogat; sed habet eam instar membranæ ovi, quia cæcitatem mentis sustinet sub spe stultissima nascituri Christi; hunc enim non natum credunt, sed nasciturum sperant, et vane exspectant Judæi. Verum quibus a Raphaele medico, id est ab Angelo magni consilii Christo Domino abiata fuerit hæc omnis caligo, agnoscunt Messiam jam venisse et redemisse mundum, eumque esse Jesum Christum.

Allegorice, piscis est Christus, uti jam dixi ex S. Augustino, Prospero et aliis. Caro hujus sacratissimi piscis, charitas hujus est, tot operibus in nostrum bonum factis testata, ac passionibus et doloribus ostensa. Fumus autem cordis ejus, est oratio nostra meritorum ejus valori salutifera. Ideo enim hæc aliquid potest apud Patrem, non quia nostra tantum est, sed quia a membro Christi filii naturalis fusa, et in ipsius meritis et charitate fundata. Hæc extricat omne genus dæmoniorum, quia diabolum vincit, et illius tentationes et dolos irridet. Ac profunde Chrysostomus sapienter casum nostrum absentiæ orationis et victoriam ipsius præsentiæ tribuit.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tobiæ multa et magna beneficia a Raphaele accepta patri enumerat : quare utroque offert ei dimidium bonorum allatorum. Mox Raphael se non hominem, sed Angelum esse manifestat, ac datis cælestis vitæ documentis evanescit et in cælum redit.

1. Tunc vocavit ad se Tobias filium suum, dixitque ei : Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? 2. Respondens Tobias, dixit patri suo : Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? 3. Me duxit et reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem ipse mihi habere fecit, et dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus ejus fecit, meipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli, et bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare? 4. Sed peto te, pater mi, ut roges eum, si forte dignabitur medietatem de omnibus quæ allata sunt, sibi assumere. 5. Et vocantes eum, pater scilicet et filius, tulerunt eum in partem: et rogare cœperunt ut dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere. 6. Tunc dixit eis occulte : Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. 7. Etenim sacramentum regis abscondere bonum est : opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est. 8. Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere : 9. quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam. 10. Qui autem faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. 11. Manifesto ergo vobis veritatem, et non abscondam a vobis occultum sermonem. 12. Quando orabas cum lacrymis, et sepelichas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepelichas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. 13. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. 14. Et nunc misit me Dominus, ut curarem te, et Saram uxorem filii tui a dæmonio liberarem. 15. Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui adstamus ante Dominum. 16. Cumque hæc audissent, turbati sunt, et tremantes ceciderunt super terram in faciem suam. 17. Dixitque eis Angelus : Pax vobis, nolite timere. 18. Etenim cum essem vobiscum, per voluntatem Dei eram : ipsum benedicite, et cantate illi. 19. Videbar quidem vobiscum manducare et bibere : sed ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor. 20. Tempus est ergo ut revertar ad eum qui me misit : vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus. 21. Et cum hæc dixisset, ab aspectu eorum ablatus est, et ultra eum videre non potuerunt. 22. Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum, et exsurgentes narraverunt omnia mirabilia ejus.

Prov. 3. Spiritus Raphaelis beneficia recenset.

Eligitur in socium.

3. Me duxit et reduxit sanum. — Septem hic ingentia Raphaelis beneficia recenset Tobias. *Primum* est, quod eum in Mediam duxerit et reduxerit incolumem. *Secundum*, quod uxorem probam et divitem, scilicet Saram el procurarit. *Tertium*, quod Asmodæum a se et Sara expulerit. *Quartum*, quod gaudium parentibus tam Tobiæ, quam Sarræ attulerit. *Quintum*, quod se a devoratione piscis eripuerit. *Sextum*, quod patri cæco visum restituerit. *Septimum* quod bonis omnibus corporalibus et spiritualibus eum cumulaverit. Et vere cuilibet homini præstat Angelus custos, cujus personam et officium hic in se suscepit et representavit Raphael, ut ex Meditat. P. Vincentii Huni falso hic ostendit Serarius, *quæst.* XX.

5. Tulerunt in partem, — id est receperunt eum seorsim in secretiorem domus partem, ut secretius, liberius et confidentius cum eo agerent. Ita Lyranus. Unde Raphael vocatus « dixit eis occulte, » ut sequitur; volebat enim secretius

vocari, ut seorsim se et secreta Dei eis panderet.

7. Etenim sacramentum regis abscondere bonum est : opera autem Dei revelare et confiteri (laudare, celebrare et gratias agere), honorificum est. — « Sacramentum, » Græce μυστήριον, id est arcanum, sive secretum regis celare bonum est; quia a secreto pendet felix rei executio, juxta illud Gellii, lib. X, cap. XXV : « Taciturnitas consiliorum thesaurus : »

eximia est virtus præstare silentia rebus.

Tiberius Cæsar, rogatus cur sua consilia cum amicis non communicaret, respondit : Principis animum, aut nemini, aut paucis cognitum esse oportere; quia multi rimarum pleni sunt, et secreta quæ audierunt, effutiunt, ut Principem periclitari, aut prodi necesse sit. Ita Dionysius *in Tiberio*. Antigonus rex Macedoniæ Philippo filio roganti : « Quando castra movebimus? Quid, inquit? num metuis ne solus tubam non audias? » Ita Plutarchus *in Apoph. regum*. Metellus Macedonius amico cuidam roganti : « Quidnam aggredi animo destinasset? Tunicam, inquit, meam exuerem, si eam consilium meum scire existimarem. » Ita Plinius, cap. LXI *De Viris illustribus*.

Opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est, — ut ea cæteri audientes Dei clementiam, sapientiam et magnificentiam agnoscant, revereantur, colant et adorent. Unde S. Severus Episcopus Minoricæ, epist. *De Judæorum conversione* : « Cum Dei, inquit, opera revelare et confiteri honorificum esse Raphael Angelus moneat, profecto silere, vel celare opera Christi periculosum est. » Stephanus Pontifex apud Rhegimonem, anno Domini 753 : « Sicut, ait, nemo se debet jactare de suis meritis; sic nec debent opera Dei, quæ in illo per suos sanctos fiunt sine suis meritis sileri, sed prædicari, sicut Angelus monet Tobiam. »

8. Bona (melior) est oratio cum jejunio et eleemosyna, quam thesauros auri recondere. — Græca etiam addunt : *Bonum est parum cum justitia, quam multum cum injustitia*. Hinc Patres et Theologi docent tria esse bonorum operum genera, scilicet orationem, jejunium et eleemosynam, ad quæ quasi capita cætera omnia reducantur. Oratio enim solvit debitum Deo, jejunium sibi, eleemosyna proximo. Rursum oratione solam invalidam esse, sed validam et efficacem fieri, si cum duobus aliis, quibus in cælum ad Deum evolet, scilicet jejunio et eleemosyna armetur. Audi S. Cyprianum, tract. *De opere et eleemosyna*. Apud Salomonem legimus : « Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo. » Et iterum : « Qui obturat aures, ne audiat imbecillum, et ipse invocabit Deum, et non erit qui exaudiat eum. Neque enim promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit, aut impetrabit de divina pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus. Quod item in psalmis Spiritus Sanctus declarat et probat, dicens : Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Quorum præceptorum memor Daniel, cum rex Nabuchodonosor adverso somnio territus æstuaret pro avertendis malis, ad divinam opem impetrandam remedium dedit, dicens : Propterea, rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et injustitias tuas miserationibus pauperum, et erit Deus patiens peccatis tuis. Cui rex non obtemperans, adversa quæ viderat et infesta perpessus est; quæ evadere et vitare potuisset, si peccata sua eleemosynis redemisset. » Idipsum confirmat, citans præsentem locum : « Raphael quoque Angelus paria testatur, et ut eleemosyna libenter ac largiter fiat, hortatur, dicens : Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna; quia eleemosyna a morte liberat, et ipsa purgat peccata. Ostendit orationes nostras, ac jejunia minus posse, nisi eleemosynis adjuventur. Deprecationes solas parum ad impetrandum valere, nisi factorum et operum accessione sarciantur. Revelat Angelus et manifestat, et firmat eleemosynis petitiones nostras efficaces fieri, eleemosynis vitam de periculis redimi, eleemosynis a morte animas liberari. »

Probl affigur. cor? Resp. Omnia.

13. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. — Tentatio enim et tribulatio patientiam et virtutem probat, conservat, auget, perficit. Dei enim gratia et amicitia indignus est, qui pro eo pati adversa recusat, solumque in prosperis ei servit. Hinc externa Dei lege sancitum est illud Apostoli : « Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur, » II *Tim.* III, 12. Vide dicta *Jacobi* I, 1 et *seq.* et *Eccli.* III. Vidit id per umbram Seneca, lib. *De Providentia*, ubi causas assignat varias et graves, cur Deus viris probis afflictiones immittat, ac inter cætera aureas hasce dat gnomas, quasi gemmas, cap. I : « Deus virum bonum in deliciis non habet : experitur, indurat, sibi illum præparat, » cap. II : « Sicut tanta Mediterraneorum vis fontium non mutat saporem maris, neque remittit quidem; ita adversarum impetus rerum viri fortis non vertit animum. Manet in statu, et quidquid evenit, in suum colorem trahit. Est enim omnibus externis potentior; nec hoc dico, non sentit illa, sed vincit; et aliequin quietus, placidusque contra incurrentia attollitur. Omnia adversa exercitationes putat. »

Et mox : « Athletæ gaudent cum fortissimis confligere, cedi, vexarique. Marcet sine adversario virtus. Non fert ullum ictum illæsa felicitas. Deus honorum amantissimus, qui illos quam optimos et excellentissimos vult, fortunam illis, cum qua exerceantur, assignat. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus, utique si et provocavit. Non video, inquam, quid habeat in terris Jupiter pulchrius, si convertere animum velit, quam ut spectet Catonem, jam partibus non semel fractis, stantem nihilominus inter ruinas publicas erectum. »

Cap. III : « Nihil infelicius eo cui nihil unquam evenit adversi. Indignus visus est, a quo aliquando vinceretur fortuna, quæ ignavissimum quemque refugit, *q. d.* Quid ego istum mihi adversarium assumam? statim arma submittet. Ignem experitur in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Magnum exemplum nisi mala fortuna non invenit. Infelix est Mutius, quod dextera ignes hostium premit; et ipse a se exigit erroris sui pœnas? quod regem quem armata manu non potuit, exusta fugat? » Et inferius : « Prospera in plebem, ac vitia ingenia deveniunt; ac calamitates terroresque mortalium sub jugum mittere, proprium magni viri est. Calamitas virtutis occasio est : gaudent magni viri aliquando rebus adversis, non aliter quam fortes milites belli triumpho. Avida est periculi virtus. Gubernatorem in tempestate, in acie militem intelligas. Nihil cogor, nihil patior invitus, nec servio Deo, sed assentio. Quare probi dura patiuntur, ut alios pati doceant. Nati sunt in exemplar. Aliis bona falsa circumdedi, et animos inanes velut longo fallacique somnio lusi. Auro illos, argento et ebore ornavi, intus boni nihil est. Vobis dedi bona certa, mansura; quanto magis versaverit aliquis, et undique inspexerit; tanto videbit meliora, majora, quæ permisi vobis, metuenda contemnere, cupienda fastidire. Non egere felicitate, felicitas vestra est. » Ac tandem concludens, ait : « Certe fortiter, hoc est, quo Deum antecedatis. Ille extra patientiam malorum est, vos supra patientiam. Contemnite paupertatem. Nemo tam pauper vivit, quam natus est. Contemnite dolorem, quia aut solvetur, aut solvet. Contemnite mortem; aut finit, aut transfert vos. Contemnite fortunam; nullum illi telum quo ferire animum, dedi. »

12. EGO ENIM SUM RAPHAEL ANGELUS UNUS EX SEPTEM QUI ASSTAMUS ANTE DOMINUM. — Hinc patet Raphaelem esse unum e primis Angelis, qui quasi principes aulæ cœlestis Deo proxime assistunt, de quibus fuse egit *Apocal.* I, 4. Græca addunt : *Ego sum unus de septem, qui offerunt orationes sanctorum, et ambulant ante majestatem sancti.* Hisce ergo Deum incumbit cura generis humani. Alii exponunt : unus e septem, id est, unus e multis. Astare ante Dominum multa significat, ut recte advertit Andreas Victor, lib. *De Custodia Angel.* pag. 43. *Primo*, adstant Angeli, quando loquuntur cum Deo postulantes divinum lumen, ut cognoscant quæ sit in aliqua re agenda ejus voluntas. *Secundo*, adstant Angeli, dum pia opera, sacrificia, eleemosynas, preces humanas offerunt Deo. *Tertio*, adstant, cum parati sunt ad obsequendum divinæ voluntati, quasi milites prompti paratique ad bellum, si bellum ex divino nutu gerendum sit, et quasi servi parati ad munera obeunda ad quodcumque imperium Dei. *Quarto*, astant Deo judici, hominum causas contra dæmonum accusationes agentes, sententiamque exspectantes. *Quinto*, adstant, dum Deum laudant, uti Isaias cap. VI, Seraphim stantes aspexit, Deum miris iis vocibus laudantes : Sanctus, Sanctus, etc. *Sexto*, adstare, est divinum vultum intueri, et inde summæ felicitatis latices haurire, quod vel in empyreo accidit cœlo, ubi peculiari singularique modo thronus fulget divinus, vel in aliis quibuscumque locis, in quibus omnibus Deus est : et sic ubicumque sint boni Angeli, semper adstant Deo; quia semper Deo fruuntur. Hinc fit ut dicantur recedere et redire; quia ad ministeria missi recedunt quidem ab empyreis sedibus; sed summam felicitatem non amittunt, et illuc ad Dei nutum revertuntur. *Septimo*, adstare, stricte et presse ad eos Angelos attinet, qui ad ministeria externa mitti non solent; sed rationes rerum faciendarum in Deo contuentes, inferiores Angelos ea munera exsecuturos docent atque illuminant; unde distinguuntur Angeli in assistentes et ministrantes. Assistunt Seraphin, Cherubin, Throni, Dominationes; ministrant quinque alii ordines, et de his alibi agentes probavimus etiam aliquando mitti. Hinc Raphael ait se adstare Deo. Nam adstare ante Deum non tantum significat esse in cœlis, quod commune est omnibus Angelis, sed indicat in ministerio quamdam principalitatem, ait Toletus in cap. I *Lucæ*.

Angeli astant Deo sapientiæ fac.

16. CUMQUE HÆC AUDISSENT, TURBATI SUNT, ET TREMENTES CECIDERUNT SUPER TERRAM IN FACIEM SUAM — ex reverentia et sacro horrore. Nam, ut aiebat S. Antonius : « Metus non tantum ex pavore animi, quantum ex magnarum rerum sæpe incutitur aspectu. »

17. DIXITQUE EIS ANGELUS : PAX VOBIS, NOLITE TIMERE. — Hinc Patres docent Angelicæ apparitionis signum esse, si primo horror incutiatur, deinde consolatio et lætitia ingeratur; nam contrarium facit dæmon. Audi Bedam in cap. I *Lucæ* : « Sicut, ait, humanæ fragilitatis est spiritalis creaturæ visione turbari, ita et Angelicæ benignitatis est, parentes de aspectu suo mortales mox blandiendo solari; est contra dæmoniacæ feritatis, quos sua præsentia territos senserint, amplore semper horrore concutere. » Et S. Antonius, teste S. Athanasio, in ejus Vita : « Cum bonus Angelus, inquit, bonis hominibus apparet, etiamsi initio insolito aspectu timorem injiciat, ad extremum, consolationem et animi tranquillitatem relinquit. » Et rursum : « Sanctorum Angelorum amabilis et tranquillus aspectus; quia non contendunt, neque clamant, neque audit aliquis vocem eorum. Verum tacite leniterque properantes, gaudium, exultationem, fiduciam peroribus infundunt, siquidem cum illis est Dominus, qui est fons et origo lætitiæ. Tunc mens nostra non turbida, sed lenis et placida Angelorum luce radiatur; tunc animo cœlestium præmiorum aviditate flagrans, effracto, si posset, humani corporis domicilio, et membris exonerata mortalibus, cum his quos videt, abire festinat ad cœlum; horum tanta benignitas est, ut si quis pro conditione fragilitatis humanæ, intro fecerit eorum fulgore perterritus; omnem continuo ex corde auferant metum; » deinde dæmonum apparentium contraria hæc dat indicia : « pessimorum autem vultus truces, sunitus horridi, sordidi cogitatus, plausus, motusque indisciplinatorum adolescentum, vel latronum, e quibus confestim timor animæ, sensibus stupor incutitur, odium Christianorum, mouachorum mœror tædiumque, suorum recordatio, metus mortis, cupido nequitiæ, lassitudo virtutis, cordis hebetatio. Si igitur post timorem horrore concepto successerit gaudium, et ad Deum fiducia, atque ineffabilis charitas, venisse sciamus auxilium, quia securitas animæ præsentis majestatis indicium est. »

Mali, ab horrore rum.

Vers. 19. Raphael vere non comedit Ratio.

19. VIDEBAR QUIDEN VOBISCUM MANDUCARE. — Revera enim Raphael non manducabat; quia manducatio est actio vitalis, qua anima cibum in ore vitaliter masticat, ac ex ore in stomachum, ut ab eo concoquatur, vitaliter trajicit. Raphael autem, cum non informaret corpus assumptum, vitaliter in illud non trajiciebat cibum, sed in illud perinde ac in saccum quemdam cibum injiciebat, quem deinde in vaporem et aerem resolvebat.

SED EGO CIBO INVISIBILI, etc., UTOR, — nimirum Deus, Deique visio et fruitio est cibus Angelorum, quo delectantur, et beantur jugiter.

Cibus Angelorum est Deus.

20. ET NARRATE OMNIA MIRABILIA EJUS. — Græcus Vers. 20. habet : *Scribite omnia quæ facta sunt in libro*; unde liquet Tobiam Raphaeli obedientem hanc historiam conscripsisse, ac hujus libri esse auctorem, uti habent Græca, cap. seq., 1. Hebræa uberius habent : *Nunc ergo*, ait, *scribite vobis omnia hæc verba in libro, et erit in testimonium inter vos et Deum vestrum omnibus diebus vitæ vestræ. Et hoc verbum sit in signum, et in testimonium in omnem generationem et generationem. Et vos benedicite Dominum, et confitemini memores sanctitatis ejus. Et nunc dimitte me, et revertar ad Deum, qui misit me ad vos.*

21. ET CUM HÆC DIXISSET, AB ASPECTU EORUM ABLATUS EST, — corpus a se assumptum diuittendo, ac in aerem, vel vaporem, ex quo condensato illud efformarat, per rarefactionem resolvendo, uti docent Scholastici cum Divo Thoma, I parte, Quæst. LI.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tobias laudat Deum, ac versu 11 de Jerusalem felicitate et gloria præclare vaticinatur.

1. Aperiens autem Tobias senior os suum, benedixit Dominum, et dixit : Magnus es, Domine in æternum, et in omnia sæcula regnum tuum; 2. quoniam tu flagellas et salvas : deducis ad inferos, et reducis, et non est qui effugiat manum tuam. 3. Confitemini Domino, filii Israel, et in conspectu gentium laudate eum; 4. quoniam ideo dispersit vos inter gentes quæ ignorant eum, ut vos enarretis mirabilia ejus, et faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens præter eum. 5. Ipse castigavit nos propter iniquitates nostras : et ipse salvabit nos propter misericordiam suam. 6. Aspicite ergo quæ fecit nobiscum, et cum timore et tremore confitemini illi : regemque sæculorum exaltate in operibus vestris. 7. Ego autem in terra captivitatis meæ confitebor illi : quoniam ostendit majestatem suam in gentem peccatricem. 8. Convertimini itaque, peccatores, et facite justitiam coram Deo, credentes quod faciet vobiscum misericordium suam. 9. Ego autem, et anima mea, in eo lætabimur. 10. Benedicite Dominum, omnes electi ejus : agite dies lætitiæ, et confitemini illi. 11. Jerusalem civitas Dei, castigavit te Dominus in operibus manuum tuarum. 12. Confitere Domino in bonis tuis, et benedic Deum sæculorum, ut reædificet in te tabernaculum suum, et revocet ad te omnes captivos, et gaudeas in omnia sæcula sæculorum. 13. Luce splendida fulgebis, et omnes fines terræ adorabunt te. 14. Nationes ex longinquo ad te venient, et munera deferentes, adorabunt in te Dominum, et terram tuam in sanctificatione habebunt. 15. Nomen enim magnum invocabunt in te. 16. Maledicti erunt qui contempserint te, et condemnati erunt omnes qui blasphemaverint te; benedictique erunt qui ædificaverint te. 17. Tu autem lætaberis in filiis tuis; quoniam omnes benedicentur, et con-

gregabuntur ad Dominum. 18. Beati omnes qui diligunt te, et qui gaudent super pace tua. 19. Anima mea, benedic Dominum, quoniam liberavit Jerusalem civitatem suam a cunctis tribulationibus ejus Dominus Deus noster. 20. Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem. 21. Portæ Jerusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur : et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus. 22. Ex lapide candido et mundo omnes plateæ ejus sternentur, et per vicos ejus alleluia cantabitur. 23. Benedictus Dominus, qui exaltavit eam, et sit regnum ejus in sæcula sæculorum super eam. Amen.

1. BENEDIXIT DOMINUM. — Græce : *Scripsit oration*em *in exaltationem, et dixit.*

5. IPSE SALVABIT NOS PROPTER MISERICORDIAM SUAM. — Græca addunt : *Et congregabit nos ex omnibus gentibus, ubi dispersit nos inter eas. Si conversi fueritis ad eum in toto corde vestro, et in tota anima vestra, ut faciatis ante eum veritatem* (justitiam, id est opera justa et sancta)*; tunc convertetur ad vos, et non abscondet faciem suam a vobis.*

7. OSTENDIT MAJESTATEM SUAM IN GENTEM PECCATRICEM, — *q. d.* Ostendit Deus augustam et divinam suam potentiam, justitiam et vindictam in gentem Israeliticam, castigando ejus idololatriam per excidium et captivitatem Assyriacam, ac rursus magnificam suam in eum clementiam ostendit ejus miserendo, eumque ex captivitate in patriam reducendo.

11. JERUSALEM CIVITAS DEI, CASTIGAVIT TE DOMINUS; — tum quia multos Judæos jam cum Manasse impio rege e Jerusalem captivos abduxit in Babylonem; tum quia paulo post eum Joachim et Sedecia reliquos eodem abducet per Nabuchodonosor; loquitur enim de futuro, quasi de præterito, ob prophetiæ certitudinem.

Varii sensus Tobiæ de Jerusalem terrestri et cœlesti.

Nota : Tobias ab hoc versu usque ad finem capitis, et cap. seq. vers. 7, 8 et 9, prophetat de excidio Jerusalem faciendo per Nabuchodonosor, et de ejus templique restauratione post 70 captivitatis annos facienda per Cyrum; sed ita ut more prophetico a Jerusalem urbe Judææ assurgat allegorice ad Ecclesiam christianam in Jerusalem a Christo erigendam, et ab ea anagogice avolet ad Ecclesiam triumphantem in cœlis, cujus Jerusalem erat figura et typus. Idem facit Isaias, cap. LX, LXV et LXVI. Itaque hoc vers. et seq. sub typo Jerusalem, partim jam desolatæ ob idola Manassis, ut colligitur ex IV Regum, cap. XXXIII, vers. 10 et 11; partim plane desolandæ et evertendæ sub Sedecia, iterum restaurandæ et ad majorem gloriam evehendæ per Esdram, Nehemiam, Zorobabel et Cyrum, prophetat Ecclesiæ veteris innovationem et restaurationem per Christum, maxime quæ Ecclesia Christiana cœpit Jerosolymis in Sion; et quia una omnium ætatum fuit Ecclesia, licet varios habens status; unde vers. 14, prædicit vocationem gentium et diffusionem Ecclesiæ per totum orbem : sed vers. 21, anagogice rapitur ad Ecclesiam cœlestem, sive ad statum, quem Ecclesia militans habebit in cœlis, ubi erit triumphans. Unde alludit S. Joannes, *Apocal.* XXI, ubi Ecclesiam triumphantem per Schema Jerusalem gloriose depingit, ut ibidem fuse explicui.

IN OPERIBUS, — id est propter opera, puta propter tua idola et scelera abduxit, id est abducet et in Babylonem.

13. LUCE SPLENDIDA (Evangelii et prædicationis Christi, ejusque Apostolorum) FULGEBIS, ET OMNES FINES TERRÆ ADORABUNT TE. — Prædicit conversionem omnium gentium ad Christum, quæ Ecclesiam, quasi Christi sponsam adorarunt, id est humillime venerati sunt et coluerunt, ac venerantur et colunt. Idem prædixit Isaias, cap. XLIX, vers. 23 : « Vultu, ait, in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. »

14. ET TERRAM TUAM IN SANCTIFICATIONEM (id est ut sanctam, et a Christo ac Apostolis sanctificatam) HABEBUNT.

20. BEATUS ERO, SI FUERINT RELIQUIÆ SEMINIS MEI (puta nepotes et posteri mei) AD VIDENDAM CLARITATEM JERUSALEM; — tum quam ei afferet Cyrus ad litteram, tum quam ei mystice afferet Christus in hac vita et magis in futura.

21. PORTÆ JERUSALEM. — Hæc omnia a vers. 19, et deinceps spectant proprie ad Ecclesiam gloriosam in cœlis; hanc enim ibidem dicit fabricandam ex sapphiro, smaragdo, omnique lapide pretioso, per quæ figurate non aliud significatur quam pulchritudo, suavitas, majestas, claritas et æternitas beatitudinis cœlestis, ut suse declaravi *Apocal.* XXI. Porro Græca hoc loco sic habent : *Ædificabitur Jerusalem Sapphiro et smaragdo, et lapide pretioso muri tui, et turres, et propugnacula in auro mundo; et plateæ Hierusalem in beryllo et carbunculo, et lapide ex Sephir tessellabuntur.* Addit Hebræus : *Reges Tharsis et insulæ munera offerent, Reges Arabum et Saba dona adducent.*

22. PER VIROS EJUS ALLELUIA CANTABITUR. — « Alleluia » Hebraice idem est quod *laudate Dominum.* Alleluia ergo est vox laudis, exsultationis et jubili, quam beati jugiter peragunt in cœlo. Unde S. Augustinus, serm. 151 *De Temp.*, qui est de Paschate : « Tempus mœroris, inquit, quod significant dies quadragesimæ, et significamus et habemus. Tempus autem lætitiæ, et quietis, et regni, quod significant dies isti, significamus per alleluia, sed nondum habemus laudes. Sed nunc inspiramus ad alleluia. Quid est alleluia? Laudate Deum. Sed nondum habemus laudes, in Ecclesia frequentantur laudes Dei post resurrectionem, quia nobis erit perpetua laus post resurrectionem nostram. »

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tobias moriturus prædicit excidium Ninives æque ac Jerusalem, ejusque restaurationem ac gloriam per vocationem gentium ad Christum et cœlestem felicitatem. Tobias ergo junior e Ninive abit Ecbatana, ibique moritur et sepelitur.

1. Et consummati sunt sermones Tobiæ. Et postquam illuminatus est Tobias, vixit annis quadraginta duobus, et vidit filios nepotum suorum. 2. Completis itaque annis centum duobus, sepultus est honorifice in Ninive. 3. Quinquaginta namque et sex annorum lumen oculorum amisit, sexagenarius vero recepit. 4. Reliquum vero vitæ suæ in gaudio fuit, et cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace. 5. In hora autem mortis suæ vocavit ad se Tobiam filium suum, et septem juvenes filios ejus nepotes suos, dixitque eis : 6. Prope erit interitus Ninive : non enim excidit verbum Domini : et fratres nostri, qui dispersi sunt a terra Israel, revertentur ad eam. 7. Omnis autem deserta terra ejus replebitur, et domus Dei, quæ in ea incensa est, iterum rædificabitur : ibique revertentur omnes timentes Deum, 8. et relinquent gentes idola sua, et venient in Jerusalem, et inhabitabunt in ea, 9. et gaudebunt in ea omnes reges terræ, adorantes regem Israel. 10. Audite ergo, filii mei, patrem vestrum : Servite Domino in veritate, et inquirite ut faciatis quæ placita sunt illi : 11. et filiis vestris mandate ut faciant justitias et eleemosynas, ut sint memores Dei, et benedicant eum in omni tempore in veritate et in tota virtute sua. 12. Nunc ergo, filii, audite me, et nolite manere hic : sed quacumque die sepelieritis matrem vestram circa me in uno sepulcro, ex eo dirigite gressus vestros ut exeatis hinc : 13. video enim quia iniquitas ejus finem dabit ei. 14. Factum est autem post obitum matris suæ, Tobias abscessit ex Ninive cum uxore sua, et filiis, et filiorum filiis, et reversus est ad soceros suos. 15. invenitque eos incolumes in senectute bona : et curam eorum gessit, et ipse clausit oculos eorum : et omnem hæreditatem domus Raguelis ipse percepit : viditque quintam generationem, filios filiorum suorum. 16. Et completis annis nonaginta novem in timore Domini, cum gaudio sepelierunt eum. 17. Omnis autem cognatio ejus, et omnis generatio ejus, in bona vita et in sancta conversatione permansit, ita ut accepti essent tam Deo quam hominibus, et cunctis habitantibus in terra.

1. ET POSTQUAM ILLUMINATUS EST TOBIAS, VIXIT ANNIS 42, — scilicet ab anno ætatis 60 usque ad 102, ut sequitur.

2. COMPLETIS ITAQUE ANNIS CENTUM DUOBUS SEPULTUS EST HONORIFICE IN NINIVE, — scilicet in loco exilii. Hic enim translatus erat a Salmanasar rege Assyriorum, quorum metropolis erat Ninive. Dicant hic sancti se in mundo tanquam in exsilio vivere et mori, ac perinde non curent in patria apud suos mori et sepeliri. Nam :

Omne solum forti patria est, ceu piscibus æquor :

et ut ait Thomas Morus in *Utopia* : « Undique ad superos tantumdem est viæ. »

3. QUINQUAGINTA NAMQUE ET SEX ANNORUM LUMEN OCULORUM AMISIT (in Ninive) SEXAGENARIUS VERO RECEPIT. — Tobias, ut dixi in proœmio, anno sexto Ezechiæ, quo cum reliquis Israelitis ductus est in Assyriam, erat 39 annorum; ergo anno 28 Ezechiæ agens annum ætatis 46 excæcatus est; anno vero 27 Ezechiæ agens annum 60 visum recepit, ac postea duobus adhuc annis sub Ezechia (nam enim regnavit 29 annis) vixit, deinde sub Manasse annis 40, ac quadragesimo Manassis anno obiit, ante excidium Jerosolymæ per Chaldæos anno 70.

Porro Græca plures annos Tobiæ tribuunt. Asserunt enim eum excæcatum anno ætatis 158. Verum ex decreto Concilii Tridentini, *Sess.* IV vulgata Latina ut canonica Scriptura nobis sequenda est, non Græca.

5. IN HORA AUTEM MORTIS SUÆ VOCAVIT AD SE TOBIAM FILIUM SUUM, — ut ei ultima daret mon-

quin ex oraculo de exidio Ninives et gloria Jerusalem. Idem fecit Isaac Patriarcha moriturus, *Gen.* XXVII, 27, et Jacob, *Gen.* XLIX, et Moses, *Deuter.* XXXIII. Plato censuit animam in morte quasi e corpore elevari ad divina, ut futura subinde præsentiat et prænuntiet occulto quodam naturæ instinctu et signis prognosticeis; sicut aves, oves et boves ex signis aeris immutati præsentiunt pluvias et tempestates. Unde Cicero, lib. I *De Divinatione*: « Appropinquante morte, ait, multo est animus divinior. Nam et idipsum videmus, qui sunt morbo gravi et mortifero affecti, instare mortem. Itaque his occurrunt plerumque imagines mortuorum; tumque vel maxime laudi student; eosque qui secus quam decuit, vixerunt, peccatorum suorum tum maxime pœnitet. Divinare autem morientes etiam illo exemplo confirmat Possidonius, quod affert: Rhodium quemdam sex æquales nominasse, et dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps moriturus esset. » E nostris vero Arnobius, lib. II *Contra gentes*: « Morti, ait, vicini maxime valemus scientia, ita ut de futuris vaticinemur, ut proditum est a Platone in Apologia Socratis dixisse Socratem. » S. Gregorius, lib. IV *Dialog.* cap. XXV, hanc causam naturalem probat, et aliam supernaturalem adjungit. « Ipsa, inquit, aliquando animarum vis, subtilitate sua, aliquid prævidet. Aliquando autem exitura de corpore animæ, per revelationem futura cognoscunt. Aliquando vera jam dum juxta fit, ut corpus deserant divinitus afflatæ in secreta cœlestia incorporeum mentis oculum mittunt. »

Utrum subinde divinent. Unde?

Porro certum est Tobiæ hic vi non naturali, sed divina afflatum prædixisse excidium Ninives æque ac Jerosolymæ, ejusque et templi restaurationem et gloriam; nulla enim signa prognostica habebat, ex quibus id ipsum colligere vel conjicere posset: unde a S. Ambrosio, libro *De Tobia*, ipse Propheta nuncupatur. Vide dicta prooemio *in Prophetas minores*, cap. XXI.

6. PROPE ERIT INTRITUS NINIVE. — Ninive sæpius capta et vastata est; *primo*, ab Arbace Medo, qui Sardanapalum in Ninive regnantem obsedit, et ad sui urbisque incendium adegit; id factum est ante Tobiam sub Ozia rege Juda, avo Ezechiæ, teste Eusebio et aliis; *secundo*, sub finem regni Ezechiæ; nam sub annum Ezechiæ 14, ab Angelo in Judæa cæsus est Sennacherib, cui mox successit filius Asarhaddon, qui decem annis regnavit, in eoque desiere reges Ninives. Nam successit ei Merodach Baladan, qui subacta Ninive (ut videtur), imperium in Babylonem transtulit, ideoque in Scriptura post Asarhaddon nulli reges Assyriorum, sed tantum Babyloniorum nominantur. Hoc quoque Ninives excidium antecessit mortem Tobiæ, et consequenter hoc ipsius de eversione Ninives oraculum, quod ipse moriens edidit anno 4 Manassis, qui Ezechiæ patri in regno successit. *Tertio*, multi putant Ninivem reflorescentem rursum eversam esse a Cyaxare Medo et Nabuchodonosor seniore, qui fuit pater Nabuchodonosoris Magni, sub annum 13 Josiæ regis Juda; et de hoc excidio hic loqui Tobiam. Ita S. Hieronymus, Eusebius et alii. Verum Nahum, cap. II, VERS. 1, ostendit Ninivem eversam esse a Nabuchodonosor juniore quinto anno post excidium Jerosolymæ.

Porro Græca hic addunt: *Vade in Mediam, fili, quia credidi, quæcumque locutus est Jonas propheta de Ninive, quod subvertetur. In Media autem magis erit pax usque ad tempus.*

NON ENIM EXCIDIT VERBUM DOMINI, — editum a Jona propheta, ut habent Græca de excidio Ninive, licet enim Ninivitæ ad prædicationem Jonæ pœnitentes excidium sibi ab eo comminatum evaserint, tamen mox in pristina scelera relabentes, idem incurrerunt, uti post Jonam eisdem prædixit Nahum, cap. II, sed de oraculo Nahum hic non agit Tobias, quia diu ante eum vita functus est.

ET FRATRES NOSTRI, QUI DISPERSI SUNT A TERRA ISRAEL, REVERTENTUR AD EAM. — Multi enim ex decem tribubus prævidentes, vel jam sentientes excidium Ninives, ex ea profugerunt, et non pauci ex eis redierunt in terram Israel. Alii veri Dei cultus studiosi junxerunt se tribui Judæ, et cum ea in unum Judæ regnum coaluerunt, ut dixi in *Esdra* et *Paralip.*

7. OMNIS AUTEM DESERTA TERRA EJUS (Israel) REPLEBITUR (insolis ad eam postliminio revertentibus) ET DOMUS DEI, QUÆ IN EA INCENSA EST, ITERUM REÆDIFICABITUR. — « Incensa est, » id est incendetur a Chaldæis; loquitur prophetice de futuro, quasi de præterito ob futuri certitudinem. Unde Græca habent in futuro: *Fratres nostri dispergentur, et Jerusalem erit deserta, et domus Dei in ea combaretur, et deserta erit usque ad tempus: et iterum miserebitur eorum Deus, et convertet eos in terram. Et ædificabunt domum non qualis prior, usquequo complentur tempora sæculi. Et post hæc revertentur de captivitatibus et ædificabunt Hierusalem honorifice, et domus Dei in ea ædificabitur. Et in omnes generationes sæculi, ædificatio gloriosa, sicut locuti sunt de ea prophetæ. Et omnes gentes convertentur vere ad timendum Dominum Deum, et confodient idola sua.*

9. ET GAUDEBUNT IN EA REGES OMNES TERRÆ ADORANTES REGEM ISRAEL, — id est adorantes Christum; nec enim post reditum e captivitate fuit alius rex Israel quem adorarint omnes reges terræ; Christo autem omnes gentes et reges serviunt.

10. SERVITE DOMINO IN VERITATE, — id est vere, sincere, scilicet vero, sincero, recto, integro, toto que corde, non ficto, non falso, non dimidiato, non diviso, ut dimidiam cordis animique partem Deo detis, alteram diabolo, puta idolis et cupiditatibus. Veritas ergo hic opponitur mendacio, superstitioni, hypocrisi, fictioni et simulationi. Ita Serarius.

11. UT FACIANT JUSTITIAS, — id est opera justa, pia et sancta. In Græco additur insigne exemplum Achiachari, qui Tobiæ ex fratre fuit nepos, ut dixi cap. I, ac Manassis cujusdam, quod scilicet ambo ab impio et ingrato Aman in famæ et vitæ discrimen fuerunt conjecti, sed sua pietate et eleemosynis evaserint; Aman vero alibus ab Achiacharo in idem inciderit, sic enim habet: *Et nunc, fili, abi ex Ninive, quoniam omnino erunt quæ locutus est propheta Jonas. Tu autem serva legem et præcepta, et esto amator eleemosynarum et justus, ut tibi bene sit; et sepeli me bene, et matrem tuam mecum; et non ultra maneatis in Ninive. Fili, vide quid fecit Aman Achiacharo, qui nutrivit eum ut e luce duxit eum in tenebras, et quanta retribuit ei. Et Achiacharus quidem salvatus est, illi vero retributio data est, et ipse descendit in tenebras. Manasses in eleemosyna erat, et salvatus est de laqueo mortis quem fixerunt ei; Aman autem incidit in laqueum, et periit. Et nunc, fili, vide quid eleemosyna facit, et quomodo justitia liberat.*

Quis fuerit hic Aman incertum est; certum est non fuisse Aman hostem Mardochæi et Esther: hic enim Tobia longo tempore fuit posterior. Quis etiam fuerit hic Manasses ignoratur. Aliqui putant fuisse maritum Judith; nam tempus consentit, sed locus dissentit, ait Salianus; vixit enim Judith tempore Tobiæ, inquit ipse, sed in Bethulia Judææ, non in Ninive et Assyria, ubi vixit hic Manasses, de quo agit Tobias.

14. TOBIAS ABSCESSIT EX NINIVE, — fugiens ejus excidium. Ex Ninive profectus est in Mediam ad socerum suum Raguel habitantem in Ecbatanis. Ubi nota miram Dei erga Tobiam providentiam, quæ *primo* sub annum Ezechiæ 27 Tobiam per Raphaelem direxit in Mediam et Ecbatanam, ut inde educeret Saram, et pecuniam a Gabelo reciperet, antequam Ecbatana vastaretur, itaque utrumque periculo ereptum in tuto poneret. Nam paulo post vastata est Ecbatana sub Manasse filio Ezechiæ, ait Bellarminus et Salianus, de quo plura in prooemio Judith.

Secundo, cum postea Ecbatana reflorescente excidium immineret Ninive et Assyriæ, jussit Tobiam inde excedere, et in Ecbatanam ad socerum tendere, ut illi in senio adesset, morienti oculos clauderet, et hereditatem totam adiret. Si tanta cura Deus providit amicis suis de bonis corporalibus, quanta providebit de spiritualibus, cœlestibus et æternis?

16. ET COMPLETIS ANNIS 99 IN TIMORE DOMINI (morientem) CUM GAUDIO SUSCEPERUNT EUM. — Esto enim filii ejus et nepotes dolerent de ejus morte, gaudebant tamen quod tam longum, fortunatam sanctamque vitam simili prorsus morte concluderet, cum deinceps illi jam prope centenario nil aliud in hac vita expectandum esset, quam labor et dolor. Mori enim in senectute plena, honorata, pacifica et prospera æque ac pia et sancta, ingens, imo extremum est hujus vitæ bonum. Mortuus est ergo Tobias junior sub annum 16 Josiæ regis Juda; in hunc enim annum incidit 99 vitæ ejus annus, et sepultus est in Ecbatana Mo

dorum urbe. Græca addunt: *Obiit autem et ipse annorum centum viginti septem, in Ecbatanis Mediæ. Et audivit antequam moreretur ipse destructionem Ninives quam in captivitatem cepit Nabuchodonosor et Assuerus, et gavisus est, antequam moreretur, super Ninive.*

Assuerus hic a multis censetur esse Cyaxares pater Astyagis, quia fuit avus maternus Cyri primi Persarum monarchæ. Qui enim Hebraice vel Chaldaice vocatur Assuerus, Græce vocatur AXIARES, Oxyares et Axares, cui præponitur *Cy*, vel *Cu*, quod Persice principem significat. Salianus vero per Assuerum accipit Pharaortem patrem Cyaxaris, qui Dejoci in regno Medorum successit. Assuerus enim commune fuit regum Medorum nomen.

Dices: Quomodo Tobias junior ante mortem potuit videre excidium Ninives, cum ipse juxta Latinum textum obierit anno ætatis 99, qui incidit in annum 16 Josiæ; juxta Græcum vero obierit anno ætatis 127, qui incidit in annum secundum, cujus undecimo postea anno vastata est a Chaldæis Jerusalem, ac post quinque annos Ninive, ut dixi *Nahum* II, 5. Respondeo *primo*, hæc verba, quod Tobias viderit excidium Ninives, non esse in vulgata Latina, quam probavit Concilium Tridentinum, sed in textu Græco, in quo plura addita sunt, quæ discrepant, imo contrariantur Latinæ vulgatæ, ne proinde non videntur certa, sed ab aliquo inserta, ut quod vers. 4 et 8, ait Tobiam seniorem octo annos fuisse cæcum, et vixisse annos 158, cum Vulgata asserat eum quatuor duntaxat annos fuisse cæcum, et vixisse annos 102. Tobiæ juniori hic dat annos 127, cum Vulgata tantum det 99. Quare nobis sequenda est Vulgata, non Græca. Ac proinde verius non videtur Tobiam non vidisse excidium Ninives, præsertim cum Græca hic varient. Complutensia enim Tobiæ dant 127 annos; S. Athanasius vero in *Synopsi* 107 duntaxat; juxta Vulgatam mors Tobiæ antecessit excidium Ninives 47 annis; juxta Græcum vero 14 annis.

An Tobias viderit excidium Ninives?

Resp. Prima.

Secundo, S. Hieronymus, Eusebius et alii censent Niniven excisam anni 13 Josiæ, ac sic Tobias id videre potuit: mortuus est enim anno 16 Josiæ.

Tertio, licet verius sit Niniven excisam anno quinto post excisam a Chaldæis Jerusalem, tamen sub annum 13 Josiæ cœpit obsideri et vastari. Nam, ut ait Herodotus, lib. I, Cyaxares cœpit obsidere Niniven (sub Josia), sed invadentibus Mediam Scythis, obsidionem intermisit per 28 annos, post quos cum Nabuchodonosor juniore obsidionem resumens, et instaurans, Niniven cepit et vastavit anno quinto post excidium Jerusalem, tumque Nabuchodonosor se fecit monarcham: quare hic fuit primus annus monarchiæ ejus. Unde Hebræi in *Seder Olam* dicunt id contigisse anno primo non regni, sed monarchiæ Nabuchodonosoris, qui regni ejusdem fuit annus 24; cœpit enim ipse regnare anno quarto Joakim regis Juda. Et

hoc videntur voluisse S. Hieronymus et Eusebius, scilicet quod Cyaxares, cum Nabuchodonosor senior cœperit obsidere et vastare agros Ninives, sub annum 13 Josiæ, idque audierit Tobias ante mortem, sed post 28 annos, cum Nabuchodonosor junior obsidionem resumens, Niniven expugnarit. Unde Græca habent Tobiam audisse, non excidium, sed ἅλωσιν, id est perditionem Ninives, quia scilicet audivit ipse ita eam obsideri et vastari, ut evadere non posset, sed necessario perdenda, id est capienda et evertenda foret, quare *quam captivavit*, idem est quod capere cœpit; significatur enim actus inchoatus, non perfectus.

Quarto, Serarius, Salianus et alii respondent secus captam et spoliatam esse Niniven, dum ipsa certans cum Babyloniis et Medis de imperio, jam vincebat, jam ab eis vincebatur : quare incertum esse de qua Ninives perditione loquatur hic Tobias.

Denique Serarius 39 Tobiæ junioris annos computat a morte patris, scilicet senioris Tobiæ, quibus addens annos 68 quibus cum patre Tobias in captivitate vixit, ac faciens eum duorum annorum, quando in captivitatem venit, conficit eum universim vixisse 164 annos, ita ut pertigerit ad annum 24 Nabuchodonosoris, quo eversa est Ninive, itaque eam eversam esse audire potuerit; sed hæc ætas illo ævo nimia et plane paradoxa videtur.

COMMENTARIA

IN JUDITH.

ARGUMENTUM

Liber Judith est Canonicus.

Hic liber apud Hebræos non exstat in Canone S. Scripturæ, sed apud Christianos. Concilium Nicænum I eum inter Canonicos S. Scripturæ libros recenset, uti refert S. Hieronymus in prologo. Idem fecit Concilium Carthaginense III, cap. XLVII, Concilium Florentinum et Tridentinum. Vide Bellarminum, lib. I *De verbo Dei*, cap. XII. Hinc Josephus, quia Hebræus, non meminit Judith, sicut nec Tobiæ. Exstat Græce æque ac Latine. An Græcus textus hic, æque ac in Tobia, sit ex translatione Septuaginta interpretum ambigitur. Certe S. Hieronymus, nec ejus nec illorum meminit. Videtur primitus Chaldæo sermone conscriptus, sicut et liber Tobiæ. Unde S. Hieronymus in prologo asserit se eum e Chaldæo transtulisse, additque : « Accipite Judith viduam, castitatis exemplum, et triumphali laude perpetuis eam præconiis declarate. Hanc enim non solum feminis, sed et viris imitabilem dedit, qui castitatis ejus remunerator, virtutem ei talem tribuit, ut invictum omnibus hominibus vinceret, et insuperabilem superaret. » Auctor videtur fuisse Joacim Pontifex conjux Judith, imo ejus director : ita censent Hebræi, et ex eis Sixtus Senensis, lib. VIII, *Hæresi* XI, licet nil certi hac de re asseverari possit, ut ait S. Isidorus, lib. VI Originum, cap. II.

Chaldæus scriptor.

Argumentum libri est victoria Judith de Holoferne et Assyriis, per quam allegorice repræsentatur victoria B. Virginis de diabolo, ait ex Fulberto Carnotensi noster Canisius, lib. I *Marialis*, cap. II; tropologice triumphus animæ fidelis de carne et vitiis, ait Rabanus. Denique tres libri sunt partes. Prima describitur Judæorum periculum a cap. I usque ad VIII; secunda, eorum per Judith liberatio a capite VIII ad cap. XV, vers. 9; tertia, quæ deinde secuta sunt a cap. XV usque ad finem.

Quando contigit historia Judith.

Quæres quando contigerit historia Judith. Multi probabiliter arbitrantur eam contigisse ante captivitatem Babylonicam II, sub Manasse rege Juda : nimirum postquam a Manasse cum suis Judæis e carcere Babylonio dimissus in Jerusalem et regnum rediit; tunc enim apud Medos potentissimus fuit Dejoces qui Ecbatana ædificavit. Ninive nondum erat diruta, nondum etiam Jerosolyma; atque a tempore Manassis perpetua fuit pax Judæis, usque ad finem regni Josiæ. Ita censent Bellarminus loco citato, Serarius, Salianus, Genebrardus, Pererius in cap. I *Danielis*, Cano, lib. XI *De Locis*, cap. VI, Christophorus a Castro in *Oseæ* II, vers. 20. Nabuchodonosor ergo hic mittens Holofernem quem occidit Judith, fuit cognatus, vel filius, ut vult Serarius, vel gener Asarhaddonis filii Sennacherib, qui proinde Asarhaddoni in regno Ninive successit; aut certe fuit Merodach Baladan rex Babylonis, ait Bellarminus et Salianus, qui devicto Asarhaddone regnavit in Ninive, ac cum Arphaxad, id est Dejoce rege Medorum confligens, eum superavit, indeque ad monarchiam orbis aspirans, misit Holofernem qui cæteras gentes sibi subjugaret.

Regn. Prima, sub Manasse.

Alii ex adverso censent historiam Judith contigisse post reditum Judæorum e captivitate Babylonica, multasque ac validas pro hac sententia afferunt rationes : *prima*, quia in hac historia asseritur Pontifex tunc fuisse Joacim; nullus autem hoc nomine fuit Pontifex, nisi Joacim filius Jesu filii Josedec, post reditum ex Babylone; Jesus enim fuit Pontifex sub Cyro, Cambyse et Dario, Joacim sub Xerxe, Eliasib sub Artaxerxe, ut patet *Nehem.* XII, vers. 4, 6, 7, et *Ecdi* XLI, 14, juncto cum *Aggæi* I, 1 et seq., et ex Josepho, lib. X *Antiq.* cap. XI, ubi ex tabulis publicis catalogum Pontificum texuit.

Secundo et verius sub Xerxe. Prob. prima.

Duces : libro IV *Regum*, cap. XVIII, vers. 17, et *Isaiæ* XXII, tempore Ezechiæ regis nominatur Eliacim (qui idem est cum Joacim) filius Helciæ præpositus domus, et inter præcipuos numeratur sacerdotes. Respondeo : Eliacim hic non fuit summus Pontifex, uti nec Helcias pater ejus; sed fuit aliquis e primariis sacerdotibus, sive e principibus sacerdotum, cui templi et portarum ejus cura commissa fuit, ut patet ex Scriptura et ex Josepho, ex quibus liquet unum duntaxat Helciam fuisse Pontificem, non tempore Ezechiæ, sed multo post tempore Josiæ, de quo IV *Regum* XXIII, 4.

Secunda, quia temporibus Xerxes optime conveniunt ea quæ cap. V, dicuntur de nupero Judæorum e captivitate reditu. Item quod cap. VI, Judæi non dicuntur reges habere, sed duces populi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hoc videntur voluisse S. Hieronymus et Eusebius, scilicet quod Cyaxares, cum Nabuchodonosor senior cœperit obsidere et vastare agros Ninives, sub annum 13 Josiæ, idque audierit Tobias ante mortem, sed post 28 annos, cum Nabuchodonosor junior obsidionem resumens, Niniven expugnarit. Unde Græca habent Tobiam audisse, non excidium, sed ἅλωσιν, id est perditionem Ninives, quia scilicet audivit ipse ita eam obsideri et vastari, ut evadere non posset, sed necessario perdenda, id est capienda et evertenda foret, quare *quam captivavit*, idem est quod capere cœpit; significatur enim actus inchoatus, non perfectus.

Quarto, Serarius, Salianus et alii respondent secus captam et spoliatam esse Niniven, dum ipsa certans cum Babyloniis et Medis de imperio, jam vincebat, jam ab eis vincebatur : quare incertum esse de qua Ninives perditione loquatur hic Tobias.

Denique Serarius 39 Tobiæ junioris annos computat a morte patris, scilicet senioris Tobiæ, quibus addens annos 68 quibus cum patre Tobias in captivitate vixit, ac faciens eum duorum annorum, quando in captivitatem venit, conficit eum universim vixisse 164 annos, ita ut pertigerit ad annum 24 Nabuchodonosoris, quo eversa est Ninive, itaque eam eversam esse audire potuerit; sed hæc ætas illo ævo nimia et plane paradoxa videtur.

COMMENTARIA

IN JUDITH.

ARGUMENTUM

Liber Judith est Canonicus.

Hic liber apud Hebræos non exstat in Canone S. Scripturæ, sed apud Christianos. Concilium Nicænum I eum inter Canonicos S. Scripturæ libros recenset, uti refert S. Hieronymus in prologo. Idem fecit Concilium Carthaginense III, cap. XLVII, Concilium Florentinum et Tridentinum. Vide Bellarminum, lib. I *De verbo Dei*, cap. XII. Hinc Josephus, quia Hebræus, non meminit Judith, sicut nec Tobiæ. Exstat Græce æque ac Latine. An Græcus textus hic, æque ac in Tobia, sit ex translatione Septuaginta interpretum ambigitur. Certe S. Hieronymus, nec ejus nec illorum meminit. Videtur primitus Chaldæo sermone conscriptus, sicut et liber Tobiæ. Unde S. Hieronymus in prologo asserit se eum e Chaldæo transtulisse, additque : « Accipite Judith viduam, castitatis exemplum, et triumphali laude perpetuis eam præconiis declarate. Hanc enim non solum feminis, sed et viris imitabilem dedit, qui castitatis ejus remunerator, virtutem ei talem tribuit, ut invictum omnibus hominibus vinceret, et insuperabilem superaret. » Auctor videtur fuisse Joacim Pontifex conjux Judith, imo ejus director : ita censent Hebræi, et ex eis Sixtus Senensis, lib. VIII, *Hæresi* XI, licet nil certi hac de re asseverari possit, ut ait S. Isidorus, lib. VI Originum, cap. II.

Chaldæus scriptor.

Argumentum libri est victoria Judith de Holoferne et Assyriis, per quam allegorice repræsentatur victoria B. Virginis de diabolo, ait ex Fulberto Carnotensi noster Canisius, lib. I *Marialis*, cap. II; tropologice triumphus animæ fidelis de carne et vitiis, ait Rabanus. Denique tres libri sunt partes. Prima describitur Judæorum periculum a cap. I usque ad VIII; secunda, eorum per Judith liberatio a capite VIII ad cap. XV, vers. 9; tertia, quæ deinde secuta sunt a cap. XV usque ad finem.

Quando contigit historia Judith.

Quæres quando contigerit historia Judith. Multi probabiliter arbitrantur eam contigisse ante captivitatem Babylonicam II, sub Manasse rege Juda : nimirum postquam a Manasse cum suis Judæis e carcere Babylonio dimissus in Jerusalem et regnum rediit; tunc enim apud Medos potentissimus fuit Dejoces qui Ecbatana ædificavit. Ninive nondum erat diruta, nondum etiam Jerosolyma; atque a tempore Manassis perpetua fuit pax Judæis, usque ad finem regni Josiæ. Ita censent Bellarminus loco citato, Serarius, Salianus, Genebrardus, Pererius in cap. I *Danielis*, Cano, lib. XI *De Locis*, cap. VI, Christophorus a Castro in *Oseæ* II, vers. 20. Nabuchodonosor ergo hic mittens Holofernem quem occidit Judith, fuit cognatus, vel filius, ut vult Serarius, vel gener Asarhaddonis filii Sennacherib, qui proinde Asarhaddoni in regno Ninive successit; aut certe fuit Merodach Baladan rex Babylonis, ait Bellarminus et Salianus, qui devicto Asarhaddone regnavit in Ninive, ac cum Arphaxad, id est Dejoce rege Medorum confligens, eum superavit, indeque ad monarchiam orbis aspirans, misit Holofernem qui cæteras gentes sibi subjugaret.

Regn. Prima, sub Manasse.

Alii ex adverso censent historiam Judith contigisse post reditum Judæorum e captivitate Babylonica, multasque ac validas pro hac sententia afferunt rationes : *prima*, quia in hac historia asseritur Pontifex tunc fuisse Joacim; nullus autem hoc nomine fuit Pontifex, nisi Joacim filius Jesu filii Josedec, post reditum ex Babylone; Jesus enim fuit Pontifex sub Cyro, Cambyse et Dario, Joacim sub Xerxe, Eliasib sub Artaxerxe, ut patet *Nehem.* XII, vers. 4, 6, 7, et *Ecdi* XLI, 14, juncto cum *Aggæi* I, 1 et seq., et ex Josepho, lib. X *Antiq.* cap. XI, ubi ex tabulis publicis catalogum Pontificum texuit.

Secundo et verius sub Xerxe. Prob. prima.

Duces : libro IV *Regum*, cap. XVIII, vers. 17, et *Isaiæ* XXII, tempore Ezechiæ regis nominatur Eliacim (qui idem est cum Joacim) filius Helciæ præpositus domus, et inter præcipuos numeratur sacerdotes. Respondeo : Eliacim hic non fuit summus Pontifex, uti nec Helcias pater ejus; sed fuit aliquis e primariis sacerdotibus, sive e principibus sacerdotum, cui templi et portarum ejus cura commissa fuit, ut patet ex Scriptura et ex Josepho, ex quibus liquet unum duntaxat Helciam fuisse Pontificem, non tempore Ezechiæ, sed multo post tempore Josiæ, de quo IV *Regum* XXIII, 4.

Secunda, quia temporibus Xerxes optime conveniunt ea quæ cap. V, dicuntur de nupero Judæorum e captivitate reditu. Item quod cap. VI, Judæi non dicuntur reges habere, sed duces populi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Oziam et Charmi; si enim sub Manasse hæc contigissent, utique Judith hoc suum facinus cum rege Manasse, non cum Pontifice Joacim, Ozia et Charmi tractasset, nec Joacim misisset milites qui occuparent fauces montium, sed Manasses. Rursum sub Manasse Bethulia erat deserta ab Israelitis abductis in Assyriam, et habitabatur a Cuthæis. Adhæc ævo Xerxis congruit quod cap. v, vers. 27, magnates Holofernis dicunt de filiis Israel eos jam esse inermes, imbelles, et belli inexpertes, ideoque se montibus et præcipitiis defendere, ut dicitur cap. VII, 8, et quod cap. ult. additur de diuturna pace post hanc Judith victoriam consecuta. Ita censent Sanchez hic, Torniellus et Ribera in cap. II *Nahum*, Lyranus, Dionysius, Hugo hic, imo S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* cap. XXVI, Eusebius *in Chron.* ad annum mundi 4674, Beda, *De sex Ætat. mundi*, Berosus Anninnus, et communiter Hebræi, ut refert *Chron. Alexandr.* item Suidas verbo *Holofernes*, et Africanus apud Suidam.

Postquam enim Xerxes sæpe a Græcis victus fuit, ac præsertim turpissimam illam cladem apud Thermopylas a Leonida et trecentis sodis accepit anno imperii sui quinto, cœpit suis esse contemptui, ait Justinus, lib. III. Quare Arphaxad rex Medorum, qui hucusque Xerxi et Persis fuerat vectigalis et tributarius, hac occasione Xerxis et Persarum jugum excussit, ac fines regni sui propagavit. Fecit idem Nabuchodonosor, cui vel ipse Xerxes, vel quod magis reor, Darius Hystaspis pater Xerxis regnum Ninives et Assyriorum crediderat, qui proinde confligens cum Arphaxad, eumque superans, cœpit monarchiam ambire. Quare Nabuchodonosor hic non est ille magnus Chaldæorum monarcha, auctor captivitatis Babyloniæ; sed longe posterior eo, Assyrius scilicet, vel Babylonius, unus e principibus Xerxis; Nabuchodonosor enim nomen est Babylonium sive Chaldæum, ac forte a Nabuchodonosor Magno noster hic nomen hoc suum, forte etiam genus et stirpem accepit.

Hinc conjectura est, causam cur Xerxes Judæis tantopere fuerit benevolus, uti scribit Josephus, lib. XI, cap. V, adeo ut filius ejus Artaxerxes anno septimo regni sui miserit Esdram, et anno 20 Nehemiam ad restaurandam Jerusalem cum liberalissima et amplissima potestate; causam, inquam, hujus benevolentiæ fuisse, quod videret Xerxes hunc Nabuchodonosor, hostem suum et æmulum imperii, jam recenter a Judæis fuisse profligatum.

Dices : Tempore Xerxis desolata erat Ninive : jam enim a Magno Nabuchodonosor excisa fuerat quinto anno post exeisam Jerusalem, uti dixi *Tobiæ* ultimo cap. Respondeo Niniven paulo post excidium reædificatam fuisse; quia antiquissima et nobilissima erat civitas, idque permissu regum Babyloniorum vel Persarum, uti ex historiis factum constat de Babylone, Jerusalem, Antiochia, Roma, etc.; alias objectiones solvam cap. IV, vers. 5, et cap. VIII, vers. 1, vel cap. IX, vers. 2. Denique hanc sententiam pene evincit id quod cap. V, 22 et seq. dicitur sub hoc tempus desertam fuisse Jerusalem, ac templum eversum et solo æquatum. Hoc enim non contigit sub Manasse, sed sub Sedecia in captivitate Babylonica.

Ex dictis constat quod Nabuchodonosor, qui misit Holofernem, non fuerit Darius Hystaspis, ut vult Gerardus Mercator in sua chronologia; nec Artaxerxes Ochus, ut vult Severus Sulpitius; nec Cambyses filius Cyri, qui inchoatam sub Cyro fabricam templi impedivit, I *Esdræ* IV, eo quod Judæi suum ducem Holofernem occidissent, ait Berosus Annianus, idque innuit S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* XXVI, et Eusebius : nam Cambyses septem annis duntaxat regnavit : Nabuchodonosor autem anno 12 regni misit Holofernem; sed vel fuit Xerxes, ut opinatur Sanchez, qui dictus fuit Nabuchodonosor ob similem illi superbiam et fastum : unde Judith ejus victrici occinuerunt Judæi, cap. XVI, 12 : « Horruerunt Persæ constantiam ejus, et Medi audaciam ejus. » Aut potius fuit præfectus Principibus Xerxis, qui ejus vice gubernabat Niniven, ut dixi. Videtur enim fuisse origine Babylonius; hoc enim innuit nomen ejus Nabuchodonosor, quod est Babylonium. Arphaxad vero fuit præfectus, vel rex Mediæ Xerxi vectigalis; sed victo a Græcis Xerxe, uterque Xerxi rebellavit, et provinciæ suæ se regem absolutum fecit. Sic enim eidem Xerxi rebellavit Artabanus, ac forte ipse est Arphaxad. Audi Justinum, lib. III *in Princ.* : « Xerxes, ait, Rex Persarum, terror antea gentium, bello in Græcia infeliciter gesto, etiam suis contemptui esse cœpit. Quippe Artabanus præfectus ejus, deficiente quotidie regis majestate, in spem regni adductus est. »

Simili modo Arbaces constitutus a Sardanapalo Mediæ præfectus, illi effeminato rebellavit, dicens se non posse parere illi, qui se feminam mallet esse quam virum : quare illum obsedit, et ad sui incendium coegit, ut superius dixi (1).

(1) Haud prætermittendum putamus hanc doctissimi interpretis nostri opinionem, licet multis et validis, ut dicit, momentis stabilitam, nec tamen communiorem nec probabiliorem esse. Nam fere omnes SS. Patres et interpretes, ante captivitatem omnia hæc evenisse opinantur, licet in tempore certe assignando valde inter se dissentiant. Et revera, nulli opinionum istarum quæ post captivitatem hujus historiæ tempus quærunt assentiendum esse, probatur imprimis, ut asserit Serarius, quia vel Hierosolyma tunc temporis nulla erat, vel penitus reædificabatur; quia templum etiam tum vel prostratum jacebat, vel nonnisi senem excitabatur. Deinde sub extrema Persicæ monarchiæ tempora, licet aliquo jam modo et Hierosolyma et templum reflorescerent, nihilominus tamen nullus tum Eliacim, eras pontifex; Assyriorum sceptrum conciderat; Medorum regnum satrapia jam erat; omnia denique una Persicorum monarchorum ditione atque dominatu tenebantur. At vero, ut videbimus infra, cap. IV, 2 et 6; XV, 9; XVI, 23, stat templum, viget Hierosolyma, pontificatum gerit Eliacim; et cap. I, Assyriorum rex adhuc est, Ninive triumphat, Medis

Nabuchodonosor hic quis?

Porro Judith fuit ex tribu Simeon, uti ipsa asserit cap. IX, vers. 2; habitavit in Bethulia, quæ est in tribu Zabulon; vixit 105 annis, ut patet ex fine libri; fuit ipsa matrona et genere et forma nobilis, statu vidua, ætate florens, opibus locupleS

regni adhuc dignitatem et quidem præpotentis obtinet, e contrario Babyloniorum hic regum nulla mentio.

Sententiæ quæ ante captivitatem omnia hæc evenisse opinatur, apprime concordant historiæ profanæ documenta. Nam Arphaxad ille, de quo cap. I, ex communi consensu est ille qui ab historicis vocatur Aphra-ortes, vel Phra-orte, Dejocis regis Medorum filius. Nabuchodonosor vero sic dictus ex recepto Babyloniorum regum nomine, quia Babylonius simul et Assyrius thronum obtinebat, est Assarhadonis liberorum quispiam, qui Phraortem, vel Aphraortem, vel Arphaxad in fugam debellavit. D. de Sanley in opere cui titulus : *Chronologie tirée des Empires Ninites, Babylonis et Ecbatanæ*, satis fauste probat contra auctores operis vulgo nuncupati : *Ars deprehendendi tempora et epochas*, illum Nabuchodonosorem sic a Ptolomæo dictum, non esse Saosduchin, sed Khinal-adan, qui ab anno ante Christum 647 ad annum 635, id est duodecim annos regnavit, et anno undecimo regni sui, ut dicitur cap. I, 5, « pugnavit contra Arphaxad et obtinuit eum. »

Quinam vero tempori ante captivitatem hæc historia assignanda, difficile definiri potest. Hinc omnes fere hujus sententiæ fautores post profligatum Sennacherib exercitum hoc dant; sed an Manasse, an Joiæ, an Sedeciæ temporibus non præfinunt. Quidam recenter affirmavit totam hanc historiam per interregnum quod Amasiæ mortem subsecutum fuit, evenisse, et sic rationem dant quorumdam factorum quæ in aliis sententiis difficilius explanantur : verbi gratia, cur de rege qui tunc regnum Juda obtineret, absolute tacet auctor, et solummodo de sacerdote magno et presbyteris populi mentionem facit; cur Eliacim dum Judæis animos dat, victorias ex Amalec, Pharaone, etc., reportatas memorando, de Sennacherib nuper devicto nihil dicit; cur Holophernes diligenter exquirit de populo Hebræorum quis sit, quanta sint civitates eorum, quæ sit virtus, quæ multitudo, vel quis rex militiæ eorum, etc., cap. V, 3 et 4. Quæ omnia post profligatum Sennacherib exercitum, Assyrios ignorare, haud facile concipitur, etc., etc.

ples, pietate præstans, cujus eximia forma eum pari virtute certabat, quam proinde Deus ad hoc heroicum facinus et Israelis liberationem elegit. Bellarminus censet eam, cum occidit Holofernem, fuisse 40 annorum, Serarius 45, Torniellus 53, Gretserus 40, Salianus 33. Audi S. Hieronymum, epist. 10 *ad Furiam* : « Legimus Judith viduam confestam jejuniis, et habitu lugubri sordidatam, quæ non lugebat mortuum virum, sed squalore corporis, sponsi quærebat adventum. Video armatam gladio manum, cruentam dexteram; recognosco caput Holofernis, de mediis hostibus repertatum. Vincit viros femina, et castitas truncat libidinem; habituque repente mutato, ad victrices sordes vertit omnibus sæculi cultibus mundiores. »

Porro Patres Judithæ eximia dant elogia. Clemens Alexandrinus vocat eam « consummatum, sive perfectam in mulieribus, » libro IV *Stromatum*, cap. VI. Origenes, homilia 9 *in Judith* : « Magnificam, et omnium feminarum nobilissimam. » Ambrosius, libro III *De Offic.* cap. XIII : « Mirabilem feminam. » S. Fulgentius, epist. II, cap. XIV : « sanctam viduam » sæpius appellat, « præclaram natalibus, facultatibus divitem, ætate juvenem, specie mirabilem, divitiarum contemptricem, delicias respuentem, carnis incentiva calcantem, et indutam virtute ex alto. » D. Ambrosius, lib. *De Viduis* : « Diuturnis mœroribus, et quotidianis roboratem jejuniis, sanctam Judith. » Divus Augustinus, serm. *De Temp.* 228 : « sanctissimam Judith, cujus precibus patuit cœlum, quæ orationis arte arma victricia fabricavit. » Et infra : « Ecce gloriosæ feminæ castitatem servavit oratio. » D. Chrysostomus, hom. 9 *ex variis* : sanctissimam Judithan, quæ dum lætitia vultus jejunium texit, de hoste triumphum ac victoriam reportavit. » Tertullianus, lib. *De Monarch.* cap. XVII : « Nec Judith, inquit, filia Meraris, nec tot alii sanctorum. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT PRIMUM

SYNOPSIS CAPITIS.

Arphaxad ædificat Ecbatanas; vincitur a Nabuchodonosor rege Ninives, qui victoria superbiens omnes gentes ad deditionem sollicitat; sed iis repugnantibus, ipse omnes debellare destinat.

1. Arphaxad itaque rex Medorum subjugaverat multas gentes imperio suo, et ipse ædificavit civitatem potentissimam, quam appellavit Ecbatanis, 2. ex lapidibus quadratis et sectis: fecit muros ejus in latitudinem cubitorum septuaginta, et in altitudinem cubitorum triginta: turres vero ejus posuit in altitudinem cubitorum centum. 3. Per quadrum vero earum, latus utrumque vicenorum pedum spatio tendebatur, posuitque portas ejus in altitudinem turrium: 4. et gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui, et in gloria quadrigarum suarum. 5. Anno igitur duodecimo regni sui: Nabuchodonosor rex Assyriorum, qui regnabat in Ninive civitate magna, pugnavit contra Arphaxad, et obtinuit eum 6. in campo magno, qui appellatur Ragau, circa Euphraten, et Tigrin, et Jadason, in campo Erioch regis Elicorum. 7. Tunc exaltatum est regnum Nabuchodonosor, et cor ejus elevatum est: et misit ad omnes, qui habitabant in Cilicia, et Damasco, et Libano, 8. et ad gentes quæ sunt in Carmelo, et Cedar, et inhabitantes Galilæam in campo magno Esdrelon, 9. et ad omnes qui erant in Samaria, et trans flumen Jordanem usque ad Jerusalem, et omnem terram Jesse, quousque perveniatur ad terminos Æthiopiæ. 10. Ad hos omnes misit nuntios Nabuchodonosor rex Assyriorum. 11. Qui omnes uno animo contradixerunt, et remiserunt eos vacuos, et sine honore abjecerunt. 12. Tunc indignatus Nabuchodonosor rex adversus omnem terram illam, juravit per thronum et regnum suum, quod defenderet se de omnibus regionibus his.

7. ARPHAXAD ITAQUE REX MEDORUM. — To *itaque* partim est nota exordii historiæ, sive libri; hoc enim denotat Hebræum *vau*, id est, *et itaque*, ut dixi *Ezechielis* I, 1. Sic Cicero suas epistolas subinde orditur ita: « Tu igitur, tu vero, ego vero; » partim significat hanc historiam acceptam et re-sectam esse ex priscis diariis, sive chronicis Hebræorum, in quibus hæc historia subnectebatur historiis priorum temporum, ac per *itaque* iis connectebatur. Ita Serarius.

Arphaxad quis? Resp. Primo.

Arphaxad hic, sive Arcapad, idem est quod Arbaces. Unde Serarius et alii per Arphaxad intelligunt Arbacem, qui occiso Sardanapalo regem se Mediæ fecit, de quo plura vers. 5.

Secundo.

Alii cum Bellarmino et Saliano censent Arphaxad esse Dioclem sive Dejocem, qui tempore Manassis regis Juda Medis imperavit. Dejoci enim successit Phraortes, inquit Herodotus, Phraorti Cyaxares, Cyaxari Astyages avus Cyri, licet Ctesias apud Diodorum, alios pluresque Medorum reges assignet.

Porro Dejoces ædificavit Ecbatanam, teste Herodoto, Eusebio et aliis, licet Genebrardus per Arphaxad hic accipiat Cyaxarem, Salianus Phraortem.

Tertio, alii qui sub Xerxe contigisse hanc historiam arbitrantur, putant Arbacem fuisse præfectum Mediæ, qui a Ninive, vel Dario, Hystaspis nomen et titulum regiæ dignitatis obtinuit; omnes enim reges Mediæ a primo rege Arbace nomen acceperunt, et cognominati sunt Arbaces, sive Arbacidæ, sicut Romani Imperatores a Julio Cæsare dicti sunt Cæsares; Ægyptii a primo Ptolemæo Ptolemæi; Græci a primo rege Seleuco dicti sunt Seleucidæ; Parthi a primo Arsace dicti sunt Arsacidæ.

Porro « Arphaxad » Hebraice idem est quod *debilitans, quasi depopulationem*, ait Pagninus, idque apte. Ipse enim suis superbis fabricis et quadrigis debilitavit, exhausit, et quasi depopulatus est populum, ideoque spoliatus et subjugatus fuit a Nabuchodonosor.

IPSE ÆDIFICAVIT CIVITATEM POTENTISSIMAM QUAM APPELLAVIT ECBATANIS. — Usurpatur subinde nomen Ecbatanis vel Ecbatana, quasi indeclinabile. Hanc urbem jam ante fuisse constat. Unde Diodorus, lib. II, asserit eam ante Semiramidem extitisse, dum ait post ædificatam Babylonem hue illam venisse, magnifica ibi palatia excitasse, et eum etiam aquarum inopia laboraret urbs, in eam, Oronte monte, qui duodecim stadiis abest, perfosso, aquæ abundantiam derivasse.

Dicitur tamen hic Arphaxad eam ædificasse, quia eam novis palatiis, turribus, muris auxit et ornavit. Unde Græca habent: *Ædificavit in Ecbatanis muros circumcirca ex lapidibus sectis.*

Sic Nabuchodonosor ait se Babylonem condidisse, id est, ornasse et amplificasse, *Dan.* IV, 27. Nam primus turrim Babel et Babylonem condidit Nemrod cum sociis, *Genes.* cap. X. Sic Romulus dicitur condidisse Romam, cum tamen Virgilius dicat, *Æneid.* VIII:

Tum rex Evandrus Romanæ conditor arcis.

2. EX LAPIDIBUS QUADRATIS ET SECTIS. — Græca addunt: *latis cubitos tres; longis vero sex.*

FECIT MUROS EJUS IN LATITUDINEM CUBITORUM 70 (immanis fuit hæc murorum latitudo, in qua proinde multæ quadrigæ simul incedere et decurrere poterant), ET IN ALTITUDINEM CUBITORUM 30, — Græca habent 50.

3. PER QUADRUM VERO EARUM (turrium) LATUS UTRUMQUE VICENORUM PEDUM SPATIO TENDERATUR, — id est, quodlibet latus turrium cum altero sibi obverso et opposito, hoc est, singula quatuor latera turrium erant viginti pedum. Erat enim quadratum geometricum, cujus omnia latera sunt æqualia. Pro *vicenorum pedum*, Græca habent, *sexaginta cubitorum*.

4. ET GLORIABATUR QUASI POTENS. — Hæc fuit causa belli, nimirum superbia et dominandi libido, qualis fuit priscorum monarcharum Assyriorum, Babyloniorum, Persarum, Græcorum et Romanorum: unde bellum civile inter Pompeium et Julium Cæsarem exortum est, quod Pompeius nollet Cæsarem sibi parem, Cæsar nollet Pompeium se superiorem. Similis est gloriatio Thrasonis illius apud Senecam ita jactantis:

Ac qualis astris gradior, et cunctos super
Altum superbo vertice attingens polum;
Dimitto superos; summa volorum attigi.
O me, comitum excelsissimum,
Regumque regem! vota transcendi mea.

Vers. 5. Nabucho donosor quis? Resp. Primo.

5. ANNO IGITUR DUODECIMO (cœpit hoc bellum, sed finitum anno 17, si credimus textui Græco, qui ait bellum hoc sex annos durasse) REGNI SUI NABUCHODONOSOR. — Quæres quis fuit hic Nabuchodonosor? *Primo* Zonaras et Genebrardus censent fuisse magnum illum Nabuchodonosor, qui Jerusalem cum templo evertit, et Judæos in Babylonem abduxit. Verum hic regnavit in Babylone, non in Ninive, ut hic dicitur, vicitque Judæos, cum hic ab eis per Judith victus sit.

Secundo, Bellarminus et Salianus censent esse Merodach Baladan (quem Ptolomæus in *Almagesto* vocat Mardocempad) qui regnavit quidem in Babylone; sed victo Asarhaddone rege Ninives, regni sui sedem in eadem Ninive fixit, uti fecit Turca Constantinopoli, postquam eam cepit. Nabuchodonosor enim nomen fuit commune regibus Chaldæorum. Unde Nabonassar in tabulis Alphonsinis, et ab Albitegnio semper vocatur Nabuchodonosor. Vide Serarium hic, *Quæst.* IV. Idem enim, vel fere idem est utrumque nomen: unde nonnulli putant hunc Nabuchodonosorem patrem fuisse Nabuchodonosoris illius qui pater fuit Nabuchodonosoris Magni, qui Judæos in Babylonem abduxit.

Tertio, Serarius totidem censet Nabuchodonosorem hunc fuisse filium Asarhaddonis, qui patri vita functo in regnum Ninives et Assyriorum successerit. Addit Serarius, cui astipulantur Genebrardus, Pererius et alii, Asarhaddon, sive Sarphedon, ut habent Septuaginta, esse Sardanapalum: quare hunc Nabuchodonosor fuisse filium Sardanapali, qui patris necem ulcisci volens, Arbacem Mediæ præfectum, qui patrem ad necem et incendium coegerat, bello subegerit, regnoque et vita privarit. Quare Arbacem hic vocari Arphaxad, a Diodoro vero et Ctesia vocari Diocles.

Favet Diodorus, lib. III, cap. 1, dicens Sardanapalum, cum videret imminere sibi Ninivæque excidium ab Arbace, suos filios ex Ninive emisisse in Paphlagoniam ad ejus præfectum Cottum, ut Arbacis manus evaderent. Audi Diodorum: « Obsesso in urbe (Ninive) rege (Sardanapalo), multæ nationes, libertatis cupidine, ad Arbacem defecerunt. Rex magno in discrimine regnum versari videns, filios tres, duasque filias cum magna auri argentique copia in Paphlagoniam ad Cottum præsidem misit. » Inter hos tres filios fuit hic Nabuchodonosor, qui adjutus a præfecto Paphlagoniæ armata manu Niniven, regnumque paternum recepit, ac Arbacem vicit et occidit. Sane si historiam Judith ante captivitatem Babylonicam sub Manasse contigisse dicamus, hæc sententia valde videtur verisimilis: tunc enim regnavit Asarhaddon, qui si fuit Sardanapalus, utique tunc quoque in Media regnavit Arbaces; hic enim victo cæsoque Sardanapalo, regem se Mediæ effecit. Verum si dicamus historiam Judith (ut dixi in proœmio) post captivitatem Babylonicam contigisse, consequenter asserendum est Nabuchodonosor hunc, vel fuisse Cambysem Cyri filium, ut opinatur S. Augustinus, Eusebius, Beda et alii; unde chronica Alexandrina. « Aiunt, ait, Cambysem apud Hebræos secundum Nabuchodonosorem nuncupari, » quia ab utroque afflicti fuere; vel Darium Hystaspis, ut vult Sanchez. Xerxes enim adeo suis copiis et viribus intumuit, ut putaret se non tantum terræ, sed et aquis marique imperare posse. Audi Herodotum, lib. VII: « Est ex Abydo ad ulteriorem continentem septem stadiorum trajectus, quem pontibus junctum ingens adorta tempestas ea omnia

...pit atque dissolvit. Quod enim audisset Xer... indigne ferens, jussit trecenta Hellesponto ...bera infligi, et in eos pelagus par compedum dividi. Jam audivi mississe quoque cum his, etiam qui stigmata Hellesponto inurerent, dicentes barbara verba : Dominus tibi hanc irrogat pœnam, quod eum lesisti. » Idem refert Valerius Maximus, lib. III, cap. II, et addit ad hæc monitum esse eodem tenebras, quod sibi mundum fecisset et imperium. Quid stultius, insolentius et arrogantius? Verum quia Xerxes regnavit in Persida, non in Ninive, ne Judæis fuit amicus et benevolus, ut Josephus adeo ut filius ejus Artaxerxes Esdram et Nehemiam in Judæam remiserit ut Jerusalem restitueret, quod utique non fecisset, si pater ejus Xerxes tam turpiter in suo duce Holoferne a Judæis fuisset cæsus. Satis verius videtur Nabuchodonosor hunc fuisse aliquem e principibus et præfectis Xerxis, cui ob merita, robur et potentiam Xerxes, vel potius pater Xerxis Darius Hystaspis, regnum Nuives et Assyriæ concesserit, sed sub vectigali et tributo : qui videns Xerxem cæsum a Græcis tributum hoc negavit, seque regem absolutum effecit, ac sensim crescens armis, viribus et gentibus, Arphaxad regem Medæ invaserit et superarit, Origine et gente videtur fuisse Babylonius (hoc enim indicat nomen ejus Nabuchodonosor, quod est Chaldæum) ac forte fuit nepos, vel potius abnepos, aut cognatus Nabuchodonosoris Magni, ideoque nomen ejus usurpavit.

Porro « Nabuchodonosor » Hebraice idem est quod *coarctans generationem angustia*, ait Pagninus in *Nomin. Hebr.* idque apte. Ipse enim coarctavit Judæos cæterasque gentes, et ad extrema redegit, ut patet ex seq.

NABUCHODONOSOR REX ASSYRIORUM, QUI REGNABAT IN NINIVE. — Additur hoc, ut distinguatur a Nabuchodonosor magno, qui regnavit in Babylone, ideoque Monarchiam a Ninive et Assyriis ad Babylonem et Chaldæos transtulit : quamquam vicina erat Ninive Babyloni, et Assyrii Chaldæis, ideoque ex Assyriis orta est monarchia Chaldæorum : quare eum ea quasi una eademque censetur. Hinc et Nabuchodonosor nomen est partim Chaldæum, partim Assyrium. *Nabo* enim erat nomen idoli Chaldæorum : *Asar* erat nomen regum Assyriorum, ut patet in Salmanasar, Teglathphalassar, Asarhaddon, quæ ex Asar conflata sunt.

PUGNAVIT CONTRA ARPHAXAD, ET OBTINUIT EUM, — id est, cepit eum, et jaculis confodit. Græca enim sic habent : *In bello suo roboratus est Nabuchodonosor, et omnem Arphaxadi potentiam, et omnem equitatum ejus, et omnes currus ejus everit; et ipsius urbium dominus factus est, et Ecbatanam usque pervenit, et potitus est ejus turribus, plateasque vastavit; et ipsius ornatum ad ejus opprobrium redegit. Et cepit Arphaxadum in montibus Ragau, et jaculis eum suis confixit, eumque prorsus perdidit, et exterminavit usque ad diem illum.* Meruit hanc stragem superba gloriatio Arphaxad in suis copiis et quadrigis : nam, ut ait Seneca in *Hercule* :

Sequitur superbos ultor à tergo Deus.

Idem in *Thyeste* :

Vos, quibus rector maris atque terræ
Jus dedit magnum necis atque vitæ,
Vosmet metuite fulminisque vultus;

Et mox :

Quem dies vidit fugiens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem :
Nemo confidat nimium secundis.

Quocirca Artabanus rex Xerxi (sub quo hæc contigerunt, imo quem Sanchez censet fuisse Nabuchodonosor) hoc prudens dedit monitum : « Vides ut animalia prægrandia fulmine ferit, neque cogitationibus insolescere sinit Deus : quæ vero parvula sunt, ne tantillum quidem vellicat? Vides ut in maximis ædificia et arbores, ejusmodi semper tela contorquet? Amat enim Deus incidere, sive truncare, quæ eminent omnia. » Et causa subditur : « Neminem enim sinit magni quidpiam de seipso sentire, præter seipsum. »

Quid Nabuchodonosor, parta hac victoria, egerit, Græcus sic enarrat : *Reversus est ipse cum ipsis* (suis copiis Niniven) *et omnis qui ad eum sese aggregarat exercitus, virorum bellatorum multitudo ingens admodum, et erat illic otiens, epulisque vacans, et tam ipse quam ejus exercitus, ad dies centum et viginti.*

7. TUNC EXALTATUM EST REGNUM NABUCHODONOSOR, ET CON EJUS ELEVATUM EST, — ut omnibus se fortiorem existimans, ambiret monarchiam, et omnes gentes sibi subjugare decerneret. Vere Seneca in *Troad.* :

Regi frenis oequit
Et ira, et arcens hostis, et victoria,
Gladiusque felix, cujus infecit semel
Vecors ibide est.

ET MISIT AD OMNES, — legatos, qui postularent, ut omnes gentes se Nabuchodonosori victori subjicerent. Hæc aliter narrantur in Græco, scilicet quod Nabuchodonosor ante victoriam de Arphaxad miserit nuntios ad omnes vicinas gentes opem contra Arphaxad flagitans : qua a gentibus negata, ipsum jurasse se illas excisurum; mox pugnasse cum Arphaxad, anno regni sui 17; eumque victisse, et jaculis confixisse, ac Ecbatanam evertisse; deinde cum triumpho rediisse in Niniven, illique otio et luxui se dedisse per 120 dies. Verum authentica nobis esse debet vulgata Latina editio, illique Græca vel concilianda est, si potest; si non potest, abjicienda : hoc loco potest conciliari. Potuit enim Nabuchodonosor bis misisse nuntios, scilicet primo ante pugnam, ut habet Græca; secundo post pugnam, ut habet Vulgata.

8. ET AD GENTES, QUÆ SUNT IN CARMELO ET CEDAR, ET INHABITANTES GALILÆAM. — Græca plures gentes enumerant. Hinc liquet Nabuchodonosor non fuisse Xerxem. Huic enim ut monarchæ parebant plerœque gentes, ac in primis Galilæi : nam ex Esdra et Nehemia constat Darium patrem Xerxis et Artaxerxem filium Xerxis misisse in Judæam Nehemiam et alios duces, qui suo nomine Judæos gubernarent.

11. QUI OMNES UNO ANIMO CONTRADIXERUNT, ET REMISERUNT EOS VACUOS, ET SINE HONORE (imo *cum ignominia*, ut habet Græcus) ABJECERUNT. — Hoc est plus merebatur fastus ex victoria insolescentis Nabuchodonosoris, ut sicut ipse steaverat arrogantiam Arphaxad, sic et ipsius insolentia a Judith sterneretur, et a gentibus rideretur.

12. JURAVIT PER THRONUM ET REGNUM SUUM, QUOD DEFENDERET (id est, ulcisceretur) SE. — Putabat enim ingentem injuriam et ignominiam sibi a gentibus esse illatam, ideoque ad suum honorem ab eis læsum recuperandum et defendendum, se debere hoc probrum et bello et excidio ulcisci : uti hodie multi censent se ad defensionem honoris sui, debere eos, qui illum contumelia aliqua lacerunt, ulcisci et occidere. Sed hic est paralogismus mundi, et mendax spiritus diaboli. Sic defendere sumitur pro vindicare, cap. IX, vers. 2, et ab Apostolo, *Rom.* XII, 19 : « Non vos defendentes, » id est vindicantes, « charissimi. » Vide ibi dicta.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nabuchodonosor, approbante bellico consilio, mittit Holofernem, ut gentes Occidentales armis sibi subjiciat.

1. Anno tertio decimo Nabuchodonosor regis, vigesima et secunda die mensis primi factum est verbum in domo Nabuchodonosor regis Assyriorum, ut defenderet se. 2. Vocavitque omnes majores natu, omnesque duces, et bellatores suos, et habuit cum eis mysterium consilii sui : 3. dixitque cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio. 4. Quod dictum cum placuisset omnibus, vocavit Nabuchodonosor Rex Holofernem principem militiæ suæ, 5. et dixit ei : Egredere adversus omne regnum Occidentis, et contra eos præcipue qui contempserunt imperium meum. 6. Non parcet oculus tuus ulli regno, omnemque urbem munitam subjugabis mihi. 7. Tunc Holofernes vocavit duces, et magistratus virtutis Assyriorum, et dinumeravit viros in expeditionem, sicut præcepit ei rex, centum viginti millia peditum pugnatorum, et equitum sagittariorum duodecim millia. 8. Omnemque expeditionem suam fecit præire in multitudine innumerabilium camelorum cum his quæ exercitibus sufficerent copiose, boum quoque armenta, gregesque ovium, quorum non erat numerus. 9. Frumentum ex omni Syria in transitu suo parari constituit. 10. Aurum vero, et argentum de domo regis assumpsit multum nimis. 11. Et profectus est ipse, et omnis exercitus cum quadrigis, et equitibus, et sagittariis, qui cooperuerunt faciem terræ, sicut locustæ. 12. Cumque pertransisset fines Assyriorum, venit ad magnos montes Ange, qui sunt a sinistro Ciliciæ, ascenditque omnia castella eorum, et obtinuit omnem munitionem. 13. Effregit autem civitatem opinatissimam Melothi, prædavitque omnes filios Tharsis, et filios Ismael, qui erant contra faciem deserti, et ad austrum terræ Gelon. 14. Et transivit Euphratem, et venit in Mesopotamiam : et fregit omnes civitates excelsas, quæ erant ibi, a torrente Mambre usquequo perveniatur ad mare : 15. et occupavit terminos ejus a Cilicia usque ad fines Japhet, qui sunt ad austrum. 16. Abduxitque omnes filios Madian, et prædavit omnem locupletationem eorum, omnesque resistentes sibi occidit in ore gladii. 17. Et post hæc descendit in campos Damasci in diebus messis, et succendit omnia sata, omnesque arbores et vineas fecit incidi : 18. et cecidit timor illius super omnes inhabitantes terram.

1. ANNO TERTIO DECIMO NABUCHODONOSOR. — Græca habent anno 18. Si vis hæc inter se conciliare, dicito annum 13 Nabuchodonosor fuisse 18 ab initio regni Arphaxad, a multi et hostis sui.

2. HABUIT CUM EIS MYSTERIUM (id est secretum sive arcanum) CONSILII SUI. — Regum enim consilia, præsertim di subjugandis aliis regibus et gentibus, secreta e arcana sunt.

Vers. 4. Holofernes quis? Resp. Prima.

4. HOLOFERNEM IN INCIPEM MILITIÆ SUÆ. — Quæres : Quis, qualis et quantus fuit Holofernes? Respondeo *primo* : Cedrenus ait eum fuisse Persam. Nomen enim videtur Persicum, perinde ut Persica nomina sunt Tisaphernes, Artaphernes, Intapherues, quanquam et apud Assyrios, Armenos et Cappadoces, teste Serario in cap. 2, *Quæst.* IV, et in cap. II, *Quæst.* I, inveniantur qui nominati sint Holofernes. Si Persa fuit, ideo Persam ducem elegit Nabuchodonosor, ut Persas a Xerxe, jam per eladem a Græcis acceptam contemptibiles effectos ad se alliceret, uti et fecit. Inde cap. uit. vers. 12, dicitur : « Horruerunt Persæ constantiam ejus, et Medi audaciam ejus, scilicet Judith : » nam subacto jam Arphaxad et Medis a Nabuchodonosor, multi Medi, et Persæ Medis vicini, nomen militiæ ipsius dederant.

Secundo, Holofernes fuit dux exercitus Nabuchodonosoris, ideoque secundus ab eo, ut habent Græca : sicut Joseph fuit secundus a Pharaone, Aman ab Assuero, Ephestion ab Alexandro; unde Zonaras vocat Holofernem Archisatrapam. Tertullianus vero, lib. I *Contra Marcion.* cap. VII, et S. Augustinus, in *Appendice*, serm. 66, eum vocant regem, quia potestatem habebat amplissimam, et opes quasi regias. Simili modo Josephus proximus a Pharaone, a Josepho et Philone apud Eusebium, lib. IX *Præpar. Evang.* vocatur ἀρχιτρίκλινος, id est sceptriger, hoc est rex : regis enim insigne est sceptrum.

Tertio, Franciscus Maironis asserit Holofernem fuisse filium Assueri et Estheris; sed hoc ut novum et inauditum omnes refutant.

Quarto, Pagninus *in Nom. Hebr.* Holofernes, inquit, juxta Græcam etymologiam dictus quasi «totus dos» : ὅλος enim est totus, ἔρνη est dos; sunt et qui compositum putant ex Hebræo et Chaldæo, et interpretantur *fortis dux*. Nam *parnas* Chaldæis est præfectus, sive dux. Hæc Pagninus. Unde ducum Persarum illustrium nomina sunt Phanaspes, Pharnuches, Pharnabas.

Quinto, quoad mores Holofernes superbia fastuque, æque ac fluxu et luxuria similis fuit Nabuchodonosori, ideoque a Judith victus cæsusque est, ut patebit ex seq. Græca addunt, Nabuchodonosor dixisse Holoferni, se cum totis copiis subsecuturum : *Egrediar*, ait, *in furore meo super eos, et operiam omnem terram in pedibus virtutis meæ*, etc.

5. ET DIXIT EI : EGREDERE ADVERSUS OMNE REGNUM OCCIDENTIS. — Græca fusius hoc regis mandatum enarrant, auntque : « Hæc dicit magnus Rex, Dominus omnis terræ : Ecce tu egrederis a facie mea, et sumes tecum viros, qui suis ipsorum viribus confidant, peditum ad centum viginti millia, et multitudinem equorum cum eorum ascensoribus; multitudinem, inquam, duodecim myriadum, seu centum et viginti millium, et exibis in occursum, sive prælium contra omnem terram quæ ad occidentem est, quia oris mei verbo non obtemperarunt, et ipsis denuntiabis ut terram et aquam præparent, quia egrediar in furore meo contra ipsos, et operiam omnem faciem terræ pedibus mei exercitus, et dabo ipsos illis in direptionem, eorumque vulnerati valles atque torrentes implebunt ipsorum. Fluvius etiam mortuis eorum exundans, complebitur : ipsorumque tandem captivitatem agam, seu propellam in terræ omnis extrema. Tu vero egressus præoccupabis mihi omnes eorum fines, et ipsi seipsos tibi dedent et tu mihi eos in diem redargutionis eorum reservabis. Contra eos vero, qui rebelles et immorigeri sunt, non parcet oculus tuus, quominus eos in omni terra tua, et in cædem et direptionem des; quia vivo ego, et robur regni mei, quæ locutus sum, ea etiam faciam in manu mea. Tu vero non transgredieris, vel unicum verborum Domini tui, sed perficiens perficies sicut præcepi tibi : et nihil cunctaberis, ut ea facias. »

Nota in his Regis verbis τὰ *denuntiabis eis ut mihi aquam et terram præparent*, quibus significatur vetus Persarum mos, qui volentes gentem aliquam sibi subjugare, ac ab ea postulantes, ut illa se Persis dederet, ab ea petebant terram et aquam, quasi servitutis symbolum. Hæc enim ad vitam humanam sunt necessaria. Unde Aristoteles, libro II *Rhet.* : « Præbere terram et aquam, inquit, servire est. » Hinc cum Darius Hystaspis a Spartanis postularet terram et aquam in signum deditionis, Spartani legatos ejus conjecerunt in puteum, dicentes, ut inde terram et aquam hauirent, quam ad Darium deferrent, uti narrat Herodotus, lib. VII. Unde Xerxes Darii filius non est ausus mittere legatos ad Spartanos, qui ab eis terram et aquam poscerent, ait S. Hieronymus, lib. VIII, et Diodorus, lib. XI. Hinc Alexander Magnus apud Curtium, lib. III, cum Dario Codomano et Persis conflicturus, in oratione ad milites hanc Darii Hystaspis et Xerxis arrogantiam insimulat, ut meminerint se cum Persis dimicare, qui terram et aquam postulare sunt soliti : itaque iis, qui se illis subjicerent, neque fontium haustum, neque cibos, terræ fruges relinquerent. Rursum Herodotus, lib. IV, narrat, Darium Hystaspis ab Indathyrso Scytharum Duce postulasse terram et aquam. Et cum ille misisset « avem, murem, ranam, et quinque sagittas, » Darii opinio erat « Scythas se sibi tradere, et terram et aquam, » quod « mus » quidem in terra gignatur, et eodem quo homines fructu vescatur; « rana » autem in aquis nascatur; « avis » vero sit equo assimilis; ut « sagittis » dandis suum ipsorum robur tradere. »

Terram et aquam petebant Persæ in signum servitutis.

7. ET EQUITUM SAGITTARIORUM DUODECIM MILLIA. — Græca habent 120 *millia*, ut jam audivimus : ubi videtur esse mendum in numero, et delenda esse ciphra 0, ut maneant 12 millia, uti nabet Noster. Quis enim tot millia equitum in aciem eduxit?

Sane Darius contra Alexandrum eduxit equitum duntaxat 44 millia, peditum ducenta, ait Curtius, lib. IV, nisi quis dicat equitum sagittariorum hic fuisse 12; cæterorum vero equitum lanceis, sarissis, bipennibus, etc., armatorum fuisse 108 millia, ut utrisque junctis fierent 120 millia. Forte in Græcis dempto centum, legendum est 20, e quibus 12 millia fuerint sagittariorum, uti etiam habet Græcus; cæteri alterius armaturæ.

12. VENIT AD MAGNOS MONTES ANGE, QUI SUNT A SINISTRO CILICIÆ. — Ange ergo tum montes vocabantur, qui erant a sinistro Ciliciæ, ex quibus ortus est *Philtes Angæus*, de quo Curtius, libro III, apud Herodotum lib. VII, nominatur *Rangæus mons magnus*, et apud alios.

13. EPPREGIT (expugnavit) AUTEM CIVITATEM OPTIMATISSIMAM (famosissimam, opibusque et robore nominatissimam) MELOTH (« Melothi » Hebraice idem est quod *plenitudo*, scilicet opum et hominum : talis enim erat in Melothi) PRÆDAVITQUE (prædatus est) OMNES FILIOS THARSIS. — Hi sunt de quibus dicitur, lib. II *Mach.* IV, 30 : « Contigit Tharsenses et Mallotas seditionem movere, eo quod Antiochidi Regis concubinæ dono essent dati. » Tharsis enim fuit nepos Japhet, *Gen.* X, 4 quo mare Mediterraneum, et Cilicia ejus terminus, indeque quodvis mare vocatum est Tharsis, uti dixi *Isaiæ* II, 16.

14. MAMBRE. — Græca habent *Arbonai*. Vers. 14.

15. USQUE AD FINES JAPHET, — significatur Joppe, Vers. 15. ait Serarius, quæ et hodie vocatur *Japha*, ac Turcis *Zapha* : nam, ut ait Plinius, lib. V, cap. XIII : « Vicus Joppes Phœrucum antiquior terrarum inundatione, » ut ferunt.

16. ABDUXITQUE. — Græce ἐκκλάσας, id est *circumdedit, cinxit*. Vers. 16.

17. ET SUCCENDIT OMNIA SATA. — Græca habent : Vers. 17. *Greges et armenta absumpsit, urbes diripuit, agros depopulatus est, juvenes ipsorum omnes in ore gladii percussit.*

CAPUT TERTIUM

SYNOPSIS CAPITIS.

Reges Syriæ et Mesopotamiæ ex metu se dedunt Holoferni, qui tamen ferociter eorum urbes lucosque et deos destruxit, ut solus Nabuchodonosor quasi deus coleretur

1. Tunc miserunt legatos suos universarum urbium ac provinciarum reges ac principes, Syriæ scilicet, Mesopotamiæ, et Syriæ Sobal, et Lybiæ, atque Ciliciæ, qui venientes ad Holofernem, dixerunt : 2. Desinat indignatio tua circa nos : melius est enim ut viventes serviamus Nabuchodonosor regi magno, et subditi simus tibi, quam morientes cum interitu nostro ipsi servitutis nostræ damna patiamur. 3. Omnis civitas nostra, omnisque possessio, omnes montes, et colles, et campi, et armenta boum, gregesque ovium, et caprarum, equorumque et camelorum, et universæ facultates nostræ, atque familiæ in conspectu tuo sunt : 4. sint omnia nostra sub lege tua. 5. Nos, et filii nostri, servi tui sumus. 6. Veni nobis pacificus Dominus, et utere servitio nostro, sicut placuerit tibi. 7. Tunc descendit de montibus cum equitibus in virtute magna, et obtinuit omnem civitatem et omnem inhabitantem terram. 8. De universis autem urbibus assumpsit sibi auxiliarios viros fortes et electos ad bellum. 9. Tantusque metus provinciis illis incubuit, ut universarum urbium habitatores principes, et honorati simul cum populis, exirent obviam venienti, 10. excipientes eum cum coronis et lampadibus, ducentes choros in tympanis et tibiis. 11. Nec ista tamen facientes, ferocitatem ejus pectoris mitigare potuerunt : 12. nam et civitates eorum destruxit, et lucos eorum excidit. 13. Præceperat enim illi Nabuchodonosor rex ut omnes deos terræ exterminaret, videlicet, ut ipse solus diceretur Deus ab his nationibus, quæ potuissent Holofernis potentia subjugari. 14. Pertransiens autem Syriam Sobal, et omnem Apameam, omnemque Mesopotamiam, venit ad Idumæos in terram Gabaa, 15. accepitque civitates eorum, et sedit ibi per triginta dies, in quibus diebus adunari præcepit universum exercitum virtutis suæ.

1. TUNC MISERUNT LEGATOS. — Sic Alexander Magnus reverti voluit Babylonem, ait Curtius, quia « nuntiabatur ei legatos ex diversis terrarum orbis partibus undique Babyloniam confluxisse,

ejusque adventum exspectare. Adeo totum orbem nominis ejus terror invaserat, ut cunctæ gentes velut destinato sibi regi adularentur. »

SYRIÆ. — stricte sumptæ, cujus caput est Damascus, quæ inde dicta est Damasina, cujus rex fuit Benadad, Rasin, Razael, III *Reg.* cap. XX et seq. complectitur Antiochiam, Phœniciam, Judæam, Palæstinam, Mesopotamiam, Assyriam, teste Plinio, lib. V, cap. XIII.

SOBAL. — est Syriæ pars quæ a Ptolomæo, Strabone et Plinio, Sophone dicitur, de qua in libris Regum.

LIBIÆ. — Nonnulli suspicantur legendum « Lydiæ, » eo quod Lybia sit in Africa, longeque absit a Syria. Verum terror Nabuchodonosoris fuit tantus, ut ad Lybiam pervadere potuerit, uti fama et terror Alexandri Magni penetravit ad Garamantes et Indos (1).

Vers. 2. 2. UT VIVENTES SERVIAMUS NABUCHODONOSOR REGI MAGNO. — Vere Alexander Magnus apud Plutarchum, lib. II *De fortuna Alexandri*, aiebat : « Multos nomine tenus esse magnos. »

7. TUNC DESCENDIT (Holofernes) DE MONTIBUS. — Syriæ, puta Casio, Libano, et Antilibano, inter quos sita est Damascus, cujus campos fertiles tempore messis occupavit Holofernes, ut dictum est cap. II, vers. 17.

Vers. 10. 10. EXCIPIENTES EUM CUM CORONIS ET LAMPADIBUS, LUDENTES CHOROS IN TYMPANIS ET TIBIIS. — Corona enim est insigne regis, qui olim lampades accensæ, sive ignes præferebantur, uti docet Tertullianus *in Apol.* et Xiphilinus in *Nerone*. Audi Curtium, lib. V : « Bagistanes Babylonicæ arcis et regiæ pecuniæ custos obviam victori Alexandro egressus, totum iter floribus coronisque constraverat, argenteis altaribus ab utroque latere dispositis, quæ non thure modo, sed omnibus odoribus cumulaverat. » Vide dicta Jerem. I, 13, ad illa : « Ollam succensam ego video. »

12. ET LUCOS EORUM EXCIDIT, — cum diis et idolis, qui in lucis more gentium, tegentes suas obscenitates, colebantur, ut dixi in lib. *Regum*.

13. UT OMNES DEOS EXTERMINARET, VIDELICET UT IPSE SOLUS DICERETUR DEUS. — Vide quo assurgat fastus hominis, qui oblitus se terram esse et pulverem, Deo et divinitati bellum indicit, ipseque vult haberi et coli ut Deus, imo solus Deus. Et hoc etiam, quia vicerat Arphaxad. Vere Darius apud Curtium lib. IV : « Fragilitas humana, inquit, nimia in prosperis rebus oblivio est. » Similis fuit status Luciferi, *Isaiæ* XIV, 13, et Pharaonis, *Ezech.* XXIX, 3, et Regis Tyrii, *Ezech.* XXVIII, ideoque omnes sterni, regnoque et vita dejici meruerunt. Superbia ergo mera est insania, quæ hominem facit quasi Titanem, non gigantomachum tantum, sed et theomachum, ut Deum quasi ad duellum provocare audeat, perinde ac si canis elephantem, mus leonem ad certamen provocet.

14. IN TERRAM GABAA, — id est in terram clivosam et montosam. Hanc enim Hebraice significat Gabaa. Græca habent : *Venit secundum faciem, vel in planitiem Esdrelon prope Dothæam quæ est e regione Serræ magnæ Judææ, et castra metatus est inter Gabaa et Scythopolim.* Unde Serarius pro « Idumæos » suspicatur legendum « Dothæos. » « SERRA, ait Arias, est tractus perpetuo clausus et divisus, sive instar dentium serræ strictus, uti sunt fauces et angustiæ montium. »

(1) Topographiæ tamen regionum quas Holophernes obtinuit, magis consentaneum est ut vel *Lydiæ*, quæ regio Ciliciæ vicina est, vel *Lydiæ*, quæ Holophernis armis jam experta fuerat, legamus.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judæi metu Holofernis se muniunt, ac induti ciliciis et cinere, Dei opem inclamant. Consolatur eos Eliachim Pontifex, et Dei opem promittit, si in oratione perseverent.

1. Tunc audientes hæc filii Israel, qui habitabant in terra Juda, timuerunt valde a facie ejus. 2. Tremor et horror invasit sensus eorum, ne hoc faceret Jerusalem, et templo Domini, quod fecerat cæteris civitatibus et templis earum. 3. Et miserunt in omnem Samariam per circuitum usque Jericho, et præoccupaverunt omnes vertices montium : 4. et muris circumdederunt vicos suos, et congregaverunt frumenta in præparationem pugnæ. 5. Sacerdos etiam Eliachim scripsit ad universos qui erant contra Esdrelon quæ est contra faciem campi magni juxta Dothaim, et universos, per quos viæ transitus esset poterat, 6. ut obtinerent ascensus montium, per quos via esse poterat ad Jerusalem, et illic custodirent, ubi angustum iter esse poterat inter montes. 7. Et fecerunt filii Israel secundum quod constituerat eis sacerdos Domini Eliachim. 8. Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, et humiliaverunt animas suas in jejuniis et orationibus, ipsi et mulieres eorum. 9. Et induerunt se Sacerdotes ciliciis, et infantes prostraverunt contra faciem templi Domini, et altare Domini operuerunt cilicio : 10. et clamaverunt ad Dominum Deum Israel unanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, et uxores eorum in divisionem, et civitates eorum in exterminium, et sancta eorum in pollutionem, et fierent opprobrium gentibus. 11. Tunc Eliachim, Sacerdos Domini magnus, circuivit omnem Israel, allocutusque est eos, 12. dicens : Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis et orationibus in conspectu Domini. 13. Memores estote Moysi servi Domini, qui Amalec confidentem in virtute sua, et in potentia sua, et in exercitu suo, et in clypeis suis, et in curribus suis, et in equitibus suis, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando dejecit : 14. sic erunt universi hostes Israel, si perseveraveritis in hoc opere, quod cœpistis. 15. Ad hanc igitur exhortationem ejus deprecantes Dominum, permanebant in conspectu Domini, 16. ita ut etiam hi qui offerebant Domino holocausta præcincti ciliciis offerrent sacrificia Domino, et erat cinis super capita eorum. 17. Et ex toto corde suo omnes orabant Deum, ut visitaret populum suum Israel.

2. TREMOR ET HORROR INVASIT SENSUS EORUM. — Græca uberius habent : *Et timuerunt valde a facie ejus, et pro Jerusalem, et templo Domini Dei sui turbati sunt, quia recenter fuerant ascendentes de captivitate, et nuper omnes populus congregatus fuerat ex Judæa, et vasa, et altare, et domus* (Dei, id est templum) *ex profanatione sanctificata erant.* Multi, ut dixi in proœmio cum Bellarmino, Saliano et aliis, hæc referunt ad Manassem regem Juda, qui cum suis captus in Babylone, liber dimissus est in regnum, ac pœnitens templum a se per idola profanatum purgavit, verique Dei cultui restituit. Verum hoc etiam fuit captivitas, et liberatio Manassis regis, non totius populi. Adde quod Manassis regis nulla toto hoc libro fiat mentio, quod utique fieri debuisset, cum ad eum, utpote regem, potius quam Eliachim Pontificem pertinerel Judæam contra Holofernem munire, et fauces nondum immisso præsidio insidere. Quare melius alii ad tempora Xerxis hæc referunt, cum jam reædificatum esset templum a Chaldæis profanatum et combustum.

Dices : Quomodo Judæi reversi recenter e captivitate tantas habuere vires et animos, ut castris tam numerosis et validis sese opponere audeant? Respondeo id factum metu captivitatis, cujus acerbitatem et ærumnas nuper in Babylone senserant, ac metu perdendæ veræ religionis. Nabuchodonosor enim imitabatur Deo, et templo exemium, quia solus ut Deus adorari volebat. Hoc autem Judæis verum Deum colentibus valde tolerabile, ut mallent mori quam id permittere. Denique innumerabilis fuit Judæorum propago, et per generationem multiplicatio instar ranarum et piscium, uti fuit tempore Mosis, *Exod.* I. Nam Josephus, lib. XI *Antiq.* cap. IV, reversorum e captivitate Babylonica puberum anno secundo Darii Hystaspis numerat quater millena millia, et insuper 620 millia, idque ex tribu Juda et Benjamin duntaxat, quibus ex cæteris decem tribubus plurimi se adjunxerunt. Itaque facile potuerunt eudlare exercitum numerosum, qui se opponeret Holoferni, maxime in faucibus et præruptis montium, ubi unus valet decem hostibus resistere.

4. ET CONGREGAVERUNT FRUMENTA. — *Nam ipsorum agri recenter demessi erant*, ut addunt Græca : « Reliquis casibus, ait libro III, cap. III, Vegetius, potest in tempore subveniri : pabulatio, et annona in necessitate non habent remedium, nisi ante condita. » Idcoque vetus Romanorum disciplina, « in plerisque oppidis ad unum anni totius, in aceto, frumento, lardo, atque hordeo et palea condita habebat, » inquit in *Gordiano* Capitolinus. Nam, ut ait Vegetius, lib. III, cap. III, « sæpius penuria quam pugna consumit exercitum, et ferro savior fames est. In omni expeditione unum et maximum consilium est, ut tibi sufficiat victus, hostes frangat inopia. Ante igitur quam inchoetur bellum, de copiis expensisque solers debet esse tractatus, ut pabula frumentum, cæteræque annonariæ species, quas a Provincialibus consuetudo deposcit, maturius exigantur, et in opportunis ad rem gerendam, ac munitissimis locis amplior semper modus, quam prolicit, aggregetur. » Et cap. XXVI : « Qui frumentum necessariumque commeatum non præparat, vincitur sine ferro. »

5. SACERDOS ETIAM ELIACHIM. — Græca *Joachim*, uti et a Nostro vocatur cap. XV, vers. 9. Idem enim hæc duo nomina significant, scilicet *Dei stator* aut *statorius*, qui scilicet stare facit aciem Judæorum contra Holofernem. Deus enim [illegible] dicitur [illegible] *El*, quam [illegible] *ia*, quod est abbreviatum Jehova. Hinc patet tempore Xerxis hæc contigisse. Tunc enim Pontifex fuit Joachim (1), ut

(1) Nihil obstat, etiam ante captivitatem, vel Manassis, vel Josiæ, vel Sedeciæ temporibus, exstitisse sacerdotem magnum nomine Eliachim; nam deest in Scripturis completus sacerdotum catalogus, et per centum fere annos

dixi in proœmio, qui deficiente rege, rempublicam administrabat: nam, ut ait Josephus, lib. II *Contra Apion.* : « Judaicæ reipublicæ constitutio communiter sacerdotibus, ut maxima quæque administrent, committit. Omnium vero Pontifici, aliorum rursum sacerdotum principatum demandat. » Breviter vero : « Sacerdotes, inquit, sunt inspectores omnium, judices eorum quæ ambigua, vindices eorum quæ damnata. »

8. ET CLAMAVIT OMNIS POPULUS AD DOMINUM INSTANTIA MAGNA. — Nota hic usum, modum et vim publicæ orationis et pœnitentiæ in publica calamitate, Christianis imitandum, ut simili modo calamitates suas avertunt. Nimirum *primo*, clamavit omnis populus instantia magna; *secundo*, humiliaverunt animas suas in jejuniis et orationibus; *tertio*, induerunt se cilicis; *quarto*, prostraverunt infantes coram Domino et templo; *quinto*, altare operuerunt cilicio, ut publico quasi religionis, justitiæ, templique et altaris luctu Deum ad miserandum et succurrendum provocarent; ut quasi manu facta, vique illata, ut ait Tertullianus in *Apol.* cogerent. Idem fecerunt Ninivitæ, *Jonæ* III, et Machabæi, I *Mach.* III, 47, ideoque omnes a Deo exaudiri et liberari meruerunt.

Græca uberius habent : *Populus erat jejunans (et jejunando orans) complures dies in omni Judæa et Jerusalem ante faciem Sanctorum*, puta Sancti et Sancti sanctorum, hoc est templum. Qui enim erant in Jerusalem oraturi, adibant templum; qui vero foris erant, faciem vertebant versus templum.

VET. II. 11. TUNC ELIACHIM SACERDOS DOMINI MAGNUS CIRCUIVIT OMNEM ISRAEL, — ut omnes ad constantiam, confidentiam et perseverantiam in orationibus et jejuniis hortaretur, promittens eis, si id facerent, victoriam. « Præcepta Christi, ait S. Ambrosius, *serm.* 86, arma sunt Christianis, et divinus timor terrorem a nobis expellit hostilem. Arma autem hæc nostra sunt, quibus nos Salvator instruxit, oratio, misericordia atque jejunium. Jejunium enim melius quam murus tuetur; misericordia facibus liberat quam rapina; oratio longius vulnerat quam sagitta. Sagitta enim non nisi proxime conspectum percutit adversarium; oratio autem longius positum vulnerat inimicum. » Græca fusius hic habent : *Joachim summus Pontifex, atque omnes qui coram Domino stabant Sacerdotes, cæterique qui Domino ministrabant, sacis lumbos suos accincti offerebant juge illud holocaustum et vota; et voluntaria populi donaria, pulvisque super eorum capites*, seu *mitras erat, et clamabant ad Dominum ex tota virtute sua, in bonum; sive ut ad beneficiendum et subveniendum visitaret omnem domum Israel.* Pontificem hunc imitentur Episcopi et Principes, populos sibi commissos circumeant, visitent, animent, instruant, corrigant.

13. MEMORES ESTOTE MOYSI SERVI DOMINI, QUI AMALEC, etc. — Vide historiam *Exodi* XVII, ubi eam explicui. Nota : Eliachim æque ac Moyses duo hic ad bellum præcipit, *primum* ut Deum invocent, ab eoque victoriam postulent et exspectent, *secundum* ut urbes suas muniant, transitus occupent, omniaque humana præsidia ad resistendum conquirant. Deus enim non adjuvat desides, sed laborantes et pugnantes. Vidit hoc gentilis Cato apud Sallustium *in bello Catil.* dicens : « Non votis, neque supplicis muliebribus auxilia deorum parantur; vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt; » nimirum :

Altilonans adjuvat non tonantem, sed cunctantem.

interruptus manet. Cæterum res in promptu est pro his qui cum Bellarmino illum pontificem fuisse docent Manassæ temporibus, inter Johanam qui fuit pontifex tempore Ezechiæ, *Instit.* XXII, 15, et Helciam qui pontificatum exercuit tempore Joziæ, IV *Reg.* XXII, 4.

qui in montanis habitat, et non egredietur verbum falsum ex ore meo. 6. Populus iste ex progenie Chaldæorum est. 7. Hic primum in Mesopotamia habitavit quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum, qui erant in Terra Chaldæorum. 8. Deserentes itaque cæremonias patrum suorum, quæ in multitudine deorum erant, 9. unum Deum cœli coluerunt, qui et præcepit eis ut exirent inde et habitarent in Charan. Cumque operuisset omnem terram fames, descenderunt in Ægyptum, illicque per quadringentos annos sic multiplicati sunt, ut dinumerari eorum non posset exercitus. 10. Cumque gravaret eos rex Ægypti, atque in ædificationibus urbium suarum in luto et latere subjugasset eos, clamaverunt ad Dominum suum, et percussit totam terram Ægypti plagis variis. 11. Cumque ejecissent eos Ægyptii a se, et cessasset plaga ab eis, et iterum eos vellent capere, et ad suum servitium revocare, 12. fugientibus his Deus cœli mare aperuit, ita ut hinc inde aquæ quasi murus solidarentur, et isti pede sicco fundum maris perambulando transirent. 13. In quo loco dum innumerabilis exercitus Ægyptiorum eos persequeretur, ita aquis coopertus est, ut non remaneret vel unus qui factum posteris nuntiaret. 14. Egressi vero mare Rubrum, deserta Sina montis occupaverunt, in quibus nunquam homo habitare potuit, vel filius hominis requievit. 15. Illic fontes amari obduleati sunt eis ad bibendum, et per annos quadraginta annonam de cœlo consecuti sunt. 16. Ubicumque ingressi sunt sine arcu et sagitta, et absque scuto et gladio, Deus eorum pugnavit pro eis, et vicit. 17. Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit a cultu Domini Dei sui. 18. Quotiescumque autem præter ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam, et in gladium, et in opprobrium. 19. Quotiescumque autem pœnituerunt se recessisse a cultura Dei sui, dedit eis Deus cœli virtutem resistendi. 20. Denique Chananæum regem, et Jebusæum, et Pherezæum, et Hethæum, et Hevæum, et Amorrhæum, et omnes potentes in Hesebon prostraverunt, et terras eorum, et civitates eorum ipsi possederunt : 21. et usque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona : Deus enim illorum odit iniquitatem. 22. Nam et ante hos annos, cum recessissent a via, quam dederat illis Deus ut ambularent in ea, exterminati sunt præliis a multis nationibus, et plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam. 23. Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum, ex dispersione qua dispersi fuerant, adunati sunt, et ascenderunt montana hæc omnia, et iterum possident Jerusalem, ubi sunt sancta eorum. 24. Nunc ergo, mi domine, perquire : si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum, ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, et subjugati erunt sub jugo potentiæ tuæ. 25. Si vero non est offensio populi hujus coram Deo suo, non poterimus resistere illis : quoniam Deus eorum defendet illos : et erimus in opprobrium universæ terræ. 26. Et factum est cum cessasset loqui Achior verba hæc, irati sunt omnes magnates Holofernis, et cogitabant interficere eum, dicentes ad alterutrum : 27. Quis est iste qui filios Israel posse dicat resistere regi Nabuchodonosor et exercitibus ejus, homines inermes, et sine virtute, et sine peritia artis pugnæ? 28. Ut ergo agnoscat Achior quoniam fallit nos, ascendamus in montana : et cum capti fuerint potentes eorum, tunc cum eisdem gladio transverberabitur, 29. ut sciat omnis gens quoniam Nabuchodonosor Deus terræ est, et præter ipsum alius non est.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Achior dux Ammon Holoferni dat consilium ut inquirat an Judæi in Deum suum peccarint; sic enim ab eo expugnari facile posse; alioqui Deo suo eos protegente esse inexpugnabiles. Quare magnates Holofernis destinant Achior morti.

1. Nuntiatumque est Holoferni principi militiæ Assyriorum, quod filii Israel præpararent se ad resistendum, ac montium itinera conclusissent, 2. et furore nimio exarsit in iracundia nimia, vocavitque omnes principes Moab et duces Ammon, 3. et dixit eis : Dicite mihi quis est populus iste qui montana obsidet : aut quæ, et quales, et quantæ sint civitates eorum : quæ etiam sit virtus eorum, aut quæ sit multitudo eorum, vel quis rex militiæ illorum, 4. et quare præ omnibus qui habitant in Oriente, isti contempserunt nos, et non exierunt obviam nobis, ut susciperent nos cum pace? 5. Tunc Achior dux omnium filiorum Ammon respondens, ait : Si digneris audire, Domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo, de populo isto

1. FILII ISRAEL PRÆPARABANT SE AD RESISTENDUM. — Addunt Græca : *Et in campis posuissent scandala*, id est obstacula, v. g. fossas occultas, muricos, et palos acutos, in quæ transeuntes incaute Assyrii corruerent, vel impingerent.

3. ET DIXIT EIS : DICITE MIHI QUIS SIT POPULUS ISTE? — Hinc rursum colligitur hæc non sub Manasse, sed sub Xerxe contigisse. Nam sub Manasse et ex Manasse ac primoribus Judæorum captivis sat cognorant Babylonii et Assyrii quis et qualis esset Judæorum populus. Unde qui sub Manasse hæc contigisse volunt, dicunt hanc Holofernis interrogationem non esse ignorantis, sed mirantis et indignantis, ac Judæos quasi viles contemnentis (1).

(1) Addi potest has Holophernis interrogationes non esse omnino ignorantis, et de quibus nihil unquam audi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Vers. 4. 4. Et quare pro omnibus qui habitant in Oriente. — Græca habent : in Occidente.

Vers. 5. 5. Tunc Achior dux omnium filiorum Ammon. — Servatus sub filiis Ammon comprehendit quoque Idumæos. Hi enim cum essent fratres Judæorum (Jacob enim parens Judæorum erat frater Esau, sive Edom parentis Idumæorum) cum eos invadere vellent, vocabant se Ammonitas, non Idumæos, ne palam male audirent, quod fratres suos oppugnarent. Hinc ibi, II Paralip. xx, 1, dicitur : « Congregati sunt filii Moab, et filii Ammon, et cum eis de Ammonitis ad Josaphat. » Ubi vides a filiis Ammon Ammonitas distingui. Unde liber Allegationum : « Ammonitas Idumæos vult intelligi, qui ob reverentiam paterni nominis colebant in pristino habitu arma movere contra Israel, sed transfigurabant se in habitum Ammonitarum. »

Vers. 6. 6. Populus iste ex progenie Chaldæorum est, — quia Deus Abraham Babylonium patrem eduxit de Ur urbe Chaldæorum, *Genes.* xi, 31.

Vers. 9. 9. Descenderunt in Ægyptum, ibique per quadringentos annos sic afflictati sunt. — Hos 400 annos numera ab egressu Jacob ex Chaldæa et Haran : nam adhuc Heber in Ægypto habitarunt duntaxat 215 annis, uti ostendi *Exodi* xii, 40.

Vers. 13. 13. Aqua cooperitus est. — Pharao cum omnibus suis. Recenset Achior miracula, quibus Deus Hebræos in Ægypto perduxit in Chanaan, quæ omnia explicui in Exodo.

Vers. 17. 17. Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit a cultu Domini Dei sui. — Disce hic servire Deo : sic enim Deus te faciet inexpugnabilem, et omnibus hostibus superiorem. Sin autem, sinet te a quibusvis subjici et conculcari. Idem discant urbes et regna, eorumque reges et principes. Audi graves hac de re duorum Patrum gnomas : unus est S. Hieronymus, *epist.* 18 : « Nostris, ait, peccatis barbari fortes sunt, non tribus vitiis Romanus fugatur exercitus. » Alter D. Ambrosius, *serm.* 85 : « Civitati non nisi propter civium peccata infertur excidium. Desine peccare, et civitas non peribit. « Civibus ergo peccantibus timenda est Dei vindicta et excidium : civibus vero peccantibus vera speranda est securitas et felicitas.

viset exquirentis, sed esse interrogationes ducis diligentius scire volentis, quomodo ipsi tantas copias ductanti resistere auderent Hebræi.

22. Nam et ante hos annos, cum recessisset a via (religione et lege) quam dederat illis Deus, etc., captivi abducti sunt. — A Nabuchodonosor in Babyloniam, quæ celeberrima, universalis, et propria Judæorum fuit captivitas, e qua sub Cyro redierunt, talis vero non fuit illa quæ contigit sub Manasse : nam illa non fuit universalis. Alia vero captivitas decem tribuum sub Ezechia facta a Salmanasar pariter non fuit universalis, quin non fuit omnium, puta 42 tribuum, sed decem duntaxat. Rursum illa fuit perpetua, quia ex illa nunquam redierunt Israelitæ (1).

Addit Græcus : *Et templum Dei ipsorum factum est in quinquatum.* Vitalibus, *solo æquatum*, quia a Chaldæis combustum. Hinc patet post excidium Jerusalem hæc contigisse. Bellarminus vero, Serarius et alii, qui volunt ante excidium hæc accidisse, respondent verba hæc « quoniam inserta esse Græco textui, eo quod desint in Latino, ideoque parvi esse facienda. Alii respondent Manassen sua idololatria vilipendisse, objecisse, et profanasse templum, imo multis in locis illud diruisse et quasi solo æquasse.

23. Non poterimus resistere eis, quoniam Deus eorum defendet illos. — Iam « si Deus pro nobis, quis contra nos? » *Rom.* cap. VIII. Hæc verba illum moverunt Holoferni, ut Achior destinaret morti, eo quod nullum Deum agnosceret, nisi Nabuchodonosor.

Ut sciat omnis gens, quoniam Nabuchodonosor Deus terræ est. — Recte terræ, quia nihil juris sed virium habet in cœlum, nec ultra terram ejus potestas se porrigit. Quocirca falso vult esse Deus, Deus enim dominatur tam cœlo quam terræ. Cur ergo superbis et insanis, o vermiculi terræ, et Deum cœli ad duellum provocas, ut eum divinitate sua privES et deficias? Prudenter Tertullianus, *Apolog.* aut : « Esto, inquit, religiosus in Deum, qui vis illum propitium imperatori. Desine alium Deum credere vel colere, atque ita et hunc Deum dicere, cui deo opus est. »

(1) Malueram illorum cum Tirino, non hic agi de captivitate Babylonica. Nam tunc non plurimi, sed omnes abducti sunt, neque a multis, sed ab una natione Chaldæa. Hic ergo respicit Achior ad Æthiopes, ad Ægyptios, ad Syros, ad Assyrios, qui plurimas clades vastitasque intulerunt Israelitis, affligentes ac diripientes eos,

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Holofernes Achior ligatum mittit in Bethuliam, ut, ea capta, ipsum cum civibus occidat; benigne eum excipiunt et solantur Judæi.

1 Factum est autem, cum cessassent loqui, indignatus Holofernes vehementer dixit ad Achior : 2. Quoniam prophetasti, nobis dicens quod gens Israel defendatur a Deo suo, ut ostendam tibi quoniam non est Deus, nisi Nabuchodonosor; 3. cum percusserimus eos omnes, sicut hominem unum, tunc et ipse cum illis Assyriorum gladio interibis, et omnis Israel tecum perditione disperiet; 4. et probabis quoniam Nabuchodonosor dominus sit universæ terræ : tuncque gladius militiæ meæ transiet per latera tua, et confixus cades inter vulnerates Israel, et non respirabis ultra, donec exterminetis cum illis. 5. Porro autem, si prophetiam tuam veram existimas, non concidat vultus tuus, et pallor, qui faciem tuam obtinet, abscedat a te, si verba mea hæc putas impleri non posse. 6. Ut autem noveris quia simul cum illis hæc experieris, ecce ex hac hora illorum populo sociaberis, ut, dum dignas mei gladii pœnas exceperint, ipse simul ultioni subjaceas. 7. Tunc Holofernes præcepit servis suis, ut comprehenderent Achior, et perducerent eum in Bethuliam, et traderent eum in manus filiorum Israel. 8. Et accipientes eum servi Holofernis, profecti sunt per campestria; sed cum appropinquassent ad montana, exierunt contra eos fundibularii. 9. Illi autem divertentes a latere montis, ligaverunt Achior ad arborem manibus et pedibus, et sic vinctum restibus dimiserunt eum, et reversi sunt ad dominum suum. 10. Porro filii Israel, descendentes de Bethulia, venerunt ad eum. Quem solventes duxerunt ad Bethuliam, atque in medium populi illum statuentes, percunctati sunt quid rerum esset, quod illum vinctum Assyrii reliquissent. 11. In diebus illis erant illic principes, Ozias filius Micha de tribu Simeon, et Charmi, qui et Gothoniel. 12. In medio itaque seniorum, et in conspectu omnium, Achior dixit omnia quæ locutus ipse fuerat, ab Holoferne interrogatus : et qualiter populus Holofernis voluisset propter hoc verbum interficere eum, 13. et quemadmodum ipse Holofernes iratus jusserit eum Israelitis hac de causa tradi : ut, dum vicerit filios Israel, tunc et ipsum Achior diversis jubeat interire suppliciis, propter hoc quod dixisset : Deus cœli defensor eorum est. 14. Cumque Achior universa hæc exposuisset, omnis populus cecidit in faciem, adorantes Dominum, et communi lamentatione et fletu unanimes preces suas Domino effuderunt, 15. dicentes : Domine Deus cœli et terræ, intuere superbiam eorum, et respice ad nostram humilitatem, et faciem sanctorum tuorum attende, et ostende quoniam non derelinquis præsumentes de te : et præsumentes de se, et de sua virtute gloriantes, humilias. 16. Finito itaque fletu, et per totam diem oratione populorum completa, consolati sunt Achior, 17. dicentes : Deus patrum nostrorum, cujus tu virtutem prædicasti, ipse tibi hanc dabit vicissitudinem, ut eorum magis in interitum videas. 18. Cum vero Dominus Deus noster dederit hanc libertatem servis suis, sit et tecum Deus in medio nostri : ut sicut placuerit tibi, ita cum tuis omnibus conversaris nobiscum. 19. Tunc Ozias, finito consilio, suscepit eum in domum suam, et fecit ei cœnam magnam. 20. Et vocatis omnibus presbyteris, simul expleto jejunio refecerunt. 21. Postea vero convocatus est omnis populus, et per totam noctem intra ecclesiam oraverunt, petentes auxilium a Deo Israel.

2. Quoniam prophetasti, — id est prædixisti, non ex oraculo a Deo accepto, sed ex humana prudentia, et priorum temporum experientia.

4. Non respirabis ultra, donec exterminetis. — Tu « donec » refer non ad « respiribis, » nam qui non respirat, jam est exterminatus et mortuus : sed superius ad « gladius transiet per latera tua, et confixus cades, » ita scilicet ut « non respires ultra, » hoc est, donec omnino exanimeris et « exterminetis cum illis. »

6. Illorum populo sociaberis, — q. d. Videris, Achior, occultus Judæorum socius et fautor, ideoque mei proditor : quare vade ad illos quorum societatem meæ prætulisti, estoque apertus mihi hostis, uti illi sunt, ut quoqum in hostilitate es socius, eorumdem in internecione vindictam re sis particeps.

10. Porro filii Israel, descendentes de Bethulia, venerunt ad eum. — Bethulia erat urbs Galilææ in tribu Zabulon sita in monte, tribus leucis distans a Dothaim, ubi Joseph a fratribus captus, et tunica polymita spoliatus est. Addunt Brocardus et Adrichomius etiamnum hodie ibidem vestigia castrorum Holofernis cerni. « Bethulia » Hebraice idem est quod « virginitas Dei, » ipsa enim quasi virgo intacta est ab excidio Holofernis per castam Judith. Vers. 10

Porro Bethulia propria erat tribus Zabulon,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ideoque ad regnum Israel, sive decem tribuum pertinens : sed iis in Assyriam abductis, tribus Juda eam ac plures alias Israelis urbes sibi vindicavit ; tota enim Chananæa a Deo data erat posteris Jacob, quorum parte abducta, cæteri superstites, puta Judæi, quasi fratres in decem tribuum quasi fratrum suorum hæreditatem jure propinquitatis et naturæ successerunt.

11. IN DIEBUS ILLIS ERANT ILLIC PRINCIPES OZIAS FILIUS MICHA DE TRIBU SIMEON, ET CHARMI, QUI ET GOTHONIEL. — Licet enim Bethulia esset in tribu Zabulon, tamen ex alia tribu, puta Simeon, habuit ducem, uti toti Israeli præfuere Judices ex variis tribubus oriundi. Hinc et Ozias hic cap. VIII, vers. 34, vocatur : « Princeps Juda, » et cap. XIII, vers. 23 : « Princeps populi Israel. » Lyranus et Dionysius censent Oziam et Charmi fuisse sacerdotes seniores, quia in Græco vocantur presbyteri. Sed episcopus, id est presbyter, vocatur senior et major natu ; sive laicus sit, sive sacerdos. Hinc rursum hæc videntur non contigisse sub rege Manasse : sed post captivitatem sub ducibus Ozia et Charmi (1).

Et. ET FACIEM SANCTORUM TUORUM. — Græce *sanctificatorum*, id est fidelium tuorum, qui sese per circumcisionem tibi dicarunt, et nunc rursum per jejunium, orationem, et supplices preces totos se tibi sanctificant, id est dicant et consecrant.

QUONIAM NON DERELINQUIS PRÆSUMENTES DE TE, — hoc est, confidentes in te ; hi enim præ omnibus et ante omnia sumunt quasi Deum operum tuorum ducem et belli ductorem, ac per eum certam sperant victoriam. Sic S. Germanus, ut grassans incendium eger evaderet, ab aliis se moveri « fidei præsumptione non est passus, » ait Beda libro I *Hist. Angl.* cap. XIX.

PRÆSUMENTES DE SE, (id est sibi, suisque viribus præsidentes : unde explicans subdit,) ET DE SUA VIRTUTE GLORIANTES HUMILIAS. — Audi S. Bernardum, lib. *De grad. humil.*, grad. 7 : « Qui alios se præcellere putat, quomodo non plus de se, quam de aliis præsumat ? Primus in conventibus residet, in concilii primus respondet, non vocatus accedit, non missus se intromittit, recordinat ordinata, reficit facta, quidquid ipse non fecerit aut ordinaverit, non recte factum, nec pulchre existimat ordinatum. Judicat judicantes, præjudicat judicaturis.

16. CONSOLATI SUNT ACHIOR, — NON TAMEN EUM consiliis suis adhibuerunt, vel bello præfixerunt, quia transfugarum suspecta est fides ; sic enim Judith ficte transfugiens ad Assyrios, Chusai ad Absalonem, II *Reg.* XVII, Sinon ad Trojanos, Zopyrus Darii Hystaspis dux ad Babylonios, eos hostibus suis tradiderunt

21. POSTEA VERO (post refectionem et convivium frugale) CONVOCATUS EST OMNIS POPULUS, ET PER TOTAM NOCTEM INTRA ECCLESIAM ORAVERUNT PETENTES AUXILIUM A DEO ISRAEL. — Nam ut ait S. Hieronymus, epist. *ad Eustochium* : « Ita tibi semper commendandum est, ut cibum et oratio sequatur et lectio. » Et *ad Letam, de Institutione filiæ* : « Sic comedas ut semper esurias, ut statim post cibum possis legere et psallere. » Tertullianus, *Apol.* cap. XXXIX, refutans Gentilium de crapula Christianorum calumniam, qua in eos jactabant illud Diogenis : « Megarenses obsonant quasi crastino die moriturí, ædificant quasi nunquam morituri, » Agapen, id est convivium omnibus Christianis post Eucharistiam commune charitatis, ita describit : « Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur, editur quantum esurientes capiunt, bibitur quantum pudicis est utile ; ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse : ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem et lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere : hinc probatur quomodo biberit. Atque oratio convivium dirimit : inde disceditur non in catervas cessionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eamdem curam modestiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam. » Legant hæc fideles, et primorum Christianorum in conviviis frugalitatem et pietatem imitentur. Nota : si « intra Ecclesiam, » id est intra Synagogam, hoc est, concionis et orationis locum, qui exinde Græce προσευχὴ dicitur : nam Judæi templum non habebant in Bethulia, sed tantum in Jerusalem ; Synagogam vero loco templi habebant in singulis urbibus majoribus. Vide hic pariter antiquitatem nocturnarum vigiliarum, quæ magnis festis, vel ob urgentes calamitates totus populus pervigilabat in templo Jerosolymis, et extra Jerosolymam in proseucha (ut habet Græcus hic) sive synagoga vacans orationi. Unde Josephus in vita sua : « Sequenti, inquit, die populus convenit in proseuchas, quam vocant precationis domum amplam. » Idem Philo *De Vita Mosis*, lib. III : « Apud Judæos, inquit, destinata oppidatim sacris precationibus loca, quæ proseuchas vulgus nominat. »

De sacris hisce vigiliis vide S. Basilium, *in Psal.* CXIV, Eusebium, lib. VI, *Histor.* cap. VII, Tertullianum, lib. II *ad uxorem*, cap. IV.

(1) Sed absurd quid esset si dicremus istos principes fuisse ex illis quos v. g. Manasses « constituit in cunctis civitatibus Juda munitis ? » *Paralip.* XXXIII, 14, sive immediate sive mediate, ut scilicet constituendi potestatem dederit Eliacimo pontifici ; quod ipse textus verisimile reddit, addendo eos fuisse « Bethuliæ principes (non absolute vel simpliciter, sed) in illis diebus, » quasi ob temporum istorum necessitatem tantum principes decreti fuissent.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Holofernes obsidione cingit Bethuliam, aquæductum incidit, fontes occupat, itaque siti obsessos ad deditionem flagitandam cogit ; sed Ozias suadet ut ad quinos dies opem exspectent.

1. Holofernes autem altera die præcepit exercitibus suis, ut ascenderent contra Bethuliam. 2. Erant autem pedites bellatorum centum viginti millia, et equites viginti duo millia præter præparationes virorum illorum quos occupaverat captivitas, et adducti fuerant de provinciis et urbibus universæ juventutis. 3. Omnes paraverunt se pariter ad pugnam contra filios Israel, et venerunt per crepidinem montis usque ad apicem, qui respicit super Dothain, a loco ui dicitur Belma, usque ad Chelmon qui est contra Esdrelon. 4. Filii autem Israel, ut viderunt multitudinem illorum, prostraverunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua, unanimes orantes ut Deus Israel misericordiam suam ostenderet super populum suum. 5. Et assumentes arma sua bellica, sederunt per loca quæ ad angusti itineris tramitem dirigunt inter montosa, et erant custodientes ea tota die et nocte. 6. Porro Holofernes, dum circuit per gyrum, reperit quod fons, qui influebat, aquæductum illorum a parte australi extra civitatem dirigeret : et incidi præcepit aquæductum illorum. 7. Erant tamen non longe a muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam, ad refocillandum potius quam ad potandum. 8. Sed filii Ammon et Moab accesserunt ad Holofernem, dicentes : Filii Israel non in lancea nec in sagitta confidunt ; sed montes defendunt illos, et muniunt illos colles in præcipitio constituti. 9. Ut ergo sine congressione pugnæ possis superare eos, pone custodes fontium, ut non hauriant aquam ex eis, et sine gladio interficies eos, vel certe fatigati tradent civitatem suam, quam putant in montibus positam superari non posse. 10. Et placuerunt verba hæc coram Holoferne, et coram satellitibus ejus, et constituit per gyrum centenarios per singulos fontes. 11. Cumque ista custodia per dies viginti fuisset expleta, defecerunt cisternæ, et collectiones aquarum, omnibus habitantibus Bethuliam, ita ut non esset intra civitatem, unde satiarentur vel una die, quoniam ad mensuram dabatur populis aquæ quotidie. 12. Tunc ad Oziam congregati omnes viri, feminæque, juvenes et parvuli, omnes simul una voce, 13. dixerunt : Judicet Deus inter nos et te, quoniam fecisti in nos mala, nolens loqui pacifice cum Assyriis, et propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum. 14. Et ideo non est qui adjuvet, cum prosternamur ante oculos eorum in siti, et perditione magna. 15. Et nunc congregate universos qui in civitate sunt, ut sponte tradamus nos omnes populo Holofernis. 16. Melius est enim ut captivi benedicamus Dominum, viventes, quam moriamur, et simus opprobrium omni carni, cum viderimus uxores nostras et infantes nostros mori ante oculos nostros. 17. Contestamur hodie cœlum et terram, et Deum patrum nostrorum, qui ulciscitur nos secundum peccata nostra, ut jam tradatis civitatem in manu militiæ Holofernis, et sit finis noster brevis in ore gladii, qui longior efficitur in ariditate sitis. 18. Et cum hæc et sit finis noster brevis in ore gladii, qui longior efficitur in ariditate sitis. 18. Et cum hæc dixissent, factus est fletus et ululatus magnus in ecclesia ab omnibus, et per multas horas una voce clamaverunt ad Deum, dicentes : 19. Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. 20. Tu, quia pius es, miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, et noli tradere confitentes te populo qui ignorat te, 21. ut non dicant inter Gentes : ubi est Deus eorum ? 22. Et cum fatigati his clamoribus, et his fletibus lassati siluissent, 23. exsurgens Ozias infusus lacrymis, dixit : Æquo animo estote, fratres, et hos quinque dies exspectemus a Domino misericordiam. 24. Forsitan enim indignationem suam abscin-

det, et dabit gloriam nomini suo. 25. Si autem transactis quinque diebus non venerit adjutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti estis.

2. CENTUM VIGINTI MILLIA (Græca habent : « 170 millia peditum »), EQUITUM VIGINTI DUO MILLIA. — Accesserant ergo auxiliares copiæ, et novorum equitum decem millia; nam cap. II, vers. 7, tantum recensita sunt equitum decem millia. Hæc auxilia submittebat Nabuchodonosor, qui et ipse cum toto exercitus robore subsequi destinabat, ut habet Græcus, cap. II.

3. A LOCO QUI DICITUR BELMA USQUE AD CHELMON. — Belma est urbs ad radices montis, in quo sita est Bethulia, quæ a Brocardo Abellina vocatur. Ibidem juxta Bethain est urbs « Chelmon, » vel ut Græcus habet, *Cyamon* : in utraque castra metatus est Holofernes, ut habet Græcus, aciemque instruxit ad pugnam et urbis oppugnationem.

6. QUOD FOSS. QUI INFLUEBAT, AQUÆDUCTUM, etc. MISCERET, — hoc est, aquam in urbem per aquæductum transfunderet, ideoque aquæductum incidens Holofernes aquam ab urbe avertit. Suspicatur Serarius pro « dirigeret » legendum « dirigaret, » id est *irrigaret*; sed et « dirigeret » est planè huic loco convenit. Fons enim per canalem aquam dirigit et transmittit in urbem.

8. FILII AMMON ET MOAB ACCESSERUNT AD HOLOFERNEM. — Græca habent : *Principes Idumæi et Moabitæ*, Idumæi enim invadentes Judæos fingebant se esse Ammonitas, ut dixi cap. V, vers. 9. Illi ergo suaserunt Holoferni, ut fontes occuparet, itaque Judæos siti conficeret.

Mystice : « Tunc incidit diabolus aquæductum, cum facit interrumpere studia litterarum. Erant autem non longe a muris fontes, dogmata Philosophorum, qui scientiæ et honestatis aliquid conferunt sc[illegible]ium, ex quibus videbantur haurire aquam ad refocillandum potius quam ad potandum; » ita Rabanus; sic et S. Augustinus *in Psalm.* LXXIII, et S. Gregorius in cap. IV *Cant.* Rursum incidit diabolus aquæductum, cum nos ab oratione avertit : per orationem enim quasi canalem omnis Dei gratia in nos influit; unde ea succisa diabolus nos superat et capit.

11. DEFECERUNT CISTERNÆ ET COLLECTIONES AQUARUM. — Additur Græca : *Et consternati sunt infantes eorum, et juvenes defecerunt præ siti, et cadebant in plateis civitatis, et transitibus portarum, et non erat ultra robur in eis.*

12. TUNC AD OZIAM CONGREGATI, — siti confecti postulantes magnis vocibus, ut Bethuliam Holoferni dederet. Nihil enim atrocius obsessis accidit, quam sitis; longe enim acrius cruciat sitis, quam fames : unde Duces, urbem quampiam obsidentes, solent avertere aquas, ut cives siti conficiant, itaque ad deditionem cogant, juxta illud : « Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti, » *Thren.* cap. IV. Nota est Lysimachi regis Macedonum historia, qui, cum in Thracia aquæ penuria sitique laboraret, se cum castris tradidit hosti, sed hausta aqua, exclamavit : « O dii! quam parvæ voluptatis causa me ex rege servum effecit! » Idem dicant capiti, qui pro puncto voluptatis se *mancipia* efficiunt infernalis Holofernis, hoc est diaboli, qui eos in gehenna siti conficiet, ut clament cum divite epulone : « Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma, » *Luc.* XVI.

18. FACTUS EST FLETUS ET ULULATUS MAGNUS IN ECCLESIA. — Græce ἐν προσευχῇ, id est in synagogis ubi erat locus orationis.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur Judithæ prosapia, solitudo, cilicium, jejunia, castitas. Ipsa principes timidos increpat, ac patrum exemplo in spem opis divinæ erigit.

1. Et factum est, cum audisset hæc verba Judith vidua, quæ erat filia Merari, filii Idox, filii Joseph, filii Oziæ, filii Elai, filii Jumnor, filii Gedeon, filii Raphaim, filii Achitob, filii Melchiæ, filii Enan, filii Nathaniæ, filii Salathiel, filii Simeon, filii Ruben; 2. et vir ejus fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis hordeaceæ : 3. instabat enim super alligantes manipulos in campo, et venit æstus super caput ejus, et mortuus est in Bethulia civitate sua, et sepultus est illic cum patribus suis. 4. Erat autem Judith relicta ejus vidua jam annis tribus et mensibus sex. 5. Et in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, 6. et habens super lumbos suos cilicium, jejunabat om-

nibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, et neomenias, et festa domus Israel. 7. Erat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat divitias multas, et familiam copiosam, ac possessiones armentis bovum et gregibus ovium plenas. 8. Et erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. 9. Hæc itaque cum audisset, quoniam Ozias promisisset quod transacto quinto die traderet civitatem, misit ad presbyteros Chabri et Charmi. 10. Et venerunt ad illam, et dixit illis : Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, ut tradat civitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit vobis adjutorium? 11. Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? 12. Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet, et furorem accendat. 13. Posuistis vos tempus miserationis Domini, et in arbitrium vestrum, diem constituistis ei. 14. Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso poeniteamus, et indulgentiam ejus fusis lacrymis postulemus; 15. non enim quasi homo, sic Deus comminabitur, neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur. 16. Et ideo humiliemus illi animas nostras, et in spiritu constituti humiliato, servientes illi. 17. Dicamus flentes Domino, ut secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam : ut sicut conturbatum est cor nostrum in superbia eorum, ita etiam de nostra humilitate glorietur; 18. quoniam non sumus secuti peccata patrum nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum, et adoraverunt Deos alienos. 19. Pro quo scelere dati sunt in gladium, et in rapinam, et in confusionem inimicis suis; nos autem alterum Deum nescimus præter ipsum. 20. Exspectemus humiles consolationem ejus, et exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum, et humiliabit omnes Gentes, quæcumque insurgunt contra nos, et faciet illas sine honore Dominus Deus noster. 21. Et nunc, fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite, ut memores sint, quia tentati sunt patres nostri ut probarentur, si vere colerent Deum suum. 22. Memores esse debent, quomodo pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. 23. Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. 24. Illi autem qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, et impatientiam suam et improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt; 25. exterminati sunt ab exterminatore, et a serpentibus perierunt. 26. Et nos ergo non ulciscamur nos pro his quæ patimur; 27. sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quibus quasi servi corripimur, ad emendationem, et non ad perditionem nostram evenisse credamus. 28. Et dixerunt illi Ozias et presbyteri : Omnia, quæ locuta es, vera sunt, et non est in sermonibus tuis ulla reprehensio. 29. Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, et timens Deum. 30. Et dixit illis Judith : Sicut quod potui loqui, Dei esse cognoscitis; 31. ita quod facere disposui, probate si ex Deo est, et orate ut firmum faciat Deus consilium meum. 32. Stabitis vos ad portam nocte ista, et ego exeam cum ancilla mea; et orate, ut, sicut dixistis, in diebus quinque respiciat Dominus populum suum Israel. 33. Vos autem nolo ut scrutemini actum meum, et usque dum renuntiem vobis, nihil aliud dixi, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum. 34. Et dixit ad eam Ozias princeps Juda : Vade in pace, et Dominus sit tecum in ultionem inimicorum nostrorum. Et revertentes abierunt.

1. JUDITH VIDUA. — Nonnulli censent Judith esse nomen commune, sicut est Abra, sed nunc heroinæ appropriatum : יהודי *Jehudi* enim idem est quod Judæus; unde יהודית *Jehudit*, et per crasin, Judith, idem est quod Judæa.

Verius est Judith esse nomen proprium, cujus etymon apte hic congruit. Judith enim Hebraice idem est quod confitens, laudans, glorificans, scilicet Deum; הודה *hoda* enim significat confiteri, laudare, celebrare. Ad hoc enim Judith a turba secessit in suum oratorium, ut Deum assidue oraret et laudaret. Audi S. Fulgentium, epist. 2 *De statu viduali*, etiamtam hæc verba de Judith : « Ecce vidua præclara natalibus, facultatibus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

det, et dabit gloriam nomini suo. 25. Si autem transactis quinque diebus non venerit adjutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti estis.

2. CENTUM VIGINTI MILLIA (Græca habent : « 170 millia peditum »), EQUITUM VIGINTI DUO MILLIA. — Accesserant ergo auxiliares copiæ, et novorum equitum decem millia; nam cap. II, vers. 7, tantum recensita sunt equitum decem millia. Hæc auxilia submittebat Nabuchodonosor, qui et ipse cum toto exercitus robore subsequi destinabat, ut habet Græcus, cap. II.

3. A LOCO QUI DICITUR BELMA USQUE AD CHELMON. — Belma est urbs ad radices montis, in quo sita est Bethulia, quæ a Brocardo Abellina vocatur. Ibidem juxta Bethain est urbs « Chelmon, » vel ut Græcus habet, *Cyamon* : in utraque castra metatus est Holofernes, ut habet Græcus, aciemque instruxit ad pugnam et urbis oppugnationem.

6. QUOD FOSS. QUI INFLUEBAT, AQUÆDUCTUM, etc. MISCERET, — hoc est, aquam in urbem per aquæductum transfunderet, ideoque aquæductum incidens Holofernes aquam ab urbe avertit. Suspicatur Serarius pro « dirigeret » legendum « dirigaret, » id est *irrigaret*; sed et « dirigeret » est planè huic loco convenit. Fons enim per canalem aquam dirigit et transmittit in urbem.

8. FILII AMMON ET MOAB ACCESSERUNT AD HOLOFERNEM. — Græca habent : *Principes Idumæi et Moabitæ*, Idumæi enim invadentes Judæos fingebant se esse Ammonitas, ut dixi cap. V, vers. 9. Illi ergo suaserunt Holoferni, ut fontes occuparet, itaque Judæos siti conficeret.

Mystice : « Tunc incidit diabolus aquæductum, cum facit interrumpere studia litterarum. Erant autem non longe a muris fontes, dogmata Philosophorum, qui scientiæ et honestatis aliquid conferunt sc[illegible]ium, ex quibus videbantur haurire aquam ad refocillandum potius quam ad potandum; » ita Rabanus; sic et S. Augustinus *in Psalm.* LXXIII, et S. Gregorius in cap. IV *Cant.* Rursum incidit diabolus aquæductum, cum nos ab oratione avertit : per orationem enim quasi canalem omnis Dei gratia in nos influit; unde ea succisa diabolus nos superat et capit.

11. DEFECERUNT CISTERNÆ ET COLLECTIONES AQUARUM. — Additur Græca : *Et consternati sunt infantes eorum, et juvenes defecerunt præ siti, et cadebant in plateis civitatis, et transitibus portarum, et non erat ultra robur in eis.*

12. TUNC AD OZIAM CONGREGATI, — siti confecti postulantes magnis vocibus, ut Bethuliam Holoferni dederet. Nihil enim atrocius obsessis accidit, quam sitis; longe enim acrius cruciat sitis, quam fames : unde Duces, urbem quampiam obsidentes, solent avertere aquas, ut cives siti conficiant, itaque ad deditionem cogant, juxta illud : « Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti, » *Thren.* cap. IV. Nota est Lysimachi regis Macedonum historia, qui, cum in Thracia aquæ penuria sitique laboraret, se cum castris tradidit hosti, sed hausta aqua, exclamavit : « O dii! quam parvæ voluptatis causa me ex rege servum effecit! » Idem dicant capiti, qui pro puncto voluptatis se *mancipia* efficiunt infernalis Holofernis, hoc est diaboli, qui eos in gehenna siti conficiet, ut clament cum divite epulone : « Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma, » *Luc.* XVI.

18. FACTUS EST FLETUS ET ULULATUS MAGNUS IN ECCLESIA. — Græce ἐν προσευχῇ, id est in synagogis ubi erat locus orationis.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur Judithæ prosapia, solitudo, cilicium, jejunia, castitas. Ipsa principes timidos increpat, ac patrum exemplo in spem opis divinæ erigit.

1. Et factum est, cum audisset hæc verba Judith vidua, quæ erat filia Merari, filii Idox, filii Joseph, filii Oziæ, filii Elai, filii Jumnor, filii Gedeon, filii Raphaim, filii Achitob, filii Melchiæ, filii Enan, filii Nathaniæ, filii Salathiel, filii Simeon, filii Ruben; 2. et vir ejus fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis hordeaceæ : 3. instabat enim super alligantes manipulos in campo, et venit æstus super caput ejus, et mortuus est in Bethulia civitate sua, et sepultus est illic cum patribus suis. 4. Erat autem Judith relicta ejus vidua jam annis tribus et mensibus sex. 5. Et in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, 6. et habens super lumbos suos cilicium, jejunabat om-

nibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, et neomenias, et festa domus Israel. 7. Erat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat divitias multas, et familiam copiosam, ac possessiones armentis bovum et gregibus ovium plenas. 8. Et erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. 9. Hæc itaque cum audisset, quoniam Ozias promisisset quod transacto quinto die traderet civitatem, misit ad presbyteros Chabri et Charmi. 10. Et venerunt ad illam, et dixit illis : Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, ut tradat civitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit vobis adjutorium? 11. Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? 12. Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet, et furorem accendat. 13. Posuistis vos tempus miserationis Domini, et in arbitrium vestrum, diem constituistis ei. 14. Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso poeniteamus, et indulgentiam ejus fusis lacrymis postulemus; 15. non enim quasi homo, sic Deus comminabitur, neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur. 16. Et ideo humiliemus illi animas nostras, et in spiritu constituti humiliato, servientes illi. 17. Dicamus flentes Domino, ut secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam : ut sicut conturbatum est cor nostrum in superbia eorum, ita etiam de nostra humilitate glorietur; 18. quoniam non sumus secuti peccata patrum nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum, et adoraverunt Deos alienos. 19. Pro quo scelere dati sunt in gladium, et in rapinam, et in confusionem inimicis suis; nos autem alterum Deum nescimus præter ipsum. 20. Exspectemus humiles consolationem ejus, et exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum, et humiliabit omnes Gentes, quæcumque insurgunt contra nos, et faciet illas sine honore Dominus Deus noster. 21. Et nunc, fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite, ut memores sint, quia tentati sunt patres nostri ut probarentur, si vere colerent Deum suum. 22. Memores esse debent, quomodo pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. 23. Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. 24. Illi autem qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, et impatientiam suam et improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt; 25. exterminati sunt ab exterminatore, et a serpentibus perierunt. 26. Et nos ergo non ulciscamur nos pro his quæ patimur; 27. sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quibus quasi servi corripimur, ad emendationem, et non ad perditionem nostram evenisse credamus. 28. Et dixerunt illi Ozias et presbyteri : Omnia, quæ locuta es, vera sunt, et non est in sermonibus tuis ulla reprehensio. 29. Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, et timens Deum. 30. Et dixit illis Judith : Sicut quod potui loqui, Dei esse cognoscitis; 31. ita quod facere disposui, probate si ex Deo est, et orate ut firmum faciat Deus consilium meum. 32. Stabitis vos ad portam nocte ista, et ego exeam cum ancilla mea; et orate, ut, sicut dixistis, in diebus quinque respiciat Dominus populum suum Israel. 33. Vos autem nolo ut scrutemini actum meum, et usque dum renuntiem vobis, nihil aliud dixi, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum. 34. Et dixit ad eam Ozias princeps Juda : Vade in pace, et Dominus sit tecum in ultionem inimicorum nostrorum. Et revertentes abierunt.

1. JUDITH VIDUA. — Nonnulli censent Judith esse nomen commune, sicut est Abra, sed nunc heroinæ appropriatum : יהודי *Jehudi* enim idem est quod Judæus; unde יהודית *Jehudit*, et per crasin, Judith, idem est quod Judæa.

Verius est Judith esse nomen proprium, cujus etymon apte hic congruit. Judith enim Hebraice idem est quod confitens, laudans, glorificans, scilicet Deum; הודה *hoda* enim significat confiteri, laudare, celebrare. Ad hoc enim Judith a turba secessit in suum oratorium, ut Deum assidue oraret et laudaret. Audi S. Fulgentium, epist. 2 *De statu viduali*, etiamtam hæc verba de Judith : « Ecce vidua præclara natalibus, facultatibus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dives, ætate juvenis, specie amabilis, divitias contempsit, delicias respuit, carnis incentiva calcavit, et induta virtute ex alto non quæsivit secundo famulari connubio. Propterea testimonio tam prælari operis apparuit quantum Deo dilecta sit continentia vidualis. »

FILIA MERARI, FILII IDOX. — Nota : Sedecim duntaxat generationes et totidem avi Judith hic recensentur, cum tamen, a Jacob communi Judæorum patriarcha usque ad captivitatem Babylonicam, quæ ævum Judith antecessit, numerentur 20 generationes, *Matth.* cap. I. Alterutrum ergo hic dicendum est, scilicet vel non omnes Judith avos hic recenseri, uti nec recensentur Ericane, I *Reg.* I, 1, nec Saulis ibidem, cap. IX, 1, sufficit enim S. Scripturæ genealogiam illiusce ad virum aliquem illustrem, v. g. in Saule ad Jemini perducere.

Aut certe avos et proavos Judith in senio generasse filios. Hæc enim de causa ab Esdra usque ad Aaron numerantur generationes sedecim, lib. I *Esdræ* cap. VII, 2 ; cum tamen, I *Paral.* VI, 3, a Josedec qui fuit cœrvus, imo frater Esdræ usque ad AARON numerentur generationes 22. Sic S. Matthæus, cap. I, a Christo ad Davidem numerat generationes et avos 28, cum S. Lucas, cap. III, numerat 57. Quare hi Lucæ filius, illi Matthæi tardius generarunt.

FILII SIMEON, FILII RUBEN. — Hinc aliqui putant Judith oriundum ex tribu Ruben. Verum illam progenitam fuisse ex tribu Simeon liquet ex ipsis ejus verbis, cap. IX, vers. 2. Quare Græca hic pro « filii Ruben » habent *filii Israel*, id est Jacob, et ita legendum censent S. Fulgentius, *epist.* II, cap. XXIV, Bellarminus, lib. I *De Verbo Dei*, cap. XII, Serarius, Mariana et alii. Quia tamen Codices Romæ correcti, cæterique constanter habent « filii Ruben, » dicendum est hunc Ruben non esse Patriarcham et primogenitum Jacob, sed esse virum illustrem ex tribu Simeon, ad quem proinde genus Judithæ hic producit, in eoque terminat, non progrediendo ad ejus patres et avos usque ad Simeon Patriarcham, et secundum Jacobi filium. Id ita esse liquet ex dictis, et ex eo quod Rubēn primogenitus Jacob nullum habuerit filium, qui vocatus sit Simeon, ut patet *Genes.* XLVI, 9, et I *Paral.* V, 3. Ita Lyranus.

VEL EJUS MANASSES. — Græca addunt eum ex eadem cum Judith fuisse tribu et patria.

INSTABAT. — Græce ἐπέκειτο, id est, *supra stabat* ; unde putant nonnulli Manassen fuisse præfectum messis, non sum, sed publicæ, sive totius campi Bethuli. Sic enim Romæ et alibi, publici sunt rei frumentariæ et annonæ præfecti. Sic Josephus in vita sua ait Arbutio magni campi præfecturam creditam fuisse.

2. MENSIBUS SEX. — Græca habent, *mensibus quatuor*.

3. ET IN SUPERIORIBUS DOMUS SUÆ (puta in tabulato, sive solario) FECIT SIBI SECRETUM CUBICULUM, IN QUO CUM PUELLIS (ancillis) SUIS CLAUSA MORABATUR, — tum ut fugeret viros et turbas visitantum, itaque et castitati et famæ suæ consuleret; tum ut tota vacaret orationi et Deo. Hæc ergo *prima* est Judithæ viduæ dos, scilicet amor silentii et solitudinis. Hinc S. Hieronymus, epist. *ad Furiam viduam*, hoc ei dat monitum : « Juvenum fuge consortia, noli in publicum procedere, et spadonum exercitu præeunte, viduarum libertate circumferri : sanctarum virginum et viduarum societatem appete. Et si sermocinandi cum viris incubuerit necessitas, arbitros ne devites, tantaque confabulandi fiducia sit, ut intrante alio, nec paveas, nec erubescas. Speculum mentis est facies : et taciti oculi cordis fatentur arcana. » Et inferius : « Redime virgines quas in cubiculum Regis inducas ; suscipe viduas quas inter virginum lilia, et martyrum rosas, quasi quasdam violas, misceas : pro corona spinea, in qua Christus mundi delicta portavit, talia serta compone. »

6. ET HABENS SUPER LUMBOS SUOS CILICIUM. — Cæterum assidue suis setis quasi aculeis stimulan. et pungens, eoque dolore voluptatis turpis cum sanguine juvenili ebullientes stimulos comprimens et exstinguens. Hos enim magis domat cilicium utpote assiduum et continuum quasi transeuntes flagellorum dolores et verbera. Itaque juvenes, præsertim feminæ viduæ obarment se cilicio tanquam præsidio validissimo ad carnem domandam, et castitatem servandam. Vide nostrum Gretserum, lib. *De disciplina* ; nam, ut ait S. Hieronymus, epist. 2 *ad Ageruchiam viduam* : « Et certe multo laboriosius est non frui eo quod habeas, quam desiderare quod amiseris. Unde et virginitas in eo facilior est, quod carnis incentiva non novit; et viduitas in eo sollicitior est, quod præteritas animo recolit voluptates. » Et anterius exempla castitatis gentilium matronarum, quæ castitatem vitæ præstiterunt, proponens : « Stringam, inquit, breviter reginam Carthaginis, quæ magis ardere voluit, quam Iarbæ regi nubere; et Hasdrubalis uxorem, quæ apprehensis utriusque manu liberis in subjectum se præcipitavit incendium, ne pudicitiæ damna sentiret ; et Lucretiam quæ, amissa gloria castitatis, noluit pollutæ conscientiæ supervivere. »

JEJUNABAT OMNIBUS DIEBUS VITÆ SUÆ, PRÆTER SABBATA. — Porro jejunabant Judæi a mane ad vesperam, nec ante conspectum Hesperi et stellarum cibum sumebant, uti etiamnum jejunant Turcæ.

Tertia fuit hæc dos Judithæ, perpetuum scilicet jejunium, quod incendio luxuriæ fomenta delicias rum, imo ciborum necessariorum subtrahebat. Nota illud :

Subtrahe ligna foco, si vis restinguere flammam.

Audi S. Hieronymus, epist. 9 *ad Salvianum de viduitate servanda* : « Tu vero, quæ in tumulo

mariti sepelisti omnes pariter voluptates, quæ litam purpurisso et cerussa faciem super feretrum ejus lacrymis diluisti, quæ pullam tunicam, nigrosque calceolos, candidæ vestis et auri soci depositione, sumpsisti; nihil habes necesse aliud, nisi perseverare in jejunio. Pallor et sordes gemmæ tuæ sint; plumarum mollities juvenilia membra non foveat; balnearum calor novum adolescentulæ sanguinem non incendat. Audi quid ex persona viduæ continentis ethnicus Peeta decantet :

Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit; ille habeat secum, servetque sepulcro.

Si tanti vilissimum vitrum, quanti pretiosissimum margaritum? Si sic communi lege naturæ damnat omnes gentilis vidua voluptates; quid expectandum est a vidua Christiana, quæ pudicitiam suam non solum ei debet, qui defunctus est, sed et ei cum quo regnatura est? » Et inferius : « Multo melius est stomachum te dolere, quam mentem; imperare corpori, quam servire; gressu vacillare, quam pudicitia. » Idem, epist. 10 *ad viduam Furiam* : « Ardentes, inquit, diaboli sagittæ jejuniorum et vigiliarum rigore retorquendæ sunt; cæterum vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est, » I *Tim.* V. Et inferius : « Apostolus macerat corpus suum, et animæ subjicit imperio; ne quod alii præcipit, ipse non servet: et adolescentula fervente cibis corpore, de castitate secura est? Neque vero hæc dicens, condemno cibos quos Deus creavit ad utendum cum gratiarum actione; sed juvenibus et puellis incentiva aufero voluptatum. Non Æthnæi ignes, non Vulcanea tellus, non Vesuvius et Olympus tantis ardoribus æstuant, ut juveniles medullæ vino plenæ, et dapibus inflammatæ. » Deinde eam exhortans ut vino carneque abstineat, addit : « Nihilque ita scias conducere Christianis adolescentibus, ut esum olerum. » Unde et in alio loco : « Qui infirmus est, ait, olera non manducet, ardorque corporum frigidioribus epulis temperandus est. » Et mox : « Quidquid facit seminarium voluptatum, venenum puta. Parcus cibus, et venter semper esuriens triduanis jejuniis præfertur. Et multo melius est, quotidie parum, quam raro satis sumere. Pluvia illa optima est, quæ sensim descendit in terram. Subitus et nimius imber in præceps arva subvertit. Quando comedis, cogita quod statim tibi orandum, illico et legendum sit. » Et post nonnulla : « O si videres sororem tuam! jejunia pro ludo habet, orationem pro deliciis. »

7. CUI VIR SUUS RELIQUERAT DIVITIAS MULTAS, — quas ipsa non ad suum, sed ad egentium usum erogabat. Præclare S. Bernardus, serm. in festo omnium Sanctorum : « Quid, inquit, admirabilius, aut quod martyrium gravius, quam inter epulas esurire, inter vestes multas, et pretiosas algere, pauperiate premi inter divitias quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster ipse appetitus? An non merito coronabitur qui sic certaverit, mundum abjiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, et (quod gloriosius est) de semetipso triumphans, et crucifigens concupiscentiam prurientem? »

8. ET ERAT HIC IN OMNIBUS FAMOSISSIMA (hoc est, famæ probatissimæ, sive fama probitatis et sanctitatis celeberrima), QUONIAM TIMEBAT DOMINUM VALDE. — Timor hic erat non servilis, sed filialis, quo Judith Deum quasi Dominum, imo patrem suum summe colebat et reverebatur; ideoque in omnibus illi placere satagebat, cavebatque ne qua in re, licet minima, eum offenderet. Atque hac sanctitate præparavit se ad tantum facinus, ut digna esset quæ eligeretur a Deo ad castra hostium evertenda, et ad liberandum populum.

Allegorice Judith fuit typus B. Virginis, de qua S. Bonaventura *in Speculo*, cap. VIII : « Dominus, inquit, nominatissimus et famosissimus famosissime est tecum; ideo et tu es famosissima et nominatissima, etc. : Maria ergo signata est per illam famosissimi nominis Judith, de qua scriptum est, quod nec erat qui de ea loqueretur verbum malum. »

11. ET QUI ESTIS VOS, QUI TENTATIS DOMINUM? — « Tentatis, » id est exacerbatis, irritatis, et ad iram provocatis, dum ei leges præscribitis, ut nisi intra quinque dies vobis succurrat, urbem hostibus tradere velitis, cum potius eum supplici prece invocare debeatis, ut vestri misereatur, et diem modumque liberationis vestræ ipse vobis præscribat.

15. NON ENIM QUASI HOMO, SIC DEUS COMMINABITUR, — *q. d.* Non timeamus minas Holofernis, sed Dei; illius enim minæ superbæ sunt, inanes et vanæ, sicut sunt cæterorum hominum; sed Dei certæ sunt, fixæ et efficaces. Deus enim iratus certo et inevitabiliter irrogat quod comminatur.

16. ET IDEO HUMILIEMUS ILLI ANIMAS NOSTRAS. — Per humilem pœnitentiam, jejunium, orationem et obsecrationem, ut nobis peccata condonet, et ab Holoferne liberet.

21. AB ELOQUIUM VESTRUM (id est, eloquio vestro) CORDA EORUM ERIGITE, — ad magnanimitatem et firmam in Deum confidentiam.

22. ABRAHAM TENTATUS EST, ET PER MULTAS TRIBULATIONES PROBATUS UBI AMICUS EFFECTUS EST, — præsertim cum a Deo jussus immolare unigenitum suum Isaac, eum immolare voluit, *Gen.* XXII. Vide ibi dicta.

23. OMNES QUI PLACUERUNT DEO, PER MULTAS TRIBULATIONES TRANSIERUNT FIDELES. — Fideliter scilicet adhærentes Deo, et ab eo liberationem e tribulatione poscentes, et exspectantes. Vide dicta *Jacobi* I, 4 et seq. et *Eccli* II, 4 et seq.

26. ET NOS ERGO NON ULCISCAMUR NOS, — id est, non ulciscentium more indignemur et obmurmuremus Deo, quasi volentes nos de eo ulcisci ob clades et timores quos nobis immittit.

30. Et dixit illis Judith : Sicut quod potui loqui, Dei (hoc est a Deo mihi suggestum et inspiratum) esse cognoscitis :

1. 31. Ita quod facere disposui (nimirum astu occidere Holofernem), probate si ex Deo est : — τὸ « si » non est dubitantis, sed affirmantis ; idemque est ac « quod » *q. d.* Sicut probastis meos sermones quasi ex Deo profectos, sic etiam probate propositum meum, quod ex Deo, sive Deo impellente, agere decrevi, ut scilicet vadam ad Holofernem, eumque occidam. Dicit tamen « si, » quasi dubitans, modestiæ causa, quia res hæc nondum erat facta, sed facienda ; esto ipsa de eventu felici ex Dei instinctu foret certa, *q. d.* « Probate, » id est, videte et attendite id quod actum sum, et ex eventu probate et judicate, « si ex Deo est ; » *q. d.* Utique cum rem feliciter confectam videbitis, probabitis illud, et ex Deo auctore susceptum judicabitis. Loquitur in genere, sed partienlatim non explicat quid animo destinarit : sciebat enim, si id faceret, rem non mansuram secretam, sed ad Holofernem perferendam. Sciebat pariter multos hoc ejus propositum ut temerarium damnaturos. Unde græca habent : *Factum negotium quod pervenit in generationes generationum filiis generis nostri.*

32. Statuitis vos ad portam noctis ista, et ego exeam cum ancilla mea, — *q. d.* Aperite mihi noctu portas matu hostium occlusas, ne sinite me cum mea ancilla egredi. Petit enim sibi noctu aperiri portas.

Cum ancilla mea. — Multi putant τὸ « ancilla » esse nomen proprium ancillæ Judith ; sed errant, nam est commune simitheans ancillarum. Unde cap. x, 2 et seqq. ubi Nester vertit « ancilla, » in Græco est *abra* ; ergo dicitur quasi עברה *abara*, id est socia, vel potius quasi עברה *abra*, id est transiens, pedisequus : עבר *habar* enim significat *transiit*. Ita Pagninus. Porro non fuit hæc vulgaris ancilla Judith, sed *quæ omnibus ejus facultatibus esset præposita*, ut habet Græcus. Hinc Græci ancillas honoratas (quas Itali vocant *Cameriere*) ἐπὶ τῶν appellant, ut patet ex Menandro in pseudo-Hercule. Sic Gen. cap. xxiv, vers. 61, ancillæ Rebeccæ vocantur ἄβρα, æque ac ancilla filiæ Pharaonis, *Exodi* cap. vii, vers. 4. Addunt nonnulli abram proprie dici ancillam, quæ commensalis est et amanuensis, præsertque cellæ penariæ ; hanc enim Spartanis significat ἄβρα.

33. Vos autem nolo ut scrutemini actum meum, — utpote a Deo probatum et decretum. Prudenter celat suum secretum ; tota enim energia hujus actionis consistebat in secreto.

Et usque dum nuntiem vobis, nihil aliud fiat nisi oratio pro me ad Dominum. — Hic disce in publica gravique causa publicas et continuas poscere preces, ut Deus rem dirigat et secundet. Arma ergo Judith, quibus truncavit Holofernem, fuerunt publicæ litaniæ et preces totius populi. Nota hunc locum pro litaniis. Audi S. Augustinum serm. 238. *De Temp.* qui est *de Judith* : « Judith sanctissima, cujus precibus patuit cœlum, orationis arte arma victricia fabricavit, quibus adversa confligeret, et pavescentes viros femina vindicaret. Squalebat civitas obsidione barbaræ feritatis. Ita enim universæ languebant, ut in manibus hostium jam tradi commodius judicarent, quam perniciosæ fami populatione vexari. Ecce Judith post precem et saccum, post cinerem, post cultus puellares redit, spes omnium populorum procedit, sollicitos populos redditura securos, sua sapientia consolatur, quæ promittens victoriam, quam omnis nalio miraretur, portam sibi pandulum remotis obicibus postulat aperiri. Prodit secura unius puellæ comitatu contenta, et hostium securis, gressibus properavit in castra. Intra muros sollicita fuit, secura fit, dum ad timenda pervenit. » Et sub finem : « Orationis favore castitas proprium pudorem servavit infectum et quietum, decepitque alienum, etc. Ubi enim assiduis pulsatur orationibus cœlum, potentia semper celebratur armorum. Quæ gloriosæ feminæ castitatem servavit oratio, et hostem servare non potuit multitudo. Lugentem civitatem una femina valuit vindicare, et tantus exercitus regem non potuit custodire. » Et *serm.* 229 : « Judith bellator animus alienum pectus obsedit. Illa, abjecta formidine femineæ, victoriam in periculis quæreus, nec mortem in periculis timuit, nec ambiguitatem formidavit. »

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judith in cinere et cilicio precatur Deum, ut sibi robur conferat ad Holofernem occidendum, ut ejus obsidione patriam liberet.

1. Quibus abscedentibus, Judith ingressa est oratorium suum, et induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum ; et prostemens se Domino, clamabat ad Dominum, dicens : 2. Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui

violatores exstiterunt in coinquinatione sua, et denudaverunt femur virginis in confusionem ; 3. et dedisti mulieres illorum in prædam, et filias illorum in captivitatem, et omnem prædam in divisionem servis tuis, qui zelaverunt zelum tuum ; subveni, queso te, Domine Deus meus, mihi viduæ. 4. Tu enim fecisti priora, et illa post illa cogitasti ; et hoc factum est quod ipse voluisti, 5. omnes enim viæ tuæ paratæ sunt, et tua judicia in tua providentia posuisti. 6. Respice castra Assyriorum nunc, sicut tunc castra Ægyptiorum videre dignatus es, quando post servos tuos armati currebant, confidentes in quadrigis, et in equitatu suo, et in multitudine bellatorum. 7. Sed aspexisti super castra eorum, et tenebræ fatigaverunt eos. 8. Tenuit pedes eorum abyssus, et aquæ operuerunt eos. 9. Sic fiant et isti, Domine, qui confidunt in multitudine sua, et in curribus suis, et in contis, et in scutis, et in sagittis suis, et in lanceis gloriantur, 10. et nesciunt quia tu ipse es Deus noster, qui conteris bella ab initio, et Dominus nomen est tibi. 11. Erige brachium tuum sicut ab initio, et allide virtutem illorum in virtute tua ; cadat virtus eorum in iracundia tua, qui promittunt se violare sancta tua, et polluere tabernaculum nominis tui, et dejicere gladio suo cornu altaris tui. 12. Fac, Domine, ut gladio proprio ejus superbia amputetur ; 13. capiatur laqueo oculorum suorum in me, et percuties eum ex labiis charitatis meæ. 14. Da mihi in animo constantiam, ut contemnam illum ; et virtutem, ut evertam illum. 15. Erit enim hoc memoriale nominis tui, [illegible] manus feminæ dejecerit eum. 16. Non enim in multitudine est virtus tua, Domine, neque in equorum viribus voluntas tua est, nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio, 17. Deus cœlorum, creator aquarum, et Dominus totius creaturæ, exaudi me miseram deprecantem, et de tua misericordia præsumentem. 18. Memento, Domine, testamenti tui, et da verbum in ore meo, et in corde meo consilium corrobora, ut domus tua in sanctificatione tua permaneat, 19. et omnes gentes agnoscant, quia tu es Deus, et non est alius præter te.

1. Quibus abscedentibus (corrige cum Romanis et Græcis *abscedentibus*), Judith ingressa est oratorium suum ; et induens se cilicio. — Græci ἐγκρυπτον, quod Complutensium et Regiorum interpres vertit : « Exuit quo induta erat saccum, » hoc est cilicium. Sed id contrariatur versioni Latinæ vulgatæ ad verbum. Ergo sic verte cum Vatablo : « Nudavit saccum quo erat induta, » depositis scilicet extimis vestibus, solo manens induta sacco, eumque nudum demonstrans : saccum vocat cilicium. Nudavit ergo coram Deo interius cilicium, ostendens illud Deo quasi signum pœnitentiæ et pœnitentiæ, supplicisque obsecrationis. Cilicio igitur et cinere ornavit, imo armavit suam deprecationem, cujus rei symbolicam causam dabo vers. 14.

Prostemens se Domino. — Græca addunt id factum *vespere, cum thymiama adolebatur hoc in Templo Jerosolymis*, ut significet publicum in templo sacrificium, quod jugiter in vespere offerebatur, hisce Judithæ precibus cooperatum fuisse, ac Judithæ illi preces suas junxisse, ut publicam eladem publica supplicatione converteret, utque vis sacrificii demonstraretur, illud scilicet parasse hanc Judithæ victoriam.

2. Domine Deus patris mei Simeon (hinc patet Judith fuisse e tribu Simeon), qui dedisti illi gladium, — id est fortitudinem) in defensionem (Græce ἐκδίκησιν, Id est ultionem (alienigenarum qui violatores exstiterunt. — Dinæ sororis suæ. Nota : Deus dedit fortitudinem Simeoni ad vindicandum Dinæ stuprum, sed non fuit modo parcendum, quo ipsi usi sunt. Licet enim ipsi fecerint ex zelo, ut sequitur ; tamen zelus iste fuit contra pacta cum Sichimitis inita, et Jacobum cum suis omnibus exposuit periculo, ne a vicinis omnes occiderentur ; unde Jacob eos redarguit. Permisit tamen Deus Sichem stupratorem, ejusque subditos Sichimitas a Simeone occidi, eorumque bona diripi in pœnam stupri a Sichem principe eorum commissi. Ita Lyranus. Vide dicta *Genes.* xxxiv. Sic Deus obstetricibus mentientibus dedit domos, non propter mendacium, sed propter affectum et beneficium Hebræorum infantibus, quos a morte servabant, impensum. *Exodi* 1. Laudat ergo Judith zelum Simeonis in vindicando stupro Dinæ, sed non laudat modum vindicandi, quod scilicet propria auctoritate occiderit Sichimitas per dolum.

4. Et illa post illa (id est alia post alia tua vindictæ exempla) cogitasti, — scilicet facere. Sierniteuim Judith viam ad commemorandam vindictam de Pharaone sumptam a Deo in mari Rubro.

9. Et in contis. — Conti sunt lanceæ, et hastæ oblongæ, vemabula, etc.

11. Cornu altaris tui. — Vere altare habebat cornua, sed per illa significabatur altaris et sacrifi-

eiorum in ea oblatorum majestas, robur et gloria.

13. Et percutiet eum ex labiis charitatis meæ, — id est feries Holofernem verbis meis elegantibus « charitatis, » id est amoribus illicibus; charitas enim hic, non divina, sed humana intelligitur per catachresin; amoris, inquam, casti, quo me ut conjugem amare et ambire potest. Licet enim Judith nollet Holofernem maritum, licite tamen poterat eum ad sui amorem castum et conjugalem illicere, ut sic haberet occasionem eum incautum astute occidendi. Esto enim Holofernes in turpem et fornicarium ejus amorem rapiendus foret, id tamen non intendit Judith, sed permisit duntaxat ad tegendum suum factum, quo eum caeci destinabat, quod aliis rationibus peragere non poterat. Intendebat ergo Holofernem sua specie amare ad amorem honestum et conjugalem, ut sic sui amantem et incautum occideret (1). Factum enim hoc Judith, cui Deus singulariter operatus est occidendo Holofernem, et Judæam liberando, potius excusandum, ac charitati inpatriam, et peculiari Dei instinctui ascribendum est, quam de libidine, vel scandalo accusandum, uti exeunt S. Scriptura Patres, et Interpretes, ac præsertim S. Ambrosius lib. *De viduis*.

(1) Et licet probabilibus conjecturis præsciret illum non ad castum, sed ad turpem amorem pellectum iri, quia tamen id non ex natura facti Judith, sed vitio Holophernis futurum erat, et Judith justissimas haberet causas faciendi quod faciebat, puta ad liberandam patriam et hostes fugandos; poterat negative seu mere passive sese habere ad peccatum Holophernis, et eo non obstante, curare modis omnibus ut, ad sui amorem pertraheretur. Ita fere Ambrosius et doctores scholastici (ex Tirino). Cæterum ipsa non procuravit peccatum alienum, quia pulchritudo aut ornatus feminæ non propria causa illiciti amoris, sed corrupta hominis natura, et concupiscentia latens.

14. Da mihi in animo constantiam. — Nota : Omnis virtus, sed maxime constantia petenda est a Deo, tum præsertim infirmis et debilibus, uti sunt feminæ, pueri, senes, ægri, cum aggrediuntur quid heroicum vires naturæ exsuperans, quale erat hoc opus Judith, idque tum quia homo ex peccato factus est totus fragilis et inconstans, tum quia Deus ait : « Ego sum qui sum, » id est per essentiam constans, fons et auctor omnis essentiæ. Sed adverte Judith eam petere indutam cilicio, et cinere aspersam, ac prostratam in terra, vers. 1; quia oratio ut constantiam obtineat, debet armari pœnitentia, labore et mortificatione carnis; qui enim mollis est, et deliciis carnis indulget, nequit esse fortis et constans. Cinis signum est mortis, quia constantiam valde excitat memoria mortis, brevitasque vitæ et laboris ac doloris in ea subeundi. Denique prostratio signum est humilitatis, qua quis agnoscens suam fragilitatem, implorat Dei opem, ab eoque constantiam impetrat.

16. Non enim in multitudine est virtus tua, — ut per multos validosque milites victoriam pares, sed per solam feminam imbecillem, et imbellem rem totam confodes. Sic Artabanus Xerxi in tot copiis suis exultanti aiebat : « Ingens exercitus ab exiguo profligatur; quoties Deus iis, quos detestatur, aut metum aut tonitruum incutit. » Uti refert Heliodorus, lib. VII.

17. Præsumentem, — id est valde confidentem. Vide dicta cap. VI, vers. 13.

18. Memento, Domine, testamenti tui, — id est pacti enim Hebræis per Mosen, Davidem, aliosque Principes initi.

Ut domus tua (templum tuum) in sanctificatione tua, id est in sancta tui religione et cultu, quo vere sanctificatur, permaneat.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judith se ornat, ac ornata pergit ad Holofernem; comprehenditur ab exploratoribus, et ad eum ducitur, qui ejus forma capitur.

1. Factum est autem cum cessasset clamare ad Dominum, surrexit de loco in quo jacuerat, prostrata ad Dominum. 2. Vocavitque abram suam, et descendens in domum suam, abstulit a se cilicium, et exuit se vestimentis viduitatis suæ, 3. et lavit corpus suum, et unxit se myro optimo, et discriminavit crinem capitis sui, et imposuit mitram super caput suum, et induit se vestimentis jucunditatis suæ, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextraliola, et lilia, et inaures, et annulos, et omnibus ornamentis suis ornavit se. 4. Cui etiam Dominus contulit speudorem; quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat; et ideo Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret. 5. Imposuit itaque abræ suæ ascoperam vini, et vas olei, et polen-

tam, palathas, et panes, et caseum, et profecta est. 6. Cumque venissent ad portam civitatis invenerunt exspectantem Oziam et presbyteros civitatis. 7. Qui cum vidissent eam, stupentes mirati sunt nimis pulchritudinem ejus. 8. Nihil tamen interrogantes eam, dimiserunt transire, dicentes : Deus patrum nostrorum det tibi gratiam, et omne consilium tui cordis sua virtute corroboret, ut glorietur super te Jerusalem, et sit nomen tuum in numero sanctorum et justorum. 9. Et dixerunt hi qui illic erant, omnes una voce : Fiat, fiat. 10. Judith vero, orans Dominum, transivit per portas ipsa, et abra ejus. 11. Factum est autem, cum descenderet montem, circa ortum diei, occurrerunt ei exploratores Assyriorum, et tenuerunt eam, dicentes : Unde venis? aut quo vadis? 12. Quæ respondit : Filia sum Hebræorum, idcirco ego fugi a facie eorum, quoniam futurum aguovi, quod dentur vobis in deprædationem, pro eo quod contemnentes vos, noluerunt ultro tradere seipsos, ut invenirent misericordiam in conspectu vestro. 13. Hac de causa cogitavi mecum, dicens : Vadam ad faciem principis Holofernis, ut indicem illi secreta illorum, et ostendam illi quo aditu possit obtinere eos, ita ut non cadat vir unus de exercitu ejus. 14. Et cum audissent viri illi verba ejus, considerabant faciem ejus, et erat in oculis eorum stupor, quoniam pulchritudinem ejus mirabantur nimis. 15. Et dixerunt ad eam : Conservasti animam tuam, eo quod tale reperisti consilium, ut descenderes ad Dominum nostrum. 16. Hoc autem scias quoniam, cum steteris in conspectu ejus, bene tibi faciet, et eris gratissima in corde ejus. Duxeruntque illam ad tabernaculum Holofernis, annuntiantes eam. 17. Cumque intrasset ante faciem ejus, statim captus est in suis oculis Holofernes. 18. Dixeruntque ad eum satellites ejus : Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his merito pugnare contra eos debeamus? 19. Videns itaque Judith Holofernem sedentem in conopeo, quod erat ex purpura, et auro, et smaragdo, et lapidibus pretiosis intextum; 20. et cum in faciem ejus intendisset, adoravit eum prosternens se super terram. Et elevaverunt eam servi Holofernis, jubente Domino suo.

2. Abram (id est ancillam) suam, ut dixi cap. VIII, et cap. IX, in fine.

3. Unxit se myro (perperam aliqui legunt myrto), id est unguento (hoc enim Græcis est μύρον) optimo, — ut miram ex se fragrantiam spargeret, illaque feriret nares Holofernis, æque ac forma oculos, et verbis speciosis aures ejusdem. Audi S. Augustinum vel potius S. Ambrosium, hujus enim stylum redolet, uti adverterunt Doctores Parisienses, serm. 229 *De Temp.* qui est *De Judith* : « Gentis suæ vindex sumpsit ornamentorum arma, non de bello nuptias subitura; sed de civitate bellatrix processit sponsa. Hæc fuit levitas ornatus, qui ad homicidium [illegible] aptabatur. Pergit divino spiritu ducta, et singulari ancillæ solatio contenta. Species custodit quæ blanditur, et ne violenter pudicitia custodita lædatur, Holofernem alloquitur, ut desiderium mane concipiatur, » copulæ scilicet matrimonii, quod Judith in mente concipiebat, quodque ipsa facile sua specie et blandiloquentia persuasisset Holoferni, si ad id conniti voluisset.

Et imposuit mitram super caput suum. — Mitra est fascia byssina gemmis et bracteolis aureis, tremulisque collucens. Hoc enim significat רעלה *reala*, ut dixi *Isaiæ* III.

Alludit « mitra » ad *mithra*, quæ vox Persice solem significat; sol enim purissimis et fulgentibus radiis suis quasi mitra coronatur. Virgines pariter et casti, ut Judith, sunt quasi soles quidam mithrati fulgoribus suæ castitatis circumcirca radiantes.

Et lilia, — id est, armillas specie et forma lilliorum. Græca est ψέλια, id est armillas, brachialia, scilicet ornamenta manuum et brachiorum.

4. Cui etiam Dominus contulit splendorem. — tum efficiendo ut ornatus ejus pulchrior et splendidior hominibus appareret, tum revera lucem et fulgorem quemdam cœlestem vultui ejus afflando qualem afflavit Moysi *Exodi*, XXXIV, 29, ac S. Ambrosio, S. Ignatio, aliisque eximiis Sanctis, quinus radios lucis aspiravit, ut in facie sanctitas eorum resplenderet. Vide hic novam pugnandi artem, qua Judith se ornando suam castitatem et suorum civium vitam defendit; nam aliæ virgines suam pudicitiam tueri solent sese deturpando. Anno Domini 870, cum Dani invadentes Angliam accederent ad monasterium Collinghammense, Ebba Abbatissa, ut suam suarumque castitatem tueretur, sibi nasum et labrum superius præcidit, suisque ut idem facerent, suasit. Quare irruentes Dani monasterium cum viginibus concremaverunt. Ita refert Mathæus Wes

monasteriensis in annalibus, anno jam dicto. Nimirum de instinctu secutæ sunt dictum et factum S. Pelagiæ virginis, quæ simili necessitate constricta, ne virginitatis dispendium pateretur: « Moriamur, inquit, vel si nolint, moriantur. Deus remedio non offenditur, et factum fides abluit, » itaque se e tecto præcipitavit, ut refert S. Ambrosius, lib. III *Virgin.* et S. Chrysostomus hom. *De ejus laudibus.*

QUONIAM OMNIS ISTA COMPOSITIO NON EX LASCIVIA, SED EX VIRTUTE PENDERAT. — Quia ex zelo liberandi patriam ab exitio et excidio tyranni proficiscebatur. Audi S. Ambrosium, lib. *De viduis*: « Et bene conjugales pugnatura resumpsit ornatus, quia monimenta conjugii arma sunt castitatis. Neque enim vidua aliis aut placere posset aut vincere. Quid cætera persequamur, quod inter tot millia hostium casta permansit? Quid ejus sapientiam prædicemus, quod hujuscemodi est commenta consilium, ut, dum potentem elicit intemperantia, a se inferiores arceret, occasionem pararet victoriæ, abstinentiæ meritum, pudicitiæ gratiam reservaret? »

3. IMPOSUIT ITAQUE ABRÆ (ancillæ) SUÆ ASCOPERAM VINI, — id est, utrem vini. Ascopera enim est vox Græca conflata ex ἀσκὸς, id est uter, follis, et πήρα, id est pera, sacculus, ac significat marsupium, sive sacculum, in quo viatores suas vestes, annonam, aliaque utensilia reponunt, secumque portant. Scribas hæc voce utitur, et Suetonius in *Nerone*, dicens : « Alterius collo est ascopera deligata, simulque titulus. Ego quid potui? sed in culeum mersisti. » Alii legunt ἀσκῶμα, vel ἀσκωμα οἰνου, id est uter vini.

ET POLENTAM. — Polenta est farina hordeacea, puta hordeum madefactum, mox siccatum, et tostum, ac mola in farinam comminutum, de quo dixi I *Reg.* XVII.

ET PALATHAS, — hoc est, massas caricarum, seu ficuum aridarum, de quibus Plinius, lib. XIII, cap. VI. Male nonnulli, pro « palathas, » per metathesin legunt *lapathas*.

Porro hanc annonam detulit secum Judith, ne cibis Holofernis vesci cogeretur. Adeo enim Judæi religiosiores abhorrebant a consortio gentilium, ut nec cibos eorum comedere æstimarent, præsertim quia Gentiles sæpe cibos suos idolis suis offerebant, ut fierent idolothyta, de quibus dixi I Cor. VIII. Sic Daniel cum sociis, cap. I, 8, noluit cibis regiis vesci, sed leguminibus victitavit.

12. IDEO EGO FUGI A FACIE EORUM. — Multi censent Judith hic et in seq. mentiri, sed officiose ad liberandam suum populum, at non peccasse, quia putabat tali casu in tanta necessitate mentiri esse licitum, imo honestum et pium, uti putavit Plato, imo Origenes, Cassianus aliique Patres, quos citavi *Exod.* I. Ita Lyranus Abulensis, Mariana, Emmanuel Sa, et S. Thomas, II II, *Quæstione* CX, art. 3, ad 3.

Verum Judith a mendacio excusant Rabanus, Glossa, Hugo, Dionysius, Serarius, Salianus, Sanchez, S. Augustinus lib. *De mendacio*, quia Deus eam in toto hoc opere dirigebat, et a peccato conservabat, uti ipsa ait cap. XII, vers. 16. Celat ergo Judith veritatem et ambigue loquitur Assyriis hostibus suis injuste se invadentibus, ut eos perdat, at non mentitur. Ait igitur, « fugi, » id est *celeriter abscessi*; fugere enim sæpe idem est, quod celeriter abire, ac eo ab aliquo abripere, « a facie eorum : » aut « fugi, » id est schema et speciem fugientis, sive transfugæ assumpsi, ac quasi fugitiva noctu in manus vestras incurri, meque vobis dedo. Ita Serarius, Sanchez, Salianus et alii (1).

QUONIAM FUTURUM AGNOVI QUOD DENTUR VOBIS IN DEPRÆDATIONEM, — ita enim FOVERA futurum erat, si humanam rationem et providentiam spectes; nec enim humanitus humanique viribus Hebræi poterant Assyriis resistere; sed Judith, alliori nixa consilio et oraculo, sciebat id non futurum nisi per cælestem Dei providentiam et correctionem.

13. VADAM AD FACIEM PRINCIPIS HOLOFERNIS, UT DICAM ILLI SECRETA EORUM. — Nimirum cives obsessos laborare extrema siti et fame, ideoque murmurare contra suos principes, eosque urgere, ut se dedant Holoferni, etc. Verum dicit : animum hic finis non erat ultimus, sed medius. Hoc enim cogitabat devincire sibi Holofernem, ut sibi devinctum et securum data occasione trucidaret. Nam, ut recte advertit Salianus, notandum hic est in bello justo, quale fuit Judæorum contra Assyrios, non solum apertam vim, sed etiam occultam, et tectam, licitam et justam esse; et eos recte in fraudem induci posse, quos in mortem licet inducere. Dolus et stratagema natura sua indifferens est, et ex fine ad quem refertur, vel aliliam accipit, aut bonitatem. Cum ergo Judithæ finis bonus sit, erit ipse dolus etiam laudabilis; idemque de ornatu et cultu corporis ejus existimandum est.

14. ET ERAT IN OCULIS EORUM STUPOR, QUONIAM

(1) Perdifficile est tamen a mendacio ex omni parte eluelvere Judith, licet eam excusare possimus. Nonne equidem credere potuit errore invincibili mendacium, præ magnitudine rei quam aggrediebatur, contra hostes esse licitum? Nam si doctores christiani, et quidem non parvi ponderis, putarunt mendacium aliquando licitum esse quid mirum si mulier Judæa eodem errore laboraverit, et si Deus qui eam aliunde quasi manu ductabat, in illo errore versari permiserit?

« Quidam, ait S. Thomas loco supra citato, commendantur in Scripturis non propter perfectam virtutem, sed propter quamdam virtutis indolem, scilicet quia apparebat in eis aliquis laudabilis affectus, ex quo movebantur ad quasdam indebita facienda. Ex hoc modo Judith laudatur, non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum quem habuit ad salutem populi, pro qua periculis se exposuit. Quamvis etiam dici possit quod verba ejus veritatem habent secundum aliquem mysticum intellectum. »

PULCHRITUDINEM EJUS MIRABANTUR NIMIS. — Tota ergo mentis eorum detentio abripiebatur, et absorbebatur in contuenda et admiranda eximia ejus pulchritudine, adeo ut aliud videre vel cogitare non possent. Hoc sciebat Judith, ideoque tantum ornatum assumpsit, ut oculos mentesque eorum caperet, captasque falleret, et Holofernem trucidaret, itaque ejus castra dissiparet.

Audi S. Augustinum (vel potius S. Ambrosium aut certe S. Maximum; multi enim sermones S. Ambrosii ad verbum inveniuntur in S. Maximo Taurinensi Episcopo; nam utriusque stylus persimilis est) serm. 228. *De Temp.* qui est *De Judith*: « In qua femina insidiosæ pulchritudinis novitatem hostilis exercitus vehementer exparit, ut in ejus obsequio vires amitterent, arma projicerent, et colla curvarent. Deducitur ad prætorium subjectis ordinibus trans Holofernis, et lugentis victoria civitatis.

Moraliter disce hic quam feminarum aspectus periculosus sit et perniciosus : cujus rei exempla sunt Samson, David, Salomon, et mille alii. Vere *Eccli*, XLII, 14 : « Melior, inquit, est iniquitas viri, quam mulier benefaciens, et mulier confundens in opprobrium. » Vide ibi dicta.

16. DUXERUNTQUE ILLAM AD TABERNACULUM HOLOFERNIS. — Græca addunt : *cum ancillis suis junctoque curru et centum virorum præsidio.* Et mox : *Et exivit* (Holofernes) *in prævestium*, id est, in tentorii vestibulum, *et lampades argenteæ præcedebant eum*; tum quia erat nox, puta crepusculum auroræ, ut patet versu 11; tum quia ignis præferri solebat regibus et principibus Assyriorum, ut dixi *Jeremiæ* I, versu 13.

17. STATIM CAPTUS EST IN SUIS OCULIS HOLOFERNES. — Audi S. Augustinum, *serm.* 278 jam citato : « Quam cum videret Holofernes, solutus est sensibus, animam eum capite perditurus. Jacuit enim dedecus juvenum mulieris vultu captivus, licuit mulieri exarmare juvenes, et debellare victores; sollicitam defendere civitatem, et barbarum subvertere bellatorem. Decepit sincera corruptum, fefellit casta pollutum, pudica perimit adulterum, sobria jugulat ebriosum. Illa enim tam barbaros animos insidiosi sui vultus fraude confuderat, ut eum ligaret multarum arte fabularum, ut redderet inter exercitus victum, et inter arma captivum. » Et paulo inferius : « Quamvis ille bellator armorum tam castissimæ feminæ malesanus attenderet vultum, illa tamen, quare veneraret, de ejus capite cogitabat, quo sublato defectis civibus subveniret, et multa capita tueretur, defenderet, vindicaret. » Vers. 17.

18. UT NON PRO HIS MERITO CONTRA EOS PUGNARE DEBEAMUS. — Græca addunt : *Quoniam non est bonum remanere ex eis virum unum, qui dimissi poterunt decipere omnem terram*, per tam speciosas feminas, qualis est Judith. Ecce verum dicunt, sed fusci; ipsimet enim decepti, ab Hebræis per Judith casi fugatique fuere. Vers. 18.

19. SEDENTEM IN CONOPEO : — ita vocatur cortina sursum in conum acutum desinens, et inferius in rotundum expansa ad arcendum culices. Ita Lyranus; κώνωψ enim est culex, talesque cortinæ lectis castrensibus et portatilibus circumdari solent. Unde Græca habent Holofernem sedisse *super lectum suum in conopeo*. Itali et Galli vocant *Padiglione*. Vers. 19.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judith causam adventus sui Holoferni enundat, et victoriam pollicetur. Assyrii eam laudant o forma et sapientia : Holofernes ingenia ei præmia promittit.

1. Tunc Holofernes dixit ei : Æquo animo esto, et noli pavere in corde tuo; quoniam ego nunquam nocui viro, qui voluit servire Nabuchodonosor regi. 2. Populus autem tuus, si non contempsisset me, non levassem lanceam meam super eum. 3. Nunc autem dic mihi : Qua ex causa recessisti ab illis, et placuit tibi ut venires ad nos? 4. Et dixit illi Judith : Suscipe verba ancillæ tuæ, quoniam si secutus fueris verba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet Dominus tecum. 5. Vivit enim Nabuchodonosor rex terræ, et vivit virtus ejus, quæ est in te, ad correptionem omnium animarum errantium : quoniam non solum homines serviunt illi per te, sed et bestiæ agri obtemperant illi. 6. Nam fortitudo enim animi tui industria universis gentibus, et indicatum est omni sæculo, quoniam tu solus bonus et potens es in omni regno ejus, et disciplina tua omnibus provinciis præmicatur. 7. Nec hoc latet, quod locutus est Achior; nec illud ignoratur, quod ei jusseris venire. 8. Constat enim Deum nostrum sic peccatis offensum, ut mandaverit per Prophetas suos populum, quod tradat eum pro ne-

catis suis. 9. Et quoniam sciunt se offendisse Deum suum filii Israel, tremor tuus super ipsos est. 10. Insuper etiam fames invasit eos : et ab ariditate aquæ jam inter mortuos computantur. 11. Denique hoc ordinant, ut interficiant pecora sua, et bibant sanguinem eorum : 12. et Sancta Domini Dei sui, quæ præcepit Deus non contingi, in frumento, vino et oleo, hæc cogitaverunt impendere, et volunt consumere, quæ nec manibus deberent contingere : ergo quoniam hæc faciunt, certum est quod in perditionem dabuntur. 13. Quod ego ancilla tua cognoscens, fugi ab illis, et misit me Dominus hæc ipsa nuntiare tibi. 14. Ego enim ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te : et exiet ancilla tua, et orabo Deum, 15. et dicet mihi quando eis reddat peccatum suum, et veniens nuntiabo tibi, ut ego adducam te per mediam Jerusalem, et habebis omnem populum Israel, sicut oves quibus non est pastor, et non latrabit vel unus canis contra te : 16. quoniam hæc mihi dicta sunt per providentiam Dei. 17. Et quoniam iratus est illis Deus, hæc ipsa missa sum nuntiare tibi. 18. Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holoferne, et coram pueris ejus, et mirabantur sapientiam ejus, et dicebant alter ad alterum : 19. Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, et in sensu verborum. 20. Et dixit ad illam Holofernes : Benefecit Deus, qui misit te ante populum, ut des illum tu in manibus nostris, 21. et quoniam bona est promissio tua, si fecerit mihi hoc Deus tuus, erit et Deus meus, et tu in domo Nabuchodonosor magna eris, et nomen tuum nominabitur in universa terra.

1. TUNC HOLOFERNES DIXIT EI : ÆQUO ANIMO ESTO. — Animadvertit Holofernes Judithæ timentem et paventem, tum quod femina solitudini assueta inter tot millia virorum armatorum et hostium consisteret, tum quod conscientia tanti facinoris ejus animum meta pulsabat, ne forte non succederet, sed res proderetur, et ipsa capitis periculum adiret. Esto enim, Deo illam animante, spiritus ejus esset intrepidus, caro tamen erat infirma, ac partem mentis inferiorem infirmabat. Ecquid mirum? cum Christus fortissimus passionem aggressurus de se dixerit : « Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, » *Matth.* XXVI, 41.

NUNQUAM NOCUI VIRO, — multo minus mulieri. Mentitur : nam, ut dictum est, cap. III, civitates eorum qui se illi in servos offerebant, destruxit, lucosque excidit.

4. PERFECTAM REM FACIET DOMINUS TECUM, — scilicet perfectam Deus dabit victoriam, non tibi, ut tu putas, o Holofernes, sed mihi et Judæis de te. Est stratagema bellicum, quo Judith Holofernem ambiguitate verborum ludit et illudit, itaque in fraudem et laqueum necis inducit. Nam, ut ait Poeta : « Dolus an virtus quis in hoste requirat? » Sic Apollo Delphicus illusit Pyrrho, eum de victoria contra Romanos consulenti, dicens :

Aio te Æacida Romanos vincere posse.

Quod perperam sibi applicuit Pyrrhus; quasi ipse Romanos esset victurus, cum Apollo intelligeret de Romanis, quod ipsi vincerent Pyrrhum, uti re ipsa vicerunt.

5. VIVIT ENIM NABUCHONOSOR REX TERRÆ, ET VIVIT VIRTUS (robur, fortitudo) EJUS. — Jurat Judith per vitam et virtutem Nabuchodonosoris, sicut Joseph jurat per salutem Pharaonis, *Gen.* XLII, 15.

SED ET BESTIÆ AGRI (pulla equi, cameli, boves, asini, oves, etc.) OBTEMPERANT EI.

6. SUBDITUM EST OMNI SÆCULO, — præsenti, id est toti mundo. Ita Græca.

QUONIAM TU SOLUS BONUS, — benignus et beneficus, juxta illud Christi, *Lucæ* XVIII, 25 : « Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici (Principes) vocantur. » Hinc Præsidium epitheton erat optimus, ut optimus Felix, optimus Festus. Vide dicta *Actorum* cap. XXIV, vers. 3.

Sensus ergo est, *q. d.* Tu solus es verus, magnusque princeps in regno Nabuchodonosoris, utpote benignus et liberalis æque ac potens, ideoque Nabuchodonosor sua omnia tibi commisit. Aliqui « bonus » exponunt *fortis*.

8. UT MANDAVERIT PER PROPHETAS SUOS. — Misit enim Deus Eliam, Eliseum, Isaiam, Osee, Jeremiam, cæterosque Prophetas, qui Israelis idola et scelera castigarent, eisque excidium per Assyrios, Chaldæos aliosque hostes comminarentur et prædicerent.

10. FAMES INVASIT EOS, — quia ubi laboratur sitî, ibi et fame; cibus enim sine potu a sitienti humectari et comedi nequit.

11. ET BIBANT SANGUINEM EORUM, — pro aqua, qua carent ad restinguendam extremam sitim; sanguinis autem esus et potus erat Judæis a Deo vetitus sub pœna mortis, ut patet *Levit.* XVII.

12. ET SANCTA DOMINI (ea quæ Deo sanctificata, id est dicta et consecrata sunt) HÆC COGITAVERUNT IMPENDERE, — ad extremam sitim famemque suam levandam.

ERGO QUONIAM HÆC FACIUNT CERTUM EST QUOD IN PERDITIONEM DABUNTUR. — Certum est, si causas naturales et cursum rerum ordinarium spectes : fames enim et sitis cogent eos ad interitum. Idem facient peccata eorum, quibus iram et vindictam Dei mererentur, nisi quis sanctus iram Dei mitiget, uti ego eam meis precibus me mitigaturum spero.

13. MISIT ME DOMINUS HÆC IPSA NUNTIARE TIBI. — Miserat enim Deus Judith ad Holofernem, ut hæc ei nuntiando gratiam ejus sibi conciliaret, qua habita eum meante per pium dolum occideret.

14 et 15. ET ORABO DEUM, ET DICET MIHI QUANDO EIS REDDAT PECCATUM SUUM, ET VENIENS ANNUNTIABO TIBI, ITA UT EGO ADDUCAM TE PER MEDIAM JERUSALEM, ET HABEBIS OMNEM POPULUM ISRAEL, SICUT OVES, QUIBUS NON EST PASTOR. ET NON LATRABIT VEL UNUS CANIS CONTRA TE. — Multi censent Judith hic non posse excusari a mendaciis. Verum excuso eam duplici modo et titulo. Prior est, quod ipsa loquitur secundum causas naturales, et communem naturæ cursum quo Judæis ad extrema redactis, et in offensa, iraque Dei constitutis, necessario erat pereundum, nisi Deus supernaturali vel extraordinario quodam modo eis succurreret. Sic Eliseus Hazaeli roganti de salute Benadad regis ægrotantis, respondit eum sanandum, sed tamen moriturum; quia scilicet quantum erat ex vi morbi, is non erat lethalis; quare ex eo sanandus erat, sed tamen moriturus, quia suffocandus ab Hazaele, IV *Reg.* VIII, 10.

Sic hic Judith asserit ab Holoferne perdendos Hebræos ob peccata sua, quia humanis viribus ejus manus evadere non poterant; erant tamen evasuri per preces Judith et sacerdotum, quibus opem Dei cœlestem poscebant et impetrabant.

Sensus ergo est, *q. d.* Hebræi, si causas naturales spectes, plane sunt perdendi, et a te subjugandi ob peccata sua. Quare ego orabo Deum pro hoc negotio, et si quidem velit omnino eos perdere, idque, ut solet, indicet mihi, velitque ut idipsum tibi edicam, uti videtur futurum, si communem providentiæ Dei cursum spectes : ego idipsum ex mente Dei annuntiabo tibi, ita ut adducam te per mediam Jerusalem, totumque populum tibi subjiciam. Deo enim ita volenti et ordinanti me omnino parere oportet, etiam cum damno et interitu populi mei; si enim ipse me velit quasi virga uti ad castigandum eum, ego ut virga ei in hac castigatione subservire debeo et volo. Simili enim modo castigavit Deus Roboam et Judæos, creando per Ahiam Prophetam regem Jeroboam, eique tradendo regnum decem tribuum Israel. Sic Deus per Isaiam, cap. XLV, evocavit Cyrum ad castiganda crimina multarum gentium. Sic per Jeremiam evocavit Nabuchodonosor et Chaldæos ad excidium Jerusalem; quod proinde Jeremias crebro et assidue Judæis comminatus est, adeoque suasit ut Nabuchodonosori obsidenti se dederent, ipsos enim ejus manus evadere non posse, eo quod hæc sit justa Dei voluntas et scelerum castigatio. Unde Nabuchodonosor, resciens hæc Jeremiæ oracula, Jerusalem per 14

menses obsedit, donec eam caperet, qua capta, jussit Jeremiam benigne haberi, et ob hæc sua de se oracula, libertate donari, ut patet *Jerem.* XXXIX, 11; imo Abulensis in lib. IV *Reg.* cap. XXIV, *Quæst.* VII, et *Isaiæ* cap. V, vers. 25, et cap. X, vers. 5, probabile esse censet Nabuchodonosorem, Salmanasarem, et similes ex Dei revelatione et jussu subjugasse Judæos, qua de re plura dixi *Proœmio in Isaiam*, can. 36 et 37. Sic S. Lupus, Attilam Hunnorum regem Trecensem urbem (cujus ipse erat Episcopus) obsidentem, rogans quid esset et quid vellet, audiensque : « Ego sum Attila Rex Hunnorum flagellum Dei; veni ergo, inquit, Dei mei flagellum, illoque utere, ut Deus tibi concedit; itaque eum per mediam urbem deduxit, sed quasi oculis et mente captum, ut nulli incolarum noceret, uti ex vita S. Lupi aliisque recenset Baronius, tom. VI, anno Christi 451. Idem ergo Judith facere poterat Holoferni, imo debebat, si id ei Deus jussisset. Sed sciebat Judith Deum hoc sibi non jussurum, imo contrarium facturum, ut per hanc simulationem proderet Holofernem. Verum hoc ipsa ei indicare non voluit, nec debuit.

Posterior modus excusandi Judith a mendacio est, dicendo quod ipsa ambiguis verbis usa sit, quæ sibi Holofernes attribuebat, cum ea Judith sibi et Judæis ascribebat. Ait ergo : ORABO DEUM, ET DICET MIHI QUANDO EIS REDDAT PECCATUM SUUM, (si nimirum eos pro meritis, ut videtur, punire decrevit. Scio autem ex Dei revelatione, quod hoc tempore eos non puniet; sed hoc nunc mihi silendum est, nec tibi indicare queo, mox tamen veniens nuntiabo tibi Dei voluntatem et decretum de differenda castigatione peccati Judæorum, et acceleranda castigatione tua tyrannidis, Judæos injuste invadentis; hoc enim nuntiabo tibi non verbo, sed facto, cum tibi lethale vulnus infligam, ait S. Augustinus) ET ADDUCAM TE (non vinciendum et triumphantem, uti tu putas, sed victum, occisum et triumphatum, cum caput tuum truncatum adducam in Bethuliam, indeque) PER MEDIAM JERUSALEM, — cæteramque Judæam victrix cum triumpho ad communem Judæorum gaudium circumducam.

ET HABEBIS OMNEM POPULUM ISRAELIS, SICUT OVES QUIBUS NON EST PASTOR, (cum te occiso Bethulienses nullo servato ordine, sine pastore et duce erumpent, ut Assyrios prosequantur ac castra diripiant. Quare) TUNC NON LATRABIT VEL UNUS CANIS CONTRA TE, — quia canes non allatrant mortuos (qualis tu eris), sed vivos. Sic ergo verba Judith, partim ironice, partim amphibologice, partim prophetice accepta, carent mendacio, utrumque habent sensum. Ita Serarius, Sanchez, Salianus et alii.

Sic Agathocles Syracusas obsidens, comminans obsessis se postridie in urbe cœnaturum, verus, sed contra mentem suam fuit vates; nam erumpentibus civibus, in urbem inductus, in ea cœnavit non ut victor, sed ut victus et captivus. Hoc

est quod ait S. Augustinus, serm. 229 *De Temp.* qui est *De Judith* : « Non decuit pudicam mentiri; non intelligentibus dixit, actibus fecit quod promisit. »

Vers. 16. 16. QUONIAM HÆC MIHI DICTA SUNT PER PROVIDENTIAM DEI. — Hæc ergo dixit et direxit Judith, ut diceret et faceret omnia quæ dixit et fecit. Quare ipsa non est mentita : Deus enim mentiri nequit.

Vers. 19. 19. NON EST TALIS MULIER SUPER TERRAM. — Audi S. Augustinum, *serm.* 229 jam citato : « Dum regi alto sermone imaginariis verbis blanditur bellator, animus lascivia solvitur in amore armorum, torpent vires innumerabiles militum luxu regifico, nuptiarum pompa nullo nubente construitur, cuncti ebrietate solvuntur. Non delicata matrona pugnavit, sed sopor tibi, quem feriæ præparavit. »

21. SI FECERIT NIHI HOC DEUS TEUS (ut mihi subjuget Jerusalem et Judæos), ERIT ET DEUS MEUS, — *q. d.* Fiam proselytus et Judæus, colamque Deum verum Israelis. Ecce quam potens et efficax fuit peroratio Judith coram Holoferne.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Holofernes invitat Judith per quatriduum vacare sibi, orationi, et jejunio, ac noctu egredi quoties velit; tandem quarto vespere Holofernes cum Judith convivatur, ac ejus amore se inebriat.

1. Tunc jussit eam introire ubi repositi erant thesauri ejus, et jussit illic manere eam, et constituit quid daretur illi de convivio suo. 2. Cui respondit Judith, et dixit : Nunc non potero manducare ex his quæ mihi præcipis tribui, ne veniat super me offensio : ex his autem, quæ mihi detuli, manducabo. 3. Cui Holofernes ait : Si defecerint tibi ista quæ tecum detulisti, quid faciemus tibi ? 4. Et dixit Judith : Vivit anima tua, Domine meus, quoniam non expendet omnia hæc ancilla tua, donec faciat Deus in manu mea hæc quæ cogitavi. Et induxerunt illam servi ejus in tabernaculum quod præceperat. 5. Et petiit, dum introiret, ut daretur ei copia nocte, et ante lucem egredi foras ad orationem, et deprecandi Dominum. 6. Et præcepit cubiculariis suis, ut sicut placeret illi, exiret et introiret ad adorandum Deum suum, per triduum : 7. et exibat noctibus in vallem Bethuliæ, et baptizabat se in fonte aquæ. 8. Et ut ascendebat, orabat Dominum Deum Israel, ut dirigeret viam ejus ad liberationem populi sui. 9. Et introgressa, manebat in tabernaculo, usque dum acciperet escam suam in vespere. 10. Et factum est, in quarto die Holofernes fecit cœnam servis suis, et dixit ad Vagao eunuchum suum : Vade, et suade Hebræam illam, ut sponte consentiat habitare mecum. 11. Fœdum est enim apud Assyrios, si femina irrideat virum, agendo ut immunis ab eo transeat. 12. Tunc introivit Vagao ad Judith, et dixit : Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, ut honorificetur ante faciem ejus, ut manducet cum eo, et bibat vinum in jucunditate. 13. Cui Judith respondit : Quis ego sum, ut contradicam Domino meo? 14. Omne quod erit ante oculos ejus bonum et optimum faciam. Quidquid autem illi placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ. 15. Et surrexit, et ornavit se vestimento suo, et ingressa stetit ante faciem ejus. 16 Cor autem Holofernis concussum est : erat enim animo ad concupiscentia ejus. 17. Et dixit ad eam Holofernes : Bibe nunc, et accumbe in jucunditate, quoniam invenisti gratiam coram me. 18. Et dixit Judith : Bibam, Domine, quoniam magnificata est anima mea hodie præ omnibus diebus meis. 19. Et accepit, et manducavit, et bibit coram ipso, ea quæ paraverat illi ancilla ejus. 20. Et jucundus factus est Holofernes ad eam, bibitque vinum multum nimis, quantum non quam biberat in vita sua.

2. NE VENIAT SUPER ME OFFENSIO. — Græce σκάνδαλον, *q. d.* Ne, si comedam cibos Gentilium Judæis vetitos, Deum offendam; itaque pœnam acquiram et scandalum, id est tragulam et impedimentum, ut Deus per me non efficiat id quod ad commune bonum facere decrevit.

5. ET PETIIT, DUM INTROIRET, UT DARETUR EI COPIA NOCTE, ET ANTE LUCEM (quando vellet), EGREDIENDI FORAS AD ORATIONEM. — Petiit id Judith, tum ut oratione et jejunio præpararet et armaret se ad heroicam fortitudinem aggrediendi tantum facinus, quod mente destinarat : tum ut animos, modosque, et rationes illud exsequendi a Deo hauriret; tum denique ut peracto facinore libere sibi daretur regressus in Bethuliam, eo quod custodes cogitarent eam more solito egredi ad orationem.

7. ET BAPTIZABAT SE (abluebat manus et pedes) IN FONTE AQUÆ. — Mos erat Judæis ante orationem abluere manus, pedes et quandoque totum corpus, tum ut puro corpore et animo ad Deum accederent; puritas enim corporis admonebat eos puritatis animi. Idem faciebant olim Christiani, ut dixi I *Tim.* II, 8, ad illa : « Levantes puras manus, » tum, ut si quid immundi tetigissent et irregularitatem legalem contraxisset, ab illa se per lotionem expiarent.

Porro fons hic juxta Bethuliam etiamnum extat, et a peregrinis visitur, teste Adrichomio in Bethulia.

9. USQUE DUM ACCIPERET ESCAM SUAM IN VESPERE. — Jejunabat ergo Judith a mane in vesperam; vespere sumebat cibum, ac post eum noctu egrediebatur ad orationem in ea pernoctans. His armis se ad heroicum suum opus charmavit. Audi S. Ambrosium, lib. *De viduis* : « Quid sobrietatem loquar? Temperantia enim virtus est feminarum. Inebriatis vino viris, et somno segnitiis abstulit vidua gladium, exeruit manum, bellatoris abscidit caput, per medias hostium acies intemerata processit. Advertitis igitur quantum mulieribus nocere possit ebrietas, quando viros vina sic solvunt, ut vincantur a feminis? Esto igitur vidua temperans, casta primum a vino, ut casta possis esse ab adultero : nequaquam te ille tentabit, si vina non tentent. Nam si Judith bibisset, dormisset cum adultero. Sed quia non bibit, haud difficile ebrios exercitus unius sobrietas, et vincere potuit et eludere. »

10. DIXIT AD VAGAO EUNUCHUM SUUM. — Vagao sive Bagao non tam est nomen proprium, ut volt Serarius, quam commune Persis significans Eunuchum. Unde Pagninus in *Nominibus Hebraicis*, Vagao, inquit, idem est quod interior vel intimus, scilicet eunuchus sive cubicularius; *gahaa* enim Chaldæis est interius vel intestinum, vel Vagao idem est quod elatus sive elevatus a radice, נוּג quo, id est elevare. Eunuchi enim erant primi in aula apud reges, imo eorum cubicularii et secretorum conscii, ac lenocinii amasiarum administri; eorum enim libidini lenocinantes speciosas feminas eis adducebant, uti fecit hic Vagao.

Id ita esse docet Plinius, lib. XIII, cap. IV, ubi ait spadones apud Persas vocari Bagoa. Et Ovidius, lib. II *Ars. Eleg.* :

> Quem penes est Dominam servandi cura Bagoi,
> Dum peragit tecum pauca, sed apta, vaca.

Et Esther cap. II, vers. 3. Egeus (sive Vagao) fuit eunuchus Assueri regis, præfectus gynæceo. Sic, teste Curtio, lib. X, nequissimus Alexandri magni eunuchus fuit Bagoas, qui falsis criminationibus Orsinem Persarum satrapam Alexandro interficiendum dedit. Fuit quoque Bagoas Herodis eunuchus. Porro errat Severus Sulpitius, qui Judithæ historiam refert ad tempora Artaxerxis Ochi, eo quod ipse habuerit eunuchum nomine Bagao.

11. FŒDUM EST ENIM APUD ASSYRIOS, SI FEMINA IRRIDEAT VIRUM, AGENDO UT IMMUNIS AB EO TRANSEAT. — Vide hic corruptissimos et impurissimos Assyriorum et Persarum mores, quibus libido adeo erat honesta, ut per omnes feminas grassaretur, adeo ut apud eos fœdum haberetur aliquam intactam relinqui. O tempora! Audi Ammianum Marcellum lib. XXIII *de Persis* : « Effusius, inquit, plerique soliti solvi in Venerem, ægreque contenti multitudine pellicum puerilium stuprorum expertes pro opibus quisque adsiscere matrimonia plura, vel pauca. Unde apud eos per libidines varias charitas dispersa torpescit. » Idem tradit Strabo, lib. XV ad finem, et Cicero, actione V *in Verrem*. Audi scelera magis fœda. Theodoretus, *Quæstion.* XXIV *in Levit.* : « Persæ, ait, in hunc usque diem non sororibus solum, sed etiam matribus ac filiabus, nuptiarum lege permiscentur. » Idem de Medis, Indis et Æthiopibus tradit S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovin.* Unde Euripides in Andromede :

> Tale, *ait*, est omne barbarorum genus;
> Pater cum filia, filius cum matre
> Miscetur, soror cum fratre.

Mirum ergo non est quod Persæ plures habuerint uxores, ideoque Judith Holoferni hanc formosi conjugii escam objecerit, qua eum ut piscem hamo suo caperet et necaret.

14. QUINQUID AUTEM ILLI PLACUERIT (intellige, si sit licitum, nec a Deo meo vetitum) HOC MIHI ERIT OPTIMUM, — ut si me velit uxorem, non abnuam eum maritum, quem principem tantum esse scio, ut ex ejus thalamo evehendi sim in Ducissam et Principissam; dat spem conjugii, ut sui amantem fallat, et quasi hostem populi sui occidat (1).

18. BIBAM, DOMINE. — ex vino non tuo, sed meo, quod mecum ex Bethulia hac de causa tuli, ne

(1) Judith, pro more Orientis, blandissimo et demisso verborum obsequio respondet, invitationem ad mensam eum Holoferne sedendi unice intendens. Cæterum ejusmodi sponsiones stricte non sunt accipiendæ, continentque semper occultum quemdam sensum et conditionem. « Omne, inquit, quod est ante oculos ejus bonum et optimum faciam, » scilicet ut permiserit officium meum, pudicitia, religio.

vino ciboque Gentilium polluerer. Unde sequitur: MANDUCAVIT ET BIBIT CORAM IPSO EA QUÆ PARAVERAT ILLI ANCILLA EJUS. — Unde videtur Judith in alia mensa accubuisse, quæ vicina esset mensæ Holofernis, ita ut coram ipso manducaret et biberet; non enim decebat ipsam in mensa tanti principis cum eo accumbere. Unde Græca habent : *Et accessit ancilla ejus, et stravit ei ante Holofernem humi pelles, quas acceperat a Bagoa, ad quotidianum usum suum, ut manducaret, accumbens super eas.* Sic etiamnum nonnullæ gentes, ac nuper Mulcasses rex Tunetanus coram Carolo V, humi sedens, prandebat. Bibit ergo coram Holoferne Judith, ut omnem eædis et odii suspicionem Holoferni eximeret, utque eum ad largius bibendum provocaret, itaque ex potu somno consopitum trucidaret, atque ut ex vino spiritus et animos, viresque hauriret ad aggrediendum tam arduum facinus. Erat enim jejuna, et ex jejunio debilis et languida.

BIBITQUE VINUM MULTUM NIMIS, QUANTUM NUNQUAM BIBERAT IN VITA SUA. — Græce, *ex quo natus erat.* Dei providentia id factum, ut sopitus vino Judithæ non tangeret, sed illa sobria et casta maneas eum perimeret. Vide hic quam gaudiis vicina sint tristia, quamque convivia et crapula in funus mortemque desinant, ac « Extrema gaudii luctus occupet. » En tibi Holofernes deliciis adipatus, vino immersus, musicorum harmonia exultans, amoribus ebrius, mox a Judith truncatur, et ad inferos, ubi suam crapulam æterna siti in flammis perennantibus digerat, detruditur. Audi S. Ambrosium, lib. *De Elia et jejunio* : « Bibebant vinum in ebrietate potentes, qui Holoferni principi militiæ regis Assyriorum se tradere gestiebant; sed non bibebat femina Judith jejunans omnibus diebus viduitatis suæ, præter festorum dierum solemnitates. His armis munita processit, et omnem Assyriorum circumvenit exercitum. Sobrii vigore consilii abstulit Holofernis caput, servavit pudicitiam, victoriam reportavit. Hæc enim succincta jejunio, in castris prætendebat alienis; ille vino sepultus jacebat ut ictum vulneris sentire non posset. Itaque unius mulieris jejunium, innumeros stravit exercitus Assyriorum. »

Præclare S. Basilius, homilia 14 *De ebrietate* : « Ebrietas, ait, dæmon est voluntarius ex voluptate animabus nostris inditus. Ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperato facit lascivum, justitiam ignorat, prudentiam exstinguit. »

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judith orans capite truncat Holofernem, caput in Bethuliam defert. Quare Ozias princeps, Achior, cæterique omnes Deum glorificant, et Judithæ hymnum canunt.

1. Ut autem sero factum est, festinaverunt servi illius ad hospitia sua, et conclusit Vagao ostia cubiculi, et abiit. 2. Erant autem omnes fatigati a vino : 3. eratque Judith sola in cubiculo. 4. Porro Holofernes jacebat in lecto, nimia ebrietate sopitus. 5. Dixitque Judith puellæ suæ, ut staret foris ante cubiculum, et observaret. 6. Stetitque Judith ante lectum, orans cum lacrymis, et labiorum motu in silentio, 7. dicens : Confirma me, Domine Deus Israel, et respice in hac hora ad opera manuum mearum, ut, sicut promisisti, Jerusalem civitatem tuam erigas : et hoc quod credens per te posse fieri cogitavi, perficiam. 8. Et cum hæc dixisset, accessit ad columnam quæ erat ad caput lectuli ejus, et pugionem ejus, qui in ea ligatus pendebat, exolvit. 9. Cumque evaginasset illum, apprehendit comam capitis ejus, et ait : Confirma me, Domine Deus, in hac hora. 10. Et percussit bis in cervicem ejus, et abscidit caput ejus, et abstulit conopeum ejus a columnis, et evolvit corpus ejus truncum. 11. Et post pusillum exivit, et tradidit caput Holofernis ancillæ suæ, et jussit ut mitteret illud in peram suam. 12. Et exierunt duæ, secundum consuetudinem suam, quasi ad orationem, et transierunt castra, et gyrantes vallem, venerunt ad portam civitatis. 13. Et dixit Judith a longe custodibus murorum : Aperite portas, quoniam nobiscum est Deus, qui fecit virtutem in Israel. 14. Et factum est, cum audissent viri vocem ejus, vocaverunt presbyteros civitatis. 15. Et concurrerunt ad eam omnes, a minimo usque ad maximum : quoniam sperabant eam jam non esse venturam. 16. Et accendentes luminaria congyraverunt circa eam universi : illa autem ascendens in eminentiorem locum, jussit fieri silentium. Cumque omnes tacuissent, 17. dixit Judith : Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se; 18. et in me ancilla sua adimplevit misericordiam suam, quam promisit domui Israel : et interfecit in manu mea hostem populi sui hac nocte. 19. Et proferens de pera caput Holofernis, ostendit illis, dicens : Ecce caput Holofernis principis militiæ Assyriorum, et ecce conopeum illius, in quo recumbebat in ebrietate sua, ubi per manum feminæ percussit illum Dominus Deus noster. 20. Vivit autem ipse Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem, et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me vobis, gaudentem in victoria sua, in evasione mea, et in liberatione vestra. 21. Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. 22. Universi autem adorantes Dominum, dixerunt ad eam : Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. 23. Porro Ozias princeps populi Israel, dixit ad eam : Benedicta es tu filia a Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram. 24. Benedictus Dominus, qui creavit cœlum et terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum : 25. quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum, pro quibus non pepercisti animæ tuæ, propter angustias et tribulationem generis tui, sed subvenisti ruinæ ante conspectum Dei nostri. 26. Et dixit omnis populus : Fiat, fiat. 27. Porro Achior vocatus venit, et dixit ei Judith : Deus Israel, cui tu testimonium dedisti, quod ulciscatur se de inimicis suis, ipse caput omnium incredulorum incidit hac nocte in manu mea. 28. Et ut probes quia ita est, ecce caput Holofernis, qui in contemptu superbiæ suæ Deum Israel contempsit, et tibi interitum minabatur, dicens : Cum captus fuerit populus Israel, gladio perforari præcipiam latera tua. 29. Videns autem Achior caput Holofernis, angustiatus præ pavore, cecidit in faciem suam super terram, et æstuavit anima ejus. 30. Postea vero quam resumpto spiritu recreatus est, procidit ad pedes ejus, et adoravit eam, et dixit : 31. Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Jacob, quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel.

1. FESTINAVERUNT SERVI ILLIUS AD HOSPITIA SUA, — ne ebrii et grassu vacillantes visi a populo irriderentur, sed domi in lecto dormientes vinum crapulamque digererent. « Erant enim omnes fatigati a vino, » vers. 3; *Vatabl.*, *eo quod omnes defecissi essent longa computatione.* Erit hoc fiet propterea quod omnes vino consopiti abirent, et somnum captarent, ne quis vigilaret et audiret id quod Judith machinabatur. Vide hic rursum quam cula et crapula sit improvida, faciatque ut omnes sopiantur, ita ut nemo vicinum ante fores Holofernis (uti fieri solet) excubet.

5. DIXITQUE JUDITH PUELLÆ SUÆ, UT STARET FORIS ANTE CUBICULUM, ET OBSERVARET, — ne quis propius ad cubiculum accederet, et audiret ea quæ ipsa in cubiculo, mactando Holofernem, agebat. Græca uberius habent : *Et dixit Judith servæ suæ stare extra cubiculum ipsius, et observare exitum ejus, sicut quotidie. Exire enim dixit ad orationem suam. Et Bagoæ locuta est juxta verba hæc. Et abierunt omnes a facie Domini sui, et nemo remansit in cubiculo a parvo usque ad magnum.*

6. ORANS CUM LACRYMIS. — Rem enim inauditam plenam periculo, ac vires animosque feminæ superantem aggrediebatur : quare a Deo robur et audaciam lacrymans poscebat, dicens : « Confirma me, Domine Deus. » Græca plenius habent : *Domine Deus omnis virtutis, respice in hora hac super opera manuum mearum in exaltationem Jerusalem : quoniam nunc tempus suscipere hæreditatem tuam, et facere studium meum in quassationem hostium, qui insurrexerunt nobis.*

8. ET PUGIONEM EJUS. — Græce : *Et cultrum ejus*, hoc est gladium Persicum, brevem et recurvum, quales nunc sunt gladii Turcarum, vulgo *cimitarræ* vocantur. Hinc liquet Holofernem fuisse Persam, ut tradit Cedrenus.

9. APPREHENDIT COMAM CAPITIS EJUS, — ut certius fortiusque eum feriret, ne ipse aliqua corporis agitatione et motu, qui in somnis dormientibus obvenit, ictum declinaret aut infringeret : manu ergo sinistra tenuit comam, ut caput retineret immotum ad ictum vibrantis dexteræ recipiendum. Porro Persas prolixam comam alere solitos docet Xenophon lib. I *Cyropædiæ*, et Herodotus lib. I, ubi Persas vocat κομήτας, id est, crinitos et comatos.

10. ET PERCUSSIT BIS IN CERVICEM EJUS, — non punctim, sed cæsim, ut caput jacentis, et stertentis amputaret : quare totis connis

acinacem in collum Holofernis impegit, ac secundo ictu caput ab humeris resecuit (1). Unde Græca habent : *Et percussit in cervicem ejus bis in fortitudine sua.* Mirum est S. Augustinum *serm.* 228, pro « bis » legere « ter. » Simili modo Attila rex Hunnorum superbissimus, qui se nominabat flagellum Dei, et in aciem educebat septingenta armatorum millia, adhoque Theodosium imperatorem sibi tributum pendere cogebat, ac spe totius orbis imperium devorabat, a Deo superbos humiliante per feminam occisus est. Apud Baronium anno Christi 454 : « Hoc anno Æthio adhuc vivente, Attila, inquit Marcellinus, Æthi hortatu, noctu mulieris manu cultro confoditur. » Ita terror orbis, qui viros omnes despiciebat, feminæ unius manu occidit. Sic et Abimelech rex, vel potius tyrannus Sichimorum, interfectus est a femina, quæ fragmine molæ ei cerebrum comminuit, *Judic.* IX, 53.

Et ABSCIDIT CAPUT EJUS, — ut illud secum deferret, et in trophæum muris Bethuliæ affigeret, itaque metu Assyrios percelleret, et in fugam compelleret, uti reipsa confecit : ita Judith sobria ebriam, casta incestum, fidelis infidelem, justa injustum, humilis superbum, pia impium truncavit : imo verius sobrietas ebrietatem, castitas libidinem, fides perfidiam, justitia injustitiam, humilitas superbiam, pietas impietatem mactavit. Ita S. Fulgentius, epist. 2 *De statu viduali* : « Denique, cum Holofernes innumero Bethuliam obsidens exercitu, et omnis Israelitarum virtus perturbata languesceret, egreditur castitas oppugnatura lasciviam, et ad interitum superbiæ humilitas sancta procedit. Ille pugnabat armis, ista jejuniis ; ille ebrietate, ista oratione. Igitur quod omnis Israelitarum populus facere non potuit, sancta vidua castitatis virtute perfecit. Obtruncavit una mulier tanti agminis ducem, et insperatam Dei populo reddidit libertatem. »

Audi S. Ambrosium lib. III *Offic.* cap. XIII : *Primus triumphus ejus fuit*, quod integrum pudorem de tabernaculo hostis revexit. *Secundus*, quod femina de vino reportavit victoriam, fugavit populos consilio suo. Horruerunt Persæ audaciam ejus. Utique (quod in illis Pythagoreis duobus miratur), non expavit mortis periculum ; sed nec pudoris, quod est gravius bonis feminis : non unius ictum carnificis, sed nec totius exercitus tela trepidavit. Stetit inter cuneos bellatorum femina, inter victricia arma, secura mortis. Quantum ad molem spectat periculi, moritura processit : quantum ad fidem, dimicatura. Honestatem igitur secuta est Judith, et dum eam insequitur, utilitatem etiam invenit. » Causas honestatis, sive virtutis multiplicis in Judith subjicit, dicens : « Honestatis enim fuit prohibere ne populus Dei profanis se dederet, ne ritus patrios et sacramenta proderet, ne sacras virgines, viduas graves, pudicas matronas barbaricæ subjiceret impuritati, ne obsidionem dedidione solveret. Honestatis fuit se malle pro omnibus periclitari, ut omnes eximeret periculo. Quanta honestatis auctoritas, ut consilium de summis rebus feminea sibi vindicaret, nec principibus populi committeret ! Quanta honestatis auctoritas, ut Deum adjutorem præsumeret ! quanta gratia, ut inveniret ! »

Tropologice tuus Holofernes est gula, superbia, luxuria, avaritia, ira, acedia. Hanc generose superа et mactа, ac tuum Holofernem mactasti.

Allegorice Holofernes typus est Diaboli, cujus caput vera Judith, id est B. Virgo contrivit juxta oraculum a Deo editum, *Genes.* III. Judith Holofernem terrorem Orientis singulari certamine, quasi in duello, suo ipsius acinace sine vulnere velut ludibunda cecidit, et quod magis fuit arduum, pudicitiam e mediis impudicorum castris intactam, et opimis spoliis triumphantem reduxit. At B. Virgo innumeras dæmonum phalanges duello singulari prostravit, et in dies prosternit, et castitatis triumphum non tantum in se, sed in omnibus virginibus castisque sui assecla celebravit et celebrat : imo, quod omnia jura naturæ superat, Virgo simul est, et Mater Dei ; ac una trino cognomine gaudet :

UNA Dei parilem filia, sponsa, parens.

Judithæ acclamarunt Assyrii : « Non est talis mulier super terram. » Et : « Nomen tuum memorabitur in universa terra. » B. Virgini quotidie in ejus hymnis acclamat Ecclesia : « Beatam te dicent omnes generationes. » Judith forma fuit admirabili, ut ad eam omnes obstupescerent. B. Virgini accinit Ecclesia : « Diffusa est gratia in labiis tuis, speciosa et suavis facta es in deliciis tuis, sancta Dei genitrix ; » imo Christus ipse *in Cant.* : « Tota pulchra es, amica mea, formosa mea, columba mea. » Porro Judithæ pulchritudo Holofernem excitavit ad luxuriam : at B. Virginis forma intuentes excitabat ad castitatem. Audi S. Ambrosium lib. *De institutione virginum*, cap. VII : « Cujus (inquit loquens de Virgine) tanta erat gratia, ut non solum in se virginitatis gratiam servaret, sed etiam his quos viseret integritatis insigne conferret. Visitavit Joannem Baptistam, nec immerito mansit integer corpore, quem in tribus mensibus, oleo quodam suæ præsentiæ et integritatis unguento Domini mater exercuit. » Ita S. Ambrosius et S. Thomas III *Sententiarum*, dist. III, *Quæst.* II, ad 4 : « Pulchritudo, inquit, B. Virginis

(1) Grave nimium quibusdam videtur quod Judith Holofernem ebrium interfecerit. Sed longe aliter sentient, si advertere velint : *primo*, peccatores istiusmodi omnes posse omni momento justissime a Deo sempiternis addici suppliciis ; *secundo*, cum justum bellum divinisque legibus consentaneum est, licere hostem, ubi et quando sese offert occasio, necare, tamque quisquis necat, divinæ justitiæ ministrum esse ; *tertio*, quod hostis ille vel ebrietate vel alio peccato astrictus moriatur, et sic in æterna gehennæ tormenta miser abeat, hoc ad ipsius, non ad ejus qui eum dum interficit, jure suo utitur, culpam pertinere.

intuentes ad castitatem excitabat. » Idem enim docet Glossa, sermone *De Conceptione beatæ Virginis*, quod quidem ex peculiari Dei dono concessum est.

Juditham timuerunt et fugerunt Assyrii : B. Virginem timent omnes dæmones et impii. Unde S. Bernardus citatus a S. Bonaventura *in Speculo B. Virginis*, cap. IX : « Non sic, inquit, timent hostes visibiles quasi exercitum aciem copiosam, sicut aereas potestates Mariæ vocabulum, patrocinium et exemplum : fluunt et pereunt sicut cera a facie ignis, ubicumque inveninut crebram hujus nominis recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem. »

Judith clausa in oratorio Deum suis jejuniis, ciliciis, precibus, lacrymis Israeli conciliavit : Beata Virgo clausa in cubiculo, ac jejuniis et gemitibus inenarrabilibus obsecrans Deum pro mundi reconciliatione, meruit Angelum pacis paranymphum excipere, qui eam hujus pacis mediatricem per Verbi in ea incarnationem annuntiaret. Judithæ victrici acclamavit populus : « Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri ; quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum. » Idem et longe majora B. Virgini accinunt Patres, Doctores et omnes Orthodoxi.

Et ABSTULIT CONOPEUM, — una cum capite, ut ex eo qui norant Holofernem, agnoscerent caput illud esse illius, non calonis, vel mancipii cujuspiam ; simul ut conopeum tot gemmis intextum victoriæ tantæ esset spolium simul et trophæum.

Et EVOLVIT CORPUS TRUNCUM. — Græce : *et revolvit corpus ejus e lecto*, scilicet in pavimentum. Unde postea veniens Vagao, vidit corpus suum in suo sanguine cruentum et saniosum jacere in terra. Fecit id Judith, ut Hebræis ex urbe erumpentibus Assyrii confugientes ad Holofernem eum in terra truncum videntes, metu obstupescerent, et obrigescerent, ut arma capere et Hebræis resistere non auderent.

11. Et POST PUSILLUM EXIVIT, — quia paulisper consedit ad respirandum : omnes enim vires et spiritus exeruerat in crassa Holofernis cervice truncanda ; sed et metus periculi, ne facinus innotesceret, spiritum ei intercluserat, ut eum sedendo et respirando recolligere opus foret. Simul id fecit, ut si quid cruoris vesti suæ adhæsisset, illud abstergeret ; ac præsertim, ut statim Deo pro hoste tam feliciter cæso summas ageret gratias.

15. QUONIAM SPERABANT (id est timebant. Sic Poeta ait :

Et sperate (id est, timete) deos memores fandi atque nefandi.

RAM NON ESSE VENTURAM, — sed captivam ab Assyriis detineri. Insolito ergo nuntio redibus Judith, exciti omnes concurrerunt ; tum ut eam, de qua desperarant, viderent ; tum ut ab ea audirent quid ab ea gestum foret, quidve spei obsessis et ad extrema reductis affulgeret.

20. VIVIT AUTEM IPSE DOMINUS (id est juro per vitam Dei), QUONIAM CUSTODIVIT ME ANGELUS EJUS ET HINC EUNTEM, ET IBI COMMORANTEM, ET INDE HUC REVERTENTEM, ET NON PERMISIT ME DOMINUS ANCILLAM SUAM COINQUINARI. — Jurat Judith se per Angelum custoditam ab omni Assyriorum petulentia et libidine ; quia hoc Hebræis incredibile videbatur, ut femina tam speciosa tam impudicorum manus evaderet. Et certe humanitus id erat impossibile ; Deo autem et Angelis id fuit possibile et facile. Scivit Judith Angelum sibi tutelarem affuisse, sive quod eum aspectabili forma viderit ; sive quod inspirationes ejus assidue audierit, quibus sentiebat se admoneri et dirigi per omnia, ut sciret quid qualibet hora et loco sibi agendum foret et dicendum ; sive quod alia præsentiæ et directionis suæ signa Angelus ei dederit, ut tam heroicum facinus animose aggrederetur, nec de felici ejus successu dubitaret. Sic Angelus visibiliter apparebat, dirigebatque S. Cæciliam cum S. Valeriano sponso ad castitatem et martyrium, æque ac S. Julianum, et Basilium, S. Franciscam Romanam, similesque eximios sanctos, præsertim virgines.

Porro Serarius, Salianus et alii censent hunc Angelum fuisse unum e primis et primariis, propter negotii magnitudinem, in quo totius populi et Ecclesiæ Dei salus vertebatur. Unde nonnulli putant eum fuisse S. Michaelem. Hic enim olim erat protector Synagogæ, sicut nunc Ecclesiæ alii opinantur fuisse sanctum Gabrielem, qui sicut a fortitudine nomen habet (Gabriel enim hebraice idem est quod fortitudo Dei), sic operibus Heroum et Heroinarum generosis et fortibus (quale erat hoc Judith) adest et præest, ut patet *Daniel.* X, 20, ut ipse ait : « Nunc revertar ut prælier (pro Hebræis) adversum Principem Persarum. » Hinc Gabriel fuit nuntius incarnationis Verbi (quod divinæ potentiæ et fortitudinis opus fuit maximum), ideoque custos B. Virginis Deiparæ. Audi beatum Petrum Damianum serm. 4, *de Nativitate B. Virginis*, ubi per thronum Salomonis duobus leonibus stipatum, mystice accipiens B. Virginem : « Duo leones, ait, sunt Gabriel Archangelus, et Joannes Evangelista, quorum alter dexteræ Virginis, alter sinistræ custos deputatus est. Gabriel enim mentem, Joannes carnem pervigili sollicitudine servaverunt. » Lemma pariter fuit hic Judith Holofernem lanians : leo ergo ille natus est Gabriel, qui fortissime et castitatem ejus tutaretur, et dexteram ejus in cæde tyranni roboraret.

Alii hoc facto victoriæ Judith assignant sancto Raphaeli. Hic enim est præses crucifitis ac dux viarum et viatorum æque ac castitatis tutor, ut dixi in Tobia. Ipse ergo Judictham castam, sanam et sanctam duxerit et reduxerit. Porro quod Angeli sanctis et castis heroica destinantibus adsint et præsint, patet ex illis quæ annotavi *Exodi* cap. XXIII, vers. 20 et seq. et *Danielis* cap. X, vers. 20.

21. CONFITEBIMINI ILLI OMNES. — Vide hic modes- Vers. 21.

tiam, gratitudinem, constantiam et pietatem Judithæ, qua totum decus suæ fortitudinis et victoriæ, non sibi, sed Deo adscribit. Porro solebant Hebræi, accepto aliquo insigni beneficio in gratiarum actionem concinere psalmum centesimum decimum septimum. « Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus, » ut nos concinimus : « Te Deum laudamus. »

23. PORRO OZIAS PRINCEPS POPULI ISRAEL DIXIT AD EAM : BENEDICTA ES TU FILIA A DOMINO DEO EXCELSO PRÆ OMNIBUS MULIERIBUS SUPER TERRAM. — Hinc allusit Gabriel Archangelus salutans B. Virginem : « Ave, gratia plena, benedicta tu in mulieribus. » Judith enim fuit umbra et typus B. Virginis; unde sequitur :

25. QUIA HODIE NOMEN TUUM ITA MAGNIFICAVIT, UT NON RECEDAT LAUS TUA (Græce est *spes tua*, id est memoria et laus spei tuæ, qua speravis in Deum, tantam victoriam Israeli peperisti) DE ORE HOMINUM. — Tale prorsus est nomen Beatæ Mariæ, de quo Beatus Petrus Chrysologus, *Serm.* 146 : « Nomen hoc, inquit, propheticæ germanum est, hoc renascentibus salutare, hoc virtutis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc judicium castitatis, hoc Dei sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis : merito ergo matris Christi nomen hoc est maternum. » Hæc Chrysologus. Methodius, orat. *in hypapantem* : « Tuum, inquit, Dei genitrix, nomen divinis benedictionibus et gratiis omni ex parte refertum. » Et S. Bernardus, hom. 2. *super missus est* : « Si insurgant, inquit, venti tentationum : si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam : si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra navicularn concusserit mentis, respice ad Mariam ; si criminum immanitate turbatus, conscientiæ foeditate confusus, judicii terrore, barathro desperationis incipias turbari, vel absorberi, et tristari : in periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat a corde. » Ita Serarius, Sanchez et alii.

PRO QUIBUS (id est eo quod, est Hebraismus) NON PEPERCISTI ANIMÆ (id est vitæ) TUÆ (offerens et exponens eam evidenti mortis periculo), PROPTER ANGUSTIAS ET TRIBULATIONEM GENERIS TUI (id est gentis tuæ, ut scilicet patriam et cives tuos obsidio et excidio liberares), SED SUBVENISTI RUINÆ, — eam prævertens et avertens, ne rueret civitas et respublica Israelis.

29. VIDENS AUTEM ACHIOR CAPUT HOLOFERNIS ANGUSTIATUS PAVORE (præ horrore capitis truncati Holofernis undique cruenti et sanguinolenti), CECIDIT IN FACIEM SUAM SUPER TERRAM, ET ÆSTUAVIT ANIMA ILLIUS. — Græce : *defecit*, seu, *exsolutus est spiritus*, id est deliquium animi passus est, stupore scilicet tam inperatæ et inopinatæ rei attonitus variis perturbationum motibus in cor ejus confluentibus. Abibat enim imminentis sibi, et nominatim denuntiatæ mortis timor, succedebat confidentia ; fugiebat tristitia, subintrabat gaudium : diffidentia locum cedebat admirationi, et simul cum hujus prodigii contemplatione fides, spes, charitas et dona Spiritus Sancti infidelitatem expellebant, ut mox dicetur. Ita Salianus.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judith jubet caput Holofernis e muris suspendi; Achior ad Judaismum convertitur : irruunt Hebræi in Assyrios; illi cæde Holofernis consternantur, et magno clamore comploranl.

1. Dixit autem Judith ad omnem populum : Audite me, fratres, suspendite caput hoc super muros nostros ; 2. et erit, cum exierit sol, accipiat unusquisque arma sua, et exite cum impetu, non ut descendatis deorsum, sed quasi impetum facientes. 3. Tunc exploratores necesse erit ut fugiant ad principem suum excitandum ad pugnam. 4. Cumque duces eorum cucurrerint ad tabernaculum Holofernis, et invenerint eum truncum in suo sanguine volutatum, decidet super eos timor. 5. Cumque cognoveritis fugere eos, ite post illos securi, quoniam Dominus conteret eos sub pedibus vestris. 6. Tunc Achior videns virtutem quam fecit Deus Israel, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, et circumcidit carnem præputii sui, et appositus est ad populum Israel, et omnis successio generis ejus usque in hodiernum diem. 7. Mox autem, ut ortus est dies, suspenderunt super muros caput Holofernis, accepitque unusquisque vir arma sua, et egressi sunt cum grandi strepitu et ululatu. 8. Quod videntes exploratores, ad tabernaculum Holofernis cucurrerunt. 9. Porro hi qui in tabernaculo erant, venientes, et ante ingressum cubiculi perstrepentes, excitandi gratia, inquietudinem arte

moliebantur, ut non ab excitantibus, sed a sonantibus Holofernes evigilaret. 10. Nullus enim audebat cubiculum virtutis Assyriorum pulsando aut intrando aperire. 11. Sed cum venissent ejus duces ac tribuni, et universi majores exercitus regis Assyriorum, dixerunt cubiculariis : 12. Intrate, et excitate illum, quoniam egressi mures de cavernis suis, ausi sunt provocare nos ad prælium. 13. Tunc ingressus Vagao cubiculum ejus, stetit ante cortinam, et plausum fecit manibus suis : suspicabatur enim illum cum Judith dormire. 14. Sed cum nullum motum jacentis sensu aurium caperet, accessit proximans ad cortinam, et elevans eam, vidensque cadaver absque capite Holofernis in suo sanguine tabefactum jacere super terram, exclamavit voce magna cum fletu, et scidit vestimenta sua. 15. Et ingressus tabernaculum Judith, non invenit eam, et exiliit foras ad populum, 16. et dixit : Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor ; ecce enim Holofernes jacet in terra, et caput ejus non est in illo. 17. Quod cum audissent principes virtutis Assyriorum, sciderunt omnes vestimenta sua, et intolerabilis timor et tremor cecidit super eos, 1 turbati sunt animi eorum valde. 18. Et factus est clamor incomparabilis in medio castrorum eorum.

1. DIXIT AUTEM JUDITH : SUSPENDITE CAPUT SUPER MUROS, — ut Assyrii videntes ducem suum cæsum perculantur et fugiant.

2. ET ERIT, CUM EXIERIT (ortus fuerit) SOL, ACCIPIAT UNUSQUISQUE ARMA SUA, ET EXITE CUM IMPETU, NON UT DESCENDATIS DEORSUM (ad verum et serium cum Assyriis longe potentioribus prælium), SED QUASI IMPETUM FACIENTES, — id est, quasi impressionem agentes in proximum hostium stationem, *q. d.* Nolite plena acie confligere, utpote pauci contra innumeros, sed simulate vos velle confligere, ut scilicet Assyrii confugiant ad Holofernem, ut aciem instruat, ac videntes eum cæsum consternentur et fugiant. Nolebat enim Judith Assyrios invadi, antequam mors Holofernis percrebuisset, et Assyrios inopes animi et consilii reddidi set ; sed eo facto jussit ut illico in pavidos et fugientes irruerent. Si enim tempus dedissent Assyriis, potuissent ipsi communi consilio alium ducem sibi deligere, qui obsidionem Bethuliæ prosequeretur ; itaque urbem fame sitique confectam caperet. Sed Judith, prudenter id providens, jussit ut morte Holofernis vulgata subito in perculsos totis viribus et agminibus involarent. Quo facto hostes stupefacti fugientes ab Hebræis victi cæsique fuere. Vide ergo hic prudentiam et solertiam bellicam Judithæ, quæ cœptam victoriam ad finem usque prosecuta est ; quare prudentior fuit Annibale, qui cum Romanos in Cannensi pugna plane concidisset, suaderetque Maharbal præfectus equitum, ut illico Romam peteret ; sine dubio enim eam perculsam occupaturum, ac die quinto in Capitolio cœnaturum, tum tardaret Annibal, diceretque maturius hac de re cogitandum, subjunxit Maharbal : « Vincere scis, Annibal, sed victoria uescis uti. » Ita Livius, lib. XXII. Audi S. Ambrosium libro *De viduis* : « Nec dexteræ tantum hoc opus, sed majora trophæa sapientiæ. Nam manu solum Holofernem vicit, consilio autem omnem hostium vicit exercitum. Suspenso enim Holofernis capite, quod virorum non potuit excogitari consilio, suorum erexit animos, hostium fregit : suos pudore excitans, hostes quoque terrore percellens, eoque cæsi sunt et fugati. Ita unius viduæ temperantia atque sobrietas, non solum naturam suam vicit, sed quod est amplius, fecit viros etiam fortiores. »

Simile modo David, amputato capite Goliath, eoque Philisthæis ostenso, ipsos perculit, et in fugam egit, I *Reg.* XVII. Idem fecit Judas Machabæus, resecto et ex arce Sion suspenso capite Nicanoris, II *Mach.* XV, 35. Sic et M. Livius et Claudius Nero Consules Romani, cæso Asdrubale cum 56 millibus Carthaginiensibus, capiteque ejus ex inopinato ante castra Annibalis fratris projecto, eum ita perculerunt, ut diceret actum esse de fortuna Carthaginiensium ; atque illico fugiens in angulum Italiæ ad Brutios se receperit, teste Livio in fine lib. XXVI.

6. TUNC ACHIOR VIDENS VIRTUTEM (potentiam et fortitudinem scilicet tam fortem, prodigiosam et divinam victoriam de cæso Holoferne), QUAM FECIT DEUS ISRAEL (Græce Israelis, id est populi Israelitici), RELICTO GENTILITATIS RITU (idololatria et gentilismo), CREDIDIT DEO, ET CIRCUMCIDIT (non sua, sed Levitæ alicujus manu) CARNEM PRÆPUTII SUI, — factus proselytus et Judæus ; licet enim Ammonitæ, Arabes, Phœnices, Ægyptii, Æthiopes circumcisionem jam olim ab Abrahamo et Judæis accepissent, tamen acceperant eam ut liberam, non ut obligantem et necessariam, uti eam a Deo jubente acceperant Hebræi. Unde multi se non circumcidebant ob pudorem et dolorem circumcisionis : quare paulatim circumcisio apud eos quasi evanuit. Achior ergo, licet Ammonita, fuit incircumcisus, sed hoc facto Judith conversus ad Judaismum, se circumcidit. Circumcisio enim erat professio Judaismi et legis Mosaicæ, sicut baptismus jam est professio Christianismi et legis Evangelicæ.

tiam, gratitudinem, constantiam et pietatem Judithæ, qua totum decus suæ fortitudinis et victoriæ, non sibi, sed Deo adscribit. Porro solebant Hebræi, accepto aliquo insigni beneficio in gratiarum actionem concinere psalmum centesimum decimum septimum. « Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus, » ut nos concinimus : « Te Deum laudamus. »

23. PORRO OZIAS PRINCEPS POPULI ISRAEL DIXIT AD EAM : BENEDICTA ES TU FILIA A DOMINO DEO EXCELSO PRÆ OMNIBUS MULIERIBUS SUPER TERRAM. — Hinc allusit Gabriel Archangelus salutans B. Virginem : « Ave, gratia plena, benedicta tu in mulieribus. » Judith enim fuit umbra et typus B. Virginis; unde sequitur :

25. QUIA HODIE NOMEN TUUM ITA MAGNIFICAVIT, UT NON RECEDAT LAUS TUA (Græce est *spes tua*, id est memoria et laus spei tuæ, qua speravis in Deum, tantam victoriam Israeli peperisti) DE ORE HOMINUM. — Tale prorsus est nomen Beatæ Mariæ, de quo Beatus Petrus Chrysologus, *Serm.* 146 : « Nomen hoc, inquit, propheticæ germanum est, hoc renascentibus salutare, hoc virtutis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc judicium castitatis, hoc Dei sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis : merito ergo matris Christi nomen hoc est maternum. » Hæc Chrysologus. Methodius, orat. *in hypapantem* : « Tuum, inquit, Dei genitrix, nomen divinis benedictionibus et gratiis omni ex parte refertum. » Et S. Bernardus, hom. 2. *super missus est* : « Si insurgant, inquit, venti tentationum : si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam : si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra navicularn concusserit mentis, respice ad Mariam ; si criminum immanitate turbatus, conscientiæ foeditate confusus, judicii terrore, barathro desperationis incipias turbari, vel absorberi, et tristari : in periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat a corde. » Ita Serarius, Sanchez et alii.

PRO QUIBUS (id est eo quod, est Hebraismus) NON PEPERCISTI ANIMÆ (id est vitæ) TUÆ (offerens et exponens eam evidenti mortis periculo), PROPTER ANGUSTIAS ET TRIBULATIONEM GENERIS TUI (id est gentis tuæ, ut scilicet patriam et cives tuos obsidio et excidio liberares), SED SUBVENISTI RUINÆ, — eam prævertens et avertens, ne rueret civitas et respublica Israelis.

29. VIDENS AUTEM ACHIOR CAPUT HOLOFERNIS ANGUSTIATUS PAVORE (præ horrore capitis truncati Holofernis undique cruenti et sanguinolenti), CECIDIT IN FACIEM SUAM SUPER TERRAM, ET ÆSTUAVIT ANIMA ILLIUS. — Græce : *defecit*, seu, *exsolutus est spiritus*, id est deliquium animi passus est, stupore scilicet tam inperatæ et inopinatæ rei attonitus variis perturbationum motibus in cor ejus confluentibus. Abibat enim imminentis sibi, et nominatim denuntiatæ mortis timor, succedebat confidentia ; fugiebat tristitia, subintrabat gaudium : diffidentia locum cedebat admirationi, et simul cum hujus prodigii contemplatione fides, spes, charitas et dona Spiritus Sancti infidelitatem expellebant, ut mox dicetur. Ita Salianus.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judith jubet caput Holofernis e muris suspendi; Achior ad Judaismum convertitur : irruunt Hebræi in Assyrios; illi cæde Holofernis consternantur, et magno clamore comploranl.

1. Dixit autem Judith ad omnem populum : Audite me, fratres, suspendite caput hoc super muros nostros ; 2. et erit, cum exierit sol, accipiat unusquisque arma sua, et exite cum impetu, non ut descendatis deorsum, sed quasi impetum facientes. 3. Tunc exploratores necesse erit ut fugiant ad principem suum excitandum ad pugnam. 4. Cumque duces eorum cucurrerint ad tabernaculum Holofernis, et invenerint eum truncum in suo sanguine volutatum, decidet super eos timor. 5. Cumque cognoveritis fugere eos, ite post illos securi, quoniam Dominus conteret eos sub pedibus vestris. 6. Tunc Achior videns virtutem quam fecit Deus Israel, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, et circumcidit carnem præputii sui, et appositus est ad populum Israel, et omnis successio generis ejus usque in hodiernum diem. 7. Mox autem, ut ortus est dies, suspenderunt super muros caput Holofernis, accepitque unusquisque vir arma sua, et egressi sunt cum grandi strepitu et ululatu. 8. Quod videntes exploratores, ad tabernaculum Holofernis cucurrerunt. 9. Porro hi qui in tabernaculo erant, venientes, et ante ingressum cubiculi perstrepentes, excitandi gratia, inquietudinem arte

moliebantur, ut non ab excitantibus, sed a sonantibus Holofernes evigilaret. 10. Nullus enim audebat cubiculum virtutis Assyriorum pulsando aut intrando aperire. 11. Sed cum venissent ejus duces ac tribuni, et universi majores exercitus regis Assyriorum, dixerunt cubiculariis : 12. Intrate, et excitate illum, quoniam egressi mures de cavernis suis, ausi sunt provocare nos ad prælium. 13. Tunc ingressus Vagao cubiculum ejus, stetit ante cortinam, et plausum fecit manibus suis : suspicabatur enim illum cum Judith dormire. 14. Sed cum nullum motum jacentis sensu aurium caperet, accessit proximans ad cortinam, et elevans eam, vidensque cadaver absque capite Holofernis in suo sanguine tabefactum jacere super terram, exclamavit voce magna cum fletu, et scidit vestimenta sua. 15. Et ingressus tabernaculum Judith, non invenit eam, et exiliit foras ad populum, 16. et dixit : Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor ; ecce enim Holofernes jacet in terra, et caput ejus non est in illo. 17. Quod cum audissent principes virtutis Assyriorum, sciderunt omnes vestimenta sua, et intolerabilis timor et tremor cecidit super eos, 1 turbati sunt animi eorum valde. 18. Et factus est clamor incomparabilis in medio castrorum eorum.

1. DIXIT AUTEM JUDITH : SUSPENDITE CAPUT SUPER MUROS, — ut Assyrii videntes ducem suum cæsum perculantur et fugiant.

2. ET ERIT, CUM EXIERIT (ortus fuerit) SOL, ACCIPIAT UNUSQUISQUE ARMA SUA, ET EXITE CUM IMPETU, NON UT DESCENDATIS DEORSUM (ad verum et serium cum Assyriis longe potentioribus prælium), SED QUASI IMPETUM FACIENTES, — id est, quasi impressionem agentes in proximum hostium stationem, *q. d.* Nolite plena acie confligere, utpote pauci contra innumeros, sed simulate vos velle confligere, ut scilicet Assyrii confugiant ad Holofernem, ut aciem instruat, ac videntes eum cæsum consternentur et fugiant. Nolebat enim Judith Assyrios invadi, antequam mors Holofernis percrebuisset, et Assyrios inopes animi et consilii reddidi set ; sed eo facto jussit ut illico in pavidos et fugientes irruerent. Si enim tempus dedissent Assyriis, potuissent ipsi communi consilio alium ducem sibi deligere, qui obsidionem Bethuliæ prosequeretur ; itaque urbem fame sitique confectam caperet. Sed Judith, prudenter id providens, jussit ut morte Holofernis vulgata subito in perculsos totis viribus et agminibus involarent. Quo facto hostes stupefacti fugientes ab Hebræis victi cæsique fuere. Vide ergo hic prudentiam et solertiam bellicam Judithæ, quæ cœptam victoriam ad finem usque prosecuta est ; quare prudentior fuit Annibale, qui cum Romanos in Cannensi pugna plane concidisset, suaderetque Maharbal præfectus equitum, ut illico Romam peteret ; sine dubio enim eam perculsam occupaturum, ac die quinto in Capitolio cœnaturum, tum tardaret Annibal, diceretque maturius hac de re cogitandum, subjunxit Maharbal : « Vincere scis, Annibal, sed victoria uescis uti. » Ita Livius, lib. XXII. Audi S. Ambrosium libro *De viduis* : « Nec dexteræ tantum hoc opus, sed majora trophæa sapientiæ. Nam manu solum Holofernem vicit, consilio autem omnem hostium vicit exercitum. Suspenso enim Holofernis capite, quod virorum non potuit excogitari consilio, suorum erexit animos, hostium fregit : suos pudore excitans, hostes quoque terrore percellens, eoque cæsi sunt et fugati. Ita unius viduæ temperantia atque sobrietas, non solum naturam suam vicit, sed quod est amplius, fecit viros etiam fortiores. »

Simile modo David, amputato capite Goliath, eoque Philisthæis ostenso, ipsos perculit, et in fugam egit, I *Reg.* XVII. Idem fecit Judas Machabæus, resecto et ex arce Sion suspenso capite Nicanoris, II *Mach.* XV, 35. Sic et M. Livius et Claudius Nero Consules Romani, cæso Asdrubale cum 56 millibus Carthaginiensibus, capiteque ejus ex inopinato ante castra Annibalis fratris projecto, eum ita perculerunt, ut diceret actum esse de fortuna Carthaginiensium ; atque illico fugiens in angulum Italiæ ad Brutios se receperit, teste Livio in fine lib. XXVI.

6. TUNC ACHIOR VIDENS VIRTUTEM (potentiam et fortitudinem scilicet tam fortem, prodigiosam et divinam victoriam de cæso Holoferne), QUAM FECIT DEUS ISRAEL (Græce Israelis, id est populi Israelitici), RELICTO GENTILITATIS RITU (idololatria et gentilismo), CREDIDIT DEO, ET CIRCUMCIDIT (non sua, sed Levitæ alicujus manu) CARNEM PRÆPUTII SUI, — factus proselytus et Judæus ; licet enim Ammonitæ, Arabes, Phœnices, Ægyptii, Æthiopes circumcisionem jam olim ab Abrahamo et Judæis accepissent, tamen acceperant eam ut liberam, non ut obligantem et necessariam, uti eam a Deo jubente acceperant Hebræi. Unde multi se non circumcidebant ob pudorem et dolorem circumcisionis : quare paulatim circumcisio apud eos quasi evanuit. Achior ergo, licet Ammonita, fuit incircumcisus, sed hoc facto Judith conversus ad Judaismum, se circumcidit. Circumcisio enim erat professio Judaismi et legis Mosaicæ, sicut baptismus jam est professio Christianismi et legis Evangelicæ.

LT APPOSITUS EST AD POPULUM ISRAEL. — ut quasi civis Israelitarum jus civicum haberet ad omnia eorum privilegia, jura, dignitates etiam et magistratus. Licet enim Deus vetuisset *Deut.* XXIII, 3, Ammonitas et Moabitas admitti in cœtum Israel, tamen in hac lege permisit dispensari ob insignia alicujus in Israelem merita, qualia fuerunt Achior, qui coram Holoferne Dei erga Israelem providentiam et protectionem publice erat professus, et dignis encomiis celebravit. Sic Ruth Moabitis admissa fuit in cœtum Israel, nubensque Booz, facta est avia Davidis indeque Christi. Hanc enim esse Dei mentem responderunt legisperiti, vel Prophetæ, vel Pontifices consulentes Deum per Urim et Thummim, de quibus dixi *Exodi* cap. XXVIII, vers. 28.

10. NULLUS ENIM AUDEBAT CUBICULUM VIRTUTIS ASSYRIORUM PULSANDO AUT INTRANDO AFFERRE. — «Virtutis,» id est, potentiæ et majestatis «Assyriorum,» ita vocant Holofernem suum ducem et principem. Sicut nos regem vel principem vocamus Regiam Majestatem, suam Celsitudinem, suam Excellentiam.

12. EGRESSI MURUS DE CAVERNIS. — Ita ex contemptu vocant etiam Judæos, quasi inermes et imbelles, sed muros hoscc rocx experti sunt evasisse homines, qui elephantes eorum prosternerent.

13. TUNC INGRESSUS VAGAO CUBICULUM EJUS STETIT ANTE CORTINAM. — Adeo enim principes Assyriorum et Persarum servabant suam gravitatem et majestatem, ut non nisi per cortinam loquerentur, darentque responsa, uti etiamnum faciunt reges Sinarum. Unde Athenæus, lib. IV, cap. VI, ex Heraclide tradit principes, invitatos a rege Persarum ad convivium, in eodem cubiculo cum eo cœnasse, sed interjecto velo, ita ut ab eis videri non posset, cum ipse eos facile videret.

14. CADAVER, etc., JACERE SUPER TERRAM. — Græca, *super lectum*, vel lectus hic erat terra prope lectum, ut habent Græca, vers. 16.

16. UNA MULIER HEBRÆA FECIT CONFUSIONEM IN DOMO REGIS, — dum principem occidendo tota castra confudit, perculit, turbavit. Vide hic prudentiam Judith, quæ caput ducis petiit : eo enim sublato castra tota sustulit. Castra enim sine duce, idem sunt quod populus sine rege, oves sine pastore, discipuli sine magistro, filii sine patre, cives sine consule. Unde Tarquinius rex Romanorum capita papaverum in horto demetens, hoc ipso filio, qui ficte ad Gabinos transfugerat, per nuntium significavit, capita principum Gabinorum esse tollenda : quo facto Gabini quasi acephali se dedidere Tarquinio, teste Livio. Hanc quomen mystice doctores applicant D. Virgini, quæ caput Draconis infernalis conterens, tota ejus infernalium spirituum agmina pessumdedit

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Assyrii, audita cæde Holofernis, fugientes cæduntur ab insequentibus Hebræis, qui castra spoliis onusta per triginta dies dirripiunt, sesque ditant : Judith a Joacim Pontifice totoque populo benedicitur, et omnibus quæ Holofernis propria fuerant locupletatur.

1. Cumque omnis exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens et consilium ab eis, et solo tremore et metu agitati, fugæ præsidium sumunt, 2. ita ut nullus loqueretur cum proximo suo, sed inclinato capite, relictis omnibus, evadere festinabant Hebræos, quos armatos super se venire audiebant, fugientes per vias camporum, et semitas collium. 3. Videntes itaque filii Israel fugientes, secuti sunt illos. Descenderuntque clangentes tubis, et ululantes post ipsos. 4. Et quoniam Assyrii non adunati, in fugam ibant præcipites : filii autem Israel, uno agmine persequentes, debilitabant omnes quos invenire potuissent. 5. Misit itaque Ozias nuntios per omnes civitates et regiones Israel. 6. Omnis itaque regio, omnisque urbs, electum juventutem armatam misit post eos, et persecuti sunt eos in ore gladii, quousque pervenirent ad extremitatem finium suorum. 7. Reliqui autem qui erant in Bethulia, ingressi sunt castra Assyriorum, et prædam, quam fugientes Assyrii reliquerant, abstulerunt, et onustati sunt valde. 8. Ili vero qui victores reversi sunt ad Bethuliam, omnia quæ erant illorum, attulerunt secum, ita ut non esset numerus in pecoribus, et jumentis, et universis mobilibus eorum, ut a minimo usque ad maximum omnes divites fierent de prædationibus eorum. 9. Joacim autem summus pontifex de Jerusalem venit in Bethuliam cum universis presbyteris suis, ut videret Judith. 10. Quæ cum exisset ad illum, benedixerunt eam omnes una voce, dicentes : Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri : 11. quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum, alterum nescieris : ideo et manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in æternum. 12. Et dixit omnis populus : Fiat, fiat. 13. Per dies autem triginta, vix collecta sunt spolia Assyriorum a populo Israel. 14. Porro autem universa, quæ Holofernis pecularia fuisse probata sunt, dederunt Judith in auro, et argento et vestibus, et gemmis, et omni supellectili, et tradita sunt omnia illi a populo. 15. Et omnes populi gaudebant cum mulieribus, et virginibus, et juvenibus, et organis et cytharis.

1. FUGIT MENS ET CONSILIUM AB EIS, ET SOLO TREMORE ET METU AGITATI, FUGÆ PRÆSIDIUM SUMUNT, — tum quia videbant ducem suum Holofernem capite truncatum; tum quia Deus ademit eis mentem et consilium, ut quasi mentis impotes nescirent quid sibi agendum foret. Alioqui enim, si fuissent mentis compotes, alium sibi ducem constituissent, qui Bethulienses cives pauculos ad deditionem cogeret; tum quia Deus immisit eis terrorem panicum, ut, eo duce, putarent se pariter cædendos ab Hebræis. Quare præcipites se in fugam dederunt : itaque fugientes a paucis Hebræis insequentibus et clangentibus cæsi sunt, uti a trecentis Gedeonis militibus cæsa sunt centum millia Madianitarum, *Judicum* VII.

4. DEBILITABANT OMNES, — hos occidendo, illos vulnerando, alios mutilando, etc. Hebraeum enim חלל *chalal* hæc omnia significat.

7. ONUSTATI, — id est, onerati spoliis. Nonnulli censent legendum «honestati,» id est, *ditati sunt*, ut habent Græca : honestas enim in Scriptura sæpe significat divitias, et honestare idem est quod ditare.

9. JOACIM AUTEM SUMMUS PONTIFEX DE JERUSALEM VENIT IN BETHULIAM CUM UNIVERSIS PRESBYTERIS SUIS (Græce : cum *Jerosolymitano senatu*, forte cum *concilio Sanedrin*, quod erat summum, continens 70 Senatores eximios), UT VIDERET JUDITH, — eamque benedîceret, et de victoria lata gratularetur.

10. QUÆ CUM EXISSET AD ILLUM, BENEDIXERUNT EAM OMNES UNA VOCE, DICENTES : TU GLORIA JERUSALEM, TU LÆTITIA ISRAEL, TU HONORIFICENTIA (honor et decus) POPULI NOSTRI. — Græce : *Tu sublimitas Israel, tu exultatio magna Israel, tu gloriatio magna generis nostri.* Vatablus : *Tu excellentia Jerosolymitarum, tu magna Israelitarum lætitia, tu præclara generis nostri gloriatio, q. d.* Jerusalem liberans ab Holoferne magnam et gloriam contulisti : tu eb eodem defendens Israelitas jam fame et mœrore confectos, ingentem eis lætitiam et novam quasi vitam indidisti : tu populo tuo universo ingens nomen et decus peperisti apud omnes gentes, quæ audientes hoc tuum factum obstupescent, dicentque : « Tanti dux femina facti. »

Allegorice Judith fuit typus B. Virginis. Hæc enim exultatio est, decus et gloria, non tantum Jerusalem, sed totius orbis; non tantum Israelis, sed omnium gentium, non tantum Synagogæ, sed universæ Ecclesiæ. Unde B. Gregorius Nazianzenus in *Tragœdia, Christus patiens*, eam sic affatur :

> Regina, Domina, generis humani bonum,
> Amica semper esto tu mortalibus,
> Maximaque quovis in loco mihi sales.

Cyrillus Alexandrinus, homil. *Contra Nestorium* : « Sit, inquit, tibi, sancta Dei mater laus : Tu enim es pretiosa margarita orbis terrarum, tu lampas inextinguibilis, corona virginitatis, sceptrum orthodoxæ fidei. » S. Chrysostomus, homilia *De Deipara*, ita eam salutat : « Ave, mater, cœlum, thronus Ecclesiæ nostræ, decus, gloria, et firmamentum. » S. Ephrem, sermone *De laudibus Virginis*, eam vocat « unicam spem Patrum, gloriam Prophetarum, præconium Apostolorum, honorem Martyrum, lætitiam Sanctorum, et lumen probatissimorum Abraham, Isaac et Jacob, decus Aaron, splendorem Moysis, Gedeonis vellus et cœtus Hierarcharum, omniumque Sanctorum ac virginum coronam, ... immensum fulgorem, atque splendorem inaccessum. » Damascenus, orat. I *de Nativ. B. Virgin.* : « O Deo, inquit, digna filia, mulierum ornamentum, humani generis decus, tu Patriarchis sempiterna oblectatio, Prophetis perennis exultatio. »

11. QUIA FECISTI VIRILITER (quasi virago, et *femina super feminas*, imo quasi vir viros omnes superans) ET CASTIFICATUM EST COR TUUM, EO QUOD CASTITATEM AMAVERIS. — Castitas ergo fuit causa fortitudinis Judith, idque *primo*, quia castitas roborat corpus et animum. Unde olim athletæ in Olympicis certaturi casto plane se servabant, ut integras ad palæstram vires afferrent, I *Cor.*, IX, 24. Luxuria enim spiritus nobilissimos, ideoque robur et vires effundit et exhaurit. *Secundo*, quia Deus hoc præmium fortitudinis dare solet castis, ac omnino dedit Judith, fortitudinem, inquam, tum corporis, tum animi ad magna audendum : Deus enim, qui spiritus est purissimus, singulariter amat puritatem et castitatem, ac puros et castos, quasi sibi similes ad magna destinat. Audi S. Hieronymum, præfatione in *Judith* : « Accipite Judith viduam castitatis exemplum, et triumphali laude perpetuis eam præconiis declarate. Hanc enim non solum feminis, sed et viris imitabilem dedit, qui castitatis ejus remunerator, virtutem ei talem tribuit, ut invictum omnibus hominibus vinceret, et insuperabilem superaret. »

Tertio, quia decebat luxuriosum Holofernem a casta Judith superari, ut castitas de luxuria triumpharet. Unde Prudentius in Psychomachia pudicitiam cum libidine duellantem eleganter per Judith de Holoferne triumphantem ita depingit :

Assyrium postquam thalamum, cervixque Holofernis
Cæsa, cubilineo maledictum sanguine lavit;
Geminatumque thorum mirchi docis aspera Judith
Spevit, et incertos compescuit ense furores :
Famosum mulier referens ex hoste trophæum
Non trepidante manu, virides mea comitibus audax.

Porro eximia fuit castitas Judith, ideoque eximium hoc meruit præmium et trophæum. Ipsa enim erat in flore juventutis vidua opulenta, carens liberis, ut patebit cap. sequenti, versu 28, speciosa, honorata, gloriosa obtartam victoriam: quare omnes etiam duces et principes eam ambiebant sponsam : verum ipsa castitatis amans hæc omnia despexit, mansitque cælebs usque ad mortem; quare nobilius et gloriosius de carne et mundo, quam de Holoferne triumphavit. Audi S. Ambrosium, lib. *De Viduis* : « Nec his tamen elata successibus, cui utique gaudere et exultare licebat, jure victoriæ viduitatis reliquit officium; sed contemptis omnibus qui ejus nuptias ambiebant, vestem jucunditatis deposuit, viduitatis resumpsit: nec triumpherum suorum amavit ornatus, illos existimans esse meliores, quibus vitia corporis, quam quibus hostium vincuntur. »

14. ET OMNES POPULI GAUDEBANT CUM MULIERIBUS, ET VIRGINIBUS, ET JUVENIBUS, IN ORGANIS ET CITHARIS. — Græca uberius habent : *Et concurrit omnis mulier Israel ad videndam eam, et fecerunt ei chorum ex se; et sumpsit thyrsos in manibus suis, et dedit mulieribus quæ secum aderant, et coronatæ sunt oliva, ipsa, et quæ cum ipsa. Et præivit omnem populum in choreis, ducens omnes mulieres, et sequebatur omnis vir Israel armati cum coronis et hymnis in ore suo.* Pro *coronatæ sunt*, Complutenses habent, *coronarunt eam corona olivæ*, id est, oleagina. Thyrsi sunt rami palmarum, citriorum, etc. Audi Josephum XIII *Antiq.* cap. XXI : « Apud Judæos lex est quemlibet in scenopegia thyrsos (ramos) ex palmis et citriis gestare. Gentiles thyrsos dicabant Baccho. Erat autem apud eos θύρσος hasta frondibus, præsertim ex vite vestita, quam quatiebant in sacris Bacchi, vel corona ex eisdem. Unde Virgilius *Eclog.*

Instituit Daphnis thyrsos inducere Baccho,
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.

Ibi per lentas hastas intelligit thyrsos. Unde Proverbium :

Multos thyrsigeros, paucos est cernere Bacchos.

Bacchus enim erat thyrsigerus. Hinc et Tacitus : Messalina, inquit, crine fluxo thyrsum quatiens. Et Diodorus scribit Dionysium in exercitu habuisse mulieres thyrsis armatas. Macrobius quoque ait Liberum patrem (Bacchum) tenere thyrsum, quod est latens telum, vel hasta aculeata, cujus mucro hedera lambente protegitur.

Hoc recte adaptes Judithæ, quæ acinacem Holofernis in ipsummet distrinxit; itaque eum ebrium quasi Bacchum occidit, ac de ebrietate et ebriis triumphavit. Coronam ergo thyrsiam merebatur, meritamque gestabat, quæ eatadem Baccho, id est, Holoferni ebrio eripuit.

Nota hanc solemnem triumphi processionem et pompam Judithæ quotannis datam et renovatam fuisse cum ingenti virorum et mulierum comitatu, ut patebit capite sequenti, vers. 27.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judith præeunte, omnes succinunt Epinicion Deo. Populus holocausta in gratiarum actionem offert. Judith, longævum in castitate et gloria agens vitam, tandem gloriose moritur, ac dies victoriæ ejus deinceps quotannis celebrari præcipitur.

1. Tunc cantavit canticum hoc Domino Judith, dicens :

2. Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi psalmum novum, exaltate, et invocate nomen ejus.

3. Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi.

4 Qui posuit castra sua in medio populi sui, ut eriperet nos de manu omnium inimicorum nostrorum.

5. Venit Assur ex montibus ab Aquilone in multitudine fortitudinis suæ : cujus multitudo obturavit torrentes, et equi eorum cooperuerunt valles.

6. Dixit se incensurum fines meos, et juvenes meos occisurum gladio, infantes meos dare in prædam, et virgines in captivitatem.

7. Dominus autem omnipotens nocuit eum, et tradidit eum in manus feminæ, et confodit eum.

8. Non enim cecidit potens eorum a juvenibus, nec filii Titan percusserunt eum, nec excelsi gigantes opposuerunt se illi; sed Judith filia Merari in specie faciei suæ dissolvit eum.

9. Exuit enim se vestimento viduitatis, et induit se vestimento lætitiæ in exultatione filiorum Israel.

10. Unxit faciem suam unguento, et colligavit cincinnos suos mitra, accepit stolam novam ad decipiendum illum.

11. Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus, pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus, amputavit pugione cervicem ejus.

12. Horruerunt Persæ constantiam ejus, et Medi audaciam ejus.

13. Tunc ululaverunt castra Assyriorum, quando apparuerunt humiles mei, arescentes in siti.

14. Filii puellarum compunxerunt eos, et sicut pueros fugientes occiderunt eos, perierunt in prælio a facie Domini Dei mei.

15. Hymnum cantemus Domino, hymnum novum cantemus Deo nostro.

16. Adonai Domine, magnus es tu et præclarus in virtute tua, et quem superare nemo potest.

17. Tibi serviat omnis creatura tua, quia dixisti, et facta sunt; misisti spiritum tuum et creata sunt, et non est qui resistat voci tuæ.

18. Montes a fundamentis movebuntur cum aquis : petræ, sicut cera, liquescent ante faciem tuam.

19. Qui autem timent te, magni erunt apud te per omnia.

20. Væ genti insurgenti super genus meum! Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die judicii visitabit illos.

21. Dabit enim ignem, et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum.

22. Et factum est post hæc, omnis populus post victoriam venit in Jerusalem adorare Dominum : et mox ut purificati sunt, obtulerunt omnes holocausta, et vota, et repromissiones suas. 23. Porro Judith universa vasa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, et conopeum, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblivionis. 24. Erat autem populus jucundus secundum faciem sanctorum, et per tros menses gaudium hujus victoriæ celebratum est cum Judith. 25. Post dies autem illos unusquisque rediit in domum suam, et Judith magna facta est in Bethulia, et præclarior erat universæ terræ Israel. 26. Erat etiam virtuti castitas adjuncta, ita ut non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir ejus. 27. Erat autem diebus festis procedens cum magna gloria. 28. Manasi autem in domo viri sui annos centum quinque, et dimisit abram suam liberam, et defuncta est ac sepulta cum viro suo in Bethulia. 29. Luxitque illam omnis populus diebus septem. 30. In omni autem spatio vitæ ejus non fuit qui perturbaret Israel, et post mortem ejus annis multis. 31. Dies autem victoriæ hujus festivitatis ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, et colitur a Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem.

1. TUNC CANTAVIT CANTICUM DOMINO JUDITH, DICENS : INCIPITE (sanite, psallite et jubilate) DOMINO. — Unde, ipsa præeunte, succinuere cæteri : uti, præeunente Maria sorore Mosis, succinuere cæteræ mulieres post transitum maris Rubri, Exodi XV, 20. Sic enim habent hoc loco Græca : *Præcinit autem Judith hoc carmen gratulatorium inter omnes Israelitas, et universus populus hanc laudem clara voce decantavit, cœpitque Judith : Incipite Deo in tympanis, etc.* Hinc patet Judith fuisse propheticam, imo scriptricem S. Scripturæ, hoc enim carmen quod est pars S. Scripturæ dictitavit, inspirante Spiritu Sancto.

3. DOMINUS CONTERENS BELLA. — Alludit ad no-

men *Jehova*, quod a radice הוה *hava* deductum, idem est quod « contrens. » Citat illud ex Epistola Mosis, *Exodi* XV, 3 : « Dominus quasi vir pugnator omnipotens nomen ejus. » Vide ibi dicta.

5. VENIT ASSUR (id est, Assyrius exercitus missus a Nabuchodonosor rege Assyriorum, duce Holoferne) EX MONTIBUS AB AQUILONE. — Assyria enim Judææ partim est ad Orientem, partim et magis ad Septentrionem.

CUJUS MULTITUDO OBTURAVIT TORRENTES, ET EQUI EORUM COOPERUERUNT VALLES. — Sanchez per Nabuchodonosor, qui misit Holofernem, intelligens Xerxem, hæc ei commode adaptat. Xerxes enim tantas copias in Græciam induxit, ut vix ad potum fluminis, ad ingressum terra, ad cursum maris satis fuisse dicantur, ita Paulus Orosius, lib. II, cap. IX. Sane siccata fuisse ab illius exercitu fluvium tradit Herodotus, lib. VII, et Justinus, lib. II; de quo item Juvenalis, *Satyr.* X :

Credimus altos
Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prandente.

Verum Xerxes fuit Persa, non Assur, id est Assyrius. Vide dicta in proœmio.

7. NOLUIT EUM, — id est, *eum*; olim enim nolere regebat accusativum, ut patet ex Plauto et aliis.

8. NEC ERUI TITAN (id est, « excelsi gigantes, » ut explicavis subdit) PERCUSSERUNT EUM. — Quæres qui sunt filii Titan, vel, ut Genese est, Titanum? Respondeo, Titan vel Titanus fingitur a Poetis Cœli et Vestæ, id est, Terræ filius, ac Titanes eorumdem filii, de quibus Virgilius lib. VI *Æneid.* :

Hic genus antiquum Terræ, Titania pubes,
Fulmina dejecti, fundo volvuntur in imo.

« Terra, inquit Servius, primum Titanas contra Saturnum genuit, Gigantes postea contra Jovem. Et ferunt fabulæ Titanas ab irata contra Deos Terra, ad ejus ultionem creatos. Unde et Titanes dicti sunt ἀπὸ τῆς τίσεως, id est, ab ultione. Jupiter enim dejecit eos in Tartara. Traduut Titanas sex fratres fuisse, et quinque sorores, a Titea matre dictos, ut auctor est Diodorus : ex quibus unus fuit Japethus pater Promethei. Hiperionque ex Titanum numero est, qui solis ac lunæ, stellarumque motus observasse, atque demonstrasse primus fertur; ideoque solis parens et astrorum fertur. Hinc Sol Titan, Luna Titania, Diana Titania a Poetis dicuntur. Cicero *in Arato*, lib. VII :

Quem cum perpetuo vegetavit lumine Titan.

Ovidius, lib. III *Metam.*, XXXV.

Dumque ibi perfulitur tolita Titania lympha.

Titan ergo est epitheton Solis. Sol enim vocatur nati et terræ filius, quia mane ex terra et mari oriri videtur, idemque ut Jovis filius in cœlo summo paterna refulget. Hinc multi Titan derivant ab Hebr. טיט *tit*, id est, lutum, limus, terra, ut a *Tit* dicta sit Tethys et Titea seu Titanum mater. Alii Titan a τίτανος deducunt, eo quod Titan, id est Sol, quaquaversum radios suos expandat. Porro Titæum esse terram, ex qua prodierit sol et luna fabulantur Poetæ. Terra enim varia habuit nomina. Nam ut ait Varro apud S. Augustinum libro VII *De Civitate Dei*, terra sive tellus dicta est ops, quod ope et cultura fiat melior : et mater, quod plurima parint; et alma, quod cibum paret; et Proserpina, quod ex ea proserpant fruges; et Vesta, quod vestiatur herbis, vel, ut alii, quod vi sua stet. Unde exstat Hymnus Titanos apud Orphæum. Illinc secundo per filios Titan posset accipi Phaeton cum suo sobole, quem Poetæ dicunt esse filium solis; qui, dum equos curremque solis incaute regeret omnia in terris ardore solis combusserit, *q. d.* Holofernem non percussit sol aut Phaeton, sed femina Judith.

Tertio nonnulli per Titanes cœli et terræ filios significari putant spiritus et ventos (item procellas et fulmina), qui ex cœlo, id est ab aere in terram demissi, in eo occultantur, a verbo טנה, id est, extendo, eo quod venti extendentes manus suas et vi agentes, injuriam faciunt; unde terræ motus exoritur quo multi pereunt, *q. d.* Non venti, non procellæ, non fulmina, non terræ motus, sed unica mulier prostravit Holofernem. Hoc facit quod Pausanias *in Corinth.* scribit in Titanis colle apud Sicyonios fuisse aram ventorum pestiferum, in qua quotannis sacerdos sacrificabat ad mitigandum ventorum feritatem. Primus sensus ait communior, ita congruentior est : Titanes enim erant gigantes robustissimi, quibus nemo resistere poterat. Unde proverbia : « Titanicus aspectus, » id est, torvus, ferus et horrendus. « Titanibus et Crono (tempore et Saturno) antiquior, Titanas implorat. » Vide Appollodorum initio lib. I *De Origine deorum*, Hesiodum in *Theogonia*, Giraldum et alios.

Nota ex S. Hieronymo in cap. V *Amos*, vers. 8, et S. Gregorio, IX *Mor.* cap. VI, interpretes hanc Septuaginta quam Nostrum subinde Hebræa nomina, quæ apud eos aliter appellantur vocabulis fabularum Gentilium Græcorum et Latinorum in linguam græcam et latinam transferre, non quasi fabulas narrent aut probent; sed quia non bene nec plene intelligimus id quod dicitur, nisi per ea vocabula quæ usu didicimus, et quasi cum lacte combibimus, ait S. Hieronymus, maxime quando fabula ex S. Scriptura ortum ducunt, uti hic fit. Fabula enim Titanum ex historia gigantum, *Genes.* VI, 4, et cap. XI, 4, facta et ficta est. Sic Septuaginta *Job* XLII, 14, pro « cornustibli » vertunt *cornu Amalthææ*, quam Poetæ fingunt esse capram, quæ lacte suo Jovem nutrivit. Sic *Thren.* IV, 3. Noster vertit « lamias, » cum in Hebræo sit תנינים *Tanninim*, quæ vox dracones vel insulæ et terrifica monstra significat, quales sunt lamiæ. Idem est judicium de Arcturo, Orione et similibus ait S. Hieronymus quorum mentio fit in Job et Prophetis; de quibus Poeta :

Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones,
Armatumque auro circumspicit Oriona.

Filii ergo Titan vel Titanum sunt filii gigantum, id est, gigantes vastissimi, fortissimi et robustissimi, qui vocantur *Rephaim*, pro quo Septuaginta vertunt Titanes, II, *Reg.* V, 18. Est metonymia : nam per patrum indolem et fortitudinem significatur indoles et fortitudo filiorum. Ergo per Titanes ex communi vulgi usu non alii intelliguntur quam gigantes.

Posset quoque dici hanc vocem *Titan* pro gigantibus significandis in usu fuisse ex vulgatis toto orbe fabulis apud Assyrios, Chaldæos, Hebræos aliasque gentes, ut significetur Holofernem et Assyrios sua fortitudine et copiis superbos comparasse se Titanibus, ac dixisse se pares esse Titanibus, aut nihil a Titanibus metuere vel præter Titanes : ita ut cerebro aliquid Titanicum in castris eorum audiretur, ad quod alludens Judith, ait : Assyrii non cecidere manu Titanum suorum, sed manu mea, quæ sum imbellis et inermis femina. Ita Sanchez.

12. HORRUERUNT PERSÆ CONSTANTIAM EJUS, ET MEDI AUDACIAM ILLIUS. — Hinc liquet in castris Holofernis Assyrios mixtos fuisse Persas et Medos; præsertim, quia ipse dux Holofernes erat Persa, ait Cedrenus : ac Medi victo Arphaxad eorum principe, jam subacti erant a Nabuchodonosor, ad quem proinde multi quoque e vicinis Persis transfugerunt ob desidiam et turpem Xerxis regis sui cladem et fugam e Græcia, uti dixi in Proœmio.

13. TUNC ULULAVERUNT CASTRA ASSYRIORUM, QUANDO APPARUERUNT HUMILES MEI ARDENTES SITI, — puta cives mei Bethulienses siti pene enecti, quando casu a me Holoferne, ipsi ejus castra invaserunt, et Assyrios fugientes persecuti sunt.

14. FILII PUELLARUM, — id est parvi pueri, sive juvenculi : nec enim grandiores aut adultiores esse possunt, quorum matres adhuc sunt puellæ et juvenculæ : hinc patet juvenes et pueros cum viris irruisse in Assyrios fugientes.

COMPUNXERUNT EOS — suis cultris et gladiolis.

17. MISISTI SPIRITUM TUUM ET CREATA SUNT. — « Spiritum » intelligo oris, hoc est, dictum et jussum quo Deus, *Gen.* I, dixit jussitque : Fiat sol, luna, aves, pisces, etc., et illico facta sunt. Alludit ad *Psalm.* XXXII, 6 : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. »

18. MONTES A FUNDAMENTIS MOVEBUNTUR, — cum Deus jusserit, *q. d.* Tanta est Dei potentia, ut solo nutu montes transferre, petras liquare valeat : perinde jam Assyriorum castra, quæ instar altorum montium et durarum petrarum videbantur insuperabilia, per me feminam superavit, et instar ceræ liquando dissipavit.

21. DABIT ENIM IGNEM ET VERMES IN CARNES EORUM UT URANTUR ET SENTIANT (crucientur) IN SEMPITERNUM. — Hinc S. Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Theophilus, Haymo, Lyranus, Abulensis, Dionysius, Glossa, Ribera, Maldonatus, Serarius et alii probabiliter censent in inferno esse vermes corporeos, qui carnes damnatorum rodant, uti est verus ignis eos urens : vide dicta *Eccles.* VII, 19, et X, 13, et *Isaiæ* cap. ult. vers. 24.

22. MOX UT PURIFICATI SUNT — ob immunditia et irregularitate legali ex cæde Assyriorum et contactu mortuorum contracta, lavando corpora et vestes, juxta legem *Numer.* XXXI, 24.

23. ANATHEMA OBLIVIONIS. — Hebraice חרם *cherem* significat anathema, id est donum ab usibus profanis avulsum, totumque Deo separatum et consecratum. Τὸ *oblivionis* non est in Græco : unde aliqui legendum putant *oblationis*, sed *oblivionis* habent omnia exemplaria Latina, idque apte huic loco congruit : anathema enim dicitur *oblivionis*, quia dicatum erat Deo ad arcendam tanti beneficii et victoriæ apud posteros oblivionem. Ita Serarius; aut quia oblivionem afferebat præteritæ famis, sitis et mille ærumnarum, quas ante ab Assyriis passi fuerant Hebræi : ita Sanchez. Sic Joseph filium suum vocavit « Manassem » id est oblivionem, dicens : « Oblivisci me fecit Dominus omnium laborum meorum. » *Genes.* XLI, 51, et Isaias, cap. LXV, vers. 16 : « Oblivioni traditæ sunt angustiæ priores. » In quem locum optime Hieronymus : « Obliviscentur pristina mala, non oblivione memoriæ, sed bonorum successione juxta id quod scriptum est : In die bona oblivio malorum. »

24. SECUNDUM FACIEM SANCTORUM, — id est ante templum vel ante Synagogam : hæc enim extra Jerusalem habitantibus erat instar templi. In ea enim simul orabant, legemque Dei audiebant.

28. MANSIT (Græce consenuit) AUTEM IN DOMO VIRI SUI ANNOS CENTUM QUINQUE, — id est usque ad annos ætatis suæ centum et quinque. Simili phrasi Hebræi dicuntur habitasse in Ægypto annos 430, id est usque ad annum 430 ab egressu Abraham ex Chaldæa : nam alioqui Hebræi in Ægypto tantum habitarunt annis 215, *Exodi* XII, 40. Vide ibi dicta.

Quare minus recte aliqui putant Judith, postquam facta est vidua, vixisse annos 105; sic enim moriens fuisset 140 annorum vel amplius, quod illo ævo erat insolitum.

Addit Græcus quod Judith, antequam moreretur, diviserit substantiam suis et viri sui cognatis. Unde liquet eam caruisse filiis. Eo mirabilior fuit ejus castitas. Imitentur Juditham Christiani etiam principes, qui, ne familia deficiat, mutant propositum, imo votum cœlibatus, ac uxores ducunt ut liberos habeant familiæ hæredes et propagatores. Non ita fuit Judith, imo cœlibatum omnibus liberis anteposuit. Hisce enim omnibus nobilior est castitas. Nimirum memor erat illius pro-

missi divini ad eunuchos qui se castraverunt sua voluntate, ob amorem Dei et castitatis : « Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus nomen sempiternum dabo eis quod non peribit. » *Isaiæ* LVI, 5.

29. LUXITQUE ILLAM OMNIS POPULUS DIEBUS SEPTEM. — Sancta a Patribus habetur Judith. Verum dies mortis ejus in Martyrologio non assignatur, quia ignoratur. Æthiopica tamen Ecclesia Judithæ festum celebrat quarta die mensis sexti, qui dicitur Ebul, sit Serarius.

31. DIES AUTEM VICTORIÆ. — Judith in Calendario Hebræo assignatur 25 mensis noni qui Casleu dicitur, quo die pariter recolitur memoria dati ignis et Encæniorum Machabæi, teste Genebrardo, Torniello, Signonio et Saliano, qui et hoc elogium quasi epitaphium Judithæ assignat : « Hæc est illa Judith, quæ mellitam linguæ facundiam, quæ Angelicam faciei dignitatem, quæ fulgurantes oculos, quæ frontis hilaritatem, quæ genarum purpuram, quæ corallina labia, quæ totius oris majestatem in arma et sagittas converlit, quibus barbarus caperetur furor, et irrita potentia sterneretur. Hæc est illa Judith quæ, cum esset formæ prodigium, exstitit nihilominus miraculum castitatis, quam jejuniis, precibus, omnique corporis afflictione ita coluit, itaque adamavit, ut, cum ætate floreret, careret liberis, divitiis abunderet et gloria, ipsos septuaginta quinque annos cælebs atque intacta fulgeret. Vixit a prostrata Holofernis superbia, et concusso Babyloniorum imperio, annos duos et septuaginta, omnino autem pervenit ad centesimum quintum. »

Allegorice Judith est B. Virgo, quæ urbes et fideles sibi devotos ab hostium obsidione liberat, uti liberavit Constantinopolim sibi dicatam et devotam, anno Domini 717, a trienniali Saracenorum oppugnatione, cum illi præsideret S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus ad quem proinde scribens Gregorius II Pontifex, *epist.* 4, ita ait : « Pugnatricis illius sanctæ et omnium Christianorum Dominæ miranda facta, quæ in se declarata sunt, per quæ tu quoque inter hostes servatus es, non sunt reticenda. Illi enim, cum insania multa tumultuarentur, tantum invenerunt in se adversitatis hostilis, quantum eorum causa injustitiæ habuit. Neque hoc tamen mirandum est : nam si Bethulia per manus Judith Israelitis servata est, cujus opus Holofernis erat sublatio, et per ea tempora ob id suis Israelis vacata est : quomodo non oportebat et tuam sanctitatem hujusmodi propugnatrice intentem hostibus civitatis prævalere, ipsamque victoria coronare, etc. »

Maxime vero B. Virgo quasi vera Judith defendit Bethuliam, quæ Hebraice significat virginitatem. Ipsa enim, cum sit virgo virginum, virgines quasi clientes suos protegit, uti plurimis omni sæculo exemplis ostendit, et nominatim virgines olim a tyrannis ad lupanar damnatas (quod summum eis erat tormentum : malebant enim ad leonem quam ad lenonem damnari, ait Tertullianus *in Apolog.* intactas servavit per Angelos, vel leones; uti servavit S. Agnetem, S. Dariam, S. Luciam : adeoque vix ullam ex eis violatam fuisse reperies. Cum ergo sentis tentationes carnis, invoca B. Virginem, et victor evades.

Denique, quam Judith posteris et sæculis omnibus fuerit amabilis et admirabilis liquet, ex eo quod Judithæ nomen et cum nomine virtutis imitationem ambivere Heroinæ et Reginæ. Ita Ludovici Pii Imperatoris qui Caroli magni fuit filius et successor, uxor fuit Judith Augusta, quæ ab adversariis, ac præsertim a Pipino Ludovici ex Irmingarde priore uxore filio relegata in monasterium S. Radegundis, monasticum ipsa sibi velum imposuit, sed a Gregorio IV Pontifice in imperium una cum Ludovico marito fuit restituta, uti ex Mariano Scoto narrat Baronius anno Christi 834. Judith pariter appellata fuit Caroli Calvi Francorum regis filia, quæ Anglorum regi nubens in Angliam concessit anno Domini 853, teste Baronio.

Judith tertia fuit regina Poloniæ, de qua ita ex Longino scribit Baronius, tom. II, anno Christi 1007 in fine : « Hoc eodem anno Juditha Poloniæ regina, sanctissima femina, conjux Boleslai regis et adjutrix, ad pietatem propagandam ex hac vita, summo omnium dolore decessit, cum superis in perpetuum regnatura. » Hæc de tempore Longinus, qui et res ab ea præclare gestas recenset.

Judith quarta fuit filia Henrici Imperatoris et Hungariæ regina anno Christi 1074, quam iniquo regno pulsam Gregorius VII Pontifex datis ad eam litteris consolatur, quibus heroicam ejus virtutem dilaudat. Litteræ exstant apud Baronium anno Christi 1074 in fine.

Judith quinta fuit uxor Hermanni Comitis, sanctæ conversationis femina, quæ ex hac vita ad cœlestem migravit anno Domini 1095, uti scribit Baronius.

Juditha, et per crasin Jutta, sexta fuit Saxoniæ ducis filia, quæ nupsit Erico Daciæ regis filio, ut patet ex *epist.* 112 Gregorii IX Pontificis.

Juditha, sive Jutta, septima fuit virgo famula S. Elisabethæ, quæ miraculis in vita et post mortem claruit.

Juditha, sive Jutta, octava fuit Parthena cujus virtutes et miracula ex Chronicis Poloniæ recenset Abrahamus Bzovius anno Domini 1260, quo diem obiit; ubi inter cætera ait : « Tandem appropinquante vitæ suæ fine, infirmitate correpta (in qua sæpius hæc verba repetebat : O quam multum prodest ad quævis a Deo impetranda adversa valetudo, et miseria, et pauperies, læta his qui confidunt in Domino!) tertio, Christum Dominum » cum multis Angelis et aliis Sanctis sibi apparentem vidit, qui eam his verbis : « Veni jam, o famula mea, in regnum meum, » ad se invitavit.

COMMENTARIA
IN ESTHER.

ARGUMENTUM.

Allegoria.

Esther, ait S. Hieronymus, epist. *ad Paulinum*, « in Ecclesiæ typo populum liberat de periculo, et interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes convivis, et diem celebrem mittit in posteros. » Argumentum ergo libri est humiliatio superborum, scilicet Vasthi et Aman, ac exaltatio humilium, scilicet Estheris et Mardochæi, ac liberatio Judæorum. Allegorice Assuerus designat Christum, Esther B. Virginem et Ecclesiam. Mardochæus animam fidelem et piam, Aman et Vasthi dæmonem, carnem et mundum repræsentant. Hunc librum esse Canonicum consentiunt Hebræi cum Græcis et Latinis. Exstat enim hebraice in Canone Hebræorum, saltem usque ad caput decimum. Vide Bellarminum, lib. I *De verbo Dei*, capite VII, Serarium hic *Prolog.* IX, Sixtum Senensem, lib. I, sect. II *in Esther*. Primitus scriptus fuit hebraice; unde ex Hebræo S. Hieronymus eum transtulit in idioma latinum, Septuaginta in Græcum. Porro S. Hieronymus ea quæ non reperit in Hebræo, separavit a cæteris, et ad calcem libri collocavit, quæ antea suis locis in vulgata latina ordine temporis et historiæ erant inserta. Eodem eodem ordine exstant græce apud Septuaginta ex quibus ea in latinum transtulit S. Hieronymus, sed in finem libri rejecit, quasi incinnus textus hebraici, ex quo ipse cætera in latinum converterat (1). Auctor libri est incertus : S. Augustinus, XVIII *De Civit.* XVI; Eusebius in *Chronico*, anno mundi 4734; Isidorus, lib. VI; Origenes, cap. II, censent Esdram fuisse; Philo Arianus Joachi Pontificem; R. David viros Synagogæ. Verisimilius Lyranus, Dionysius, Bellarminus, Sixtus Senensis, R. Abraham, Serarius, Sanchez et alii opinantur auctorem esse Mardochæum una cum Esther, idque videtur indicari cap. IX, vers. 20, et cap. XII, vers. 4, ubi dicitur : « Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, et litteris comprehensa misit ad Judæos; » et cap. XX, vers. 29 : « Scripseruntque Esther regina filia Abihail et Mardochæus Judæus etiam secundam epistolam. » Quis autem dubitat in his litteris historiam totam fuisse contentam (2)?

Auctor Mardochæus.

Assuerus quis? Resp. Franc.

Quæres quo tempore Estheris historia contigerit, sive quis fuerit Assuerus ejus maritus. *Primo*, Serarius et Gordonus censent fuisse Artaxerxem Ochum; sed sic Mardochæus vixisset ducentos annos et amplius; tot enim sunt ab initio captivitatis Babylonicæ, quando Mardochæus cum Jechonia rege translatus est in Babyloniam, ut dicitur, cap. II, vers. 6, usque ad Ochum. Illa autem ætas illo ævo fuit insolens : nullus enim tunc tamdiu vixisse legitur.

Secundo, Josephus Scaliger, lib. VI *De Emendat. temp.* pag. 284, censet fuisse Xerxem; quia, inquit, uxor Xerxis vocabatur Amestris, teste Hiero-

(1) Capita prima decem, usque ad decimi versum quartum, sunt protocanonica : quod autem in eodem capite decimo a versu quarto residuum est, et quæ sequuntur capitula omnia, deuterocanonica dicuntur, quia ad primum canonem Hebræorum non pertinebant. Longe tamen rejicienda sententia eorum qui hæc additamenta apocryphis accensent, auctoritate fulti, ut dicunt, S. Hieronymi. Nam si S. Hieronymus in apocryphis relegenda esse hæc additamenta censuit, ex Hebræorum magis sententia quam ex sua locutus est, ut studium laboremque suum commendaret, ac suæ ex Hebræo versionis utilitatem demonstraret. Est ex propria mente illa postrema capita fuisse ab interpretibus assuta dixisse, privatæ ipsius opinioni Ecclesiæ catholicæ auctoritatem merito opponeremus, quæ libros omnes Scripturæ sacræ prout in septuaginta interpretum vulgata olim editione habentur, canonicos habuit ab Apostolorum temporibus; et in concilio Tridentino, sess. IV, libris canonicis recensitis, eos qui istos libros integros non receperint cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverint, anathemate configit.

(2) Grotius Lutherum auctorem secutus, hunc Estheris librum censet esse rhetorica exercitia priorum Hellenistarum, qui ad ornandas veras historias ea scripsere, quæ illis temporibus probabiliter fieri, dici aut scribi potuerunt. Ituner et Seller autumant etiam subsistantiam libri esse veram historiam, quæ vagis traditionibus et ornamentis dictionis postea aucta fuisset. Wittakerus et alii, tum priores tum posteriores hujus libri partes oppugnant, præsertim quia sunt quædam in isto libro quæ parum vera et consona illis videntur. Singula suis locis explicare liceat, et hic sufficiat dicere veracitatem hujus historiæ, præter traditionem et judicium Ecclesiæ, probari ex solemnibus *Phurim* diebus, quos a Judæis per multa sæcula religiose observatos constat ex II *Machab.* XV, 37, et ex Codice Theodosiano, lib. *Judæos*, tit. *De Judæis*. Nemo autem sanæ mentis sibi persuaserit festi hujus religionem et anniversariam celebritatem ex figmento originem habuisse.

missi divini ad eunuchos qui se castraverunt sua voluntate, ob amorem Dei et castitatis : « Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus nomen sempiternum dabo eis quod non peribit. » *Isaiæ* LVI, 5.

29. LUXITQUE ILLAM OMNIS POPULUS DIEBUS SEPTEM. — Sancta a Patribus habetur Judith. Verum dies mortis ejus in Martyrologio non assignatur, quia ignoratur. Æthiopica tamen Ecclesia Judithæ festum celebrat quarta die mensis sexti, qui dicitur Ebul, sit Serarius.

31. DIES AUTEM VICTORIÆ. — Judith in Calendario Hebræo assignatur 25 mensis noni qui Casleu dicitur, quo die pariter recolitur memoria dati ignis et Encæniorum Machabæi, teste Genebrardo, Torniello, Signonio et Saliano, qui et hoc elogium quasi epitaphium Judithæ assignat : « Hæc est illa Judith, quæ mellitam linguæ facundiam, quæ Angelicam faciei dignitatem, quæ fulgurantes oculos, quæ frontis hilaritatem, quæ genarum purpuram, quæ corallina labia, quæ totius oris majestatem in arma et sagittas converlit, quibus barbarus caperetur furor, et irrita potentia sterneretur. Hæc est illa Judith quæ, cum esset formæ prodigium, exstitit nihilominus miraculum castitatis, quam jejuniis, precibus, omnique corporis afflictione ita coluit, itaque adamavit, ut, cum ætate floreret, careret liberis, divitiis abunderet et gloria, ipsos septuaginta quinque annos cælebs atque intacta fulgeret. Vixit a prostrata Holofernis superbia, et concusso Babyloniorum imperio, annos duos et septuaginta, omnino autem pervenit ad centesimum quintum. »

Allegorice Judith est B. Virgo, quæ urbes et fideles sibi devotos ab hostium obsidione liberat, uti liberavit Constantinopolim sibi dicatam et devotam, anno Domini 717, a trienniali Saracenorum oppugnatione, cum illi præsideret S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus ad quem proinde scribens Gregorius II Pontifex, *epist.* 4, ita ait : « Pugnatricis illius sanctæ et omnium Christianorum Dominæ miranda facta, quæ in se declarata sunt, per quæ tu quoque inter hostes servatus es, non sunt reticenda. Illi enim, cum insania multa tumultuarentur, tantum invenerunt in se adversitatis hostilis, quantum eorum causa injustitiæ habuit. Neque hoc tamen mirandum est : nam si Bethulia per manus Judith Israelitis servata est, cujus opus Holofernis erat sublatio, et per ea tempora ob id suis Israelis vacata est : quomodo non oportebat et tuam sanctitatem hujusmodi propugnatrice intentem hostibus civitatis prævalere, ipsamque victoria coronare, etc. »

Maxime vero B. Virgo quasi vera Judith defendit Bethuliam, quæ Hebraice significat virginitatem. Ipsa enim, cum sit virgo virginum, virgines quasi clientes suos protegit, uti plurimis omni sæculo exemplis ostendit, et nominatim virgines olim a tyrannis ad lupanar damnatas (quod summum eis erat tormentum : malebant enim ad leonem quam ad lenonem damnari, ait Tertullianus *in Apolog.* intactas servavit per Angelos, vel leones; uti servavit S. Agnetem, S. Dariam, S. Luciam : adeoque vix ullam ex eis violatam fuisse reperies. Cum ergo sentis tentationes carnis, invoca B. Virginem, et victor evades.

Denique, quam Judith posteris et sæculis omnibus fuerit amabilis et admirabilis liquet, ex eo quod Judithæ nomen et cum nomine virtutis imitationem ambivere Heroinæ et Reginæ. Ita Ludovici Pii Imperatoris qui Caroli magni fuit filius et successor, uxor fuit Judith Augusta, quæ ab adversariis, ac præsertim a Pipino Ludovici ex Irmingarde priore uxore filio relegata in monasterium S. Radegundis, monasticum ipsa sibi velum imposuit, sed a Gregorio IV Pontifice in imperium una cum Ludovico marito fuit restituta, uti ex Mariano Scoto narrat Baronius anno Christi 834. Judith pariter appellata fuit Caroli Calvi Francorum regis filia, quæ Anglorum regi nubens in Angliam concessit anno Domini 853, teste Baronio.

Judith tertia fuit regina Poloniæ, de qua ita ex Longino scribit Baronius, tom. II, anno Christi 1007 in fine : « Hoc eodem anno Juditha Poloniæ regina, sanctissima femina, conjux Boleslai regis et adjutrix, ad pietatem propagandam ex hac vita, summo omnium dolore decessit, cum superis in perpetuum regnatura. » Hæc de tempore Longinus, qui et res ab ea præclare gestas recenset.

Judith quarta fuit filia Henrici Imperatoris et Hungariæ regina anno Christi 1074, quam iniquo regno pulsam Gregorius VII Pontifex datis ad eam litteris consolatur, quibus heroicam ejus virtutem dilaudat. Litteræ exstant apud Baronium anno Christi 1074 in fine.

Judith quinta fuit uxor Hermanni Comitis, sanctæ conversationis femina, quæ ex hac vita ad cœlestem migravit anno Domini 1095, uti scribit Baronius.

Juditha, et per crasin Jutta, sexta fuit Saxoniæ ducis filia, quæ nupsit Erico Daciæ regis filio, ut patet ex *epist.* 112 Gregorii IX Pontificis.

Juditha, sive Jutta, septima fuit virgo famula S. Elisabethæ, quæ miraculis in vita et post mortem claruit.

Juditha, sive Jutta, octava fuit Parthena cujus virtutes et miracula ex Chronicis Poloniæ recenset Abrahamus Bzovius anno Domini 1260, quo diem obiit; ubi inter cætera ait : « Tandem appropinquante vitæ suæ fine, infirmitate correpta (in qua sæpius hæc verba repetebat : O quam multum prodest ad quævis a Deo impetranda adversa valetudo, et miseria, et pauperies, læta his qui confidunt in Domino!) tertio, Christum Dominum » cum multis Angelis et aliis Sanctis sibi apparentem vidit, qui eam his verbis : « Veni jam, o famula mea, in regnum meum, » ad se invitavit.

COMMENTARIA
IN ESTHER.

ARGUMENTUM.

Allegoria.

Esther, ait S. Hieronymus, epist. *ad Paulinum*, « in Ecclesiæ typo populum liberat de periculo, et interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes convivis, et diem celebrem mittit in posteros. » Argumentum ergo libri est humiliatio superborum, scilicet Vasthi et Aman, ac exaltatio humilium, scilicet Estheris et Mardochæi, ac liberatio Judæorum. Allegorice Assuerus designat Christum, Esther B. Virginem et Ecclesiam. Mardochæus animam fidelem et piam, Aman et Vasthi dæmonem, carnem et mundum repræsentant. Hunc librum esse Canonicum consentiunt Hebræi cum Græcis et Latinis. Exstat enim hebraice in Canone Hebræorum, saltem usque ad caput decimum. Vide Bellarminum, lib. I *De verbo Dei*, capite VII, Serarium hic *Prolog.* IX, Sixtum Senensem, lib. I, sect. II *in Esther*. Primitus scriptus fuit hebraice; unde ex Hebræo S. Hieronymus eum transtulit in idioma latinum, Septuaginta in Græcum. Porro S. Hieronymus ea quæ non reperit in Hebræo, separavit a cæteris, et ad calcem libri collocavit, quæ antea suis locis in vulgata latina ordine temporis et historiæ erant inserta. Eodem eodem ordine exstant græce apud Septuaginta ex quibus ea in latinum transtulit S. Hieronymus, sed in finem libri rejecit, quasi incinnus textus hebraici, ex quo ipse cætera in latinum converterat (1). Auctor libri est incertus : S. Augustinus, XVIII *De Civit.* XVI; Eusebius in *Chronico*, anno mundi 4734; Isidorus, lib. VI; Origenes, cap. II, censent Esdram fuisse; Philo Arianus Joachi Pontificem; R. David viros Synagogæ. Verisimilius Lyranus, Dionysius, Bellarminus, Sixtus Senensis, R. Abraham, Serarius, Sanchez et alii opinantur auctorem esse Mardochæum una cum Esther, idque videtur indicari cap. IX, vers. 20, et cap. XII, vers. 4, ubi dicitur : « Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, et litteris comprehensa misit ad Judæos; » et cap. XX, vers. 29 : « Scripseruntque Esther regina filia Abihail et Mardochæus Judæus etiam secundam epistolam. » Quis autem dubitat in his litteris historiam totam fuisse contentam (2)?

Auctor Mardochæus.

Assuerus quis? Resp. Franc.

Quæres quo tempore Estheris historia contigerit, sive quis fuerit Assuerus ejus maritus. *Primo*, Serarius et Gordonus censent fuisse Artaxerxem Ochum; sed sic Mardochæus vixisset ducentos annos et amplius; tot enim sunt ab initio captivitatis Babylonicæ, quando Mardochæus cum Jechonia rege translatus est in Babyloniam, ut dicitur, cap. II, vers. 6, usque ad Ochum. Illa autem ætas illo ævo fuit insolens : nullus enim tunc tamdiu vixisse legitur.

Secundo, Josephus Scaliger, lib. VI *De Emendat. temp.* pag. 284, censet fuisse Xerxem; quia, inquit, uxor Xerxis vocabatur Amestris, teste Hiero-

(1) Capita prima decem, usque ad decimi versum quartum, sunt protocanonica : quod autem in eodem capite decimo a versu quarto residuum est, et quæ sequuntur capitula omnia, deuterocanonica dicuntur, quia ad primum canonem Hebræorum non pertinebant. Longe tamen rejicienda sententia eorum qui hæc additamenta apocryphis accensent, auctoritate fulti, ut dicunt, S. Hieronymi. Nam si S. Hieronymus in apocryphis relegenda esse hæc additamenta censuit, ex Hebræorum magis sententia quam ex sua locutus est, ut studium laboremque suum commendaret, ac suæ ex Hebræo versionis utilitatem demonstraret. Est ex propria mente illa postrema capita fuisse ab interpretibus assuta dixisse, privatæ ipsius opinioni Ecclesiæ catholicæ auctoritatem merito opponeremus, quæ libros omnes Scripturæ sacræ prout in septuaginta interpretum vulgata olim editione habentur, canonicos habuit ab Apostolorum temporibus; et in concilio Tridentino, sess. IV, libris canonicis recensitis, eos qui istos libros integros non receperint cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverint, anathemate configit.

(2) Grotius Lutherum auctorem secutus, hunc Estheris librum censet esse rhetorica exercitia priorum Hellenistarum, qui ad ornandas veras historias ea scripsere, quæ illis temporibus probabiliter fieri, dici aut scribi potuerunt. Ituner et Seller autumant etiam subsistantiam libri esse veram historiam, quæ vagis traditionibus et ornamentis dictionis postea aucta fuisset. Wittakerus et alii, tum priores tum posteriores hujus libri partes oppugnant, præsertim quia sunt quædam in isto libro quæ parum vera et consona illis videntur. Singula suis locis explicare liceat, et hic sufficiat dicere veracitatem hujus historiæ, præter traditionem et judicium Ecclesiæ, probari ex solemnibus *Phurim* diebus, quos a Judæis per multa sæcula religiose observatos constat ex II *Machab.* XV, 37, et ex Codice Theodosiano, lib. *Judæos*, tit. *De Judæis*. Nemo autem sanæ mentis sibi persuaserit festi hujus religionem et anniversariam celebritatem ex figmento originem habuisse.

doto, lib. VII : quæ eadem videtur esse cum Esther. Verum Amestrem fuisse Persicam, non Hebræam, sat indicat Herodotus dum ait ejus patrem fuisse Otanem Persam. Adde mores crudeles Amestris alienos esse a moribus benignæ et beneficæ Estheris. Nam Herodotus, eodem libro VII, ait « Amestrem uxorem Xerxis jam provectæ ætatis, bis septem illustrium Persarum liberos viros defodisse ad referendam pro se gratiam Deo, qui sub terra esse fertur. » Et lib. IX : « Amestris, inquit, accitis satellitibus, uxorem Masistæ (erat is frater Xerxis, et filius Darii) excarnificat, mammillas præcidit, easque canibus abjicit : præcidit nares, aures, labra, linguam, atque ita excarnificatam remittit domum. » Hæccine fecisset Esther?

Tertio, Hebræi in *Seder-Olam*, cap. XXIX, maritum Estheris censent fuisse Cambysem filium Cyri : hunc enim esse cum qui I *Esdræ* IV, 6 et 7, vocatur Assuerus, sive Artaxerxes. Addantque Estherem esse matrem Darii Hystaspis, qui Cambysi in regno successit. Idem censent Vatablus et Genebrardus, sed hoc videtur improbabile; Cambyses enim fuit hostis Judæorum, et fabricam templi a Cyro patre inchoatam inhibuit, ut patet I *Esdræ* cap. IV, vers. 7; Assuerus autem maritus Estheris Judæis fuit benevolus et benficus.

Quarto, Josephus, lib. XI, cap. VI, Nicephorus, Constantius in *chronol.* Cajetanus, Bellarminus, Salianus, Sanchez et alii multi censent Assuerum fuisse Artaxerxem Longimanum Xerxis filium, qui Esdram et Nehemiam in Jerusalem remisit, ut eam reædificarent; adeoque natura fuit mitis et clemens, ut de eo scribit Plutarchus in *Apothegm.* : « Primus hic ducibus, qui deliquissent, has pœnas statuit, ut pro flagellandis corporibus detracta flagellarentur vestimenta; et pro evellendis capillis, depilandoque capite deposita tiara depilaretur. »

Verum juxta hanc sententiam, Mardochæus fuisset 140 annorum et amplius, ac neptis ejus Esther fuisset vetula 70 annorum, ideoque inepta conjugio Assueri, ut patebit, cap. II, vers. 6.

Quinto, valde probabiliter Megasthenes, Annius, Lyranus, R. Salomon, Aben-Ezra, Torquemadus et alii censent Assuerum Estheris virum fuisse Darium Hystaspis, cujus rei multæ sunt conjecturæ :

Primo, quod Assuerus hic cap. I, vers. 1, asseratur instituisse solemne convivium, ac præfuisse 127 provinciis : idem enim expresse de Dario Hystaspis legimus, lib. III *Esdræ* III, 1 et 2, ubi sic dicitur : « Rex Darius fecit cœnam magnam omnibus vernaculis suis, et omnibus magistratibus Mediæ et Persidis, et omnibus purpuratis et prætoribus, et consulibus, et præfectis sub illo, ab India usque Æthiopiam centum viginti septem provinciis. » Quæ verba plane eadem sunt cum verbis primis hujus libri. Assuerus ergo fuit « Darius Hystaspis. » Hic etiam Indos subegit, teste Herodoto, lib. IV, pag. 114, quod etiam pariter de Assuero hic asseritur, cap. I, vers. 1.

Secundo, quod versu 2, dicitur Susan civitas regni Assueri fuisse exordium; unde in eo convivium hoc regale instituit. Plinius enim, libro VI, cap. XXVII, scribit Susan regiam Persarum conditam a Dario Hystaspis, licet Ælianus et alii ab eodem auctam et illustratam velint. Unde Cassiodorus, lib. VII *Variarum* : « Hanc, ait, illigatis auro lapidibus ædificavit Memnon Tithoni filius. »

Tertio, quod capite II, vers. 6 : « Esther » Hebraice vocabatur *Hadasa* (Noster vertit *Edisse*), id est *myrtus* : Darii autem uxor, teste Herodoto, vocabatur *Atossa*, quæ eadem videtur esse cum Hadasa. Esto Herodotus in eo erret, quod Atossam vocet Cyri filiam, quia talis a Persis putabatur, vel jactabatur Esther : ipsa enim jussu Mardochæi prudenter sibi sit se esse Judæam. Adde Gentiles Judæorum res ignorasse, vel depravasse. Hinc et Angelus, anno secundo Darii Hystaspis, fuit visus Zachariæ Prophetæ, capite I, vers. 8, stans inter myrteta, id est in aula Estheris, quæ vocata est Hadasa, id est myrtus, quasi promittens Judæis bona per opem ejus et umbram; vide ibi dicta.

Quarto, quia Assuerus hic cap. ultimo, vers. 16, agnoscit quod beneficio Dei Israelis traditum sibi suisque majoribus, et conservatum sit regnum. Hoc autem optime convenit cum voto quod Deo emisit Darius Hystaspis, ut obtineret regnum Persarum, uti narratur III *Esdræ* III, 13, et a Josepho, lib. XI *Antiq.* cap. IV. Item cum edicto ejusdem Darii de templo Judæorum instaurando, libro I *Esdræ* VI et III *Esdræ* VI.

Quinto, quia bellum et historia Judith contigit sub Xerxe, uti ibi ostendi in proœmio. Judith autem, cum Holofernem occidit, puella vocatur, dicturque supervixisse ad annum ætatis 105, et nullum toto tempore vitæ ejus, ac post mortem multis annis perturbasse Israelem, *Judith* cap. ultimo in fine. Ergo turbæ Aman de occidendis Judæis non contigere sub Artaxerxe, qui proxime Xerxi patri successit.

Sexto, id manifeste patebit ex ætate Mardochæi, capite II, vers. 6. Obstare videtur, capitis ultimi, versus 16, ubi dicitur Assuerus ortus a regibus; Darius autem fuit filius Hystaspis principis, non regis. Respondeo Hystaspin oriundum fuisse a regibus, uti asserit Herodotus, Justinus et alii : de quo plura cap. ultimo (1).

(1) Addi potest *septimo* : Cum hunc Artaxerxem sive Assuerum Persarum regem fuisse patet hic cap. ult., iis notis describitur in hac tota historia, quæ in nullum alium antegressorum regum cadunt. Dicitur enim « regnasse ab India usque ad Æthiopiam. » Et Æthiopiam quidem primus acquisierat Cambyses; at Indiam nullus ante Darium subegerat.

Octavo, huic Assuero anni plures quam duodecim assignantur a Scriptura, cum Cambyses ne octo quidem imperii annos impleverit, teste Herodoto.

Nono, Assuerus ille, eadem adhuc testante Scriptura, CENTUM, « cunctas insulas maris alii fecit tributarias : »

Eodem ævo, quo Esther et Mardochæus, floruere Esdras, Nehemias, Daniel, Ananias, Azarias, Misael, Zorobabel, Jesus filius Josedec, Aggæus, Malachias, et Zacharias prophetæ, qui sub Dario se prophetasse scribunt initio prophetiæ suæ. Ex Gentilibus floruere Pythagoras, Xenophanes et Heraclitus philosophi; Anacreon, Simonides, Æschylus, et Euripides poetæ; Themistocles, Miltiades, Conon, Leonidas, Aristides belli duces; apud Romanos, Junius Brutus et L. Collatinus expulsis Tarquinio et regibus, primi Consules, Horatius Cocles, Mutius Scævola, Clelia virgo Vestalis, qui enim Porsena rege Etruriæ dimicantes heroica fortitudinis Romanæ facinora ediderunt. Quare seculum hoc virorum illustrium fuit ferax, ideoque celebre et gloriosum.

Scripsere in Esther, Lyranus, Hugo, Dionysius, Serarius, Sanchez, et Franciscus Feve : alius qui totum hunc librum per moralia documenta explicat.

at Thucydide auctore, Darius iste insulas Phœnicum classe subegit, eisque, ut refert Plato in *Menexeno*, dominatus est. Id vero nec ad Xerxis hujus filii tempora referri potest, qui ex Græcia fugatus ante annum regni sui duodecimum, eas insulas amiserat; quibus pace nostri regni duodecim Assuerum illum nostrum et dominatum esse et tributum imposuisse, Scripturæ significant; nec item ad alium posteriorum regum, quorum nullus has insulas (si parvam Clazomenem et Cyprum excipias) sibi subjectas habuit, ut constat ex Autalcidæ pacis formula apud Xenophontem, *Hellen.* lib. V.

Decimo, cum Artaxerxes ille dicat, cap. XIII, 2, « se universum orbem subjecisse sua ditioni, non a majoribus accepisse, » id vix alii cuiquam Persarum regum, quam Cyro et Dario convenire manifestum est. Non autem Cyro, ergo Dario. (Ex A. Vitrico.)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Assuerus, ad potentiæ suæ ostentationem, solemne et semestre instituit convivium. Ad illud vocat Vasthi uxorem; sed renuentem venire repudiat (1).

1. In diebus Assueri, qui regnavit ab India usque Æthiopiam super centum viginti septem provincias; 2. quando sedit in solio regni sui, Susan civitas regni ejus exordium fuit. 3. Tertio igitur anno imperii sui, fecit grande convivium cunctis principibus, et pueris suis fortissimis Persarum, et Medorum inclytis, et præfectis provinciarum coram se, 4. ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque jactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet et octoginta diebus. 5. Cumque implerentur dies convivii, invitavit omnem populum, qui inventus est in Susan, a maximo usque ad minimum : et jussit septem diebus convivium præparari in vestibulo horti et nemoris, quod regio cultu et manu consitum erat. 6. Et pendebant ex omni parte tentoria aerii coloris, et carbasini ac hyacinthini, sustentata funibus byssinis atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, et columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei et argentei, super pavimentum smaragdino et pario stratum lapide, dispositi erant : quod mira varietate pictura decorabat. 7. Bibebant autem qui invitati erant, aureis poculis, et aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque, ut magnificentia regia dignum erat, abundans, et præcipuum ponebatur. 8. Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet. 9. Vasthi quoque regina fecit convivium feminarum in palatio, ubi rex Assuerus manere consueverat. 10. Itaque die septimo, cum rex esset hilarior, et post nimiam potationem mcaluisset mero, præcepit Maumam, et Bazatha, et Harbona, et Bagatha, et Abgatha, et Zethar, et Charchas, septem eunuchis, qui in conspectu ejus ministrabant, 11. ut introducerent reginam Vasthi coram rege, posito super caput ejus diademate, ut ostenderet cunctis populis et principibus pulchritudinem illius : erat enim pulchra valde. 12. Quæ renuit, et ad regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, venire contempsit. Unde iratus rex, et nimio furore succensus, 13. interrogavit sapientes qui ex more regio semper ei aderant, et illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges ac jura majorum (14. erant autem primi et proximi, Charsena, et Sethar, et Admatha, et Tharsis, et Mares, et Marsana, et Mamuchan, septem duces Persarum atque Medorum, qui videbant faciem regis, et primi post eum residere soliti erant), 15. Cui sententiæ Vasthi regina subjaceret, quæ Assueri regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, facere noluisset. 16. Respondituque Mamuchan, audiente rege, atque principibus : Non solum regem læsit regina Vasthi, sed et omnes populos, et principes qui sunt in cunctis provinciis regis Assueri. 17. Egredietur enim sermo reginæ ad omnes mulieres, ut contemnant viros suos, et dicant : Rex Assuerus jussit ut regina Vasthi intraret ad eum, et illa noluit. 18. Atque hoc exemplo omnes principum conjuges Persarum atque Medorum parvipendent imperia maritorum : unde regis justa est indignatio. 19. Si tibi placet, egrediatur edictum a facie tua, et scribatur juxta legem Persarum atque Medorum, quam præteriri illicitum est, ut nequaquam ultra Vasthi ingrediatur ad regem, sed regnum illius altera, quæ melior est illa, accipiat. 20. Et hoc in omne (quod latissimum est), provinciarum tuarum divulgetur imperium, et cunctæ uxores tam majorum, quam minorum, deferant maritis suis honorem. 21. Placuit consilium ejus regi, et principibus; fecitque rex juxta consilium Mamuchan. 22. Et misit epistolas ad universas provincias regni sui, ut quæque gens audire et legere poterat diversis linguis et litteris, esse viros principes ac majores in domibus suis, et hoc per cunctos populos divulgari.

(1) Si legere velis Estheris historiam juxta seriem chronologicam factorum, eo ordine disponenda sunt capita : cap. XI, 2, 18; cap. II, 1, 20; cap. XII, 1, 6; cap. II, 21, 23; cap. XIII, 1, 7; cap. III, 14, 15; cap. IV; cap. XIII, 8, 18; cap. XIV, cap. XV; cap. V, 1, 8; cap. V, 9, 14; cap. VI, 1, 14; cap. VII; cap. VIII, 1, 13; cap. XVI; cap. VIII, 14, 17; cap. IX, cap. X, cap. XI, 1. (Allioli.)

1. In diebus Assueri. — Septuaginta *Artaxerxis*, hoc est Darii Hystaspis, uti jam dixi : Assuerus enim erat nomen commune regum Medorum (unde Darius Medus, *Daniel.* IX, 1, vocatur filius Assueri, id est Astyagis ultimi regis Medorum) Artaxerxes vero Persarum; utrorumque autem rex erat Darius. Vide dicta I *Esdræ*, cap. IV, vers. 7. Adde Persice hæc tria nomina Darius, Xerxes, Artaxerxes fere idem significare. Darius enim idem est quod coercitor; Xerxes idem quod bellator, Artaxerxes idem quod magnus bellator, ait Herodotus, lib. VI, pag. 175, licet Hesychius in *Lexico* asserat Darius Persice idem esse quod φρόνιμος, id est prudens, sapiens.

2. Susan signi ejus exordium fuit. — Fuit hæc urbis regia Darii et regum Persarum, in qua Darius anno tertio regni sui in regem solemnissime coronari voluit, exhibito publico regali epulo, quod hoc capite describitur. Sita est Susan juxta Choaspem fluvium loco amœnissimo, ita dicta a liliorum feracitate et copia, teste Athenæo, lib. XII; Eustachio *in Dionis*, et Etymologico magno : שושן *Susan* enim Hebraice est lilium; inde Phœnices, Persæ, aliique lilium vocant Susan, vel Susanna : inde quoque dicitur unguentum Susinum, cujus præcipua materia erant lilia, uti testatur Hesychius in voce σούσινον, et Plinius, lib. III, cap. I; licet Stephanus, lib. *De urbibus*, Susan dictam putet a copia fontium, qui Persice vocantur Susan. Simili modo a floribus variis nominatæ sunt urbes; Rhodus a rosa : ῥόδον enim est rosa, Florentia a floribus.

Porro Susan primus condidit Memnon Tironi filius, ait Herodotus, Ælianus, Strabo et Cassiodorus; unde Memnonea est cognominata : auxit vero eam novisque palatiis illustravit, ac regia sede decoravit Darius Hystaspis, teste Æliano. Sunt qui Susan putent esse Tauris, quæ hodie Sophi regis Persarum est Regia. Porro reges Persarum, ait Xenophon, lib. VIII, *Cyrop.* hyemem Babylone transigunt, quæ regio calidissima est; ver Susis, æstatem Ecbatanis, et ideo, inquit, neque hyemem sentiunt, neque æstatem; sed perpetuo illis cœlum ver nat et tempus. Ælianus vero et Athenæus, lib. XII, cap. III, aiunt reges Persarum hyemem agere in Susis, æstatem in Ecbatanis.

3. Tertio igitur anno imperii sui fecit grande convivium. — Fabulatur hic Chaldæus Assuerum voluisse sedere in solio Salomonis, quod Nabuchodonosor e Jerusalem transtulerat in Babylonem, et Cyrus e Babylone in Persidem, cumque solium non caperet Darium, eum jussisse aliud simile fabricari, atque in eo formando artifices per biennium laborasse; ideoque tertio anno in eo sedisse Darium, ac hoc convivium instruxisse. Putant nonnulli Darium hoc epulum apparasse, ut eo diem suum natalem publica gratulatione celebraret. Hoc enim moris fuisse Persis docet Athenæus, lib. IV, cap. VI, et Plato *in Alcibiade*.

Et Medorum inclytis. — Hebraice *Parthenim*, quod aliqui vertunt *paratimi*, quasi hi idem sint qui ἐπιτίμιοι, apud Xenophontem; scilicet qui pari habentur honore et conditione, *q. d.* Principes æquales. Verius est Parthenim non esse Græcum, sed Persicum Satraparum nomen.

5. Quod regio cultu et manu consitum erat. — Num Cicero, lib. *De Senectute*, testatur Cyrum regem Persarum sua manu agros et hortos excoluisse. Ait enim : « Cum autem admiraretur Lysander et proceritatem arborum, et directos in quincuncem ordines, et humum subactam atque puram, et suavitatem odorum, qui afflarentur e floribus : tum eum dixisse mirari se in eo diligentiam, sed etiam solertiam ejus a quo essent illa dimensa atque descripta; et ei Cyrum respondisse : Atqui ego ista sum dimensus; mei sunt ordines, mea descriptio, multæ etiam istarum arborum mea manu sunt satæ. »

6. Et pendebant ex omni parte tentoria aerii (ita legendum, non « aerei, » vel « aurei ») coloris ac carbasini et hyacinthini. — Per tentoria accipe tapetes, et aulæa ad palos et arbores in horto suspensa, tum ad ornatum, tum ut convivas a sole, imbre, et vento protegerent. Erant hæc *aerii* coloris, id est, candidi, ut habent Hebræus, Pagninus et Vatablus. Aer enim pellucidus et luce splendidus apparet candidus.

Et carbasini, Hebraice כרפס *carpas*, id est viridis. Unde multi legendum hic censent *carpasini* (ut littera *b* in affinem *p* commutata sit, ut sæpe fit) uti habent Septuaginta, hoc est viridis. Hic enim color mire oculos recreat. Ita Hebræi, Serarius, Sanchez, Pagninus, Vatablus, Marinus et alii. Nonnulli ex vocis similitudine suspicantur carbasinum esse coccinum, quod vulgo carmosi- Carbasinus color est viridis.

bum vocant. Hebræum enim *carpus*, id est carbasinum, sive carpasinum, hoc loco tantum reperitur : unde genuina ejus significatio ignoratur. Verum priori expositioni, quod scilicet color carpasinus sit viridis, favet, quod Arabes etiamnum apium hortense (petroselinum) quod summe est viride, vocant *Carfs*, quod *per crasin* idem est cum Hebræo *Carpas*, uti ex Aben-Esra scribit Matthiolus in *Dioscor.* lib. III, cap. LXIX. Hinc et Petroselinum dictum est, quasi petrarum *eduæ*, hoc est apium : nam inter petras molliis nascitur, teste Plinio, lib. XX, cap. XII. Alius ergo est color carpasinus, scilicet viridis, alius carbasinus proprie dictus; hic enim est candidus, ita appellatus a carbaso, quod est linum mire tenuitatis, ideoque candicans, teste Plinio, lib. XIX, cap. I. Est et *carpheo* herba, quæ alio nomine *buceras*, a similitudine cornuum bovis dicitur, de qua Plinius, lib. XXIV, cap. XIX, quæ pariter est viridis.

Accubitus veterum duplex.

EBURNEIS, — Hebraice *argentois*. Sic et Septuaginta et Chaldæi.

LECTULI QUOQUE AUREI ET ARGENTEI. — Nota priscos primo usos sellis, et assedisse ad mensam (uti modo assidemus), ut patet ex *Gen.* XLIII, versu 33, et ex Philone libro *De vita Joseph*, et Athenæo, libro primo. Unde apud Homerum in Odyssea passim conviviæ dicuntur assidere mensæ. Postea tamen Judæi, Persæ, Græci, Romani, et omnes fere gentes usæ sunt accubitu in cœna et prandio, ut non tam sedentes, quam jacentes in lectulis mollibus cœnarent, ac sumpto cibo in iisdem quiescerent, vel etiam dormirent : fatigatum enim ex labore corpus magis reficitur et quiescit jacendo quam sedendo. Accubitus autem hæc erat forma. Accumbebant convivæ reclinata supera parte corporis in cubitum sinistrum, infera vero in longum porrecta et jacente in lecto, capite leviter erecto, dorso a pulvillis modice suffulto. In singulis autem lectulis accumbebant terni aut quaterni hac ratione, ut ejus qui supremo loco accumberet pedes juxta secundo loco accumbentem porrigerentur, et secundi pedes juxta tertio accumbentem, et ita deinceps. Rursum ejus qui secundo accumbebat occiput ad umbilicum aut pectus primo accumbentis obversum erat; ac eodem modo cæteri deinceps accumbebant. Hinc intelleximus quomodo S. Joannes in ultima cœna Christi, in ejus pectore, quasi in sinu recubuerit; et quomodo sancta Magdalena Christi ad mensam accumbentis pedes retro, sive post eum stans lavare potuerit. Hinc denique patet quid significet triclinium, scilicet locum refectionis, in quo communiter terni circa mensam erant lecti. Hinc pariter lectuli hi mensales vocati sunt thori, stibadia, thoralis, accubitalia, quæ passim obvia sunt apud Ciceronem, Plinium, Athenæum, Senecam, Virgilium et alios. Vide Giaconium, Fulgentium, Ursinum et alios in Triclinio.

SUPER PAVIMENTUM : — in pavimento ergo humi prendebant et comabant Persæ, more Orientalium, neque ac fecit Judith, cap. XII, vers. 19, ut patet ex Græco. Nec enim alterius mensæ hic ulla fit mentio.

PARIO, — id est, candido marmore ex insula Paro, quod cæteris præstantius est et pretiosius.

PICTURA, — ex lapidum varietate, opere quasi musivo intexta et contexta consurgens. Lapides hi Hebraice vocantur *dar* et *socharet* ; quinam hi fuerint, ignoratur.

7. DIBERANT AUTEM QUI INVITATI ERANT AUREIS POCULIS; ET ALIIS ATQUE ALIIS VASIS CIBI INFEREBANTUR. — Prisci Persæ sub Cyro et ante Cyrum in cibo et potu admodum fuere frugales; atque, ut ait Xenophon, libro I *Cyropædiæ*, habebant « pro cibo panem, pro obsonio nasturtium, pro potu aquam fluminis. » Unde Cicero, *Tuscul.* I : « Persarum victus, ait, a Xenophonte exponitur, quos negat ad panem adhibere quicquam præter nasturtium. » Hinc duri fortesque evasere ad labores et bella, quibus regnum et monarchiam obtinuerunt, quam invalescente gula et luxu perdiderunt. De priscorum Persarum temperantia et posterorum luxu, vide Xenophontem, lib. VIII; Stobæum, *serm.* 42 et 44; Herodotum, lib. IX; Athenæum, lib. IV.

Certe in Saturnalibus Macrobius ait mensam priscorum fuisse sacram, ac veteres primum numinis meminisse, deinde bene precatos convivis, ac post precationem dapibus cum modestia usos. Serimus apud Stobæum ait reges Persarum ante cibum de modestia disputasse, et ante potum de temperantia. Quin et Augustum trinis tantum fercolis exhibuisse convivia, testis est Suetonius in ejus Vita, cap. XIV : « Convivia nunquam, inquit, et serius initat et maturius relinquebat, cum convivæ et comare inciperent, prinsquam ille discumberet, et permanerent digresso eo. Cœnam ternis fercolis; aut, cum abundantissime senis præbebat, ut non nimio sumptu, ita summa comitate. Nam et ad communionem sermonis facentes, vel subinsum fabulantes provocabat, et aut acroamata, et histriones, aut etiam triviales ex circo ludos interponebat, ac frequentissime arcalogos, id est, placide loquentes. Servius, in lib. I. *Æneid.*, ait priscos duobus tantum fercolis usos.

Adde : Veteres in mensa sapientes et serios miscebant sermones, ut patet ex Athenæo de omni sapientiæ; erant ergo sobrii, ac cavebant ne ebrii delirum quid dicerent. Unde M. Varro numerum convivarum hac lege definit : « Ut neque minor, quam gratiarum sit, neque quam musarum numerosior, » ait Macrobius, lib. I *Satur.*, cap. IV. Gratiæ autem sunt tres, Musæ vero sunt 9. Idem Macrobius, lib. VII : « Sic, ait, apud mensam philosophandum est ut crateri liquoris ad lætitiam nati (vini) adhibeantur, non modo Nympharum, sed Musarum quoque admixtione temperies, etc., cum non minus quam dulcedo vini, hilarent verba convivium. »

8. NEC ERAT QUI NOLENTES COGERET AD BIBENDUM. — Non enim amici, sed inimici et hostis est cogere ad bibendum, etiam supra et contra naturam, quod nullæ bestiæ faciunt. Xenophon, lib. VIII *Cyropædiæ*, ait apud veteres Persas lege cautum fuisse ne amphoræ ad convivia importarentur, quod existimarent minus tam corpora, quam mentes illi litari, si quis non nimium hauriat. Nunc vero has non importari, restat id quidem, sed tantum bibunt, ut non importent, sed ipsi vino sepulti exportentur, ne quod ipsi recto corpore consistere et exire nequeant. Sic etiam hodie apud nonnullos prisca temperantia in plusquam porcinam ingluviem abiit. Vide Fevardentium hic. Salica lex, teste B. Rhenano, lib. II *Rerum Germanicarum*, fuit : « Nemo militiæ socium suum, aut quemlibet alium ad potandum invitato. » Qui enim cogit, tyrannus est. Tyrannicum enim est illud, quod o Græcorum pergræcalionibus citat Tullius, *Tusculanor.* V : « Aut libat, aut abeat. » Tyrannus fuit Alexander Magnus qui, « meracum audacter propinans, etiam alios coegit, » ait Athenæus, lib. II. Tyrannus fuit Heliogabalus Imperator, qui, ut ait Lampridius : « Præfectum urbicum sæpe post cœnam ad potandum vocabat, adhibitis et Præfectis prætorio, ita ut, si recusarent, magistri eos cogerent. » Certe Empedocles convivio præfectus, cum convivas ad bibendum cogeret, postridie reus fuit in judicio. Cogere enim est libertatem conviviæ adimere, vim injicere, naturam corrumpere, sanitatem lædere, ut non Deo, sed Bacchо stomachos et mentes suas immolare et mactare videantur. Sapienter Anacharsis apud Laertium quatuor pocula sive haustus assignans, ita eos distinguit. *Primum*, ait, quod bibitur pertinet ad restinguendam sitim, *secundum* ad hilaritatem, *tertium* ad voluptatem, *quartum* ad insaniam.

Bibere ad sanitatem et ad malum effectum. Tyrannicum est.

Porro S. Augustinus et Ambrosius graviter taxant eos qui cogunt convivas bibere ad sanitatem principis, vel amici, et ut ait S. Augustinus serm. 231 *De Tempore*. 2 « Per inimicam amicitiam, adjurare homines non erubescunt, ut potum amplius accipiant quam oportet. Qui enim alterum cogit, ut se plus quam opus est bibendo inebriet, animus malum ei erat, si carnem ejus vulneraret gladio, quam animum ejus per ebrietatem necaret. Certa bibendi lege contenditur, qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine. » Et serm. 232 : « Excusatio falsa objicitur; persona potens me coegit, ut amplius bibam. » Et hortatur ne obtemperent, martyres potius fiant, neque ad virorum, Angelorum, aut reliquorum sanctorum nomina bibendum monet.

Audi S. Ambrosium, lib. *De Elia et jejunio*, cap. VII : « Quid obtestationes potentium loquar? quid memorem sacramenta, quæ violari nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro salute Imperatorum ; et qui non biberit, sit reus in devotione : videtur enim non amare Imperatorem qui pro salute ejus non biberit. O pia devotionis obsequium! bibamus pro salute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum. Et hæc vota ad Deum pertinere judicant, sicut illi qui calices ad sepulcra martyrum deferant, atque illic ad vesperam bibunt, atque aliter se exaudiri posse non credunt. O stultitiam hominum, qui ebrietate sacrificium putant; qui existimant illos ebrietate placari, qui jejunio passiones sustinere dicuerunt! »

An non insania est ita ad alterius sanitatem bibere, ut propriam lædas et perdas? An non calicum remiges et bellatores sunt, qui ventrem despibus vinoque saburrant quasi porci, imo plusquam porci? Nec enim porcus, quantumvis gulosus, plus comedit quam ut famem, plus bibit quam ut sitim satiet; neque ullis fustibus aut gladiis ut id faciat, adigi se sinit.

PRÆPONENS MENSIS SINGULOS DE PRINCIPIBUS SUIS, UT ACCIPERET UNUSQUISQUE QUOD VELLET. — Inter hos principes fuit Zorobabel, filius Salathiel, filii Jechoniæ regis Juda, qui cum sociis suis Hebræis regii corporis custodibus erat ex intimis aulicis Darii, ac post convivium disputans cum eis de fortissimo palmam rebuit. Cum enim primus diceret : « Forte est vinum, » secundus : « Fortior est rex, » tertius Zorobabel dixit : « Fortiores sunt mulieres, super omnia autem vincit veritas. » Quocirca Darius annuens illi ait : « Pete quod vis, et tibi dabo, » tum Zorobabel : « Memor esto, inquit, voti tui quod vovisti ædificare Jerusalem in die qua regnum accepisti, et omnia vasa quæ accepta sunt ex Jerusalem remittere. Et tu vovisti ædificare templum quod incenderunt Idumæi, quando extersinata est Judæa a Chaldæis. Hoc est quod postulo, ut facias votum quod vovisti Regi cœli ex ore tuo. » Quare, cum osculatus esset illum Darius, votum implevit, et templum instauravit, ac vasa cum muneribus in Jerusalem remisit, uti fuse narratur III *Esdræ* cap. III et IV.

Allegorice hoc Assueri convivium ad litteram fuit vanum vanæ voluptatis et gloriæ aucupium, sed mystice magnum S. Eucharistiæ simulacrum. *Primo* enim Assuerus rex et monarcha representat Christum Regem regum, et Dominum dominantium. Unde « Assuerus » Hebraice et Chaldaice idem est quod *magnum caput*, magnus rex, et princeps. Addit Lyranus : « Assuerus interpretatur beatus; Christus autem non solum beatus est, sed et sanctorum beatitudo. » Glossa vero interlinearis : « Assuerus, inquit, Christum Dominum ostendit nomine et dignitate; interpretatur enim ostium. Christus autem dicit : Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur. » *Secundo*, Assuerus hoc convivium celebravit in regia sua Susan, quæ vox Hebraice significat lilium, puritatis et virginitatis symbolum. Sic Christus in Susan, id est in Ecclesia, quæ liliis castorum et virginum floret, instituit Eucharistiam, quæ proinde a cas-

Convivium Assueri quomodo Typus Christi.

tis, et omni labe puris purissime suscipienda est; itaque suscepta puritatem et castitatem valde adauget. Ipsa enim est « frumentum electorum, et vinum germinans virgines, » *Zach.* IX, 17. Hinc Ecclesia vino hoc non ebria, sed sobria hilarescit et exultat, aitque : « Sicut lætantium omnium habitatio est in te, » *Psalm.* LXXXVI, 7. » Et transilio in locum admirabilis usque ad domum Dei, in voce exultationis et confessionis, sonus epulantis, » *Psalm.* XLI, 4. » Et justi exultent et delectentur in lætitia. » *Psalm.* LXVII, 4. *Tertio*, Assuerus hoc convivium celebravit septem diebus, id est, toto tempore hujus vitæ, quod septem diebus agitur, ait Glossa interlinearis juxta illud Christi, *Matth.* XXVIII, vers. ult. : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. » Ita Lyranus. *Quarto*, ob magnitudinem convivii. « Fecit, inquit, grande convivium. » Quid grandius Eucharistica mensa, « Cœna magna, » per excellentiam? Unde Glossa ordinaria : « Hujus, inquit, convivii historia pompam historiarum, et luxum Regis ostendit; sed Christi spirituales delicias, quas unicuique dispensat, allegorice significat. »

Quinto, Assuerus non tantum principes, sed et totum populum a minimo usque ad maximum invitavit : sic Christus ad Eucharistiam invitat omnes tam pauperes, quam divites; tam feminas, quam viros; tam senes, quam juvenes. *Sexto*, ob convivii magnificentiam; nam Lyranus et Glossa asserunt per hortum, in quo fit, significari Ecclesiam quæ est hortus conclusus, multis consitus arboribus, et fructiferis per sanctam vitam, et aromaticis per bonam famam. Per tentoria superne obumbrantia, et columnas inferne sustentantes, indicari Sanctorum suffragia, et divina præsidia quibus, qui ad hanc mensam accedunt, defenduntur. Per multiplices velaminum et funium colores, candidos, purpureos, hyacinthinos, intelligi virgines, martyres, doctores, qui hujus convivii dapibus saginantur. Per lectulos etiam aureos et argenteos, in quibus convivantes recumbebant, tranquillas et pacatas exprimi conscientias, quas habere debent, qui hoc divino pabulo perfruuntur. Per gemmas et picturas, quæ mira varietate decorabant pavimentum, insinuari virtutes et reliqua dona spiritualia, quibus rite communicantium mentes picturantur. *Septimo*, ob cibi et potus suavitatem et delicias : « Unum, inquit Scriptura, ut magnificentia regia dignum erat, et præcipuum apponebatur. » In Eucharistia vero Christus ut cibus apponitur, in quo quasi in manna haurimus omne Angelorum delectamentum, et omnem spiritus suavitatem, juxta illud : « Panem cœli dedit eis; et panem Angelorum manducavit homo. » *Psal.* LXXVII, 24 et 25.

9. VASTHI QUOQUE REGINA FECIT CONVIVIUM FEMINARUM. — Hinc apposite Hebraice *Vasthi* idem est quod *et potatio*, vel *et stamen*; fila enim et stamina sunt opera feminarum. Pro *Vasthi* Græce est *Asti*; Josephus *Scesti*, indeque composita sunt nomina Persica Astaspes et Hystaspes. Unde nonnulli cum Serario suspicantur hanc Vasthi fuisse filiam Hystaspis, ac sororem Darii mariti sui. Favet Ctesius asserens fratrem Assueri fuisse Oudiaspen, quod nomen alludit ad Vasthi : quasi hæc Oudiaspis fuerit soror. Persæ enim sorores ducebant in uxores, ut docet Herodotus in *Cambyse*, Curtius, lib. VIII, Plinius, lib. XXXVI, cap. VIII. Alii putant Vasthi fuisse filiam Cyri; hanc enim uxorem duxisse Darium ad confirmandum sibi regnum Persarum docet Justinus, lib. I, et Herodotus, lib. III, qui eam vocat Artystonam, quod nomen alludit ad Vasthi.

10. CUM REX ESSET HILARIOR, ET POST NIMIAM POTATIONEM INCALUISSET MERO. — Leges Persarum permittebant regi Persarum semel in anno, scilicet in festo Solis, quem Persæ colebant ut Deum, inebriari; verum quod semel permiserat lex, sæpius pro suo imperio usurpare poterat rex.

MAUMAM, — Græce est *Aman*, licet Hebræi Aman putent fuisse Mamuchan, de quo vers. 14.

11. UT INTRODUCERENT REGINAM VASTHI, etc. UT OSTENDERET CUNCTIS POPULIS ET PRINCIPIBUS PULCHRITUDINEM ILLIUS. — Jussit hoc Assuerus partim ex temulentia, partim ex libidine; quare incauta, impendens, superba, inhonesta, et inverecunda fuit hæc ejus jussio, cui proinde Vasthi non tenebatur obedire pudoris et castitatis causa, ne sua forma principum jam mero æstuantium oculos, animosque in sui concupiscentiam illiceret, uti Candaules rex Sardorum illexit Gygem amicum suum in amorem uxoris suæ, ostendens ei illam nudam : quocirca Gyges, per annulum magicum faciens se invisibilem, occidit Candaulem, et uxorem ejus sibi adscivit, ut narrat Herodotus, lib. I. Fabulantur Rabbini Vasthi pari modo ab Assuero jussam prodire nudam in convivium. Addunt ex Balthasare de quo *Danielis* cap. V, natam ipsam, quæ tyrannide importunissima, servas Hebræas die Sabbati laborare cogeret nudasque obambulare, hancque causam esse cur ejecta nuda sit, dieque Sabbati, qui septimus etiam vocatur, male perierit. Sed apage obscenitas ista obscenorum Rabbinorum.

ERAT ENIM PULCHRA VALDE. — Persicæ mulieres cæteras pulchritudine superabant. Unde Alexander Magnus noluit videre Darii jam a se cæsi uxorem et filias, dicens « Persicas feminas esse oculorum dolores, » ait Plutarchus et Curtius : « In Perside feminarum pulchritudo excellit, » ait Ammianus, lib. LXXIII.

QUÆ RENUIT, ET AD REGIS IMPERIUM, etc. VENIRE CONTEMPSIT. — Videtur ergo peccasse superbia, inobedientia et mariti contemptu, quem si demas, honeste ipsa et pudice mariti temulenti inhonestam et impudicam sui coram principibus ostentationem detrectavit; præsertim quia, ut ait Josephus, lib. XI, cap. VI, « Voluit ipsa Persarum leges custodire, quæ ab alienis uxores videri prohibebant. » Quare Macrobius, lib. VII, cap. I, ait « Parthis non conjuges, sed concubinas duntaxat in convivia induci solitas. Idem tradit S. Ambrosius, lib. *De Elia*, cap. XV. Et Parthopersæ « feminis non convivia tantum, sed et virorum conspectum interdicunt. » Unde Severus Sulpitius de Vasthi : « Stulto, ait, rege consultior, pudens virorum oculis spectaculum corporis præbere jussa abnuit; » tanto ipso laudabilior, quanto in regum pudoris que constantia perseverantior; nam, ut prudenter monet S. Hieronymus, epist. *ad Furiam* : « Non Ætnæi ignes, non Vulcania tellus, non Vesuvius et Olympus tantis ardoribus æstuant, ut juveniles medullæ vino plenæ, dapibus inflammatæ. » Et Tertullianus, *De jejun. adversus Psychicos*, cap. I : « Monstrum scilicet haberetur libido sine gula; cum hæc duo tam unita atque concreta sint, ut si disjungi omnino potuissent, ipsi prius ventri pudenda non adhærerent. Denique Plutarchum in Artaxerxe asserit apud Persas fuisse capitale reginæ, aut regis alicujus concubinæ lecticam proprius accedere, ipsamque videre. Recte ergo ex lege naturæ, æque ac positiva Persarum, Vasthi noluit suam speciem ostentare convivis temulentis.

Utinam Vasthi imitentur feminæ Christianæ, quæ suam formam palam ostentant, imo fucant, ut juvenes in sui amorem illiciant! itaque eorum corpora et animas lenocinantur cum æterno tam sui, quam ipsorum exitio : « Nam oculi sunt in amore duces. » Et formosa illicique femina nihil illecebrosius.

UNDE IRATUS REX, ET NIMIO FURORE SUCCENSUS, — protulit contra Vasthi iracundam et iniquam repudii sententiam, quæ sequitur. Nam vir « omnis vindictæ est ira inferior et mentis vacuus, » ait Sophocles *apud Stobæum*, serm. 18.

14. SEPTEM DUCES PERSARUM, ATQUE MEDORUM, QUI VIDEBANT FACIEM REGIS, — hoc est, erant intimi et consiliarii, et familiarissimi regi. Nam, ut ait Justinus, lib. I in fine : « Apud Persas persona regis sub specie majestatis occultur; » unde cap. VII, vers. 8, Aman, qui in regis indignationem inciderat, faciem operuerunt, quasi indigni qui videret regem, quem adeo offenderat. Simile in fastum usurparunt nonnulli reges, ac hodie usurpant reges Sinarum. Idipsum Persæ a Medis æque ac regnum acceperunt. Nam de Dejoce, rege Medorum, ait Herodotus, lib. I, pag. 21 : « Cavet, ut nec conspici regem a quopiam fas esset? Nam ut ait Valerius Maximus, lib. II, cap. VII : « Quidquid in excelso fastigio positum est, humili et trita consuetudine, quo sit venerabilius, vacuum esse convenit. »

19. UT SEQUAQUAM VASTHI ULTRA INGREDIATUR, etc., REGNUM (regiæ titulum, dignitatem et magnificentiam) ILLIUS ALTERA, QUÆ MELIOR EST ILLA, ACCIPIAT. — Plutarchus in Artaxerxe agens de Persis : « Sunt barbari, ait, maxime zelotypi, et in uxores feri. » In hunc locum commentans Lutherus, omnes pudoris leges, limitesque excussit, docens quod, si uxor ad opus conjugale sit difficilior, vocetur ancilla, eique dicatur a marito : « Si nolis tu, vult alia; si non vult uxor, veniat ancilla. » Dignum tali patella operculum; dignum tali propheta Priapi oraculum.

Sanius S. Hieronymus, epist. *ad Rusticum* : « Philosophi hujus sæculi, inquit, solent amorem veterum amore novo quasi clavum clavo expellere. Quod et Assuero rege septem principes fecere Persarum, ut Vasthi reginæ desiderium, aliarum puellarum amore compescerent. Illi vitium vitio, peccatum peccato meditantur; nos amore virtutum vitia superemus. Declina, ait, a malo, et fac bonum. Quære pacem et persequere eam. Nisi oderimus malum, bonum amare non possumus. »

Tropologice. Vide hic ut convivium Assueri in mœrorem desinat, et extrema gaudii luctus occupet, ac rex Vasthi reginam conjugemque suam pulcherrimam abdicet et repudiet. « Sic fluvii, inquit illa, in alveo suo dulces sunt; cum tamen ad mare decurrunt, fiunt amari. » Vide Chrysostomum, hom. 6 in epist. *ad Hebr. in Morali*. Sic primorum conviviorum et deliciarum postridianus est dies doloris et pœnitentiæ.

22. ESSE VIROS PRINCIPES, — *q. d.* viros, sive maritos in domibus suis debere esse principes, ac dominari suis uxoribus, filiis et famulis.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Assuerus repudiat Vasthi, ac pro ea reginam sibi adsciscit Esther, per quam Mardochæus Assuero revelat conjurationem duorum Palatinorum contra regem, quos Assuerus crucifigit, et Mardochæi fidem in Annales referri jubet.

1. His ita gestis, postquam regis Assueri indignatio deferbuerat, recordatus est Vasthi et quæ fecisset, vel quæ passa esset; 2. dixeruntque pueri regis, ac ministri ejus : Quærantur regi puellæ virgines ac speciosæ, 3. et mittantur qui considerent per universas provincias

puellas speciosas et virgines, et adducant eas ad civitatem Susan, et tradant eas in domum feminarum sub manu Egei eunuchi, qui est præpositus et custos mulierum regiarum : et accipiant mundum muliebrem, et cætera ad usus necessaria. 4. Et quæcumque inter omnes oculis regis placuerit, ipsa regnet pro Vasthi. Placuit sermo regi : et ita ut suggesserant, jussit fieri. 5. Erat vir Judæus in Susan civitate, vocabulo Mardochæus, filius Jair, filii Semei, filii Cis, de stirpe Jemini, 6. qui translatus fuerat de Jerusalem eo tempore, quo Jechoniam regem Juda Nabuchodonosor rex Babylonis transtulerat, 7. qui fuit nutritius filiæ fratris sui Edissæ, quæ altero nomine vocabatur Esther, et utrumque parentem amiserat : pulchra nimis, et decora facie. Mortuisque patre ejus ac matre, Mardochæus sibi eam adoptavit in filiam. 8. Cumque perorebruisset regis imperium, et juxta mandatum illius multæ pulchræ virgines adducerentur Susan, et Egeo traderentur eunucho, Esther quoque inter cæteras puellas ei tradita est, ut servaretur in numero feminarum. 9. Quæ placuit ei et invenit gratiam in conspectu illius. Et præcepit eunucho, ut acceleraret mundum muliebrem, et traderet ei partes suas, et septem puellas speciosissimas de domo regis, et tam ipsam, quam pedissequas ejus ornaret atque excoleret. 10. Quæ noluit indicare ei populum et patriam suam : Mardochæus enim præceperat ei ut de hac re omnino reticeret; 11. qui deambulabat quotidie ante vestibulum domus, in qua electæ virgines servabantur, curam agens salutis Esther, et scire volens quid ei accideret. 12. Cum autem venisset tempus singularum per ordinem puellarum, ut intrarent ad regem, expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, mensis duodecimus vertebatur; ita duntaxat ut sex mensibus oleo ungerentur myrrhino, et aliis sex quibusdam pigmentis et aromatibus uterentur. 13. Ingredientesque ad regem, quidquid postulassent ad ornatum pertinens, accipiebant, et ut eis placuerat, compositæ de triclinio feminarum ad regis cubiculum transibant. 14. Et quæ intraverat vespere, egrediebatur mane, atque inde in secundas ædes deducebatur, quæ sub manu Susagazi eunuchi erant, qui concubinis regis præsidebat : nec habebat potestatem ad regem ultra redeundi, nisi voluisset rex, et eam vocare jussisset ex nomine. 15. Evoluto autem tempore per ordinem, instabat dies quo Esther filia Abihail fratris Mardochæi, quam sibi adoptaverat in filiam, deberet intrare ad regem. Quæ non quæsivit muliebrem cultum, sed quæcumque voluit Egeus eunuchus custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formosa valde, et incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur. 16. Ducta est itaque ad cubiculum regis Assueri mense decimo, qui vocatur Thebeth, septimo anno regni ejus. 17. Et adamavit eam rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam et misericordiam coram eo super omnes mulieres, et posuit diadema regni in capite ejus, fecitque eam regnare in loco Vasthi. 18. Et jussit convivium præparari permagnificum cunctis principibus, et servis suis, pro conjunctione et nuptiis Esther. Et dedit requiem universis provinciis, ac dona largitus est juxta magnificentiam principalem. 19. Cumque secundo quærerentur virgines et congregarentur, Mardochæus manebat ad januam regis : 20. nec dum prodiderat Esther patriam et populum suum, juxta mandatum ejus. Quidquid enim ille præcipiebat, observabat Esther : et ita cuncta faciebat, ut eo tempore solita erat, quo eam parvulam nutriebat. 21. Eo igitur tempore quo Mardochæus ad regis januam morabatur, irati sunt Bagathan et Thares duo eunuchi regis, qui janitores erant, et in primo palatii limine præsidebant, voluerunt que insurgere in regem, et occidere eum. 22. Quod Mardochæum non latuit, statimque nuntiavit reginæ Esther; et illa regi, ex nomine Mardochæi, qui ad se rem detulerat. 23. Quæsitum est, et inventum : et appensus est uterque eorum in patibulo. Mandatumque est historiis, et annalibus traditum coram rege.

4. RECORDATUS EST (ita Hebræus, Septuaginta, Chaldæus, Romani. Male ergo nonnulli legunt : « recordata est, » scilicet Vasthi) VASTHI, — quod scilicet eam adeo speciosam et dilectam repudiasset. Unde subiit animum regis dolor et mœ filia, tam sui, quam Vasthi quam deamabat, causa : quem mœrorem ut abstergant regis ministri, suggerunt ei ut uxorem speciosiorem quæri curet per universum regnum, ac decretum repudii revocet; itaque aliquid de regia constantia et auctoritate deperdat, nimirum sicut clavus clavo truditur, sic amor amore pellitur.

QUÆ PASSA ESSET, — id est ut Hebræus *quæ sanctitis in eam lata esset*, nimirum repudii et privationis regni.

3. EGEI EUNUCHI. — Τῶ « Egei » alludit ad *Vagao, sive Bagoas*, quod Persice significat eunuchum. Vide dicta *Judith* XII, 10. Porro eunuchi olim erant intimi regi et principes aulæ, qui videbant faciem regis, illique erant familiarissimi, ut patet cap. I, vers. 10, ubi Chaldæus pro *eunuchis* vertit *satrapas*.

5. ERAT VIR JUDÆUS IN SUSAN CIVITATE, VOCABULO MARDOCHÆUS. — Licet enim Mardochæus cum Zorobabel et Jesu Pontifice sub Cyro e Babylone ædificasset in Jerusalem, imo unus e primoribus et ducibus redeuntium fuisset, ut patet lib. I *Esdræ* cap. II, vers. 2; tamen ipse mox e Jerusalem rediit in Susan, eo quod esset « vir magnus, et inter primos aulæ regiæ, » ut dicitur cap. XI, vers. 4. Erat enim « ad januam regis, » quasi ejus ostiarius, cubicularius, et corporis regii custos. Ostiarios enim regias fuisse regis eunuchos testatur Xenophon et Herodotus. Unde Josephus Ben Gorion ait Mardochæum unum fuisse e tribus *Parthenis*, id est aulæ principibus et palatinis, de quibus vers. 3. Sic Daniel ob suam probitatem et prophetiam a Nabuchodonosor præpositus fuit toti Babyloni, *Daniel.* II, 48. Et Tobias, licet Hebræus et captivus, ob suam fidelitatem fuit œconomus Salmanassar, *Tobiæ* cap. I, ita virtus extulit priscos Judæos, alias gentilibus invisos.

Mardochæi etymologia.

Porro « Mardochæus, » Hebraice idem est quod *Mardochai*, id est *myrrha*, vel *amaritudo contritionis*, vel *myrrha contrita*, vel *docens contritionem*, vel *myrrha purissima*. Ita Serarius. Item *myrrha contritionum mearum*, vel *pauperiatum mearum*, vel *pauperum meorum* (*dal* enim est pauper) vel *myrrha puritatum mearum, aut justorum meorum; dacha* enim Syriace est mundare, purificare, justificare. Hæc omnia habet Pagninus *in Nom. Hebr.* omnique apte competunt Mardocheo qui, cum Hebræis per Aman destinatus ad necem, amara passus est; sed per Esther omne fel in mel, amaritudo in dulcedinem mœstitiæ in lætitiam conversa est.

Tribus et stirps regia.

MARDOCHÆUS FILIUS JAIR, FILII SEMEI, FILII CIS, DE STIRPE JEMINI, — id est de tribu Benjamin, ait Chaldæus, Septuaginta et Josephus. Nam Jemini fuit vir nobilis ex hac tribu; vel certe *Benjamin* per aphæresim τοῦ Ben idem est quod *Jamin*, vel *Jemini*. Hinc colligimus Mardochæum et Esther oriundos fuisse ex Benjamin, et de stirpe regia Saulis; idque asserit Josephus, Serarius et alii. Cis enim fuit pater Saulis, his Jonathæ et Miphiboseth, ex quo descendere videtur Mardochæus et Esther. Multæ enim generationes intermedie subticentur hic, æque ac alibi. Addit Chaldæus : « Mardochæus erat vir pius, et orans ante Deum suum pro populo suo. » Quam id verum sit patebit ex decursu historiæ. Hinc patet Esther fuisse filiam Cis, pro quo Herodotus, lib. III, habet, filia Cyri, quia ipse non norat Cis, sed Cyrum; putabatque Esther esse Persianam, non Judæam. Esther enim, sive Hadasa, videtur esse Atossa Herodoti.

6. QUI TRANSLATUS FUERAT DE JERUSALEM EO TEMPORE, QUO JECHONIAM REGEM JUDA NABUCHODONOSOR REX BABYLONIS TRANSTULERAT — in Babylonem, IV *Regum* cap. ultimo. Τῶ « qui » Ruperius, lib. VIII, cap. V, Cajetanus, Scaliger et Serarius referunt ad « Cis; » quasi hic cum Jechonia translatus sit, non vero Mardocheus; sic enim, inquiunt, ipse vixisset ducentos circiter annos, quod illo ævo erat insolitum. Verum τῶ « qui » refere ad « Mardocheum, » non ad « Cis, » liquet; tum quia hoc seriei nexus, et plana constructio, quæ tota est de Mardocheo, exigit; tum quia Mardocheum cum Jechonia translatum esse diserte dicitur, capite XI, versu 4; ex quo liquet ipsum in sua persona, non in suo patre, vel avo (uti nonnulli explicant) fuisse translatum. Unde colligo et concludo historam hanc contigisse, non sub Artaxerxe Longimano, ut multi volunt, multo minus sub Artaxerxe Mnemone; quia tantum vivere non potuit Mardocheus : quod enim Scaliger ait eum vixisse ducentos annos, alii 165, alii 190, incredibile videtur, et confutatur ex eo quod Esther, quæ erat Mardochei neptis ex fratre, vers. 8, vocetur puella, id est juvencula. Erat enim ipsa sine dubio in ætate floruit, cum, ob formam cæteris virginibus prælata, conjux data est Assuero; quomodo enim rex anum rugosam et deformem appetisset, vel admisisset in uxorem? Quare Mardocheus patruus Esther non potuit tunc esse centum annorum. Concludo ergo et asero historiam hanc contigisse sub Dario Hystaspis, illumque fuisse Assuerum maritum Esther, uti ostendi in Prooemio, cujus setatem et annos sic subduco et colculo : Mardocheus, cum Jechonia translatus in Babylonem, erat puer circiter triennis. Adde 70 annos captivitatis Babylonicæ, deinde tres annos Cyri, sex Cambysis, et tres Darii Hystaspis : tertio enim regni anno duxit Estherem, ut patet cap. I, vers. 3, confluebis annos vitæ et ætatis Mardochei 85, ita ut Esther a fratre juniore Mardochei genita fuerit 30 circiter annorum, quæ ætas est juventutis floridæ, apteque conjugio. Hinc liquet unum eumdemque fuisse Mardochæum (non duos, ut vult Serarius et alii), qui cum Esdra, Nehemia, Zorobabel, Jesu Pontifice vixit, fuitque unus e ducibus populi redeuntis e Babylone, I *Esdræ* capite II, versu 2.

Anni ætatis Mardochæi.

7. QUI FUIT NUTRITIUS FILIÆ FRATRIS — Hebræus, τῶ Chaldæus et Septuaginta habent *fratris patris*, id est patrui, quasi Esther fuerit patruelis, sive con-

solutum Mardochæi, non neptis) SUÆ EDISSÆ, QUÆ ALTERO NOMINE VOCABATUR ESTHER. — Hebraice ergo vocabatur *Hadasa* (Noster *Edissa* Persice); et eum ascita est in thorum Darii regis Persarum, dicta est Esther. Unde Xerxes filius Darii uxorem habuit, cui nomen Amester vel Amestris, teste Herodoto, lib. VII, *g. d.* altera Esther.

Porro *Hadasa*, sive *Edissa*, Hebraice idem est quod *myrtus*, vel *myrtea*; ita ergo fuit appellata ob eximiam pulchritudinem, probitatem, comitatem, et venustatem tum corporis, tum morum, præsertim virginalis pudoris et pudicitiæ, in qua fuit typus B. Virginis cæterarumque virginum et sanctorum, uti per multas analogias ostendi, *Zacharæ* 1, 8; ubi hac de causa anno secundo Darii Hystaspis Zacharias vidit Angelum stantem inter myrteta, id est in aula Esther, quæ dicta est *Hadasa*, id est myrtus, quæque jam destinabatur uxor Dario ad salutem populi sui, uti ibidem ostendi. Itaque vocata est *Hadasa*, id est myrtus, ob eminentem pulchritudinem; myrtus enim est herbarum pulcherrima: unde et Venus speciosissima cognominata est myrtea. Sic et Philippus rex Franciæ ex forma eximia cognominatus est pulcher. Ita Sanchez, Serarius et alii. Hæc autem pulchritudo corporis, et magis animi in Esther, æque ac in myrto, fuit solida et constans, juxta illud : « Myrtus semper est myrtus, etiamsi inter urticas sit, » uti Esther fuit inter Persas.

Ipsa est Atossa.

Porro *Hadasa*, sive *Edissa*, videtur esse *Atossa*, quam Herodotus, lib. III, uxorem Darii Hystaspis nuncupat, additque, lib. VII, sub initium, ejus filium primogenitum fuisse Xerxem, qui Dario patri in regno successit. Quare nonnulli censent Xerxem Estheris ex Dario fuisse filium. Audi Herodotum, lib. VII, ubi cum narrasset Darium, antequam rex crearetur, habuisse uxorem filiam Gobriæ, ex eaque genuisse Artabazanem, cum vero creatus fuit rex, duxisse Atossam, ex eaque genuisse Xerxem, cui Artabazani fratri de jure successionis in regnum litem movit, eique favens Demaratus Spartanus suggessit : « Ut, ad cætera quæ dicebat, hoc adderet, se quidem genitum a Dario jam rege, et Persarum imperium obtinente; Artabazanem vero e Dario, cum erat privatus; proinde neque æquum; neque justum esse, alium quempiam potius quam se illam dignitatem adipisci. Quoniam Spartæ quoque sic usurparetur, ut, si cui, antequam regnet, filii nascantur; deinde regi jam alius nascatur, hujus postea nati successio regni sit. Hac a Demarato subjecta ratione utentem Xerxem tanquam juste dicentem, Darius regem declaravit, quinquam etiam citra præceptum Demarati Xerxes (ut mea fert opinio) regnasset; quippe cum omnis potentia penes Atossam esset. » Hæc Herodotus qui et inferius addit Xerxem movisse bellum Græcis, ac numerasse in castris militum 170 myriades, hoc est decies septies centena millia, sed in tanto numero nullum fuisse, qui cum Xerxe, vel magnitudine, tum animi, tum corporis, vel forma et specie tam augusta comparari posset; Xerxem vero ex alta specula tantæ copias contemplantem illacrymasse; ac ab Artabano rogatum causam dixisse : « Reputantem me quam brevis est humana vita, subiit horum miseratio, quorum cum tot sint, nemo ad centesimum annum supererit, » tum subjunxisse Artabanum : « Vita hæc tam misera est, totque ærumnis referta, ut nullus hominum sit, cujus animo non crebro subeat moriendi voluntas potius quam vivendi, cuique vita, licet brevis sit, non perlonga videatur; itaque mors optatissimum est ærumnosæ vitæ perfugium, ac proinde non lugenda sed optanda potius et ambienda. »

Mulier virilis.

ESTHER — ita dicta est a Persis, uti jam ostendi, quæ prius Hebraice vocabatur *Hadasa*, id est myrtus. Solebant enim Chaldæi et Persæ alicnigenis, ac præsertim Hebræis, cum in urbem vel aulam adsciscerentur, mutare nomina, ac patria sum gentis dare, uti Danieli dedere et sociis, cap. I.

Porro « Esther » Hebraice idem est quod *abscondam*, ait Pagninus a radice סתר *Satar*, id est abscondit. Addit Serarius initio *Prolegom. Esther* idem est quod *occulta demoliens*, vel *medicinæ exploratio et contemplatio*, vel *medicina turturis*, vel *pulchra ut luna*, aut Venus. Unde ab Esther dicti ἀστέρες, id est stellæ, quæ inde a Germanis dicitur *sterre*. Esther enim fuit astrum lucidius cæteris virginibus regiis; imo sol Israelis æque ac Persidis. Hinc iterum nomen Esther alludit ad Astartem Deam Syrorum, quam Venerem fuisse pulcherrimam Dearum tradit Cicero, lib. III *De natura Deorum*; et ad Asterem filium Cei, Titanis filii, ex qua Jupiter genuit Herculem, uti aiunt, et fingunt Poetæ. Rursum « Esther » Hebraice idem est quod ignis absconditus : אש enim est *ignis*, סתר *sater abscondere*; vel *ignis turturis*, vel *ignis investigans et scrutans*; es enim est *ignis*, תור *tor est turtur*, vel *investigans et scrutans*.

Verum quia Esther est nomen Persicum, hinc et etymon ejus ab Arabibus et Persis (quorum lingua vicina est, et utraque ab Hebræa descendens) arcendum est. « Esther » ergo Arabice et Persice idem est quod *receptatrix et protectrix*, scilicet Judæorum ab Aman nece destinatorum : *Satar* enim est recipere, celare, abscondere, et protegere. Unde *Satir* Arabice est protector; *satar* est receptator, qui servos fugientes recipit, et occultat. Rursum Chaldaice et Syriace *Satar* significat opponere, contradicere, destruere, quasi fuit Esther, quæ se opposuit Amano, eumque destruxit, et crucifixit. Denique Pagninus, Esther, inquit, Chaldaice idem est quod *hilaritas*; et sic « Esther » Persice idem est quod Hebræum *Hadasa*, id est *myrthus* : hæc enim est symbolum lætitiæ et hilaritatis, quam Israeli attulit Esther eum liberando ab Amano et morte.

Esther typus B. Virg.

Allegorice Esther est B. Virgo, ipsa enim sub alis suis recipit et protegit peccatores, et justos afflictos ad se confugientes; ipsa est hilaritas sanctorum et fidelium. Hinc ejus ope S. Hilaria mater S. Afræ martyris, orans ad filiæ sepulcrum a Gentilibus in ignem conjectæ, hilariter martyrium obiit, æque ac S. Hilaria Claudii tribuni et martyris uxor, quæ orans ad sepulcrum Jasonis et Mauri filiorum suorum martyrum, capta a Paganis, percepta sancta synaxi, hilaris emisit spiritum, uti refert Ado *in Martyrol.* ad diem 12 augusti, et ad diem 3 decembris. Quocirca Ecclesia quotidie ita B. Virginem compellat et invocat : « Salve, Regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo, et spes nostra, salve. » Et alibi : « Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, et in hora mortis suscipe. » Et : « Ave, maris stella, Dei mater alma, » etc. « Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. » Audi S. Bernardum, serm. 4 *De Assumpt.* : « Silet misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse; nos quidem servuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hoc potius nobis ipsis; laudamus virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur carius, recordamur sæpius, crebrius invocamus. »

MARDOCHÆUS SIBI EAM ADOPTAVIT IN FILIAM. — Hinc patet *primo* Esther fuisse e tribu Benjamin, et stirpe regali Saulis; ex illa enim erat Mardochæus ejus patruus, imo pater adoptivus; *secundo*, eam fuisse orphanam; *tertio*, pie et sancte educatam a pio et sancto Mardochæo, qui ei quasi filiæ suum virtutis et pietatis spiritum inhalavit. Unde S. Hieronymus, *epist.* 140 : « Ruth, inquit, Esther et Judith tanta gloria fuit, ut sacris voluminibus nomina indiderint. » Porro litteræ nominis Judith, et nominis Esther acceptæ, ut notæ numerorum eumdem numerum efficiunt, scilicet 161, ut ostendit Serarius initio *Prolegomenorum*.

QUÆ PLACUIT EI. — Ægeo eunucho, conquirenti virgines speciosas Assuero.

ET PRÆCEPIT — Ægeus præfectus eunuchorum) EUNUCHO (se inferiori et subdito) UT ACCELERARET MUNDUM (id est ornatum) MULIEBREM, ET TRADERET EI PARTES, id est demensam, stalutamque cibi et opularum portionem : מנות *Manoth* enim Hebraice vocantur fercula, quæ unicuique apponuntur sigillatim, qualcs partes Elcana dedit Annæ uxori, 1 *Reg.* 1; et Samuel Sauli Regi. 1 *Reg.* x. Porro non dubium Estherem feminam religiosam abstinuisse a cibis lege Mosis sibi vetitis, uti ab idolothytis se abstinuisse ipsamet profitetur, cap. XI, vers. 17.

Mundus mulie-bris.

Partes.

ET SEPTEM PUELLAS SPECIOSISSIMAS, — quasi comites et pedissequas honorarias.

12. MENSIS DUODECIMUS. — Integro ergo anno singulæ virgines ornabantur et excolebantur, antequam Assuerum adirent; nimirum sex prioribus mensibus ungebantur oleo myrrhino, sive ex myrrha confecto, aliis sex pigmentis, et aromatibus delicatis, et odoribus utebantur, ac præsertim confectis ex Heliocallide : « Hæc enim cum adipe, inquit Plinius, lib. XXIV, cap. XVII, leonum decocta, addito croco et palmeo vino, perunxit Magos, et Persarum reges, ut fiat corpus aspectu jucundum, ideoque eamdem Heliocallidem nominari. »

Causa fuit quod feminæ Judææ, æque ac Persicæ, ob regionis calorem graviter oleant, et hircinum odorem sub axillis exhalent, qui unguentis sensim a corpore imbibitis abstergendus est, ut suavem, quo imbuti sunt, odorem exhalent. Unde Plinius, libro XIII, capite I, unguenti et ungendi usum et originem Persis adscribit : « Persarum, inquit, esse debet gentis unguentum; illi madent eo, et accersita commendatione ingluvie naturæ virus exstinguunt. Primum, quod equidem invenio, castris Darii regis expugnatis, in reliquo ejus apparatu Alexander cepit scrinium unguentorum; postea voluptas ejus a nostris quoque inter laudatissima atque honestissima vitæ bona admissa est. » Quin et Scriptura, *Cant.* IV, unguenta ex myrrha, croco, nardo, etc. eisdem assignat. Ita Lyranus, Sanchez et alii.

Si ita uncta et ornata est Esther, ut placeret homini mortali, quomodo gratia et virtutibus uncta et ornata fuit B. Virgo, ut fieret sponsa Dei et mater Christi? Porro feminæ sunt philocosmæ, et ornatus studiosæ, unde Comicus : « Negotii, ait, quantum in muliere una est? quæ noctes diesque omni ætate semper ornantur, lavantur, poliuntur. » Et rursum : « Dum comantur, dum poliuntur, annus est. » Addit Athenæus, lib. I : « Persicæ mulieres ornatus plus æquo studiosæ. »

16. DUCTA EST ITAQUE AD CUBICULUM REGIS ASSUERI MENSE DECIMO (qui nostro partim decembri, partim januario respondet) SEPTIMO ANNO REGNI EJUS. — Ergo per quadriennium exspectavit Esther ob multitudinem virginum, quæ adducebantur, antequam ipsa ducretur ad Assuerum; nam ipse tertio anno regni sui repudiata Vasthi, curavit quæri alias feminas speciosas, inter quas erat Esther.

Porro hæ feminæ, hoc ipso quod ducebantur ad Assuerum, fiebant ejus concubinæ, id est secundariæ uxores; e quibus deinde unam primariam rex in Reginam eligebat, uti hic elegit Esther. Matrimonium enim fiebat per mutuum viri et feminæ consensum in copulam maritalem. Unde Josephus, lib. XI, cap. VI : « Cum, inquit, venisset ad regem Esther, ipse illa delectatus, quisque amore captus, eam legitime ducit uxorem, et nuptias cum ea peragit, duodecimo mense septimi anni regni ejus, qui mensis Adar vocatur. »

Quæres an Esther fidelis licite potuerit nubere Assuero infideli. Respondeo potuisse, quia *Deut.* VII, 3, tantum vetantur Judæis conjugia cum Chananæis, non autem cum Persis aliisque Gentilibus. Ita Bellarminus, Serarius, Sanchez et alii. Adde Estherem non potuisse recusare hoc Regis edictum, ne ejus in se cæterosque Judæos iram

Ad 2a hoc cita innuendi.

Ad 3am.

provocaret : imo si ipsa restitisset, potuisset rex ea nolenti abuti, illique vim inferre. Denique sentiebant Esther et Mardochæus Dei instinctum ad conjugium cum rege ineundum, ut eum toti genti suæ conciliarent ; itaque periculum necis ab Amano illi impendens discuterent.

Allegories de la Vierge. Allegorice « Esther regina est B. Virgo Maria, ait S. Bonaventura *in Speculo*, cap. VII, quæ ducta est in cubiculum Regis in Assumptione, in cubiculum quietis æternæ, gratiam veri Regis habens super omnes mulieres, id est super omnes intelligentias angelicas, et super omnes beatas animas, ut sit in Maria gratia super gratiam omnium beatorum ; nam revera in capite ejus Rex regum diadema regni posuit tam impretiabile, tam delectabile, tam mirabile, quod hoc omni linguæ inenarrabile, omni ingenio inscrutabile est. » Quocirca Methodius in *Hypapantem* docet sacrum Mariæ caput a Deo coronatum esse. Idcirco Robertus, lib. III *in Cant.* IV, de illa exponit : « Coronaberis de cubilibus leonum, de montibus pardorum : Coronaberis, ait, ut in cœlis Regina Sanctorum, et in terris Regina sis regnorum. »

Anagogice B. Virgo in cœlum assumpta ibidem coronata est Regina cœlorum, hominum et Angelorum. Unde Apoc. XII, 1, ipsa vocatur « mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus et in capite ejus corona stellarum duodecim, » vide ibi dicta. Audi S. Bernardum *De Assumpt.* : « Tunc B. Virgo quasi altera Esther de tribunali luminarum, id est, de Ecclesia militante adducta, et per totam militiam cœlestis exercitus ad cubiculum Assueri, scilicet summi Dei, ita ut illi conveniat Propheticum illud : Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me. Quod hodie vere fuit completum, quando omnes cœli cives viderunt eam ascendentem, et delicis divinorum amplexuum affluentem, innixam super dilectum suum. » Merito igitur canit Ecclesia, ut testatur S. Ildephonsus, serm. *De Assumpt.* : « Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato, imo ineffabili, ut ait Ildephonsus, sedet solio. »

Vers. 17. 17. ET ADAMAVIT EAM REX PLUSQUAM OMNES MULIERES. — quia Esther et pulchritudine, et modestia, verecundia, puritate, gratia, ac sanctitate omnes superabat ; unde fuit typus B. Virginis quam Angelus salutavit, dicens : « Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, » LUCÆ I.

Vers. 18. 18. ET DEDIT REQUIEM UNIVERSIS PROVINCIIS — a vectigalibus aliisque oneribus, hoc est, tributa relaxavit, quæ primo ipse populo imposuerat. Darium enim plura imposuisse docet Herodotus lib. III : « Etenim sub Cyro, inquit, atque deinde sub Cambyse, nihil dum fuerat circa tributa institutum, sed munera afferebantur. Ob hanc tributum ordinationem, et alia hujusmodi, Persæ aiunt Darium fuisse institorem, Cambysem autem dominum, Cyrum vero patrem : quoniam Darius res omnes quæstui habebat, Cambyses asper erat ac morosus ; Cyrus autem mitem agens, et omni ratione de illis bene mereri studens. »

Alii « requiem » hanc intelligunt a laboribus, *q. d.* Jussit Darius omnes ab operibus quiescere, et dies festos agere in lætitia et conviviis, ob tam insignes nuptias cum Esthere initas.

AC DONA LARGITUS EST JUXTA MAGNIFICENTIAM PRINCIPALEM, — id est regiam : nam Hebraice est *juxta magnificentiam regis*, quæ scilicet tantum regem decebat, quantus erat Darius.

19. CUMQUE SECUNDO QUERERENTUR VIRGINES. — Vers. 19. Hinc apparet bis quæsitas virgines Assuero, hoc enim verba sonant. Usitata enim erat tum polygamia, præsertim apud reges. Unde Salomon habuit 700 reginas et 300 concubinas, id est secundarias uxores. Sic etiamnum reges Turcarum, Arabum, Indorum, magnam habent turbam uxorum. Libido enim est insatiabilis, neque ac fastidiosa et curiosa ; quam enim semel cognoverunt, mox fastidiunt, ac aliam quærunt, ut luxuriam non tam explent, quam mutent, et experiantur num alibi voluptas sit major.

20. IVA CUNCTA FACIEBAT, UT EO TEMPORE SOLITA Vers. 20. ERAT, QUO EAM PARVULAM NUTRIEBAT. — Vide hic rarum Estheris obedientiam, qua jam regina, imo imperatrix effecta, ita tamen obedit Mardochæo, ut obedibat parvula, atque per hanc obedientiam Deus eam prudentissime per omnia direxit, ut Amanum supplantaret, et populum a nece liberaret.

21. IRATI SUNT BAGATHAN ET THARES DUO EU- Vers. 21. NUCHI (Palatini, et aulici Darii), etc., VOLUERUNTQUE INSURGERE IN REGEM, ET OCCIDERE EUM. — Qua de causa ? Varii varias probabiliter assignant. Septuaginta hanc dant, quod rex ipsis prætulisset Mardochæum. Alii, quod Vasthi repudiasset, eique surrogasset Estherem. Alii, quod sua dignitate et gradu non essent contenti, sed majorem, imo regnum ambirent, sicut Smerdes Magus ante Darium per dolum regnum occuparat. Alii verisimilius, quod voluerint regnum ad Amanum, qui erat primus a rege transferre ; ideoque Aman conjurationis eorum fuisse conscium, vel auctorem arbitrantur, idque colligunt ex eo quod cap. XII, vers. 6, dicitur Aman offensus fuisse Mardochæo, eo quod ipse causa exstiterit, quod bi duo eunuchi suspenderentur. Erant ergo illi amici, fautores et administri Amani, ut caeso per eos rege, ipse illud quasi primus a rege occuparet ; et eo quod, ait rex, cap. XVI, 12, de Aman : « Qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, ut regno privare nos niteretur et spiritu, » id est vita. Ambitio enim regnandi nihil non molitur, et omnia subvertit. Favet quod scribit Josippus filius Gorionis : « Cum sederet, inquit, Mardochæus in porta regis, adverit susurrum duorum eunuchorum regis, custodientium portam,

et consultantium quomodo levarent manum contra regem, et ablatum ejus caput deferrent ad regem Macedoniæ, qui jam bellum indixerat regibus Persarum. Cum autem eunuchi suspensi essent in cruce, iratus est Aman valde, quod consiliarii sui sic acti essent in crucem, et cognitus est exterminare omnes Judæos. » De bello hoc a rege Macedonia Dario et Persis indicto, nil alibi legimus ; potuit tamen aliqua esse ejus suspicio, tum quia paulo post Xerxes filius Darii bellum gessit contra Macedones et Græcos ; tum quia Alexander Magnus, qui fuit rex Macedoniæ, post aliquot annos monarchiam a Dario Codomanno et Persis transtulit ad se et Macedones ; tum quod Aman, qui erat Macedo, ambiret regnum, de quo plura cap. III, vers. 1.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Assuerus exaltat Aman, eumque ab omnibus adorari jubet. Renuit id facere Mardochæus. Unde Aman ab Assuero impetrat decretum, ut ipse et omnes Judæi stato die occidantur.

1. Post hæc rex Assuerus exaltavit Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag ; et posuit solium ejus super omnes principes quos habebat. 2. Cunctique servi regis, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genua, et adorabant Aman ; sic enim præceperat eis imperator : solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum. 3. Cui dixerunt pueri regis qui ad fores palatii præsidebant : Cur præter cæteros non observas mandatum regis ? 4. Cumque hoc crebrius dicerent, et ille nollet audire, nuntiaverunt Aman, scire cupientes utrum perseveraret in sententia : dixerat enim eis se esse Judæum. 5. Quod cum audisset Aman, et experimento probasset quod Mardochæus non flecteret sibi genu, nec se adoraret, iratus est valde, 6. et pro nihilo duxit in unum Mardochæum mittere manus suas : audierat enim quod esset gentis Judææ, magisque voluit omnem Judæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem. 7. Mense primo (cujus vocabulum est Nisan), anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in urnam, quæ Hebraice dicitur phur, coram Aman, quo die et quo mense gens Judæorum deberet interfici : et exivit mensis duodecimus qui vocatur Adar. 8. Dixitque Aman regi Assuero : Est populus per omnes provincias regni tui dispersus, et a se mutuo separatus, novis utens legibus et cæremoniis, insuper et regis scita contemnens. Et optime nosti, quod non expediat regno tuo ut insolescat per licentiam. 9. Si tibi placet, decerne ut pereat, et decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ. 10. Tulit ergo rex annulum quo utebatur de manu sua, et dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hosti Judæorum, 11. dixitque ad eum : Argentum, quod tu polliceris, tuum sit, de populo age quod tibi placet. 12. Vocatique sunt scribæ regis mense primo Nisan, tertia decima die ejusdem mensis : et scriptum est, ut jusserat Aman, ad omnes satrapas regis, et judices provinciarum diversarumque gentium, ut quæque gens legere poterat, et audire pro varietate linguarum, ex nomine regis Assueri : et litteræ signatæ ipsius annulo, 13. missæ sunt per cursores regis ad universas provincias, ut occiderent atque delerent omnes Judæos, a puero usque ad senem, parvulos et mulieres, uno die, hoc est tertio decimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, et bona eorum diriperent. 14. Summa autem epistolarum hæc fuit, ut omnes provinciæ scirent, et pararent se ad prædictam diem. 15. Festinabant cursores, qui missi erant, regis imperium explere. Statimque in Susan pependit edictum, rege et Aman celebrante convivium, et cunctis Judæis, qui in urbe erant, flentibus.

Vers. 1. 1. POST HÆC REX ASSUERUS EXALTAVIT AMAN FILIUM AMADATHI, QUI ERAT DE STIRPE AGAG. — Erat ergo Aman Amalecita ex stirpe regia ; Agag enim fuit rex Amalec, quem occidi jussit Samuel, I. *Regum* XV. Ita Josephus, Lyranus, Sanchez et alii. Dices : Cap. XVI, vers. 10 et 14, dicitur Aman

Aman stirpe et re Amalecita, patria Macedo.

animo et genere fuisse Macedo, ac alienus a sanguine Persarum, atque conatus regnum a Persis transferre ad Macedones. Respondeo eum stirpe fuisse Amalecitam, sed patria Macedonem; nimirum parentes ejus fuerunt Amalecitæ; sed Amalecitis partim per Saulem, partim per Nabuchodonosor cæsis, parentes Aman profugerunt ad alias gentes, et per errores casusque venerunt in Macedoniam, ibidemque sedem fixerunt ac genuerunt Aman.

Chaldæus manuscriptus addit Aman fuisse manciplium, ideoque evectum ab Assuero intumuisse, et factum intolerabilem. Nam, ut dicitur *Prov.* XXX, 21 : « Per tria movetur terra, et quartum non potest sustinere : per servum cum regnaverit, » etc. Addit Chaldæus Auran fuisse illum qui cap. I, vers. 14, vocatus Mamuchan, suasitque Assuero repudiare Vasthi, ac in ejus locum surrogasse filiam suam; sed accidisse filiæ tantum tamque fœdum ventris profluvium, ut suo fœtore omnes abigeret. Insuper Aman ascendisse Jerosolymam, ut templi fabricam impediret, pluraque similia, quæ videntur Rabbinorum esse commenta et figmenta.

2. CUNCTIQUE SERVI REGIS, etc., FLECTEBANT GENUA, ET ADORABANT AMAN; SIC ENIM PRÆCEPERAT EIS IMPERATOR. — Vide hic quam Assuerus exaltarit Aman, ut eum præceperit adorari quasi Deum aliquem et numen. Reges enim Persarum volebant adorari ut Dii et numina. Unde sicut Jupiter in cœlo dicitur creare minores Deos; sic Assuerus Aman creavit, quasi minorem Deum in terra, sibique proximum, ideoque ab omnibus adorandum : ita Serarius, de quo mox plura.

Mardochæus nolebat adorare Aman. Cur? Ratio. Primo.

SOLUS MARDOCHÆUS NON FLECTEBAT GENU, NEQUE ADORABAT EUM. — Cur Mardochæus noluit flectere genu coram Aman? Respondet *primo* Chaldæum manuscriptum ob rei indignitatem, eo quod Aman fuisset servus Mardochæi; sed hoc incertum est et parum verisimile, nec sufficit, imo id refutat Mardochæus, dicens cap. XIII, vers. 13 : « Vestigia pedum ejus deosculari paratus essem. »

Secundo, Judæi causam dant, quod Aman in veste pictas gestarit idolorum imagines; sed hoc æque incertum et improbabile.

Tertio, Cajetanus aliam causam affert, quod scilicet Aman esset Amalecita de stirpe Agag : Amalecitas autem ab Hebræis deleri jusserat Deus, *Deut.* XXIV. Verum illud odium spectabat ad excidium gentis Amalec, non ad honorem uni Amano in Perside cum tanto Mardochæi et Hebræorum periculo negandum.

Quarto, idem Cajetanus : Judæi, inquit, unum genu flectebant principi, utrumque loco; Aman autem voluit utrumque sibi fleti, ideoque detrectavit Mardochæus. Verum hoc falsum fictumque videtur; nam Abraham curvans utrumque genu, imo prostratus in terram, adoravit filios Heth, uti dixi *Genes.* XXIII, 7.

Quinto, Gabriel Vasquez, *De Adoratione*, lib. I, Cœtus disp. 5, capite III, censet Mardochæum noluisse genuflectere et adorare Aman, eo quod ipse quotidie genuflecteret et adoraret Deum : quia hæc quotidiana genuflexio erat reservata ex more Judæorum. Aman autem, quotidie ingrediens aulam regiam, quotidie a Mardochæo et palatinis exigebat hanc genuflexionem. Verum Mardochæus ne semel quidem voluit genuflectere et adorare Aman. Si enim semel hoc licuisset, utique et quotidie licuisset.

Dico ergo : Veram causam assignat ipse Mardochæus, cap. XIII, vers. 14, dicens : « Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo. » Idem docet Josephus lib. XI, cap. VI. Nam, ut recte ait Severus Sulpitius, lib. II, Assuerus Aman sibi æqualem constituerat, ideoque eum proprie ut Deum adorari jusserat. Reges enim Persarum a suis honorem divinum, et adorationem Deo debitam exigebant, ut patet ex Justino lib. VI, Herodoto, lib. VII, ubi ait Lacedæmones, licet jussos, noluisse adorare Xerxem, quia erat Persa. Apud Plutarchum in Artabano : « Nobis, inquiunt, pulcherrima lex honorare regem, et adorare eum ut Dei omnia servantis. » Q. Curtius de Dario : « Rex, ait, curru paulo ante vectus, et Deorum a suis honoribus cultus. » Hinc Æschylus dixit Persas Deorum loco habere reges. Idem de Persis asserit Xenophon, *Orat. De Agesilao*, et Aristoteles, lib. III *Rhetor.*, Isocrates in *Panegyr.*, Strabo, lib. X, Heliodorus, lib. VII et IX, Seneca, lib. III, *De Ira*, cap. XII, Herodianus, lib. I, Lampridius *in vita Alexandri Severi*, ut nullum hac de re sit dubium. Hinc, teste Curtio, lib. VIII, cum Cleo Siculus Alexandro suaderet ut divinum sibi nomen assumeret, exemplum adduxit Persarum, quos ante ipse domuisset; dixit enim : « Persas non pie solum, sed etiam prudenter Reges suos inter Deos colere; majestatem enim imperii salutis esse tutelam. » Et cum Alexandri, qui jam Deorum esse in numero decreverat, Macedones non possent ferre superbiam, et illorum nonnulli in ejus cædem conjurassent, quidam illorum deprehensus ea excusatione usus est, quod illius superbia non videbatur toleranda. Is autem erat Hermolaus. « Persarum, inquit, te vestis et disciplina delectat, patrios mores exosus es; Persarum ergo, non Macedonum regem occidere voluimus, et te transfugam belli jure persequimur. Tu Macedones volebas genua tibi ponere, venerarique te ut Deum. Tu Philippum patrem aversaris, et si quis Deorum ante Jovem lacrimatur, fastidires etiam Jovem. Miraris si liberi homines superbiam tuam ferre non possumus? » Ibi Curtius. Simili modo Nabuchodonosor adorari ut Deus voluit in statua sua, quod recusantes tres socii Danielis in fornacem accensam ab eo projecti, illæsi a Deo servati sunt, Dan. cap. III. Et alter Nabuchodonosor jussit Holofernem ubique auferre omnes Deos, ut ipse solus quasi Deus coleretur, *Judith* III, 13.

Ibi Arphaxadum hostem.

Sic de Augusto Cæsare canit Virgilius, *Eclog.* primo :

Namque erit ille mihi semper Deus; illius aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Sic Caius Caligula adorari voluit ut Deus; et Domitianus, cui proinde Martialis adulans ait;

Edictum Domini, Deique nostri.

Ibi : « Adoratio ab Persis usurpata. »

Hinc et adoratio Persica hoc fiebat ritu, qui divinitatem sapiebat. Nam adorantes genuflectebant, et proni procumbentes in terram fronte humum feriebant, ac terram osculabantur, teste Curtio, lib. V et VIII, et Valerio Maximo, lib. VII, cap. III. Josepho, XX *Antiq.* cap. III. Martiali, lib. X *Epigr.* LXXII, qui proinde eam ut nimis superbam et divinitatem redolentem, culpant et subsannant. Vide de ritu adorationis regum Persarum Brissonium, lib. I *De regno Persarum*, pag. 10 et seq. ubi et narrat Pelopidam aliosque Græcos noluisse hoc ritu Artaxerxem adorare; imo Athenienses capite mulctasse Themagoram, eo quod hoc modo Darium adorasset, uti refert Valerius Maximus, VI.

De Mardochæo adorante ut Deum.

Dices : Mardochæus dissimulare poterat intentionem Amani, ac simpliciter eum adorare adoratione civili et politica, nimirum flectere genu ei, seseque in terram prosternere ut principi, non ut Deo; hi enim gestus externi indifferentes sunt, et mente facientis discriminantur, ut si ille haberet intentionem vere adorantis, censeantur esse gestus adorationis et latriæ : sin honorantis duntaxat, censeantur esse gestus reverentiæ et honoris politi; ita Salianus, qui proinde putat Mardochæum, Esdram, Nehemiam, hos gestus adorationis aliquando exhibuisse regibus Persarum, non ut Diis, sed ut principibus. Respondeo id facere non potuisse, quia rex publice jusserat eum adorari ut Deum, ac ut talis adorari volebat Aman; idque expresse exigebat, ut colligitur ex cap. XIII et XIV. Quare si ei obsecutus fuisset Mardochæus, ab omnibus judicatus fuisset adorare Amanum ut Numen, uti cæteri adorabant. Adde, id id fecisset, grave dedisset scandalum Judæis omnibus, maxime illo tempore, quo Judæi inter idololatras versantes cavebant omnem idololatriæ speciem, etiam levissimam. Unde Esdras, Nehemias, Mardochæus, Zorobabel, Jesus, cæteræque in aula Cyri, Darii et Artaxerxis versantes, nunquam leguntur adorasse; sed, ut ait Josephus, magnis beneficiis a regibus hisce acceptis, gratias eis agebant, et adorabant Deum primum beneficiorum horum auctorem. Secus fuit de Judith quæ cap. X, vers. 20, genu flexo politico cultu adoravit Holofernem ut principem, non ut Deum; quia Holofernes profitebatur se non esse Deum, sed solum Nabuchodonosor.

Addunt nonnulli Mardochæum fuisse delicatioris, timidioris, arctioris conscientiæ, ut nec umbram aliquam idololatriæ admitteret, vel signum quodpiam quo vel minimum Dei cultus videretur lædi et proximus offendi. Unde ipse ait cap. XIII, vers. 14 : « Timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem. »

4. DIXERAT ENIM EIS SE ESSE JUDÆUM, ac proinde Judaica religione et lege prohiberi ut ullum hominem, sed solum Deum adoraret, cum Persæ, aliique gentiles etiam homines, puta reges suos quasi Deos adorarent. Verisimile est Idem Cyro, Dario et Artaxerxi repondisse Esdram, Nehemiam, Estherem, Zorobabel, cæterosque Hebræos, qui in aulis eorum versabantur, imo officia honorata gerebant, nimirum se esse Judæos, quibus non licet alium quam Deum adorare, ac proinde reges ipsos ab istis, utpote Judæis, adorationem Persicam non exegisse, sed tantum adorationem politicam et civilem, quæ principibus ut hominibus deferri solet. Adde reges istos adorationem illam Persicam exegisse duntaxat in publico, cum se populo quasi numina venerandos ostenderent; privatim enim a suis aulicis et cubicularibus, quibuscum quotidie familiariter agebant, illam non postulabant, communi honore et reverentia contenti. Persicam enim adhibere ad singula eorum alloquia et obsequia fuisset onus intolerabile, et moraliter impossibile.

6. MAGISQUE VOLUIT OMNEM JUDÆORUM, QUI ERANT IN REGNO ASSUERI, PERDERE NATIONEM. — To « magis » innuit jam ante voluisse Aman perdere Mardochæum et Judæos, quod ipse duos eunuchos amicos suos accusasset, ut in crucem agerentur, ut dixi cap. I, vers. 21. Jam autem accedente alia injuria, suaque contemptu, ut ipse credebat, in sua sententia confirmatus, magis voluit eosdem exterminare. Hinc liquet *primo* superbia et crudelitas Amani, qui propter unicum Mardochæum voluit occidere omnes Judæos plane innoxios : Solus Mardochæus, o Aman, te offendit; illum ergo solum persequere, si libet : cur iram in omnes Judæos, qui te non offenderunt, evomis? *Secundo*, magna dignitas Mardochæi, quod propter eum Aman decreverit totam Judæorum gentem interimere; quia scilicet Mardochæus erat eorum choragus, et quasi dux et princeps, ut ab eo regerentur, et quod ille faceret, cæteri facerent, ejusque exemplum sequerentur. Vers. 6.

7. MISSA EST SORS IN URNAM, QUÆ HEBRAICE DICITUR PHUR, (QUAM AMAN, QUO DIE ET QUO MENSE GENUS JUDÆORUM DEBERET INTERFICI. — PRO « SORS » Hebraice est גּוֹרָל *goral*. Unde Lyranus, Cajetanus, Marinus et alii putant *phur*, esse nomen Persicum, *goral* vero Hebræum : verum Hebræos a Persis hoc loco accepisse nomen *phur*, ideoque hanc sortem Persicam eorum nomine nuncupasse *phur*. Unde Hebræa sic habent : *Jacta est phur; ipsa est goral*, id est sors. Hinc et *phur* nusquam in Bibliis reperitur, nisi in hoc libro Esther. Nam in Psalmis, Proverbiis cæterisque libris pro « sors » semper est Hebraice *goral*, non *phur*. Vers. 7.

Nonnulli tamen censent *phur* quoque esse vocem Hebræorum, a radice *phur*, id est labi, eo quod sors cadat et labatur in urnam.

Porro a *phur*, id est sors, dies festus ab Hebræis dictus est *phurim*, quo scilicet gratias egerunt Deo, quod eos a sorte maligna internecionis ab Amano jacto liberasset. Aman autem sortem hic adhibuit ex superstitione gentilium, qui sorte quasi divinatione utebantur ad scrutanda occulta et periculosa, uti factum est Jonæ cap. I. Nam, ut ait S. Augustinus *in Psal.* XXX, « Sors est res in dubitatione humana, divinam indicans voluntatem. » Hinc Cicero, lib. I *De divin.* sortes vocat, quæ vaticinatione funduntur. Virgilius, lib. IV *Æneid.* :

Italiam Lyciæ jussere capessere sortes,

Id est oracula. Ovidius, lib. I *Metamorph.* :

Plurit cœleste precari
Numen, et auxilium per sacras quærere sortes.

Verum superstitio hæc Amanum decepit; prorogavit enim tempus cædis Judæorum, itaque spatium dedit Estheri eosdem deprecandi. Si enim statim accepta a rege facultate, rem executus fuisset, Judæos omnes occidisset. Imprudens ergo fuit ejus dilatio et sortilio : nimirum Deus infatuavit crudele ejus consilium. Sensus ergo est, *q. d.* Aman misit sortem, ut ex ea quasi ex divinatione et oraculo cognosceret, quis dies cædi Judæorum foret accommodus, sibique felix et faustus, ne quod a Judæis et defendentibus vitæ suæ aut suorum periculum adiret.

Vers. 9. 9. SI TIBI PLACET, DÉTERSUM UT PERIRET, ET DECEM MILLIA TALENTORUM (argenti, ut habet Hebræus, Chaldæus et Septuaginta) APPENDAM ARCARIIS CÆSARIS TUI, — id est quinque millones aureorum, si Attica, ut videtur, intelligantur hic talenta; sin Hebræa, duplo major erit summa, nimirum decem millionum aureorum. Immane est hoc pretium, sed Amano illud facile erat colligere ex Judæorum bonis jam prædæ et direptioni ab eo destinatis. Obtulit hoc Aman Dario, quia sciebat Xerxi, aut cupidum, magnæ Persis et Judæis sibi subditis tributa imposuisse, uti dixi cap. VII. vers. 18. Quare, ne rex causaretur per Judæorum cædem se tributa, quæ illi pendere solebant, perditurum, Aman ei spondet se hoc damnum per 10 milliones sarciturum: quod si rex honeste hoc pretium refutaret, uti reipsa refutavit, cogitavit Aman se illud in rem propriam conversurum, ut toti regno, ipsique Dario formidabilis evaderet, ac data occasione exercitum conscriberet, illudque sibi adsciscret. Verum Deus iniqua et superba consilia antevertit, et in ipsius caput convertit, retorsitque.

Vers. 10. 10. TULIT ERGO REX ANNULUM QUO UTEBATUR (ad obsignandum decreta sua et litteras regias), ET DEDIT EUM AMAN, — ut ipse decretum de Judæis perdendis ea forma et ratione conscriberet, qua volebat, illudque regio annulo obsignaret, quasi a rege profectum, nimirum ut illud legentes stato die mactarent omnes Judæos, putantes regem hoc velle et jubere. Hinc Alexander Magnus victo Dario, cum ad Asiaticos scriberet, annulo, quem Dario, abstulerat, litteras signabat; eo significans se jam Asiæ esse regem. Idem moriens, dans annulum Perdiccæ, hoc ipso eum regem designavit, teste Curtio, libro VI et ultim., ac Justino, libro XVII.

Vers. 11. 11. A PUERO USQUE AD SENEM, PARVULOS ET MULIERES. — Barbara fuit hæc Amani crudelitas, qua omnes omnino Judæos, etiam fœminas et pueros innoxios, necl destinavit, ne scilicet aliquis eorum in virum evadens, stragem hanc suæ gentis ulciscereturr, et Amani caput peteret. Idem faciunt Japones aliique Barbari.

Vers. 12. 12. FESTINABANT CURSORES, — quos, teste Herodoto, lib. VIII, Cyrus instituerat quasi veredarios, qui statis locis et horis defatigatos equos et sessores commutarent cum recentibus, itaque celerius litteris regias perferrent quam currus volent, ait Xenophon. Imo poterant hi rustici cogere ad dandos meliores equos. Persice cursores hi Angari dicebantur. Inde angariare idem est quod cogere, *Matth.* V, 41. Unde ab angeris dictos esse Angelos (litera *r* in *l* commutata, uti sæpe fit) id est nuntios, suspicatur Scaliger.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ob crudelem necis Judæorum edictum Mardochæus cum suis, regatque Estherem, ut regem pro eorum salute deprecetur. Illa, triduano sibi et Judæis omnibus indicto jejunio, id se facturam, licet cum vitæ periculo, pollicetur.

1. Quæ cum audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua, et indutus est sacco, sparsis cinerem capiti : et in platea media civitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, 2. et hoc ejulatu usque ad fores palatii gradiens. Non enim erat licitum in lutum

sacco aulam regis intrare. 3. In omnibus quoque provinciis, oppidis ac locis, ad quæ crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Judæos, jejunium, ululatus et fletus, sacco et cinere multis pro strato utentibus. 4. Ingressæ autem sunt puellæ Esther et eunuchi, nuntiaverunteque ei. Quod audiens consternata est; et vestem misit, ut ablato sacco induerent eum : quam accipere noluit. 5. Accitoque Athach eunucho, quem rex ministrum ei dederat, præcepit ei ut iret ad Mardochæum, et disceret ab eo cur hoc faceret. 6. Egressusque Athach, ivit ad Mardochæum stantem in platea civitatis, ante ostium palatii : 7. qui indicavit ei omnia quæ acciderant, quomodo Aman promisisset, ut in thesauros regis pro Judæorum nece inferret argentum. 8. Exemplar quoque edicti, quod pendebat in Susan, dedit ei, ut reginæ ostenderet, et moneret eam ut intraret ad regem, et deprecaretur eum pro populo suo. 9. Regressus Athach, nuntiavit Esther omnia quæ Mardochæus dixerat. 10. Quæ respondit ei, et jussit ut diceret Mardochæo : 11. Omnes servi regis, et cunctæ quæ sub ditione ejus sunt, norunt provinciæ, quod sive vir, sive mulier, non vocatus, interius atrium regis intraverit, absque ulla cunctatione statim interficiatur : nisi forte rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiæ, atque ita possit vivere. Ego igitur quomodo ad regem intrare potero, quæ triginta jam diebus non sum vocata ad eum? 12. Quod cum audisset Mardochæus, 13. rursum mandavit Esther, dicens : Ne putes quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es præ cunctis Judæis; 14. si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabantur Judæi : et tu, et domus patris tui, peribitis. Et quis novit utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris? 15. Rursumque Esther hæc Mardochæo verba mandavit : 16. Vade, et congrega omnes Judæos quos in Susan repereris, et orate pro me. Non comedatis et non bibatis tribus diebus et tribus noctibus : et ego cum ancillis meis similiter jejunabo, et tunc ingrediar ad regem, contra legem faciens, non vocata, tradensque me morti et periculo. 17. Ivit itaque Mardochæus, et fecit omnia quæ ei Esther præceperat.

1. IN PLATEA MEDIÆ CIVITATIS, — puta in foro, simili vel loco publico, quo omnes confluebant. Hæc enim de causa forum statui solet in media civitate, ut a civibus circumcirca habitantibus facile adiri possit ad vendendas et coemendas res necessarias.

VOCE MAGNA CLAMABAT. — Quid clamarit explicat Græcus, scilicet Judæos innocentes, qui nil peccarunt, damnari ad necem. Erat hic clamandi mos in magnis calamitatibus apud Persas in usu et frequens, teste Curtio, lib. IV et V, et Herodoto, lib. III et VIII, ut sui commiserationem omnibus moverent, aliquemque excitarent, qui mali remedium afferre vel suggereret.

3. CRUDELE REGIS DOGMA, — id est edictum. Unde Hebraice est *Verbum Regis;* sic dogma pro decreto sumitur. *Act.* cap. XVI, vers. 4, ac a Josepho, Demosthene et aliis.

4. INTRAVIT ATRIUM REGIS, — in quo rex in aureo throno considebat, auro gemmisque colluceus, velut Deus quidam terrestris. Porro lex erat ut, si quis hoc atrium non vocatus ingrediatur, ABSQUE ULLA CUNCTATIONE STATIM INTERFICIATUR. — Legis causa erat, ait Rupertus, lib. VIII *De vict. verbi Dei*, cap. 10, « ut persona regis occultaretur sub specie majestatis, putaretur que aliquid habere plus homine, ne vilior fieret ex usu publico visionis. » Hinc regi astabant circumcirca lictores cum securibus et hastis, ut, si quis non vocatus ingrederetur, eum occiderent, teste Josepho et Ammiano, lib. XIV, et Herodoto, lib. III et VIII. Addit Josephus, Rupertus et alii hanc legem ab Assuero latam, vel innovatam fuisse, insigniante Amano, ut Estheri, Mardochæo, cæterisque omnibus aditum ad regem intercluderet, ne pro Judæis deprecarentur.

Vers. 13. 13. QUOD ANIMAM TUAM TANTUM LIBERES, — id est liberare debeas, et de facto liberabis, eo quod sis in « domo regis, » quasi regina, cui utique rex parcet; sed cogita tui officii esse, ut totius populi tui animam, id est vitam neci destinatam liberare debeas; et de facto liberabis, si regem tuum maritum quasi regina adeas et deprecaris.

Vers. 14. 14. TU ET DOMUS PATRIS TUI PERIBITIS. — Deo patiente hunc populi tui neglectum et inmisericordiam, vel vindicantibus ipsis Judæis, quos nunc despicatui habetis, ait Josephus.

Vers. 16. 16. NON COMEDATIS ET NON BIBATIS TRIBUS DIEBUS ET TRIBUS NOCTIBUS, ET EGO CUM ANCILLIS MEIS SIMILITER JEJUNABO, ET TUNC INGREDIAR AD REGEM, CONTRA LEGEM FACIENS, NON VOCATA, TRADENSQUE ME MORTI ET PERICULO. — Nota hic fortitudinem, pietatem et charitatem Estheris, quæ se pro populo mortis periculo offert, confidens Deum affore : ideoque prudenter publicum omnium per tres

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nonnulli tamen censent *phur* quoque esse vocem Hebræorum, a radice *phur*, id est labi, eo quod sors cadat et labatur in urnam.

Porro a *phur*, id est sors, dies festus ab Hebræis dictus est *phurim*, quo scilicet gratias egerunt Deo, quod eos a sorte maligna internecionis ab Amano jacto liberasset. Aman autem sortem hic adhibuit ex superstitione gentilium, qui sorte quasi divinatione utebantur ad scrutanda occulta et periculosa, uti factum est Jonæ cap. I. Nam, ut ait S. Augustinus *in Psal.* XXX, « Sors est res in dubitatione humana, divinam indicans voluntatem. » Hinc Cicero, lib. I *De divin.* sortes vocat, quæ vaticinatione funduntur. Virgilius, lib. IV *Æneid.* :

Italiam Lyciæ jussere capessere sortes,

Id est oracula. Ovidius, lib. I *Metamorph.* :

Plurit cœleste precari
Numen, et auxilium per sacras quærere sortes.

Verum superstitio hæc Amanum decepit; prorogavit enim tempus cædis Judæorum, itaque spatium dedit Estheri eosdem deprecandi. Si enim statim accepta a rege facultate, rem executus fuisset, Judæos omnes occidisset. Imprudens ergo fuit ejus dilatio et sortilio : nimirum Deus infatuavit crudele ejus consilium. Sensus ergo est, *q. d.* Aman misit sortem, ut ex ea quasi ex divinatione et oraculo cognosceret, quis dies cædi Judæorum foret accommodus, sibique felix et faustus, ne quod a Judæis et defendentibus vitæ suæ aut suorum periculum adiret.

Vers. 9. 9. SI TIBI PLACET, DÉTERSUM UT PERIRET, ET DECEM MILLIA TALENTORUM (argenti, ut habet Hebræus, Chaldæus et Septuaginta) APPENDAM ARCARIIS CÆSARIS TUI, — id est quinque millones aureorum, si Attica, ut videtur, intelligantur hic talenta; sin Hebræa, duplo major erit summa, nimirum decem millionum aureorum. Immane est hoc pretium, sed Amano illud facile erat colligere ex Judæorum bonis jam prædæ et direptioni ab eo destinatis. Obtulit hoc Aman Dario, quia sciebat Xerxi, aut cupidum, magnæ Persis et Judæis sibi subditis tributa imposuisse, uti dixi cap. VII. vers. 18. Quare, ne rex causaretur per Judæorum cædem se tributa, quæ illi pendere solebant, perditurum, Aman ei spondet se hoc damnum per 10 milliones sarciturum: quod si rex honeste hoc pretium refutaret, uti reipsa refutavit, cogitavit Aman se illud in rem propriam conversurum, ut toti regno, ipsique Dario formidabilis evaderet, ac data occasione exercitum conscriberet, illudque sibi adsciscret. Verum Deus iniqua et superba consilia antevertit, et in ipsius caput convertit, retorsitque.

Vers. 10. 10. TULIT ERGO REX ANNULUM QUO UTEBATUR (ad obsignandum decreta sua et litteras regias), ET DEDIT EUM AMAN, — ut ipse decretum de Judæis perdendis ea forma et ratione conscriberet, qua volebat, illudque regio annulo obsignaret, quasi a rege profectum, nimirum ut illud legentes stato die mactarent omnes Judæos, putantes regem hoc velle et jubere. Hinc Alexander Magnus victo Dario, cum ad Asiaticos scriberet, annulo, quem Dario, abstulerat, litteras signabat; eo significans se jam Asiæ esse regem. Idem moriens, dans annulum Perdiccæ, hoc ipso eum regem designavit, teste Curtio, libro VI et ultim., ac Justino, libro XVII.

Vers. 11. 11. A PUERO USQUE AD SENEM, PARVULOS ET MULIERES. — Barbara fuit hæc Amani crudelitas, qua omnes omnino Judæos, etiam fœminas et pueros innoxios, necl destinavit, ne scilicet aliquis eorum in virum evadens, stragem hanc suæ gentis ulciscereturr, et Amani caput peteret. Idem faciunt Japones aliique Barbari.

Vers. 12. 12. FESTINABANT CURSORES, — quos, teste Herodoto, lib. VIII, Cyrus instituerat quasi veredarios, qui statis locis et horis defatigatos equos et sessores commutarent cum recentibus, itaque celerius litteris regias perferrent quam currus volent, ait Xenophon. Imo poterant hi rustici cogere ad dandos meliores equos. Persice cursores hi Angari dicebantur. Inde angariare idem est quod cogere, *Matth.* V, 41. Unde ab angeris dictos esse Angelos (litera *r* in *l* commutata, uti sæpe fit) id est nuntios, suspicatur Scaliger.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ob crudelem necis Judæorum edictum Mardochæus cum suis, regatque Estherem, ut regem pro eorum salute deprecetur. Illa, triduano sibi et Judæis omnibus indicto jejunio, id se facturam, licet cum vitæ periculo, pollicetur.

1. Quæ cum audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua, et indutus est sacco, sparsis cinerem capiti : et in platea media civitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, 2. et hoc ejulatu usque ad fores palatii gradiens. Non enim erat licitum in lutum

sacco aulam regis intrare. 3. In omnibus quoque provinciis, oppidis ac locis, ad quæ crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Judæos, jejunium, ululatus et fletus, sacco et cinere multis pro strato utentibus. 4. Ingressæ autem sunt puellæ Esther et eunuchi, nuntiaverunteque ei. Quod audiens consternata est; et vestem misit, ut ablato sacco induerent eum : quam accipere noluit. 5. Accitoque Athach eunucho, quem rex ministrum ei dederat, præcepit ei ut iret ad Mardochæum, et disceret ab eo cur hoc faceret. 6. Egressusque Athach, ivit ad Mardochæum stantem in platea civitatis, ante ostium palatii : 7. qui indicavit ei omnia quæ acciderant, quomodo Aman promisisset, ut in thesauros regis pro Judæorum nece inferret argentum. 8. Exemplar quoque edicti, quod pendebat in Susan, dedit ei, ut reginæ ostenderet, et moneret eam ut intraret ad regem, et deprecaretur eum pro populo suo. 9. Regressus Athach, nuntiavit Esther omnia quæ Mardochæus dixerat. 10. Quæ respondit ei, et jussit ut diceret Mardochæo : 11. Omnes servi regis, et cunctæ quæ sub ditione ejus sunt, norunt provinciæ, quod sive vir, sive mulier, non vocatus, interius atrium regis intraverit, absque ulla cunctatione statim interficiatur : nisi forte rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiæ, atque ita possit vivere. Ego igitur quomodo ad regem intrare potero, quæ triginta jam diebus non sum vocata ad eum? 12. Quod cum audisset Mardochæus, 13. rursum mandavit Esther, dicens : Ne putes quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es præ cunctis Judæis; 14. si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabantur Judæi : et tu, et domus patris tui, peribitis. Et quis novit utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris? 15. Rursumque Esther hæc Mardochæo verba mandavit : 16. Vade, et congrega omnes Judæos quos in Susan repereris, et orate pro me. Non comedatis et non bibatis tribus diebus et tribus noctibus : et ego cum ancillis meis similiter jejunabo, et tunc ingrediar ad regem, contra legem faciens, non vocata, tradensque me morti et periculo. 17. Ivit itaque Mardochæus, et fecit omnia quæ ei Esther præceperat.

1. IN PLATEA MEDIÆ CIVITATIS, — puta in foro, simili vel loco publico, quo omnes confluebant. Hæc enim de causa forum statui solet in media civitate, ut a civibus circumcirca habitantibus facile adiri possit ad vendendas et coemendas res necessarias.

VOCE MAGNA CLAMABAT. — Quid clamarit explicat Græcus, scilicet Judæos innocentes, qui nil peccarunt, damnari ad necem. Erat hic clamandi mos in magnis calamitatibus apud Persas in usu et frequens, teste Curtio, lib. IV et V, et Herodoto, lib. III et VIII, ut sui commiserationem omnibus moverent, aliquemque excitarent, qui mali remedium afferre vel suggereret.

3. CRUDELE REGIS DOGMA, — id est edictum. Unde Hebraice est *Verbum Regis;* sic dogma pro decreto sumitur. *Act.* cap. XVI, vers. 4, ac a Josepho, Demosthene et aliis.

4. INTRAVIT ATRIUM REGIS, — in quo rex in aureo throno considebat, auro gemmisque colluceus, velut Deus quidam terrestris. Porro lex erat ut, si quis hoc atrium non vocatus ingrediatur, ABSQUE ULLA CUNCTATIONE STATIM INTERFICIATUR. — Legis causa erat, ait Rupertus, lib. VIII *De vict. verbi Dei*, cap. 10, « ut persona regis occultaretur sub specie majestatis, putaretur que aliquid habere plus homine, ne vilior fieret ex usu publico visionis. » Hinc regi astabant circumcirca lictores cum securibus et hastis, ut, si quis non vocatus ingrederetur, eum occiderent, teste Josepho et Ammiano, lib. XIV, et Herodoto, lib. III et VIII. Addit Josephus, Rupertus et alii hanc legem ab Assuero latam, vel innovatam fuisse, insigniante Amano, ut Estheri, Mardochæo, cæterisque omnibus aditum ad regem intercluderet, ne pro Judæis deprecarentur.

Vers. 13. 13. QUOD ANIMAM TUAM TANTUM LIBERES, — id est liberare debeas, et de facto liberabis, eo quod sis in « domo regis, » quasi regina, cui utique rex parcet; sed cogita tui officii esse, ut totius populi tui animam, id est vitam neci destinatam liberare debeas; et de facto liberabis, si regem tuum maritum quasi regina adeas et deprecaris.

Vers. 14. 14. TU ET DOMUS PATRIS TUI PERIBITIS. — Deo patiente hunc populi tui neglectum et inmisericordiam, vel vindicantibus ipsis Judæis, quos nunc despicatui habetis, ait Josephus.

Vers. 16. 16. NON COMEDATIS ET NON BIBATIS TRIBUS DIEBUS ET TRIBUS NOCTIBUS, ET EGO CUM ANCILLIS MEIS SIMILITER JEJUNABO, ET TUNC INGREDIAR AD REGEM, CONTRA LEGEM FACIENS, NON VOCATA, TRADENSQUE ME MORTI ET PERICULO. — Nota hic fortitudinem, pietatem et charitatem Estheris, quæ se pro populo mortis periculo offert, confidens Deum affore : ideoque prudenter publicum omnium per tres

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dies continuos jejunium exigit, ut eo Deum placent, ejusque gratiam sibi concilient. Porro S. Ambrosius, lib. *De Elia et jejunio* : « Esther, inquit, pulchrior facta est jejunio; Dominus enim gratiam sobriæ mentis augebat. » Unde sequitur cap. v, vers. 2 : « Cumque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis ejus. » Jejunio ergo et oratione Esther sibi decorem, populo liberationem, Amano crucem, Assuero lecticam, et Deo gloriam comparavit. Idipsum ita prosequitur S. Ambrosius : « Omne genus suum, id est totum populum Judæorum a persecutionis acerbitate liberavit; ita ut regem sibi faceret esse subjectum, non libidinis amore flammatum, sed cœlesti commercio conversum; ita ut pœna retorqueretur in impium, et honor sacris redderetur altaribus. Itaque illa quæ triduo jejunavit continuo, et corpus suum aqua lavit, plus placuit et vindictam retulit. Aman autem, dum se regali jactat convivio, inter ipsa vina pœnam sum christatis exsolvit. Est ergo jejunium reconciliationis sacrificium, virtutis incrementum, quod fecit etiam feminam fortiores augmento gratiæ. » Et Clemens Alexandrinus, lib. VI *Strom.* cap. IV : « Rursus, ait, perfecta illa fide Esther, Israelem a tyrannica potestate liberans, et a crudelitate Satrapæ, sola mulier afflicta jejuniis restitit armatis copiis innumerabilibus, tyrannicum per fidem solvens decretum; et tyrannum quidem mitigavit. Aman vero repressit, et Israelem perfecta ad Deum oratione illæsum conservavit. »

Esther virgo Ecclesia.

Allegorice Esther repræsentat Ecclesiam; unde S. Prosper, part. VII *Prædict.* cap. XXXVIII, recensitis heroicis Estheris facinoribus subdit : « Sic Ecclesia Sancta Crucis permit inimicos. Sic se pro suis periculis hujusmodi opponit. Sic datis in morte suis laboribus, vitam conferendo ministrat : utpote regina, quæ a suo rege sponso et Domino admonetur, eique dicitur : Libera eos qui ducuntur ad mortem, et redime eos qui occiduntur. Cujus beneficiorum refugia, ipsi quoque ejus appetunt inimici. »

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Esther non vocata ingreditur ad Assuerum, exponens se vitæ periculo, sed ab eo comiter excepta eumdem cum Amano semel et iterum invitat ad convivium : interim Aman Mardochæo (verius sibi) parat crucem.

1. Die autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis, et stetit in atrio domus regiæ, quod erat interius, contra basilicam regis : at ille sedebat super solium suum, in consistorio palatii contra ostium domus. 2. Cumque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis ejus, et extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens osculata est summitatem virgæ ejus. 3. Dixitque ad eam rex : Quid vis, Esther regina? quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi. 4. At illa respondit : Si regi placet, obsecro ut venias ad me hodie, et Aman tecum, ad convivium quod paravi. 5. Statimque rex : Vocate, inquit, cito Aman, ut Esther obediat voluntati. Venerunt itaque rex et Aman ad convivium, quod eis regina paraverat. 6. Dixitque ei rex, postquam vinum biberat abundanter : Quid petis ut detur tibi? et pro qua re postulas? etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. 7. Cui respondit Esther : Petitio mea et preces sunt istæ : 8. Si inveni in conspectu regis gratiam, et si regi placet ut det mihi quod postulo, et meam impleat petitionem; veniat rex et Aman ad convivium quod paravi eis, et cras aperiam regi voluntatem meam. 9. Egressus est itaque illo die Aman lætus et alacer. Cumque vidisset Mardochæum sedentem ante fores palatii, et non solum non assurrexisse sibi, sed nec motum quidem de loco sessionis suæ, indignatus est valde; 10. et dissimulata ira, reversus in domum suam, convocavit ad se amicos suos, et Zares uxorem suam. 11. Et exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, filiorumque turbam, et quanta eum gloria super omnes principes et servos suos rex elevasset. 12. Et post hæc ait : Regina quoque Esther nullum alium vocavit ad convivium cum rege, præter me; apud quam etiam cras cum rege pransurus sum. 13. Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Judæum sedentem ante fores regias. 14. Responderuntque ei Zares, uxor ejus, et cæteri amici : Jube parari excelsum trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos, et die mane regi, ut appendatur super eam Mardochæus, et sic ibis cum rege lætus ad convivium. Placuit ei consilium, et jussit excelsam parari crucem.

1. STETIT IN ATRIO DOMUS REGIÆ, QUOD ERAT INTERIUS, CONTRA BASILICAM REGIS. — Basilica hic vocatur aula regia; puta intimum regis cubiculum aulæis pretiosis circumdatum, ubi erat aureus thronus, in quo rex considebat, auro gemmisque coruscans, habens aureum in manu sceptrum; Basilica enim Græce est domus regis; Basileus enim est rex. Eadem etiam vocatur « consistorium palatii; » ita ex Dione, Philostrato, Apuleio et Æschylo, Serario. In ea enim circa regem consistebant Principes et Palatini. Esther ergo non ingressa est hoc intimum regis cubiculum, sed atrium interius illi vicinum, ita ut a rege considente in intimo cubiculo per ostium videri posset. Sedebat enim rex « contra ostium domus. »

2. CUMQUE VIDISSET ESTHER REGINAM STANTEM, PLACUIT OCULIS EJUS. — Hic supplendum et anteponendum est ex cap. XV, vers. 9, regem primo aspectu furibundis et scintillantibus oculis aspexisse et terruisse Estherem, eo quod non vocata ad se accessisset : Estherem vero perculsam semel et iterum deliquium animæ passam corruisse, mox regem accurrisse, et extenso in eam sceptro, illi blanditum fuisse, illamque sibi restituisse, de quibus dicendum cap. XV.

ET EXTENDIT CONTRA EAM VIRGAM AUREAM, — puta sceptrum aureum, quod manu gestabat, hac extensione significans suam erga ipsam clementiam et benevolentiam, ut tuto contra leges non vocata ad se accederet.

Allegorice virga aurea est B. Virgo, per quam Deus toti humano generi offensus, eidem reconciliatus est, de qua Balaam vaticinatus est, *Num.* cap. XXIV, sub fine dicens : « Orietur stella (B. Virgo, quæ vera Esther, et acce) ex Jacob, et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth, » « Hæc est, inquit B. Petrus Damianus, serm. *De Assumpt.* virga illa, qua rétunduntur impetus adversantium dæmoniorum, virga Aaron per quam fiunt et mirabilia. Baculum autem Crucis intelligi, quo non solum verberatus est, sed occisus ille insatiabilis homicida, qui mortibus hominum pascitur et nutritur. In Virgine virga, et baculo crucis miserorum spes et consolatio continetur, sicut sublimis Propheta clara voce declarat : Virga, sit, tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt. »

6. ETIAMSI DIMIDIAM PARTEM REGNI MEI PETIERIS, IMPETRABIS. — Liberalior Assuero fuit Deus in B. Virginem, qui eidem totum regni sui, puta cœli imperium, concessit. Unde Angeli ei quasi reginæ suæ accinuerunt Romæ ad castellum S. Angeli : « Regina cœli, lætare, alleluia, » uti fusius alibi narravi. Illi enim quasi matri suæ Christus nihil negare potest : quare summum Dei in homines

Vers. 8. 8. VENIAT REX ET AMAN AD CONVIVIUM QUOD PARAVI EIS. — Græca addunt Estherem causam invitationis addidisse, dicendo : « Dies mea festus est hodie; » q. d. Hodie mihi festum est, ideoque lætandum et convivium instruendum; voco ergo regem, ut illud sua præsentia cohonestet. Prudenter Esther regem secundo invitavit ad convivium, ut in eo suam petitionem salutis Judæorum regi exponeret. *Primo*, ut sensim regem magis in sui amorem accenderet, adeo ut nihil ei negare posset. Erat enim res ardua et perdifficilis petere a rege, ut suum edictum de nece Judæorum jam latum et promulgatum, contra morem regum Persarum et Medorum, revocaret. *Secundo*, quia non audebat publice in tanta astantium procerum turba id petere, eo quod ipsi dixissent legem latam ex more regum, revocari non posse. Secreto ergo in convivio a rege idipsum petit et impetravit; secreto indicans se esse Judæam, quod publice coram principibus facere fuisset periculosum. *Tertio*, solum Aman cum rege invitavit, ut eum in reliquorum Satraparum invidiam et odium inducerot, ait Lyranus. *Quarto*, quia sciebat in convivio regem largiori potu exhilarandum, liberaliorem fore ad postulata concedenda. Sic etiamnum viri prudentes, cum quid ab aliquo duriore petunt, non mane, cum ex jejunio austeriorest mens et vultus, sed post prandium et convivium, cum eum mero hilarem reddiderunt, flagitant et impetrant. Addunt aliqui, regibus Persarum in more fuisse, ut in convivio nil cuiquam negarent. Curte Herodotus libro nono scribit, apud Persas nefas esse regem quicquam abnuere in convivio, quod quotannis eo die quo rex creatus erat, instituere solebat.

Vers. 9. 9. CUMQUE VIDISSET MARDOCHÆUM SEDENTEM ANTE FORES PALATII, ET NON SOLUM NON ASSURREXISSE SIBI, SED NEC MOTUM QUIDEM DE LOCO SESSIONIS SUÆ, INDIGNATUS EST VALDE. — Magnæ hoc erat constantiæ Mardochæi, quod Amano hosti scelestissimo toti genti Judæorum exitium machinanti, ne quidem assurrexerit, ut suam in Deo fiduciam osenderet, et Amano ipso facto superbiam suam et crudelitatem exprobraret.

Vers. 11. 13. ET CUM OMNIA HABEAM, NIHIL ME HABERE PUTO, QUAMDIU VIDERO MARDOCHÆUM, — Magis ergo te, o Aman, cruciat Mardochæus, quam te ipsum cruciet : nihil igitur habes sine Mardochæo, quia Mardochæus habet omnia, ideoque tu nihil. Jure

exclamat S. Bernardus, lib. I *De consider.*: « Ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places? Nihil acerbius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus, » et ser. IV *De Ascens.* « Iste est mons in quem ascendit Angelus, et diabolus factus. » Festive S. Anselmus, lib. *De similit.* cap. LXXVII, honorem comparat papilioni : « Sic, inquit, agunt illi, qui mundi hujus honores appetunt, quomodo pueri qui sequuntur papilionem. Papiliones enim, cum volant, tramitem rectum nunquam tenent : sed hinc illuc que se agitant; cum alicubi residere videantur, nec ibi diu morantur. Hos autem sequentes dum pueri capere volunt, cito post eos currere satagunt, et quia non ad suos pedes, sed ad papiliones intendunt, aliquando in foveam cadunt. Plerumque cum cautè accedunt, et eos apprehendere tentant, papiliones avolant : quando eos apprehenderint, exultant de nihilo, quasi magnum quid fuerint adepti. Similiter faciunt, qui mundi hujus honores appetunt. Honores enim hujus mundi nunquam certam tenent viam, sed incestis diverticulis de uno ad alium transvolant.

14. JUSSIT EXCELSAM PARARI CRUCEM. — Sed quam Vers. 14.
Mardochæo parasti, o Aman, tibi ipsi fixisti. In illa enim mox suspenderis, juxta illud *Eccli.* capite XXVII, vers. 29 : « Qui foveam fodit, incidet in eam, et qui statuit lapidem proximo, offendet in eo; et qui laqueum aliis ponit, peribit in illo. » Vide ibi dicta.

Porro crucem potius quam rogum, gladium, aliudve tormentum parari jussit, quia crux apud Persas erat usitata, eratque ignominiosissima. Aliam causam ex Rabbinis dat Chaldæus Manuscriptus, quem audi : « Dixit (Zares uxor ad Aman maritum) : in ignem non poteris mittere Mardochæum, quia liberatus est Abraham pater ejus ab eo. In aquis non poteris suffocare eum, quoniam liberati sunt ab eo Moyses et filii Israel. In lacum leonis non poteris immittere eum, quia liberatus est ab eo Daniel Propheta. Verumtamen faciant patibulum in altitudinem quinquaginta cubitorum, et mane die Regi, ut suspendatur Mardochæus super eum; quia in hoc nunquam probatus est unus ex his, qui liberetur in patibulo ligni. » Verum hæc Rabbinici cerebri solita sunt figmenta.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Assuerus, renovata defectæ conjurationis contra se per Mardochæum memoria, jubet eum regiis honoribus affici, idque per ipsum Amanum juratum ejus hostem.

1. Noctem illam duxit rex insomnem, jussitque sibi afferri historias et annales priorum temporum. Quæ cum illo præsente legerentur, 2. ventum est ad illum locum ibi scriptum erat, quomodo nuntiasset Mardochæus insidias Bagathan et Thares eunuchorum, regem Assuerum jugulare cupientium. 3. Quod cum audisset rex, ait : Quid pro hac fide honoris ac præmii Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei servi illius ac ministri : Nihil omnino mercedis accepit. 4. Statimque rex : Quis est, inquit, in atrio? Aman quippe interius atrium domus regiæ intruverat, ut suggereret regi, et juberet Mardochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum. 5. Responderunt pueri : Aman stat in atrio. Dixitque rex : Ingrediatur. 6. Cumque esset ingressus, ait illi : Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat? Cogitans autem in corde suo Aman, et reputans quod nullum alium rex, nisi se, vellet honorare, 7. respondit : Homo, quem rex honorare cupit, 8. debet indui vestibus regiis, et imponi super equum, qui de sella regis est, et accipere regium diadema super caput suum, 9. et primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum ejus, et per plateam civitatis incedens clamet, et dicat : Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare. 10. Dixitque ei rex : Festina, et sumpta stola et equo, fac, ut locutus es, Mardochæo Judæo, qui sedet ante fores palatii. Cave ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas. 11. Tulit itaque Aman stolam et equum, indutumque Mardochæum in platea civitatis, et impositum equo præcedebat, atque clamabat : Hoc honore condignus est, quemcumque rex voluerit honorare. 12. Reversusque est Mardochæus ad januam palatii; et Aman festinavit ire in domum suam, lugens et operto capite; 13. narravitque Zares uxori suæ, et amicis, omnia quæ evenissent sibi. Cui

responderunt sapientes, quos habebat in consilio, et uxor ejus : Si de semine Judæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu ejus. 14. Adhuc illis loquentibus venerunt eunuchi regis, et cito eum ad convivium, quod regina paraverat, pergere compulerunt.

Vers. 1. 1. NOCTEM ILLAM DUXIT REX INSOMNEM. — Deo per Angelum id procurante et dirigente, ut Assuerus legeret suos annales, indeque recordaretur beneficii sibi a Mardochæo præstiti, eumque honoraret : simul ut Assueri exemplo moraliter doceret reges et principes, noctes totas non sternere in lecto, sed publicis maximisque reipublicæ negotiis invigilare, ac pro iis Deum obsecrare. Scitum est illud Homeri :

Princeps non vigilans. Οὐ δεῖ εὕδοντα βουλευτῆρα λαὸν ἀείρειν.
Genesis. Non decet virum consiliarium totam noctem dormire

« Illud vero, inquit, libro I *De Regno Persarum*, Brisonius, nunquam satis laudatum institutum apud Persas viguit, ut, quemadmodum refert libro ad imperitum principem Plutarchus, quotidie cubicullariorum unus eam ad rem constitutus, mane cubiculum regis intrans, clamaret : Surge, o Rex, et negotia cura, quæ te Mesoromasdes curare voluit. » Est autem « Mesoromasdes, » ut ait initio Laertius, Sol, qui ab illis dicebatur *Mithres*.

Constantinus Magnus, ait Eusebius, lib. IV vitæ ejus, cap. XIII, « suam ipsius mentem quodam quasi afflatu et instinctu divinarum rerum exaggerans, totas sæpe noctes sine somno traduxit, et cum per otium liceret, orationes scribebat, idque ad summam usque senectutem.

Ferrandus Carthusianus, lib. *ad Reginam*, Duci hoc dogma commendat *regula* V : « Sacerdotum postulationibus liber patescat aditus, frequentetur oratio, lectionis studium, quamvis undique occupationibus inundantibus, igne desiderii spiritualis remota tepiditate fervescat. » Novi Prælatum insignem, qui diem negotiis et gubernationi, noctem orationi et studiis impendebat.

JUSSITQUE SIBI AFFERRI HISTORIAS ET ANNALES. — Digna hæc rege laus, ut sua acta recognoscat et relegat, ac, si quid omissum est, præsertim in bene meritis præmiandis, suppleat. Ita Alexander Severus imperator, teste Lampridio, ne quid irremuneratum maneret, quæcumque munera contulisset, scriptis diligenter mandabat. Si quis nihil aut minimum ab eo petisset, illum appellabat, dicens : « Quid est quod nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? pete, ne privatus de me queraris. » Porro accurata Annalium et Diariorum memoria consignata et custodita fuisse beneficia, quæ in reges Persarum conferrentur, testatur Herodotus, lib. IV, agens de Dario (qui est noster Assuerus) Hystaspis Coam recognoscente. Et Thucydides, lib. I, narrat Xerxem Darii filium dixisse Pausaniæ : « Tibi beneficium nostra in domo semper inscriptum erit. Enimvero Persarum reges, ut Xenophon, lib. VIII *Cyrop.* docet, ministros, seu officiales quosdam habebant, qui regum res, et oculi appellabantur. » Apuleius, lib. *De Mundo*, aulæ Persicæ fastum ex Aristotele describens : « Sed inter eos, ait, aures regis, et Imperatoris oculi, quidam homines vocabantur; per officiorum genera Rex ille ab hominibus Deus esse credebatur, cum omnia, quæ ubicumque gererentur, ille Glaucatarum delatione disceret. »

4. AMAN QUIPPE INTERIUS ATRIUM DOMUS REGIÆ INTRAVERAT. — Hebraice et Chaldaice est *exterius*; nam interius nisi a rege vocatis ingredi non licebat, interius ergo, id est intra palatium in atrio, quod respectu intimi cubiculi regii erat exterius, sed respectu extimi erat interius. Erant enim in Palatio atria varia, quorum alia aliis erant interiora, vel exteriora.

UT SUGGERERET REGI, ET JUBERET MARDOCHÆUM AFFIGI PATIBULO. — Festinabat Aman ac lucem præverterat, ut matutinus, primusque regem adiret, peteretque Mardochæum suspendi, antequam Rex aliis occuparetur, ut summum desiderium suum de vindicando sui contemptu, per necem crucis infamem Mardochæi contemptoris expleret. Superbia enim æque ac ira et indignatio non sinebant eum quiescere, donec vindictam hanc sumeret. Sed Deus, justus superbiæ et injustitiæ judex ac vindex, vindictam omnem Amani in ipsum retorsit, idque per partes gradatim, donec ipsum in eadem ipsa cruce quam Mardochæo erexerat, suspenderet. In Amano ergo liquet quam verum sit illud : « Noxa caput sequitur. » Et :

Raro antecedentem scelestum
Deserit pede pœna claudo :

Superbos enim sternit et fulminat Altissimus.

Vers. 7. 7 et 8. HOMO, QUEM REX HONORARE CUPIT, DEBET INDUI VESTIBUS REGIIS, ET IMPONI SUPER EQUUM, QUI DE SELLA REGIS EST (in quo sedere et equitare solet rex, ut habent Hebræus et Septuaginta. Sella enim est quasi sedile sedentis in equo), ET ACCIPERE REGIUM DIADEMA SUPER CAPUT SUUM. — Diadema erat fascia bysina, qua reges caput circumligabant. Diadema erat insigne purpureum alba fascia et lapidibus pretiosis distinctum, ait Curtius, lib. III et VI. Verisimile est cum diademate eorum quoque regiam impositam fuisse capiti Mardochæi; hæc enim erat propriam regis insigne, quod ambiebat, et quærebat sibi Aman, putans hæc non alteri, quam sibi a rege posse; atque hanc jussu regis gessisse Mardochæum, patet cap. VIII, vers. 15. Porro corona hæc apud Persas habebat radios instar mithræ, id est solis, quem ipsi ut Deum et regem colebant. Volebant enim reges apud Persas divinis honoribus coli, quasi mi-

thme et soles quidam terrestres. Sed hæc omnia Aman ignorans, contra mentem suam præparavit hosti suo Mardochæo, quem postulabat ad crucem; idque eum valde cruciavit, quod scilicet ipse sententiam dictasset, juxta quam rex Mardochæum summo et regio afficeret honore, quem per ipsummet Aman quasi dictatorem juberet Mardochæo conferri. Sic David, Salomonem filium creans regem et successorem, ait : « Tollite vobiscum servos Domini vestri, et imponite Salomonem filium meum super mulam meam, » etc. Et : « Veniet, et sedebit super solium meum, et ipse regnabit pro me. »

VERS 10. 10. FESTINA, ET SUMPTA STOLA ET EQUO FAC, UT LOCUTUS ES, MARDOCHÆO JUDÆO. — « Stola, » id est veste regia, ut dixerat Aman versu 8, quam Septuaginta et Chaldæus vocant stolam byssinam. Unde et Xenophon, lib. VIII. Cyri regis tunicam purpuream semialbam vocat : « Alias vero, inquit, semialbam gestare non licet. » Intelligo rectam missse Amano, ut torquem quoque aureum, et armillas aureas duxit Mardochæo. Moris enim fuit his insignibus ornari eum, quem rex honorare voluisset, ut patet lib. III *Esther* cap. IX, et ex Josepho, lib. XI *Antiq.* cap. IV, et ex Æmilio Probo in Artaxerxe.

QUI SEDET ANTE FORES. — Ibi tum sedebat Mardochæus quasi vilis et abjectus, sed post hunc honorem a rege sibi delatum, introductus est in aulam palatii, factusque regi familiaris et palatinus, ut patebit cap. XVI, vers. 13.

VERS 11. 11. CLAMABAT (AMAN) : HOC HONORE CONDIGNUS EST, QUEMCUNQUE REX VOLUERIT HONORARE. — Vide hic subitam summamque rerum commutationem, qua Mardochæus nec destinatus in regiam dignitatem attollitur, fitque quasi alter rex, idque a suo hoste Amano; qui proinde hic habuit dolores et angores plurimos et maximos. *Primo* enim torsit eum honor hic, quem speraverat, sibi ablatus. *Secundo*, quod is translatus esset in hostem suum capitalem Mardochæum. *Tertio*, quod ipse hoc honore eum deberet afficere. *Quarto*, quod ipse qui prius adorabatur ab omnibus ut Deus, jam esset equiso et præco Mardochæi vilis Judæi. *Quinto*, quod inopinato simul hæc omnia in eum ingruerent. Fabulantur Rabbini filiam Amani in caput patris transeuntis matulam effudisse, putantes se in caput Mardochæi illam effundere, ideoque Amanum dixisse : « Et tu quoque, filia mea, confudisti me. »

VERS. 12. 12. LUGENS ET OPERTO CAPITE — ob pudorem, dolorem et angorem vehementem; pudebat enim eum faciem apertam ostendere, qui jam equisonem Mardochæi egerat, cum antea coleretur ut Deus.

VERS. 13. 13. SI DE SEMINE JUDÆORUM EST MARDOCHEUS, ANTE QUEM CADERE COEPISTI, NON POTERIS EI RESISTERE, SED CADES IN CONSPECTU EJUS. — Dixerunt hoc amici Amano, vel divino quodam etiam instinctu, ait Serarius instar Sibyllarum et Caiphæ, *Joan.* XI, vel humana quadam sapientia, solertique conjectura sumpta ex eo quod Judæos plures virtutem præfracto duroque ingenio, qui non quiescebant, donec hostes suos pessumdedissent, quodque Pharaonem, Chananæos aliosque inimicos Judæorum ab ipsis per Mosen, Josue, Davidem, etc. contritos ex communi fama audissent. Addit Lyranus id eos dixisse ex *Genes.* cap. XIII, vers. 15 et seq. ubi Deus promittit Abrahæ et Jacobo posterorum constantiam, felicitatem, et de hostibus victoriam; Genesim enim et Pentateuchum ab Hebræis in Perside captivis fuisse in linguam Persicam conversum. Hoc incertum est, non tamen improbabile.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Esther postulat sibi et Judæis vitam, et Amanum accusat, quem rex illico in patibulo, quod Mardochæo erexerat, jubet suspendi.

1. Intravit itaque rex et Aman, ut biberent cum regina. 2. Dixitque ei rex etiam secunda die, postquam vino incaluerat : Quæ est petitio tua, Esther, ut detur tibi? et quid vis fieri? etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. 3. Ad quem illa respondit : Si inveni gratiam in oculis tuis, o rex, et si tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, et populum meum, pro quo obsecro. 4. Traditi enim sumus, ego et populus meus, ut conteramur, jugulemur, et pereamus. Atque utinam in servos et famulas venderemur? esset tolerabile malum, et gemens tacerem; nunc autem hostis noster est, cujus crudelitas redundat in regem. 5. Respondensque rex Assuerus ait : Quis est iste, et cujus potentiæ, ut hæc audeat facere? 6. Dixitque Esther : Hostis et inimicus noster pessimus iste est Aman. Quod ille audiens, illico obstupuit, vultum regis ac reginæ ferre non sustinens. 7. Rex autem iratus surrexit, et de loco convivii intravit in hortum arboribus consitum. Aman quoque surrexit, ut rogaret Esther reginam pro anima sua; intellexit enim a rege sibi paratum malum. 8. Qui cum reversus esset de horto nemoribus consito, et intrasset convivii locum, reperit Aman super lectulum corruisse, in quo jacebat Esther, et ait : Etiam reginam vult opprimere, me præsente, in domo mea. Necdum verbum de ore regis exierat, et statim operuerunt faciem ejus. 9. Dixitque Harbona, unus de eunuchis, qui stabant in ministerio regis : En lignum quod paraverat Mardochæo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex : Appendite eum in eo. 10. Suspensus est itaque Aman, in patibulo quod paraverat Mardochæo : et regis ira quievit.

2. POSTQUAM VINO INCALUERAT. — Darius enim fuit vini bibax. Unde ejus sepulcro inscriptum fuit hoc elogium : « Possum multum vini bibere, illudque recte ferre, » teste Athenæo, lib. X. Idem de ipso Cyrus minor prædicabat, ut Plutarchus in Artaxerxe commemorat. « Cambysen regem, » quemadmodum Seneca, lib. III *De ira*, cap. XIV, scribit, « nimis deditum vino Præaspes unus e carissimis monebat, ut parcius biberet, turpem esse dicens ebrietatem in Rege, quem omnii omnium auresque sequerentur. Ad hoc ille : Ut sciias, inquit, quemadmodum nunquam excidam tibi, approbabo jam, et oculos post vinum in officio esse et manus. Bibit deinde liberalius quam antea, et capacioribus scyphis; et jam gravis et vinolentus, obtorto capite filium procedere ultra limen jubet, allevatoque super caput sinistra manu stare. Tunc intendit arcum, et ipsum cor adolescentis ait enim se potens dixerat fuit, recoquo pectore, hæsens in ipso corde, spiculum ostendit : ne respicienis patrem, an satis certum haberet manum, interrogavit. At ille negavit Apollinem potuisse certius mittere. Dii illum male perdant, animo, magisque conditore. » Hæcusque Seneca.

3. DONA MIHI ANIMAM MEAM. — Id est vitam meam. Acre fuit hoc telum, quo percussit Esther Assuerum, et magis Amanum, q. d. Aman iste fraude a te obtinuit, ut occideret omnes Judæos; quæso ego quæ sum Judæa ab eo occidendi sum, sicque tu privaberis me regina, unoque toto, quem tantopere ambivisti et ambis. Non tua ergo in me quam in te, o Assuere mi rex et marite, Aman iste injurius et violentus est, æque ac subdolus, ac fraudulentus.

4. ATQUE UTINAM IN SERVOS ET FAMULAS VENUMDARER, — ut vita mihi condonata, saltem Regi et Persis famulari et ancillari possem!

NUNC AUTEM HOSTIS NOSTER EST (qui nec et Judæos et omnes vult spoliare vita), CUJUS PROINDE CRUDELITAS REDUNDAT IN REGEM, — tum quia per suum edictum necis Judæorum, qui insentibus tribulis ejus ærarium locupletant, quique plurimas operas regi præstant, et ex quibus multos validosque milites pro sui, regnique tutela conscribere valet; imo quos velut sapientes provinciæ suis præfloere potest, uti præfectos fuit Daniel cum tribus [illegible], quæ ex Judæis, tu Assuere, percipis, et majora percipere potes, privat te Aman. Idem gravem et perennem infamiam tibi conflat apud omnes gentes, quod gentem nostram innoxiam, imo bene de te meritam funditus exterminet. In te ergo vel maxime crudelitas Amani Judæorum potens exterminium redundat.

5. DIXITQUE ESTHER : HOSTIS ET INIMICUS NOSTER PESSIMUS ISTE EST AMAN. — Nota hic magnanimitatem Estheris, qua non absentem Amanum secreto, uti faciunt timide et viles mulierculæ, sed præsentem palam coram Assuero accusat, ut ipse regiat accusationem esse sinceram et veram, quam Aman negare non possit : unde inopinata hac accusatione, quasi fulmine ictus Aman obstupuit et obmutuit. Discant ab Esthere principes magnorum potentiam et insolentiam non metuere, sed premere et calcare. Hoc regum est. Vere Seneca in Hercule furente :

Ars prima regni est posse et invitum poti.

Et *in Œdip.*

Odia qui nimium timet,
Regnum vexit. *Et in Thes.*
Sceptra ista manu conditor posuit Deus
Olim æque regnum.

8. REPERIT AMAN SUPER LECTUM (non nocturnum ad somnum, sed convivalem, in quo mensæ accumbebant) CORRUISSE, IN QUO JACEBAT ESTHER, — ut supplex ad genua ejus provolutus ab ea postularet vitam sibi donari. Unde S. Athanasius in *Synopsi* : « Aman, inquit, cum regem intuere affectum, et ira commotum propter indignum contra Judæos facinus vidisset, illo absente, reginæ supplicavit, ad genua illius procumbens. Rex cum ingressus videret Aman genua reginæ contingere, suspicatus quod id turpitudinis causa faceret, jussit eum in ligno, » etc. Idem tradit Severus Sulpitius : « Deinde, inquit, regressus rex vidit Aman Reginæ genua complexum. » Olim enim supplices tenebant genua ejus, eui supplicabant, quasi sedem misericordiæ, idque ob quatuor causas quas fuse recensui, Exodi IV, 15.

ET AIT (REX) : ETIAM REGINAM VULT OPPRIMERE, ME PRÆSENTE. — Dixit hoc rex, partim ex ira, partim ex zelotypia, quia dispertivat Estherem; hæc

enim suspicax est mali et rivalium, etiam ubi re ipsa nil tale est, uti in Amano hic nihil erat. Suspicatur ergo Amanum velle Estherem opprimere, id est non tam vitæ, quam pudicitiæ ejus vim afferre, illectum eximia ejus forma, uti eadem illectum se sentiebat Assuerus (1).

Et statim operuerunt faciem ejus. — Ita faciebant illi, cui rex erat offensus, quasi qui indignus esset videre faciem regium, et ne rex videns faciem sibi invisam ad majorem iram et indignationem commoveretur. Bursum operuerunt faciem Amani, quasi rei mortis et pene condemnati. Ita Lyranus; nam damnati ducebantur ad mortem oculis velatis, ne scilicet videntes patrium, cives, amicos, liberos, uxores non jam semel, sed septies mortem obirent. Sic jam reis capite multandis velantur oculi, ne videant gladium in cervicem suam vibrari, itaque expaveant, et ictum gladii cadentis ducimenti ac frustentur. Hinc illa priscorum Judicum Romanorum in reum feralis sententia apud Livium et Ciceronem : « I, lictor, colliga manus, caput obnubito, verberato, arbori infelici (cruci) suspendito. »

9. Dixitque Harbona ; En lignum quod paravit Mardochæo, qui locutus est pro rege, — puta pro regis salute, detegens ei conjuratorum insidias. Harbona erat eunuchus, qui a rege missus ad accersendum Aman, ut secum iret ad convivium Estheris, ingrediens domum Amani, vidit in ea patibulum, et a domesticis, ait Josephus, intellexit Amanum illud erexisse Mardochæo; unde id ipsum hic regi denuntiat, videns regem illi offensum, et Amano ob fastum, ut videtur, infensis, optansque eum e medio tolli et suspendi.

10. Suspensus est itaque Aman, — non in domo sua, sed in porta urbis Susorum, ut liceret cap. XVI, vers. 18. Eo enim patibulum ex domo Aman translatum fuit ad majorem ejus ignominiam, ut omnibus ingredientibus et egredientibus urbem jam suspensus esset spectaculo et ludibrio, qui paulo ante ab omnibus adorabatur ut Deus. Gretserus, lib. I *De cruce*, cap. XIX, suspicatur Amanum clavis fuisse crucifixum; alii laqueo in collum injecto, uti jam fit; nil hac in re est certi. Illud certum, crucem hanc fuisse altam 50 cubitos, ut qui altissima petierat, altissime suspenderetur, omnibusque fieret conspicuus. Vide hic *primo* quantæ efficaciæ fuerint jejunia et preces Estheris, Mardochæi et Judæorum ; *secundo*, quam verum sit illud B. Virginis : « Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles ; » *tertio*, quam mundana omnia sint instabilia et vana ; ecce enim repente Aman summus fit imus, et Mardochæus imus fit summus, plenum impii et superbi

Tollentur in altum,
Ut lapsu graviore ruant.

Quarto et proprie, quam malum, quod quis alteri struit iniquè, in instruentem revolvatur, ac justo Dei judicio in ejus caput recidat. Crux enim parata Mardochæo data fuit parenti Amano. Sic Phalaris Perillum suggerentem sibi, ut reos torquenti in bove æneo igne subjecto, ut eorum magis aures suas oblectaret, primum in bovem conjecit, de quo Ovidius, lib. I *De arte amandi*. Malum in auctorem redire exempla.

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit : infelix fabuit auctor opus.

Addit exemplum Busiridis, qui Thrasum suggerentem, ut hospites suos immolaret Jovi ad impetrandam pluviam, ipsummet Thrasum immolavit :

Flet Jovis hostia primus,
Inquit, et Ægypto tu dabis hospes aquas.

Unde hoc epiphonemate concludit :

Neque enim lex justior ulla est ;
Quam necis auctores arte perire sua.

Denique vide hic quanta sit mundi fallacia. Unde jure exclamat S. Bernardus, *epist.* 107 : « O sæculum nequam, quod solos tuos sic soles beare amicos, ut Dei facias inimicos. Invenit Aman gratiam apud regem Assuerum; hæc illi gratia crucem peperit. Invenit gratiam apud Absalonem Achitophel ; hæc illi suspendium attulit. » Et S. Augustinus, epist. 144 *ad Anastasium* : « Mundus iste, ait, periculosior est blandus, quam molestus, et magis cavendus cum se illum diligi, quam cum admonet cogitque contemni. » Ita videmus eos, qui magni sunt apud principes, sensim decidere, uti cecidit Sejanus, Achitophel, Aman, Joab, aliique plurimi. Qui sapit ergo, ante casum temestive se ab aula abducat. Mundi fallacia.

(1) Tanta aliunde cura Persarum reges uxores et concubinas custodiebant, ut capite damnarent non solum qui illas violare attentassent, sed proprios in vix ad lectorum accessissent, vel coram illis transissent in itinere.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Mardochæus succedit in dignitatem Amani. Esther a rege flagitat et impetrat ut litteræ Amani de mactandis Judæis revocentur, et novæ in Judæorum favorem scribantur. Unde exsultant Judæi.

1. Die illo dedit rex Assuerus Esther reginæ domum Aman adversarii Judæorum, et Mardochæus ingressus est ante faciem regis. Confessa est enim ei Esther quod esset patruus suus. 2. Tulitque rex annulum quem ab Aman recipi jusserat, et tradidit Mardochæo. Esther autem constituit Mardochæum super domum suam. 3. Nec his contenta procidit ad pedes regis, flevitque, et locuta ad eum oravit, ut malitiam Aman Agagitæ, et machinationes ejus pessimas, quas excogitaverat contra Judæos, juberet irritas fieri. 4. At ille ex more sceptrum aureum protendit manu, quo signum clementiæ monstrabatur ; illaque consurgens stetit ante eum, 5. et ait : Si placet regi, et si inveni gratiam in oculis ejus, et deprecatio mea non ei videtur esse contraria, obsecro ut novis epistolis veteres Aman litteræ, insidiatoris et hostis Judæorum, quibus eos in cunctis regis provinciis perire præceperat, corrigantur. 6. Quomodo enim potero sustinere necem et interfectionem populi mei? 7. Responditque rex Assuerus Esther reginæ et Mardochæo Judæo : Domum Aman concessi Esther, et ipsum justi affigi cruci, quia ausus est manum mittere in Judæos. 8. Scribite ergo Judæis, sicut vobis placet, regis nomine, signantes litteras annulo meo. Hæc enim consuetudo erat, ut epistolis, quæ ex regis nomine mittebantur, et illius annulo signatæ erant, nemo auderet contradicere. 9. Accitisque scribis et librariis regis (erat autem tempus tertii mensis, qui appellatur Siban) vigesima et tertia die illius, scriptæ sunt epistolæ, ut Mardochæus voluerat, ad Judæos, et ad principes, procuratoresque et judices, qui centum viginti septem provinciis ab India usque ad Æthiopiam præsidebant ; provinciæ atque provinciæ, populo et populo, juxta linguas et litteras suas, et Judæis, prout legere poterant, et audire. 10. Ipsæque epistolæ, quæ regis nomine mittebantur, annulo ipsius obsignatæ sunt, et missæ per veredarios : qui per omnes provincias discurrentes, veteres litteras novis nuntiis prævenirent. 11. Quibus imperavit rex, ut convenirent Judæos per singulas civitates, et in unum præciperent congregari, ut starent pro animabus suis, et omnes inimicos suos, cum conjugibus ac liberis et universis domibus, interficerent atque delerent, et spolia eorum diriperent. 12. Et constituta est per omnes provincias una ultionis dies, id est, tertia decima mensis duodecimi Adar. 13. Summæ pie epistolæ hæc fuit, ut in omnibus terris ac populis, qui regis Assueri subjacebant imperio, notum fieret paratos esse Judæos ad capiendam vindictam de hostibus suis. 14. Egressique sunt veredarii celeres nuntia perferentes, et edictum regis pependit in Susan. 15. Mardochæus autem, de palatio et de conspectu regis egrediens, fulgebat vestibus regiis, hyacinthinis videlicet et aereis, coronam auream portans in capite, et amictus serico pallio atque purpureo. Omnisque civitas exultavit, atque lætata est. 16. Judæis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium. 17. Apud omnes populos, urbes atque provincias, quocumque regis jussa veniebant, mira exultatio, epulæ atque convivia, et festus dies ; in tantum ut plures alterius gentis et sectæ eorum religioni et cæremoniis jungerentur. Grandis enim cunctos Judaici nominis terror invaserat.

Vers. 1. 1. Die illo dedit rex Assuerus (Græce *Artaxerxes*) Esther reginæ domum Aman, — omni preliosa supellectile instructam, ac auro argentoque referfam, ut patet ex Septuaginta et Josepho. Bona

enim Amani quasi rei læsæ majestatis rex fisco addixit, deditque reginæ, juxta illud Cyri apud Josephum, lib. XI *Antiq.* cap. I : « Qui per inobedientiam hæc mandata nostra (nempe de ædificando templo) irrita habuerint, eos in crucem agi volo, et facultates ipsorum fisco nostro attribui. » Idem postea edixit Darius, libro I *Esdræ*, cap. VI, vers. 11 : « A me, inquit, positum est decretum, ut omnis homo qui hanc mutaverit jussionem tollatur lignum de domo ipsius, et erigatur, et configatur in eo, domus autem ejus publicetur. »

ET MARDOCHÆUS INGRESSUS EST ANTE FACIEM REGIS. — 9. *Al.* Factus est regi intimus, conjunctissimus, et familiarissimus quasi proximus a rege, ubi fuerat Aman.

2. TULITQUE REX ANNULUM, QUEM AB AMAN RECIPI JUSSERAT, ET TRADIDIT MARDOCHÆO. — Erat hic annulus regius, quo Aman litteras suas de Judæis interficiendis subsignaverat quasi sigillo regio. Itaque hic annulus erat summæ dignitatis et auctoritatis, fecitque Mardochæum regis vicarium et quasi alterum regem. Unde Alexander ab Alexandro, libro II *Genial.* cap. IX : « Apud Persas, inquit, donari annulo a rege amicitiæ signum erat, eo argumento illos in intimam sodalitatem, et vinculum maximi fœderis admittere significantes. »

Hinc et Mardochæus vestibus regiis et corona aurea decoratus fuit, ac cap. IX, vers. 4, vocatus « princeps palatii, » ac cap. X, vers. 3 : « secundus a rege, » atque ut ait Josephus, lib. XI, cap. VI : « Simul cum rege gubernavit imperium. »

ESTHER AUTEM CONSTITUIT MARDOCHÆUM SUPER DOMUM SUAM, — ut ejus esset œconomus, imo rector, uti fuerat, antequam ipsa esset regina. Serarius censet Estherem dedisse Mardochæo domum Amani, sibi a rege donatam, idque tradit Joseph, lib. XI, cap. VI; verum hoc proprie his verbis non significatur.

3. OBSECRO UT NOVIS EPISTOLIS VETERES AMAN LITTERÆ, etc., COARCTENTUR. — Hic erat nodus difficilis : nam Aman scripserat, et sigillaverat litteras de occidendis Judæis nomine regis; regis autem Persarum litteræ et decreta erant irrevocabilia (1), ut patet in Daniele damnato ad lacum leonum, *Daniel.* cap. VI, vers. 15. Quocirca Esther genuflexione, lacrymis, omnique arte comisa est ut regem flecteret ad irritandas hasce litteras. Ac prudenter hac ratione et methodo usa rem confecit, quod diceret has non esse regis, sed Amani litteras, quas ipse inscio rege subdole scripserat, et annulo regio obsignarat. Cum autem jam regi constaret Amanum fuisse insidiatorem et proditorem, æquum esse ut acta ejus scripta que proditoria irritentur, utpote fraudulenter ignoranti regi supposita, ac in reges et regni totius damnum æque ac dedecus promulgata. Hac ratione persuasit regi ut litteras Amani quasi hostis et insidiatoris sui abrogaret, ac contrarias in Judæorum favorem dictaret, uti ipse rex asserit in iisdem, cap. XVI, 17. Sic enim rex noxam et infamiam omnem prioris edicti a se abstersit, et in Amanum transtulit, dum contrarium decretum pro Judæis edidit.

9. ACCITISQUE SCRIBIS ET LIBRARIIS. — Scribæ erant primiscrii, qui litteras dictabant, librarii qui a scribis dictata describebant, tum ut ad provincias mitterentur, tum ut in archivium et tabulas annales publicas referrentur. Vers. 9.

11. QUIBUS (veredariis sive cursoribus) IMPERAVIT REX, UT CONVENIRENT JUDÆOS, — ut scilicet eis significarent edictum regis in ipsorum favorem editum, ne magistratus Judæis offensi aliquo prætextu illud dissimulare, tardare, vel supprimere possent; sed ab ipsis Judæis cogerentur illud exsequi; comminarenturque se, ni id facerent, eos apud regem accusaturos tanquam regii edicti contemptores. Addunt Septuaginta hic et Noster, cap. XVI, regem hoc edicto Judæis concessisse ut suis legibus ubique viverent (2). Vers. 11.

15. MARDOCHÆUS AUTEM, etc., FULGEBAT VESTIBUS REGIIS, HYACINTHINIS VIDELICET ET AERIIS. — id est candidis, ut habent Hebræus et Chaldæus. Vide dicta cap. I, vers. 6. Ab hoc colore nobiles dicti sunt בְּרֵי *berim*, quasi candidi. Candidas quoque vestes olim induebant in diebus festis et lætis, quale hoc erat, juxta illud : « Omni tempore sint vestimenta tua candida, » *Eccli.* IX, 8. Vide ibi dicta. Vers. 15.

CORONAM AUREAM PORTANS IN CAPITE, — more Persico radiatam, id est radios instar mithræ, sive solis (quem Persæ ut Deum colebant) vibrantem. Ita ibi Mardochæus quasi alter rex, qui paulo ante squalidus et luridus incedebat, et eraci destinatus : « Ad tantam dignitatem, ait S. Hieronymus in cap. I *Daniel.* sub finem : voluit Deus revehi Mardocheum, ut sicut olim in Josepho, et redenter in Daniele, hic nunc in Mardochæo haberent captivi et exules Judæi solatia, videntes hominem gentis suæ nunc Ægyptiorum esse principem, nunc Chaldæorum, nunc Persarum. » Unde Chal-

(1) *Alii* probabilius putant regis edicta ejus sigillo obsignata, et eorum optimatum regni confirmata, irrevocabilia fuisse; dum e contra edicta quæ obsignata solummodo regis sigillo erant, revocari non raro solerant.

(2) Vers. 13 : *Et omnes inimicos suos cum conjugibus ac liberis et soceris gladiis exterminarent atque delerent.* Quæreres quo jure Judæi putarent innocentes cum reis interficere, respondemus : Apud Persas ob patris crimen liberi, uxores, etc., plectebantur, et privilegium hoc ab Assuero Judæis concessum est se ulciscendi et privatas injurias per se punendi. Attamen istarum legum instituta tueri non volumus, nec laudamus Judæos qui sub eorum imperio agentes, his legibus etiam in quibus sæva et iniqua continent, se subjiciebant. Hic vero in promptu est dicere ab hostibus suis pœnam solemnioribus tubicinis auctoritate publica et regis justi, Judæos exegisse, et alioqui innocentes non interfecisse, cum semper fere dicantur « occisi viri, » cap. IX, 6, 12, 15.

dæus, *Cant.* VII, 5 : *Pauperes*, ait, *e populo, qui ambulabant apud Principem hanc et inde, eo quod egeni sunt, futurum est, induuntur purpura, sicut indutus est Daniel in civitate Babylonis, et Mardochæus in Susis propter meritum Abrahæ, quem regem constituit ab initio sæculi; et propter justitiam Isaac, quem ligavit pater ejus, ut offerret eum : et propter benignitatem Jacob, qui decem ticavit virgas in canalibus.*

16. JUDÆIS AUTEM (timore, mœrore et angore confectis, et quasi semimortuis) NOVA LUX ORIRI VISA EST, GAUDIUM, HONOR ET TRIPUDIUM. — Lætitia enim gestientes exultabant, choros agentes et tripudiantes.

Allegorice Esther est B. Virgo, de qua in sensu mystico dicitur *Eccli.* L, 6 : « Quasi stella matutina in medio nebulæ; » quoniam velut fulgida stella processit effugans tenebras, de qua S. Bernardus, homil. 2 *Super missus est* : « Ipsa est nobilis stella Jacob, cujus radius universum mundum illuminat, cujus splendor præfulget in supernis, et inferos penetrat, terras etiam perlustrans, et calefaciens magis mentes, quam corpora, fovet virtutes, excoquit vitia.

Denique notat Serarius in hac Amani tragedia septuplicem catastrophen :

Primo, exaltatus supra omnes Principes erat Aman : infra omnes postea dejectus est.

Secundo, alterum a rege thronum habebat : Mardochæo equum sternere postea debuit, ut ejus veluti strator, et a pedibus esset.

Tertio, minacissima in eum verba plurima jecerat : et eum laudare, præconis instar debuit.

Quarto, pater a rege vocabatur, et ab eodem postea læsæ majestatis reus, perduellis, proditor, τριζάλιτρος nominatus est.

Quinto, indignans, oculis quam infestissimis et torvissimis, Mardochæum intuebatur : et Regi postea vultum ferre non potuit.

Sexto, non contentus unius Mardochæi cæde, omnium Judæorum sanguinem haurire volebat; et ipse non solus, sed tota cum domo, cum decem carissimis filiis in crucem actus est, plurimaque ejusdem cum ipso animi, gentilium millia contrucidata.

Septimo, quod lignum, quemque diem Mardochæo, Judæisque cæteris ad necem præscripserat, ils ipse, cum suis, miserrime periit.

17. IN TANTUM UT PLURES ALTERIUS GENTIS ET SECTÆ, EORUM (Judæorum) RELIGIONI ET CÆREMONIIS JUNGERENTUR, — id est circumciderentur, et ad Judaismum verumque Dei cultum converterentur. Videbant enim hanc mirabilem et insperatam Judæorum salutem et exaltationem sine speciali Dei, res populi sui curantis, providentia accidere non potuisse. Quare Dei potentiam, clementiam et providentiam erga Judæos agnoscentes, eum verum esse Deum profitebantur et venerabantur. Ad hoc etiam juvit non parum Estheris et Mardochæi religio et sanctitas, juncta cum tanta auctoritate et gloria; unde sequitur :

GRANDIS ENIM CUNCTOS JUDAICI NOMINIS TERROR INVASERAT, — ne sibi facerent quod Amano fecerant, quodque propediem cæteris hostibus suis ex regis edicto, vers. 13, facturi erant. Quare ne haberentur hostes Judæorum, ideoque occiderentur, ostendebant alii vere, alii ficte se eorum esse amicos, fiebantque proselyti.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judæi hostes suos, eodem die quem illi nece ipsorum destinarant, occidunt, et decem Amani filios suspendunt; in hujus beneficii memoriam perenne festum 14 et 15 die mensis Adar a Mardochæo instituitur.

1. Igitur duodecimi mensis, quem Adar vocari ante jam diximus, tertia decima die, quando cunctis Judæis interfectio parabatur, et hostes eorum inhiabant sanguini, versa vice Judæi superiores esse cœperunt, et se de adversariis vindicare. 2. Congregatique sunt per singulas civitates, oppida, et loca, ut extenderent manum contra inimicos et persecutores suos. Nullusque ausus est resistere, eo quod omnes populos magnitudinis eorum formido penetrarat. 3. Nam et provinciarum judices, et duces, et procuratores, omnisque dignitas quæ singulis locis ac operibus præerat, extollebant Judæos timore Mardochæi; 4. quem principem esse palatii, et plurimum posse cognoverant; fama quoque nominis ejus crescebat quotidie, et per cunctorum ora volitabat. 5. Itaque percusserunt Judæi inimicos suos plaga magna, et occiderunt eos, reddentes eis quod sibi paraverant facere; 6. in tantum ut etiam in Susan quingentos viros interficerent, extra decem filios Aman Agagitæ hostis Judæorum; quorum ista sunt nomina : 7. Pharsandatha, et Delphon, et Esphatha, 8. et Phoratha, et

Adalia, et Aridatha, 9. et Phermestha, et Arisai, et Aridai, et Jezatha. 10. Quos cum occidissent, prædas de substantiis eorum tangere noluerunt. 11. Statimque numerus eorum, qui cæsi erant in Susan, ad regem relatus est. 12. Qui dixit Reginæ : In urbe Susan interfecerunt Judæi quingentos viros, et alios decem filios Aman ; quantam putas eos exercere cædem in universis provinciis? Quid ultra postulas, et quid vis ut fieri jubeam? 13. Cui illa respondit : Si regi placet, detur potestas Judæis ut, sicut fecerunt hodie in Susan, sic et eras faciant, et decem filii Aman in patibulis suspendantur. 14. Præcepitque rex ut ita fieret. Statimque in Susan pependit edictum, et decem filii Aman suspensi sunt. 15. Congregatis Judæis quarta decima die mensis Adar, interfecti sunt in Susan trecenti viri : nec eorum ab illis direpta substantia est. 16. Sed et per omnes provincias, quæ ditioni regis subjacebant, pro animabus suis steterunt Judæi, interfectis hostibus ac persecutoribus suis ; in tantum ut septuaginta quinque millia occisorum implerentur, et nullus de substantiis eorum quidquam contingeret. 17. Dies autem tertius decimus mensis Adar, primus apud omnes interfectionis fuit, et quarta decima die cædere desierunt. Quem constituerunt esse solemnem, ut in eo omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio atque conviviis. 18. At hi qui in urbe Susan cædem exercuerant, tertio decimo et quarto decimo die ejusdem mensis in cæde versati sunt ; quinto decimo autem die percutere desierunt. Et ideirco eumdem diem constituerunt solemnem epularum atque lætitiæ. 19. Hi vero Judæi, qui in oppidis non muratis ac villis morabantur, quartum decimum diem mensis Adar conviviorum et gaudii decreverunt, ita ut exultent in eo, et mittant sibi mutuo partes epularum et ciborum. 20. Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, et litteris comprehensa misit ad Judæos, qui in omnibus regis provinciis morabantur, tam in vicino positis, quam procul, 21. ut quartam decimam et quintam decimam diem mensis Adar pro festis susciperent, et revertente semper anno solemni celebrarent honore, 22. quia in ipsis diebus se ulti sunt Judæi de inimicis suis, et luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiumque conversa sunt, essentque dies isti epularum atque lætitiæ, et mitterent sibi invicem ciborum partes, et pauperibus munuscula largirentur. 23. Susceperunique Judæi in solemnem ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant, et quæ Mardochæus litteris facienda mandaverat. 24. Aman enim filius Amadathi stirpis Agag, hostis et adversarius Judæorum, cogitavit contra eos malum, ut occideret illos, atque deleret, et misit phur, quod nostra lingua vertitur in sortem. 25. Et postea ingressa est Esther ad regem, obsecrans ut conatus ejus litteris regis irriti fierent ; et malum, quod contra Judæos cogitaverat, reverteretur in caput ejus. Denique et ipsum et filios ejus affixerunt cruci, 26. atque ex illo tempore dies isti appellati sunt Phurim, id est sortium ; eo quod phur, id est sors, in urnam missa fuerit. Et cuncta quæ gesta sunt, epistolæ, id est libri hujus voluminc continentur; 27. quæque sustinuerunt, et quæ deinceps immutata sunt, susceperunt Judæi super se et semen suum, et super cunctos qui religioni eorum voluerunt copulari, ut nulli liceat duos hos dies absque solemnitate transigere ; quos scriptura testatur, et certa expetunt tempora, annis sibi jugiter succedentibus. 28. Isti sunt dies quos nulla unquam delebit oblivio ; et per singulas generationes cunctæ in toto orbe provinciæ celebrabunt ; nec est ulla civitas, in qua dies phurim, id est, sortium, non observentur a Judæis, et ab eorum progenie, quæ his cæremoniis obligata est. 29. Scripseruntque Esther regina filia Abihail, et Mardochæus Judæus, etiam secundam epistolam, ut omni studio dies ista solemnis sancirctur in posterum ; 30. et miserunt ad omnes Judæos, qui in centum viginti septem provinciis regis Assueri versabantur, ut haberent pacem, et susciperent veritatem, 31. observantes dies sortium, et suo tempore cum gaudio celebrarent ; sicut constituerant Mardochæus et Esther, et illi observanda susceperunt a se, et a semine suo, jejunia et clamores, et Sortium dies, 32. et omnia quæ istam habent, qui vocatur Esther, historia continentur.

1. IGITUR DUODECIMI MENSIS, QUEM ADAR VOCARI ANTE JAM DIXIMUS, DECIMA TERTIA DIE, QUANDO CUNCTIS JUDÆIS INTERFECTIO PARABATUR, ET HOSTES EORUM INHIABANT SANGUINI, VERSA VICE JUDÆI SUPERIORES ESSE COEPERUNT. — Adar mensis duodecimus et anni ultimus respondet nostro februario. Primus enim Hebræorum mensis erat Nisan, id est martius, quia in eo celebrabant Pascha, *Exodi* XII. Porro Judæi utebantur mensibus lunaribus, non solaribus ; quare neomenia, sive novilunium erat prima dies mensis ; decima tertia vero dies erat proxime antecedens plenilunium ; hoc enim incidebat in diem decimum quartum. Hic ergo dies pridianus plenilunii februarii destinatus fuerat cædi Judæorum, et mox vice versa cædi hostium Judæorum. Quocirca etiamnum Judæi illo die in synagogis suis quotannis legunt historiam Esther ; et quoties fit mentio Amani, pugnis et malleis pulsant scamna, perinde ac si caput Amani ferirent, uti testantur Antonius Margarita, lib. *De ritibus Judæorum*, et Gregorius Tolosanus, *syntag.* lib. II. cap. XVI, numero 10. Porro Judas Machabæus aliud festum in eadem die 13 Adar instituit, ob insignem victoriam eadem die de Nicanore obtentam, de quo II *Machab.* cap. ult. vers. 37.

6. UT ETIAM IN SUSAN QUINGENTOS VIROS INTERFICERENT EXTRA DECEM FILIOS AMAN. — quos primos publice in theatro, ut videtur, quasi reos a rege damnatos occiderent ; eædem enim inchoarunt a filiis Aman hostis sui jurati, quasi a primitiis primisque justæ suæ vindictæ victimis ; deinde eorum jam occisorum corpora postero die suspenderunt in patibulis, ut dicitur vers. 14, ad majorem Amani ignominiam et hostium terrorem. Igitur mense tertio rex tulit edictum, ut Judæi trucidarent filios Aman, cæterosque suos adversarios, ut dictum est cap. VIII, 9. Quare Judæi mox filios Aman, ne fuga elaberentur, incluserunt in carcerem, ac post novem menses, puta die 13 mensis duodecimi, quæ cædi erat destinata, eos jugularunt, et postero die jugulatos suspenderunt. Dices : cap. VI, 18, rex ferens hoc edictum ait Amanum et omnem cognationem ejus ante portam Susan pendere in patibulis ; ergo filii Aman cum eo occisi sunt mense tertio, non duodecimo. Respondeo per « cognationem » ibi non intelligi filios (alioquin enim eos explicite nominasset), sed cognatos et affines Aman ; hi enim ut ejus fautores cum eo suspensi sunt ; filii vero ad communem omnium cædem, et ad diei 13 Adar publicum spectaculum justæ vindictæ reservati fuere.

10. QUOS CUM OCCIDISSENT, PRÆDAS DE SUBSTANTIIS EORUM TANGERE NOLUERUNT, — tum ut ostenderent se non aliud, quam vitæ suæ incolumitatem quærere ; hanc enim perdere volebant il qui occidebantur ; quare se non inhiare opibus, nec propter opes innoxium aliquem divitem (uti sæpe fit) inter noxios interficere ; tum denique, quia Aman utpote Judæorum jurato hostis, erat quasi anathema, ut nemo ejus et filiorum res attingere auderet. Idem fecere cæteris occisis, quorum facultates diripere noluerunt, ut dicitur vers. 16, etsi rex id eis concessisset, cap. VIII, 11. Utinam Christiani duces et milites eos imitentur, qui non tantum inimicos, sed etiam amicos sæpe spoliant, imo spe prædæ mactant?

16. UT SEPTUAGINTA QUINQUE MILLIA OCCISORUM IMPLERENTUR. — Ingens fuit hic hostium, ideoque et cæsorum numerus, quia Judæi de vita securi esse non poterant, nisi iis occisis. Et hoc est quod hic dicitur : « Pro animabus suis (pro vita sua tuenda constanter cædentes hostes suos) steterunt Judæi interfectis hostibus, » etc. Nisi enim ipsi interfecti fuissent, timendum erat ne cursum Judæos invaderent, imo contra regem rebellarent. Porro jussit Mardochæus Judæis, ut diligenter inquirerent et annotarent, qui revera essent Judæorum hostes et noxios occiderctur, uti factum est in Vesperis Siculis et Parisiensibus, ideoque per novem menses cædem differri jussit, scilicet a mense tertio usque ad duodecimum. Vers. 5.

26. ATQUE EX ILLO TEMPORE DIES ISTI) 13 et 14 Adar, quibus Judæi mactandi mactarunt suos hostes) APPELLATI SUNT PHURIM, ID EST SORTIUM : EO QUOD PHUR, ID EST SORS, MISSA FUERIT IN URNAM. — Sic hoc festum, ait Sanchez, « Phurim » appellatur, id est sortium, non a libertate, quam eo die consecuti sunt Judæi hostibus interfectis, aut domitis ; sed a sortibus quas consuluit Aman, et quæ in eumdem decimum tertium diem mensis Adar Judæorum cædem destinarunt, ut, dum dies ille aniversario redita recurrit, periculi illius renovetur memoria, in quo fuerunt, et qualem habuerunt animorum consternationem et angorem, cum de sortibus ac die nunium accepere. Vers. 24.

Perperam in Septuaginta Romanis pro « phurim » ut habent Septuaginta Complutensibus legitur *phurim* ; unde et Joseph dies hos φουρίμους appellat. Nisi malis Septuaginta et Josephum vocem *phurim* addita littera *r* commutasse in φουρίς, ut alluderent ad Græcum etymon verbi φουρέω, quod servare et custodire significat, *q. d.* Dies hi ab hostibus fuere vocati « Phurim, » id est sortium, item confractionum, quibus scilicet genus nostrum confringerent (hoc enim significat hebraice et arabice *phur*) ; sed a Deo per Esther et Mardochæum ex phurim facti sunt φουρίς, id est custodes et conservatorii, quibus scilicet in vita incolumes conservaremur, hostibus vero facti sunt iidem dies « phurim, » id est confractionum, quibus nimirum ipsimet a nobis confringerentur et mactarentur.

Sic allegorice dies passionis Christi fuere dies « phurim, » id est sortium et confractionum, quibus scilicet Judæi miserunt sortem de occidendo Christo pro Barabba ; ac milites de dividenda Christi crucifixi tunica ; tunc enim iesi carnem Christi confregerunt clavis, flagellis, spinis ; sed hi dies « phurim » per Christum facti sunt φουρίς.

rum, sive ἐφεσμίων, id est, custodes et conservatorii; quia omnes in Christum credentes, sperantes, et diligentes liberarunt a peccato, morte et inferno. Itidem dies Judæis fasti sunt « phurim » quia illis ipsis, puta in Paschate post 38 annos Jerusalem a Tito capta, vastata, et funditus excisa est.

Idipsum præsignificavit sors in die expiationis jaci solita in duos hircos, alterum emissarium, alterum pro peccato immolandum, *Levit.* XVI, 8 et 9. Vide ibi dicta.

Tropologice festum « phurim » agunt sancti, cum sortes adversæ in prosperas commutantur, uti commutate fuere sancto Job, cap. ult. Josepho, Gen. XLI, 41; Mosi, *Exodi* IV et V; Davidi, Tobiæ, aliisque sanctis, ac nominatim S. Eustachio, ut liquet ex ejus vita apud Surium, die 20 septembris.

Anagogice dies « phurim, » id est sortium, erit dies judicii, quo Christus sortes piorum in hac vita afflictorum, et impiorum in hac vita exultantium commutabit, ac piis perpetuam lætitiam, impiis perennem gehennam assignabit, uti docet Sapiens cap. V, 1, et Isaias cap. LXV, 12 et Christus ipse *Lucæ* VI, 21 et 25.

ET CUNCTA QUÆ GESTA SUNT, EPISTOLÆ, ID EST LIBRI HUJUS VOLUMINE CONTINENTUR. — Hinc colligitur Mardochæum libri hujus esse auctorem. Ipse enim auctor fuit epistolæ hujus; epistola autem idem continebat, quod continet hic liber; sed quæ prius in epistola breviter scripserat Mardochæus, eadem in librum hunc referens fusius conscripsit, et accuratius elimavit.

v. 27. 27. QUÆQUE SUSTINUERUNT (« Judæi » ab Aman ejusque asseclis), ET QUÆ DEINCEPS IMMUTATA SUNT) sorte cædis Judæorum ab ipsis in hostes conversa; repete, « libri hujus volumine continentur, » atque in horum memoriam, et gratiarum actionem) SUSCEPERUNT JUDÆI SUPER SE ET SUPER SEMEN SUUM); hoc est, obligarunt se, suosque filios, et posteros, quin et proselytos QUI RELIGIONI EORUM VOLUERUNT COPULARI, (celebrare hoc festum « phurim, » id est sortium,) UT NULLI LICEAT DUOS HOS DIES ABSQUE SOLEMNITATE TRANSIGERE, — non quod omnes utrumque diem debeant agere festum, sed quod alterum ex duobus, vel certe tertium a cæde: nam Judæi habitantes Susis, quia tam die 13 quam 14 ceciderunt suos hostes, hinc die 15 Adar quo cessarunt a cæde, festum « phurim » celebrarunt; ceteri autem qui uno die citius, puta decima quarta a cæde abstinuerunt, eadem die festum agebant.

Quos (dies) SCRIPTURA (id est epistola Mardochæi postea a tota Synagoga confirmata) TESTATUR, — id est, contestatur et mandat esse annua memoria et gratitudine recolendos.

ET CERTA EXPETUNT TEMPORA ANNIS SIBI JUGITER SUCCEDENTIBUS, — ut scilicet quotannis celebrentur certo statoque tempore, puta diebus 14 et 15 jam dictis, idque non solum ex Mardochæi, sed et Assueri decreto, qui idipsum non solum Judæis, sed et Persis, cæterisque gentibus suo imperio subditis præcipit, cap. XVI, vers. 22 et 24 (1).

Anagogice festum sortium significat festum et gaudium beatorum in cœlo de triumphato dæmone, mundo, tyrannis, cæterisque persecutoribus, qui sortes miserant de eorum perditione; sed per virum unum, et per unam mulierem liberati sunt, id est, per Christum et Mariam, et inimicos suos gladiis punient, sicut scriptum est *Psalm.* CXLIX, 6: « Et gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis ejus. » Hoc in fine sæculi, id est in die judicii, continget; ideo duodecimo mense celebratur. Die decima quarta agitur, id est in plenilunio, quoniam cum Sancti cum Christo judicabunt nationes, et dominabuntur populis, jam ecclesia Sanctorum plenitudinem decoris sui habebit.

Anagoge festum sortium et gaudium de triumpho beatorum in cœlo.

Verum solemnitati additur dies decimus quintus, ut significetur hoc secundo die gaudium, quod Sancti capient videntes semper impiorum persecutorum damnationem, sicut in Isaia scriptum est: « Et egredientur et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur; et erunt usque ad satietatem visionis omni carni. » Ita Ribera, lib. V *De Temp.*, cap. ult.

30. UT HABERENT PACEM ET SUSCIPERENT VERITATEM. — Hebræus, *Miserant epistolas verborum pacis et veritatis*, id est, precantes eis pacem, hoc est omnimodam prosperitatem, et exhortantes eos ad veritatem, id est, fidelitatem et constantiam in servandis promissis de festo « phurim » statis diebus celebrando.

31. ET ILLI OBSERVANDA SUSCEPERUNT A SE, ET A SEMINE SUO JEJUNIA ET CLAMORES. — Solebant enim Judæi pridie festorum jejunare, uti et faciunt Christiani in vigiliis Sanctorum; solebant tunc quoque clamores precibus miscere, ac in foritudine clamare ad Dominum, præsertim in publica calamitate, uti hic fecere Judæi ab Aman neci destinati; ideoque ejulantes et complorantes; in quorum memoriam clamores hosce quotannis eodem die renovabant cum strepitu et complosione scamnorum, uti dixi vers. 1; sicut Christiani in triduo passionis Christi crepitaculis et complosionibus strepitus edunt: quod nonnulli cum Serario ab hoc facto Hebræorum manasse suspicantur.

(1) Solent etiamnum hoc tempore Judæi has dies celebrare cum profusa hilaritate et immoderata in bibendo intemperantia, quæ in licentiam et libidinem vergit. Juxta Rabbinos his diebus vino se obruere licet, et quivis Judæus bibere potest usque dum inter « maledictus Aman » et « benedictus Aman » discernere non possit. Alioli.)

Adde S. Athanasium *in Synopsi*, eadem die 13 Adar, Judæos in memoriam et contumeliam Amani crucifixi crucem ligneam publice circumferre, eamque cum imagine Amani igne concremare. Verum quia multi Judæorum hac Amani tragœdia Christi passionem et crucem repræsentabant et irridebant, quasi Christus esset personatus larva Amani, hac de causa Honorius et Theodosius Imperatores hos eorum ritus et gestus inhibuere, ut patet Codice *De Judæis et Cælicolis L. Judæos*, ubi sic dicitur: « Judæos quosdam testivitatis suæ solemnia ad pœnæ quondam sumptæ recordationem incendere, et sanctæ crucis assimulatam speciem in contemptum Christianæ fidei, sacrilega mente exurere provinciarum rectores prohibeant.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Majestas et gloria æque ac virtus Mardochæi, qui vers. 4 somnii sui explicationem de Judæorum in Persida afflictione, indeque liberatione et exaltatione enarrat.

1. Rex vero Assuerus omnem terram et cunctas maris insulas fecit tributarias: 2. cujus fortitudo et imperium, et dignitas atque sublimitas, qua exaltavit Mardochæum, scripta sunt in libris Medorum atque Persarum: 3. et quo modo Mardochæus Judaici generis secundus a rege Assuero fuerit; et magnus apud Judæos, et acceptabilis plebi fratrum suorum, quærens bona populo suo, et loquens ea quæ ad pacem seminis sui pertinerent.

Quæ habentur in Hebræo, plena fide expressi. Hæc autem quæ sequuntur, scripta reperi in editione vulgata, quæ Græcorum linguæ et litteris continentur; et interim post finem libri hoc capitulum ferebatur: quod juxta consuetudinem nostram obelo, id est veru prænotavimus.

4. Dixitque Mardochæus: A Deo facta sunt ista. 5. Recordatus sum somnii, quod videram, hæc eadem significantis: nec eorum quidquam irritum fuit. 6. Parvus fons, qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit: Esther est, quam rex accepit uxorem, et voluit esse reginam. 7. Duo autem dracones: ego sum, et Aman. 8. Gentes, quæ convenerant: hi sunt, qui conati sunt delere nomen Judæorum. 9. Gens autem mea: Israel est, quæ clamavit ad Dominum, et salvum fecit Dominus populum suum; liberavitque nos ab omnibus malis, et fecit signa magna atque portenta inter Gentes: 10. et duas sortes esse præcepit, unam populi Dei, et alteram cunctarum Gentium. 11. Venitque utraque sors in statutum ex illo jam tempore diem coram Deo universis gentibus: 12. et recordatus est Dominus populi sui, ac misertus est hæreditatis suæ. 13. Et observabuntur dies isti in mense Adar, quarta decima et quinta decima die ejusdem mensis, cum omni studio et gaudio in unum cœtum populi congregati, in cunctas deinceps generationes populi Israel.

1. REX VERO ASSUERUS OMNEM TERRAM ET CUNCTAS MARIS INSULAS (nimirum sibi suoque imperio subjectas) FECIT TRIBUTARIAS, — id est, novis tributis oneravit, tum quia ipse auri cupidior in tributa erat propensus; tum quia magnis et magnificis suis in convivium tam amplum et continuum de quo cap. I, expensis ærarium exhauserat; tum quia Deus hoc tributo castigare volebat Persas, qui paulo ante cædi et spoliis innocentum Judæorum inhiarant.

3. MARDOCHÆUS JUDAICI GENERIS SECUNDUS A REGE ASSUERO. — Erat ergo quasi regis vicarius, et in ejus absentia rex; imo rege præsente Mardochæus rara sua prudentia et vigilantia gubernabat imperium, teste Josepho.

LOQUENS EA QUÆ AD PACEM SEMINIS SUI (id est, quæ ad commoda et prosperitatem Judæorum) PERTINERENT, — q. d. Mardochæus studebat commodis non propriis, sed populi sui. Res ejus præclare gestas omittit hic Scriptura, ac eas cupientem cognoscere remittit ad annales Medorum et Persarum.

Benjamin *in Itinerario* narrat Mardochæum et Estherem sepultos in urbe primaria Medorum,

dicta *Hamda magna*; aitque suo tempore in ea fuisse 50 millia Judæorum. Nonnulli suspicantur a Mardochæo nominatam provinciam Mardochæam, quæ sita est inter Babyloniam et Sinum Persicum (1).

Hic in Hebræo finitur liber Esther : cætera quæ sequuntur ex Græco in Latinum transtulit S. Hieronymus, ubi nota hæc ultima septem Estheris capita esse Scripturam Canonicam. Id patet tum ex definitione Concilii Tridentini, *sessione* IV, tum ex editione vulgata Latina et Græca Septuaginta. Quarum utraque hæc constanter legit, licet in Græca non habeantur seorsim, ut in Latina; sed quæque suis locis inserta sint ordine historico, uti olim quoque ante S. Hieronymum eadem suis locis inserta exstabant in editione Latina. Verum sanctus Hieronymus, quia Estherem ex Hebræo transtulit in Latinum, et ejus tempore hæc septem capita non exstabant in Hebræo, hinc ea ex Græco transtulit, ac seorsim posuit, et in calcem libri retulit post seriem totius historiæ. Exstitisse autem olim illa ante S. Hieronymum Hebraice, patet ex Græca Septuaginta, et Latina vulgata prisca, atque ex Josepho, et Josippo filio Gorionis, qui hæc eadem habent, quæ Noster, utique non aliunde, quam ex prisco originali Hebræo. Verisimile est hunc librum æque ac Tobiæ bis Hebraice fuisse conscriptum, semel brevius, uti jam Hebraice exstat, secundo fusius; indeque manasse translationem Græcam Septuaginta, et ex ea Nostram, ideoque illam hasce attexere lacinias. Vide Fevardentium hic, et Bellarminum, lib. I *De verbo Dei*, cap. VII.

Vers. 4. 4. DIXITQUE MARDOCHÆUS : — cum jam suspenso Aman intelligeret somnii sui significationem.

Vers. 5. 5. RECORDATUS SUM SOMNII, QUOD VIDERAM, HÆC EADEM SIGNIFICANTIS. — Somnium hoc ergo fuit a Deo immissum Mardochæo, ut per illud significaret futuram exaltationem sui et Estheris, ac colluctationem cum Amano. Quocirca hoc somnium ordine historico collocandum est initio hujus libri, totiusque historiæ, uti ibidem collocatur in Græcis Romanis. Simile somnium a Deo immissum fuit Pharaoni, *Genes.* XLI; et Nabuchodonosori, *Daniel.* II.

Vers. 6. 6. PARVUS FONS, QUI CREVIT IN FLUVIUM, ET IN LUCEM SOLEMQUE CONVERSUS EST, ET IN AQUAS PLURIMAS REDUNDAVIT, ESTHER EST, QUAM REX ACCEPIT UXOREM, ET VOLUIT ESSE REGINAM. — Somniarat ergo Mardochæus, uti narratur cap. seq. versu 8, se videre parvum fontem, qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est; ac postea intellexit hunc foutem esse Estherem, quæ ante abjecta et vilis, postea ita crevit, ut facta sit regina, et gentem Judæorum et numero, et robore, et gloria mire adauxerit, ideoque quasi sol in Perside totoque orbe radiis sua virtutis et majestatis effulserit. Apte Esther comparatur fonti : *primo*, quia sicut fons aquas continue eructans producit ingentem fluvium; sic Esther sua opera et studio ingentem produxit Judæorum populum, multosque Gentilium ad Deum et Judaismum convertit, ut dictum est cap. IX, vers. ult.; *secundo*, ipsa suis oculis et lacrymis quasi fontibus exstinxit immane Amani incendium in Judæos conflatum, æque ac iram Dei; *tertio*, ipsa iisdem quasi aquis torrentis ingentibus et v[illegible]mentibus obruit, et demersit 75 millia Gentilium Judæis adversantium; *quarto*, fons hic, qui ante erat in tenebris cap. XI, 8, hoc est in summo mœrore et angore, IN LUCEM SOLEMQUE, id est, in lucidum solem (est hendyadis) CONVERSUS EST, — puta in summam lætitiam et felicitatem, cum Judæos morte liberavit, eosque de hostibus triumphare fecit.

Esther comparatur fonti primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Porro apposite fons hic dicitur conversus in lucem et solem, quia magna est affinitas et analogia fontis et solis : *primo*, quia sicut fons est origo et scaturigo fluminis, sic sol est luminis; sicut enim flumen manat a fonte, sic lumen a sole; similis enim est utriusque productio, profluxus, et emanatio; unde Hebraice נהר *nar*, id est lux et lucerna, alludit ad נהר *nahar*, id est flumen, et ad אור *or*, id est lumen, quia significat profluxum seu propagationem luminis ceu fluminis, id est seminis et posteritatis; *secundo*, quia quod fons est in terra, hoc sol est in cœlo; sicut enim fons est quasi oculus terræ, sic sol est quasi oculus cœli, totum cœlum orbemque lustrans et ornans. Unde Hebr. עין *ain* tam oculum, quam fontem significat, quia quod oculus est in homine, hoc fons est in terra, et sol in cœlo; *tertio*, quia flumen ex fonte manans limpidum est, perspicuum, et clarum instar crystalli (imo crystallus non est aliud quam aqua fontis congelata), ac radiis solis illuminatum resplendet ut sol; *quarto*, quia ex fonte et aquis primigeniis creatus est sol et cœli. Unde et Hebraice *Semaim*, q. d. *ibi aquæ*, vocantur, uti ostendi pluribus *Gen.* I, 7. Simili modo et analogia Esther hic quasi aquea, id est pauper et abjecta, ab Assuero evecta ad solium regale quasi ad cœlum, facta est gloriosa et radians ut sol, ut jure fons solis, de quo *Josue* XV, 7, et cap. XVIII, 17, vocari possit juxta id quod cap. XI, 11, de ea dicitur : « Lux et sol ortus est, et humiles exaltati sunt, et devoraverunt inclytos. »

Analogia fontis et solis. Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

Hinc S. Scriptura sæpe lumen et flumen combinat, ut *Psalm.* XXXV, 10 : « Domine, apud te est fons vitæ; et in lumine tuo videbimus lumen. » Et *Apoc.* XXII, 1, lumen gloriæ beatorum describitur per fluvium paradisi, cum ait : « Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum procedentem de sede Dei et Agni. » Denique in fontibus subinde per reflexionem radiorum sol sui effigiem exprimit, facitque parelium, id est, alte v[illegible] in quasi solem, ut fons ipse videatur esse sol, uti dicam cap. seq. 10 et 11. Hoc est ergo *paradoxum*, hieroglyphicum Mardochæi somnium : « Ex aquis sol », id est, ex tribulatione oritur gaudium, ex adversitate prosperitas, ex desolatione consolatio, ex mœrore lætitia, ex humiliatione exsultatio, ex mortificatione resurrectio. Fingunt Poetæ solem, cum occumbit ex labore diurno anhelum, se aquis et mari immergere, ut nocte se abluat et refrigeret; quare mane ex iisdem rursus vegetum prodire et renasci; sic aquæ humiliationis refrigerant mentem operibus charitatis æstuantem, et humilior et vegetior ex illis ad eadem resurgat et regrediatur. Tunc fit istud, quod dicitur *Job* XI, 16 : « Miseriæ quoque oblivisceris et quasi aquarum, quæ præterierunt, non recordaberis. Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam; et, cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer. » Et illud *Malac.* IV, 2 : « Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus; et egrediemini, et salietis sicut vituli de armento. » Vide ibi dicta. Denique somnium hoc allusit ad morem Persarum, qui solem colebant quasi numen, ac reges suos vocabant soles. Unde Cyrus Persice idem est quod sol. Et Sapor Persarum rex, teste Ammiano, Marcellino, lib. XVII, scribens ad Constantium Imperatorem hunc sibi arrogat titulum : « Rex regum Sapor, particeps siderum, et frater solis et Lunæ, Constantio fratri meo salutem. » Cum ergo Mardochæus per visum vidit Estherem quasi solem, paulo post intellexit eam fore reginam Persarum, ac capite gestaturam coronam solarem, id est, radiis aureis quasi solaribus distinctam. Addit Josippus filius Gorionis, lib. II, cap. II, Mardochæum Estherem in persecutione Amani afflictam consolatum fuisse refricatione hujus sui somnii, indeque spe certa liberationis secuturæ. Idem dicas de quadriennio toto, quo Esther quasi vilis, incognita, et obvioni tradita latuit in domo Assueri; nam anno secundo Assueri in domum ejus inducta fuit; septimo vero demum anno ad eumdem introducta, ut patet cap. II, versu 16.

Nimirum hæc est via et methodus, qua utitur Dei providentia, ut eos, quos vult exaltare et glorificare, prius humiliet, vilesque et ignobiles efficiat. Qui ergo idipsum in se experitur, spe certa mehorum erigat animum, sciatque se esse in recta via, qua Deus suos deducit ad sublimitatem et gloriam; quia ut, ait Sapiens : « Gloriam præcedit humilitas. » Et : « Dominus primo mortificat, et deinde vivificat; primo deducit ad infe-

(1) Etiamnum in Echatanis, hodie *Hamadan*, videtur Estheris et Mardochæi sepulcrum ex lateribus constructum, et cujus tholus supra pauperculas Judæorum domos eminet. Illud sepulcrum eodem loco recollicatum est quo situm erat vetus a Tamerlano eversum. Apud Judæos qui in Perside degunt, in magna veneratione adhuc habetur, et certis per annum diebus illud sepulcrum visitant eo pœnitentiæ animo quo in exilio contra Jerusalem esse vertebant et orabant. Ejus sepulcri descriptionem videre est in *Excerptis ex itineribus* Sir Robert Ker Porter (Londini, 1821), et apud *Annales Philosophiæ christianæ*, Tom. V, pag. 279.

ros, et deinde reducit. » I *Reg.* cap. II, vers. 6.

Allegorice hic fons in solem conversus similis- Virgo que fonti solis, de quo Josue, ad litteram signi- est fons ficans Estherem, mystice representat B. Virgi- solis. nem, quæ *Apoc.* XII, 1, vocatur mulier amicta sole. Unde S. Fulgentius, serm. *De laud. Virg.* : « Facta, inquit, Maria fenestra cœli, quia per ipsam Deus verum fudit sæculi lumen. » B. Damascenus, Orat. I *De natiu. Virg.* vocat eam « Portam vitæ, Fontem lucis, » quo nomine eam vocant complures alii. Epiphanius *serm. De laud. Virginis*, his verbis : « O Virgo sancta, lucis æternæ mater; lucis, inquam, quæ in cœlis illuminat copias Angelorum : lucis, quæ illuminat ipsorum Seraphim incomprehensum oculum; lucis, quæ illuminat solem splendidis facibus; lucis, quæ fines terræ illuminat ad credendum Trinitati; lucis, quæ dixit : Ego sum lux mundi; lucis, quæ dixit : Ego lux in mundum veni; lucis, quæ assumpta est, et illuminavit cuncta quæ sunt in cœlis et in terra. » Et iterum : « O uterum habentem inexstinguibile lumen septies lucentis gratiæ. » Chrysippus, Oratione *ad Deiparam* : « Ave, inquit, fons lucis omnem hominem illuminans; ave, solis ortus, qui nullum terre potest occasum. » Ildephonsus serm. I. *De Assumptione* : « Maria, inquit, secundum verbum Hebraicum interpretatur stella maris; mare præsens sæculum est, stella autem B. Virgo Maria, de qua ortus est ille per quem illuminatur omnis mundus. Hinc securius accedite ad laudem Virginis, et illuminamini, quoniam ipsa est per quam vera lux in mari hujus sæculi refulsit. » Ecclesia in Missa, in præfatione de B. Virgine, hac eadem metaphora utitur illis verbis : « Quæ virginitatis gloria permanente lumen æternum mundo effudit, Jesum Christum Dominum Nostrum. » Ephrem, sermone *De laudibus Virginis* : « Ave, inquit, stella fulgidissima, ex qua Christus processit; ave, per quam clarissimus sol justitiæ nobis illuxit. » Et iterum : « Virginem Luciferam » appellat; æque Cyrillus, lib. I *De recta fide ad Reginas* : « Maria, ait, vitæ genitrix, mater pulchritudinis, maximipara Luciferi. »

7. DUO AUTEM DRACONES, EGO SUM ET AMAN. — Ili Vers. 7. duo dracones inter se prodiabantur, ut dicitur cap. seq. 6, ut significarent colluctationem Mardochæi cum Amano, ejusque supplantationem. Dracones enim sunt insignia et stemmata militum et ducum : notant enim eorum dotes, quarum præcipue sunt tres, scilicet vigilantia, fortitudo, et celeritas in rebus conficiendis. Draco enim est vigil, et acutissime cernit; unde draco dictus est Draco a δέρκω τοῦ δέρκεσθαι, id est a videndo. Idem fortissimus dotes et est et celerrimus; unde in Arabia volat, quare symbola quid divinum præ se fert; qua de causa veteres draconi assignarunt custodiam aedium, templorum, oraculorum, thesaurorum, ac infantiæ heroum; uti de Hercule, imo de Nerone fabulati sunt Poetæ. Hinc rursum draco priscis fuit sym-

bolum prudentiæ, sapientiæ, imo et vaticinii, uti docet Carolus Paschalius, lib. IX *De Coronis*, cap. XV, in fine. Adde (quod huic appositum et proprium est) Parthos, sive Persas olim in prælio promisisse leones et dracones in hostes ad eos consumendos, uti ex Luciano et Ennio docet Brissonius, lib. II *De regno Persarum*, pag. 310. Simile somnium de dracone habuit Olympias mater Alexandri Magni, quo ei portendebatur imperium et monarchia, uti eumdem draco portendit Augusto, Aureliano, Severo, Scipioni et aliis, teste Pierio, *Hieroglyph.* XV. Hinc et Pharao vocatur draco magnus, *Ezech.* XXIX, 3. Hinc quoque olim in bello vocabantur draconarii, qui nunc vocantur vexilliferi. Denique sicut dracones Mosis devorarunt dracones Magorum, *Exod.* VII, 12, sic Mardochæus devoravit Amanum. Sic etiamnum vulgo dracones vocantur milites fortissimi, puta equites, qui a tergo accipiunt peditem, ut in prælio eum in terram deponentes tam equites, quam pedites in hostem pugnent.

10. ET DUAS SORTES ESSE FRACTAS; UNAM POPULI DEI, ET ALTERAM CUNCTARUM GENTIUM. — Populo Dei, hoc est Judæis adversantium et inimicorum; Aman enim misit sortem pro Judæis occidendis; Mardochæus vero dedit sortem pro gentibus Judæorum hostibus mactandis.

11. VENITQUE UTRAQUE SORS IN STATUTUM EX ILLO JAM TEMPORE DIEM CORAM DEO UNIVERSIS GENTIBUS, — *q. d.* Utraque sors incidit in eamdem diem a Deo ab æterno statutam, scilicet in 13 et 14 Adar, sive februarii; sed dies hic fuit Judæis felix et lætus, gentibus vero Judæorum hostibus fuit infaustus et exitialis, quia.

12. RECORDATUS EST DOMINUS HÆREDITATIS SUÆ, — id est populi Israelitici, quem ut hæreditatem, et peculium suum Deus singulariter diligit; ideoque protegit, salvat et propugnat.

Symbolice S. Prosper, lib. I *De Vocat. gentium*, cap. II, duas sortes accipit fidelium et infidelium; Deus enim Judæos quasi fideles elegit ad gratiam et gloriam, a quibus gentes infideles exclusit, ita tamen ut communem providentiæ suæ cursum et gratiam eis non denegarit, uti ibidem ostendit Prosper; sed pro Judæis sibi fidelibus magna fecit signa et portenta in Gentibus, ut cum per Mosen Ægyptum decem plagis afflixit, cum per Josue Chananæos, per Davidem Philisthæos subjugavit, etc. Ad hæc enim portenta hic respicitur.

CAPUT UNDECIMUM

SYNOPSIS CAPITIS.

Mardochæus somnium ipsum enarrat, cujus significationem jam cap. 10, enarrabat.

1. Anno quarto, regnantibus Ptolemæo et Cleopatra, attulerunt Dosithæus, qui se Sacerdotem et Levitici generis ferebat, et Ptolemæus filius ejus, hanc epistolam phurim, quam dixerunt interpretatum esse Lysimachum Ptolemæi filium in Jerusalem.

Hoc quoque principium erat in editione vulgata, quod nec in Hebræo, nec apud ullum fertur interpretum.

2. Anno secundo, regnante Artaxerxe maximo, prima die mensis Nisan, vidit somnium Mardochæus filius Jairi, filii Semei, filii Cis, de tribu Benjamin: 3. homo Judæus, qui habitabat in urbe Susis, vir magnus, et inter primos aulæ regiæ. 4. (IV *Reg.* XXIV, 15. *Sup.* II, 6.) Erat autem de eo numero captivorum, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis de Jerusalem cum Jechonia rege Juda; 5. et hoc ejus somnium fuit: Apparuerunt voces, et tumultus, et tonitrua, et terræ motus, et conturbatio super terram; 6. et ecce duo dracones magni, parati que contra se in prælium. 7. Ad quorum clamorem cunctæ concitatæ sunt nationes, ut pugnarent contra gentem justorum. 8. Fuitque dies illa tenebrarum et discriminis, tribulationis et angustiæ, et ingens formido super terram. 9. Conturbataque est gens justorum timentium mala sua, et præparata ad mortem. 10. Clamaveruntque ad Deum: et illis vociferantibus, fons parvus crevit in fluvium maximum, et in aquas plurimas redundavit. 11. Lux et sol ortus est, et humiles exaltati sunt, et devoraverunt inclytos. 12. Quod cum vidisset Mardochæus, et surrexisset de strato, cogitabat quid Deus facere vellet: et fixum habebat in animo, scire cupiens quid significaret somnium.

Hoc caput initio libri ordine historico ponendum est, uti ponunt Græca Romana.

1. ANNO QUARTO, REGNANTIBUS PTOLEMÆO ET CLEOPATRA — in Ægypto. Illo enim ævo a primo Ptolemæo Lagi regi Ægypti cæteri omnes vocati sunt Ptolemæi; regina vero Cleopatræ. Hic Ptolemæus fuit is, qui cognominatus est Philometor sextus ab Alexandro Magno, ac Judæis imprimis favit, imo omne regnum suum gubernandum commisit, ac duces militiæ suæ constituit Onian et Dosithæum Judæos, teste Josepho, lib. II *Contra Appionem*. Incertum est an hic Dosithæus sit idem cum Dositheo sacerdote, qui epistolam « phurim, » id est sortium a Mardochæo Hebraïce scriptam, et a Lysimacho in Græcum conversam, tulit in Jerusalem, uti hic dicitur. Porro hic versus non est Mardochæi, nec additus a Septuaginta; hi enim vixerunt ante Philometorem sub Ptolemæo Philadelpho, sed ab aliquo posteriore scriba hagiographo historiæ causa interjectus.

2. ANNO SECUNDO. — Hic incipit epistola Mardochæi, quæ scripta fuit anno secundo Artaxerxis, id est Darii Hystaspis imperantis in Perside. Artaxerxes enim erat commune nomen regum Persarum, sicut Assuerus Medorum, ut dixi. Erat enim idem annus quo Darius concessit Judæis facultatem resumendi fabricam templi quam inchoarat Cyrus, sed inhibuerat ejus filius Cambyses, ut patet I *Esdræ* IV et VI.

5. ET HOC EJUS SOMNIUM FUIT: APPARUERUNT VOCES, ET TUMULTUS, ET TONITRUA, ET TERRÆ MOTUS, ET CONTURBATIO SUPER TERRAM. — Hæc omnia significabant tumultus et conturbationes, quos Aman excitavit contra Judæos per edictum jubens eos omnes occidi. Erant enim multa centena Judæorum millia qui omnes erant necandi cum uxoribus, filiabus et ancillis. Cogita quanta in eis fuerit consternatio, tumultus et comploratio.

6. PARATIQUE CONTRA SE IN PRŒLIUM. — Græce: *Processerunt præliari utrique*, nimirum Mardochæus contra Aman.

7. UT PUGNARENT CONTRA GENTEM JUSTORUM, puta contra Judæos qui erant populus fidelis Dei cultui dicatus. Vers. 7.

10. FONS PARVUS CREVIT IN FLUVIUM MAXIMUM, etc. Vers. 10.

11. LUX ET SOL ORTUS EST; ET HUMILES (Judæi) EXALTATI SUNT, ET DEVORAVERUNT INCLYTOS, — nimirum Aman cum ejus asseclis, cæterisque sibi adversantibus. Vers. 11.

Fons parvus fuit Esther cum suis Judæis, quæ primo vilis et exilis crevit in fluvium, imo in lucem et solem conversa est, cum effecta regina Mardochæum et Judæos extulit, ut de Aman et hostibus suis eos mactando triumpharent. Alludit ad fonticulos, qui in profundis locis, ut putei et antris, modice exiliunt, ideoque obscuri sunt et tenebrosi: sed, dum affluxu vicinarum aquarum crescunt, fiunt limpidi et lucidi, juxta illud:

Fons erat illimis nitidis argentea undis.

Imo fiunt fulgidi instar solis, præsertim dum radiis solis ita verberantur, ut sol in eis vel iridem vel seipsum exprimat, ut fit in parelio, quando sol in nubibus aqueis rarefactis transparens alium quasi solem in eis spectandum exhibet. Simili enim modo Esther post adeptum regnum majestate et gloria refulsit quasi sol. Vide dicta cap. præced., vers. 7.

COGITABAT QUID DEUS FACERE VELLET, ET FIXUM HABEBAT IN ANIMO (investigare et scrutari somnii significationem), SCIRE CUPIENS QUID SIGNIFICARET SOMNIUM. — Hinc patet Mardochæum, cum primo vidit somnium, ejus significationem non intellexisse, sed sensim ex rerum eventu, et Dei instinctu eam cognovisse. Sentiebat tamen in genere sibi a Deo inspirari, aliquid magni in favorem Judæorum eo significari. Unde Josippus filius Gorionis, lib. II: « Cum Aman, ait Mardochæo, tam infensus esset, ait ad suam Esther: impletur somnium quod narravi tibi in diebus juventutis tuæ. »

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Mardochæus Assuero per Estherem revelat conjurationem eunuchorum contra eum, de qua cap. II, 21; quare ordine historico eo loci hoc caput inserendum est: quæ enim ibi strictim dicta sunt, hic fusius enarrantur.

Supra II et VI. 1. Meditabatur autem eo tempore in aula regis, cum Bagathæ et Thara eunuchis regis, qui janitores erant palatii. 2. Cumque intellexisset cogitationes eorum, et curas diligentius pervidisset, didicit quod conarentur in regem Artaxerxem manus mittere: et nuntiavit super eo regi. 3. Qui, de utroque habita quæstione, confessos jussit duci ad mortem. 4. Rex autem quod gestum erat scripsit in commentariis; sed et Mardochæus rei memoriam litteris tradidit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

3. Præcepitque ei rex ut in aula palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus. 6. Aman vero, filius Amadathi Bugæus, erat gloriosissimus coram rege, et voluit nocere Mardochæo et populo ejus, pro duobus eunuchis regis qui fuerant interfecti.

Hucusque Proœmium.

Quæ sequuntur, in eo loco posita erant, ubi scriptum est in volumine :

Et diripuerunt bona, vel substantias eorum.

Quæ in sola Vulgata editione reperimus.

Epistolæ autem hoc exemplar fuit.

Vers. 5. 5. DATIS PRO DELATIONE MUNERIBUS — exiguis et parvi momenti; nam postea majora dedit, ut patet cap. VI, 3. Aut potius est prolepsis, sive anticipatio : munera enim hæc data videntur Mardochæo non statim a delatione, sed diu post, cum scilicet rex legens Annales intelligeret nihil mercedis Mardochæo pro delatione datum fuisse, uti narratur cap. VI, 3.

Vers. 6. Aman Bugæus. Cur. Resp. Primo. 6. AMAN VERO FILIUS AMADATHI BUGÆUS ERAT GLORIOSISSIMUS. — CUR Aman vocatur Bugæus? Respondent aliqui : Vocatur Bugæus, id est, filius Bogis. Bogim enim magnificit Xerxes, teste Herodoto, lib. VII et VIII; Bogem quoque fuisse Macedonem, uti erat Aman, liquet ex eo quod addit Herodotus eum fuisse oriundum ex urbe Sion, id est, Amphioli, quæ urbs et Macedoniæ, quam præterfuit Arymon fluvius. Verum hæc contigerunt ante Xerxem sub Dario patre Xerxis, ut ostendi in Proœmio. Dico ergo : « Bugæus, » vel, ut Secundo. aliqui legunt, « Ugæus, » idem est quod *Agagæus*, id est oriundus ex stirpe Agag regis Amalech. Id ita esse liquet, ex eo quod ex « Bugæus » non sit in Hebræo, sed nonceptum ex Septuaginta qui cap. III, 1, pro « ex stirpe Agag » vertunt : *Bugæus*. Nam ex Agag, dempto primo *aleph* per aphæresim fit *Gog*, vel *Gog*, uti pro *Agag* vertunt Septuaginta, *Num.* XXIV, 7. Jam ex *Gog* fit *Gogæus*, et inde *Bogæus* vel *Bugæus*. Nam littera *b* subinde commutatur cum *g*, ut docet S. Hieronymus *in locis Hebr.* ubi Gobel, sive Gyblum, quod est apud Ezechielem in Hebræo, ait esse *Byblum*, urbem celebrem Phœniciæ. Plura similia exempla commutationis litteræ *b* in *g* affert Angelus Caninius in Hellenismo. Licet enim Aman stirpe proxima fuerit Macedo, ut dicitur cap. XVI, 10, tamen prisca prosapia et origine fuit Amalecita ex stirpe Agag, ut dixi cap. III, 1. Potest secundo ex « Bugæus, » esse nomen non proprium, nec patronymicum, sed appellativum; unde Romani illud scribunt per minusculum *b*, ut significet magnum jactatorem et gloriosum, qualis hic dicitur fuisse Aman, ut ex « Bugæus, » componatur ex βοῦς, quæ particula Græcis auxesin affert a βοὴ, id est bos, *q. d.* bovina magnitudine, et ἀγὸς, id est, glorior, jacto, ut « Bugæus » sit idem quod *bovine*, hoc est, immaniter *se jactans*. Unde Plutarchus in quæstionibus Græcis : « Bubalam, inquit, ducunt pro magno, sicut Poeta (Homerus Agamemnonem) dicit βοῶπιν, id est, bovinis, hoc est, magnis præditum oculis, et βουγαῖον, qui se gloriose jactaret. » Hinc Homerus βοηγάτην vocat magnum jactatorem. Hinc et Italicum *bugia*, id est mendacium : gloriosi enim thrasones, qui magna de se jactant, uti Aman, multa mentiuntur; Itali enim multas voces accipiunt a Græcis, utpote in Italia habitantibus. Unde et Calabria, in quo docuit Pythagoras, dicta est magna Græcia.

PRO DUOBUS EUNUCHIS — suspensis per delationem Mardochæi. Nam hi erant amici et fœderati Aman, ut dixi cap. II, 21.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Exemplar epistolæ Assueri missæ ab Aman ad contumiem Judæorum eadem, quæ ordine historico inserenda est, cap. III, 14, ut ibidem inserunt Græca romana. Deinde, vers. 8, subjicitur oratio Mardochæi pro hac eade acertenda, quæ ordine historico collocanda est post cap. IV.

1. Rex maximus Artaxerxes ab India usque Æthiopiam, centum viginti septem provinciarum principibus et ducibus, qui ejus imperio subjecti sunt, salutem. 2. Cum plurimis gentibus imperarem, et universum orbem meæ ditioni subjugassem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed clementia et lenitate gubernare subjectos, ut absque ullo terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur. 3. Quærente autem

me a consiliariis meis quomodo posset hoc impleri, unus qui sapientia et fide cæteros præcellebat, et erat post regem secundus, Aman nomine, 4. indicavit mihi in toto orbe terrarum populum esse dispersum, qui novis uteretur legibus, et contra omnium Gentium consuetudinem faciens, regum jussa contemneret, et universarum concordiam nationum sua dissensione violaret. 5. Quod cum didicissemus, videntes unam gentem rebellem adversus omne hominum genus perversis uti legibus, nostrisque jussionibus contraire, et turbare subjectarum nobis provinciarum pacem atque concordiam, 6. jussimus ut quoscumque Aman, qui omnibus provinciis præpositus est, et secundus a rege, et quem patris loco colimus, monstraverit, cum conjugibus ac liberis deleantur ab inimicis suis, nullusque eorum misereatur, quarta decima die duodecimi mensis Adar anni præsentis : 7. ut nefarii homines, uno die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem quam turbaverant

Hucusque exemplar epistolæ.

Quæ sequuntur, post eum locum scripta reperi ubi legitur

Pergensque Mardochæus, fecit omnia quæ ei mandaverat Esther.

Nec tamen habentur in Hebraico, et apud nullum penitus feruntur interpretum.

8. Mardochæus autem deprecatus est Dominum, memor omnium operum ejus, 9. et dixit : Domine, Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel. 10. Tu fecisti cœlum et terram, et quidquid cœli ambitu continetur. 11. Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuæ. 12. Cuncta nosti, et scis quia non pro superbia et contumelia, et aliqua gloriæ cupiditate, fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum, 13. (libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem); 14. sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo. 15. Et nunc, Domine rex Deus Abraham, miserere populi tui, quia voluit nos inimici nostri perdere, et hæreditatem tuam delere. 16. Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Ægypto. 17. Exaudi deprecationem meam, et propitius esto sorti et funiculo tuo, et converte luctum nostrum in gaudium, ut viventes laudemus nomen tuum, Domine, et ne claudas ora te canentium. 18. Omnis quoque Israel pari mente et obsecratione clamavit ad Dominum, eo quod eis certa mors impenderet.

Vers. 2. 2. VITAM SILENTIO (id est quiete sine turbis et tumultibus) TRANSIGENTES — *in pace et tranquillitate*, ut habent Græca.

Vers. 7. 6. DELEANTUR QUARTA DECIMA DIE MENSIS DUODECIMI ADAR. — Nam 13 die jussi sunt inchoare cædem, sed die 14 eamdem perficere, nisi sorte commutata fecisse Judæos patet cap. IX, 17. Nil ergo hæc antilogia habet virium, ut suspectam faciat auctoritatem et fidem horum capitum, ut volunt Novantes.

Vers. 8. 8. Recitatur hoc versu oratio Mardochæi, ante quam S. Hieronymus ita præfatur : *Hæc non habentur in Hebraico*, scilicet illo breviori quo usus fuit S. Hieronymus, *nec apud ullum feruntur interpretum*, nisi rum Aquilam, Symmachum, Theodotionem, quintam et sextam editionem, et similes. Nam excipiendi sunt Septuaginta, quia ex eis hæc transtulit S. Hieronymus; nam ante eum versio Septuaginta erat Vulgata, qua utebatur Ecclesia; ex Vulgata autem hæc se transtulisse fatetur S. Hieronymus in Proœmio, cap. XV.

Porro hæc oratio Mardochæi pia est, nervosa et ardens, quam proinde usurpat Ecclesia in Missa feria quarta post Dominicam secundam Quadragesimæ, ex quo liquet illam, uti et cætera horum capitum, esse Scripturam Canonicam juxta decretum Concilii Tridentini, *sess.* IV.

Vers. 13. 13. LIBENTER ENIM PRO SALUTE ISRAEL ETIAM VESTIGIA PEDUM EJUS DEOSCULARI PARATUS ESSEM. — « Vestigia, » vel proprie accipe, quæ pede polveri vel terræ imprimuntur; vel metonymice ipsos pedes pedemque plantas, quibus hæc vestigia terræ imprimuntur. Unde Josippus Gorionides habet : *Paratus fuissem lingere calceum, qui in ejus est pedibus, et pulverem quem ipse calcasset.* Alludit ad illud *Isaiæ* XLIX, 23 : « Vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. » Et ad illud *Psal.* LXXI, 9 : « Coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent. » Ita Serarius et Sanchez qui multis exemplis ostendit vestigium sæpe sumi pro pede ves-

3. Præcepitque ei rex ut in aula palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus. 6. Aman vero, filius Amadathi Bugæus, erat gloriosissimus coram rege, et voluit nocere Mardochæo et populo ejus, pro duobus eunuchis regis qui fuerant interfecti.

Hucusque Proœmium.

Quæ sequuntur, in eo loco posita erant, ubi scriptum est in volumine :

Et diripuerunt bona, vel substantias eorum.

Quæ in sola Vulgata editione reperimus.

Epistolæ autem hoc exemplar fuit.

Vers. 5. 5. DATIS PRO DELATIONE MUNERIBUS — exiguis et parvi momenti; nam postea majora dedit, ut patet cap. VI, 3. Aut potius est prolepsis, sive anticipatio : munera enim hæc data videntur Mardochæo non statim a delatione, sed diu post, cum scilicet rex legens Annales intelligeret nihil mercedis Mardochæo pro delatione datum fuisse, uti narratur cap. VI, 3.

Vers. 6. Aman Bugæus. Cur. Resp. Primo. 6. AMAN VERO FILIUS AMADATHI BUGÆUS ERAT GLORIOSISSIMUS. — CUR Aman vocatur Bugæus? Respondent aliqui : Vocatur Bugæus, id est, filius Bogis. Bogim enim magnificit Xerxes, teste Herodoto, lib. VII et VIII; Bogem quoque fuisse Macedonem, uti erat Aman, liquet ex eo quod addit Herodotus eum fuisse oriundum ex urbe Sion, id est, Amphioli, quæ urbs et Macedoniæ, quam præterfuit Arymon fluvius. Verum hæc contigerunt ante Xerxem sub Dario patre Xerxis, ut ostendi in Proœmio. Dico ergo : « Bugæus, » vel, ut Secundo. aliqui legunt, « Ugæus, » idem est quod *Agagæus*, id est oriundus ex stirpe Agag regis Amalech. Id ita esse liquet, ex eo quod ex « Bugæus » non sit in Hebræo, sed nonceptum ex Septuaginta qui cap. III, 1, pro « ex stirpe Agag » vertunt : *Bugæus*. Nam ex Agag, dempto primo *aleph* per aphæresim fit *Gog*, vel *Gog*, uti pro *Agag* vertunt Septuaginta, *Num.* XXIV, 7. Jam ex *Gog* fit *Gogæus*, et inde *Bogæus* vel *Bugæus*. Nam littera *b* subinde commutatur cum *g*, ut docet S. Hieronymus *in locis Hebr.* ubi Gobel, sive Gyblum, quod est apud Ezechielem in Hebræo, ait esse *Byblum*, urbem celebrem Phœniciæ. Plura similia exempla commutationis litteræ *b* in *g* affert Angelus Caninius in Hellenismo. Licet enim Aman stirpe proxima fuerit Macedo, ut dicitur cap. XVI, 10, tamen prisca prosapia et origine fuit Amalecita ex stirpe Agag, ut dixi cap. III, 1. Potest secundo ex « Bugæus, » esse nomen non proprium, nec patronymicum, sed appellativum; unde Romani illud scribunt per minusculum *b*, ut significet magnum jactatorem et gloriosum, qualis hic dicitur fuisse Aman, ut ex « Bugæus, » componatur ex βοῦς, quæ particula Græcis auxesin affert a βοὴ, id est bos, *q. d.* bovina magnitudine, et ἀγὸς, id est, glorior, jacto, ut « Bugæus » sit idem quod *bovine*, hoc est, immaniter *se jactans*. Unde Plutarchus in quæstionibus Græcis : « Bubalam, inquit, ducunt pro magno, sicut Poeta (Homerus Agamemnonem) dicit βοῶπιν, id est, bovinis, hoc est, magnis præditum oculis, et βουγαῖον, qui se gloriose jactaret. » Hinc Homerus βοηγάτην vocat magnum jactatorem. Hinc et Italicum *bugia*, id est mendacium : gloriosi enim thrasones, qui magna de se jactant, uti Aman, multa mentiuntur; Itali enim multas voces accipiunt a Græcis, utpote in Italia habitantibus. Unde et Calabria, in quo docuit Pythagoras, dicta est magna Græcia.

PRO DUOBUS EUNUCHIS — suspensis per delationem Mardochæi. Nam hi erant amici et fœderati Aman, ut dixi cap. II, 21.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Exemplar epistolæ Assueri missæ ab Aman ad contumiem Judæorum eadem, quæ ordine historico inserenda est, cap. III, 14, ut ibidem inserunt Græca romana. Deinde, vers. 8, subjicitur oratio Mardochæi pro hac eade acertenda, quæ ordine historico collocanda est post cap. IV.

1. Rex maximus Artaxerxes ab India usque Æthiopiam, centum viginti septem provinciarum principibus et ducibus, qui ejus imperio subjecti sunt, salutem. 2. Cum plurimis gentibus imperarem, et universum orbem meæ ditioni subjugassem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed clementia et lenitate gubernare subjectos, ut absque ullo terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur. 3. Quærente autem

me a consiliariis meis quomodo posset hoc impleri, unus qui sapientia et fide cæteros præcellebat, et erat post regem secundus, Aman nomine, 4. indicavit mihi in toto orbe terrarum populum esse dispersum, qui novis uteretur legibus, et contra omnium Gentium consuetudinem faciens, regum jussa contemneret, et universarum concordiam nationum sua dissensione violaret. 5. Quod cum didicissemus, videntes unam gentem rebellem adversus omne hominum genus perversis uti legibus, nostrisque jussionibus contraire, et turbare subjectarum nobis provinciarum pacem atque concordiam, 6. jussimus ut quoscumque Aman, qui omnibus provinciis præpositus est, et secundus a rege, et quem patris loco colimus, monstraverit, cum conjugibus ac liberis deleantur ab inimicis suis, nullusque eorum misereatur, quarta decima die duodecimi mensis Adar anni præsentis : 7. ut nefarii homines, uno die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem quam turbaverant

Hucusque exemplar epistolæ.

Quæ sequuntur, post eum locum scripta reperi ubi legitur

Pergensque Mardochæus, fecit omnia quæ ei mandaverat Esther.

Nec tamen habentur in Hebraico, et apud nullum penitus feruntur interpretum.

8. Mardochæus autem deprecatus est Dominum, memor omnium operum ejus, 9. et dixit : Domine, Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel. 10. Tu fecisti cœlum et terram, et quidquid cœli ambitu continetur. 11. Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuæ. 12. Cuncta nosti, et scis quia non pro superbia et contumelia, et aliqua gloriæ cupiditate, fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum, 13. (libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem); 14. sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo. 15. Et nunc, Domine rex Deus Abraham, miserere populi tui, quia voluit nos inimici nostri perdere, et hæreditatem tuam delere. 16. Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Ægypto. 17. Exaudi deprecationem meam, et propitius esto sorti et funiculo tuo, et converte luctum nostrum in gaudium, ut viventes laudemus nomen tuum, Domine, et ne claudas ora te canentium. 18. Omnis quoque Israel pari mente et obsecratione clamavit ad Dominum, eo quod eis certa mors impenderet.

Vers. 2. 2. VITAM SILENTIO (id est quiete sine turbis et tumultibus) TRANSIGENTES — *in pace et tranquillitate*, ut habent Græca.

Vers. 7. 6. DELEANTUR QUARTA DECIMA DIE MENSIS DUODECIMI ADAR. — Nam 13 die jussi sunt inchoare cædem, sed die 14 eamdem perficere, nisi sorte commutata fecisse Judæos patet cap. IX, 17. Nil ergo hæc antilogia habet virium, ut suspectam faciat auctoritatem et fidem horum capitum, ut volunt Novantes.

Vers. 8. 8. Recitatur hoc versu oratio Mardochæi, ante quam S. Hieronymus ita præfatur : *Hæc non habentur in Hebraico*, scilicet illo breviori quo usus fuit S. Hieronymus, *nec apud ullum feruntur interpretum*, nisi rum Aquilam, Symmachum, Theodotionem, quintam et sextam editionem, et similes. Nam excipiendi sunt Septuaginta, quia ex eis hæc transtulit S. Hieronymus; nam ante eum versio Septuaginta erat Vulgata, qua utebatur Ecclesia; ex Vulgata autem hæc se transtulisse fatetur S. Hieronymus in Proœmio, cap. XV.

Porro hæc oratio Mardochæi pia est, nervosa et ardens, quam proinde usurpat Ecclesia in Missa feria quarta post Dominicam secundam Quadragesimæ, ex quo liquet illam, uti et cætera horum capitum, esse Scripturam Canonicam juxta decretum Concilii Tridentini, *sess.* IV.

Vers. 13. 13. LIBENTER ENIM PRO SALUTE ISRAEL ETIAM VESTIGIA PEDUM EJUS DEOSCULARI PARATUS ESSEM. — « Vestigia, » vel proprie accipe, quæ pede polveri vel terræ imprimuntur; vel metonymice ipsos pedes pedemque plantas, quibus hæc vestigia terræ imprimuntur. Unde Josippus Gorionides habet : *Paratus fuissem lingere calceum, qui in ejus est pedibus, et pulverem quem ipse calcasset.* Alludit ad illud *Isaiæ* XLIX, 23 : « Vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. » Et ad illud *Psal.* LXXI, 9 : « Coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent. » Ita Serarius et Sanchez qui multis exemplis ostendit vestigium sæpe sumi pro pede ves-

tigium imprimente terræ, id est, pro planta pedis, quæ terram premit et lutum sordesque colligit; hanc enim osculari actus est summæ demissionis et venerationis.

14. SED TIBI NE HONOREM DEI MEI (puta cultum latriæ soli Deo debitum) TRANSFERREM AD HOMINEM. — Volebat enim Aman adorari ut Deus, ut ostendi cap. III, 2.

16. NE DESPICIAS PARTEM TUAM, — scilicet hæreditariam, id est populum Israel, quem tibi in hæreditatem et peculium, quasi proprium et peculiarem ex omnibus gentibus selegisti.

17. ET NE CLAUDAS (Græce *ne perdas*, id est ne claudi et perdi sinas) ORA TE CANENTIUM. — Sic enim amplius tibi canere non poterunt; itaque laus tua peribit et tibi et nobis.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Estheris oratio et planctus, quæ orationi Mardochæi subnectenda est post cap. IV, *ubi in Græco Romano subnectitur.*

1. Esther quoque regina confugit ad Dominum, pavens periculum quod imminebat. 2. Cumque deposuisset vestes regias, fletibus et luctui apta indumenta suscepit, et pro unguentis variis, cinere et stercore implevit caput, et corpus suum humiliavit jejuniis: omnisque loca, in quibus antea lætari consueverat, crinium laceratione complevit. 3. Et deprecabatur Dominum Deum Israel, dicens: Domine mi, qui rex noster es solus, adjuva me solitariam, et cujus præter te nullus est auxiliator alius. 4. Periculum meum in manibus meis est. 5. (*Deut.* IV, 3.) Audivi a patre meo quod tu, Domine, tulisses Israel de cunctis gentibus, et patres nostros ex omnibus retro majoribus suis, ut possideres hæreditatem sempiternam, fecistique eis sicut locutus es. 6. Peccavimus in conspectu tuo, et idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum: 7. columus enim deos eorum. Justus es, Domine, 8. et nunc non eis sufficit, quod durissima nos opprimunt servitute, sed robur manuum suarum, idolorum potentiæ deputantes, 9. volunt tua mutare promissa, et delere hæreditatem tuam, et claudere ora laudantium te, atque exstinguere gloriam templi et altaris tui, 10. ut aperiant ora Gentium, et laudent idolorum fortitudinem, et prædicent carnalem regem in sempiternum. 11. Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram: sed converte consilium eorum super eos, et eum, qui in nos cœpit sævire, disperde. 12. Memento, Domine, et ostende te nobis in tempore tribulationis nostræ, et da mihi fiduciam, Domine rex deorum, et universæ potestatis; 13. tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, et transfer cor illius in odium hostis nostri, ut et ipse pereat, et ceteri qui ei consentiunt. 14. Nos autem libera manu tua, et adjuva me, nullum aliud auxilium habentem, nisi te, Domine, qui habes omnium scientiam, 15. et nosti quia oderim gloriam iniquorum, et detester cubile incircumcisorum, et omnis alienigenæ. 16. Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, et detester illud quasi pannum menstruatæ, et non portem in diebus silentii mei; 17. et quod non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit convivium regis, et non biberim vinum libaminum: 18. et nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, nisi in te, Domine Deus Abraham. 19. Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum qui nullam aliam spem habent, et libera nos de manu iniquorum, et erue me a timore meo.

1. PAVENS PERICULUM. — Septuaginta in *agone mortis comprehensa*, qualis fuit agonia et oratio ultima Christi in horto.

2. HUMILIAVIT JEJUNIIS. — Τῇ « jejuniis » non est in Græco, sed intelligitur: Hebræi enim humiliationem corporis vocant jejunium; nil enim ita

carnem deprimit ac jejunium: unde Hebræi jejunium ab Esther indictum die 13 Adar appellant *tsuvith Esther*, id est humiliationem, hoc est jejunium Estheris. Sapienter S. Ambrosius, *Epist.* 88: « Esther, inquit, regem superbum suis inclinavit jejuniis; » qua de re plura dixi cap. IV in fine.

CRINIUM LACERATIONE. — Solebant veteres in grandi calamitate et planctu manus complodere, pectus tundere, genas vellere, crines lacerare ex doloris vehementia, ut omnes ad commiserationem et complorationem commoverent, uti de se narrat Esdras, lib. I, cap. IX, et de Alexandra Hyrcani filia et socru Herodis, ac Salome sorore Herodis refert Josephus, lib. XV, XI, et lib. XVI, XI.

3. ADJUVA SOLITARIAM: — tum quia in aula regis gentilis sola sum Judæa; tum quia omni humano auxilio sum destituta, ut sequitur; tum quia nullius hominis, sed Dei solius alioquium et consolationem desidero. Josippus sit Estherem sic orasse: *Ego hic habito sola, ego in domo regis sola absque patre et absque matre sum. Sicut pupilla paupercula, quæ ostiatim mendicat, ita ego mendico miserationes tuas fenestratim*, id est, per singulas fenestras ab una in aliam pergens, ut in cœlum prospiciam, indeque auxilium tantæ afflictionis a Deo exspectem; hac enim de causa solebant Judæi orantes solaria conscendere, et per fenestras in cœlum prospicere, uti fecit Judith, cap. VIII, vers. 5; Daniel, cap. VI, vers. 10; imo Christus hac de causa montes conscendebat, ibique « erat pernoctans in oratione Dei, » *Lucæ* VI, 12.

4. PERICULUM MEUM (Josippus: *anima mea*) IN MANIBUS MEIS, — id est, præsentissimum et summum est; quod enim in manibus gestatur, facile effundi, vel a fure aut hoste eripi et auferri potest. Sic David, fugiens Saulem et hostes quærentes eum occidere, ait, *Psal.* CXVIII, 109: « Anima mea in manibus meis, » id est vita mea est in summo periculo, ut eam manu gestare videar, et cuivis eam auferre volenti offeram.

7. COLUIMUS ENIM DEOS EORUM, — non ego, sed majores nostri in Jerusalem sub Manasse, aliisque regibus idololatris. Ita Josippus Gorionides.

8. ROBUR MANUUM SUARUM IDOLORUM POTENTIÆ DEPUTANTES, — hoc est, ut vertit Josippus: *Ecce ipsi* (Aman ejusque asseclæ) *non dicunt te* (o Domine) *nos in manus suas tradidisse, sed idolis suis* (Mithræ, id est solis) *id acceptum ferunt.*

9. VOLUNT TUA MUTARE PROMISSA (quibus tu patribus nostris Abrahæ, Isaac, Jacob, Moysi, etc. promisisti te fore Deum et protectorem nostrum) ET DELERE HÆREDITATEM TUAM (id est populum Israel, quæ quasi tuum peculium te solum ut Deum et Dominum suum agnoscit et colit) ATQUE EXSTINGUERE GLORIAM TEMPLI ET ALTARIS TUI, — jam recenter in Jerusalem ab hoc Assuero, id est, Dario Hystaspis reædificati, I *Esdræ* VI. Si enim Dario persuasisset Aman perdere Judæos omnes in Perside, non stetisset hic ejus odium, sed et Jerusalem cum templo everti curasset.

10. ET PRÆDICENT CARNALEM REGEM, — Darium vel Aman, qui quasi rex et tyrannus nobis dominatur, ut « prædicent » eum nobis nostroque Deo potentiorem nos omnes occidisse et exterminasse.

11. NE TRADAS SCEPTRUM TUUM HIS QUI NON SUNT, — id est, falsis diis et idolis qui non sunt dii, ut eis adscribatur divinitas et omnipotentia tua, *q. d.* Ne sinas dæmonibus quasi diis attribui potentiam divinam, quasi per illam Aman eos colens nos perdiderit, ut dæmones de te, o Domine, triumphent, ac pro te ut dii colantur.

13. TRIBUE SERMONEM COMPOSITUM IN ORE MEO IN CONSPECTU LEONIS, — *q. d.* Ita apposite compone et dispone verba mea in ore meo, ut Darii mariti mei qui terribilis est ut leo, animos mitigem, et ad me meorumque Judæorum misericordiam inflectam. Ilinc S. Augustinus, libro I *de Doctrina Christiana*, cap. XV, docet concionatorem idem quod Esther hic ante concionem debere a Deo flagitare, ut nimirum ita componat verba in ore suo, ut auditorum mentes penetrent, feriant et compungant. Ecce Esther accedens ad Darium, non vocata, tremit ut cappella coram leone, quasi ab eo devoranda, ideoque tota afflicta et compuncta unius Dei opem ardentissime implorat et impetrat. Sic S. Paulus Neronem vocat leonem, dicens: « Liberatus sum de ore leonis, » II *Timothei* IV, 17. Nam ut dicitur *Prov.* XX, 2: « Sicut rugitus leonis, ita et terror regis. » Id in Dario patebit cap. seq.

15. NOSTI QUIA ODERIM GLORIAM INIQUORUM, ET DETESTER CUBILE INCIRCUMCISORUM, — *q. d.* Ego, quia sum fidelis et Dei cultrix, detestor conjugium et copulam cum Dario infideli et idololatra; sed tamen eam admitto et permitto necessitate adacta, ut eum mihi meisque Judæis placem et conciliem.

16. TU SCIS NECESSITATEM MEAM, — qua compellor me ut reginam regaliter more Persico ornare, ut regi marito meo placeam, quod utique nollem, nec facerem, nisi necessitas hæc me cogeret. Ilinc S. Augustinus, epist. 199 *ad Bonifacium*, eam reprehendit quod uni Deo placere volens, indiscreto zelo habitum monachæ assumeret, et sua in pauperes distribuens, inscio marito, et displiceret, eique adulterandi occasionem daret.

QUOD ABOMINER SIGNUM SUPERBIÆ MEÆ, QUOD EST SUPER CAPUT MEUM IN DIEBUS OSTENTATIONIS MEÆ, — cum scilicet in publico vel coram rege compareo, meque ut reginam in habitu ornatuque regali ostendo. Signum superbiæ vocat regiam cidarim sive coronam, quam celsam et auro gemmisque distinctam in capite quasi turrim gestabat, uti etiamnum nonnullæ caput ita ornant et attollunt, ut turritæ vel turrigeræ esse videantur, de quibus Juvenalis, *Satira* X:

> Tot premit ecfinibus, tot adhuc compagibus altum
> Turritæ caput, Andromachen a fronte videbis,
> Post minor est, aliam credas.

ET DETESTER ILLUD QUASI PANNUM MENSTRUATÆ. — Græce *quasi pannum mensiruorum*, id est pannum infectum sanguine menstruo, qui sordissimus, fœtidissimus, imo venenatus et plane abominabilis est, uti multis ostendit Plinius, lib. VII, cap. XIX. Audi S. Augustinum, *Epist.* 199, jam citata : « Esther, illa regina Deum timens, Deum colens, Deo subdita, marito regi alienigenæ non eumdem secum colenti Deum, tamen subjecta serviebat, quæ cum extremo periculo, non suo tantum, sed etiam gentis suæ, qui tunc erat populus Dei, Domino prosterneretur orando, in ipsa oratione sua dixit ita sibi esse ornatum regium, sicut pannum menstruatum ; et ita orantem confestim exaudivit, qui cordis inspector eam verum dicere scivit. Et utique maritum habebat multarum mulierum virum, et deorum alienorum falsorumque cultorem.

ET NON FORTEM IN DIEBUS SILENTII MEI, — quibus scilicet domi in cubiculo meo ut privata persona quiesco et delitesco.

17. ET NON BIBERIM VINUM LIBAMINUM, — scilicet idolis oblatum et prælibatum.

18. ET NUNQUAM LETATA SUM ANCILLA TUA EX QUO HUC (in aulam et thronum regium) TRANSLATA SUM USQUE IN PRÆSENTEM DIEM NISI IN TE, DEUS ABRAHAM, — *q. d.* Sicut Abraham uni Deo credidit, in eoque solo speravit, omniaque bona sua in eodem collocavit, ut de nullo alio gauderet, quam in Deo et de Deo suo; sic et ego nunquam lætata sum in honore et ornatu regio, nec in divitiis et deliciis regalibus, utpote exilibus, caducis et vanis, sed in te solo, Domine Deus; tu enim mihi es omnis honor, omnis decor, omnis voluptas, omnis opulentia, omnis suavitas, omne bonum; idque solidum, stabile, immensum et sempiternum. Magna fuit Esteris animæ puritas, sinceritas, charitas et sanctitas, ut ex his verbis liquet. Discamus ab ea in nulla re mundi lætari, sed in solo Deo, uti David hortatur, dicens : « Lætamini in Domino et exultate, justi. » Et « Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui, » *Psalm.* XXXVI, 4. Et Paulus : « Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete, » *Philipp.* IV, 4. Vide ibi dicta; Deus enim solus est verum cordis gaudium, imo mare et oceanus uti bonorum, ita et gaudiorum omnium. Ipse solus immensis gaudiis implet omnes sensus et sinus animæ nostræ. Jesus mel in ore, melos in aure, jubilus in corde, ait S. Bernardus.

CAPUT DECIMUM QUINTUM

SYNOPSIS CAPITIS.

Esther ornatu regio sistit se Assuero, sed terribili ejus aspectu perculsa, semel et iterum quasi exanimata corruit : unde Assuerus accurrens et blanditur, eamque sibi restituit.

Hæc quoque addita reperi in editione Vulgata.

1. Et mandavit ei (haud dubium quin Esther Mardochæus) ut ingrederetur ad regem, et rogaret pro populo suo et pro patria sua. 2. Memorare (inquit) dierum humilitatis tuæ, quomodo nutrita sis in manu mea, quia Aman secundus a rege locutus est contra nos in mortem : 3. et tu invoca Dominum, et loquere regi pro nobis, et libera nos de morte.

Nec non et ista quæ subdita sunt.

4. Die autem tertio deposuit vestimenta ornatus sui, et circumdata est gloria sua. 5. Cumque regio fulgeret habitu, et invocasset omnium rectorem et salvatorem Deum, assumpsit duas famulas, 6. et super unam quidem innitebatur, quasi præ deliciis et nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens : 7. altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans. 8. Ipsa autem roseo colore vultum perfusa, et gratis ac nitentibus oculis, tristem celabat animum, et nimio timore contractum. 9. Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, ubi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auroque fulgens, et pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu. 10. Cumque elevasset faciem, et ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, et in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinavit caput. 11. Convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem, et festinus ac metuens exiluit de solio, et sustentans eam ulnis suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur : 12. Quid habes, Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere. 13. Non morieris : non enim

pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. 14. Accede igitur, et tange septrum. 15. Cumque illa reticeret, tulit auream virgam, et posuit super collum ejus, et osculatus est eam, et ait : Cur mihi non loqueris? 16. Quæ respondit : Vidi te, domine, quasi Angelum Dei; et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. 17. Valde enim mirabilis es, domine, et facies tua plena est gratiarum. 18. Cumque loqueretur, rursus corruit, et pene exanimata est. 19. Rex autem turbabatur, et omnes ministri ejus consolabantur eam.

Hoc caput serendum est capitibus V, vers. 2; nam quæ ibi brevius dicta sunt, hic fusius recensentur.

VERS. 2. 2. NUTRITA SIS IN MANU MEA, — per manum meam, id est per me, meamque opem et operam : quamquam et proprie infantes gestantur manu sinuque nutricum (qualis Esteri fuerat Mardochæus), ibique nutriuntur.

LOCUTUS EST CONTRA NOS IN MORTEM, — id est ad mortem, ut nos morti addixerit per regis edictum.

VERS. 4. 4. DEPOSUIT VESTIMENTA ORNATUS SUI — modesti et mœsti, quo ad luctum et pœnitentiam indutæ et ornatæ erat. Unde *Græce est : deposuit vestimenta luctus.*

CIRCUMDATA EST GLORIA SUA, — id est gloriosa corona regia, cæterisque vestibus aureis ei gemmis, utpote regalibus se induit. Sic Job cap. XIX, vers. 9, ait : « Spoliavit me gloria mea, » quam explicans subdit : « Et abstulit coronam de capite meo » ; Job enim erat rex, et corona regia coronabatur.

VERS. 6. 6. ET SUPER UNAM QUIDEM INNITEBATUR, QUASI PRÆ DELICIIS (Græce ὡς τρυφερεύεται, id est quasi delicate agens, delicate se regens) ET NIMIA TENERITUDINE CORPUS SUUM FERRE NON SUSTINENS. — Assumpsit Esther speciem hanc teneritudinis, ut per eam Assuerum commoveret ad misericordiam. Et vere erat tenera et debilis, tum ex sexu, tum ex jejunio, tum ex metu; unde et corruit.

VERS. 8. 8. TRISTEM CELABAT ANIMUM ET NIMIO TIMORE CONTRACTUM; — noverat enim Darium esse terribilem, ac edictum ejus de nece Judæorum jam latum et promulgatum, ex lege Persarum, non posse revocari : rursum capitale esse regem adire, nisi quis ab eo vocatus esset. Quare sciens certum se adire capitis periculum, plena erat timore et trepidatione, ne res male cederet, ac rex exacerbescens juberet illico edictum suum de Judæos mactandis exsecutioni mandari. Unde sequitur.

VER. 9. 9. INGRESSA IGITUR CUNCTA PER ORDINEM OSTIA, STETIT CONTRA REGEM. — Verisimile est Estherem trepidantem non prope accessisse ad regem, sed terribili ejus aspectu conterritam stetisse eminus ad ostium, quod erat ex adverso regis in solio residentis. Unde cap. V, vers. 1, dicitur stetisse « in atrio domus regiæ, quod erat exterius contra Basilicam regis. »

VERS. 10. 10. CUMQUE ELEVASSET FACIEM, ET ARDENTIBUS OCULIS FURORIEM PECTORIS INDICASSET, — quem concepérat, ad Josephus æque ac Josephus, ex eo quod Esther non vocata contra legem ad se ingressa esset, putans se ab Esthere contemptum. Reges Persarum enim magnam, imo divinam majestatem præ se ferebant, et magnum reverentiam, imo latriam a suis exigebant, volentes adorari ut dii. Accedebat quod Darius natura erat choleticus et ferox, ut patet ex eo quod de ipso narrat Seneca, lib. III *De Ira*, cap. XVI : « Cum bellum, inquit, Scythis indixisset Orientem cingentibus, Parii et rogatus ab Obazo nobili sene, ut ex tribus filiorum unum in solatium patri relinqueret, duorum opera uteretur, plusquam rogatus pollicitus, omnes se dixit illi remissurum; et occisos in conspectu parentis abjecit, crudelis futurus, si omnes abduxisset. » Subdit simile de Xerxe Darii filio : « Qui Phythio, inquit, quinque filiorum patri unius vocationem petenti, quem vellet eligere permisit. Deinde quem elegerat, in partes duas distractum ab utroque viæ latere posuit, et hac victima lustravit exercitum. »

REGINA CORRUIT. — Suspicantur aliqui illam simulasse deliquium animi, ut iram regis flecteret. Verum pallor, et ea quæ secuta sunt, indicat verum fuisse deliquium. Nam, ut præcessit, ipsa accessit nimio timore contracta; deinde videns regem in tanta majestate scintillantibus et furibundis oculis se intueri, tremore perculsa, quasi exanimata corruit. Majestas enim regia mire perculit accedentes ad eam. Narrarunt viri graves, qui alias neminem metuebant, solebantque cum Principibus bibere et familiariter agere, cum ad Philippum II Hispaniæ regem aliquid petituri accederent, ac rex in eos oculos suos cum regia gravitate defigeret, consternatos obmutuisse, ac licet rex comiter eos invitaret ut sua proponerent, tamen ne verbum quidem effari potuisse.

VERS. 11. 11. CONVERTITQUE DEUS SPIRITUM REGIS IN MANSUETUDINEM. — « Convertit, » tum per miserabilem aspectum collabentis reginæ, tum per interiorem instinctum et impulsum quo eum flectebat ad commiserationem, ut iram commutaret in mansuetudinem et blanditias. « Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud, » *Proverb.* XXI, 2; præsertim quia videbat Assuerus Estherem ex contemptu non accessisse, ut putabat, sed summe se metuere et revereri (hoc enim reges quærunt), adeoque ex reverentia et tremore corruere et deliquium pati.

12. QUID HABES, ESTHER? EGO SUM FRATER TUUS. « Frater, » id est maritus qui te amo non ut maritus et dominus, sed ut frater, socius et æqualis. Nota conjuges subinde se mutuo compellare fra-

VERS. 12. Fratris, Maritus virum.

Ora?

res et sorores, idque partim pudicitiæ et castitatis, partim benevolentiæ et arcti amoris conjugalis causa, præsertim quia prima mundi post Adam et Evam connubia fuere fratrum et sororum. Sic sponsa in Canticis a sponso vocatur soror : sic sapientia vocatur sponsa sapientis, *Sap.* VIII, 2. Eadem amica et soror nominatur, *Proverb.* VII, 4. Denique (quod huic loco proprium est,) Persæ solebant sorores accipere in uxores, teste S. Hieronymo, lib. II *Contra Jovin.* Idem ex Herodoto, Agathia, Clemente, Alexandrino, Diogene Laertio docet Brissonius, libro II *De Regno Persarum*, pag. 214.

15. ET OSCULATUS EST EAM, — quasi sponsam dilectam, ut hisce blanditiis eam quasi examinem sibi redderet. Esther hic repræsentat B. Virginem, quæ Assuerum, id est Deum iratum toti generi humano ob peccata Adæ et posterorum adiens cum duabus ancillis, hoc est, cum duplici creatura, angelica scilicet et humana, ait S. Bonaventura, *in Speculo*, cap. III. Mystice cum duplici virtute et vita, activa scilicet et contemplativa, eumque obsecrans præ sacro numinis metu et reverentia quasi in deliquium corruit; sed Deus ei blandiens et osculans concessit quod postulabat, nimirum salutem generis humani, ideoque Filium suum ei dedit, ut in ea carneum assumens fieret hostia piacularis et Redemptor mundi. Hoc est quod ipsa petebat, *Cant.* I, 1 : « Osculetur me osculo oris sui. »

16. VIDI TE, DOMINE, QUASI ANGELUM DEI, — angelica majestate et splendore refulgentem, ideoque metum et terrorem mihi cæteris que incutientem. Hinc Cosrohas rex Persarum gentilis, quem superavit Heraclius Imperator, juxta se miram fabricari jussit sphæram, in qua angeli regem circumstabant. Audi Theophanem, et ex eo Baronium, tomo VIII, anno Christi 622 : « Heraclius, victo Cosroha, abominandum offendit Cosrohæ simulacrum, et effigiem ejus in globi formam, referente palatii tholo, tanquam in cœlo sedentem. Circum erant sol, luna et astra, quibus ille superstitiosus tanquam diis serviebat, circumstantibus sibi angelis sceptrigeris. Machinas porro impius paraverat, quæ eo ex loco guttas pluviæ instar emitterent, sonitumque tonitrui æmulum ederent. Hæc omnia, ipsamque ignis ædem totamque urbem combussit Heraclius. » Ecce ut Cosrohas affectarit divinitatem, repræsentando Angelos, tonitrua et fulmina quæ Deo sunt propria.

17. ET FACIES TUA PLENA EST GRATIARUM, — puta plena decoris, splendoris, magnificentiæ, majestatis angelicæ et divinæ, potius quam humanæ. Hac reverentia et blandiloquentia Esther delinivit Assuerum, eumque plane sibi devinxit, ut concederet quidquid illa postularet.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Epistola Assueri qua revocat prius decretum de Judæis cædendis, ac contrarium edit, scilicet ut Judæi suos hostes mactent, atque hujus diei memoria festo quotannis recurrente celebretur.

Exemplar epistolæ regis Artaxerxis, quam pro Judæis ad totas regni sui provincias misit : quod et ipsum in Hebraico volumine non habetur.

1. Rex magnus Artaxerxes ab India usque Æthiopiam, centum viginti septem provinciarum ducibus ac principibus, qui nostræ jussioni obediunt, salutem dicit (*Sup.* XI, 2). 2. Multi bonitate principum, et honore qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam ; 3. et non solum subjectos regibus nituntur opprimere, sed detam sibi gloriam non ferentes, in ipsos qui dederunt, moliuntur insidias ; 4. nec contenti sunt gratias non agere beneficiis, et humanitatis in se jura violare, sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere sententiam. 5. Et in tantum vesaniæ proruperunt, ut eos qui credita sibi officia diligenter observant, et ita cuncta agunt ut omnium laude digni sint, mendaciorum emissariis conentur subvertere ; 6. dum aures principum simplices, et ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt. 7. Quæ res et ex veteribus probatur historiis, et ex his quæ geruntur quotidie, quo modo malis quorumdam suggestionibus regum studia depraventur. 8. Unde providendum est paci omnium provinciarum. 9. Nec putare debetis, si diversa jubeamus, ex animi nostri venire levitate, sed pro qualitate et necessitate temporum, ut reipublicæ possit utilitas, ferre sententiam. 10. Et ut manifestius, quod dicimus, intelligatis (*Sup.* III, 1) : Aman filius Amadathi, et animo et gente Macedo, alienusque a Persarum sanguine, et pre-

tatem nostram sua crudelitate commaculans, peregrinus a nobis susceptus est ; 11. et tantum in se expertus humanitatem, ut pater noster vocaretur, et adoraretur ab omnibus post regem secundus ; 12. qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, ut regno privare nos niteretur et spiritu. 13. Nam Mardochæum, cujus fide et beneficiis vivimus, et consortem regni nostri Esther, cum omni gente sua, novis quibusdam atque inauditis machinis expetivit in mortem ; 14. hoc cogitans ut, illis interfectis, insidiaretur nostræ solitudini, et regnum Persarum transferret in Macedonas. 15. Nos autem, a pessimo more nostro Judæos neci destinatos, in nulla penitus culpa reperimus, sed e contrario justis utentes legibus, 16. et filios altissimi et maximi, semperque viventis Dei, cujus beneficio et patribus nostris et nobis regnum est traditum, et usque hodie custoditur. 17. Unde eas litteras, quas sub nomine nostro ille direxerat, scitis esse irritas. 18. Pro quo scelere ante portas hujus urbis, id est, Susan, et ipse qui machinatus est, et omnis cognatio ejus pendet in patibulis : non nobis, sed Deo reddente ei quod meruit. 19. Hoc autem edictum, quod nunc mittimus, in cunctis urbibus proponatur, ut liceat Judæis uti legibus suis. 20. Quibus debetis esse adminiculo, ut eos qui se ad necem eorum paraverant, possint interficere tertia decima die mensis duodecimi, qui vocatur Adar, 21. hanc enim diem, Deus omnipotens, mœroris et luctus, eis vertit in gaudium. 22. Unde et vos, inter cæteros festos dies, hanc habetote diem, et celebrate eam cum omni lætitia, ut et in posterum cognoscatur, 23. omnes qui fideliter Persis obediunt, dignam pro fide recipere mercedem ; qui autem insidiantur regno eorum, perire pro scelere. 24. Omnis autem provincia et civitas, quæ noluerit solemnitatis hujus esse particeps, gladio et igne pereat ; et sic deleatur, ut non solum hominibus, sed etiam bestiis invia sit in sempiternum, pro exemplo contemptus et inobedientiæ.

Vers. 6. 6. DUM AURES PRINCIPUM SIMPLICES, ET EX SUA NATURA ALIOS ÆSTIMANTES, CALLIDA FRAUDE DECIPIUNT. — Hinc discant Principes et quivis alii non facile accusationibus et accusatoribus credere, nec nimis uni consiliario confidere ; sed plures audiant, si veritatem scire volunt ; nam « qui cito credit levis est corde, et minorabitur. » *Eccli.* XIX, 4.

Sic Josue et Hebræi decepti sunt a Gabaonitis, quia nimis facile eis mentientibus crediderunt. Sic Holofernes cæsus est a Judith, quia temere ei credidit. Sic Samson a Dalila sua proditus est, quia ei secretum fortitudinis suæ in capillis sitæ credidit. Credidit temere Putiphar uxori accusanti Josephum de stupro ; et Absalon Chusai ; et Roboam adolescentibus ; ideoque decepti sunt et in ruinam acti. Denique Aman affectavit regnum Assueri, eo quod ipse illud totum ipsi credidisset. Idem fecere alii olim, et hoc quoque ævo nostro, qui, cum regibus et principibus dominarentur, ipsorum ditionis et regna invaserent.

Vers. 9. 9. NEC PUTARE DEBETIS, SI DIVERSA JUBEAMUS (revocando Amani decretum de Judæis occidendis), EX ANIMI NOSTRI VENIRE LEVITATE, — ut legem Persarum, quæ jubet decreta Regum esse irrevocabilia, leviter violemus vel abrogemus ; nam decretum prius non fuit regis, sed Amani, qui illud a rege per fraudem et mendacium extorsit, ideoque subreptitium, injustum et impium, ac proinde cognita jam veritate, a rege hoc novo edicto revocandum et corrigendum

Vers. 10. 10. AMAN GENTE MACEDO. — Licet enim natus esset in Perside, tamen stirpem et originem ducebat a Macedonibus, ac proinde in Macedones quasi in suos cives erat propensus, ideoque alienus et adversus Persis, ab eis regnum ad suos Macedones subdole transferre nitebatur, ut sequitur.

12. ET SPIRITU, — id est vita.

14. UT INTERFECTIS (Judæis ac præsertim Esthere et Mardochæo fidelissimis amicis meis, et vitæ meæ tutoribus) INSIDIARETUR SOLITUDINI NOSTRÆ, — ut me tam fidis custodibus orbatum, quasi solum et carentem fideli custodia per dolum et fraudem occideret, meumque regnum occuparet. Verum id esse liquet ex eo quod hæc epistola non tam a rege, quam ab Esthere et Mardochæo sit dictata, qui erant probi, veraces et Deum timentes, qui ex secretis Amani epistolis, atque ex complicibus habita quæstione et diligenti examine, fraudes et conjurationem Amani in regem detexerunt et demonstrarunt. Hic verum est illud *Eccli.* cap. XI, vers. 36 : « Admitte ad te alienigenam, et subvertet tein turbine, et aballenabit te a tuis propriis. » Vide ibi dicta.

ET REGNUM PERSARUM TRANSFERRET IN MACEDONAS. — Hinc Scaliger et Serarius putant Assuerum maritum Estheris fuisse Artaxerxem, non Longimanum, sed Mnemonem, sub quo vixit Philippus pater Alexandri Magni, qui regnum Macedonicum eousque exiguum et obscurum amplificare et illustrare cœpit.

Verum dico per Macedones hic intelligi omnes Græcos, quia inter eos eminebant Macedones : ii ergo præ cæteris omnibus Græcis hic nominantur, quia Aman erat Macedo, qui proinde pro Persisse vel alium quempiam Macedonum regnare maluisset, quam Atheniensem, Spartanum aut alium Græcum ; Græcos autem sub Dario Hystaspis fuisse metuendos, et de Persis male meritos docet Herodotus, lib. VII, pag. 183. Et Diodorus Siculus, lib. XI, scribit Xerxem, Olympiade 75, movisse arma contra Græcos, assiduos jam tum infestissimosque Persici nominis hostes ; unde Xerxes contra eos duxit undecies centena milia Persarum, quæ omnia a paucis Græcis cæsa, fusa fugataque fuere. Additque Xerxis patrem Darium, magnam materiam ad classis Xerxianæ contra Græcos mittendæ ædificationem, præparasse. Justinus etiam, lib. II, pag. 34 et 39, docet Darium Hystaspis bella gessisse contra Athenienses, in quo bello asserit jam tum emicuisse virtutem et gloriam Themistoclis adolescentis. Denique quarto anno ante mortem Darius hic cum Græcis dimicavit apud Marathonem, celeberrimo in Græcis Romanisque historiis prælio, ut notavit quoque Severus Sulpitius, lib. II, pag. 68.

Consentit Josippus Gorionides, qui et addit duos illos eunuchos contra Assuerum conjurantes, ideoque per Mardochæum delatos et suspensos, destinasse caput Assueri sive Artaxerxis deferre ad regem Græcorum, ut ei gratificarentur : eunuchos autem hos fuisse propinquos Aman ; quis enim tam adhuc (utpote diu ante triumphum et Alexandrum) obscurissimum erat Macedonum imperium ; hinc Aman Macedo illud illustrare voluit translato ad se et suos Macedones nobilissimo Darii et Persarum imperio, imo monarchia ; uti postea transtulit Alexander Magnus.

16. CUJUS (Dei) BENEFICIO ET PATRIBUS NOSTRIS ET NOBIS REGNUM EST TRADITUM. — Patres intelliga reges præcedentes, præsertim Cyrum, cui Deus per Isaiam, cap. XLV, vers. 1, prædixit et promisit regnum, idque Cyrus agnovit, ideoque Judæos e Babylone liberos dimisit, I *Esdræ* I, 1. Idem agnovit noster hic Darius, ut patet ex hoc loco, et ex III *Esdræ* IV, 43 et seqq.

18. ET COGNATIO EJUS PENDET IN PATIBULIS. — Nota : ✠ « cognatio, » id est cognati ; nam filii Aman nono mense post hoc edictum, puta mense ultimo Adar, occisi et suspensi fuere, ut dixi cap. IX, vers. 13 ; quia, ut ait Amianus, lib. XXV, leges apud Persas impendio erant formidatæ, « utpote per quas ob noxam unius omnis propinquitas periret. »

22. INTER CÆTEROS FESTOS. — Habebant enim Persæ sua festa, præsertim Mithræ, id est Soli, quem ut Deum colebant, dicata. Tale quoque fuit festum ob cædem Magorum, quod hic Darius Magis in regno succedens perpetim celebrandum indixerat, teste Herodoto, lib. III. Porro non mirum Darium jussisse hoc festum victoriæ Judæorum etiam a Persis Orientalibus celebrari, tum quia ipse totus pendebat a sua Esthere et Mardochæo, tum quia ipse jam verum Deum Hebræorum agnoverat et colebat, ut patet vers. 16.

COMMENTARIA

IN LIBROS

MACHABÆORUM.

ARGUMENTUM.

Suppono duos hosce libros esse Canonicos, ut definit Concilium Tridentinum, sess. IV ; Carthaginiense III, Can. 47 ; Innocentius III, epist. 3, *ad Exuperium* ; Gelasius et alii. Apud Hebræos non sunt Canonici, tum quia Hebraice non exstant : unde ab Hebræis ignorantur ; tum quia scripti sunt post Canonem sacrorum librorum a Synagoga tempore Esdræ editum. Vide Bellarminum, lib. I, *De Verbo Dei*, cap. V ; Sixtum Senensem, lib. VIII *Biblioth.* et Serarium hic.

Exstat insuper liber tertius Machabæorum, et apud nonnullos quartus ; sed hos intra Canonem Ecclesia non admisit. Quare hi duo similes sunt libro tertio et quarto Esdræ.

Argumentum libri primi et secundi Machabæorum est, conscribere gesta et prælia Judæ, Jonathæ et Simonis fratrum Machabæorum contra Antiochum aliosque hostes. Hi duo libri ergo continent historiam Synagogæ, sive Israelis et populi Dei ; Esdras enim desinit in Joddoa sive Jaddo Pontifice, qui occurrit Alexandro Magno, a quo liber primus Machabæorum incipit, et historiam Israelis prosequitur per successores Alexandri, puta reges Asiæ et reges Ægypti, qui cum Judæis nunc federati fuere, nunc bella cruenta gesserunt, in quibus enituit mira Machabæorum fortitudo, et singularis Dei eis victoriam dantis directio et protectio. Obiter autem breviterque tangit gesta Alexandri Magni et successorum usque ad Antiochum Epiphanem, qui Judæos coepit persequi et bello lacessere : unde ejus et posterorum acta fuse enarrat, nimirum Antiochi Eupatoris, qui Epiphanis fuit filius, Demetrii regis et Alexandri, et alterius Antiochi, qui fuit Demetrii filius, qui cum Juda, Jonatha et Simone Machabæis bella gesserunt. Complectitur ergo gesta annorum sexaginta circiter.

Quis fuerit auctor ignoratur. Verisimile est aliquem e sacerdotibus, vel Pontificibus fuisse ; hisce enim data erat cura gentis suæ historiam pertexendi, teste Josepho, lib. II *Contra Appion.* Probabile est primum librum scriptum fuisse a Joanne Hyrcano, filio Simonis fratris Judæ Machabæi. Hic enim patri Simoni in Principatum æque ac Pontificatum successit, et omnibus pene patris et patrui gestis interfuit ; unde ejus illustris fit mentio in fine libri I. Adde quod ipse quoque fuerit Propheta, ut asserit Josephus, lib. XIII, capite X, quem audi : « Hyrcanus moritur anno imperii 31 ; tribus maximis a Deo habitus dignus honoribus, principatu gentis Judæorum, et Pontificatu, et prophetia. Fruebatur enim divinis colloquiis ; unde tantam nactus est futurorum præscientiam, ut prædixerit duos majores natu e liberis suis non diu fore paterni principatus compotes. » Idem asserit eum prædixisse filiorum suorum longe pugnantium præsentem victoriam. Denique hic 31 annis Israeli præfuit, ac pacem cum vicinis coluit, ideoque otio ad hanc scribendam abundavit. Ita Sanchez. Hic ergo avi sui Mathathiæ patris Simonis ac patruorum Judæ et Jonathæ, tanquam familiæ suæ heroica prælia gestaque conscripsit, ideoque in morte Simon patris sui desiit. Secundi libri historiæ fuse a Jasone Cyrenensi quinque libris conscriptæ fuere quas in epitomen contraxit, et librum secundum confecit primarius sacerdos, idque jussu Synagogæ. Nam Synagoga nomine totus liber secundus scriptus fuit, quasi epistola ad Judæos per Ægyptum dispersos, ut eos ex persecutione Antiochi et posterorum afflictos rerum meliorum nuntio soletur, ut patet ex ejus initio : « Fratribus, inquit, qui sunt per Ægyptum Judæis salutem dicunt fratres qui sunt in Jerosolymis. » In his autem erat Judas, non Machabæus, ut vult Bellarminus et alii : nam hic jam erat vita functus, sed alius vel propheta, vel princeps populi et Senatus, cujus nomine epistola scribebatur, de quo plura lib. II, cap. I, 10 et cap. II, 24. Unde Serarius putat Judam hunc esse auctorem epistolæ, eumque cognominat Essenum.

Auctor libri primi Jos.

Primus liber Machabæorum hebraice exstabat tempore S. Hieronymi, uti ipse fatetur in prologo Galeato. Secundum quoque hebraice exstitisse insinuat Eusebius *in Chron.* ad annum mundi 4800 : « Machabæorum, inquit, historia Hebræa

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DIRECCIÓN GENERAL DE

Verum dico per Macedones hic intelligi omnes Græcos, quia inter eos eminebant Macedones : ii ergo præ cæteris omnibus Græcis hic nominantur, quia Aman erat Macedo, qui proinde pro Persisse vel alium quempiam Macedonum regnare maluisset, quam Atheniensem, Spartanum aut alium Græcum ; Græcos autem sub Dario Hystaspis fuisse metuendos, et de Persis male meritos docet Herodotus, lib. VII, pag. 183. Et Diodorus Siculus, lib. XI, scribit Xerxem, Olympiade 75, movisse arma contra Græcos, assiduos jam tum infestissimosque Persici nominis hostes ; unde Xerxes contra eos duxit undecies centena milia Persarum, quæ omnia a paucis Græcis cæsa, fusa fugataque fuere. Additque Xerxis patrem Darium, magnam materiam ad classis Xerxianæ contra Græcos mittendæ ædificationem, præparasse. Justinus etiam, lib. II, pag. 34 et 39, docet Darium Hystaspis bella gessisse contra Athenienses, in quo bello asserit jam tum emicuisse virtutem et gloriam Themistoclis adolescentis. Denique quarto anno ante mortem Darius hic cum Græcis dimicavit apud Marathonem, celeberrimo in Græcis Romanisque historiis prælio, ut notavit quoque Severus Sulpitius, lib. II, pag. 68.

Consentit Josippus Gorionides, qui et addit duos illos eunuchos contra Assuerum conjurantes, ideoque per Mardochæum delatos et suspensos, destinasse caput Assueri sive Artaxerxis deferre ad regem Græcorum, ut ei gratificarentur : eunuchos autem hos fuisse propinquos Aman ; quis enim tam adhuc (utpote diu ante triumphum et Alexandrum) obscurissimum erat Macedonum imperium ; hinc Aman Macedo illud illustrare voluit translato ad se et suos Macedones nobilissimo Darii et Persarum imperio, imo monarchia ; uti postea transtulit Alexander Magnus.

16. CUJUS (Dei) BENEFICIO ET PATRIBUS NOSTRIS ET NOBIS REGNUM EST TRADITUM. — Patres intelliga reges præcedentes, præsertim Cyrum, cui Deus per Isaiam, cap. XLV, vers. 1, prædixit et promisit regnum, idque Cyrus agnovit, ideoque Judæos e Babylone liberos dimisit, I *Esdræ* I, 1. Idem agnovit noster hic Darius, ut patet ex hoc loco, et ex III *Esdræ* IV, 43 et seqq.

18. ET COGNATIO EJUS PENDET IN PATIBULIS. — Nota : ✠ « cognatio, » id est cognati ; nam filii Aman nono mense post hoc edictum, puta mense ultimo Adar, occisi et suspensi fuere, ut dixi cap. IX, vers. 13 ; quia, ut ait Amianus, lib. XXV, leges apud Persas impendio erant formidatæ, « utpote per quas ob noxam unius omnis propinquitas periret. »

22. INTER CÆTEROS FESTOS. — Habebant enim Persæ sua festa, præsertim Mithræ, id est Soli, quem ut Deum colebant, dicata. Tale quoque fuit festum ob cædem Magorum, quod hic Darius Magis in regno succedens perpetim celebrandum indixerat, teste Herodoto, lib. III. Porro non mirum Darium jussisse hoc festum victoriæ Judæorum etiam a Persis Orientalibus celebrari, tum quia ipse totus pendebat a sua Esthere et Mardochæo, tum quia ipse jam verum Deum Hebræorum agnoverat et colebat, ut patet vers. 16.

COMMENTARIA

IN LIBROS

MACHABÆORUM.

ARGUMENTUM.

Suppono duos hosce libros esse Canonicos, ut definit Concilium Tridentinum, sess. IV ; Carthaginiense III, Can. 47 ; Innocentius III, epist. 3, *ad Exuperium* ; Gelasius et alii. Apud Hebræos non sunt Canonici, tum quia Hebraice non exstant : unde ab Hebræis ignorantur ; tum quia scripti sunt post Canonem sacrorum librorum a Synagoga tempore Esdræ editum. Vide Bellarminum, lib. I, *De Verbo Dei*, cap. V ; Sixtum Senensem, lib. VIII *Biblioth.* et Serarium hic.

Exstat insuper liber tertius Machabæorum, et apud nonnullos quartus ; sed hos intra Canonem Ecclesia non admisit. Quare hi duo similes sunt libro tertio et quarto Esdræ.

Argumentum libri primi et secundi Machabæorum est, conscribere gesta et prælia Judæ, Jonathæ et Simonis fratrum Machabæorum contra Antiochum aliosque hostes. Hi duo libri ergo continent historiam Synagogæ, sive Israelis et populi Dei ; Esdras enim desinit in Joddoa sive Jaddo Pontifice, qui occurrit Alexandro Magno, a quo liber primus Machabæorum incipit, et historiam Israelis prosequitur per successores Alexandri, puta reges Asiæ et reges Ægypti, qui cum Judæis nunc federati fuere, nunc bella cruenta gesserunt, in quibus enituit mira Machabæorum fortitudo, et singularis Dei eis victoriam dantis directio et protectio. Obiter autem breviterque tangit gesta Alexandri Magni et successorum usque ad Antiochum Epiphanem, qui Judæos coepit persequi et bello lacessere : unde ejus et posterorum acta fuse enarrat, nimirum Antiochi Eupatoris, qui Epiphanis fuit filius, Demetrii regis et Alexandri, et alterius Antiochi, qui fuit Demetrii filius, qui cum Juda, Jonatha et Simone Machabæis bella gesserunt. Complectitur ergo gesta annorum sexaginta circiter.

Quis fuerit auctor ignoratur. Verisimile est aliquem e sacerdotibus, vel Pontificibus fuisse ; hisce enim data erat cura gentis suæ historiam pertexendi, teste Josepho, lib. II *Contra Appion.* Probabile est primum librum scriptum fuisse a Joanne Hyrcano, filio Simonis fratris Judæ Machabæi. Hic enim patri Simoni in Principatum æque ac Pontificatum successit, et omnibus pene patris et patrui gestis interfuit ; unde ejus illustris fit mentio in fine libri I. Adde quod ipse quoque fuerit Propheta, ut asserit Josephus, lib. XIII, capite X, quem audi : « Hyrcanus moritur anno imperii 31 ; tribus maximis a Deo habitus dignus honoribus, principatu gentis Judæorum, et Pontificatu, et prophetia. Fruebatur enim divinis colloquiis ; unde tantam nactus est futurorum præscientiam, ut prædixerit duos majores natu e liberis suis non diu fore paterni principatus compotes. » Idem asserit eum prædixisse filiorum suorum longe pugnantium præsentem victoriam. Denique hic 31 annis Israeli præfuit, ac pacem cum vicinis coluit, ideoque otio ad hanc scribendam abundavit. Ita Sanchez. Hic ergo avi sui Mathathiæ patris Simonis ac patruorum Judæ et Jonathæ, tanquam familiæ suæ heroica prælia gestaque conscripsit, ideoque in morte Simon patris sui desiit. Secundi libri historiæ fuse a Jasone Cyrenensi quinque libris conscriptæ fuere quas in epitomen contraxit, et librum secundum confecit primarius sacerdos, idque jussu Synagogæ. Nam Synagoga nomine totus liber secundus scriptus fuit, quasi epistola ad Judæos per Ægyptum dispersos, ut eos ex persecutione Antiochi et posterorum afflictos rerum meliorum nuntio soletur, ut patet ex ejus initio : « Fratribus, inquit, qui sunt per Ægyptum Judæis salutem dicunt fratres qui sunt in Jerosolymis. » In his autem erat Judas, non Machabæus, ut vult Bellarminus et alii : nam hic jam erat vita functus, sed alius vel propheta, vel princeps populi et Senatus, cujus nomine epistola scribebatur, de quo plura lib. II, cap. I, 10 et cap. II, 24. Unde Serarius putat Judam hunc esse auctorem epistolæ, eumque cognominat Essenum.

Auctor libri primi Jos.

Primus liber Machabæorum hebraice exstabat tempore S. Hieronymi, uti ipse fatetur in prologo Galeato. Secundum quoque hebraice exstitisse insinuat Eusebius *in Chron.* ad annum mundi 4800 : « Machabæorum, inquit, historia Hebræa

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DIRECCIÓN GENERAL DE

hic Græcorum suppulat regnum; verum hi libri inter divinas Scripturas non reperiuntur; » intellige ab Hebræis. Et ratio id suadet. Scriptus est enim ad Judæos per Ægyptum sparsos: Judæorum autem nativa et materna lingua erat Hebraica, imo multi eorum alias ignorabant.

Porro Græcæ editionis horum librorum auctores esse nequeunt Septuaginta Interpretes, quia hi floruere sub Ptolemæo Philadelpho, qui centum annis præcessit Antiochum Epiphanem, cujus persecutiones hic describuntur.

Quæres *primo* : Qui et quales fuere Machabæi, deque sic appellati? Josippus Bencorion scribit Judam fratrem Jonathæ primum vocatum Machabeum a fortitudine, patrem enim Mathathium oriturum sic eum affatum fuisse : « O fili mi! uda, qui ob robur vocaberis Machabæus, » nimirum a radice מחא *mucha*, quæ significat exstinguere, occidere, delere, ut Machabæus idem sit quod exstinctor et occisor hostium. Ita Eusebius lib. III *Hist.* cap. X, dicens : « Quem librum Machabæorum intitularunt, eo quod certamina initia et agones pro pietate a Machabæis desudati continentur. » Favet quod dicit Mathathias moriturus, cap. II, 63, exhortans omnes ad legis et gentis suæ tutelam et bellum : « Judas Machabæus, fortis viribus a juventute sua, sit vobis princeps militiæ. » Rursum Paguinus *in nom. Hebr.* deducit nomen *Maccabi* (sic enim scribendum ipse censet) a מכמני *maccabi*, id est, *plaga per me*, מכה *mecha* enim est ferire, percutere, occidere, ut *Maccabi* sit idem quod percussor, occisor, qualis fuit Judas Machabæus, ejusque socii. Hæc duo etyma apposita sunt, ut ad illa alludi vix sit dubium. Alii « Machabæus » derivant a verbo Græco μάχεσθαι, id est pugno, quasi dicas pugnator, athleta, certator. Isidorus Pelusiota lib. III, *epist.* 4 : « Machabæus, inquit, lingua Persica dominum sonat. » Insuper alii Machabæus derivant a כאב *caab*, id est, dolere; unde Benoni Hiphil מכיב *maciib*, id est, *dolere faciens*, crucians hostes Israelis. Alii deducunt a חבב *chabab*, id est, *amare*, quasi ab amore ardente Dei Judas dictus sit *Machabæus*, id est *amator*, vel *Amadeus*. Alii a מקבה *mackeba*, id est *malleus*. Judas enim fuit malleus Gentium.

Verum Hebræi et Latini passim tradunt Judam dictum Machabæum, eo quod ipse belli sacri contra infideles Antiochi asseclas tesseram, accepterat illud Mosis devicto Pharaone concinentis *Exodi* XV, 11, מי כמך באלים יהוה, *mi camocha baalim Jehova*, id est : « Quis similis tui in fortibus, Domine? » ideoque initiales verborum horum litteras brevitatis studio vexillis suis inscripsisse, nimirum מכבי quæ, suppositis punctis vocalibus in unam dictionem conflatæ, faciunt מכבי *machabi*, id est Machabæus, ut *machabi* sit quasi idem quod *Michael*, id est, *quis ut Deus*; quod deinde nomen ad socios et successores transmisit. Id ita esse patet ex sequentibus Judæ gestis et prœliis, in quibus semper Judas omnem victoriæ spem in uno Deo collocat, ideoque cum invocans, quasi leo in hostes irruit, eosque prosternit, ideoque fecit ante patris mortem a juventute sua, uti ipse pater asserit, cap. II, 66, ubi eum hac de causa belli populique Ducem constituit. Quare ante patris mortem emblema illius erat : *Mi camocha baalim Jehova*, id est : « Quis similis tui in fortibus, Domine? » indeque per abbreviationem vocatus est *Machabi*, id est, « Machabæus. » Quocirca ipse cum Nicanore conflicturus hanc belli tesseram suis dedit, « Dei adjutorium, » ut patet lib. II, cap. VIII, 23. Ita Genebrardus *in Chron.* Sixtus Senensis, lib. I; Arias, *in Isaiæ* cap. X; Baronius, *in Martyr.* ad diem 1 Augusti, Serarius, Salianus, Sanchez et alii. Simili scribendi compendio exaratum fuit illud : *Mane Thecel Phares*, *Danielis* V. Similes abbreviaturas passim invenire est in libris Rabbinorum, quibus per primam litteram totam dictionem significant, quas omnes in unum collegit et explicuit Mercerus.

Quæres *secundo* e qua Tribu fuerit Judas, cæteræque ejus fratres et nepotes Machabæi. Nonnulli censent fuisse e tribu Juda. Ex hac enim sceptrum non defecturum usque ad Christum prædixerat Jacob, *Genes.* XLIX, 10. Unde et I *Machab.* V, dicitur : « Et viri Juda magnificati sunt. »

Judæ Machabæo frater Simon.

Verum dico eos fuisse e tribu Levi et sacerdotali. Fuere enim ipsi summi Pontifices et simul Principes populi. Id ita esse clare liquet lib. I, cap. II, ubi Mathathias vocatur sacerdos descendens ex Joarib; Joarib autem descendit ex Aaron et Levi, ut patet lib. I, *Paralip.* XXIV, 7. Unde Mathathias vocat Phinees filium Eleazari filii Aaronis, patrem suum et suorum, lib. I, cap. II, 54. Ad locum *Genes.* XLV, 10, ibidem respondi : ad locum Machabæorum inferius respondebo. Porro Machabæi alio nomine vocati sunt Assamonæi ab Assamonæo, qui fuit avus, vel abavus Mathathiæ, teste Eusebio, Josepho, lib. XII *Antiq.* cap. VII et aliis. Hinc Hebræum *Assamonæi*, idem est quod *Optimates* vel Principes. Tales enim fuere Machabæi.

Porro Judas, Jonathas, Simon, eorumque posteri Machabæi a populo electi et constituti sunt Reipublicæ duces, aut principes, non autem reges, ut patet lib. I, cap. IX et XIV. Regia enim stirps Davidis defecit in Jechonia in Babylonem abducto, qui proinde a Jeremia, cap. XXII, vocatur vir sterilis. « Neque enim, inquit, erit in semine ejus vir, qui sedeat super solium David, » id est, qui sit rex; unde Salathiel filius Jechoniæ et Zorobabel filius Salathiel fuere duces populi, non reges. Dices : Aristobulus, Joannis Hyrcani filius, diadema et regis nomen accepit; nam, ut ait Josephus XIII *Antiq.* XIX : « Defuncto patre, Aristobulus natu maximus volens principatum in regni formam vertere, diadema sibi primus imposuit post 481 annos et menses tres, ex quo de captivitate Babylonica liberatus populus ad pristinas sedes postliminio reversus est. » Respondeo Aristobulum ejusque posteros regis nomen et coronam propria auctoritate usurpasse, non autem a Republica datam accepisse; quare non fuere veri nec legitimi reges. Ita S. Hieronymus in cap. XXI *Ezechielis* : « Hyrcanus, ait, Pontifex diadema capiti suo imposuit, frustra sibi et hoc et illud voluit vindicare, cum regnum ei non deberetur post Sedeciam, » *d. q.* Quia non erat ex stirpe regis Davidis, quæ defecit in ultimo rege Sedecia. A vulgo tamen adulante, indeque a Scriptoribus nonnullis ipse et posteri ejus vocantur reges, revera tamen non fuerunt reges. Secus est de Herode; hic enim a Senatu Romano et ab Augusto jam tum dominante Judæis regnum Judææ, regisque nomen accepit. Unde in eo sceptrum a Juda translatum est ad alienigenam, ideoque tunc advenit Christus, cui sceptrum hoc debebatur, ut vaticinatus est Jacob, *Genesis* XLIX, 10.

Judæ, Jonathæ, Simoni Machabæis synchroni et cœvi fuere Antiochus Magnus ejusque filius Antiochus Epiphanes, ac hujus filius Antiochus Eupator; cum his duobus enim bella gesserunt. Item Ptolemæus Philometor rex Ægypti. Ad hæc Scipio uterque, scilicet Africanus, qui vicit Annibalem, et Carthaginem evertit; ac Asiaticus, qui de Antiocho Magno triumphavit. Ad hæc Fabius Maximus Annibalis castigator. E Philosophis Posidonius et Panætius. E Poetis Cæcilius, Ennius, Nævius, Plautus. Porro Antiochus Magnus duos reliquit filios Seleucum et Antiochum Epiphanem; horum duorum filii et nepotes continua successione inter se certarunt, et dimicarunt de Asiæ imperio per ducentos annos : ita Deus punivit impietatem et scelera Epiphanis in posteris.

Quæres *tertio*, qui sint auctores Græcorum, juxta quos singula Machabæorum acta hoc libro consignantur, et unde initium accipiant. Respondeo eos inchoari ab anno tertio decimo a morte Alexandri Magni. Post Alexandrum enim anno tertio decimo Seleucus multis victoriis cognominatus Nicanor, devicto Antigono Asiæ rege, fecit se regem Asiæ, indeque anni Græcorum, sive Seleucidarum computari cœperunt. Porro

1. Seleucus rex Asiæ regnavit annis 30.

2. Seleuco successit filius Antiochus Soter, cujus tempore Judæi insignem juxta Babylonem de Galatis obtinuere victoriam, quæ recensetur libro II *Machab.* cap. VIII, vers. 20. Soter hic regnavit annis 19.

3. Soteri successit filius Antiochus cognomento θεός, id est Deus, ita vocatus a Milesiis, quod Lymarchum eorum tyrannum ejecisset, ait Appianus *in Syriaco*. De hoc vaticinatus est Daniel, cap. XI, vers. 5. Vixit bello primo Punico. Regnavit annis 15.

4. Antiocho huic successit Seleucus Callinicus, de quo Daniel cap. XI, vers. 7. Regnavit annis 20.

5. Callinico successit filius Seleucus Ceraunius, id est fulmineus, quod audacia et celeritate similis fulmini appareret, de quo Daniel cap. XI, vers. 10. Regnavit annis 3.

6. Ceraunio successit frater Antiochus Magnus, qui a L. Scipione ad Thermopylas victus filium juniorem Antiochum Epiphanem Romam pro se obsidem misit, de quo Daniel cap. XI, vers. 10 et seq. usque ad 20. Regnavit annis 37.

7. Antiocho Magno successit filius senior Seleucus Philopator, qui initio sumptus templo Judæorum submisit, II *Mach.* cap. III, vers. 3; sed postea versu 32, per Heliodorum illud expilare voluit, cum ille flagellatus ab Angelo rediens Seleucum occidit. Regnavit hic Seleucus annis 12.

8. Seleuco fratri seniori successit junior dictus Antiochus Epiphanes, id est illustris. Verius a nonnullis nominatus Epimanes, id est insanus, quia crudeliter et insane templum expilavit, et Judæos divexavit. Hic regnum fratris dolo invasit anno 137 Græcorum, qui eodem anno Oniam sanctum Pontificem expulit, eique substituit fratrem impium Jasonem, II *Machab.* IV, 7. Idem anno secundo regni primam expeditionem suscepit in Ægyptum, inde pacifice Jerosolymam intravit. Ibidem vers. 21, anno 5, Jasoni depositio Pontificem surrogavit Menelaum Benjaminium, II *Machab.* IV, 23, et cap. III, vers. 4. Anno sexto rursum Ægyptum ingrediens, a Romanis jussus fuit egredi. Quocirca indignans egressus est, et indignationem suam in Judæos vicinos effudit, I *Machab.* I, 21, et lib. II, cap. IV, vers. 11 et seq. ubi causam affert. Quare tribus diebus interfecit 80 millia Judæorum, 84 millia vendidit, et totidem incarceravit, II *Machab.* V, 14. Inde per Appollonium plures alios occidit, vers. 24, et alios per Philippum, cap. VI, 11; idolum Jovis posuit in templo, vers. 2; tunc pariter Eleazarum vers. 18, et septem fratres cap. VII, illustri martyrio affecit, anno 9 regni sui, qui fuit Græcorum 145. Contra eum se suosque erexit Mathathias, lib. I, cap. II, cui post paucos menses morienti successit, et bellum Antiocho movit Judas Machabæus ejus filius, cap. III, qui sequenti anno Apollonium, vers. 11, et Seronem, vers. 23, vicit et cecidit. Anno 11 regni sui, qui fuit Græcorum 147, Antiochus in Persidem perrexit, ut Elymaidem diriperet, sed a Persis fugatus fuit, cap. III, vers. 37. Gorgias quoque ejus dux a Judæis repulsus fuit, cap. IV. Anno 12, Lysias pariter a Judæis prostratus, et templum ab Antiocho per idolum pollutum expurgatum fuit. Ibidem, vers. 52, ineunte anno 12, qui fuit Græcorum 149, e Perside reversus præ tristitia mortuus est, cap. VI, vers. 16, cum regnasset annis 12.

9. Antiocho Epiphani successit filius novennis Antiochus Eupator, qui cum suo tutore Lysia occisus est a Demetrio Seleuci Philopatoris filio, I *Machab.* VII, 1, anno Græcorum 151, qui fuit urbis Romæ conditæ 593, quo pariter vita functus est L. Æmilius Paulus, qui Perseum regem Mace-

donum supernavit, et Macedoniam Romanis subjecit. Regnavit Eupator annis 2.

10. Eupatori per vim successit Demetrius Seleuci filius anno Græcorum 151, usque ad annum 160, qui interfectus est ab Alexandro Veles, altero Antiochi Epiphanis filio, et fratre Eupatoris. Regnavit ergo Demetrius annis 10.

Hæc patent I *Machab.* I, 7, et cap. X, vers. 1 et 30. Porro Judas Machabæus anno secundo Demetrii ab ejus duce Bacchide interfectus est, cui illico Jonathas frater successit, I *Machab.* IX, 13, 18 et 30.

11. Alexander Veles Antiochi Epiphanis filius regnare cœpit anno Græcorum 160, usque ad annum 167, quo interemptus est a Ptolemæo Philometore rege Ægypti socero suo, lib. I *Machab.* cap. X, vers 1 et 67, et cap. XI, vers. 17. Regnavit ergo Veles annis 6.

12. Demetrius, cognomento Nicanor, filius Demetrii filii Seleuci, cœpit regnare anno Græcorum 167 usque ad 172 quo victus captusque est a rege Persis Arsace, I *Machab.* cap. XI, vers. 19, et cap. XIV, vers. 1 et 3. Regnavit annis 6.

13. Antiochus, Alexandri Veles filius, a Tryphone tutore suo promotus ad regnum, ab eodem post quadriennium occisus est. Regnavit ab anno Græcorum 168, usque ad 172. Quare quatuor ejus anni in chronologia non sunt addendi, quia continentur in annis Demetrii Nicanoris, cum quo regnavit, I *Machab.* XI, 39 et 54. Sic et Josephus, lib. XIII, cap. 12.

14. Tryphon, occiso Antiocho pupillo, æque ac Jonathæ fratre Judæ Machabæi, per dolum regnum invasit; sed post triennium occisus fuit ab Antiocho Sidete, I *Mach.* cap. XIII, vers. 12, 23 et 32, et cap. XII, in fine. Regnavit ergo annis 3.

15. Antiochus Sidetes, cognomento Pius, frater Demetrii Nicanoris, fratre ab Arsace rege Persarum capto, regnum occiso Triphone invasore occupavit, ac fœdus cum Simone fratre Jonathæ iniit, sed fregit, I *Machab.* XV, vers. 1 et 27. Occisus, ut narrant historiæ profanæ, a fratre suo Demetrio a Persis redeunte, eo quod uxorem ejus Cleopatram cum regno sibi vindicasset, sed verius a sacerdotibus Nanææ, II *Machab.* I, 16. Regnavit annis 7.

16. Demetrius Nicanor frater Sidetis, dimissus ab Arsace, occiso fratre Sidete, regnum recuperat, rursusque tenet per annos 3.

17. Alexander Sebina ope Ptolemæi Physconis, occiso Demetrio Nicanore, regnum occupat. Regnavit annis 2.

18. Antiochus Gryphus, ita dictus a nasi magnitudine, ait Justinus lib. XXXVIII et XXXIX, Demetrii Nicanoris et Cleopatræ filius, occiso Sebina, ope matris regnum capessit; sed eamdem matrem deinde sibi parantem venenum illud ipsam per speciem officii et humanitatis bibere compulit, itaque eam interfecit. Regnavit annis 12.

19. Antiochus Cyzicenus, filius Antiochi Sidetis et Cleopatræ (hæc enim duobus fratribus, scilicet Demetrio Nicanori, deinde eo a Persis capto fratri ejus Sideti nupserat), interempto Antiocho Grypho fratre suo uterino, quem prius regno privarat, uno duntaxat anno illi supervixit; universim tamen cum eo vivo regnavit annis 18.

20. Seleucus Gryphi filius cum fratre suo Antiocho, occiso patruo Cyziceno, regnum obtinet; sed victus ab Antiocho Eusebe filio Cyziceni, cum domo regia concrematur. Regnavit cum fratre annis 7.

21. Antiochus Eusebes, id est Pius, Cyziceni filius, cæso Grypho regnum occupat; sed mox eodem a Philippo et Demetrio Gryphi filiis spoliatur. Philippus ergo et Demetrius primo simul regnant, deinde victo Demetrio solus Philippus imperat. Illi omnes simul juncti regnarunt annis 6.

22. Tigranes, rex Armeniæ, fratribus jam dictis inter se de regno certantibus, simulans se eos contra Eusebem adjuturum, regnum invasit, donec ab illo a Romanis per Lucullum expulsus est. Tenuit illud annis 14.

23. Antiochus Asiaticus (quia in Asia Minore educatus), filius Eusebis, dum cum Tigrane et Mithridate pugnat Lucullus, paternum Syriæ regnum recuperat, illudque concedente Lucullo tenet annis 4. Sed mox Pompeius illud ei adimit, ac cum Judæa Romanis subjicit, Cicerone et Antonio consulibus, anno urbis 691.

Regnum ergo Græcorum in Syria a victoria Seleuci regis, qua devicto Antigono Minoris Asiæ rege, totius Asiæ regno Seleucus potitus est, duravit annos omnino 248.

Ante devictum Antigonum regnaverat Seleucus, quamvis non annos integros 13. Alexander vero Magnus, qui primus devicto Dario monarchiam a Persis ad Græcos transtulit, a quo tempore multi numerant annos regni Græcorum, post ipsam victoriam vixit annos 6.

Regnum ergo Græcorum in Syria ab initio monarchiæ Alexandri Magni, usque ad illud eis ademptum per Pompeium et Romanos, duravit annis 267. Quibus, ut dixi, posteri duorum fratrum Seleuci scilicet et Antiochi Epiphanis continuo de eo certarunt, ac successive omnes sibi fuere invicem carnifices. Omnia jam dicta liquent ex Appiano, Justino, Josepho, Eusebio, Orosio et aliis.

CHRONOTAXIS PTOLEMÆORUM REGUM ÆGYPTI, QUI POST ALEXANDRUM MAGNUM EODEM TEMPORE, QUO SELEUCIDÆ IN SYRIA, REGNARUNT IN ÆGYPTO.

1. Ptolemæus Lagi post Alexandrum statim occupavit Ægyptum, ab eoque omnes posteri ejus nominati sunt Ptolemæi, uti ante Pharaones. Regnavit annis 40.

2. Ptolemæus Philadelphus, filius Ptolemæi Lagi, post ejus mortem regnavit annis 38. Hic 120 Judæorum millia, quæ pater captiva in Ægyptum abduxerat, libera dimisit, ac ab Eleazaro Pontifice petiit et obtinuit 72 Interpretes, qui Biblia ex Hebræo in Græcum idioma traducerent.

3. Ptolemæus Evergetes frater Philadelphi Seleucum Callinicum, ejusque filium Geraunum prælio vicit. Regnavit annis 26.

4. Ptolemæus cognominatus Philopator, id est amans patris per antiphrasin, eo quod interfecisset patrem, matrem, fratrem, sororem et uxorem, inesecatus illecebris Agathocleæ meretricis, regnavit annis 17.

5. Ptolemæus Epiphanes filius Ptolemæi Philopatoris, qui uxorem duxit Cleopatram filiam Antiochi Magni et sororem Antiochi Epiphanis, a qua omnes deinde reginæ Ægypti vocatæ sunt Cleopatræ, regnavit annis 23.

6. Ptolemæus Philometor, Ptolemæi Epiphanis filius senior, regnavit annis 35. Hoc regnante, ejus avunculus Antiochus Epiphanes ingressus est Ægyptum, ut item ejus cum fratre juniore Ptolemæo Physcone dirimeret, sed revera ea mente, ut regnum occuparet. Unde Philometore opem Romanorum implorante, ab eis jussus fuit Antiochus Ægypto excedere; quare frendens ipse iram suam in Judæos evomuit, ut videndum lib. II, cap. IV, et lib. I, cap. XII. Rursum Philometor anno regni sui 18 concessit Oniæ, qui erat filius Oniæ sancti Pontificis, ædificare templum Heliopoli in Ægypto, simile Jerosolymitano, quod ab eo dictum est Onion, stetitque annis 233, eversum tandem una cum templo Jerosolymitano a Tito et Vespasiano. Ita Josephus, Eusebius et alii. Tandem Philometor, subdole volens Alexandrum generum suum privare regno Asiæ, illico mortuus interiit anno Græcorum 167, I *Machab.* XI, 1 et 18.

7. Ptolemæus Physcon, sive Evergetes, Philometoris frater, post fratrem regnavit annis 29. Hic novo prodigio fuit frater, maritus, simul et gener Cleopatræ: nam ejus filiam in uxorem duxit. Porro cum Cleopatra, Physcone marito victo, sola regnaret, Physcon tam suum, quam ejus filium in frusta concisum, et arcæ inclusum in natalitio matris die ipsi inter epulas apponi curavit, teste Justino lib. XXXVIII et XXXIX.

8. Ptolemæus Lathuri filius Ptolemæi Evergetis, ab aliis cognominatus Soter, regnavit annis 16.

9. Ptolemæus Alexander frater Lathuri cum matre, quæ Lathurum ejecerat, regnavit annis 10.

10. Ptolemæus Lathuri, ob sævitiam matris regno restitutus, rursum regnavit aliis annis 8.

11. Ptolemæus dictus Auletes, eo quod choraulam exercuisset, filius Lathuri, alt Sallustius. Hic genuit Cleopatram, quæ ultima fuit Ægypti regina. Idem cum filia Berenice universim regnavit annis 30.

12. Ptolemæus Dionysius, filius Auletis, qui puer, rexit Ægyptum per Cleopatram sororem annis 8.

13. Cleopatra, subverso fratre Ptolemæo Dionysio, sola regnavit annis 17. Hæc est celebris illa concubina M. Antonii triumviri, qui ab Augusto Cæsare in prælio victus occubuit: Cleopatra, ne in manus Augusti veniret, aspidum morsu seipsam interemit. Augustus mox totam Ægyptum sibi et Romanis subjugavit, tunoque cœpit esse monarcha anno urbis conditæ 724, qui fuit Olympiadis 187 annus tertius.

Omnia hæc tradunt Eusebius, Justinus, S. Epiphanius, Beda, Sallustius, Tornielius et alii. Hæc magnam lucem afferent utrique Machabæorum libro. Nam Antiochi et Demetrii reges Asiæ diu cum Ptolemæis regibus Ægypti de Judæa, imo de imperio certarunt: nam inter utrosque media erat Judæa, quæ proinde erat utrisque pomum discordiæ, ut de ea sibi arroganda utrique contenderent.

CHRONOTAXIS MACHABÆORUM, SIVE ASSAMONÆORUM, QUI POSTEA PRÆFUERE NON TANTUM UT PONTIFICES, SED ET UT PRINCIPES.

1. Mathathias contra Antiochum Epiphanem insurgens anno Epiphanis nono, qui fuit annus Græcorum 145, Pontificatum et Principatum Israelis gessit paucis mensibus, I *Machab.* II, 1.

2. Judas Machabæus, Mathathia mortuo, quasi filius primogenitus in Pontificatu et Principatu patri successit: patriam et verum Dei cultum fortissime et felicissime propugnavit; templum ejecto Antiochi idolo expurgavit, anno Græcorum 146: occisus tandem acerrime pugnans contra Bacchidem anno Græcorum 152, I *Machab.* IX, 3 et 18. Ergo Israelem rexit et defendit annis 6.

3. Jonathas fratri Judæ surrogatus est a populo, approbante postea Alexandro Veles Antiochi Epiphanis filio, I *Machab.* X, 3 et 20. Tandem per dolum interemptus fuit a Tryphone anno Græcorum 170, I *Machab.* XIII, 23 et 41, cum præfuisset annis 19.

4. Simon fratri Jonathæ in Ducatu et Pontificatu substitutus est, I *Machab.* XIII, 8 et 25. Per dolum interemptus est a Ptolemæo genero suo anno Græcorum 177, I *Machab.* cap. ult., vers. ult. cum gubernasset annis 7.

5. Joannes Hircanus Simonis filius præfuit ut Dux et Pontifex annis 31. Hujus fit mentio, I *Machab.* cap. ult. vers. ult., atque in eo finitur sacra Machabæorum, omnisque veteris Testamenti historia, et S. Scriptura.

6. Aristobulus Joannis Hircani filius. Hic primus regis nomen et coronam assumpsit, quod ejus exemplo cæteri ejus posteri assumpserunt. Hic fratrem Antigonum occidit, atque eodem anno Dei vindicta vomens sanguinem interiit. Regnavit annum 1.

7. Jannæus Aristobuli frater junior, qui, ut Græcis placeret, græcum nomen assumpsit, dictusque est Alexander. Hic duos reliquit filios, Hircanum et Aristobulum, qui inter se de regno usque ad Herodem contenderunt, eique prædæ fuerunt. Regnavit annis 27.

8. Alexandra uxor Jannæi, eo mortuo regnum usurpans, regnavit annis 9.

9. Aristobulus junior Jannæi filius, Hircano fratre seniore excluso, Pontificatum et regnum invasit; sed a Pompeio captus, Romam missus fuit cum duobus filiis Antigono et Alexandro, cum regnasset annis 3. Tunc Pompeius Jerusalem cepit, totamque Judæam Romanis subjecit, et vectigalem effecit, Cicerone et Antonio consulibus.

10. Hircanus senior Jannæi filius Pontificatui restituitur a Pompeio, eumque variis jactatæ casibus tenet per annos 22.

11. Alexander Aristobuli filius, Roma elapsus, Judæam occupare conatus est; sed post triennium a Gabinio captus, a Pompeio capite muletatus fuit; pater quoque ipse Aristobulus cum altero filio Antigono, Roma fugiens, ope Parthorum Judæam et Pontificatum occupavit tribus annis cum dimidio. Verum Julius Cæsar Hircano Pontificatum adjudicavit, uti jam ante fecerat Pompeius, ac Antipatri Idumæ, Judææ et Hircani tutelam, quasi procuratori commisit : deinde M. Antonius Herodem et Phasellum filios Antipatri tetrarchas constituit. Denique Antigonus ultimus Machabæorum, petente Herode, capite truncatus fuit post annos 4.

In Antigono defecit omnis stirps Assamonæorum, æque ac eorum regnum et Pontificatus, cum utrumque teuuissent per annos 126, ut vult Josephus, vel pollux per annos 130, ut vult Salianus et alii. Tot enim fluxere ab anno nono Antiochi Epiphanis usque ad annum primum Herodis, quo ipse cæso Antigono pleno jure regnum occupavit, atque in eo defecit sceptrum Judæ, ideoque venit Christus juxta oraculum Jacobi, *Genes.* cap. XLIX, vers. 10. Hæc omnia patent ex Josepho, Eusebio, Saliano, Torniello, Pererio et aliis.

PONTIFICUM SERIES AB ALEXANDRO MAGNO USQUE AD CHRISTUM.

1. Jaddo. Hic occurrit Alexandro Magno, eumque Judæis infensum reconciliavit, teste Josepho, lib. XI et XIII, sub finem. Præfuit juxta Eusebium annis 17.

Jaddi frater junior fuit Manasses, qui templum simile Jerosolymitano a Sanaballat socero suo fabricatum in monte Garizim adiit, ejusque fuit Pontifex, de quo Judæis cum Samaritanis perpetua fuit lis et contentio usque ad Christum, ut patet *Joannis* capite IV. Vide Josephum, libro XI, cap. VII.

2. Onias primus, Jaddi filius, cui nonnulli dant annos 23.

3. Simon Oniæ filius, cognomento Justus, cujus elogia describit *Eccli.* L, 1.

4. Eleazarus Simonis frater, qui 72 Interpretes misit ad Ptolemæum Philadelphum, ut vetus Testamentum ex Hebræo in Græcum converterent.

5. Manasses filius Oniæ primi, frater Simonis, et patruus Eleazari.

6. Onias secundus Simonis Justi filius, cognomento Avarus.

7. Simon secundus Oniæ secundi filius.

8. Onias tertius, cognomento Sanctus, filius Simonis secundi, qui orans pro Heliodoro flagellato ab Angelis illi vitam impetravit, II *Machab.* cap. III, et I *Machab.* XII, 7 et 8. Hujus Oniæ filius et ipse dictus Onias, sub Ptolemæo Philometore templum erexit Heliopoli in Ægypto, quod ab eo vocatum est Onion.

9. Jesus, sive Jason frater Oniæ Sancti, qui exclusо fratre Pontificatum emit ab Antiocho Epiphane, II *Machab.* IV, 7, et V, 5.

10. Menelaus Onias, Simonis Benjaminitæ frater, Pontificatum emens ab eodem Epiphane deturbavit Jasonem, sicut ille deturbarat Oniam Sanctum; sed cum pecuniam Epiphani promissam præstare non posset, in ejus locum suffectus est Lysimachus ejus frater, II *Machab.* IV, 27. Mox, lapidato Lysimacho, Menelaus rursum novis pecuniis Pontificatum coemit. Ibidem versu ult. III ergo fuere invasores et pseudo-Pontifices.

11. Mathathias Judæ Machabæi pater : de quo et filiis jam dixi. Quare breviter eos duntaxat recensebo, ut seriem Pontificum expleam.

12. Judas Machabæus.

13. Jonathas, frater Judæ.

14. Simon, frater Jonathæ.

15. Joannes Hircanus Simonis filius.

16. Aristobulus, filius Hircani.

17. Jannæus Alexander, frater Aristobuli.

18. Aristobulus, filius junior Jannæi.

19. Hircanus, senior filius Jannæi.

20. Antigonus, Aristobuli filius, in quo desiit stirps Assamonæorum.

21. Ananelus ab Herode Pontifex constitutus.

22. Aristobulus.

23. Ananelus secundo.

24. Simon Phabetis.

25. Simon Boethi socer Herodis, sub cujus vitæfinem natus est Christus, novus novi Testamenti Pontifex secundum ordinem Melchisedech, *Heb.* VII.

Ex dictis collige a morte Alexandri Magni usque ad annos Græcorum, sive usque ad initium regni Seleuci in Asia fluxisse annos 12; inde usque ad Machabæos annos 145; denique a Machabæis usque ad Christi nativitatem annos 165. Mors ergo Alexandri Christi ortum antecessit annis 322. Vide Chronologiæ tabulam, quam præposui Pentateucho.

ORDO ET CONNEXIO LIBRORUM MACHABÆORUM.

Moses in Genesi descripsit originem mundi ac Ecclesiæ Dei, deinde ejus propagatio usque ad reges Israelis Saulem et Davidem narratur in libro Josue et Judicum. Mox in libro Regum ejus progressus recensetur, quem habuit sub regibus, puta Saule, Davide, Salomone, etc., item quæ passa est a regibus Assyriorum et Chaldæorum, quorum prima fuit monarchia. Deinde in Esdra, Nehemia, Tobia, Judith, Esther commemorantur ea quæ eidem Ecclesiæ, puta Israeli et populo Dei tam prospera quam adversa contigerunt in secunda monarchia, quæ fuit Cyri et regum Persarum. Nunc in hisce libris Machabæorum narrantur ea quæ eidem acciderunt commoda et incommoda in tertia monarchia, quæ fuit Alexandri Magni et Græcorum, puta ab Antiochis regibus Asiæ et Syriæ, et Ptolemæis regibus Ægypti : inter utrosque enim media fluctuavit semper Judæa, nunc his, nunc illis, vel amica, vel inimica.

Porro quatuor reperiuntur libri Machabæorum, quorum hic est ordo historicus et chronologicus. *Primo* loco ordine temporum et rerum gestarum collocandus est liber tertius Machabæorum, quia recenset ea quæ Israeli et populo Dei contigerunt sub Ptolemæo Philopatore rege Ægypti et Antiocho magno rege Asiæ. *Secundo* loco ponendus est is qui nunc in Bibliis ponitur secundus, quia complectitur gesta et bella Judæ Machabæi cum Antiocho Epiphane, qui fuit filius Antiochi Magni. *Tertium* locum poscit is qui in Bibliis est primus Machabæorum, quia ad acta Judæ addit gesta Jonathæ et Simonis, fratrum et successorum Judæ. *Quartum* locum vindicat liber quartus, quia conscribit facta Joannis Hircani, qui fuit filius Simonis fratris Judæ. Sed inter hos quatuor soli duo medii sunt canonici; cæteri vero duo, scilicet primus et ultimus, sunt ἀπόκρυφοι, id est occultæ et incertæ auctoritatis, non tamen falsi, aut damnati; quales pariter sunt liber tertius et quartus Esdræ.

Rursum liber primus Machabæorum qui in Bibliis exstat, quasi Canonicus, multum differt a secundo, et ab alio auctore conscriptus est : nam redolet phrasin Hebræam, secundus vero Græcam. Rursum primus sua consignat per annos Græcorum, numerando eos juxta computum Alexandrinum; secundus vero juxta computum Chaldaicum, qui ab Alexandrino distat integro anno cum medio, ut suo loco ostendam (1). Denique liber secundus narrat acta Judæ alio modo, quam narrata sint lib. primo, nec unquam libri primi meminit. Denique primus actis Judæ addit acta Jonathæ et Simonis, quæ omittit secundus.

(1) Hic annotare sufficiat hujus discrepantiæ rationem. Æra regni Græcorum non statim a morte Alexandri incepit, sed anno post undecimo, cum Seleucus Nicanor, Susiana et Mediana devictis, regnare cœpisse dictus est, unde hæc æra Seleucidarum est appellata. Hujus initium epochæ ab illo anno deducere solemne est, qui ante æram christianam putatur 312, et est in periodo Juliana 4409, quo 117 Olympias milit. Verum triplicem hanc pro tribus diverso initio facit Scaliger, *Can. Isagog.* lib. III, adque jam apud doctos receptum est. *Prima* Judaica dicitur, quam Josephus et Auctor libri I *Machab.* sequuntur. Uterque « annos Græcorum » vocat, Josephus semel « annos Assyriorum » *Antiquit.* lib. XIII. Hæc autem a Nisan (qui nostro mensi Martio congruit), seu vernо mense incipit. *Secunda* Antiochena seu Alexandrea vocatur, quæ ab autumno subsequente et mense Tisri (qui nostro septembri correspondet); Collector II lib. *Machab.* hac æra usus est, ita ut anni priora libri, sex mensium intervallo posteriora antevertant initia. *Tertia* quoque additur, quæ Chaldæorum est, quæque a vere sequente incipit. Ita fit ut ad minus anno integro hæc æra sit Judaica posterior, Antiochena vero intervallo tantum semestri. (*Ex Bibl.* Vitræi.)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Alexander Magnus moriturus sua regna inter Principes partitur. Ex horum uno, scilicet, Seleuco propatus est Antiochus Epiphanes, qui Judæam vastavit, templum diripuit, in eoque Jovis idolum collocavit, plurimos occidit Judæos, cæteros ad idololatriam compulit, ac resistentes per varia tormenta martyrio affecit.

1. Et factum est, postquam percussit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Græcia, egressus de terra Cethim, Darium regem Persarum et Medorum; 2. constituit prælia multa, et obtinuit omnium munitiones, et interfecit reges terræ; 3. et pertransiit usque ad fines terræ; et accepit spolia multitudinis Gentium; et siluit terra in conspectu ejus. 4. Et congregavit virtutem, et exercitum fortem nimis; et exaltatum est, et elevatum cor ejus, 5. et obtinuit regiones Gentium, et tyrannos; et facti sunt illi in tributum. 6. Et post hæc decidit in lectum; et cognovit quia moreretur. 7. Et vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti a juventute; et divisit illis regnum suum, cum adhuc viveret. 8. Et regnavit Alexander annis duodecim, et mortuus est. 9. Et obtinuerunt pueri ejus regnum, unusquisque in loco suo; 10. et imposuerunt omnes sibi diademata post mortem ejus, et filii eorum post eos annis multis, et multiplicata sunt mala in terra. 11. Et exiit ex eis radix peccatrix, Antiochus illustris, filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obses, et regnavit in anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum. 12. In diebus illis exierunt ex Israel filii iniqui, et suaserunt multis, dicentes: Eamus, et disponamus testamentum cum Gentibus, quæ circa nos sunt; quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala. 13. Et bonus visus est sermo in oculis eorum. 14. Et destinaverunt aliqui de populo, et abierunt ad regem; et dedit illis potestatem ut facerent justitiam Gentium. 15. Et ædificaverunt gymnasium in Jerosolymis secundum leges Nationum; 16. et fecerunt sibi præputia, et recesserunt a testamento sancto, et juncti sunt Nationibus, et venumdati sunt ut facerent malum. 17. Et paratum est regnum in conspectu Antiochi, et cœpit regnare in terra Ægypti, ut regnaret super duo regna. 18. Et intravit in Ægyptum in multitudine gravi, in curribus, et elephantis, et equitibus, et copiosa navium multitudine: 19. et constituit bellum adversus Ptolemæum regem Ægypti, et veritus est Ptolemæus a facie ejus, et fugit, et ceciderunt vulnerati multi. 20. Et comprehendit civitates munitas in terra Ægypti, et accepit spolia terræ Ægypti. 21. Et convertit Antiochus, postquam percussit Ægyptum in centesimo et quadragesimo tertio anno; et ascendit ad Israel, 22. et ascendit Jerosolymam in multitudine gravi. 23. Et intravit in sanctificationem cum superbia, et accepit altare aureum, et candelabrum luminis, et universa vasa ejus, et mensam propositionis, et libatoria, et phialas et mortariola aurea, et velum, et coronas, et ornamentum aureum, quod in facie templi erat; et comminuit omnia. 24. Et accepit argentum, et aurum, et vasa concupiscibilia; et accepit thesauros occultos, quos invenit; et sublatis omnibus abiit in terram suam. 25. Et fecit cædem hominum, et locutus est in superbia magna. 26. Et factus est planctus magnus in Israel, et in omni loco eorum; 27. et ingemuerunt principes et seniores: virgines et juvenes infirmati sunt, et speciositas mulierum immutata est. 28. Omnis maritus sumpsit lamentum; et quæ sedebant in thoro maritali, lugebant; 29. et commota est terra super habitantes in ea, et universa domus Jacob induit confusionem. 30. Et post duos annos dierum, misit Rex principem tributorum in civitates Juda, et venit Jerusalem cum turba magna. 31. Et locutus est ad eos verba pacifica in dolo, et crediderunt ei. 32. Et irruit super civitatem repente, et percussit eam plaga magna, et perdidit populum multum ex Israel. 33. Et accepit spolia civitatis: et succendit eam igni, et destruxit domos ejus, et muros ejus in circuitu; 34. et captivas duxerunt mulieres; et natos, et pecora possederunt. 35. Et ædificaverunt civitatem David muro magno et firmo, et turribus firmis, et facta est illis in arcem; 36. et posuerunt illic gentem peccatricem, viros iniquos, et convaluerunt in ea, et posuerunt arma, et escas, et congregaverunt spolia Jerusalem; 37. et reposuerunt illic; et facti sunt in laqueum magnum. 38. Et factum est hoc ad insidias sanctificationi, et in diabolum malum in Israel; 39. et effuderunt sanguinem innocentem per circuitum sanctificationis, et contaminaverunt sanctificationem. 40. Et fugerunt habitatores Jerusalem propter eos, et facta est habitatio exterorum, et facta est extera semini suo, et nati ejus reliquerunt eam. 41. Sanctificatio ejus desolata est sicut solitudo, dies festi ejus conversi sunt in luctum, sabbata ejus in opprobrium, honores ejus in nihilum. 42. Secundum gloriam ejus multiplicata est ignominia ejus; et sublimitas ejus conversa est in luctum. 43. Et scripsit rex Antiochus omni regno suo, ut esset omnis populus unus, et relinqueret unusquisque legem suam. 44. Et consenserunt omnes Gentes secundum verbum regis Antiochi; 45. et multi ex Israel consenserunt servituti ejus, et sacrificaverunt idolis, et coinquinaverunt sabbatum. 46. Et misit Rex libros per manus nuntiorum in Jerusalem, et in omnes civitates Juda, ut sequerentur leges Gentium terræ; 47. et prohiberent holocausta, et sacrificia, et placationes fieri in templo Dei; 48. et prohiberent celebrari sabbatum, et dies solemnes; 49. et jussit coinquinari sancta, et sanctum populum Israel. 50. Et jussit ædificari aras, et templa, et idola, et immolari carnes suillas, et pecora communia; 51. et reliquere filios suos incircumcisos, et coinquinari animas eorum in omnibus immundis, et abominationibus, ita ut obliviscerentur legem, et immutarent omnes justificationes Dei. 52. Et quicumque non fecissent secundum verbum regis Antiochi, morerentur. 53. Secundum omnia verba hæc scripsit omni regno suo; et proposuit principes populo, qui hæc fieri cogerent. 54. Et jusserunt civitatibus Juda sacrificare. 55. Et congregati sunt multi de populo, ad eos qui dereliquerant legem Domini, et fecerunt mala super terram; 56. et effugaverunt populum Israel in abditis, et in absconditis fugitivorum locis. 57. Die quinta decima mensis Casleu, quinto et quadragesimo et centesimo anno, ædificavit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei, et per universas civitates Juda in circuitu ædificaverunt aras; 58. et ante januas domorum, et in plateis incendebant thura, et sacrificabant; 59. et libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos; 60. et apud quemcumque inveniebantur libri testamenti Domini, et quicumque observabat legem Domini, secundum edictum regis, trucidabant eum. 61. In virtute sua faciebant hæc populo Israel, qui inveniebatur in omni mense et mense in civitatibus. 62. Et quinta et vigesima die mensis sacrificabant super aram, quæ erat contra altare. 63. Et mulieres, quæ circumcidebant filios suos, trucidabantur secundum jussum regis Antiochi, 64. et suspendebant pueros a cervicibus per universas domos eorum; et eos, qui circumciderant illos, trucidabant. 65. Et multi de populo Israel decreverunt apud se, ut non manducarent immunda; et elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari immundis; 66. et noluerunt injungere legem Dei sancto, et trucidati sunt; 67. et facta est ira magna super populum valde.

1. ET FACTUM EST, POSTQUAM PERCUSSIT ALEXANDER (Magnus) PHILIPPI (filius) MACEDO, QUI PRIMUS (Græce πρῶτος, id est primus) REGNAVIT IN GRÆCIA, (scilicet, Iolo, ait Serarius): EGRESSUS DE TERRA CETHIM,—id est de regionibus Judææ transmarinis (has enim Judæi vocant Cethim) uti sunt Alexandrum falsæ primum qui regnum fundaverit nomine Græcorum; sed scientia numismatica plenissime et clarissime solutionem invenit. Eniverso Erasmus Frœlichus in celebribus *Annalibus conscribendis regum et*

(a) Qui critici vocantur, de falso arguebant hanc assertionem: « Qui primus regnavit in Græcia. » Nam, inquirebant, ante Alexandrum plurimi fuere Macedoniæ reges qui in Græcia regnarunt. Respondebatur quidem

Macedonia, Græcia, Cyprus, etc. sic hodie eos, qui trans Alpes habitant Itali vocant transmontanos. Rursum nonnulli per « Cethim accipiunt proprie Macedoniam (quæ hodie Albania dicitur), tum quia Philippus et Perseu vocantur reges Cetheorum, id est Macedonum, I *Mach.* VIII, 5; tum quia Suidas verbo *Latini* et *xetieç* asserit Macedoniam per prosthesin dictam a Cethim, nempe παρὰ τὸ κιτιεὶς et Attice κίτταιος; sic et S. Hieronymus, lib. V *in Isaiam* cap. XXIII et in cap. XXVII *Ezech.* et XI *Daniel.* per Cethim accipit insulas Macedoniæ: et S. Epiphanius, *hæresi* 30, ait Alexandrum dici egressum ex Cethim, id est ex Macedonia, quia in ea erat genus Cypriorum, ac Rhodiorum, quibus olim prie competit hoc nomen : Cethim enim, teste Josepho, lib. I *Ant.* cap. VII, proprie dicta est Cyprus, et inde quævis alia insulæ. Insulas autem vocant Hebræi omnes transmarinas regiones, uti sunt Italia, Græcia, Macedonia. Favet quod Livius, lib. V, *Decade* II, nominet in Macedonia Citium, quo totus exercitus Persei convenerat. Favet quoque vocis Macedoniæ affinitas cum Cethim. Quare Dionysius de situ orbis et Hesychius *in Lexico* Macedoniam vocant Macetam, et Macedones Macetas. Unde Ausonius, *in claris urb.* Epist. II, « Macetumque attollere nomen. » Quin et Thucidides, lib. II, cap. II, ait Cyprios in Macedoniam transmigrasse, ut eis suum nomen Cethim indere potuerint. Sic et Theodorus Aonius, Pintus, Ferecius *in Isaiæ* II, per Cethim accipiunt Macedoniam.

Cethim est Cyprus et Macedonia.

DARIUM REGEM PERSARUM — ultimum, cognomento Codomannum. Hunc percussit et occidit Alexander Magnus anno sexto regni sui, tumque monarchiam a Dario et Persis ad se et ad Græcos transtulit, factusque monarcha regnavit alios sex annos : mortuus est enim anno regni sui duodecimo. Porro Darius prius vocatus est Codamus, et cauponam exercuit Susis, ait Dionysius, Chrysostomus, *orat.* 3; inde creatus est præfectus Armeniæ, ac tandem rex : quare non erat ex stirpe regia, sed id simulavit assumendo nomen regale Darii, ideoque eum Alexander invasit, et regno sibi non debito privavit.

3. ET PERTRANSIIT USQUE AD FINES TERRÆ, — omnia sibi armis subjugans usque ad Gangem et Oceanum Indicum, ait Josephus, Livius et Justinus.

ET SILUIT TERRA IN CONSPECTU EJUS — præ terrore fortitudinis et victoriarum ejus continuarum, ut nemo ei auderet resistere, nec contra eum hiscere, sicut mures silent in conspectu felis, et canes coram leone.

rerum Syriæ (secunda edit. Viennæ, 1734), ubi totam historiam biblicam cum numismatibus quæ supersunt, confert; omnia facta, omnes epochas S. Scripturæ cum numismatibus concordare manifeste probavit, et specialim Alexandrum fuisse primum qui in numismatibus inscriptus fuerit *rex*, βασιλεὺς. Vide opus Cardinalis Wiseman, *Relationes inter scientias et religionem revelatam*, orat. 9.

4. ET CONGREGAVIT VIRTUTEM ET EXERCITUM, — id est exercitum non tam multitudine, quam virtute militum metuendum. Alexandri enim milites erant veterani, laboribus et præliis assueti, continuis victoriis animosi, ut omnia pervaderent et subjicerent. Est hendiadis. Unde Græce est : *congregavit virtutem*, id est exercitum FORTEM. Vers. 4.

ET ELEVATUM EST COR EJUS, — adeo ut divinitatem affectaret, et ab ipso Jove satum se esse contenderet. Quam opinionem vanam ex ingentibus victoriis, et adulantium blandimentis, et rebus ultra supra fidem prosperis imbiberat, ut Olympiadem teste Agellio, lib. XIII, cap. IV, Junonis pellicem faceret. Ad Græcos scripsit stolidus, et ut ipsum Deum faterent jussit, ut ait Ælianus, lib. II *variæ historiæ*, cap. XIX; sed a Lacedæmoniis derisus, vecordiæ et stuporis incusatur, ut idem Ælianus est auctor, lib. V, cap. II. Adulatus est ei sacerdos Hammonis pro παῖδιον, id est *puer*, *fili*, vocans eum παῖ Διός, id est *fili Jovis*. Alexandri der. ad. ad. Vers. 4

6. POST HÆC, (anno regni sui 12, monarchiæ vero sexto, ætatis 33), DECIDIT IN LECTUM, — vel ex nimio poto, uti narrat Plutarchus in ejus vita, et Seneca, *epist.* 83, vel ex veneno, uti censet Curtius. Vers. 6

7. ET VOCAVIT PUEROS, id est duces, principes sibi intimos, uti fuere Ptolemæus Lagi filius, Seleucus, Antigonus, Aridæus, Perdiccas, Cassander et alii: ET DIVISIT ILLIS REGNUM SUUM. — Idem asserit Josephus Gorionides, Eb. III, ac S. Cyrillus Jerosolymitanus, *Catechesi* 4 de S. Scriptura, et alii. Favet quod scribit Curtius, lib. X, cap. X : « Credidere, inquit, quidam testamento Alexandri distributas esse provincias; » idque a variis auctoribus traditum asserit, licet ipse contrarium sentiat. Porro AD ALIA. Auctori nostro, cui quasi scriptori hagiographo Patres Græci et Latini, imo tota Ecclesia fidem sacram tribuit, magis credendum est, quam Diodoro, Justino, Curtio et Orosio asserentibus, Perdiccam post mortem Alexandri provincias inter Principes distribuisse : quod tamen fieri quoque potuit, nimirum ut Alexander Perdiccæ dato annulo, quasi secreti sui conscio mandarit, ut imperium suum in duodecim Principes divideret. Id enim fecit Perdiccas, utque id non facturus, sed sibi plurima relenturus, nisi id ei Alexander mandasset. Rursum S. Thomas, Glossa, Dionysius, Josephus, Stephanus sic exponunt : « Divisit illis regnum, » id est dividendum reliquit, exposuit et obtulit, *q. d.* Alexander moriens nullum certum hæredem designavit, sed voluit ut principes inter se illud ex æquo dividerent. Audi nunc Justinum, lib. XII : « Cum deficere eum amici viderent, quærunt quem imperii faciat hæredem. Respondit, dignissimum. Tanta illi magnitudo animi fuit, ut cum Herculem filium suum, cum fratrem Aridæum, et cum Roxanem uxorem prægnantem relinqueret, oblitus necessitudinem, dignissimum nuncuparet hæredem. Sexto die, præclusa voce, exemptum digito annulum Perdiccæ tradidit. Quæ

res gliscentem amicorum dissensionem sedavit. Nam etsi non voce nuncupatus hæres, indicio tamen electus esse videbatur. »

Porro inter hos duodecim Alexandri hæredes et successores primarii fuere quatuor, nimirum Ptolemæus, qui Ægyptum; Antigonus, qui Asiam; Aridæus, qui Macedoniam; Seleucus, qui Syriam, Babyloniam et Persiam, ac victo Antigono Asiam occupavit.

8. ET MORTUUS EST — Babylone, ex veneno dolo Antipatri ei dato, ait Beda et Q. Curtius; vel ut alii ex crapula, vel ex utroque : plura de gestis Alexandri dixi *Daniel.* cap. VIII. Vide hic vanitatem regum et regnorum mundi. En tibi Alexander, qui mundum subjugarat et novos mundos, quos subjugaret, quærebat, sex tantum annis imperio suo gavisus est, ac sexto anno mortuus exiguo tumulo conditus, sepultusque jacet. Vere Juvenalis, *Satyra* X : Vers. 8

Alexandro Peliæa juventi (*Alexandro*) non sufficit orbis,
Æstuat infelix angusto limite mundi, etc.
Sarcophago contentus erit : mors sola fatetur
Quantula sint hominum corpuscula. Vers. 8.

Hinc Apelles pinxit Alexandrum, quasi fulmen manu tenentem, eo quod instar fulminis omnia pervaserit, sed et illico disparuerit, ut fulmen. Narrat Petrus Alphonsus plures philosophos (forte Gymnosophistas, qui olim quæstiones ab Alexandro propositas resolverant) audita morte Alexandri ad funus accurrisse. Atque unus, inquit, dicebat : « Heri totius terræ spatiositas Alexandro non sufficit; nunc trium quatuorve ulnarum spatium illi ipsi sufficit. » Alebat alius : « Heri potuit Alexander a morte multos liberare; hodie seipsum non potest. » Alius, cum aureum ejus loculum videret : « Heri Alexander ex auro fecit thesaurum, hodie aurum ex ipso fecit thesaurum. » Alius : « Heri Alexander terram oppressit, hodie a terra opprimitur. » Romæ:

Denique mater Alexandri Olympias ingemuit : « O fili, inquit, qui cœli particeps esse studebas, ne iis quidem potiri vales, quæ mortalium omnium communia sunt, terra et sepultura. » Mansit enim cadaver insepultum Alexandri ad triginta dies ob principum dissidia. Ite nunc, filii Adæ, terræ, ut talpæ inhiate, agros agris, urbes urbibus, regna regnis accumulate, cras morituri.

O curas hominum ! O quantum est in rebus inane!

Pulcher fuit Alexander, nunc est putre cadaver : fuit Cyrus, nunc est Irus : fuit remex calicum, nunc est esca vermium; fuit terror gentium, nunc est præda dæmonum : fuit inclytus rex gloriæ, nunc est follis et fomentum gehennæ, critque semper in omnem æternitatem. Hoc speculum intuere, o Lector, tibique dicito : « Hodie Alexandro, cras mihi. »

11. ET EXIIT EX EIS RADIX PECCATRIX ANTIOCHUS ILLUSTRIS, — *q. d.* Ex uno ducum Alexandri, et post ejus mortem regum, prognatus est Antiochus Epiphanes, puta ex Seleuco, qui victo Antigono sibi diadema Asiæ imposuit, anno 12 post mortem Alexandri; a Seleuco enim sexta generatione descendit *Epiphanes*, id est illustris. Verius ab aliis dictus *Epimanes*, id est insanus; tum, quia multa stulta et insana factitavit, quæ ex Leonico recensui, *Daniel.* XI, 21; tum quia, quasi furiis infernalibus actus insanuit, et crudelissime sæviit in Judæos. Aliam causam dat Polybius, quod a Magis per magiam fuerit intoxicatus, et in mentis delirium vesaniamque actus. Vers. 11.

Epiphanes vocatur « radix peccatrix, » quia sicut ex radice germinant poma et fructus, sic ex Epiphane germinarunt omnia peccata, superbiæ, avaritiæ, libidinis, crudelitatis, impietatis, sacrilegiorum, etc., quæ toto hoc capite et seq. audiemus. Hinc ipse fuit expressus typus et præcursor Antichristi, qui II *Thessal.* II, a Paulo vocatur « homo peccati, » quia erit impiissimus et scelestissimus.

FILIUS ANTIOCHI REGIS (cognomento Magni), QUI FUERAT ROBE OBSES. — Antiochus enim Magnus cum Annibale victus a Scipione Asiatico fratre Scipionis Africani, eo quod Annibalis consilia neglexisset) Scipioni et Romanis obsidem pacis et fœderis dedit filium suum juniorem Antiochum Epiphanem. Sed Epiphanes, mortuo patre et fratre seniore Seleuco Philopatore per dolum ab Heliodoro interfecto, etiam Roma elapsus in Syriam, ibi regnare cepit anno 137 REGNI GRÆCORUM, id est post mortem Alexandri Magni anno 143. Nam anni Græcorum incipiunt a Seleuco, qui 12 anno a morte Alexandri regem Asiæ se fecit, regnumque ad posteros propagavit, uti dixi in Prooemio, *Quæst.* III.

12. IN DIEBUS ILLIS EXIERUNT EX ISRAEL FILII INIQUI, — quorum dux fuit Jesus Oniæ Pontificis frater, qui gentilizans et græcizans Jasonem se vocavit, et Pontificatum, fratre Onia ejecto, invasit, de quo, lib. II, cap. IV, vers. 7. Item Menelaus, Simon et similes, de quibus, lib. II, cap. V. Hi videntes infiquitatem atque ac potentiam Antiochi Epiphanis Syriæ et Judææ dominantis, ejus impietati se conformarunt, ut ab eo opes et honores consequerentur, ac cæteris Judæis præficerentur, fierentque Pontifices et gubernatores, imo Domini Judæorum, nimirum : Vers. 12.

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Sicut ergo pius rex David Judæos fecit pios, sic impius Epiphanes eos fecit impios.

14. DEDIT (Epiphanes) ILLIS POTESTATEM, UT FACERENT JUSTITIAM GENTIUM, — ut scilicet Gentilium ritus et mores, ac præsertim falsam religionem et idololatriam, liberamque libidinem sequerentur, et in Judæam inducerent; unde sequitur : Vers. 14.

15. ET ÆDIFICAVERUNT GYMNASIUM IN JEROSOLYMIS SECUNDUM LEGES NATIONUM, — in quo scilicet adoGymn. Vers. 15.

lescentes discerent non tantum Gentilium fabulas et litteras, uti censent S. Thomas et Lyranus, item digladiari, sagittare, certare cursu, saltu, disco, &c. luctari in palæstra, etc., sed etiam docerentur omnem luxuriam, etiam contra naturam pederasticam et sodomiticam, unde gymnasiis hisce adduntur ephebiæ sive lupanaria, lib. II, cap. IV, vers. 12. Et talia crexere impii reges olim in Juda, quæ effeminatorum vocantur, quibus præerat quasi sacerdotissa et principissa mater Asæ regis Juda, III *Reg.* XV, 12; sed Asa aliique pii reges ea sustulerant, restituit vero Herodes, teste Josepho, libro XIV, cap. IX et libro XV, cap. XI. Disce his quod sicut vera religionis comes est puritas ac castitas; sic falsæ, ac hæreticæ comes est impuritas et libido: certe virginum tam virorum, quam fœminarum agmina, quæ votum Deo castitatem religiose per omnem vitam servant, non nisi in orthodoxa fide reperies.

10. ET FECERUNT SIBI PRÆPUTIA, — id est præputia sibi in circumcisione resecta certis instrumentis et medicamentis attraxerunt, et recrescere fecerunt, ut circumcisionem et Judaismum hoc facto evitarent, et Gentilismum profiterentur; hujus enim rei symbolum erat præputii reductio. Vide dicta I *Corinth.* VII, 18, ad illa : « Non adducat præputium. »

17. ET PARATUM EST REGNUM (Asiæ et Syriæ) IN CONSPECTU ANTIOCHI (Epiphanis); — Seleucus enim Philopater senior frater Epiphanis dolo Heliodori fuit occisus; quare Epiphanes, adjuvantibus Eumene et Attalo vicinis regibus, facile patris regnum solus occupavit. Nec hoc contentus : CŒPIT REGNARE IN TERRA ÆGYPTI, — nam ut sequitur :

18. ET INTRAVIT IN ÆGYPTUM IN MULTITUDINE GRAVI, — id est copiosa, puta numeroso magnoque exercitu. Est enallage; ponitur enim quantitas continua, pro discreta, puta gravis, sive magna pro multa. Sic « musca gravissima » vocatur plurima, *Exodi* VIII, 24. Vide ibi dicta. Porro Antiochus Epiphanes bis intravit in Ægyptum, simulans se velle adjuvare Ptolemæum Philometorem suum ex Cleopatra sorore nepotem et puerum, sed revera ea mente, ut excluso nepote ipse regnum Ægypti suo regno Asiæ adjiceret. *Primo*, intravit anno secundo regni sui, de quo agitur II *Machab.* IV, 21. *Secundo*, anno sexto regni sui, qui fuit Græcorum 142, de quo hic agitur; nam anno sequenti 143 ex Ægypto ascendit in Israel, ut dicitur vers. 21.

23. ET INGRESSUS EST SANCTIFICATIONEM, — id est sanctuarium, puta templum Judæis sanctissimum, indeque sacrilege abstulit ALTARE AUREUM, id est altare thymiamatis; ET MENSAM AUREAM, in qua 12 tribus Deo offerebant 12 panes PROPOSITIONIS, ET LIBATORIA, — id est cyathos, crateres, aliaque vasa, quibus vinum, oleum, sanguis victimarum Deo libabatur, id est ad coram altaris effundebatur.

25. ET FECIT CÆDEM HOMINUM, nimirum, — ut dicitur II *Mach.* V, 12 : « Fiebant cædes juvenum, ac seniorum et mulierum, et natorum exterminia virginumque et parvulorum neces. Erant autem toto triduo 80 millia interfecti, 40 millia vinc[t]a, non minus autem venundati. » Causa fuit, quod Romani jusserint Antiochum Epiphanem ex Ægypto excedere, ac Ptolemæo Philometori regi amico illam liberam relinquere; Publius enim Popilius Lenas Legatus Romanus qui Romæ Antiocho Epiphani familiaris fuerat, navibus appulsus Alexandriam, Antiochum virga circumscribens circulo in arena illi dixit : « Senatus populusque Romanus præcipiunt ut Ægypto recedas, nec pugnes in Ptolemæos, et isto in loco respondeas quid consilii geras : an pacem, an bellum captas. » Quibus ille perterritus ait : « Si hoc placet Romanis, recedendum est. » Itaque statim movit exercitum. Ita Josephus, lib. XII *Antiq.* cap. VI. Livius, lib. V, *decad.* 5. Applanus *in Syriaco*, Justinus et alii. Quare tunc frendens Antiochus castra movit in vicinos Judæos, in eosque suam indignationem et furorem effudit.

ET LOCUTUS EST IN SUPERBIA MAGNA, — jactans se, quasi esset Deus quidam terrestris, cui omnes obedire deberent, et cui nemo resistere posset, uti faciet ejus antitypus Antichristus. Vide dicta *Daniel.* II, 36.

27. ET SPECIOSITAS MULIERUM IMMUTATA EST, — tum quia ipsæ depositis vestibus speciosis in communi luctu lugubres, id est nigras et squalidas induerunt; tum quia timor, mœror et angor faciebat eas pallidas et luridas. Sic in Chaldæorum clade ait Jeremias *Thren.* I, *De virginibus* : « Egressus est a filia Sion omnis decor ejus; » *De adolescentibus*, cap. IV, 2 : « Filii Sion inclyti, et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea; » et vers. 7 *De Nazaræis* : « Candidiores Nazarei nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores; denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis. »

29. ET COMMOTA EST TERRA, Judæa perculsa et concussa fuit ingenti terrore, mœrore et angore, SUPER HABITANTES IN EA, — scilicet propter incolas Judæos ab Antiocho occisos, captos et venditos.

30. ET POST DUOS ANNOS DIERUM, id est, post duos integros annos omnibus suis diebus plane expletos, ita ut insuper aliquot dies excurrerent, Antiochus Epiphanes MISIT PRINCIPEM TRIBUTORUM, — quem ipse colligendis tributis præfecerat, nomine Apollonium ad Judæos non tantum spoliandos, sed et jugulandos, ut dicitur II *Machab.* V, 24, qui præterea.

33. SUCCENDIT EAM (Jerosolymam jam a se spoliatam) IGNI, ET DETRAXIT DOMOS ET MUROS EJUS IN CIRCUITU, — ne Antiocho rebellare posset.

35. ET ÆDIFICAVERUNT CIVITATEM DAVID, — scilicet arcem Sion, quæ toti urbi subjacenti quasi rupes, vel turris dominabatur, MURO MAGNO (alto) ET FIRMO.

36. ET POSUERUNT ILLIC GENTEM PECCATRICEM, —

scilicet milites rapaces, homicidas et scelerates, qui Judæos deriperent, vincirent, mactarent.

38. ET FACTUM EST HOC AD INSIDIAS SANCTIFICATIONI, — id est sanctuario, sive templo, ut scilicet insidiarentur Judæis euntibus ad templum sacrificii, vel orationis causa, ac erumpentes ex arce in eos irruerent, eosque spoliarent, caperent, vulnerarent. Volebat enim Antiochus abolere Dei veri cultum, ac Judæos compellere ad adorandum sua idola, ideoque imaginem Jovis Olympii collocarat in templo.

ET IN DIABOLUM MALUM IN ISRAEL, — TUM quia milites hi erant diaboli, id est calumniatores; calumniabantur enim euntes ad templum, quasi illud contra Antiochum munire vellent; tum quia ipsi quasi dæmones eos expilabant, verberabant, laniabant, adeo ut ipsum templum cæsorum sanguine implerent et polluerent; tum denique quia eos a cultu Dei ad cultum Jovis, id est diaboli compellebant, simulque ad scortandum in lupanaribus templo adjectis invitabant; quod erat opus plane diabolicum.

43. ET SCRIPSIT REX ANTIOCHUS decretum, quo præcipiebat UT OMNIS POPULUS ESSET UNUS, id est uniformis in fide et religione, ut scilicet omnes sibi subditi unirentur sibi in eadem superstitione et idololatria, sicut uniebantur in eodem regno, ideoque UT RELINQUERET UNUSQUISQUE LEGEM SUAM, — nimirum ut Judæi relinquerent legem et cultum Dei sui datam per Mosen, et capesserent legem et cultum Antiochi.

Expedit ut in uno regno una sit religio, sed vera et orthodoxa. Nam si falsa sit, expedit esse plures, ut vera ex falsarum varietate emicet et agnoscatur, uti alebat Cardinalis Ilosius.

45. ET MULTI EX ISRAEL CONSENSERUNT SERVITUTI EJUS. — Græce τῇ λατρείᾳ, id est latriæ, sive sacræ ejus servituti, cultui et adorationi, ut scilicet non alium Deum colerent latria, nec alteri Deo servirent, quam Deo Antiochi regis sui, puta Jovi Olympio, ipsique Antiocho. Ipse enim una cum Jove volebat coli ut Deus.

46. ET MISIT REX LIBROS, — id est litteras et epistolas. Has enim significat Hebræum *sepher*, id est liber.

49. ET MISIT decreta, quibus jussit COINQUINARI SANCTA, id est violari et profanari sanctum templum, sanctaque ejus sacrificia, ritus, sabbata, festa, etc. ET SANCTUM POPULUM ISRAEL, — ut abjecta sancta fide et lege Dei pollueret se sacrilegis victimis et superstitionibus gentium, et idolorum; unde explicans subdit :

50. IMMOLARI CARNES SUILLAS, id est sues et porcos lege Mosi immundos, ideoque comedi et immolari vetitos; ET PECORA COMMUNIA, id est immunda; quæ enim immunda sunt, gentibus erant communia; quæ vero munda, Judæis peculiaria et propria *Levit.* II. Hinc Deus volens S. Petrum convertere Cornelium et gentes immundas ad Christum, per visum jussit ei immunda animalia comedere, dicens : « Quod Deus purificavit, tu commune, id est immundum, ne dixeris. » *Actor.* X, 15.

51. ET INMUTARENT OMNES JUSTIFICATIONES DEI, id est violarent omnes Dei sanctiones et leg hæ enim vocantur justitiæ et justificationes, q præscribunt id quod æquum et justum est.

52. ET CONGREGATI SUNT MULTI DE POPULO AD EOS [illegible] QUI DERELIQUERUNT LEGEM DOMINI, — ad apostatas cum eis apostatando a lege Dei, puta ad Jasonem, Alcimum, Menelaum, cæterosque Apostasiæ duces.

56. ET EFFUGAVERUNT DE POPULO ISRAEL, — EOS qui apostatare nolebant; sed in vera Dei lege, cultuque constanter perseverabant, ut cogerentur fugere ad antra et speluncas, ibique se abdere.

57. DIE QUINTA DECIMA MENSIS CASLEU (qui nostro [illegible] novembri respondet) ÆDIFICAVIT (et collocavit) SUPER ALTARE DEI in templo Jerosolymitano, ABOMINANDUM IDOLUM DESOLATIONIS — Jovis Olympii, quod futurum erat causa omnis calamitatis et desolationis, uti prædixerat Daniel cap. IX, 11.

61. IN VIRTUTE SUA (Græce ἐν ἰσχύϊ, id est vi et robore suo, hoc est violenter) FACIEBANT satellites Antiochi HÆC POPULO ISRAEL, QUI INVENIEBATUR IN OMNI MENSE ET MENSE, id est quolibet mense, IN CIVITATIBUS, — per mensem intellige Neomeniam, sive primum diem mensis, qui Judæis erat solemnis et quasi sacer; unde tunc ex pagis et villis confluebant in urbem audituri Dei legem, sicut accolæ Romæ eodem die consuluntur Romam, indeque Calendæ sunt dictæ, ut ostendit *Levit.* XXVIII, 11. Sensus est, q. d. Milites Antiochi observabant eos qui Neomeniam ex lege Mosis observabant, eosque male multabant, imo mactabant. Atque ut Neomeniam, id est solemnitatem primæ diei mensis abolerent, ipsi.

62. QUINTA ET VIGESIMA DIE MENSIS SACRIFICABANT SUPER ARAM, a se Jovi Olympio erectam, QUÆ ERAT CONTRA ALTARE — holocaustorum, Deo dicatum in templo Jerosolymitano. In hac ergo ara non tantum Jovi, sed et ipsi Antiocho, quasi Deo sacrificabant. Ipse enim voluit coli ut Deus, uti prædixit Daniel cap. XI, 36; ideoque typus fuit Antichristi. Nolebant idololatræ sacrificare in altari Dei, ne viderentur Deo Hebræorum sacrificare; et ut illud quasi profanum populo facerent abominabile, unde et in eodem collocarunt statuam Jovis Olympii, coram qua in ara vicina ab eisdem Jovi erecta sacrificabant.

65. ET ELEGERUNT MAGIS MORI, et varie EXCRUCIARI, QUAM CIBIS COINQUINARI IMMUNDIS, — quam comedere carnem porcinam, similesque *Levit.* XI vetitas, uti idcirco excruciatus fuit Eleazarus et septem fratres Machabæi, II *Machab.* VII. Hi ergo omnes gloriosi fuere illo prisco rudique sæculo martyres. Audi Josephum, lib. XII, cap. VII : « Quamobrem quotidie necabantur excruciati tormentis crudelissimis, flagris etiam cæsi et lacerati corpora, vivi adhuc et spirantes suffigebantur

crucibus; uxores autem eorum, et circumcisos liberos strangulabant juxta mandatum regium, et suspendebant a crucifixorum parentum cervibus. » Hoc est, quod prædixit Daniel. XI 33 et 45 : « Et de eruditis ruent, ut conflentur, et eligantur, et dealbentur usque ad tempus præfinitum. »

67. ET FACTA EST IRA MAGNA DEI SUPER POPULUM VALDE, — *q. d.* Deus, indignans Judæis ob eorum scelera, permisit eos tam atrociter affligi ab Antiocho.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Mathathias opponit se Antiocho; mox, vers. 23, Judæum idolis immolantem, æque ac præfectum Antiochi ad id cogentem occidit, exclamans : « Omnis qui habet zelum, exeat post me. » Fugit ergo cum se sequentibus in montes; qui vers. 37, sabbatis inermi simul se occidi; mox ne omnes interirent, armis se defendunt. Tertio, vers. 44, Mathathias colligit exercitum, et fidem patriamque propugnat; mox moriturus, filios cæterosque ad idem et ad zelum legis cohortatur, eisque Judam filium in belli Ducem assignat.

1. In diebus illis surrexit Mathathias filius Joannis, filii Simeonis, sacerdos ex filiis Joarib ab Jerusalem, et concedit in monte Modin; 2. et habebat filios quinque Joannem, qui cognominabatur Gaddis; 3. et Simonem, qui cognominabatur Thasi; 4. et Judam, qui vocabatur Machabæus : 5. et Eleazarum, qui cognominabatur Abaron; et Jonathan, qui cognominabatur Apphus. 6. Et viderunt mala quæ fiebant in populo Juda, et in Jerusalem. 7. Et dixit Mathathias : Væ mihi! ut quid natus sum videre contritionem populi mei, et contritionem civitatis sanctæ, et sedere illic, cum datur in manibus inimicorum? 8. Sancta in manu extraneorum facta sunt; templum ejus sicut homo ignobilis. 9. Vasa gloriæ ejus captiva abducta sunt; trucidati sunt senes ejus in plateis, et juvenes ejus ceciderunt in gladio inimicorum. 10. Quæ gens non hæreditavit regnum ejus, et non obtinuit spolia ejus? 11. Omnis compositio ejus ablata est. Quæ erat libera, facta est ancilla. 12. Et ecce sancta nostra, et pulchritudo nostra, et claritas nostra, desolata est, et coinquinaverunt ea Gentes. 13. Quo ergo nobis adhuc vivere? 14. Et scidit vestimenta sua Mathathias, et filii ejus; et operuerunt se ciliciis, et planxerunt valde. 15. Et venerunt illuc qui missi erant a rege Antiocho, ut cogerent eos qui confugerant in civitatem Modin, immolare et accendere thura, et a lege Dei discedere. 16. Et multi de populo Israel consentientes accesserunt ad eos; sed Mathathias, et filii ejus constanter steterunt. 17. Et respondentes qui missi erant ab Antiocho, dixerunt Mathathiæ : Princeps et clarissimus et magnus es in hac civitate, et ornatus filiis et fratribus. 18. Ergo accede prior, et fac jussum regis, sicut fecerunt omnes Gentes, et viri Juda, et qui remanserunt in Jerusalem; et eris tu, et filii tui inter amicos regis, et amplificatus auro et argento, et muneribus multis. 19. Et respondit Mathathias, et dixit magna voce : Et si omnes Gentes regi Antiocho obediunt, ut discedat unusquisque a servitute legis patrum suorum, et consentiat mandatis ejus; 20. ego et filii mei, et fratres mei, obediemus legi patrum nostrorum. 21. Propitius sit nobis Deus : non est nobis utile relinquere legem et justitias Dei. 22. Non audiemus verba regis Antiochi, nec sacrificabimus transgredientes legis nostræ mandata, ut eamus altera via. 23. Et ut cessavit loqui verba hæc, accessit quidam Judæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in civitate Modin, secundum jussum regis, 24. et vidit Mathathias, et doluit, et contremuerunt renes ejus, et accensus est furor ejus secundum judicium legis, et insiliens trucidavit eum super aram; 25. sed et virum quem rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, et aram destruxit. 26. Et zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zamri filio Salomi. 27. Et exclamavit Mathathias voce magna in civitate, dicens : Omnis, qui zelum habet legis

statuens testamentum, exeat post me. 28. Et fugit ipse, et filii ejus in montes, et reliquerunt quæcumque habebant in civitate. 29. Tunc descenderunt multi quærentes judicium et justitiam, in desertum; 30. et sederunt ibi ipsi, et filii eorum, et mulieres eorum, et pecora eorum; quoniam inundaverunt super eos mala. 31. Et renuntiatum est viris regis, et exercitui qui erat in Jerusalem civitate David, quoniam discessissent viri quidam, qui dissipaverunt mandatum regis, in loca occulta in deserto, et abiissent post illos multi. 32. Et statim perrexerunt ad eos, et constituerunt adversus eos prælium in die sabbatorum, 33. et dixerunt ad eos : Resistitis et nunc adhuc? exite, et facite secundum verbum regis Antiochi, et vivetis. 34. Et dixerunt : Non exibimus, neque faciemus verbum regis, ut polluamus diem sabbatorum. 35. Et concitaverunt adversus eos prælium. 36. Et non responderunt eis, nec lapidem miserunt in eos, nec oppilaverunt loca occulta, 37. dicentes : Moriamur omnes in simplicitate nostra; et testes erunt super nos cœlum et terra, quod injuste perditis nos. 38. Et intulerunt illis bellum sabbatis; et mortui sunt ipsi, et uxores eorum, et filii eorum, et pecora eorum, usque ad mille animas hominum. 39. Et cognovit Mathathias, et amici ejus, et luctum habuerunt super eos valde. 40. Et dixit vir proximo suo : Si omnes fecerimus sicut fratres nostri fecerunt, et non pugnaverimus adversus gentes pro animabus nostris, et justificationibus nostris, nunc citius disperdent nos a terra. 41. Et cogitaverunt in die illa, dicentes : Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die sabbatorum, pugnemus adversus eum; et non moriemur omnes, sicut mortui sunt fratres nostri in occultis. 42. Tunc congregata est ad eos synagoga Assidæorum fortis viribus ex Israel, omnis voluntarius in lege; 43. et omnes, qui fugiebant a malis, additi sunt ad eos, et facti sunt illis ad firmamentum. 44. et collegerunt exercitum, et percusserunt peccatores in ira sua, et viros iniquos in indignatione sua; et cæteri fugerunt ad nationes, ut evaderent. 45. Et circuivit Mathathias, et amici ejus, et destruxerunt aras; 46. et circumciderunt pueros incircumcisos quotquot invenerunt in finibus Israel, et in fortitudine. 47. Et persecuti sunt filios superbiæ, et prosperatum est opus in manibus eorum; 48. et obtinuerunt legem de manibus gentium, et de manibus regum; et non dederunt cornu peccatori. 49. Et appropinquaverunt dies Mathathiæ, moriendi, et dixit filiis suis : Nunc confortata est superbia, et castigatio, et tempus eversionis, et ira indignationis. 50. Nunc ergo, o filii, æmulatores estote legis, et date animas vestras pro testamento patrum vestrorum, 51. et mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis; et accipietis gloriam magnam, et nomen æternum. 52. Abraham nonne in tentatione inventus est fidelis, et reputatum est ei ad justitiam? 53. Joseph in tempore angustiæ suæ custodivit mandatum, et factus est Dominus Ægypti. 54. Phinees pater noster zelando zelum Dei accepit testamentum sacerdotii æterni. 55. Jesus, dum implevit verbum, factus est dux in Israel. 56. Caleb, dum testificatur in ecclesia, accepit hæreditatem. 57. David in sua misericordia consecutus est sedem regni in sæcula. 58. Elias, dum zelat zelum legis, receptus est in cœlum. 59. Ananias et Azarias et Misael credentes, liberati sunt de flamma. 60. Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum. 61. Et ita cogitate per generationem et generationem; quia omnes qui sperant in eum, non infirmantur. 62. Et a verbis viri peccatoris ne timueritis; quia gloria ejus stercus et vermis est; 63. hodie extollitur, et cras non invenietur; quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus periit. 64. Vos ergo filii, confortamini et viriliter agite in lege; quia in ipsa gloriosi eritis. 65. Et ecce Simon frater vester, scio quod vir consilii est; ipsum audite semper, et ipse erit vobis pater. 66. Et Judas Machabæus, fortis viribus a juventute sua, sit vobis princeps militiæ, et ipse aget bellum populi. 67. Et adducetis ad vos omnes factores legis; et vindicate vindictam populi vestri. 68. Retribuite retributionem Gentibus, et intendite in præceptum legis. 69. Et benedixit eos, et appositus est ad patres suos. 70. Et defunctus est anno centesimo et quadragesimo sexto; et

sepultus est a filiis suis in sepulcris patrum suorum in Modin, et planxerunt eum omnis Israel planctu magno.

Acta I. 1. IN DIEBUS ILLIS SURREXIT MATHATHIAS, — sive per crasin « Mathias, » uti eum vocat Josephus et Theodoretus : quod nomen Hebraice significat donum Dei, ac proinde idem est, quod Græce Theodosius, Theodorus, vel inverse Dorotheus, ac Latine Adeodatus; magno enim dono hic vir a Deo datus fuit, dux Israeli ad resistendum Antiocho.

Qualis Mathathias, et unde.

Quæres : Quis et qualis fuit Mathathias? Respondeo fuisse ex tribu Levi sacerdotem primæ classis, puta ex stirpe Joarib, quæ fuit similibus sacerdotalibus primo ponitur, I *Paral.* cap. XXIV. 7. Porro Mathathias hic a Deo eum diligente, *Israelfinitque* et populo approximante, Deus est Pontifex et dux, vindexque populi contra omnem hostem Antiochum ; nam post reditum e captivitate Josua Cyri, Darii et Artaxerxis eidem fuere Pontifices et Duces populi, teste Josepho, lib XI, cap. IV. Idem liquet I *Esdræ* cap. VII, 25 et 26, et II *Esdræ* IX, 30. Esto enim Mathathias non esset primogenitus ex stirpe proxima Pontificum, tamen filii deficiente, ad eum quasi primo classis sacerdotem devolvebatur Pontificatus. Nam omnes fortiter, ceremoniis Sanctus, jam erat interfectus anno 5 Antiochi, qui erat 143 Græcorum. Onias vero filius, scilicet Onias junior, profugerat in Ægyptum, ac Heliopoli factus erat Pontifex novi templi, quod ab eo dictum est Onion. Jasem autem frater Oniæ, factus apostata, cæteros apostatare et ad Gentilismum transire cogebat. Quare ad Mathathiam spectabat expessere Pontificatum et Ducatum populi, ut religionem atque ac rempublicam in extremum periculum ab Antiocho adductam tueretur et propugnaret. Præsertim cum non esset alius, qui id auderet, sed omnes metu Antiochi vel latuerit et tacerent, vel diffugerent. Ipsum ergo Deus excitavit, animosque illi addidit ad id audiendum, ut Dei fidem et cultum et patriæ salutem conservaret. Fecit hoc ipse dolo Antiochi nono, qui fuit Græcorum 143. Onocritus Chaldæus, *Cæsar.* II, 6, Josephus et Joseph. Pontifex. pus, Abon-Ezra et Hebræi Mathathiam vocant eximium Sacerdotem, sive Pontificem, idque tum ex designatione Dei, tum ex electione populi, tum ex jure successionis et propinquitatis, uti dixi. Ita Abulensis in cap. XX *Levit.*, quæst. XXV. Serarius, Sigonius, Severus Sulpitius, Tornielius, Genebrardus quos citat et sequitur Salianus. Hinc Mathathias Phinees Pontificem vocat patrem suum : ergo ex Pontifice progenitus, cæteris deficientibus, jus ei sacerdotii habebat. Phinees vero mensibus fuit Pontifex et dux, quia eodem anno mortuus, sibi successorem Pontificem et Ducem designavit filium suum Judam Machabæum.

2. ET HABEBAT FILIOS QUINQUE, JOANNEM, QUI COGNOMINABATUR GADDIS. — Gaddis, id est acervus, vel cumulus frugum, *q. d.* Abundius, vel Abundantius : quo nomine vocati sunt martyres duo sub Diocletiano, quorum sacra lipsana sub Gregorio XIII Pont. solemni pompa translata fuere ad domum professam Societatis Jesu Romæ.

3. ET SIMONEM QUI CO GNOMINABATUR THASI, — id est *hircus* : תיש *thais* enim est hircus, vel *exsecutor*, a radice תוש *tasas*, id est exscindere.

4. ET JUDAM QUI VOCABATUR MACHABÆUS. — Etymon Machabæi in Procemio dedi. Hoc cognomen primo datum fuit Judæ, et ab eo cæteri fratres et socii vocati sunt Machabæi, ut ex hoc loco liquet. Et *prolepsis*, sive anticipatio ; Judæ enim hoc cognomen inditum est, non a puero, sed postea, cum ipse vexillis suis inscripsit nomen *Machabi*, ut dixi in Procemio. Sic Antiochi postea a factis et victoriis cognominati sunt Soteres, Epiphanes, Cerauni, Gallici, Nicanores ; et Ptolemæi vocati sunt Eupatores, Philadelphi, Philometores, Evergetes, etc.

5. ET ELEAZARUM QUI COGNOMINABATUR ABARON, — id est *fortis* ; אחר *abbir* enim est potens, fortis.

ET JONATHAM QUI COGNOMINABATUR APPHUS, — id est, *tra consilii*, vel *rebus consultans* ; forte quod natura ardens et cholericus esset, ideoque celeris ingenii, velocisque consilii, quod in bellis utilissimum est. Ita Pagninus *in nom. Hebr.*

7. VÆ MIHI! — Planctus hic Mathathiæ de vastatione templi et Jerosolymæ proceps sit ex zelo religionis, quo ardebat. Similis fuit zelus et planctus Jeremiæ ob excisam Jerusalem in *Threnis*, et *Jeremiæ* XX.

8. UBIFLUIT EJUS SICUT HOMO IGNOMINIS, — id est vilis, pauper, rusticus, imo stultus, fatuus et morio, quem omnes impune irrident, calcant, vellunt, verberant, Ita Sanchez. Sic enim satellites Antiochi Epiphanis ridebant, calcabant, spoliabant, vellebant templum, Sacerdotes, Levitas, cæteroque Judæos, quos cogebant quasi ebrios et stultos in honorem Bacchi hedera coronari, saltare et bacchari, lib. II. cap. VI.

10. QUÆ GENS NON HÆREDITAVIT REGNUM EJUS. — Græcis enim Antiochi millibus permixti erant Chaldæi, Persæ, Medi, Assyrii, etc. ac Ammonitæ, Moabitæ, Philisthæi Arabes, Idumæi, Olitant duorum hostes, qui dum viderent eos ab Antiocho adeo divexari, accurrebant, ut eum adjuvarent, et Judæos spoliarent, malique multarent.

13. QUO MODO N. ESSE ADHUC VIVERE ; — vita enim in tot certaminis long, solius est mors, quam vita, ut ait N. Gregorius. Et ut ait Tragœdus : « Mortis habet vices, cum lentis trahitur vita gemitibus. » Sic Anchises :

Abnegat excisa vitam producere Troja, *Æneid.* I

et alii post Trojam captam infelices exclamant, *Æneid.* I :

O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum Trojæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere! O Danaum fortissime gentis
Tydide, mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse! nuque animam hanc effundere dextra?

21. PROPITIUS SIT NOBIS DEUS, — *q. d.* Deus nobis hanc faciat gratiam, ut tantum malum, tantumque nefas et scelus apostasiæ et idololatriæ a nobis avertat. Unde Septuaginta vertunt : « Ne permittat nobis Deus. » Alii : « Prohibeat hoc Deus ; » hæc enim phrasi utuntur Hebræi, cum aliquid valde abominantur et exsecrantur.

24. ET CONTRACLERUNT RENES EJUS. — Per renes synecdochice intelligentur hic viscera : renes enim sunt sedes concupiscentiæ, ira animositatis et audaciæ, ac amoris, fel iræ et furoris, *q. d.* viscera Mathathiæ commota sunt partim commiseratione et dolore legis violatæ, partim ardore et zelo eam propugnandi, partim ira et furore ejus violatores prosequendi et occidendi, ut re ipsa occidit Judæum idololatrantem, et Antiochi Legatum ad id cogentem. Unde sequitur :

ET ACCENSUS EST FUROR SECUNDUM JUDICIUM (id est decretum) LEGIS, — quæ *Deut.* XII, 6, jubet occidi eum qui alios a patria religione, Deique cultu abducit, uti faciebat hic Judæus Jovi sacrificans, quem proinde Mathathias occidit. Hoc enim eum agebat zelus honoris Dei :

Et iratis agitatus numine, et conscia virtus.

Moraliter. Iræ et zeli in divinis.

Moraliter discе hic quam atrocis sit zelus, ut instar ignis omnia superet et consumat. Audi S. Ambrosium in *Ps.* CXVIII, Octon. 18, ad illa : « Zelus domus tuæ devoravit me. Et Phinees sacerdos erat et nepos sacerdotis et filius sacerdotis. Bonus zelus et utilis in sacerdote, præcipue ne negligamus, ne remissus sit. Medius est ut nolus aut duorum damnatione plurimi liberentur, quam duorum absolutione plures periclitentur. » Et paulo post : « Zelus Dei vita est, zelum habuit Elias, et ideo raptus ad cælum est. Zelans, ait, zelavi Dominum. Zelum habuit Mathathias bar Joannis, qui adversus sacrilegia Antiochi excitavit Dei plebem. Zelum qui habent, omnes sibi inimicos suos putant, qui sunt hostes Dei, quamvis patrem, fratres, sorores. Omnibus dicit : Inimici facti sunt mihi ; sicut David ait. » Et nonnullis interjectis : « Zelus ergo charitas est. Denique valida est, sicut mors charitas, durus sicut inferi zelus. Durus zelus, quem vitæ hujus nulla vincit illecebra. Durus sicut inferi, per quem peccato morimur, ut vivamus Deo. Angeli quoque sine zelo nihil sunt, et substantiæ suæ amittunt prærogativam, nisi eam zeli ardore sustentent. » Unde post pauca concludit : « Et quid miremur, si Angeli eum habent? Ipse Deus pater ait : Zelans zelabo Jerusalem zelo magno ; quia Deus magnus, ideo et zelus ejus magnus est, et pro uniuscujusque potentiæ qualitate, ita et zelus, aut mediocris, aut magnus est. Zelo vindicatur Jerusalem, zelo Ecclesia congregatur, zelo fides acquiritur, zelo pudicitia possidetur. Dominus quoque Jesus ait : Zelus domus tuæ comedit me; increpans Judæos, quod domum orationis fecerint speluncam latronum, fecerint et domum negotiationis.

23. SED ET VIRUM, QUEM REX ANTIOCHUS MISERAT, QUI COGEBAT IDOLOLATRE, OCCIDIT. — Josephus, lib. XII, cap. VIII, virum hunc vocat Apellem. Idem tamen, lib. I *De bello* cap. I, enim vocat Bacchidem, addiitque filios Mathathiæ patrem in hac cæde adjuvisse; cæsos enim esse eum Apelle milites ipsius. Juro hoc fecit Mathathias instantia Deo, tanquam judex et vindex Israelis, atque ac religionis, Deique cultus, adeoque hoc facto Pontificatum et ducatum suum iniit et consecravit, eque ac Elias, ducem fidei se fecit occidendo sacerdotes Baal, III *Reg.* XVIII; et Moses cum Levitis occidendo adoratores vituli aurei, *Exodi* XXXII, quibus proinde ipse ait : « Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, et in fratre suo, ut detur vobis benedictio. » Ac Phinees occidens Principem Priapo sacrificantem, *Num.* XXV ; vide ibi dicta. Sic de blasphemante censuit, aitque S. Chrysostomus : « Si quempiam Deum blasphemantem audieris, accede, increpa: et si verbera infligere oporteat, non recuses, ipsius faciem alapa perente, contere os ipsius, percussione manum tuam sacrifica. » Nimirum « zelus purgat facinus, » imo illud sanctificat et sacrificat, facitque quasi holocaustum, quod offert justitiæ et vindictæ divinæ in odorem suavitatis.

Mira fuit Mathathiæ in hac cæde animositas, fortitudo, audacia, qua ipse pene solus regi potenti, superbo et crudeli sese opposuit, ac cæteros ad opponendum sese impulit, fortunas suas, familiam, liberos, famam et vitam generose pro Deo, pro fide, pro patria disrimini objiciens. Fuit ergo ipse Heros inclytus, ac quinque filios Heroes effecit, dum eos in aciem contra tyrannum eduxit : sed fides et spes in Deum eum animabat, et periculis omnibus superiorem efficiebat, ut quasi leo cum quinque suis leunculis hostes omnes contereret.

27. ET EXCLAMAVIT, etc. : OMNIS QUI ZELUM HABET LEGIS, STATUENS TESTAMENTUM, — salagens ut in suo vigore stet testamentum, id est, fœdus cum Deo initum, *q. d.* Qui salvam vult religionem et Rempublicam, « exeat post me, » me ducem sequatur. Classicum hic canit Mathathias, eoque omnes convocat ad bellum sacrum, ut in eo, vel fortiter vincant, vel generose pro Deo, fide et patria occumbant. Sic Romæ C. Marius Sylla Rempublicam invadenti se opponens exclamavit :

« Qui salvam vult Rempublicam me sequatur » (quæ verba etiamnum Romæ portæ Angelicæ, quia ipse egressus est superliminari lapideo undecimo ab hinc lapide litteris insculpta legimus). Quo dicto in vicinum montem Marius exiens, copias collegit. Idem exclamavit Scipio post cladem apud Cannas acceptam; et Nasica ex Capitolio contra Gracchum, teste Livio, Paterculo et Valerio Maximo, lib. III, cap. 2; ac diu post, Narses sub Justino imperatore Gallis se objiciens, teste Agathia, lib. II. Denique Servius in lib. VIII *Æneid.* : « Si esset, ait, tumultus, id est, ex periculi vicinitate timor multus, quia singulos milites interrogare non vacabat, qui erat ductarus exercitum ibi ad Capitolium, et inde proferens duo vexilla, unum roseum, quod pedites evocabat, et alterum cæruleum, quod erat equitum insigne, dicebat : Qui rempublicam salvam esse vult, me sequatur. »

28. ET FUGIT IPSE ET FILII EJUS — ex Jerusalem, ubi quasi sacerdos degebat, ad Judæum in altari idolis sacrificantem ecciderat; « in montes inter feras vitam agentes, et tanti cibo vescentes, ne participes essent coinquinationis, » ut dicitur lib. II, cap. V, 27. Victitabant ergo herbis, lacte pecorum, cibo a vicinis submisso et prædis hostium.

29. TUNC DESCENDERUNT MULTI QUÆRENTES JUDICIUM ET JUSTITIAM, — hoc est, quærentes a Mathathia id quod æquum et justum erat, quid, scilicet, tali articulo urgentis persecutionis facere oporteret, nimirum pati exilium, famem, frigus, nuditatem, vulnera et acerba quæque, ipsamque mortem, potius quam tyranno cedere, et a Deo ejusque lege et cultu ad idola apostatare.

37. MORIAMUR OMNES IN SIMPLICITATE NOSTRA, — in simplici observatione sabbati, ut eo die plenam observemus quietem a Deo præscriptam, adeo ut in eo non pugnemus, imo contra invadentes nos non defendamus, sed sinamus nos, quasi agnos simplices et innocentes occidi. Dixerunt hoc non ex superstitione, nec ex imprudentia, ut volunt Novantes, sed ex studio perfectæ religionis. Sabbati enim summa erat apud Judæos religio. Quare licet jure potuissent eo die pugnare et se defendere, tamen ex zelo religionis maluerunt se offerre morti, quam cultum et quietem sabbati per speciem et umbram duntaxat violare, quia hac ratione evadebant martyres: martyrium autem est actus nobilissimus, ideoque longe nobilior pugna et vita. Idem fecere Judæi invasi a Ptolemæo Lagi, et postea a Mithridate, uti narrat Josephus lib. XII, cap. I, et lib. XVIII, cap. ult., quos a pietate et religione laudat S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. XL. Sic Legio Thebæorum, duce S. Mauritio, potuisset resistere Maximiano imperatori; sed noluit, ac projectis armis permisit se instar ovium occidi, quia legionarii fideles malebant esse martyres, quam milites. Sic Carthusiani ex voto abstinent carnibus, ut malint mori, quam vesci carnibus, etiam ubi medicus eas judicat necessarias ad sanitatem et vitam conservandam. Nam religio et observantia regularis potior est sanitate et vita.

39. ET COGNOVIT MATHATHIAS. — Hic quasi Pontifex interpretatus est legem sabbbati tali casu, quo scilicet quis invaditur ab hoste non obstare, dixitque satius esse pugnare pro Deo et lege, ne omnis Dei populus interficeretur : itaque Ecclesia et Dei cultus periret. Unde hoc ejus responsum ceteri secuti, statuerunt die sabbati invadentes se armis repellere, ut patet versu 41.

42. TUNC CONGREGATA EST AD EOS SYNAGOGA ASSIDÆORUM (male nonnulli legunt « Judæorum »,) FORTIS VIRIBUS EX ISRAEL, OMNIS VOLUNTARIUS IN LEGE.

Quæres quinam sint Assidæi. Respondent *primo* Hugo, Lyranus, Dionysius, Glossa ac S. Thomas in cap. XIV, Assidæos dictos ab assiduitate, quasi assiduos in Dei cultu. Verum *Assidæi* est vox Hebræa; quare habet etymon Hebræum, non Latinum. *Secundo*, Serarius in cap. VII, Josephus, Stephanus hic in Prœmio p. 5, Genebrardus, Torniellus, Salianus et Delrio *in Adagialibus*, cap. X, XXX, censent Assidæos esse Essenos, aut Essenorum affines, et ejusdem cum Essenis instituti et professionis. Verum obstat *primo*, quod tunc necdum erant Esseni. Illi enim paulo ante Christum exorti sunt, uti docet Baronius. *Secundo*, quod Esseni non erant fortes viribus, quia abstinentia et jejuniis quotidianis vires enervabant. *Tertio*, quod Esseni soli Deo vacabant per orationem, lectionem et contemplationem. Unde : « Apud eos, ait Philo, lib. *De Essenis*, nemo tela, gladios, galeas, thoraces, scuta fabricat, nec machinas, nec aliud quidquam bello utile. » Assidæi autem his abundabant, utpote non choro, ut Esseni, sed bello addicti. Vide quæ de Essenis dixi *Actor.* IV, 2. Dico ergo Assidæos fuisse milites belli sacri, qui scilicet pro lege et Synagoga nomen dabant militiæ sacræ, quales postea fuere milites templi, ac nunc sunt Ordines militares equitum Melitensium, S. Joannis, S. Stephani, Teutonicorum et similium, qui pro Ecclesia Dei contra Turcas, Saracenos et hæreticos generose depugnant. Cum enim Antiochus sataget evertere Dei legem, templum et Synagogam, Deus excitavit Assidæos, qui se militiæ sacræ devoverent, ac pro templi legisque tutela pugnarent, sequo omnibus belli periculis ultro offerrent. Id ita esse patet *primo* ex voce « Synagoga, » id est cœtus, collectio, congregatio militum pro Synagoga tuenda. *Secundo*, ex voce « fortis viribus. » *Tertio*, ex voce « voluntarius in lege, » qui scilicet voluntarie ex zelo legem defenderet et propugnaret. Quare Assidæi junxerunt se Judæ Machabæo, quasi duci belli sacri, ac ejus præcipui fuere milites, per quos tot tantasque obtinuit victorias. Id patet ex lib. II, XIV, 6. « Ipsi, inquit, qui dicuntur Assidæi Judæorum, quibus præest Judas Machabæus, bella nutriunt et seditiones

Assidæi quinam? Resp. Primo.

movent, nec patiuntur regnum esse quietum. » Sunt hæc verba hostium, qui Assidæos quasi seditiosos accusabant apud Demetrium regem. Et ex cap. VII, 12, ubi Assidæi, quasi primi cum congregatione scribarum tractant de pace communi cum Bacchide et Alcima inconsulta. Unde liquet eos fuisse viros unos in Israel honoratos et primarios.

Etymon Assidæorum (חסידים)

Quæres *secundo* unde vocentur Assidæi. Respondeo Hebraice vocantur חסידים *chasidim*, quod aliqui derivant a חסידה *chasida*, id est ciconia, vel milvus, eo quod quasi milvi in hostes insilirent et prædas agerent. Alii chasidim interpretantur venatores a צוד *sud*, id est venari, eo quod venarentur hostes Israelis, sicut venator venatur cervos et lepores. Melius Pagninus, Sanchez, Serarius et alii *chasidim* interpretantur pios, misericordes, religiosos, sanctos, a חסד *chesed*, id est pietas, misericordia, eo quod pium bellum gererent pro Israelitis. Audi nunc S. Chrysostomum *in Ps.* XLIII : « Quando grave bellum ingruebat, nec quidquam Machabæi possent facere quod prodesset, se abscondebant; nam hoc quoque fecerunt Apostoli. Non enim semper apparentes in media irruebant pericula; sed nonnunquam et fugientes et latentes secedebant. Postquam autem paulum respirarunt, tanquam generosi quidam catuli ex antris exilientes, et e latebris emergentes, statuerunt non se amplius solos servare, sed etiam alios quotcumque possent, et civitates, et omnem regionem obeuntes collegerunt quotquot invenerunt adhuc sanos, et integros, et multos etiam qui laborabant et corrupti erant, in statum pristinum redegerunt, eis persuadentes redire ad leges patrias.

44. ET PERCUSSERUNT PECCATORES, — id est apostatas, qui a Judaismo ad Antiochum et gentilismum transfugerant. Hoc enim summum erat peccatum, summaque iniquitas, quo tota religio, fides et virtus prodebatur et perdebatur.

46. ET IN FORTITUDINE; — repete : « Circumciderunt pueros incircumcisos, quotquot invenerunt in finibus Israel, » *q. d.* Per vim circumciderunt pueros, etiam invitis parentibus, eo quod parentes essent Israelitæ, itaque obligarentur circumcidere filios, ideoque a Mathathia quasi Duce et Pontifice ad idipsum cogi possent; sicut nunc Ecclesia cogit fideles, ut filios suos offerant ad Baptismum. Quod si qui inter eos erant filii infidelium, eos quoque quasi jam suos et jure belli captos, ac a parentibus separatos circumcidebant. Et quamvis Lyranus dicat solum id fecisse in filiis Judæorum, tamen scriptura absolute loquitur; et quamvis Dominicus Soto in IV tract. *De Baptismo* dicat : Si Mathathias id fecit in filiis gentium, fecit quidem secundum scientiam; hoc tamen de insigni et sanctissimo viro non recte dictum videtur : melius ergo asseritur eos, cum jam essent jure belli in servitutem redacti, et a parentibus separati, jure circumcidi potuisse, sicut nos etiam nunc jure baptizamus filios Saracenorum in bello captos, ait Suarez, III part. tom. III, *Quæst.* LXVII, art. X, disp. XXV, sect. 4.

48. OBTINUERUNT LEGEM DE MANU GENTIUM, — *q. d.* Dei legem et cultum ab Antiocho et gentibus ablatum per arma, Israeli restituerunt fecerintque ut Dei lex et cultus pristinam suam dignitatem et venerationem obineret.

ET NON DEDERUNT CORNU PECCATORI, — *q. d.* Non permiserunt cornua, id est superbiam, robur, et vires Antiocho crescere; sed hæc illi, si non amputarunt, certe resecuerunt et valde imminuerunt, ut more solito grassari et sævire non posset, nec auderet. Disce hic cornua superbis, æque ac tauris cornupetis esse resecanda : qui enim illa superbo et feroci non demit, addit et auget; quare qui potest, debet ea demere, ne iis ferocientes multos feriant et prosternant.

49. CASTIGATIO, etc. ET IRA INDIGNATIONIS, — scilicet Dei, qua Deus iratus et indignans peccatis nostris, nos tam atrociter per Antiochum castigat, laxans ei habenas sæviendi et ferociendi contra nos. Sic Attila rex Hunnorum, vastans Galliam et Italiam, rogatus a S. Lupo Trecensi Episcopo, quis esset et quid vellet, respondit se esse flagellum Dei ad castigandum scelera fidelium : sic flagellum Dei fuit Tamerlanes, et nunc sunt Ottomani. Sic Nabuchodonosor ostensus fuit Jeremiæ, cap. I, per speciem virgæ vigilantis.

50. ET DATE ANIMAS (id est vitas) VESTRAS PRO TESTAMENTO, — id est fœdere, puta pro lege Dei : lex enim fuit conditio fœderis ab Abraham, Mose et populo cum Deo initi.

51. ET ACCIPIETIS GLORIAM MAGNAM, — non tantum in hoc mundo apud homines, hæc enim vana est, brevis et exilis, sed et in cœlo coram Deo, Angelis et sanctis immensam, cœlestem et æternam.

52. ABRAHAM NONNE IN TENTATIONE, qua Deus tentavit ejus fidem et obedientiam, jubendo ut sibi immolaret unigenitum suum Isaac, per quem ei promiserat copiosam posteritatem, imo Christum, INVENTUS EST FIDELIS, fideliter Deo offerens filium, certa fide sperans et credens quod Deus eum post immolationem a morte suscitaret : ET REPUTATUM EST EI AD JUSTITIAM, — *q. d.* Hic Abrahæ actus obedientiæ et oblationis Isaac, computatus et æstimatus est a Deo esse actus magnæ justitiæ, id est magnæ virtutis et sanctitatis; ac proinde Abraham, qui jam erat justus, per eum meruit magnam gratiæ et justitiæ augmentum, factusque est coram Deo multo justior et sanctior. Vide dicta *Roman.* cap. IV, vers. 3. et *Genes.* XV, 6.

53. JOSEPH IN TEMPORE ANGUSTIÆ SUÆ (quam passus est in carcere) CUSTODIVIT MANDATUM quintum Decalogi : « Non mœchaberis, » quia sollicitanti heræ suæ noluit commiscери; ET (idcirco) FACTUS EST DOMINUS ÆGYPTI. — Præclare S. Cyprianus, tract. *De mortalitate* : « Adversa non sint tibi scandala, inquit, sed prælia; nec debilitent, aut fran-

gant Christiani fidem, sed potius ostendant in colluctatione virtutem, cum contemnenda sit omnis injuria malorum præsentium, fiducia futurorum bonorum. Nisi præcesserit pugna, non potest esse victoria; cum fuerit in pugnæ congressione victoria, tunc datur vincentibus et corona. Gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. » Et inferius : « Nos adversa non avocant a virtutis et fidei veritate, sed corroborant in dolore. Quanta sublimitas inter ruinas generis humani stare erectum! » etc.

54. PHINEES PATER NOSTER (Hinc patet Mathathiam et Machabæos progenitos esse ex tribu Levi et Phinees Pontificis, ideoque deficientibus cæteris ad eos Pontificatum jure successionis spectasse.) ZELANDO ZELUM DEI, (occidendo Principem sacrificantem Beelphegor), ACCEPIT TESTAMENTUM, (id est Dei promissionem et pactum) SACERDOTII ÆTERNI, — quod scilicet Pontificatus in ejus posteris duraret usque ad finem Synagogæ et Judaismi, puta usque ad Christum. Vide dicta *Num.* XXV.

55. JESUS (Josue successor Mosis), DUM IMPLEVIT VERBUM, (id est mandatum, quo Deus per Mosen jussit ei lustrare Chananæam, *Num.* XIV; debellare Amalec, *Exod.* XVII; post Mosen capessere curam populi, *Josue* I), FACTUS EST DUX IN ISRAEL — Mosi in ducatu populi succedens.

56. CALEB, DUM TESTIFICATUR IN ECCLESIA (contra socios exploratores, dicentes Chananæam ob incolas gigantes et urbes munitas esse inexpugnabilem, illam Dei ope posse expugnari, et reipsa ab Hebræis expugnandam, ut Deus promiserat), ACCEPIT HEREDITATEM, — peculiarem in Hebron, *Num.* XIV et *Josue* XIV, 12. Vide elogia Josue et Caleb. *Eccli.* L.

57. DAVID IN SUA MISERICORDIA, (id est per meritum suæ misericordiæ, qua tum in alios, tum in Saulem se persequentem fuit pius et misericors, nolens eum ledere, cum eum haberet in manu sua), CONSECUTUS EST SEDEM REGNI IN SECULA, — ut solium regale obtineret, et ad posteros transmitteret, tamdiu eis duraturum, quamdiu duraret regnum Israelis et Juda, scilicet usque ad captivitatem Babylonicam. Æternum enim hic non absolutum perpetuitatem, sed respectivam et limitatam significat, scilicet durationem perpetuam per totum statum, regnumque Judæ; ut quamdiu hoc duraret, tamdiu in eo duraret regnum Davidis.

58. ELIAS, DUM ZELAT ZELUM LEGIS, (occidendo omnes prophetas et sacerdotes Baal, sequeque opponendo Achab, Jezabeli et fidalitis, III *Reg.* XVIII) RECEPTUS EST IN COELUM, — eo raptus curru igneo IV *Regum* II.

59. ANANIAS, AZARIAS ET MISAEL CREDENTES in Deum verum, et pro hac fide se flammis offerentes, credentes Deum posse ipsos ab iis eripere, LIBERATI SUNT DE FLAMMA. — *Daniel.* III.

60. DANIEL IN SUA SIMPLICITATE, id est integritate, candore, constantia adorandi solum Deum verum persistens, ejus merito, LIBERATUS EST DE ORE LEONUM. — *Daniel.* VI.

62. ET A VERBIS VIRI PECCATORIS (a minis impii Antiochi) NE TIMUERITIS, QUIA GLORIA EJUS STERCUS ET VERMIS EST, — ut corrumpatur, computrescat et fœteat, dum paulo post per Dei vindictam omnis ejus gloria in ignominiam, omnis fama in infamiam vertitur, uti factum esse Antiocho liquet lib. II, cap. IX.

64. VOS ERGO FILII, CONFORTAMINI ET VIRILITER AGITE IN LEGE (tuenda et propugnanda), QUIA IN IPSA GLORIOSI ERITIS, — tum pugnando et vincendo; tum pro ea gloriose occumbendo, uti pro ea omnes occubuerunt, utrimrum Judas, Jonathas et Simon. Quid enim gloriosius, quam pugnare et mori pro lege, pro patria, pro Deo? Animat Machabæos filios ad acria certamina, quæ eis cum Antiocho imminebant, ideoque priscorum heroum exempla iis objicit, ut illa imitentur, et similem illis gloriam consequantur; nil enim ita in rebus arduis animat, ac majorum exempla. Unde Ovidius lib. IV *Trist.* Eleg. 3 : Virtus lectionis explicatio.

> Materiamque tuis tristem virtutibus imple,
> Acuta perpetuos gloria vatis habet.
> Hectora quis nosset, fœix si Troja fuisset?
> Publica virtutis per mala facta via est.
> Ars tua, Typhœ, jacet, si non sit in æquore factus;
> Si rabidos homines, ars tua, Phœbe, jacet.
> Quæ labet, inque bonis cessat, non cognita rebus,
> Aspernet versus, aspernetque mala.
> Ergo tempestas, quorum nunc munere freta es,
> Et quid in inanes ausa sit, aura vides.

65. ET ECCE SIMON FRATER VESTER, SCIO QUOD VIR CONSILII SIT, IPSUM AUDITE SEMPER, ET IPSE ERIT VOBIS PATER, — ut suis consiliis vos dirigat, sicut pater dirigit filios. Rursum ut domum et familiam meam gubernet quasi pater. Hinc Josephus, filius Gorion, et Annius Viterbiensis putant Simonem fuisse primogenitum Mathathiæ. Sed Josephus, Seder-Olam minor, et Hebræi traditi Judam fuisse primogenitum; unde et illi patri in Ducatu et Pontificatu successit; secundogenitum fuisse Joannem; tertiogenitum fuisse Jonathan; quartum denique fuisse Simonem.

66. ET JUDAS MACHABÆUS FORTIS VIRIBUS A JUVENTUTE SUA SIT VOBIS PRINCEPS MILITIÆ. — Hinc patet Judam non tantum in senio patris, cum ipse vexillum paulo ante mortem contra Antiochum sustulit, sed et in juventute sua præclara in bello ædidisse facinora, Dei ope nixum, ideoque vexillis suis inscripsisse : *Machabi*, hoc est *mi camocha baelim Jehova*, id est : « Quis similis tui in fortibus (Dis), Domine? » indeque Machabæum fuisse cognominatum. Sic enim eum vocat hic pater moriturus, ideoque eum belli ducem statuit. Vide dicta in Prœmio.

70. ET DEFUNCTUS EST ANNO 146. — Nimirum eodem anno, quo se Antiocho opposuit, et Ducatum cum Pontificatu iniit. Opinantur nonnulli eum ex vulnere in bello accepto obiisse, cum

eum paulo ante occidisset Judaum, et præfectum Antiochi, omnesque Judæos circumeundo excitaret, collegeritque in castra contra Antiochum, pluraque similia gesserit, quæ magnam corporis, atque ac animi fortitudinem requirunt, non videtur tam cito ex senio viribus deficere et mori potuisse, sed ex præliis continuis accepisse vulnus, indeque mortium, vel certe ex laboribus assiduis, et fatigatione nimia exhaustus obiisse.

Mathathiam fuisse sacerdotem omnes consentiunt, sed Pontificem fuisse negant Josephus, Eusebius et Sigonius; verum Pontificem eum fuisse asserunt Hebræi et Chaldæi Cantic. VI, 6, multisque id probat Serarius. Sane in Pontificatu, neque ac Ducatu patri successit Judas, deinde Jonathas, denique Simon, indeque Simonis filii usque ad Herodem et Christum. Porro Mathathias inclytus heros defunctus est anno 146 Græcorum, qui fuit 138 a morte Alexandri Magni, et 164 ante nativitatem Christi.

ET SEPULTUS EST IN SEPULCHRIS PATRUM SUORUM IN MODIN. — Sepulcrum hoc postea magnifice exornavit Simon ejus filius, ut patet cap. XIII, 27; ac fatetur S. Hieronymus illud sua ætate adhuc exstitisse.

PLANCTU MAGNO. — « Planctus magnus, non in examinatione plangentium, sed in pompa funeris et exsequiarum frequentia intelligendus est, » ait S. Hieronymus, epist. 23 ad *Paulam*.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judas patri succedens contra Antiochum pugnat ut leo, ac duces ejus auces profligat, scilicet Apollonium vers. 10, et Seron vers. 13. Quinto Antiochus tertium ducem mittit Lysium, contra quem prælium instituit Judas, Deo opem jejuniis et orationi preces implorans.

1. Et surrexit Judas, qui vocabatur Machabæus, filius ejus pro eo; 2. et adjuvabant eum omnes fratres ejus, et universi qui se conjunxerant patri ejus, et præliabantur prælium Israel cum lætitia. 3. Et dilatavit gloriam populo suo, et induit se loricam sicut gigas, et succinxit se arma bellica sua in præliis, et protegebat castra gladio suo. 4. Similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venatione. 5. Et persecutus est iniquos, perscrutans eos; et qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis; 6. et repulsi sunt inimici ejus præ timore ejus, et omnes operarii iniquitatis conturbati sunt; et directa est salus in manu ejus. 7. Et exacerbabat reges multos, et lætificabat Jacob in operibus suis, et in seculum memoria ejus in benedictione. 8. Et perambulavit civitates Juda, et perdidit impios ex eis, et avertit iram ab Israel. 9. Et nominatus est usque ad novissimum terræ, et congregavit pereuntes. 10. Et congregavit Apollonius Gentes, et a Samaria virtutem multam et magnam, ad bellandum contra Israel. 11. Et cognovit Judas, et exiit obviam illi; et percussit, et occidit illum; et ceciderunt vulnerati multi, et reliqui fugerunt. 12. Et accepit spolia eorum; et gladium Apollonii abstulit Judas, et erat pugnans in eo omnibus diebus. 13. Et audivit Seron princeps exercitus Syriæ, quod congregavit Judas congregationem fidelium et ecclesiam secum, 14. et ait : Faciam mihi nomen, et glorificabor in regno, et debellabo Judam, et eos qui cum ipso sunt, qui spernebant verbum regis. 15. Et præparavit se; et ascenderunt cum eo castra impiorum, fortes auxiliarii, ut facerent vindictam in filios Israel. 16. Et appropinquaverunt usque ad Bethoron; et exivit Judas obviam illi cum paucis. 17. Ut autem viderunt exercitum venientem sibi obviam, dixerunt Judæ : Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, et tam fortem, et nos fatigati sumus jejunio hodie? 18. Et ait Judas : Facile est concludi multos in manus paucorum; et non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis, et in paucis; 19. quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. 20. Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci et superbia, ut disperdant nos, et uxores nostras, et filios nostros, et ut spolient nos; 21. nos vero pugnabimus pro animabus nostris et legibus nostris; 22. et ipse Dominus conteret eos ante faciem nostram; vos autem ne timueritis eos. 23. Ut cessavit au-

gant Christiani fidem, sed potius ostendant in colluctatione virtutem, cum contemnenda sit omnis injuria malorum præsentium, fiducia futurorum bonorum. Nisi præcesserit pugna, non potest esse victoria; cum fuerit in pugnæ congressione victoria, tunc datur vincentibus et corona. Gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. » Et inferius : « Nos adversa non avocant a virtutis et fidei veritate, sed corroborant in dolore. Quanta sublimitas inter ruinas generis humani stare erectum! » etc.

54. PHINEES PATER NOSTER (Hinc patet Mathathiam et Machabæos progenitos esse ex tribu Levi et Phinees Pontificis, ideoque deficientibus cæteris ad eos Pontificatum jure successionis spectasse.) ZELANDO ZELUM DEI, (occidendo Principem sacrificantem Beelphegor), ACCEPIT TESTAMENTUM, (id est Dei promissionem et pactum) SACERDOTII ÆTERNI, — quod scilicet Pontificatus in ejus posteris duraret usque ad finem Synagogæ et Judaismi, puta usque ad Christum. Vide dicta *Num.* XXV.

55. JESUS (Josue successor Mosis), DUM IMPLEVIT VERBUM, (id est mandatum, quo Deus per Mosen jussit ei lustrare Chananæam, *Num.* XIV; debellare Amalec, *Exod.* XVII; post Mosen capessere curam populi, *Josue* I), FACTUS EST DUX IN ISRAEL — Mosi in ducatu populi succedens.

56. CALEB, DUM TESTIFICATUR IN ECCLESIA (contra socios exploratores, dicentes Chananæam ob incolas gigantes et urbes munitas esse inexpugnabilem, illam Dei ope posse expugnari, et reipsa ab Hebræis expugnandam, ut Deus promiserat), ACCEPIT HEREDITATEM, — peculiarem in Hebron, *Num.* XIV et *Josue* XIV, 12. Vide elogia Josue et Caleb. *Eccli.* L.

57. DAVID IN SUA MISERICORDIA, (id est per meritum suæ misericordiæ, qua tum in alios, tum in Saulem se persequentem fuit pius et misericors, nolens eum ledere, cum eum haberet in manu sua), CONSECUTUS EST SEDEM REGNI IN SECULA, — ut solium regale obtineret, et ad posteros transmitteret, tamdiu eis duraturum, quamdiu duraret regnum Israelis et Juda, scilicet usque ad captivitatem Babylonicam. Æternum enim hic non absolutum perpetuitatem, sed respectivam et limitatam significat, scilicet durationem perpetuam per totum statum, regnumque Judæ; ut quamdiu hoc duraret, tamdiu in eo duraret regnum Davidis.

58. ELIAS, DUM ZELAT ZELUM LEGIS, (occidendo omnes prophetas et sacerdotes Baal, sequeque opponendo Achab, Jezabeli et fidalitis, III *Reg.* XVIII) RECEPTUS EST IN COELUM, — eo raptus curru igneo IV *Regum* II.

59. ANANIAS, AZARIAS ET MISAEL CREDENTES in Deum verum, et pro hac fide se flammis offerentes, credentes Deum posse ipsos ab iis eripere, LIBERATI SUNT DE FLAMMA. — *Daniel.* III.

60. DANIEL IN SUA SIMPLICITATE, id est integritate, candore, constantia adorandi solum Deum verum persistens, ejus merito, LIBERATUS EST DE ORE LEONUM. — *Daniel.* VI.

62. ET A VERBIS VIRI PECCATORIS (a minis impii Antiochi) NE TIMUERITIS, QUIA GLORIA EJUS STERCUS ET VERMIS EST, — ut corrumpatur, computrescat et fœteat, dum paulo post per Dei vindictam omnis ejus gloria in ignominiam, omnis fama in infamiam vertitur, uti factum esse Antiocho liquet lib. II, cap. IX.

64. VOS ERGO FILII, CONFORTAMINI ET VIRILITER AGITE IN LEGE (tuenda et propugnanda), QUIA IN IPSA GLORIOSI ERITIS, — tum pugnando et vincendo; tum pro ea gloriose occumbendo, uti pro ea omnes occubuerunt, utrimrum Judas, Jonathas et Simon. Quid enim gloriosius, quam pugnare et mori pro lege, pro patria, pro Deo? Animat Machabæos filios ad acria certamina, quæ eis cum Antiocho imminebant, ideoque priscorum heroum exempla iis objicit, ut illa imitentur, et similem illis gloriam consequantur; nil enim ita in rebus arduis animat, ac majorum exempla. Unde Ovidius lib. IV *Trist.* Eleg. 3 : Virtus lectionis explicatio.

> Materiamque tuis tristem virtutibus imple,
> Acuta perpetuos gloria vatis habet.
> Hectora quis nosset, fœix si Troja fuisset?
> Publica virtutis per mala facta via est.
> Ars tua, Typhœ, jacet, si non sit in æquore factus;
> Si rabidos homines, ars tua, Phœbe, jacet.
> Quæ labet, inque bonis cessat, non cognita rebus,
> Aspernet versus, aspernetque mala.
> Ergo tempestas, quorum nunc munere freta es,
> Et quid in inanes ausa sit, aura vides.

65. ET ECCE SIMON FRATER VESTER, SCIO QUOD VIR CONSILII SIT, IPSUM AUDITE SEMPER, ET IPSE ERIT VOBIS PATER, — ut suis consiliis vos dirigat, sicut pater dirigit filios. Rursum ut domum et familiam meam gubernet quasi pater. Hinc Josephus, filius Gorion, et Annius Viterbiensis putant Simonem fuisse primogenitum Mathathiæ. Sed Josephus, Seder-Olam minor, et Hebræi traditi Judam fuisse primogenitum; unde et illi patri in Ducatu et Pontificatu successit; secundogenitum fuisse Joannem; tertiogenitum fuisse Jonathan; quartum denique fuisse Simonem.

66. ET JUDAS MACHABÆUS FORTIS VIRIBUS A JUVENTUTE SUA SIT VOBIS PRINCEPS MILITIÆ. — Hinc patet Judam non tantum in senio patris, cum ipse vexillum paulo ante mortem contra Antiochum sustulit, sed et in juventute sua præclara in bello ædidisse facinora, Dei ope nixum, ideoque vexillis suis inscripsisse : *Machabi*, hoc est *mi camocha baelim Jehova*, id est : « Quis similis tui in fortibus (Dis), Domine? » indeque Machabæum fuisse cognominatum. Sic enim eum vocat hic pater moriturus, ideoque eum belli ducem statuit. Vide dicta in Prœmio.

70. ET DEFUNCTUS EST ANNO 146. — Nimirum eodem anno, quo se Antiocho opposuit, et Ducatum cum Pontificatu iniit. Opinantur nonnulli eum ex vulnere in bello accepto obiisse, cum

eum paulo ante occidisset Judaum, et præfectum Antiochi, omnesque Judæos circumeundo excitaret, collegeritque in castra contra Antiochum, pluraque similia gesserit, quæ magnam corporis, atque ac animi fortitudinem requirunt, non videtur tam cito ex senio viribus deficere et mori potuisse, sed ex præliis continuis accepisse vulnus, indeque mortium, vel certe ex laboribus assiduis, et fatigatione nimia exhaustus obiisse.

Mathathiam fuisse sacerdotem omnes consentiunt, sed Pontificem fuisse negant Josephus, Eusebius et Sigonius; verum Pontificem eum fuisse asserunt Hebræi et Chaldæi Cantic. VI, 6, multisque id probat Serarius. Sane in Pontificatu, neque ac Ducatu patri successit Judas, deinde Jonathas, denique Simon, indeque Simonis filii usque ad Herodem et Christum. Porro Mathathias inclytus heros defunctus est anno 146 Græcorum, qui fuit 138 a morte Alexandri Magni, et 164 ante nativitatem Christi.

ET SEPULTUS EST IN SEPULCHRIS PATRUM SUORUM IN MODIN. — Sepulcrum hoc postea magnifice exornavit Simon ejus filius, ut patet cap. XIII, 27; ac fatetur S. Hieronymus illud sua ætate adhuc exstitisse.

PLANCTU MAGNO. — « Planctus magnus, non in examinatione plangentium, sed in pompa funeris et exsequiarum frequentia intelligendus est, » ait S. Hieronymus, epist. 23 ad *Paulam*.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judas patri succedens contra Antiochum pugnat ut leo, ac duces ejus auces profligat, scilicet Apollonium vers. 10, et Seron vers. 13. Quinto Antiochus tertium ducem mittit Lysium, contra quem prælium instituit Judas, Deo opem jejuniis et orationi preces implorans.

1. Et surrexit Judas, qui vocabatur Machabæus, filius ejus pro eo; 2. et adjuvabant eum omnes fratres ejus, et universi qui se conjunxerant patri ejus, et præliabantur prælium Israel cum lætitia. 3. Et dilatavit gloriam populo suo, et induit se loricam sicut gigas, et succinxit se arma bellica sua in præliis, et protegebat castra gladio suo. 4. Similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venatione. 5. Et persecutus est iniquos, perscrutans eos; et qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis; 6. et repulsi sunt inimici ejus præ timore ejus, et omnes operarii iniquitatis conturbati sunt; et directa est salus in manu ejus. 7. Et exacerbabat reges multos, et lætificabat Jacob in operibus suis, et in seculum memoria ejus in benedictione. 8. Et perambulavit civitates Juda, et perdidit impios ex eis, et avertit iram ab Israel. 9. Et nominatus est usque ad novissimum terræ, et congregavit pereuntes. 10. Et congregavit Apollonius Gentes, et a Samaria virtutem multam et magnam, ad bellandum contra Israel. 11. Et cognovit Judas, et exiit obviam illi; et percussit, et occidit illum; et ceciderunt vulnerati multi, et reliqui fugerunt. 12. Et accepit spolia eorum; et gladium Apollonii abstulit Judas, et erat pugnans in eo omnibus diebus. 13. Et audivit Seron princeps exercitus Syriæ, quod congregavit Judas congregationem fidelium et ecclesiam secum, 14. et ait : Faciam mihi nomen, et glorificabor in regno, et debellabo Judam, et eos qui cum ipso sunt, qui spernebant verbum regis. 15. Et præparavit se; et ascenderunt cum eo castra impiorum, fortes auxiliarii, ut facerent vindictam in filios Israel. 16. Et appropinquaverunt usque ad Bethoron; et exivit Judas obviam illi cum paucis. 17. Ut autem viderunt exercitum venientem sibi obviam, dixerunt Judæ : Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, et tam fortem, et nos fatigati sumus jejunio hodie? 18. Et ait Judas : Facile est concludi multos in manus paucorum; et non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis, et in paucis; 19. quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. 20. Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci et superbia, ut disperdant nos, et uxores nostras, et filios nostros, et ut spolient nos; 21. nos vero pugnabimus pro animabus nostris et legibus nostris; 22. et ipse Dominus conteret eos ante faciem nostram; vos autem ne timueritis eos. 23. Ut cessavit au-

tem loqui, insiluit in eos subito; et contritus est Seron, et exercitus ejus in conspectu ipsius; 24. et persecutus est eum in descensu Bethoron usque in campum, et ceciderunt ex eis octingenti viri, reliqui autem fugerunt in terram Philistiim. 25. Et cecidit timor Judæ ac fratrum ejus, et formido super omnes gentes in circuitu eorum; 26. et pervenit ad regem nomen ejus, et de prœliis Judæ narrabant omnes gentes. 27. Ut audivit autem rex Antiochus sermones istos, iratus est animo; et misit, et congregavit exercitum universi regni sui, castra fortia valde; 28. et aperuit ærarium suum, et dedit stipendia exercitui in annum; et mandavit illis ut essent parati ad omnia. 29. Et vidit quod defecit pecunia de thesauris suis, et tributa regionis modica propter dissensionem, et plagam quam fecit in terra, ut tolleret legitima quæ erant a primis diebus; 30. et timuit ne non haberet ut semel et bis, in sumptus et donaria, quæ dederat ante larga manu; et abundaverat super reges, qui ante eum fuerant. 31. Et consternatus erat animo valde, et cogitavit ire in Persidem, et accipere tributa regionum, et congregare argentum multum. 32. Et reliquit Lysiam hominem nobilem de genere regali, super negotia regia, a flumine Euphrate usque ad flumen Ægypti; 33. et ut nutriret Antiochum filium suum, donec rediret. 34. Et tradidit ei medium exercitum, et elephantos; et mandavit ei de omnibus quæ volebat, et de inhabitantibus Judæam et Jerusalem; 35. et ut mitteret ad eos exercitum, ad conterendam et extirpandam virtutem Israel, et reliquias Jerusalem, et auferendam memoriam eorum de loco; 36. et ut constitueret habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorum, et sorte distribueret terram eorum. 37. Et rex assumpsit partem exercitus residui, et exivit ab Antiochia civitate regni sui, anno centesimo et quadragesimo septimo; et transfretavit Euphraten flumen, et perambulabat superiores regiones. 38. Et elegit Lysias Ptolemæum filium Dorymini, et Nicanorem, et Gorgiam, viros potentes ex amicis regis; 39. et misit cum eis quadraginta millia virorum, et septem millia equitum, ut venirent in terram Judæ, et disperderent eam secundum verbum regis. 40. Et processerunt cum universa virtute sua, et venerunt et applicuerunt Emmaum in terra campestri. 41. Et audierunt mercatores regionum nomen eorum; et acceperunt argentum et aurum multum valde, et pueros; et venerunt in castra, ut acciperent filios Israel in servos; et additi sunt ad eos exercitus Syriæ, et terræ alienigenarum. 42. Et vidit Judas, et fratres ejus, quia multiplicata sunt mala, et exercitus applicabant ad fines eorum; et cognoverunt verba regis, quæ mandavit populo facere in interitum et consummationem. 43. Et dixerunt unusquisque ad proximum suum: Erigamus dejectionem populi nostri, et pugnemus pro populo nostro, et sanctis nostris. 44. Et congregatus est conventus ut essent parati ad prælium; et ut orarent, et peterent misericordiam et miserationes. 45. Et Jerusalem non habitabatur, sed erat sicut desertum; non erat qui ingrederetur et egrederetur de natis ejus; et sanctum conculcabatur; et filii alienigenarum erant in arce, ibi erat habitatio Gentium; et ablata est voluptas a Jacob, et defecit ibi tibia et cithara. 46. Et congregati sunt, et venerunt in Maspha contra Jerusalem; quia locus orationis erat in Maspha ante in Israel. 47. Et jejunaverunt illa die, et induerunt se ciliciis, et cinerem imposuerunt capiti suo, et discinderunt vestimenta sua. 48. Et expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur Gentes similitudinem simulacrorum suorum; 49. et attulerunt ornamenta sacerdotalia, et primitias, et decimas; et suscitaverunt Nazaræos, qui impleverant dies; 50. et clamaverunt voce magna in cœlum, dicentes: Quid faciemus istis, et quo eos ducemus? 51. Et sancta tua conculcata sunt, et contaminata sunt, et sacerdotes tui facti sunt in luctum et in humilitatem. 52. Et ecce Nationes convenerunt adversum nos ut nos disperdant; tu scis quæ cogitant in nos. 53. Quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum, nisi tu, Deus, adjuves nos? 54. Et tubis exclamaverunt voce magna. 55. Et post hæc constituit Judas duces populi, tribunos, et centuriones, et pentacontarchos, et decuriones. 56. Et dixit his qui ædificabant domos, et sponsabant uxores, et plantabant vineas, et formidolosis, ut redirent unusquisque in domum suam secundum legem. 57. Et moverunt castra, et collocaverunt ad Austrum Emmaum. 58. Et ait Judas: Accingimini, et estote filii potentes, et estote parati in mane, ut pugnetis adversus Nationes has quæ convenerunt adversus nos, disperdere nos et sancta nostra; 59. quoniam melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ, et sanctorum. 60. Sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.

1. ET SURREXIT JUDAS. — Josippus hen Gorion asserit Judam a patre Mathathia oleo unctum in Ducem. Sic enim ait: « Protulit Mathathias cornu cum oleo, et effundens super caput ejus unxit eum ad prælia, vociferatusque est universus populus et dixerunt: Vivat unctus. » Addit Josephus eum unctum Jerosolymis in templo; sed hoc videtur falsum: nam Jerusalem cum templo obtinebant milites Antiochi, ut patet cap. 1.

MACHABÆUS. — Gorionides asserit hoc nomen hic Judæ primo inditum fuisse a Mathathia patre, ac significare *exstinctorem*, *q. d.* Tu, o Juda, esto Machabæus, id est exstinctor Antiochi, cæterorumque hostium Israelis. Melius alii censent id jam ante Judas fuisse inditum ex *Machabi*, quod Judas vexillis suis inscribebat; quare illiud sic a Mathathia ei non indi, sed jam inditum confirmari, idque verba ipsa satis insinuant. Vide dicta in Prœmio.

3. ET INDUIT SE LORICA SICUT GIGAS, — tum quia Judas procero vastoque erat corpore, ac proinde illo ævo, quo non bombardis, sed brachiis et gladiis certabatur fortissimus; unde explicans subdit: ET PROTEGEBAT CASTRA GLADIO SUO. — tum quia eximio et gigantco erat robore, tam corporis quam animi; hoc enim Deus illi, utpote in se solo speranti assidue et continue indebat ad Israelis tutelam. Sic Saul, David, Julius Cæsar, Constantinus, Heraclius, Carolus Magnus, Godefridus Bullonius, procero vallidoque fuere corpore, atque ac animo, ideoque eximi bellatores, suis manibus et gladiis multos hostium obtrucantes. Gigas enim symbolum est rari roboris et fortitudinis; gigantes enim olim fuere vastissimi et robustissimi. Ideoque omnibus terribiles, ut nemo eis se opponere auderet. Talis fuit Judas.

Sacerdotes in lege veteri erant milites.

In lege veteri ergo sacerdotes et Pontifices sæpe erant milites et belli duces; ac Judas et fratres ejus sacerdotes; ad hoc propicie a Deo et populo electi sunt, ut Israelem jam jamque prostratum, et ab omnibus desertum et derelictum sublevarent. Primario ergo officium in bello duces; additus vero fuit eis Pontificatus, ut ardentius pro restitutione templi et Dei contra Antiochum dimicarent; et ob alias causas superius recensitas. Nec id mirum; nam rude et carnale erat tunc sacerdotium, sacerdotes enim erant quasi lanistæ in macta ndis et laniandis ovibus, et bobus Deo immolandis: quare in iis discebant mactare hostes Israelis. Nulli enim milites sæviores sunt carnificibus, qui assidue in cæde et sanguine versantur. Secus est in novo Testamento, ubi sacerdotium longe sublimius et sanctius est, ac sacerdotes circa corpus Christi in Eucharistia consecrandum et offerendum versantur: quare decet eos instar Christi esse mansuetos, pios, Deoque intentos, ac proinde procul abesse a pugnando et occidendo.

4. SIMILIS FACTUS EST LEONI, — JUXTA ILLUD de Juda filio a Jacobo Patriarcha prædictum, *Genes.* XLIX, 9: « Catulus leonis Juda: ad prædam, fili mi, ascendisti; requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna, quis suscitavit eum? » quia in locum hujus Judæ, cui Jacob attribuit principatum, successit noster hic Judas Machabæus, populi dux et princeps, licet non ex Juda, sed ex Levi oriundus, ac eo viribus, robore et victoriis fuit non inferior, sed superior. Tradunt Hebræi Judam pro insigni in vexillis suis gestasse leonem. Vers. 4. Judas fuit leo

ET SICUT CATULUS LEONIS RUGIENS IN VENATIONE. — Græce ὡς σκύμνος, id est *ut venationem*, vel *in prædam*. Catuli enim leonum cum latrante stomacho esuriunt, rugiunt, et rugiendo irruunt in oves et vaccas, ut famem satient.

6. ET DIRECTA EST SALUS IN MANU EJUS, — *q. d* Recte et directe salus Israeli obligit per manum, robur et prælia Judæ; Judas enim sua industria et fortitudine recte dirigebat Israelem ad salutem, faciebatque ut ad eam recto tramite, cursuque tenderet. Potest *secundo* per hypallagen sic exponi, *q. d.* Directa est manus Judæ ad salutem Israeli afferendam. Deus enim Judæ manum direxit ad continuas victorias, quibus salus Israeli directe obvenit. Pro « directa » Græce est εὐοδώθη, id est facili via incessit, prosperata est; unde facile, est prosperum iter, item prosperitas. Rursum salus hic accipi potest pro victoria; in hac enim consistebat salus et incolumitas populi. Sic salus capitur pro victoria per metonymiam, *Judic.* XV, 18. I *Reg.* XI, 9. et XIV, 45, XVII, 47, et I *Mach.* IV, 25.

7. EXACERBAVIT (irritabat, lacessebat, ad iram et indignationem provocabat) REGES MULTOS, — nimirum Antiochum Epiphanem, et ejus filium Antiochum Eupatorem, et Demetrium, eorumque vicinos et amicos; cum his enim multa prælia commisit semper vincens et triumphans. Vers. 7

10. VIRTUTEM MULTAM. — Græce δύναμιν, id est vim magnam militum.

11. ET COGNOVIT JUDAS ET EXIIT (cum paucis) OBVIAM ILLI, ET PERCUSSIT ET OCCIDIT ILLUM. — Apollonium ducem hostium. Audi rem graphice nar-

UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

exponimus, Machabæi hic ostendunt se non res suas, sed Dei curare, ejusque religionis et cultus zelo moveri, ut Deum quasi cogant ad opem, non tam populo suo, quam sibi ipsi suæque religioni et cultui ferendam. Quare efficax fuit hæc eorum seria sinceraque oratio, ac Deum ad succurrendum inflexit. Simili modo oremus et nos, ac pariter Deum flectemus.

ET SUSCITAVERUNT NAZARÆOS, QUI IMPLEVERANT DIES — sui voti Nazaræatus; diebus enim voti expletis Nazaræi debebant se sistere Deo in templo, ibique hostias offerre præscriptas a Deo, *Num.* VI. Vide ibi dicta. Porro Nazaræi erant quasi religiosi illius ævi, qui se Deo dicat...et et consecrarant, ideoque comam alebant, ac vino et sicera abstinebant. Quare eos hic producunt, Deoque sistunt, ut Deus eos quasi suos sibique consecratos tueatur contra Antiochum et Lysiam.

30. ET CLAMAVERUNT VOCE MAGNA IN CŒLUM DICENTES : QUID FACIEMUS ISTIS, ET QUO EOS DUCEMUS? — si Lysias nos capiat et totam Judæam, neque ac Jerusalem et templum sibi subjuget, et idolis ac idololatriis suis impleat, exscisa tui veneratione et cultu; nam ut sequitur :

31. ET SANCTA TUA, (altaria, vasa omniaque templi loca ab Antiochi satellitibus profanata), CONCULCATA ET CONTAMINATA SUNT.

ET SACERDOTES TUI FACTI SUNT IN LUCTUM, — tum activum; lugent enim sacerdotes se sacerdotio jam fungi non posse, sed in exilium actos ab Antiocho, suisque oblationibus, ex quibus vivebant, spoliatos: tum passivum, quia populus luget lugubrem sacerdotum suorum statum, neque iis destituī, ut per eos Deo sacrificare, et ab eis in lege Dei instrui nequeat.

ET IN HUMILITATEM, — ubi enim humiliantur et vilipenduntur sacerdotes, ibi pariter vilipenduntur sacrificia, lex, pietas, Dei cultus, ipseque populus fidelis et pius.

34. ET TUBIS EXCLAMAVERUNT VOCE MAGNA, — ut tam voce, quam tubis in cœlum resonantibus Dei opem summis clamoribus implorarent.

35. ET POST HÆC (quia post divina præsidia adhibenda quoque sunt humana; Deus enim non juvat nisi conantes et collaborantes, ac facientes omne id quod officium et prudentia requirit) CONSTITUIT JUDAS DUCES POPULI, — nimirum fratres suos Jonatham, Josephum et Simonem. Vide II Mach. VIII, 22, ubi Judas aciem instruens eam dividit in quatuor ordines, ac cuilibet unum e fratribus ducem præficit, ita ut quisque sub signis duceret 1400 milites, ac ipse Judas quartus totidem, hoc est, universim sex millia.

36. ET DIXIT HIS QUI ÆDIFICABANT DOMOS, etc., ET FORMIDOLOSIS UT REDIRENT DOMUM, — ne socios suis commilitonibus suam formidinem aspergerent, idque juxta legem *Deuteronom.* cap. XX, 4. Vide ibi dicta.

38. ACCINGIMINI (gladiis, armis cæteroque apparatu bellico), ET ESTOTE FILII POTENTES. — Hebraice אנשי חיל *anse chail*, id est *viri virtutis*, id est strenui, animosi, fortes.

39. QUONIAM MELIUS EST NOS MORI IN BELLO, QUAM VIDERE MALA GENTIS NOSTRÆ ET SANCTORUM, — id est rerum sanctarum, ut templi, altarium, sacerdotum, etc. Gloriosa enim mors est præliando pro fide, lege et Deo occumbere, *q. d.* Pugnemus generose, quia aut vincemus, et sic de hoste triumphabimus; aut vincemur, et sic gloriosa morte honestabimur.

40. SICUT AUTEM FUERIT VOLUNTAS IN CŒLO, SIC FIAT, — ut vel vincamus, vel vincamur et gloriose occumbamus, prout Deus voluerit, *q. d.* Utcumque alea belli cadet, bene cadet, quia cadet ex voluntate Dei, qua nihil est melius. Sive ergo vincemus, sive vincemur, implebimus voluntatem Dei, qua nihil præstantius optari, aut desiderari potest. Nota hic Judæ fortitudinem, pietatem, resignationem in Dei voluntatem, qua Dei gratiam et victoriam sibi suisque conciliavit. Imitentur eum principes et belli duces, si simili victoria potiri, et a Deo donari optent.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Duas Gorgiæ acies sternit Judas, ac deinde ipsum Lysiam Syriæ proregem, qui, dum bellum parat, Judæ templum repurgat, Deique sacra restituit.

4. Et assumpsit Gorgias quinque millia virorum, et mille equites electos; et moverunt castra nocte, 2. ut applicarent ad castra Judæorum, et percuterent eos subito; et filii, qui erant ex arce, erant illis duces. 3. Et audivit Judas, et surrexit ipse, et potentes, percutere virtutem exercituum regis, qui erant in Emmaum. 4. Adhuc enim dispersus erat exercitus a castris. 5. Et venit Gorgias in castra Judæ noctu, et neminem invenit, et quærebat eos in montibus; quoniam dixit : Fugiunt hi a nobis. 6. Et cum dies factus esset, apparuit Judas in campo cum

tribus millibus virorum tantum, qui tegumenta et gladios non habebant; 7. et viderunt castra Gentium valida, et loricatos, et equitatus in circuitu eorum, et hi docti ad prælium. 8. Et dixit Judas viris qui secum erant : Ne timueritis multitudinem eorum, et impetum eorum ne formidetis. 9. Mementote qualiter salvi facti sunt patres nostri in mari Rubro, cum sequeretur eos Pharao cum exercitu multo. 10. Et nunc clamemus in cœlum, et miserebitur nostri Dominus, et memor erit testamenti patrum nostrorum, et conteret exercitum istum ante faciem nostram hodie. 11. Et scient omnes gentes, quia est qui redimat et liberet Israel. 12. Et elevaverunt alienigenæ oculos suos, et viderunt eos venientes ex adverso. 13. Et exierunt de castris in prælium, et tuba cecinerunt hi qui erant cum Juda. 14. Et congressi sunt; et contritæ sunt Gentes, et fugerunt in campum. 15. Novissimi autem omnes ceciderunt in gladio, et persecuti sunt eos usque Gezeron, et usque in campos Idumææ, et Azoti, et Jamniæ; et ceciderunt ex illis usque ad tria millia virorum. 16. Et reversus est Judas, et exercitus ejus, sequens eum. 17. Dixitque ad populum : Non concupiscatis spolia; quia bellum contra nos est, 18. et Gorgias et exercitus ejus prope nos in monte; sed state nunc contra inimicos nostros, et expugnate eos, et sumetis postea spolia securi. 19. Et adhuc loquente Juda hæc, ecce apparuit pars quædam prospiciens de monte. 20. Et vidit Gorgias quod in fugam conversi sunt sui, et succenderunt castra; fumus enim, qui videbatur, declarabat quod factum est. 21. Quibus illi conspectis timuerunt valde, aspicientes simul et Judam, et exercitum in campo paratum ad prælium. 22. Et fugerunt omnes in campum alienigenarum; 23. et Judas reversus est ad spolia castrorum, et acceperunt aurum multum, et argentum, et hyacinthum, et purpuram marinam, et opes magnas. 24. Et conversi hymnum canebant, et benedicebant Deum in cœlum, quoniam bonus est, quoniam in sæculum misericordia ejus. 25. Et facta est salus magna in Israel in die illa. 26. Quicumque autem alienigenarum evaserunt, venerunt, et nuntiaverunt Lysiæ universa quæ acciderant. 27. Quibus ille auditis, consternatus animo deficiebat, quod non qualia voluit, talia contigerunt in Israel, et qualia mandavit rex. 28. Et sequenti anno congregavit Lysias virorum electorum sexaginta millia, et equitum quinque millia, ut debellaret eos. 29. Et venerunt in Judæam, et castra posuerunt in Bethoron, et occurrit illis Judas cum decem millibus viris. 30. Et viderunt exercitum fortem, et cravit et dixit : Benedictus es, salvator Israel, qui contrivisti impetum potentis in manu servi tui David, et tradidisti castra alienigenarum in manu Jonathæ filii Saul, et armigeri ejus. 31. Conclude exercitum istum in manu populi tui Israel, et confundantur in exercitu suo et equitibus. 32. Da illis formidinem, et tabefac audaciam virtutis eorum, et commoveantur contritione sua. 33. Dejice illos gladio diligentium te; et collaudent te omnes, qui noverunt nomen tuum, in hymnis. 34. Et commiserunt prælium, et ceciderunt de exercitu Lysiæ quinque millia virorum. 35. Videns autem Lysias fugam suorum, et Judæorum audaciam, et quod parati sunt aut vivere, aut mori fortiter, abiit Antiochiam, et elegit milites, ut multiplicati rursus venirent in Judæam. 36. Dixit autem Judas, et fratres ejus : Ecce contriti sunt inimici nostri; ascendamus nunc mundare sancta, et renovare. 37. Et congregatus est omnis exercitus, et ascenderunt in montem Sion. 38. Et viderunt sanctificationem desertam, et altare profanatum, et portas exustas, et in atriis virgulta nata sicut in saltu vel in montibus, et pastophoria diruta. 39 Et sciderunt vestimenta sua, et planxerunt planctu magno, et imposuerunt cinerem super caput suum. 40. Et ceciderunt in faciem super terram, et exclamaverunt tubis signorum, et clamaverunt in cœlum. 41. Tunc ordinavit Judas viros, ut pugnarent adversus eos qui erant in arce, donec emundarent sancta. 42. Et elegit sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei; 43. et mundaverunt sancta, et tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. 44. Et cogitavit de altari holocaustorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret. 45. Et incidit illis consilium bonum ut destruerent illud; ne

forte illis esset in opprobrium, quia contaminaverunt illud Gentes, et demoliti sunt illud, 46. Et reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusque veniret propheta, et responderet de eis. 47. Et acceperunt lapides integros secundum legem; et ædificaverunt altare novum secundum illud quod fuit prius. 48. Et ædificaverunt sancta, et quæ intra domum erant intrinsecus; et ædem et atria sanctificaverunt. 49. Et fecerunt vasa sancta nova, et intulerunt candelabrum, et altare incensorum et mensam in templum. 50. Et incensum posuerunt super altare, et accenderunt lucernas, quæ super candelabrum erant, et lucebant in templo. 51. Et posuerunt super mensam panes, et appenderunt vela, et consummaverunt omnia opera quæ fecerant. 52. Et ante matutinum surrexerunt quinta et vigesima die mensis noni (hic est mensis Casleu) centesimi quadragesimi octavi anni; 53. et obtulerunt sacrificium secundum legem, super altare holocaustorum novum, quod fecerunt. 54. Secundum tempus et secundum diem, in qua contaminaverunt illud gentes, in ipsa renovatum est in canticis, et citharis, et cymbris, et in cymbalis. 55. Et cecidit omnis populus in faciem, et adoraverunt, et benedixerunt in cælum eum, qui prosperavit eis. 56. Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, et obtulerunt holocausta cum lætitia, et sacrificium salutaris et laudis. 57. Et ornaverunt faciem templi coronis aureis et scutulis; et dedicaverunt portas, et pastophoria, et imposuerunt eis januas. 58. Et facta est lætitia in populo magna valde, et aversum est opprobrium Gentium. 59. Et statuit Judas et fratres ejus, et universa ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis, ab anno in annum, per dies octo, a quinta et vigesima die mensis Casleu, cum lætitia et gaudio. 60. Et ædificaverunt in tempore illo montem Sion, et per circuitum muros altos, et turres firmas, ne quando venient Gentes, et conculcarent eum, sicut antea fecerunt. 61. Et collocavit illic exercitum, ut servarent eum, et munivit eum ad custodiendam Bethsuram, ut haberet populus munitionem contra faciem Idumææ.

1. Et assumpsit Gorgias quinque millia virorum (peditum) et mille equites electos, et moverunt castra nocte. — *Gorgias* erat unus ex tribus ducibus *Antiochi* et Syriæ belli experientissimus, quod et hic ostendit, dum cum militibus selectis nocte invadit castra Judæ, ut ex improviso eum dormientem cum suis opprimat. Hoc enim stratagemate Annibal cecidit Romanos, et Romani Asdrubalem fratrem Annibalis, teste Livio.

2. Et filii qui erant ex arce erant illis duces, — *q. d.* Milites Antiochi in arce Sion nati, vel educati, ideoque regionis et locorum gnari ducebant eos per vias obscuras (erat enim nox), anfractuosas et absconditas, quarum ipsi erant ignari, utpote exteri et alienigenæ.

3. Et audivit Judas, et surrexit ipse et potentes (robusti duces et milites) percutere virtutem exercituum regis, — puta tota castra a Gorgia relicta *Emaus* tantum versus, id est vim, robur, potentiam, exercitum et copias regis. Sed quia in his castris erant variarum gentium exercitus, inque validi et numerosi, hinc Noster vertit: « Virtutem exercituum regis. » Judas ergo per exploratores rescivit stratagema et consilium Gorgiæ, illudque in ipsum retorsit. Num eadem nocte ipse reliqua castra Gorgiæ relicta in Emmaum, secura et dormientia invasit, et ex inopinato oppressit.

4. Adhuc enim dispersus erat exercitus a castris, — *q. d.* Adhuc milites Gorgiæ non erant collecti, et in ordines aciesque suas distributi in castris, sed palabundi vagabantur, sensim colligebant ordinabantque se in castris. Judas, id sciens, dispersos et inordinatos agressus facile prostravit.

5. Et venit Gorgias in castra Judæ, et neminem invenit, — quia Judas cum suis eadem nocte iverat in Emmaum, ut relictos a Gorgia cæderet, ut dixi.

6. Et cum dies pactus esset, apparuit Judas in campo cum tribus millibus virorum (peditum) tantum, qui tegumenta (id est loricas, sive thoraces ferreos et scuta) et gladios non habebant, — scilicet, *sicut colebant*, ut edunt Græci antiquitatini codices, *q. d.* Non habebant gladios politos, acutos, latos et longos, quales ipsi optabant, et quales habebant hostes; sed impolitos, rubigine obductos, hebetatos, strictos et breves; multi etiam non gladios, sed pertica, fustibus, malleis, ligonibus, falcibus aliisque armis rusticis duntaxat, quæ domi, vel in agro repererant, armati incedebant. Eo major fuit Dei virtus et militum fortitudo, ac victoria. Hoc est quod ait Josephus, lib. XII, cap. XI: « Ducens tria millia virorum non satis instructa armis propter inopiam. » Ita Dionysius Carthusianus et Josephus, Stephanus hic, qui et addit multos ex iis fuisse fundibularios, qui gladiis uti non solebant, ut liberi essent in librandis lapidibus ex fundis. Minus probabiliter Tyranus pro « qui » legens « quia » sic explicat, *q. d.* Ideo Judas tria duntaxat millia armatorum et gladiatorum eduxit in aciem, quia cæteri Judæi non habebant gladios et clypeos, ut pugnare possent. Porro eos habuisse gladios liquet ex v. 43, ubi dicitur: « Novissimi autem eorum ceciderunt gladio, » et ex eo quod paulo ante Judæi spoliaverunt castra Apollonii; indeque tulerunt gladios et arma cætera.

Vers. V. Machabæi pugnabant pedites, nec habebant equites.

7. Et viderunt castra gentium valida, et loricatos et equitatus. — Nota: Judas et Machabæi pugnabant pedites, nec habebant equites; nulla enim equorum fit mentio, cum hostes copiosum haberent equitatum æque ac peditatum. Causæ fuere variæ. *Prima*, quia Deus, *Deuter.* XVII, 16, vetuerat Judæis copiam equorum, ne in eis, sed in ipso confiderent. Ita S. Basilius et alii, quos ibidem citavi, licet Abulensis id negare videatur. *Secunda*, quia Judæa est montosa et præcepta; unde equis et equitibus vix pervia et ad pugnam incommoda. *Tertia*, quia Judæa carebat equorum abundantia, ac eorum loco utebatur asinis et mulis, equos vero ex Ægypto (uti fecit Salomon) accersebat: ibi autem eos emere, indeque in Judæam deducere, Machabæis nimis erat onerosum et sumptuosum. *Quarta*, volebat Id Deus, ut magis ostenderet suam potentiam, ac virtutem et robur Machabæorum, quod scilicet ipsi sola eius ope, ut fatetur hic Judas, ejus ope implorata, pauci enim multis, pedites cum equitibus, inermes fere cum armatis confligentes, eos tamen prostraverint. Juxta illud Davidis: « Ii in curribus et hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus, » *Psal.* XIX, 8.

8. Et nunc, clamemus in cælum, — dicentes: *Mi camocha baelim Jehova*, id est: « Quis similis tui in fortibus, Domine? » *Exodi* XV. Hoc enim erat emblema et tessera Judæ: unde ex versus illius litteris initialibus junctis, dictus est *Machabi*, id est Machabæus, ut satis ex hisce ejus verbis et similibus colligitur. Nam Judas ubique spem victoriæ non in armis, nec in militibus, sed in Deo unico reponit, eumque invocavit, atque hac confidentia et supplici prece semper victoriam obtinuit, excepto ultimo prælio, in quo vulneratus occubuit, eo quod non legitur ante prælium Deum invocasse, uti alias facere solebat.

Et memor erit testamenti patrum nostrorum. — *q. d.* Memor erit Deus pacti et fœderis cum patribus nostris initi, ut scilicet nos eam colamus, quasi Deum nostrum, et ipse vicissim noster sit Deus, id est protector, provisor, tutor et custos; decoque nos a totius quæ hostibus fiberet, eosque coram nobis prosternat.

9. Novissime autem (fugientium) omnes cecidere gladio — casu a Juda et sociis, qui fugientes persequebantur, et cædem hostium carpebant ultimosque emdebant.

12 Dixitque Judas: Non concupiscatis spolia, quia bellum contra nos est. — Vide hic prudentiam militarem Judæ, qua suos sub signis continuit, nec spolia hostium rapere permisit, ne hostes fugientes, id videntes, se rursum colligerent, ac Judæos palantes, et spoliis onustos invaderent et prosternerent. Sic enim hoc sæculo vidimus Germanos et Transylvanos, cum multa Turcarum millia cecidissent, ab iisdem fuisse cæsos, eo quod præpropere ad spolia dilapsi, Turcis se in montibus colligendi, et spoliis onustos invadendi mactandique ansam dedissent. Ita Tomyris regina Scytharum, fugam simulans, castra spoliis et vino referta, Cyro et Persis diripienda reliquit: at mox regrediens eosdem vino somnoque sepultos ad unum omnes obtruncavit, teste Justino, Herodoto et aliis. Fridericum, Bohemiæ regem, Boleslaus II triplici prælio fudit. Sed dum militi in diripienda præda locum dat, nec victoriam prosequitur; Fridericus, collecto milite, triplici tumentem victoria vicit, et in exilium redire compulit. Ita Delrius, lib. XIII, plura exempla de Alexandro, Annibale, Tiberio. Vide apud Frontinum, lib. II, cap. V. Avaritia ergo, et prædæ aviditas decipit prudentiam, ac victoribus victoriam extorquet, eamque in victos transfert, facitque ut finis locus exitii, qui paulo ante fuerat victoriæ. Quare sapientes belliduces militem a præda cohibent, et in acie armatos continent, hostesque fugientes persequuntur, donec plena de iis sit victoria; tunc enim secura est prædatio et spoliatio. Hac de causa duces bello victi, ut hostem insequentem morentur, eamque effugiant, pecunias et res pretiosas post se spargunt, ut iis colligendis hostis occupatus persequi desistat. Ita Tryphon rex Syriæ victus, pecunias et res pretiosas post se spargunt, ut iis colligendis hostis occupatus persequi desistat.

Vers. 12 spargunt

Vers. 13 colligendis

Vers. 14 Judæos

Vers. 15 spolia

dispersit, et hac ratione equites Antiochi sectantes moratus evasit, teste Julio Frontino, lib. II *De Stratagematis* cap. XIII, qui et addit idem fecisse Gallos cum Attilio pugnantes. Idem fecisse Milliridatem victum a Luculio et Romanis, ac per gazam regium Romanis objectam eorum insequentium manus effugisse tradit Plutarchus in *Lucullo*. Sic castor e venatorum manibus elabitur, relicta virilia eis objiciens; ob hoc enim eos se venari cognoscit, ut e suis virilibus castoreum medicis assignent. Auct Polybium, libro X: « Et quoniam plurimi prædæ inhiant, atque victoriam plenam obtinere nequeunt, fit ut de summa rerum periclitentur. Multis hoc accidit ut, licet facti sint voti compotes, et vel in castra hostium irruerint, vel civitatem ceperint, attamen non solum ejecti sint, sed et totius causæ periculum et detrimentum incurrerint. »

Tropologice nos cum dæmonibus assidue luctantes spolia terrena relinquere debemus, ne, si eis incubemus, ab illis occupemur et superemur: « Nudi ergo cum nudis luctemur, » ait S. Gregorius.

20. Et succenderunt castra. — Judas succendit castra, id est tentoria hostium, ut Gorgias emissa e monte rem spectans sciret suos esse cæsos, ideoque

que castra a Juda esse succensa, itaque metuens tib: et suis fugam capesseret. Quod et factum est.

23. HYACINTHUM (id est vestes hyacinthini, vel violacei coloris) ET PURPURAM BABINAM, — quæ fit ex succo conchyliorum marinorum, ac præsertim pisciculi, qui purpura vocatur, idque maxime in Tyro; unde vocatur purpura Tyria, et Serranum (*Tyrus* enim Hebraice dicitur Ser) ostrum, teste Plinio, lib. IV, cap. XXXVIII et XXXIX; nam purpura, quæ fit ex violis aliisque herbis, pallet, nec cum Tyria comparari potest: hæc enim est ardens, et quasi ignea. Unde Virgilius, *Æneid.* IV: « Tyrioque ardebat murice lana. »

Illius *Adagia* Porro milites Chaldæi æque ac Persæ utebantur vestibus purpureis et coccineis tum ad ornatum. Unde Xenophon, lib. IV *Cyrop.*: « Erant, ait, milites armati omnes iisdem armis, quibus Cyrus, puniceis tunicis; » tum ut in prælio vulnerati sanguinem diffluentem, vulneraque tegerent per concolorem tunicam purpuream, ne socios consternerent et hostibus audaciam adderent, uti testatur Valerius Maximus, lib. II, cap. VI; et Ælianus, lib. VI, cap. VI.

24. ET CONVERSI HYMNUM CANERANT, — puta epinicium Deo, victoriam illius opi et virtuti non suæ assignantes; qua gratitudine Deum sibi devinciebant, ut novas eis daret victorias; victoria enim est donum Dei, qui illud gratis largitur, ingratis negat, vel datum aufert. Hinc Christiani, parta victoria, canunt: « Te Deum laudamus. »

25. ET FACTA EST SALUS, id est victoria, MAGNA IN ISRAEL; — victoria enim hæc salutem dedit Israeli. Metonymice ergo ponitur causa pro effecta. Vide dicta cap. III, 6. Adde: salus, sicut et pax Hebræis omne beneficium, omnem felicitatem, omne bonum significat. Unde illud *Psalm.* XVII: « Magnificans salutes, id est beneficia et dona regis ejus; » hinc eas mox vocat « misericordiam, » sive gratiam.

28. ET SEQUENTI ANNO CONGREGAVIT LYSIAS VIROS RUM (peditum) ELECTORUM SEXAGINTA MILLIA ET EQUITUM QUINQUE MILLIA, — quæ Judas cum paucis Deo nixus pari fortitudine et felicitate prostravit, vers. 34.

32. DA ILLIS FORMIDINEM, (immitte eis terrorem panicum, ut putent contra se venire, vel militum, vel Angelorum formidabiles acies, itaque perculsi fugiant, imo se invicem invadant, putantes commilitones suos esse hostes, itaque) CONFUNDANTUR CONTRITIONE SUA, — ut se multo confundo cædendo conterant, se proterant et trucident, uti factum est Madianitis sub Gedeone, qui mutua se cæde truncabant. *Judicum* VII, 22.

ET TABEFAC (Græce πάξον, id est *liquefac*, sicut cera dissolvitur et liquefit coram igne) AUDACIAM VIRTUTIS EORUM.

nerose tam ad « vivere » quam ad « mori: » respondendum est; vivit autem fortiter in prælio is qui vincit; moritur vero fortiter qui vincitur a numero hostium, sed fortiter pugnando occiditur.

ABIIT ANTIOCHIAM. — Prudenter abiit Lysias, quia cum resolutis et desperatis periculosissima est pugna, uti ostendi in libro Judicum et Regum. Quare Judas habens milites, quibus deliberatum erat aut vincere, aut mori, omnes hostium acies protrivit, et admirandas obtinuit victorias. Hæc enim militum resolutio facit eos imperterritos et animosos, quasi leones, ut per tela, per saxa, per ignes involent in hostem, velut fulmina, eosque percellant, sternant et dissipent.

36. DIXIT AUTEM JUDAS ET FRATRES EJUS: ECCE CONTRITI SUNT INIMICI NOSTRI, ASCENDAMUS NUNC MUNDARE SANCTA, — puta sanctum templum, sancta altaria et vasa, ut ea a Gentibus per idola et superstitiones profanata et polluta explemus ac renovemus, id est, pristino nitori, honori et decori, debitoque cultui restituamus. Vide hic pietatem æque ac solertiam Judæ, qui otio a bellis sibi a Lysia concesso utitur ad negotium sanctum, ut templum expiet, in eoque Dei sacrificia, cultumque restauret. Imitantur Judam nostri duces et milites, ut cum fortitudine bellica, Dei timorem, cultum et pietatem conjungant: itaque a Deo victoriis, omnibusque bonis præsentibus et æternis cumulabuntur.

38. ET VIDERUNT SANCTIFICATIONEM (id est sanctuarium, sive templum; puta Sanctum et Sanctum sanctorum) DESERTAM ET PASTOPHORIA DIRUTA. — Pastophoria erant cubicula sacerdotum annexa templo, in quibus vestes, opesque templi asservabantur; unde et *gazophylacia* vocabantur et *thalami*, Ezech. XL. παστὰς enim est thalamus, et *exedræ*, quod in eis essent sedes ad sedendum et quiescendum.

40. ET EXCLAMAVERUNT TUBIS SIGNORUM; — vocantur tubæ « signorum, » quia per earum clangorem significabantur dies festi et populi convocatio, sive conventus, *Num.* X, 1 et 10. Verius tamen videtur has tubas non fuisse sacras templi; has enim jam abstulerant milites Antiochi, templum profanantes, sed profanas castrorum et belli. Hæ vocantur « signorum, » quia significabant militi, quid agendum foret, ac præsertim adesse hostem, ut ad prælium contra eum se pararet. Erant enim hæ tubæ Judæ ducis, ejusque militum, ut inter hostes constituti tubarum clangore convocarentur, et excitarentur ad vigilandum et ad prœliandum eo tempore, quo sacerdotes et eorum asseclæ mundabant templum, ne Antiochi satellites arcem Sion insidentes, ex ea in templum decurrerent et mundantes obtruncarent. Ita Sanchez; unde explicans subdit:

41. TUNC ORDINAVIT JUDAS VIROS, UT PUGNARENT ADVERSUS EOS QUI ERANT IN ARCE, DONEC EMUNDARENT SANCTA — templi loca, atria et vasa. Arcem Sion enim obtinebant hostes, scilicet Antiochi milites, nec inde eos expellere potuit Judas hoc anno 148 Græcorum, sed post biennium anno 150 Græcorum arcem obsidere cœpit, ac per 23 annos eam obsedere Machabæi, quibus expletis eam tandem expugnarunt, anno 171 Græcorum, ut dicitur cap. XIII, 50.

Vers. 42. 42. VOLUNTATEM HABENTES IN LEGE DEI. — « Voluntatem, » id est pium affectum, desiderium, studium legis et cultus Dei promovendi.

Vers. 43. 43. ET TULERUNT LAPIDES CONTAMINATIONIS, — e quibus Gentiles idololatræ construxerant sua idola, aras, statuas, etc., quibus tam lapides, quam templum contaminarant et profanarant, cap. I, 50 et lib. II, cap. X.

IN LOCUM IMMUNDUM, — puta in Tophet, sive gehennam, ubi cremabant infantes idolo Moloch. Hic enim locus erat immundissimus et execrabilis, IV *Reg.* XXIII, 10. Sic olim aræ et templa idolorum a Christianis fuere plane diruta et eversa usque ad S. Gregorium, qui libro IX, *Epist.* 71 *ad Mellitum* decernit, ut illa non dirnantur, sed expientur, et ab idolorum cultu ad Dei cultum transferantur.

Vers. 44. 44. ET COGITAVIT DE ALTARI HOLOCAUSTORUM (quod olim Esdras et sacerdotes in reædificato templo erexerant) QUOD PROFANATUM ERAT (per idolum Jovis Olympii, quod in eo collocarant Antiochistæ) QUID DE EO FACERET, — an illud emundaret ad usum, an vero amoveret, quasi indignum ad usum.

Vers. 45. 45. ET INCIDIT ILLIS CONSILIUM BONUM, UT DESTRUERENT ILLUD, NE FORTE ILLIS ESSET IN OPPROBRIUM, — ne idololatræ eis exprobrarent, quod in altari per idolum Jovis Olympii polluto sacrificarent, quodque non Deo, sed Jovi sacrificarent; Jovis enim idolum in ea fuerat collocatum.

Vers. 46. 46. ET REPOSUERUNT LAPIDES IN MONTE DOMUS (id est in monte Sion, in quo domus Dei, sive templum fabricatum erat) DONEC VENIRET PROPHETA — aliquis, præsertim Messias; hunc enim avide a multis seculis exspectabant Judæi, et jam imminebat ejus adventus. Nam ab anno 148 Græcorum, quo hæc gesta sunt, usque ad ortum Christi fluxere anni 139 duntaxat. Hinc disce hoc tempore Machabæorum nullum fuisse prophetam in Israel; nam ultimi fuere prophetæ, Zacharias et Malachias. Dices: Cur Judas, cum esset Pontifex, non consuluit Deum per oraculum Ephod, sive per Urim et Thummim? Respondet Josephus oraculum hoc ducentis annis ante Christum siluisse et desiisse. Ita ipse, lib. III, cap. XI. Idem censent Abulensis et alii. Aut certe Ephod hoc dans oracula jam ablatum erat ab Antiochi ministris, ac præsertim a pseudopontifice Jasone, Menelao, Alcimo apostatis et proditoribus, ut Judas eo uti, et per illud Deum consulere non posset. Ita Sanchez.

48. ET ÆDIFICAVERUNT (ab idololatris diruta, vel disrupta restaurarunt) SANCTA, id est, priorem partem templi, quæ vocabatur « Sanctum vel Sancta » in plurali, uti hic vocatur, ET QUÆ INTRA DOMUM ERANT INTRINSECUS, — id est et quoque ea, quæ erant in posteriori et interiori parte templi quæ dicebatur « Sancta sanctorum, » id est sanctissima. In Sancto erat mensa panum propositionis, candelabrum aureum et altare thymiamatis, quæ ab Antiochi satellitibus ablata fuere; unde nova fabricavit Judas, ut dicitur vers. 49. In Sancto sanctorum tantum erat Arca cum Cherubim et Propitiatorio; sed hæc paulo ante excidium Jerusalem per Chaldæos e templo extulit Jeremias et abscondit. Unde Hebræi asserunt in secundo templo, reædificato post reditum e Babylone per Zorobabel, non fuisse Arcam. Alii dicunt fuisse Arcam, non a Mose fabricatam, hanc enim extulit Jeremias, sed aliam Mosaicæ similem a Judæis post reditum effformatam, de quo plura lib. II.

ET ÆDEM ET ATRIA SANCTIFICAVERUNT. — Ædes vocatur Sanctum sanctorum, quod præcessit; unde τὸ « ædem » non est in græco: « atria » erant vicina templo circumcirca, in quibus populus degebat et spectabat sacrificia; hæc omnia ab idololatris contaminata et polluta Judas sanctificavit, id est ab idolis et superstitione purgavit, aqua lustrali expiavit, ac Deo rursum solemni benedictione dedicavit.

52. QUINTA ET VIGESIMA DIE MENSIS NONI (HIC EST MENSIS CASLEU, — qui nostro partim novembri, partim decembri respondet. Hebræi enim utebantur mensibus lunaribus, cum nos utamur solaribus. Quare hac eadem die 23 Casleu Judæi celebrabant quotannis festum Encæniorum, sive dedicationis templi, eadem die hoc loco facta a Juda. Causa festi fuit beneficii, indeque lætitiæ magnitudo, ideoque per octo dies celebrabatur. Audi II *Machab.* X, 5: « Qua die autem templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationem fieri vigesima quinta mensis, qui fuit Casleu; et cum lætitia diebus octo egerunt in modum Tabernaculorum, recordantes quod ante modicum temporis diem solemnem Tabernaculorum in montibus et in speluncis more bestiarum egerant. Propter quod thyrsos et ramos virides, et palmas præferebant ei qui prosperavit mundari locum suum, etc. » Et Josephus, lib. XII: « Tanta vero lætitia ob reductos ritus patrios et priscam religionem occupavit gentis animos, maxime quod ea felicitas ex insperato obtigerat, ut lex lata sit ad posteros, quæ juberet quotannis hoc festum reparari cum cæremoniis templi, per octo dies celebrari; et ex eo tempore mos hic apud nostros obtinuit, vocamusque hanc festivitatem luminum, opinor ideo, quod ex insperato nobis illuxerit tanta felicitas, » etc. Vers. 52. Festum Encæniorum.

Tropologice festo Encæniorum significatur festum quod agunt Angeli et Sancti de peccatore pœnitentiam agente, cum ipse templum animæ suæ, quod per peccatum profanarat, per contritionem expurgat, rursumque Deo dedicat. Vide Riberam, lib. V *De Templo*, cap. XVII. Tropologice.

Vers. 54. 54. SECUNDUM TEMPUS ET SECUNDUM DIEM, (id est, eodem plane die, scilicet 25 Casleu,) IN QUA CONTAMINAVERUNT ILLUD GENTES, — ante triennium, cap. I, 62. *q. d.* sicut anno 145 Græcorum, die 25 mensis Casleu, Antiochus profanavit templum, ut dictum est cap. I, 62. Ita Judas post triennium, puta anno 148 Græcorum, eadem die 25 mensis Casleu templum diserte repurgavit, rursumque Deo dedicavit, uti dicitur lib. I, cap. X, 5. Idem ergo dies fuit profanationis et dedicationis, desolationis et consolationis, luctus et gaudii. Porro Judas dedicavit templum anno 148 Græcorum, vivente adhuc Antiocho; nam hic mortuus est anno sequenti 149 Græcorum, ut dicitur cap. VI, 16.

ET CITHARIS ET CINYRIS. — Hæc duo instrumenta musica vicina erant et sola magnitudine, ac forte fidium numero inter se distincta, uti apud Italos sunt *viole* vel *violini*. Unde Noster II *Paralip.* IX, 11, et alibi pro cinyris, ut habet Græcus, vertit « citharas, » cithara enim Hebraice vocatur כנור *kinnor*, id est cinyra.

59. ET STATUIT JUDAS, etc. — *q. d.* Judas quasi Pontifex instituit festum Encæniorum quotannis celebrandum die 25 Casleu in memoriam purgationis et dedicationis templi, ab illo eodem die factæ. Hujus festi meminit S. Joannes *in Evang.* cap. X, 22. Vide de hoc festo Riberam, lib. V *De Templo*, cap. XVII. Hinc solemne semper apud fideles fuit festum dedicationis Ecclesiæ, ut patet ex homiliis, quas in eo habuerunt S. Augustinus, S. Gregorius, S. Chrysostomus, Beda, Bernardus et alii. Sanctus Constantinus Magnus omnes Episcopos convocavit ad dedicationem templi Jerosolymitani. Quin et Michael Archangelus dedicavit Ecclesiam in monte Gargano, cujus rei memoriam quotannis celebramus die 29 septembris. S. Petrus sibi Ecclesiam dedicavit Londini in Anglia, ut habet vita Eduardi regis Angliæ apud Surium. Denique Christus ipse dedicavit Ecclesiam S. Dionysii Parisiis. Rem gestam enarrat Robertus Gaguinus, lib. III *De gestis Francorum*.

Dignitas dedicationis Ecclesiæ.

Exempla.

Vers. 60. 60. ET ÆDIFICAVERUNT MONTEM SION. — *q. d.* In monte Sion construxerunt arcem oppositam arci hostili, ut hostes cohiberent, de templum sua excursione tutarentur. Licet enim vers. 40, Judas constituerit milites, qui tutarentur eos qui purgabant templum, necnum tamen arcem eis construxerat; quare illam hic construit. Ex hoc loco originem habuisse videntur milites ad templi custodiam deputati, eorumque præfecti, qui « magistratus templi » vocantur *Act.* IV, 1, et *Luc.* XXII, 4, quos Chrysostomus vocat « Duces militum templi; » Beda, « Prætores templi; » Syrus, « Præfectos templi; » Græce vero vocantur στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, id est milites templi, *Luc.* XXII, 52. Videntur hi fuisse Levitæ e tribu Levi, quorum immensus erat numerus : ad hos enim cura templi et sacrorum spectabat, ac proinde per arma et milites suos ea vere debebant, ne quis tumultus fieret in templo. Levitæ enim et Sacerdotes quotidie manus cruentando mactatione et laniatione victimarum assuescebant sanguini, discebantque mactare homines templi inimicos. Ad horum similitudinem Jerosolymis a Christianis recuperatis, anno post Christum 1130, instituti sunt Jerosolymitani equites, dicti Templarii, sive milites templi, quorum munus erat itinera ad templum ab infidelium et prædonum incursu tuta servare, uti docet Guilielmus Tyrius, lib. XII *De bello sacro*, cap. VII. Exstat ad hos insignis sermo S. Bernardi qui illo sæculo vixit, ad milites templi, ubi, cap. IX, asserit eos habitasse juxta templum. Verum eum tandem ipsi imperium Patriarchæ Jerosolymitani, a quo instituti fuerant, detractarent, atque ob ingentes opes insolescerent, a Clemente V, instigante Philippo Pulchro Franciæ rege, exstincti fuere anno Domini 1311, uti in ejus vita narrat Platina, Genebrardus et Volaterranus, lib. XXII *Anthr.* et patet ex Concilio Viennensi in quo sententia damnationis contra Templarios lata est una cum decreto exstinctionis Ordinis ipsorum.

Milites templi.

61. AD CUSTODIENDAM BETHSURAM. — Bethsura fuit alia munitio constructa a Juda contra Idumæos, quinque stadiis distans ab arce Sion et a Jerosolymis (stadium continet 125 passus) intra montium fauces, instar Thermopylarum, ait Josephus : unde « Bethsura, » Hebraice idem est quod *domus rupis*. Audi Adrichomium *in Descrip. tribus Juda*, num. 61 : « Bethsur vel Bethsora S. Hieronymi ætate erat oppidum, vel, ut alii, præsidium et castrum totius Judææ munitissimum; et quoniam erat undique circumvallatum montibus, ab eo nomen accepit. Interpretatur enim Bethsur domus rupis, petræ, aut fortitudinis. Impositum erat claustris montium ad vallem Raphaim, distans uno milliario a Jerusalem, sita super via publica, quæ a Jerusalem ducit Gazam, ut quidam volunt. Firmavit locum hunc ædificiis Roboam filex Judæ, et iterum Judas Machabæus; Lysias oppugnavit; Antiochus Eupator dedititiæ cepit per fraudem, Jonathas Machabæus recepit. Apud hoc castellum reges Syriæ cum vim Judæis intentarent, sæpe cæsi et profligati sunt. Ipse postremum Simon Machabæus occupatum, contra omnes hostium irruptiones fortissime communivit præsidiis. Erat tempore Hieronymi fons ad radices Bethsur, qui ab eadem, qua gignebatur, humo sorbebatur, in quo fonte quidam putant Eunuchum Candacis reginæ a Philippo baptizatum, atque inde nomen accepisse Fons Æthiopis. »

Bethsura fuit munitissima.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judas Ammonitas, Moabitas et Idumæos profligat, eosque, vers. 9, Galilæis per Simonem fratrem, Galaaditis per se succurrit, ac vers. 28. Bosor, et vers. 35, Maspha, aliasque urbes Galaaditidis expugnat. Inde, vers. 37, integro prælio cædit Timotheum, et vers. 46, expugnat Ephronem; sed vers. 50, cæduntur Josephus et Azarias Judæ consuli.

1. Et factum est, ut audierunt Gentes in circuitu, quia ædificatum est altare et sanctuarium sicut prius, iratæ sunt valde : 2. et cogitabant tollere genus Jacob, qui erant inter eos, et cœperunt occidere de populo, et persequi. 3. Et debellabat Judas filios Esau in Idumæa, et eos qui erant in Acrabathane, quia circumsedebant Israelitas, et percussit eos plaga magna. 4. Et recordatus est malitiam filiorum Bean, qui erant populo in laqueum et in scandalum, et insidiantes ei in via. 5. Et conclusi sunt ab eo in turribus, et applicuit ad eos, et anathematizavit eos, et incendit turres eorum igni, cum omnibus qui in eis erant. 6. Et transivit ad filios Ammon, et invenit manum fortem, et populum copiosum, et Timotheum ducem ipsorum : 7. et commisit cum eis prælia multa, et contriti sunt in conspectu eorum, et percussit eos : 8. et cepit Gazer civitatem, et filias ejus, et reversus est in Judæam. 9. Et congregatæ sunt gentes quæ sunt in Galaad, adversus Israelitas qui erant in finibus eorum, ut tollerent eos; et fugerunt in Datheman munitionem, 10. et miserunt litteras ad Judam et fratres ejus, dicentes : Congregatæ sunt adversum nos gentes per circuitum, ut nos auferant; 11. et parant venire, et occupare munitionem in quam confugimus; et Timotheus est dux exercitus eorum. 12. Nunc ergo veni, et eripe nos de manibus eorum, quia cecidit multitudo de nobis. 13. Et omnes fratres nostri, qui erant in locis Tubin, interfecti sunt : et captivas duxerunt uxores eorum, et natos et spolia, et peremerunt illic fere mille viros. 14. Et adhuc epistolæ legebantur, et ecce alii nuntii venerunt de Galilæa concissis tunicis, nuntiantes secundum verba hæc : 15. Dicentes convenisse adversum se a Ptolemaida, et Tyro, et Sidone; et repleta est omnis Galilæa alienigenis, ut nos consumant. 16. Ut audivit autem Judas, et populus, sermones istos, convenit ecclesia magna cogitare quid facerent fratribus suis qui in tribulatione erant, et expugnabantur ab eis. 17. Dixitque Judas Simoni fratri suo : Elige tibi viros, et vade, et libera fratres tuos in Galilæa; ego autem et frater meus Jonathas ibimus in Galaaditim. 17. Et reliquit Josephum filium Zacharie et Azariam, duces populi, cum residuo exercitu in Judæa ad custodiam : 19. et præcepit illis, dicens : Præsidete populo huic; et nolite bellum committere adversum gentes, donec revertamur. 20. Et partiti sunt Simoni viri tria millia, ut iret in Galilæam; Judæ autem octo millia in Galaaditim. 21. Et abiit Simon in Galilæam, et commisit prælia multa cum gentibus; et contritæ sunt gentes a facie ejus, et persecutus est eos usque ad portam 22. Ptolemaidis; et ceciderunt de gentibus fere tria millia virorum, et accepit spolia eorum. 23. Et assumpsit eos qui erant in Galilæa, et in Arbatis, cum uxoribus, et natis, et omnibus quæ erant illis, et adduxit in Judæam cum lætitia magna. 24. Et Judas Machabæus et Jonathas frater ejus transierunt Jordanem, et abierunt viam trium dierum per desertum. 25. Et occurrerunt eis Nabuthæi, et susceperunt eos pacifice, et narraverunt eis omnia quæ acciderunt fratribus eorum in Galaaditide, 26. et quia multi ex eis comprehensi sunt in Barasa, et Bosor, et in Alimis, et in Casphor, et Maged, et Carnaim; hæ omnes civitates munitæ et magnæ. 27. Sed et in cæteris civitatibus Galaaditis tenentur comprehensi, et in crastinum constituerunt admovere exercitum civitati-

bus his, et comprehendere, et tollere eos in una die. 28. Et convertit Judas, et exercitus ejus, viam in desertum Bosor repente, et occupavit civitatem; et occidit omnem masculum in ore gladii, et accepit omnia spolia eorum, et succendit eam igni. 29. Et surrexerunt inde nocte, et ibant usque ad munitionem. 30. Et factum est diluculo, cum elevassent oculos suos, ecce populus multus, cujus non erat numerus, portantes scalas et machinas, ut comprehenderent munitionem, et expugnarent eos. 31. Et vidit Judas quia cœpit bellum, et clamor belli ascendit ad cœlum sicut tuba, et clamor magnus de civitate: 32. et dixit exercitui suo: Pugnate hodie pro fratribus vestris. 33. Et venit tribus ordinibus post eos, et exclamaverunt tubis, et clamaverunt in oratione. 34. Et cognoverunt castra Timothæi quia Machabæus est, et refugerunt a facie ejus; et percusserunt eos plaga magna, et ceciderunt ex eis in die illa fere octo millia virorum. 35. Et divertit Judas in Maspha, et expugnavit et cepit eam; et occidit omnem masculum ejus, et sumpsit spolia ejus, et succendit eam igni. 36. Inde perrexit, et cepit Casbon, et Mageth, et Bosor, et reliquas civitates Galaaditidis. 37. Post hæc autem verba congregavit Timotheus exercitum alium, et castra posuit contra Raphon trans torrentem. 38. Et misit Judas speculari exercitum; et renuntiaverunt ei, dicentes: Quia convenerunt ad eum omnes gentes, quæ in circuitu nostro sunt, exercitus multus nimis: 39. et Arabas conduxerunt in auxilium sibi, et castra posuerunt trans torrentem, parati ad te venire in prælium. Et abiit Judas obviam illis. 40. Et ait Timotheus principibus exercitus sui: Cum appropinquaverit Judas, et exercitus ejus ad torrentem aquæ; si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum, quia potens poterit adversum nos. 41. Si vero timuerit transire, et posuerit castra extra flumen, transfretemus ad eos, et poterimus adversus illum. 42. Ut autem appropinquavit Judas ad torrentem aquæ, statuit scribas populi secus torrentem, et mandavit eis dicens: Neminem hominum reliqueritis; sed veniant omnes in prælium. 43. Et transfretavit ad illos prior, et omnis populus post eum; et contritæ sunt omnes gentes a facie eorum, et projecerunt arma sua, et fugerunt ad fanum, quod erat in Carnaim. 44. Et occupavit ipsam civitatem, et fanum succendit igni, cum omnibus qui erant in ipso; et oppressa est Carnaim, et non potuit sustinere contra faciem Judæ. 45. Et congregavit Judas universos Israelitas, qui erant in Galaaditide, a minimo usque ad maximum, et uxores eorum, et natos, et exercitum magnum valde, ut venirent in terram Juda. 46. Et venerunt usque Ephron; et hæc civitas magna in ingressu posita, munita valde, et non erat declinare ab ea dextera vel sinistra, sed per mediam iter erat. 47. Et incluserunt se qui erant in civitate, et obstruxerunt portas lapidibus; et misit ad eos Judas verbis pacificis, 48. dicens: Transeamus per terram vestram, ut eamus in terram nostram; et nemo vobis nocebit; tantum pedibus transibimus. Et nolebant ei aperire. 49. Et præcepit Judas prædicare in castris, ut applicarent unusquisque in quo erat loco. 50. Et applicuerunt se viri virtutis, et oppugnavit civitatem illam tota die, et tota nocte, et tradita est civitas in manu ejus: 51. et peremerunt omnem masculum in ore gladii, et eradicavit eam, et accepit spolia ejus, et transivit per totam civitatem super interfectos. 52. Et transgressa sunt Jordanem in campo magno contra faciem Bethsan. 53. Et erat Judas congregans extremos, et exhortabatur populum per totam viam, donec venirent in terram Juda. 54. Et ascenderunt in montem Sion cum lætitia et gaudio, et obtulerunt holocausta, quod nemo ex eis cecidisset, donec reverterentur in pace. 55. Et in diebus, quibus erat Judas et Jonathas in terra Galaad, et Simon frater ejus in Galilæa contra faciem Ptolemaidis, 56. audivit Josephus Zachariæ filius, et Azarias princeps virtutis, res bene gestas, et prælia quæ facta sunt, 57. et dixit: Faciamus et ipsi nobis nomen, et eamus pugnare adversus gentes quæ in circuitu nostro sunt. 58. Et præcepit his qui erant in exercitu suo, et abierunt Jamniam. 59. Et exivit Gorgias de civitate, et viri ejus obviam illis in pugnam. 60. Et fugati

sunt Josephus et Azarias usque in fines Judææ: et ceciderunt illo die de populo Israel ad duo millia viri, et facta est fuga magna in populo; 61. quia non audierunt Judam et fratres ejus, existimantes fortiter se facturos. 62. Ipsi autem non erant de semine virorum illorum per quos salus facta est in Israel. 63. Et viri Juda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israel, et gentium omnium ubi audiebatur nomen eorum. 64. Et convenerunt ad eos fausta acclamantes. 65. Et exivit Judas, et fratres ejus, et expugnabant filios Esau, in terra quæ ad Austrum est, et percussit Chebron et filias ejus; et muros ejus et turres succendit igni in circuitu. 66. Et movit castra ut iret in terram alienigenarum, et perambulabat Samariam. 67. In die illa ceciderunt Sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium. 68. Et declinavit Judas in Azotum in terram alienigenarum, et diruit aras eorum, et sculptilia deorum ipsorum succendit igni; et cepit spolia civitatum, et reversus est in terram Juda.

Vers. 4. 4. MALITIAM FILIORUM BEAN.—« Bean, » ait S. Hieronymus *in locis Hebr.* est « civitas Amorrhæorum, quæ et ipsa a filiis Ruben tenta est. » Sic et Eusebius.

Vers. 5. 5. ET ANATHEMATIZAVIT EOS, — id est omnino eos evertit et excidit. Hoc enim est Hebraice חרם *cherem*, id est anathema, puta omnimoda cædes et exidium.

Vers. 8. 8. CEPIT GAZER. — Erat hæc urbs in regione Ammon.

Vers. 11. 11. ET TIMOTHEUS EST DUX EORUM. — Timotheus erat dux Ammonitarum, qui perpetui fuere et infensi Judæorum hostes.

Vers. 19. 19. ET PRÆCEPIT ILLIS: PRÆSTOTE POPULO HUIC, ET NOLITE BELLUM (prælium) COMMITTERE ADVERSUM GENTES DONEC REVERTAMUR. — Vide hic prudentiam Judæ, qua vetat relictis prælium; tum quia hostibus erant inferiores, tum quia ipsos omnes custodiæ populi deputarat: iis enim cæsis actum erat de toto populo. Hi violantes præceptum Judæ confixerunt cum hoste, ideoque ab eo cæsi sunt, vers. 50.

Vers. 23. 23. ET ASSUMPSIT, (Judas Judæos paucos in Galilæa, periculose ob vicinos hostes in Galilæa et Philisthæa degentes, eosque) ADDUXIT IN JUDEAM, — ut in ea inter suos tuti quietius habitarent.

Vers. 26. 26. ET QUIA MULTI EX EIS COMPREHENSI (id est, obsessi et quasi capti cinguntur undique ab inimicis) IN BARASA, — Græce IN *Bosra*, aliisque civitatibus Galaad, ne possint egredi, vel manus eorum evadere.

Vers. 27. 27. SED ET IN CÆTERIS CIVITATIBUS GALAADITIDIS TENENTUR COMPREHENSI (id est ab hoste vallati et conclusi, uti dixi vers. 26, unde sequitur) ET IN CRASTINUM CONSTITUERUNT ADMOVERE EXERCITUM CIVITATIBUS HIS, ET COMPREHENDERE (id est expugnare et capere,) ET TOLLERE EOS (id est occidere earum incolas) IN UNA DIE, — unde Græce est, *In crastinum constituit castra ponere contra munitiones, et capere, et tollere omnes hos in una die.*

Vers. 28. 28. ET CONVERTIT JUDAS ET EXERCITUS EJUS VIAM IN DESERTUM BOSOR REPENTE, ET OCCUPAVIT EAM, — quia ex improviso cives non cogitantes et imparatos oppressit: Bosor erat urbs Moab ultra Jordanem, sita in tribu Ruben, quam Levitis ad habitandum dedit Josue, capite XX, vers. 8.

Vers. 29. 29. ET SURREXERUNT INDE NOCTE ET IBANT USQUE AD MUNITIONEM, — in quam confugerant timidi Judæi, ut eos ab obsidentibus et invadentibus hostibus liberarent.

Vers. 30. 30. ET FACTUM EST DILUCULO, CUM ELEVASSENT OCULOS SUOS, ECCE POPULUS MULTUS (hostium quorum dux erat Timotheus) PORTANTES SCALAS ET MACHINAS, UT CAPERENT MUNITIONEM,—in quam confugerant Judæi, ad quos liberandos pergebat Judas.

Vers. 31. 31. ET CLAMOR MAGNUS DE CIVITATE; — cives enim conclamabant, ut se mutuo acuerent ad repellendum hostes, munitionem invadentes, utque opem Dei et sociorum clamando in cœlum implorarent; hostes similiter vocibus et tubis conclamabant, ut se mutuo animarent ad insultum. Inde Judas utrinque hosce clamores audiens,

Vers. 32. 32. DIXIT EXERCITUI SUO: PUGNATE HODIE PRO FRATRIBUS VESTRIS, — in munitione obsessis, contra hostes eam invadentes, ut ex eorum manibus ipsos liberetis.

Vers. 33. 33. ET VENIT TRIBUS ORDINIBUS POST EOS (ut ex tribus partibus eos cingeret et invaderet, ne evadere possent, cum ex altera parte obsisteret eis munitio Judæorum, ut elabi nequirent,) ET EXCLAMAVERUNT TUBIS (ut hoc inopinato militum clangore suos animaret et hostes perculleret,) ET CLAMAVERUNT IN ORATIONE, — Dei opem et victoriam flagitantes, quam et obtinuerunt. Nam Deus hostibus timorem Judæ incussit, eosque in fugam compulit; unde a Juda cæsa sunt eorum octo millia, ut dicitur vers. seq.

Vers. 35. 35. ET DIVERTIT JUDAS IN MASPHA. — Erat hæc urbs Moabitarum pariter in tribu Ruben, de qua I *Reg.* XXII, 3.

Vers. 36. 36. ET CEPIT CASBON, — Græce *Caspher*, uti eam vocavit Noster, vers. 26.

Vers. 37. 37. POST HÆC AUTEM VERBA CONGREGAVIT TIMOTHEUS EXERCITUM ALIUM, ET CASTRA POSUIT CONTRA RAPHON TRANS TORRENTEM, — urbi vicinum, qui, vers. 41, flumen vocatur.

Vers. 40. 40. SI TRANSIERIT (Judas) AD NOS PRIOR, NON POTERIMUS SUSTINERE EUM.

41. SI VERO TIMUERIT TRANSIRE, etc., TRANSFRETEMUS AD EOS ET POTERIMUS ADVERSUS EUM. — Putant aliqui Timotheum hoc quasi omen accepisse, ex eoque divinasse, an sua, an Judæ foret victoria; sicut Jonathas idem hoc omen victoriæ de Philistæis accepit, dixitque: « Si dixerint: Ascendite ad nos, ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. » I *Reg.* XIV, 12.

Duces artificiosi facile vincuntur.

Verum est Timotheum hoc dixisse ex bellica experientia et conjecturali præsagio. Duces enim belli periti explorant hostium animos, an sint meticulosi, an audaces et de victoria præfidentes. Si enim sint meticulosi, colligunt eos esse infirmos et pusillanimes, ideoque facile prosterni posse; unde eos invadunt et sternunt: si vero videant eos esse audaces et præfidentes, conjiciunt eos esse se fortiores, itaque se subducunt et fugiunt ne ab eis cædantur. Multitudo enim valet ad victoriam militum audacia et hostium diffidentia. Ita S. Thomas, Sanchez, Serarius et alii. Olim cum essem in Belgio, Neomagi desiderabant cives Catholici ab hæreticis, et utrinque arma parabantur in foro ad confligendum; sed dux hæreticorum poposcit alloquium Consulis et ducis Catholici, ut de pace ageretur. Consul Cadmillenus duces hæretici manum apprehendens, deprehendit eam tremulam: unde ad suos reversus: « Ite, ait, cives, pugnemus, hostes timent et tremunt, nostra est victoria: pugnarunt, vicerunt, et hæreticos urbe expulerunt. Agesilaus, rex Spartæ bellicosissimus, rogatus quo dolo maxime illorum posset exercitui, respondit: « Audacia nos vincit hostes, et in oblata opportunitate facto et consilium. » Ita Stobæus, serm. 72.

42. STATUIT [Judas] SCRIBAS. — qui militum nomina in catalogo inscriberent, ut viderent de quis eis forrentum remuneret, sed ut cogerent omnes transire, ut fides copiis amnose in Timotheum irriteus suus prosternerent ibi et fixi.

43. ET TRANSFRETAVIT AD ILLOS TORRENTEM. — Judas videns suos timere transitum fluminis ob hostium copiam, prior ipse flumen transiit, ut reliqui eum quasi ducem suum generose sequerentur, itaque factum est. Quare hac audacia hostes perculit, in fugamque vertit, cæsit, et sternit. Idem fecere magni duces qui in rebus arduis primi rem aggressi, milites ad se sequendum suo exemplo animarunt, et rem confecerunt. Ita fecit Cato apud Lucanum, lib. IX, primus arenas Lybicas ingrediens, unde militas ad se sequendum exhortans aiebat:

Primus arenas
Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam.

Duces sæpe dubia facto periculi.

Et mox:

Infidos pericula vestra
Præterlabe meo.

Idem fecere Alexander Magnus et Julius Cæsar, teste Suetonio in ejus vita, cap. LVII et seq. Tritum est illud Philippi patris Alexandri: « Formidabilior est exercitus cervorum duce leone, quam leonum duce cervo. » Et illud Alberti ducis Austriæ apud Sylvium, lib. II *De gestis Alphonsi*: « Si alium quam me exercitus contra Boemos ductorem petitis, frustra me Austriæ Ducem nominastis. Dux enim revera est, qui exercitum ducit, et quem acriter pugnantem exercitus sequitur. »

43. ET CONGREGAVIT UNIVERSOS ISRAELITAS, — ut ex Galaaditide, ubi hostibus cingebantur, secum venirent in terram Juda, ibique inter præsidia Judæorum securi degerent, ut dixi de Galilæis, vers. 23.

46. ET VENERUNT USQUE EPHRON, ET HÆC CIVITAS MAGNA IN INGRESSU, — id est, in aditu Galaaditidis posita. Erat ergo Ephron trans Jordanem in terra Galaad. Distinguuntur hæc tria nomina Ephraim, Ephrem et Ephron. Ephraim enim erat mons tribus Ephraim, Ephrem erat oppidum parvum quinque milliaribus distans a Bethel, respiciens ad Orientem, in quam Christus fugiens Pharisæos, secessit paulo ante mortem, *Joannis* XI, 54. Ephron erat civitas, quam Israeli bello eripuit Asa, II *Paralip.* XIII, 19, postea vicus magnus contra Septentrionem, viginti milliaribus distans a Jerusalem: ita Adrichomius et alii, licet S. Hieronymus, *in locis Hebr.* videatur dicere Ephron esse eamdem cum Ephrem. Rursum Ephron fuit triplex, una in tribu Ephraim, de qua jam dixi; altera in tribu Juda, ait S. Hieronymus et Adrichomius; tertia in tribu Manasse, de qua hic agitur. Hæc enim, ait Adrichomius, *in Descriptione tribus Manasse*, num. 48, fuit urbs magna et munita valde, ac multis bellicis machinis, telorumque apparatu instructa, sita in via publica non procul a Jordane, et pene e regione civitatis Bethsan, sive Scythopolis: quam montes utrinque ita circumvallant, ut non nisi per civitatem iter pateat. Unde cum Judas Machabæus hac exercitum duceret, ac transitus illi per civitatem, quem per montios modeste peteret, negaretur, ferro sibi viam aperire conatus est.

Extra tribus.

52. ET ERAT JUDAS COLLIGENS EXTREMOS — agminis sui, scilicet infirmos, debiles, fatigatos, feminas, pueros, senes; ne quis in via deficeret, vel tarde sequens in hostium manus incideret. Fuit hæc insignis Judæ providentia et charitas, ut sues omnes sollicite indueret in Judæam.

Vers. 53.

ET EXHORTABATUR POPULUM PER TOTAM VIAM. — ut animose pergeret, ita tamen ut extremos agminis non desereret.

Vers. 54.

56. AUDIVIT JOSEPHUS ZACHARIÆ FILIUS ET AZARIAS DUCES EXERCITUS VIRTUTIS, — id est, exercitus a Juda relictus in Judæa, ut se absente eam custodiret, hoc tamen lege, ut cum hoste non confligeret ante suum reditum, ut dictum est vers. 18 et 19. Quare dum hi duo contra jussum Judæ eo absente confligere voluerunt, cæsi fugatique fuere. Hinc nimirum fuit justa pœna inobedientiæ, atque ne superbirent, qua ipsi sibi famam et gloriam præripiendo instar Judæ parere satagerunt.

62. IPSI AUTEM NON ERANT DE SEMINE VIRORUM IL-

LORUM, PER QUOS SALUS FACTA EST IN ISRAEL, — id est non erant de semine Mathathiæ et filiorum asseclarumque ejus, quos Deus elegerat in belli sacri duces; ideoque eis vires, robur et victorias tam illustres contulit. Quare cum ipsi a Juda se segregarunt, imo contra ejus jussum, quasi ejus gloriæ æmuli pugnarunt, a Deo deserti, victi, cæsique fuere. Discat hic quisque se præliis et odiis nos ingerere, sed exspectare Dei vocationem, illamque sequi: sic enim prospere Deo dirigente omnia cedent; sin autem, Deo deserente, infeliciter. Porro Judam elegit Deus hoc fine, « ut defenderetur gens (fidelis Ecclesiæ) unde ventura esset salus mundi. » ait Rupertus lib. X, cap. XXV, ut scilicet ex Israele nasceretur Christus mundi Salvator.

63. ET VIRI JUDA MAGNIFICATI SUNT VALDE. — Viri Juda vocantur milites Judæ Machabæi, qui in Galaaditide tam præclara gesserant, et tot victoriis gloriosi. Unde Græca clare habent: *Et vir Judas et fratres ejus glorificati sunt.* Perperam ergo nonnulli hinc colligunt Judam Machabæum fuisse ortundum e tribu Juda, cum constet eum fuisse e tribu Levi.

65. ET EXPUGNABAT FILIOS ESAU, — Judas nunquam quiescens instar fulminis circumibat debellando Idumæos, Samaritas, Philistæos, cæterosque Judæorum hostes, ideoque assiduis de iis victoriis Deo dirigente triumphabat: Unde de iis ante aliquot sæcula vaticinati fuerunt Abdias, Sophonias, aliique prophetæ.

67. IN DIE ILLA CECIDERUNT SACERDOTES IN BELLO, DUM VOLUNT FORTITER FACERE, ET SINE CONSILIO (ac directione Judæ ducis sui) EXIERUNT IN PRŒLIUM. — Hoc merebatur eorum temeritas, ambido gloriæ et inobedientia. Mariana et Sanchez putant hos Sacerdotes esse Josephum et Azariam jam dictos vers. 56. Planius alii censent fuisse diversos, qui eorum instar avidi gloriæ et Judæ æmuli, inconsulte hostes invadentes ab eis fusi cæsique fuere.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Antiochus Epiphanes a Persis repulsus, audiensque suos a Juda cæsos, ex mœrore ægrotat et moritur; mox, vers. 17, Lysias substituit ei filium Antiochum Eupatorem. Judas obsidet arcem Sion; contra eum ab opositis concitatur Eupator, eductique in aciem centum millia peditum et viginti millia equitum cum 32 elephantis, cum quibus, vers. 42, Judas fortiter confligit, ac Eleazarus elephantum regium subiens, cædensque ab eo ejdente opprimitur. Inde, vers. 49, Eupator obsidet Bethsuram, eamque fame capit, idem facturus arci a Juda erectæ in monte Sion, nisi avocatus Antiochum perrexisset contra Philippum: quare cum Judæis pacem iniit, sed eam mox rumpit.

1. Et rex Antiochus perambulabat superiores regiones, et audivit esse civitatem Elymaidem in Perside nobilissimam, et copiosam in argento et auro, 2. templumque in ea locuples valde; et illic velamina aurea, et loricæ, et scuta, quæ reliquit Alexander Philippi rex Macedo, qui regnavit primus in Græcia. 3. Et venit, et quærebat capere civitatem, et deprædari eam; et non potuit, quoniam innotuit sermo his qui erant in civitate; 4. et insurrexerunt in prælium, et fugit inde, et abiit cum tristitia magna, et reversus est in Babyloniam. 5. Et venit qui nuntiaret ei in Perside, quia fugata sunt castra, quæ erant in terra Judæ: 6. et quia abiit Lysias cum virtute forti in primis, et fugatus est a facie Judæorum, et invaluerunt armis et viribus, et spoliis multis quæ ceperunt de castris, quæ exciderunt: 7. et quia diruerunt abominationem, quam ædificaverat super altare, quod erat in Jerusalem, et sanctificationem, sicut prius, circumdederunt muris excelsis, sed et Bethsuram civitatem suam. 8. Et factum est ut audivit rex sermones istos, expavit, et commotus est valde, et decidit in lectum, et incidit in languorem præ tristitia, quia non factum est ei sicut cogitabat. 9. Et erat illic per dies multos, quia renovata est in eo tristitia magna, et arbitratus est se mori. 10. Et vocavit omnes amicos suos, et dixit illis: Recessit somnus ab oculis meis, et concidi, et corrui corde præ sollicitudine; 11. et dixi in corde meo: In quantam tribulationem deveni, et in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum, qui jucundus eram, et dilectus in potestate mea! 12. Nunc vero reminiscor malorum quæ feci in Jerusalem, unde et abstuli omnia spolia au-

41. SI VERO TIMUERIT TRANSIRE, etc., TRANSFRETEMUS AD EOS ET POTERIMUS ADVERSUS EUM. — Putant aliqui Timotheum hoc quasi omen accepisse, ex eoque divinasse, an sua, an Judæ foret victoria; sicut Jonathas idem hoc omen victoriæ de Philistæis accepit, dixitque: « Si dixerint: Ascendite ad nos, ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. » I *Reg.* XIV, 12.

Duces artificiosi facile vincuntur.

Verum est Timotheum hoc dixisse ex bellica experientia et conjecturali præsagio. Duces enim belli periti explorant hostium animos, an sint meticulosi, an audaces et de victoria præfidentes. Si enim sint meticulosi, colligunt eos esse infirmos et pusillanimes, ideoque facile prosterni posse; unde eos invadunt et sternunt: si vero videant eos esse audaces et præfidentes, conjiciunt eos esse se fortiores, itaque se subducunt et fugiunt ne ab eis cædantur. Multitudo enim valet ad victoriam militum audacia et hostium diffidentia. Ita S. Thomas, Sanchez, Serarius et alii. Olim cum essem in Belgio, Neomagi desiderabant cives Catholici ab hæreticis, et utrinque arma parabantur in foro ad confligendum; sed dux hæreticorum poposcit alloquium Consulis et ducis Catholici, ut de pace ageretur. Consul Cadmillenus duces hæretici manum apprehendens, deprehendit eam tremulam: unde ad suos reversus: « Ite, ait, cives, pugnemus, hostes timent et tremunt, nostra est victoria: pugnarunt, vicerunt, et hæreticos urbe expulerunt. Agesilaus, rex Spartæ bellicosissimus, rogatus quo dolo maxime illorum posset exercitui, respondit: « Audacia nos vincit hostes, et in oblata opportunitate facto et consilium. » Ita Stobæus, serm. 72.

42. STATUIT [Judas] SCRIBAS. — qui militum nomina in catalogo inscriberent, ut viderent de quis eis forrentum remuneret, sed ut cogerent omnes transire, ut fides copiis amnose in Timotheum irriteus suus prosternerent ibi et fixi.

43. ET TRANSFRETAVIT AD ILLOS TORRENTEM. — Judas videns suos timere transitum fluminis ob hostium copiam, prior ipse flumen transiit, ut reliqui eum quasi ducem suum generose sequerentur, itaque factum est. Quare hac audacia hostes perculit, in fugamque vertit, cæsit, et sternit. Idem fecere magni duces qui in rebus arduis primi rem aggressi, milites ad se sequendum suo exemplo animarunt, et rem confecerunt. Ita fecit Cato apud Lucanum, lib. IX, primus arenas Lybicas ingrediens, unde militas ad se sequendum exhortans aiebat:

Primus arenas
Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam.

Duces sæpe dubia facto periculi.

Et mox:

Infidos pericula vestra
Præterlabe meo.

Idem fecere Alexander Magnus et Julius Cæsar, teste Suetonio in ejus vita, cap. LVII et seq. Tritum est illud Philippi patris Alexandri: « Formidabilior est exercitus cervorum duce leone, quam leonum duce cervo. » Et illud Alberti ducis Austriæ apud Sylvium, lib. II *De gestis Alphonsi*: « Si alium quam me exercitus contra Boemos ductorem petitis, frustra me Austriæ Ducem nominastis. Dux enim revera est, qui exercitum ducit, et quem acriter pugnantem exercitus sequitur. »

43. ET CONGREGAVIT UNIVERSOS ISRAELITAS, — ut ex Galaaditide, ubi hostibus cingebantur, secum venirent in terram Juda, ibique inter præsidia Judæorum securi degerent, ut dixi de Galilæis, vers. 23.

46. ET VENERUNT USQUE EPHRON, ET HÆC CIVITAS MAGNA IN INGRESSU, — id est, in aditu Galaaditidis posita. Erat ergo Ephron trans Jordanem in terra Galaad. Distinguuntur hæc tria nomina Ephraim, Ephrem et Ephron. Ephraim enim erat mons tribus Ephraim, Ephrem erat oppidum parvum quinque milliaribus distans a Bethel, respiciens ad Orientem, in quam Christus fugiens Pharisæos, secessit paulo ante mortem, *Joannis* XI, 54. Ephron erat civitas, quam Israeli bello eripuit Asa, II *Paralip.* XIII, 19, postea vicus magnus contra Septentrionem, viginti milliaribus distans a Jerusalem: ita Adrichomius et alii, licet S. Hieronymus, *in locis Hebr.* videatur dicere Ephron esse eamdem cum Ephrem. Rursum Ephron fuit triplex, una in tribu Ephraim, de qua jam dixi; altera in tribu Juda, ait S. Hieronymus et Adrichomius; tertia in tribu Manasse, de qua hic agitur. Hæc enim, ait Adrichomius, *in Descriptione tribus Manasse*, num. 48, fuit urbs magna et munita valde, ac multis bellicis machinis, telorumque apparatu instructa, sita in via publica non procul a Jordane, et pene e regione civitatis Bethsan, sive Scythopolis: quam montes utrinque ita circumvallant, ut non nisi per civitatem iter pateat. Unde cum Judas Machabæus hac exercitum duceret, ac transitus illi per civitatem, quem per montios modeste peteret, negaretur, ferro sibi viam aperire conatus est.

Extra tribus.

52. ET ERAT JUDAS COLLIGENS EXTREMOS — agminis sui, scilicet infirmos, debiles, fatigatos, feminas, pueros, senes; ne quis in via deficeret, vel tarde sequens in hostium manus incideret. Fuit hæc insignis Judæ providentia et charitas, ut sues omnes sollicite indueret in Judæam.

Vers. 53.

ET EXHORTABATUR POPULUM PER TOTAM VIAM. — ut animose pergeret, ita tamen ut extremos agminis non desereret.

Vers. 54.

56. AUDIVIT JOSEPHUS ZACHARIÆ FILIUS ET AZARIAS DUCES EXERCITUS VIRTUTIS, — id est, exercitus a Juda relictus in Judæa, ut se absente eam custodiret, hoc tamen lege, ut cum hoste non confligeret ante suum reditum, ut dictum est vers. 18 et 19. Quare dum hi duo contra jussum Judæ eo absente confligere voluerunt, cæsi fugatique fuere. Hinc nimirum fuit justa pœna inobedientiæ, atque ne superbirent, qua ipsi sibi famam et gloriam præripiendo instar Judæ parere satagerunt.

62. IPSI AUTEM NON ERANT DE SEMINE VIRORUM IL-

LORUM, PER QUOS SALUS FACTA EST IN ISRAEL, — id est non erant de semine Mathathiæ et filiorum asseclarumque ejus, quos Deus elegerat in belli sacri duces; ideoque eis vires, robur et victorias tam illustres contulit. Quare cum ipsi a Juda se segregarunt, imo contra ejus jussum, quasi ejus gloriæ æmuli pugnarunt, a Deo deserti, victi, cæsique fuere. Discat hic quisque se præliis et odiis nos ingerere, sed exspectare Dei vocationem, illamque sequi: sic enim prospere Deo dirigente omnia cedent; sin autem, Deo deserente, infeliciter. Porro Judam elegit Deus hoc fine, « ut defenderetur gens (fidelis Ecclesiæ) unde ventura esset salus mundi. » ait Rupertus lib. X, cap. XXV, ut scilicet ex Israele nasceretur Christus mundi Salvator.

63. ET VIRI JUDA MAGNIFICATI SUNT VALDE. — Viri Juda vocantur milites Judæ Machabæi, qui in Galaaditide tam præclara gesserant, et tot victoriis gloriosi. Unde Græca clare habent: *Et vir Judas et fratres ejus glorificati sunt.* Perperam ergo nonnulli hinc colligunt Judam Machabæum fuisse ortundum e tribu Juda, cum constet eum fuisse e tribu Levi.

65. ET EXPUGNABAT FILIOS ESAU, — Judas nunquam quiescens instar fulminis circumibat debellando Idumæos, Samaritas, Philistæos, cæterosque Judæorum hostes, ideoque assiduis de iis victoriis Deo dirigente triumphabat: Unde de iis ante aliquot sæcula vaticinati fuerunt Abdias, Sophonias, aliique prophetæ.

67. IN DIE ILLA CECIDERUNT SACERDOTES IN BELLO, DUM VOLUNT FORTITER FACERE, ET SINE CONSILIO (ac directione Judæ ducis sui) EXIERUNT IN PRŒLIUM. — Hoc merebatur eorum temeritas, ambido gloriæ et inobedientia. Mariana et Sanchez putant hos Sacerdotes esse Josephum et Azariam jam dictos vers. 56. Planius alii censent fuisse diversos, qui eorum instar avidi gloriæ et Judæ æmuli, inconsulte hostes invadentes ab eis fusi cæsique fuere.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Antiochus Epiphanes a Persis repulsus, audiensque suos a Juda cæsos, ex mœrore ægrotat et moritur; mox, vers. 17, Lysias substituit ei filium Antiochum Eupatorem. Judas obsidet arcem Sion; contra eum ab opositis concitatur Eupator, eductique in aciem centum millia peditum et viginti millia equitum cum 32 elephantis, cum quibus, vers. 42, Judas fortiter confligit, ac Eleazarus elephantum regium subiens, cædensque ab eo ejdente opprimitur. Inde, vers. 49, Eupator obsidet Bethsuram, eamque fame capit, idem facturus arci a Juda erectæ in monte Sion, nisi avocatus Antiochum perrexisset contra Philippum: quare cum Judæis pacem iniit, sed eam mox rumpit.

1. Et rex Antiochus perambulabat superiores regiones, et audivit esse civitatem Elymaidem in Perside nobilissimam, et copiosam in argento et auro, 2. templumque in ea locuples valde; et illic velamina aurea, et loricæ, et scuta, quæ reliquit Alexander Philippi rex Macedo, qui regnavit primus in Græcia. 3. Et venit, et quærebat capere civitatem, et deprædari eam; et non potuit, quoniam innotuit sermo his qui erant in civitate; 4. et insurrexerunt in prælium, et fugit inde, et abiit cum tristitia magna, et reversus est in Babyloniam. 5. Et venit qui nuntiaret ei in Perside, quia fugata sunt castra, quæ erant in terra Judæ: 6. et quia abiit Lysias cum virtute forti in primis, et fugatus est a facie Judæorum, et invaluerunt armis et viribus, et spoliis multis quæ ceperunt de castris, quæ exciderunt: 7. et quia diruerunt abominationem, quam ædificaverat super altare, quod erat in Jerusalem, et sanctificationem, sicut prius, circumdederunt muris excelsis, sed et Bethsuram civitatem suam. 8. Et factum est ut audivit rex sermones istos, expavit, et commotus est valde, et decidit in lectum, et incidit in languorem præ tristitia, quia non factum est ei sicut cogitabat. 9. Et erat illic per dies multos, quia renovata est in eo tristitia magna, et arbitratus est se mori. 10. Et vocavit omnes amicos suos, et dixit illis: Recessit somnus ab oculis meis, et concidi, et corrui corde præ sollicitudine; 11. et dixi in corde meo: In quantam tribulationem deveni, et in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum, qui jucundus eram, et dilectus in potestate mea! 12. Nunc vero reminiscor malorum quæ feci in Jerusalem, unde et abstuli omnia spolia au-

rea et argentea quæ erant in ea, et misi auferre habitantes Judæam sine causa. 13. Cognovi ergo quia propterea invenerunt me mala ista, et ecce pereo tristitia magna in terra aliena. 14. Et vocavit Philippum, unum de amicis suis, et præposuit eum super universum regnum suum; 15. et dedit ei diadema, et stolam suam, et annulum, ut adduceret Antiochum filium suum, et nutriret eum, et regnaret. 16. Et mortuus est illic Antiochus rex anno centesimo quadragesimo nono. 17. Et cognovit Lysias quoniam mortuus est rex, et constituit regnare Antiochum filium ejus, quem nutrivit adolescentem; et vocavit nomen ejus Eupator. 18. Et hi qui erant in arce, concluserant Israel in circuitu sanctorum; et quærebant eis mala semper, et firmamentum Gentium. 19. Et cogitavit Judas disperdere eos; et convocavit universum populum, ut obsiderent eos. 20. Et convenerunt simul, et obsederunt eos, anno centesimo quinquagesimo, et fecerunt balistas et machinas. 21. Et exierunt quidam ex eis qui obsidebantur, et adjunxerunt se illis aliqui impii ex Israel, 22. et abierunt ad regem, et dixerunt: Quousque non facis judicium, et vindicas fratres nostros? 23. Nos decrevimus servire patri tuo, et ambulare in præceptis ejus, et obsequi edictis ejus: 24. et filii populi nostri propter hoc alienabant se a nobis, et quicumque inveniebantur ex nobis, interficiebantur, et hæreditates nostræ diripiebantur. 25. Et non ad nos tantum extenderunt manum, sed et in omnes fines nostros: 26. et ecce applicuerunt hodie ad arcem Jerusalem occupare eam, et munitionem Bethsuram munierunt: 27. et nisi præveneris eos velocius, majora quam hæc facient, et non poteris obtinere eos. 28. Et iratus est rex, ut hæc audivit; et convocavit omnes amicos suos, et principes exercitus sui, et eos qui super equites erant. 29. Sed et de regnis aliis, et de insulis maritimis, venerunt ad eum exercitus conductitii. 30. Et erat numerus exercitus ejus, centum millia peditum, et viginti millia equitum, et elephanti triginta duo, docti ad prælium. 31. Et venerunt per Idumæam, et applicuerunt ad Bethsuram, et pugnaverunt dies multos, et fecerunt machinas; et exierunt et succenderunt eas igni, et pugnaverunt viriliter. 32. Et recessit Judas ab arce, et movit castra ad Bethzacharam contra castra regis. 33. Et surrexit rex ante lucem, et concitavit exercitus in impetum contra viam Bethzacharam; et comparaverunt se exercitus in prælium, et tubis cecinerunt: 34. et elephantis ostenderunt sanguinem uvæ et mori, ad incuendos eos in prælium: 35. et diviserunt bestias per legiones: et astiterunt singulis elephantis mille viri in loricis concatenatis, et galeæ æreæ in capitibus eorum; et quingenti equites ordinati unicuique bestiæ electi erant. 36. Ifi ante tempus ubicumque erat bestia, ibi erant; et quocumque ibat, ibant, et non discedebant ab ea. 37. Sed et turres ligneæ super eos firmæ protegentes super singulas bestias; et super eas machinæ: et super singulas viri virtutis triginta duo, qui pugnabant desuper, et Indus magister bestiæ. 38. Et residuum equitatum hinc et inde statuit in duas partes, tubis exercitum commovere, et perurgere constipatos in legionibus ejus. 39. Et ut refulsit sol in clypeos aureos, et æreos, resplenduerunt montes ab eis, et resplenduerunt sicut lampades ignis. 40. Et distincta est pars exercitus regis per montes excelsos, et alia per loca humilia; et ibant caute et ordinate. 41. Et commovebantur omnes inhabitantes terram a voce multitudinis, et incessu turbæ, et collisione armorum; erat enim exercitus magnus valde et fortis. 42. Et appropiavit Judas et exercitus ejus in prælium, et ceciderunt de exercitu regis sexcenti viri. 43. Et vidit Eleazar filius Saura unam de bestiis loricatam loricis regis: et erat eminens super cæteras bestias. Et visum est ei quod in ea esset rex: 44. et dedit se ut liberaret populum suum, et acquireret sibi nomen æternum. 45. Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis, interficiens a dextris et a sinistris, et cadebant ab eo huc atque illuc. 46. Et ivit sub pedes elephantis, et supposuit se ei, et occidit eum; et cecidit in terram super ipsum, et mortuus est illic. 47. Et videntes virtutem regis, et impetum exercitus ejus, diverterunt se ab eis. 48. Castra autem regis ascenderunt contra eos in Jerusalem, et applicuerunt castra regis ad Judæam et montem Sion. 49. Et fecit pacem cum his qui erant in Bethsura; et exierunt de civitate, quia non erant eis ibi alimenta conclusis, quia sabbata erant terræ. 50. Et comprehendit rex Bethsuram; et constituit illic custodiam servare eam. 51. Et convertit castra ad locum sanctificationis dies multos; et statuit illic balistas, et machinas, et ignis jacula, et tormenta ad lapides jactandos, et spicula, et scorpios ad mittendas sagittas, et fundibula. 52. Fecerunt autem et ipsi machinas adversus machinas eorum, et pugnaverunt dies multos. 53. Escæ autem non erant in civitate, eo quod septimus annus esset; et qui remanserant in Judæa de Gentibus, consumpserant reliquias eorum quæ repositæ fuerant. 54. Et remanserunt in sanctis viri pauci, quoniam obtinuerat eos fames; et dispersi sunt unusquisque in locum suum. 55. Et audivit Lysias quod Philippus, quem constituerat rex Antiochus, cum adhuc viveret, ut nutriret Antiochum filium suum, et regnaret, 56. reversus esset a Perside, et Media, et exercitus qui abierat cum ipso, et quia quærebat suscipere regni negotia: 57. festinavit ire, et dicere ad regem et duces exercitus: Deficimus quotidie, et esca nobis modica est, et locus, quem obsidemus, est munitus, et incumbit nobis ordinare de regno. 58. Nunc itaque demus dextras hominibus istis, et faciamus cum illis pacem, et cum omni gente eorum: 59. et constituamus illis ut ambulent in legitimis suis sicut prius. Propter legitima enim ipsorum, quæ despeximus, irati sunt, et fecerunt omnia hæc. 60. Et placuit sermo in conspectu regis et principum: et misit ad eos pacem facere, et receperunt illam. 61. Et juravit illis rex et principes; et exierunt de munitione. 62. Et intravit rex montem Sion, et vidit munitionem loci; et rupit citius juramentum quod juravit; et mandavit destruere murum in gyro. 63. Et decessit festinanter, et reversus est Antiocham, et invenit Philippum dominantem civitati; et pugnavit adversus eum, et occupavit civitatem.

1. Et rex Antiochus (Epiphanes cum quo hucusque Judæ et Judæis fuit contentio et bellum. Hic ergo perrexit) Elymaiden, (quæ alio nomine dicta est *Persepolis*, id est Persarum civitas, imo metropolis, II *Machab.* IX, ut expilaret) templum in ea locuples — Veneri dicatum; sed a civibus fuit repulsus. Hebræi enim Persiam vocant Elam, unde Elamitas appellant Persas, et Elymaidam, quam Græci vocant Persepolim. Sic Hebraice *Bethsames* a Græcis vocatur *Heliopolis*, a Latinis *Civitas Solis*. Sic Simon Hebraice vocatur *Chananæus*, Græce *Zelotes*, Latine *Æmulator*. Porro « templum » hoc Veneri fuisse dictum asserit Appianus, licet Josephus et S. Hieronymus in cap. VIII *Daniel.* putent fuisse Dianæ, Justinus vero, lib. XXXII, Jovis Dindymæi.

4. Reversus est in Babyloniam, — ibique mœrore mortuus anno regni sui 12, qui fuit Græcorum annus 149: fuse mors ejus describitur libro II, cap. IX.

Antiochus Epiphanes ubi mortuus.

Nota: « Reversus est, » id est reverti cœpit, perrexit Babylonem, sed eo non pervenit, mortuus enim est in montibus Persidis et Mediæ juxta Ecbatanam, ut dicitur lib. II, cap. IX, 3 et 27, ὡς ergo « reversus » significat actum inchoatum, non perfectum: unde pro ἀνεχώρησε, id est *reversus est*, Græca, Vaticana et Regia habent ἀναχωρῶν, id est *reverti*, sive *ut reverteretur*, hoc est, *abscessit inde repetens Babyloniam*, ut vertit Vatablus. Quocirca Pererius, *in Daniel.* cap. XI, et Salianus censent Antiochum defunctum in montibus Mediæ, licet Serarius malit eum ibi graviter ægrotare cœpisse, sed Babylone esse defunctum.

7. Et quia dixerunt (Judas et Judæi) abominationem, (id est abominabile idolum Jovis Olympii, quod Antiochus super altare in templo collocarat): et sanctificationem, (id est sanctuarium, sive sanctum templum — circumdederunt muris. Vers. 7.

12. Nunc vero reminiscor malorum. — Ecce conscientia scelestum arguit, ut agnoscat se ob sua scelera et sacrilegia contra Deum, templum et Judæos commissa cruciari et ad mortem adigi. En quam verum: « Conscientia mille testes! » Id patet in Cain vago et profugo ob cædem fratris Abelis, *Genes.* IV, in fratribus Josephum vendentibus, *Genes.* XLII, 21, in Juda prodifore, *Matth.* XXVII, 4. Urgente enim pœna, statim conscientia menti culpam, quasi pœnæ causam, in memoriam revocat, eamque sua increpatione castigat et pulsat. Vers. 12.

15. Et dedit ei (Philippo sibi intimo) diadema et stolam suam, et annulum, — ut ea quasi regiæ insignia deferret ad filium suum Antiochum Eupatorem puerum, eumque educaret et dirigeret, quasi pædagogus, ac sibi in regno substitueret curando, ut ipse regnaret, ne Demetrius ejus consobrinus regnum invaderet, uti re ipsa fecit. Vers. 15.

17. Et cognovit Lysias, quoniam (quod) mortuus est rex Antiochus (Epiphanes), et constituit regnare (ut regnaret, hoc est regem proclamavit) Antiochum filium ejus (novennem, ait Appianus in *Syriaco*), et vocavit nomen ejus Eupator, — id Vers. 17.

est bono et felici patre natus, magnis natalibus ortus; Epiphanis, id est illustris patris generosus et illustris filius. Sic ἐπιφανία vocatur generosa filia. Et ἐπιφανεῖς dicti sunt a Theseo nobiles Athenienses, teste Plutarcho in *Theseo*, qui et in Publicola Patricios Romanorum vocat ἐπιφανεῖς, idemque nomen Bodæus *in epist. Doctor.* Venetis attribuit. Alter Pagninus *in nomin. Hebraicis*: « Eupator, » inquit, idem est quod « bonus pater, » id est bonus Princeps. Hic enim subditos amat quasi filios, eique se benignum et beneficum quasi patrem exhibet. Prius etymon videtur aptius et verius. Nam Syri, ait Appianus in *Syriacis*, Antiocho cognomen addiderunt Eupatori propter patris virtutem, quasi dicerent eum felicem cui talis pater contigisset.

18. ET QUI ERANT IN ARCE, — *q. d.* Milites Antiochi occupantes arcem Sion, scientes Judam cum copiis adesse, exercitum continuo vexabant præsidiumque paucos, quos Judas in arce vicina posuerat objectos ad eos compescendum collocarat; quin et CONCLUSERANT ISRAEL IN CIRCUITU SANCTORUM, (ut extra suam arcem et templum pedem efferre non auderent: atque hac ratione angebatur semper) VIRIBUSQUE GENTIUM, — hoc est, robur et fortitudo Antiochiarum. Quare Judas cum toto exercitu eos arcemque Sion obsedit anno 150 Græcorum, qui fuit annus secundus Eupatoris.

21. ET ADJUNXERUNT SE ILLIS ALIQUI IMPII EX ISRAEL. — invidentes gloriæ Judæ, qui proinde regem Antiochum Eupatorem adierant, excitantes eum ut Judam contereret, spernentes se in locum Judæ ab eo substituendos, ut Judææ forent præfecti et domini. Erant ergo hi apostatæ et proditores Israelis.

28. ET IRATUS EST REX — Antiochus Eupator juvenis, imo puer excitatus a Lysia et suis consiliariis, qui proinde contra Judam collegit centum millia peditum et 20 millia equitum cum 32 elephantis qui erant DOCTI AD PRŒLIUM.

31. ET EXIERUNT (Judei obsessi ex sua arce Bethsura), ET SUCCENDERUNT EAS (machinas ab Eupatore contra se erectas) ET PUGNAVERUNT VIRILITER, — fortiter se suamque Bethsuram propugnando.

33. ET ELEPHANTIS OSTENDERUNT SANGUINEM (succum sive liquorem, puta rubentem instar sanguinis) UVÆ ET MORI (ex arbore moro) AD ACUENDOS EOS IN PRŒLIUM, — ut viso quasi sanguine concitarentur et efferarentur ad sanguinem hostium fundendum. Licet enim elephantes, tauri, leones non egeant hac provitatione, cum dracones aliique animalia sibi infesta cernunt, ea tamen indigent in prælio hominum : nam cum hominibus non habent antipathiam.

Porro elephantes hos fuisse enormes et robustissimos liquet ex eo quod erant Indici ; nam Indum habebant magistrum : Indici autem sunt maximi et validissimi, longeque Lybios superant, teste Livio, lib. XXXVII. Rursum ex eo quod quilibet elephas dorso gestaret turrim celsam et validam in eaque 32 armatos cum telorum armorumque copia. Insuper ex eo quod cuilibet elephanti assisterent quingenti equites, ita ut 32 elephantis universim assisterent sedecim millia equitum cum elephantis et pro elephantis depugnantium. Eo major fuit virtus Judæ et Judæorum cum tantis monstris generose dimicantium. Insuper cuique elephanto assistebant mille pedites, quare 32 elephantis assistebant 32 millia peditum. Nota *primo* priscos elephantis usos, et etiammum Indos uti in prœliis ob causas quas recenset Vegetius, lib. III *De re milit.* cap. XXIV : « Elephanti, inquit, in prœliis magnitudine corporum, barritus horrore, formæ ipsius novitate, hominum equosque conturbant. Hos contra Romanum exercitum primus in Lucania rex Pyrrhus eduxit. Postea Annibal in Africa, rex Antiochus in Oriente, Jugurtha in Numidia copiosos habuerunt adversus quos diversa excogitata sunt genera armorum : » his adde *primo* fortorem, qui in elephantis tam gravis est ut equi hostium eum ferre non valentes aufugiant, nisi illi prius assueverint; *secundo*, elephantem præ aliis animalibus esse docilem, adeo ut proxime ad docilitatem, prudentiam et sagacitatem hominum accedat, ut docent Plinius, lib. VIII, cap. II, Aristoteles, lib. IX *Hist. anim.* cap. XLVI. Docetur ergo præliari, et quomodo in prælio se gerere, quoque munia obire debeat. Recenset ea Ælianus, lib. XII et XIII ; *tertio*, elephantes æque ac tauros objecta sanguinis irritari, efferari et concitari, ut in hostem ruant, uti docet Valesius S. *Philos.* cap. LXXXII. Ex adverso noster Sanchez censet colorem sanguineum uvæ et mori elephantis fuisse ostensum, ut meminissent se hoc succo a vulneribus curatos, et rursum si in prœlio vulnerentur fore curandos. Vulnera enim et morbos elephantis a rectoribus curari vino nigro tradit Ælianus, lib. XI, cap. VII, Arianus et Strabo. Id quod apte congruit tropologiæ. Si enim sanguis uvæ accendit elephantem, ut memor beneficii et curationis per illum ab hero acceptæ pro eo depugnet et in gladios hastasque prorumpat, quid nos facere oportet intuentes Christum qui pro nobis omnem suum sanguinem vitamque in cruce profudit? Addit Ælianus, lib. III *De animalibus*, vinum dari elephantis ad potandum, ut eo accensi, quasi ebrii in enses armasque ruant. Idem apud Judæos factum docet lib. III *Machab.* cap. V : « Jussit, inquit, Hermon elephantorum præfectus, ut proxima die thus largis manipulis cum vino mero plurimo potui daretur elephantis omnibus numero quingentis, ut potui affatim præbito efferati ad mortem Judæis afferendam introducerentur. » Thus enim vino immixtum sensus hebetat, eisque stuporem immittit. Sic vinum epotum a tauris aliisque animalibus eos facit animosos et audaces, imo feroces et furiosos, ut in obvios quosque irruant.

35. ET ASTITERUNT SINGULIS ELEPHANTIS MILLE VIRI IN LORICIS CONCATENATIS, — quæ scilicet instar retis, annulis seu hamulis inter se connectebantur, unde et hamatæ et squamatæ dicebantur, quali indutus erat Goliath duellans cum Davide, I *Reg.* XVII, 5.

Elephantes Indi præ cæteris fortes. Card.

Regis Prima.

36. HI ANTE TEMPUS UBICUMQUE ERAT BESTIA, IBI ERANT, — *q. d.* Ili mille viri cum celeritatem gressus elephantis æquare non possent, præibant elephantem : quare ante tempus, quo bestia ad certum locum adveniebat, ipsi illam in eodem præveniebant : dum enim cernerent bestiam ad certum locum contendere, ipsi per semitas breviores et directas, eodem procurrebant, et bestiam prævertebant.

37. SED ET TURRES LIGNEÆ SUPER EOS FIRMÆ, — habentes sua valla et loricas, quibus erant « protegentes » tum ipsos milites, tum eorum machinas.

ET SUPER SINGULAS (turres) VIRI VIRTUTIS (id est strenui et fortissimi), TRIGINTA DUO QUI PUGNABANT DESUPER (in subjectos hostes; unde eos facile sternebant) : ET INDUS MAGISTER (rector) BESTIÆ, — unde liquet hos elephantes fuisse Indicos, qui longe grandiores et robustiores sunt Africanis; hi enim VIX SEX, vel septem armatos portant. Ita ex Livio, Plinio, Solino et aliis Gesnerus et Aldrovandus in elephante.

39. ET UT REFULSIT SOL IN CLYPEOS AUREOS ET ÆREOS, RESPLENDUERUNT MONTES AB EIS, (tum quia exercitus hic in suos ordines distributus, soli clypeos eorum reverberante, intuentibus totidem videbatur in se exhibere montes ære et auro splendentes ; tum quia ordines hi erant *in vallibus*, ut habet Græcus; quare ex vallibus fulgor in clypeis radiis solis excitatus, reverberabatur in vicinos montes, ut illi toti fulgidi et splendentes apparerent,) SICUT LAMPADES IGNIS, — id est accensæ et ignitæ, præsertim quia, ut sequitur, pars exercitus regii per montes, pars per valles incedebat. S. Ambrosius, lib. I *Offic.* XLI, hæc ad elephantos refert : « Ili enim, inquit, ad ortum solis, velut montes quidam armorum corusco, tanquam lampadibus ardentibus refulgebant. »

42. ET CECIDERUNT DE EXERCITU REGIS SEXCENTI VIRI. — Judas ergo statim initio prælii prostravit sexcentos milites Antiochi, ac mox quatuor millia, ut dicitur, lib. II, cap. XII, vers. 18.

43. ET VIDIT ELEAZAR FILIUS SAURA UNAM DE BESTIIS. — Hic Eleazar fuit frater Judæ Machabæi, ait Josephus, cap. II, vers. 5, cognominatus est Avaron vel Abaron, unde pro « Saura » Josephus legit *Auran*, Codex Basilii *Abaran*. Nam in Græco non est ὁ « filius, » sed tantum *Eleazar Avaran*. Unde Vatablus vertit : *Eleazar, qui vocatur Avaran*, id est *fortis eorum*. Sic et Gorionides, Serarius, Salianus et alii. Addit Gorionides eum hortatu fratris sui Judæ aggressum esse elephantem. Hinc et Eleazari fratris Judæ nulla fit mentio, uti fit Jonathæ, et Simonis et Joannis fratrum Judæ. Videtur ergo hic Eleazar fuisse frater Judæ, qui hic generose sub elephante occubuit.

Dices : Quomodo ergo vulgata habent « filius Saura? » Respondeo, Eleazar erat filius Mathathiæ, qui cognominatus est « Saura, » vel, ut Græca habent, *Avaran*, vel *Abaran*, id est *fortis eorum*. Ipse enim vexillum fortitudinis contra Antiochum primus erexit. Porro cognomen hoc Abaron Mathathias ad filium suum Eleazarum transtulit ob egregiam ejus animi corporisque fortitudinem. Erant enim Hebræi polyonomi et plura a variis dotibus, vel eventis sortiebantur nomina, vel potius agnomina : *forte ex* אבירון *scabbiron* vel *scavaran*, id est *cui est fortitudo*, per crasin factum est « Saura, » sicut *Genes.* XLIX pro *Silo*, id est Messias, Septuaginta legerunt שלו *Selo*, id est *quæ illi*, scilicet Christo reposita sunt, puta regnum æternum et gloria æterna. Simili enim modo plura nomina propria usu contracta, imo corrupta et detorta videmus; Sanchez tamen negat Eleazarum hunc fuisse fratrem Judæ.

44. ET DEDIT SE (in pugnam contra elephantem, ideoque in certam mortem hoc fine *primario*,) UT LIBERARET POPULUM SUUM ab invasione regis Antiochi Eupatoris; *secundario*, ut) ACQUIRERET SIBI NOMEN ÆTERNUM, — tum in terra apud homines, ut eos suo exemplo incitaret ad similia heroica facinora, tum potius in cœlo apud Deum et S. Angelos. Atque utrumque consecutus est. Nam ut ait S. Ambrosius loco mox citando : « flex territus unius fortitudine pacem rogavit. »

46. ET IVIT SUB PEDES ELEPHANTIS, — ut ventrem ejus perfoderet, itaque eum faceret ruere, ac ruina sua regem opprimere, qua tamen se quoque opprimendum sciebat. Intendebat ergo directe regem occidere, indirecte vero intendebat permittere se quoque eadem ruina opprimi, sine qua regem occidere non poterat. Sic milites in acie primum locum ambiunt, ut primi in urbem, vel hostem insiliant, etiamsi sciant plerosque eorum cadendos et occubituros, haneque mortem putant suam esse gloriam. Sic Samson concussis columnis domum evertit, ut satrapas Philisthæorum ruina domus obrueret, etiamsi eadem se obruendum sciret, *Judic.* XVI, 29. Vide ibi dicta. Quocirca Eleazarum a robore et zelo laudant S. Ambrosius, S. Gregorius, Serarius, Salianus et alii passim. Simile facinus narrat Xenophon, lib. VII *Cyropæd.* de quodam, qui ventre equi Cyri transfixo Cyrum dejecit. Audi S. Ambrosium, libro I *Offic.* cap. XL : « Quanta igitur virtus, inquit, animi, primo ad mortem non timere; deinde ut circumfusus telis hostibus inimicorum, in confertos raperetur hostes, medium penetraret agmen, et contempta morte ferocior, abjecto clypeo, utraque manu vulneratus molem hostis subiret ac sustineret; post infra ipsum succideret, quo plenori feriret ictu. Cujus ruina inclusus magis quam oppressus, suo est sepultus triumpho. Nec fefellit opinio virum, quamvis regius fefellerit habitus. Tanto enim virtutis spectaculo defixi hostes, inermem occupatum incursare non ausi post casum

ruentis bestiæ, sic trepidaverunt, ut impares se omnes unius virtuti arbitrarentur.» Et mox : «Itaque Eleazarus hæredem virtutis suæ pasem reliquit. »

Et CECIDIT (elephas) SUPER IPSUM (Eleazarum, (qui se ei supposuerat), ET MORTUUS EST ILLIC. — Eleazarus, oppressus ab elephante supra se cadente. Symbolice S. Gregorius, lib. XIX *Moralium* cap. XIII : « Eleazar, ait, in prælio elephantem feriens stravit; sed sub ipso, quem exstinxit, occubuit. Quos ergo iste significat, quem sua victoria oppressit, nisi eos, qui vitia superant, sed sub ipso, quæ subjiciunt, superbiendo succumbunt? Quasi enim sub hoste, quem prosternit, moritur, qui de culpa quam superat, elevatur. »

Vers. 47. 47. ET VIDENTES (Judas et Judæi) VIRTUTEM REGIS, (id est exercitum regis tam validum et copiosum, ut ipsi pauci cum prosternere non possent, prudenti consilio ad tempus) DIVERTERUNT SE AB EIS, — et perrexerunt ad obsidendum arcem in monte Sion ab Antiochiis occupatam. Similiter rex tot suorum a Juda cæsis territus se subduxit, nec ausus fuit Judam abeuntem insequi, sed Bethsuram obsedit. Nota : In hisce libris per « virtutem » intelligitur validus exercitus; hunc enim significat Græcum Δύναμις.

Vers. 49. 49. ET FECIT PACEM CUM EIS, QUI ERANT IN BETHSURA, (cum pacto, ut eos fame morientes sineret egredi et alimenta quærere, ipse vero Bethsuram occuparet :) QUIA SABBATA ERANT TERRÆ, — id est quia erat annus septimus, sive sabbaticus, quo nec serere, nec metere licebat, sed terræ danda erat sua quies juxta legem *Exodi* XXIII. Simili ratione Herodes fame cepit Jerosolymam in anno sabbatico, uti narrat Josephus, lib. XIV, cap. XXVIII.

Vers. 51. 51. ET CONVERTIT (rex Antiochus Eupator) CASTRA AD LOCUM SANCTIFICATIONIS, (ut templum et arcem, quam juxta illud ad tutelam erexerat Judas, cap. IV, vers. 60, expugnaret :) ET STATUIT ILLIC BALISTAS, etc., ET SCORPIOS, (quæ erant machinæ, sive catapultæ) AD MITTENDAS SAGITTAS ET FUNDIBULA, — Græce σφενδόνας, id est fundas, sive balistas majores, quæ lapides grandes fundebant et jaculabantur in urbem, de quibus vide Vegetium, Lypsium, Vultrinum et alios.

Vers. 58. 58. ET AUDIVIT LYSIAS QUOD PHILIPPUS, etc. — Lysias, qui regebat Eupatorem regem, utpote puerum, timens Philippum, ne se suo loco graduque extruderet, eo quod Philippus a patre Antiocho Epiphane moriente constitutus fuisset gubernator regni æque ac filii Eupatoris, suasit Eupatori pacem facere cum Judæis, ac contra Philippum pergere, ne is regnum invaderet; itaque factum est; unde II *Mach.* XIII, 22, hæc supplentur et adduntur, quæ valde Judæ fortitudinem et victoriam commendant : « Iterum rex sermonem habuit ad eos qui erant in Bethsuris : dextram dedit, accepit : abiit, commisit cum Juda : superatus est. Ut autem cognovit rebellasse Philippum Antiochiæ, qui relictus erat super negotia, mente consternatus Judæos deprecans, subditusque eis jurat de omnibus quibus justum visum est : et reconciliatus obtulit sacrificium, honoravit templum, et munera posuit, Machabæum amplexatus est, et fecit eum a Ptolemaide usque ad Gerrenos ducem et principem. »

62. ET RUPIT CIVIUS JURAMENTUM, (quia arcem erectam a Juda ad templi tutelam curavit everti, dum, ut sequitur, MANDAVIT DESTRUERE MURUM (arcis) IN GYRO. Sed mox regem perfidiæ suæ pœnituit, qui cupiens uti auxilio, et robore Judæ et Judæorum contra Philippum, cum eo fœdus renovavit, Judamque amplexatus fecit eum ducem et principem, uti jam dixi ex II *Machabæorum* XIII.

63. ET POGNAVIT ADVERSUM EUM (Philippum sibi rebellantem, eumque captum occidit) ET OCCUPAVIT CIVITATEM — Antiochiam, adjutus valde auxiliis Judæ et Judæorum, uti narrat Josephus et Gorionides. Porro Antiochia est metropolis Syriæ, urbs celeberrima, quam Orontes fluvius interfluit, postea a Justiniano Imperatore dicta Theopolis, id est Dei civitas. In ea primum sedit Petrus Apostolus, ibique primum fideles appellati sunt Christiani. Dicta est Antiochia ab Antiocho, sicut Epiphania ab Epiphane, Alexandria ab Alexandro, Roma a Romulo, Constantinopolis a Constantino fundatore. Porro Antiochiam condidit Seleucus Nicanor, qui primus post Alexandrum Magnum in Asia et Syria regnavit, eamque ex nomine patris sui Antiochi Antiochiam nuncupavit, et Syriæ caput constituit, ait S. Isidorus, lib. XV *Origin.* cap. I.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Demetrius Seleuci filius Roma fugiens, paternum Syriæ regnum occupat, ideoque Antiochum Eupatorem suum consobrinum illud occupantem cum Lysia tutore interficit. Mox falsis Alcimi accusationibus incitatus contra Judam mittit Bacchidem; sed Judas utrumque comprimit. Tandem, vers. 26, Demetrius mittit Nicanorem; sed hunc quoque vincit et occidit Judas, caputque ejus cum manu suspendit contra Jerusalem.

1. Anno centesimo quinquagesimo primo, exiit Demetrius Seleuci filius ab urbe Roma, et ascendit cum paucis viris in civitatem maritimam, et regnavit illic. 2. Et factum est, ut ingressus est domum regni patrum suorum, comprehendit exercitus Antiochum et Lysiam, ut adducerent eos ad eum. 3. Et res ei innotuit; et ait : Nolite mihi ostendere faciem eorum. 4. Et occidit eos exercitus. Et sedit Demetrius super sedem regni sui : 5. et venerunt ad eum viri iniqui et impii ex Israel : et Alcimus dux eorum, qui volebat fieri sacerdos. 6. Et accusaverunt populum apud regem, dicentes : Perdidit Judas, et fratres ejus, omnes amicos tuos, et nos dispersit de terra nostra. 7. Nunc ergo mitte virum, cui credis, ut eat, et videat exterminium omne quod fecit nobis, et regionibus regis : et puniat omnes amicos ejus, et adjutores eorum. 8. Et elegit rex ex amicis suis Bacchidem, qui dominabatur trans flumen, magnum in regno, et fidelem regi : et misit eum, 9. ut videret exterminium quod fecit Judas; sed et Alcimum impium constituit in sacerdotium, et mandavit ei facere ultionem in filios Israel. 10. Et surrexerunt, et venerunt cum exercitu magno in terram Juda : et miserunt nuntios, et locuti sunt ad Judam, et ad fratres ejus, verbis pacificis in dolo. 11. Et non intenderunt sermonibus eorum : viderunt enim quia venerunt cum exercitu magno. 12. Et convenerunt ad Alcimum et Bacchidem congregatio scribarum requirere quæ justa sunt : 13. et primi, Assidæi qui erant in filiis Israel, et exquirebant ab eis pacem. 14. Dixerunt enim : Homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos. 15. Et locutus est cum eis verba pacifica : et juravit illis, dicens : Non inferemus vobis malum, neque amicis vestris. 16. Et crediderunt ei : et comprehendit ex eis sexaginta viros, et occidit eos in una die, secundum verbum quod scriptum est : 17. Carnes sanctorum tuorum, et sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret. 18. Et incubuit timor et tremor in omnem populum, quia dixerunt : Non est veritas et judicium in eis; transgressi sunt enim constitutum, et jusjurandum quod juraverunt. 19. Et movit Bacchides castra ab Jerusalem, et applicuit in Bethzecha : et misit, et comprehendit multos ex eis qui a se effugerant, et quosdam de populo mactavit, et in puteum magnum projecit. 20. Et commisit regionem Alcimo, et reliquit cum eo auxilium in adjutorium ipsi. Et abiit Bacchides ad regem : 21. et satis agebat Alcimus pro principatu sacerdotii sui, 22. et convenerunt ad eum omnes qui perturbabant populum suum, et obtinuerunt terram Juda, et fecerunt plagam magnam in Israel. 23. Et vidit Judas omnia mala quæ fecit Alcimus, et qui cum eo erant, filius Israel, multo plus quam Gentes. 24. Et exiit in omnes fines Judææ in circuitu, et fecit vindictam in viros desertores, et cessaverunt ultra exire in regionem. 25. Vidit autem Alcimus quod prævaluit Judas, et qui cum eo erant : et cognovit quia non potest sustinere eos, et regressus est ad regem, et accusavit eos multis criminibus. 26. Et misit rex Nicanoremunum ex principibus suis nobilioribus : qui erat inimicitias exercens contra Israel : et mandavit ei evertere populum. 27. Et venit Nicanor in Jerusalem cum exercitu magno, et misit ad Judam et ad fratres ejus verbis pacificis cum dolo, 28. dicens : Non sit pugna inter me et vos : ve-

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

niam cum viris paucis, et videam facies vestras cum pace. 29. Et venit ad Judam, et salutaverunt se invicem pacifice : et hostes parati erant rapere Judam. 30. Et innotuit sermo Judæ, quoniam cum dolo venerat ad eum : et conterritus est ab eo, et amplius noluit videre faciem ejus. 31. Et cognovit Nicanor quoniam denudatum est consilium ejus : et exivit obviam Judæ in pugnam juxta Cauharsalama. 32. Et ceciderunt de Nicanoris exercitu fere quinque millia viri, et fugerunt in civitatem David. 33. Et post hæc verba ascendit Nicanor in montem Sion : et exierunt de sacerdotibus populi salutare eum in pace, et demonstrare ei holocaustomata quæ offerebantur pro rege. 34. Et irridens sprevit eos, et polluit : et locutus est superbe, 35. et juravit cum ira, dicens : Nisi tradatus fuerit Judas et exercitus ejus in manus meas, continuo cum regressus fuero in pace, succendam domum istam. Et exiit cum ira magna. 36. Et intraverunt sacerdotes, et steterunt ante faciem altaris et templi : et flentes dixerunt : 37. Tu, Domine, elegisti domum istam ad invocandum nomen tuum in ea, ut esset domus orationis et obsecrationis populo tuo. 38. Fac vindictam in homine isto, et exercitu ejus, et cadant in gladio : memento blasphemias eorum, et ne dederis eis ut permaneant. 39. Et exiit Nicanor ab Jerusalem, et castra applicuit ad Bethoron : et occurrit illi exercitus Syriæ. 40. Et Judas applicuit in Adarsa cum tribus millibus viris ; et oravit Judas, et dixit : 41. Qui missi erant a rege Sennacherib, Domine, qui blasphemaverunt te, exiit angelus, et percussit ex eis centum octoginta quinque millia : 42. sic contere exercitum istum in conspectu nostro hodie, et sciant cæteri quia male locutus est super sancta tua ; et judica illum secundum malitiam illius. 43. Et commiserunt exercitus prælium tertia decima die mensis Adar ; et contrita sunt castra Nicanoris, et recidit ipse primus in prælio. 44. Ut autem vidit exercitus ejus quia cecidisset Nicanor, projecerunt arma sua, et fugerunt ; 45. et persecuti sunt eos viam unius diei, ab Adazer usquequo veniatur in Gazara, et tubis cecinerunt post eos cum significationibus : 46. et exierunt de omnibus castellis Judææ in circuitu, et ventilabant eos cornibus, et convertebantur iterum ad eos, et ceciderunt omnes gladio, et non est relictus ex eis nec unus. 47. Et acceperunt spolia eorum in prædam, et caput Nicanoris amputaverunt, et dexteram ejus, quam extenderat superbe, et attulerunt et suspenderunt contra Jerusalem. 48. Et lætatus est populus valde, et egerunt diem illam in lætitia magna. 49. Et constituit agi omnibus annis diem istam, tertia decima die mensis Adar. 50. Et siluit terra Juda dies paucos.

Vers. 1. Historia Antiochi et Demetrii.

1. Anno 151 (Græcorum) exiit Demetrius Seleuci filius ab urbe Roma. — Ut historiam hanc ab ovo intelligas, nota ex Appiano, Justino et aliis Antiochum Magnum cum Annibale devictum a L. Scipione, et Romanis pacem cum eo iniisse, ac obsidem pacis misisse Romam filium, juniorem Antiochum Epiphanem, cap. I, 11. Mortuo Antiocho Magno successit filius senior Seleucus Philopator, qui fratrem suum Antiochum Epiphanem Roma revocavit ad se, ut ejus opera Syriam recuperaret et Ægyptum occuparet, ac ejus loco obsidem Romanis dedit filium suum Demetrium decendem, de quo hic agitur. Defuncto paulo post Seleuco successit frater Antiochus Epiphanes, qui 12 annis regnavit : quibus exactis moriens substituit sibi filium Antiochum Eupatorem puerum novennem. Demetrius Romæ id audiens petiit a Romanis missionem, ut regnum paternum, quod ei tanquam Seleuci senioris Epiphanis fratris filio jure debebatur, excluso Eupatore puero consobrino suo, adiret. Negarunt Romani, faveruntque Eupatori, a quo quasi puero nil metuebant. Videns id Demetrius clam Roma fugit in Syriam : Syri id audientes turmatim ad eum, quasi legitimum regni successorem, confluxerunt ; imo milites Eupatoris ab eo ad Demetrium, quasi regem, defecerunt, ejusque jussu Eupatorem cum tutore Lysia occiderunt : Demetrius ergo Antiochum occupans in ea cœpit regnare annum ætatis agens 23, nam decimo ætatis anno a Seleuco patre obses missus fuit Romam, ibique mansit tota vita Antiochi Epiphanis patrui sui per tres annos : ac eo mortuo ætatis suæ anno 23, in Syriam rediit, et regnum avitum recepit. Audi Appianum in *Syriaco* : « Senatus lætus audiit Antiochum (Epiphanem) qui paucis annis generose regnaverat tam cito mortuum. Attamen Demetrium Seleuci filium nepotem Magni Antiochi, consobrinum hujus pueri (Eupatoris) adhuc in urbe obsidem, ingressum jam annum vigesimum tertium, quamvis rogantem, et dicentem se propiorem hæredem, noluit in regnum deducere, existimans conducibilius

sibi regi Syriam a puero quam a viro. » Et statim : « Demetrius rursum patres adiit rogans, ut saltem obses esse desineret, quandoquidem permutatus sit Antiocho, qui tunc defunctus erat. Et cum ne hoc quidem impetraret, clam aufugit navicio, exceptusque a Syris magna gratulatione regnum adeptus est, Lysia primum interfecto, mox et puero, ejectoque Heraclida, et Tymarcho ut rebelli occiso, qui aliquin etiam Babylonis præfecturam male administraverat. Quamobrem Soter appellatus est, orto a Babylonis initio. » Hanc ergo ob causam Demetrius hic cognominatus fuit Soter, id est *salvator*, inquit Eusebius *in Chron.* et Appianus *in Syriaco*.

Ascendit cum paucis in civitatem maritimam, — scilicet Tripolim, ut dicitur II *Mach.* XIV, 1, ibique a suis Syris ut legitimus rex agnitus cœpit regnare, donec exercitus Syriacus Eupatoris audiens ejus adventum, eum Antiochiam invitavit ad occupandum regni Syriæ metropolim. Unde sequitur :

2. Et pactum est, ut ingressus est domum regni patrum suorum (id est urbem regiam, regnique metropolim, puta Antiochiam), comprehendit exercitus (Syriacus Eupatoris favens Demetrio, ad eumque quasi legitimum regem transiens) Antiochum (Eupatorem) et Lysiam (ejus tutorem), ut adducerent eos ad eum, — Demetrium.

3. Et res ei innotuit, et ait : Nolite mihi ostendere facies eorum, — q. d. Nolo eos videre, ne Eupatoris consobrini mei pueri aspectu ad misericordiam et vitam ei condonandam flectar, q. d. Malo eos aspicere mortuos quam vivos, ne si ego eos occidam, habear sævus et crudelis : vos ergo, quasi invito me, eos occidite, ut solus secure sine æmulo regnem : unde sequitur :

4. Et occidit eos exercitus. — Hinc patet Eupatorem vix biennium regnasse ; cœpit enim regnare post mortem patris Antiochi Epiphanis, quæ contigit anno 149 Græcorum, ut dictum est, desiit vero anno 151 Græcorum, quo Demetrius regnum adiit, et Eupatorem jam 11 annorum occidit, ut liquet ex vers. 1.

Porro Eupator tam cito regno et vita Deo vindice spoliatus est ; tum ob scelera patris Antiochi Epiphanis ; tum ob sua, præsertim ob perjurium quo fidem Judæ et Judæis datam violavit, ut dictum est cap. præced. vers. 62.

5. Et Alcimus dux eorum, qui volebat fieri sacerdos — summus, id est Pontifex. Impius et amibitiosus Alcimus invidens Judæ Pontificatum et Principatum, eum ab Antiocho Eupatore obtinuit, eoque occiso eumdem sibi dari, vel potius datum confirmari petiit a Demetrio, et obtinuit. Fuit ergo ipse Pseudo-Pontifex, imo Apostata et proditor Israelis : nam omnes veri Israelitæ Judam Machabeum habebant pro vero Pontifice et Principe.

6. Perdidit Judas et fratres ejus, omnes amicos tuos, — puta duces et milites Syros, quos contra eos misit Antiochus Epiphanes, ejusque filius Eupator, quorum ille unus fuit patruus, hic consobrinus, q. d. Mitte ergo, o Demetri, mecum ducem cum copiis, qui Judam hostem tuum Pontificatu et Principatu privet, meque tibi amicum et fidum in ejus locum substituat. Credidit Demetrius scelesto Alcimo calumniatori, misitque cum eo Bacchidem contra Judam.

8. Et elegit rex (Demetrius) ex amicis (aulicis) suis Bacchidem, qui dominabatur (quasi præfectus et Vicarius), trans flumen — Euphratem in Mesopotamia : hæc enim inter Tigrim et Euphratem interjacet, iisque undique ambitur, et cingitur, indeque vocatur Mesopotamia, q. d. in medio duorum fluminum sita.

13. Et primi Assidæi, — de quibus cap. II, vers. 42, qui erant viri pii, religiosi, ac zelosi, idcoque cum Juda pro Israele fortissime depugnantes, qui nimis creduli Alcimo quasi sacerdoti Aaronico ab eo decepti, capti et cæsi sunt.

16. Secundum quod scriptum est, — *Psalm.* XVIII, vers. 2.

17. Carnes sanctorum tuorum. — Hebraice חסידיך *chasideha* ; unde nomen *Assidæi*, id est sancti, pii et misericordes. Ad litteram ergo de Assidæis hic ab Alcimo occisis, ante tot centenos annos illo Psalmo vaticinatus est David.

23. Et vidit Judas, — Judas se opposuit Alcimo, cæterisque apostatis Israelis, eosque quasi leo latuavit et discerpsit.

26. Et misit rex Nicanorem, — loco Bacchidis, cum validioribus copiis, ut Judam et Judæos contereret, et Alcimum eveheret.

27. Et venit Nicanor. — Hic multa supplenda et intexenda sunt, quæ narrantur II *Machab.* XIV, nimirum Nicanorem præfectum fuisse elephantorum, qui missu Demetrii veniens in Judæam, illico omnes Gentiles in ea reliquos, aque ac apostatas Judæorum ad se evocavit, ex eisque copias contra Judam et Judæos instruxit. Judas cum suis de more ad preces, et Dei opem imploramdam confugit. Simon frater Judæ in aciem contra Nicanorem processit ; sed videns tantas ejus copias, exterritus retrorsum abiit. Nicanor metuens Judæ vires et victorias, petiit cum eo colloqui, et de pace pacisci. Judas die dicta comparuit solus, sed juxta se in latebris multos armatos constituit, ut si quis dolus patesceret, illico ad se defendendum accurrerent. Verum nullus tum fuit dolus, sed serio rem egit Nicanor, ac cum Juda sincere pacem iuit. Videns hoc, dolensque Alcimus, Nicanorem apud regem Demetrium accusavit, quod infideliter res regis egisset, ac cum Juda hoste amicitiam contraxisset. Rex hac de re indignans acres ad Nicanorem dedit litteras, quibus jussit ut Judam caperet, et ad se Antiochiam perduceret. Nicanor acceptis litteris satagit regis jussa explere, ac Judam per dolum et pristinæ amicitiæ simulationem capere, et ad regem mittere. Advertit id Judas, ac se ab eo subduxit, ut hic narratur. Quare Nicanor aperto marte Judam aggressus, ab eo cæsus capiteque truncatus fuit.

Vers. 31. 31. Et exivit obviam Judæ in pugnam juxta Capharsalama, — id est juxta Antipatridem; nam urbs hæc amœna et dives in tribu Manasse, postea ab Herode Ascalonita instaurata, et aucta a patre suo Antipatro, dicta est Antipatris, vel Antipatrida, ad quam e Jerusalem captivus abductus est S. Paulus stipatus 470 militibus, *Act.* xxiii. Hodie villa est quæ Assur dicitur. Ita Adrichomius et alii.

Vers. 32. 32. Et fugerunt (reliqui a Juda non occisi) in civitatem David, — puta in arcem Sion, quam Antiochistæ obtinebant.

Vers. 34. 34. Et polluit. — profanavit templum in Sion inferendo in illud Gentiles idololatras cum suis idolis et spurcitiis. Secundo et aptius « polluit » ipsos « sacerdotes, » uti addunt Græca, ipsos cogendo ut cibos immundos et pollutos comederent, vel Deo offerrent.

Locutus est superbe, — blasphemans templum, legem et Deum; ideoque quasi alter Sennacherib cæsus est, vers. 38 et 47. Cum enim quidam e Judæis dixissent esse Deum vivum in cœlo, qui mandasset servari sabbatum, respondit Nicanor: « Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma (in sabbato), et jussa regis impleri. » II *Machab.* xv, ubi et additur linguam Nicanoris blasphemam, idcirco paulo post fuisse minutim concisam et avibus ad devorandum projectam.

35. Et juravit cum ira dicens: Nisi traditus fuerit Judas, etc., succendam domum istam, — id est succendam templum. Fusius hæc omnia narrantur, II *Machab.* cap. xiv et xv, vers. 5.

43. Et commiserunt prælium tertia decima mensis Adar (februarii) et contrita sunt castra Nicanoris (cæsis 35 millibus), et cecidit ipse primus, — ut qui primus et dux fuerat in blasphemia et culpa, primus pariter et dux cæterorum foret in pœna et vindicta. Addit Gorionides Judam provocasse Nicanorem ad duellum, in eoque eum occidisse. Audi eum, cap. xxi: « Misit ad Nicanorem Judas, dicens: Quando accingis te, egredere in agrum, et ostendam solum virum quem etiam intra penetralia quæsisti. En is expectat te in convalle et planitie. » Et paulo post: « Vidit Judas in pugna Nicanorem habentem in sua manu gladium evaginatum; clamansque ait: Contra te, o Nicanor; et cum curreret contra illum in fervoris sui virtute, avertit Nicanor humerum suum, et fugit a facie Judæ. At Judas apprehendit eum, percussitque gladio suo, et dissecuit in duas partes. » Verum hæc conflicta videntur. In tanto enim hostium numero totis aciebus prœliandum erat, non sigillatim duellandum. Additur II *Mach.* xv, Judam suis narrasse somnium, quo Onias ostenderat sibi Jeremiam porrigentem aureum gladium, dicentemque: « Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel, » illoque eos animasse ad pugnam certamque victoriam.

45. Et tubis cecinerunt post eos cum significationibus, — nimirum certa tubarum modulatione significantes hostes esse profligatos, ideoque fugere, ut hoc signo Judæi undequaque excliti accurrerent, ac fugientes persequerentur et mactarent. Unde sequitur: Vers. 45.

46. Et ejecerunt de omnibus castellis (oppidis, pagis et vicis) Judæi in circuitu, et ventilabant eos cornibus, — id est dejiciebant et repellebant eos suis armis et gladiis, sicut tauri suis cornibus dejiciunt agnos, vel segetes. Vers. 46.

Et conterebantur iterum ab eos, *q. d.* Hostes a Judæis undique concurrentibus repulsi, revertebantur ad Judam, et Judæos se insequentes, ibique ab eis profligati.

Ceciderunt omnes gladio, et non est relictus ex eis nec unus, — *q. d.* Omnes ad unum fuere mactati, ita ut ne unus quidem evaderet, foretque tantæ cladi superstes. Magna et insolita fuit hæc Judæ victoria, et Nicanoris strages, idque ob ejus superbiam et blasphemiam. Hoc ergo secundo Nicanoris prælio ceciderunt militum ejus 35 millia, sicut primo prælio vers. 32, ceciderant quinque millia.

47. Et caput Nicanoris amputaverunt, et dexteram ejus, quam extenderat superbe (contra templum minans, juransque se illud combusturum, vers. 35), et suspenderunt contra Jerusalem, — in arce Sion, II *Machab.* xv, sic suspensum fuit caput Goliath a Davide cæsi, et Holofernis a Judith, et Saulis a Philisthæis, I *Regum* cap. ultim. Vers. 47.

49. Et constituit (Judas) agi (quasi festum celebrari) omnibus annis diem istum tertia decima die mensis Adar, — qua pariter olim Judæi ab Aman destinati internecioni per Esther liberati fuerant. Unde dies hæc et festum vocatur *Purim Mardochæi*; hoc enim festum liberationis per Esther et Mardochæum celebratur 14 die Adar, festum vero hoc ob cæsum Nicanorem 13 die Adar, II *Machab.* xiv, 37. Vers. 49.

Et siluit terra Juda dies paucos, — scilicet usque ad annum sequentem, qui fuit Græcorum 152, quo Demetrius novum ducem novumque exercitum in Judæam immisit, cum quo Judas confligens occubuit, ut audiemus cap. ix. Vers. 50.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur fortia et fidelia facta Romanorum, ob quæ Judas cum eis fœdus init. Unde Romani jubent Demetrio ut cesset ab infestatione Judæorum.

1. Et audivit Judas nomen Romanorum, quia sunt potentes viribus, et acquiescunt ad omnia quæ postulantur ab eis: et quicumque accesserunt ad eos, statuerunt cum eis amicitias, et quia sunt potentes viribus. 2. Et audierunt prœlia eorum, et virtutes bonas quas fecerunt in Galatia, quia obtinuerunt eos, et duxerunt sub tributum: 3. et quanta fecerunt in regione Hispaniæ, et quod in potestatem redegerunt metalla argenti et auri, quæ illic sunt, et possederunt omnem locum consilio suo et patientia: 4. locaque quæ longe erant valde ab eis, et Reges qui supervenerant eis ab extremis terræ, contriverunt, et percusserunt eos plaga magna; cæteri autem dant eis tributum omnibus annis. 5. Et Philippum et Persen Cetеorum regem, et cæteros qui adversum eos arma tulerant, contriverunt in bello, et obtinuerunt eos: 6. et Antiochum Magnum, regem Asiæ, qui eis pugnam intulerat, habens centum viginti elephantos, et equitatum, et currus, et exercitum magnum valde, contritum ab eis. 7. Et quia ceperunt eum vivum, et statuerunt ei ut daret ipse, et qui regnarent post ipsum, tributum magnum, et daret obsides, et constitutum, 8. et regionem Indorum, et Medos, et Lydos, de optimis regionibus eorum: et acceptas eas ab eis, dederunt Eumeni regi. 9. Et quia qui erant apud Helladam, voluerunt ire, et tollere eos: et innotuit sermo his, 10. et miserunt ad eos ducem unum, et pugnaverunt contra illos, et ceciderunt ex eis multi, et captivas duxerunt uxores eorum, et filios, et diripuerunt eos, et terram eorum possederunt, et destruxerunt muros eorum, et in servitutem illos redegerunt usque in hunc diem: 11. et residua regna, et insulas, quæ aliquando restiterant illis, exterminaverunt, et in potestatem redegerunt. 12. Cum amicis autem suis, et qui in ipsis requiem habebant, conservaverunt amicitiam, et obtinuerunt regna quæ erant proxima, et quæ erant longe: quia quicumque audiebant nomen eorum, timebant eos; 13. quibus vero vellent auxilio esse ut regnarent, regnabant; quos autem vellent, regno deturbabant: et exaltati sunt valde. 14. Et in omnibus istis nemo portabat diadema, nec induebatur purpura, ut magnificaretur in ea. 15. Et quia curiam fecerunt sibi, et quotidie consulebant trecentos viginti, consilium agentes semper de multitudine, ut quæ digna sunt, gerant: 16. et committunt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari universæ terræ suæ, et omnes obediunt uni, et non est invidia neque zelus inter eos. 17. Et elegit Judas Eupolemum, filium Joannis, filii Jacob, et Jasonem, filium Eleazari, et misit eos Romam constituere cum illis amicitiam et societatem: 18. et ut auferrent ab eis jugum Græcorum, quia viderunt quod in servitutem premerent regnum Israel. 19. Et abierunt Romam viam multam valde, et introierunt curiam et dixerunt: 20. Judas Machabæus, et fratres ejus, et populus Judæorum miserunt nos ad vos statuere vobiscum societatem et pacem, et conscribere nos socios et amicos vestros. 21. Et placuit sermo in conspectu eorum. 22. Et hoc rescriptum est, quod rescripserunt in tabulis æreis, et miserunt in Jerusalem, ut esset apud eos ibi memoriale pacis et societatis. 23. Bene sit Romanis, et genti Judæorum, in mari et in terra, in æternum: gladiusque et hostis procul sit ab eis. 24. Quod si institerit bellum Romanis prius, aut omnibus sociis eorum in omni dominatione eorum: 25. auxilium feret gens Judæorum, prout tempus dictaverit, corde pleno: 26. et præliantibus non dabunt, neque subministrabunt tri-

neum, arma, pecuniam, naves, sicut placuit Romanis : et custodient mandata eorum, nihil ab eis accipientes. 27. Similiter autem et si genti Judæorum prius acciderit bellum, adjuvabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiserit : 28. et adjuvantibus non dabitur triticum, arma, pecunia, naves, sicut placuit Romanis : et custodient mandata eorum absque dolo; 29. secundum hæc verba constituerunt Romani populo Judæorum. 30. Quod si post hæc verba hi aut illi addere aut demere ad hæc aliquid voluerint, facient ex proposito suo : et quæcumque addiderint vel dempserint, rata erunt. 31. Sed et de malis, quæ Demetrius rex fecit in eos, scripsimus ei dicentes : quare gravasti jugum tuum super amicos nostros, et socios Judæos? 32. Si ergo iterum adierint nos, adversum te faciemus illis judicium, et pugnabimus tecum mari terraque.

4. ET AUDIVIT JUDAS NOMEN (famam bellicæ fortitudinis et virtutum pollicerum) ROMANORUM. — Nota : τὸ « audivit, » significat heroica facta Romanorum, quæ deinceps narrantur auditu et fama fuisse perlata ad Judam et Judæos; hinc tamen non sequitur omnia illa esse vera. Fama enim sæpe major est veritate, ac rem supra veritatem adauget, vel detorquet, dum quisque famæ ex suo aliquid addit, vel demit, uti quotidie in narrationibus non tantum auditorum, sed et oculatorum testium experimur. Hoc responderi posset Novantibus, qui lib. Machabæorum e canone expungunt, objectantes eos hic majora tribuere Romanis quam eis tribuant Livius, Florus, Diodorus, Plutarchus. Ita Serarius, Salianus, Sanchez et alii. Verum si presse singula, quæ de eis hic dicuntur, examinentur, nihil est invenire quod falsi arguipossit, quodque recte cum historicis profanis conciliari nequeat, ut sigillatim ostendam. Sic in Evangeliis multa a Judæis dicuntur de Christo, ut, quod sit Samaritanus, potator vini, dæmoniacus, quæ fuere falsissima; sed Judæos ea dixisse verissimum est, et hoc tantum vult Scriptura, uti docet S. Augustinus, Quæst. VI *ad Orosium*.

ACQUIESCUNT AD OMNIA QUÆ POSTULANTUR AB EIS, — si nimirum postulata sint æqua et justa, nec Romanorum commodis vel juribus contraria.

2. ET AUDIERUNT (Judas et Judæi) PRŒLIA EORUM ET VIRTUTES EORUM, — Græce ἀνδραγαθίας, id est virilitates, strenuitates, res fortiter gestas, fortitudines, præclare facta; nam ἀνδραγαθία idem est quod viriliter ago, virum me gero, fortiter ago, fortem et bonum virum me præsto.

QUAS FECERUNT IN GALATIA, — hanc enim sub hoc tempus armis subegere Romani, ut patet ex Livio, Josepho, Justino et aliis. Per Galatas intelligit Gallo-Græcos, quos Romani bello appetivere, eo quod Antiochum Magnum contra Romanos pugnantem adjuvissent, unde contra eos miserunt Manlium Volsonem qui eos vicit, et post biennium de eis triumphavit, teste Livio, lib. XXXVIII.

3. ET QUANTA FECERUNT IN REGIONE HISPANIÆ (eam per multa et longa bella sibi subjugando); ET QUOD IN POTESTATEM REDEGERUNT METALLA ARGENTI ET AURI QUÆ ILLIC SUNT. — Nam auri et argenti fodinas feracissimas illo ævo fuisse in Hispania, testantur Plinius, Strabo et alii. Argenti fodinas etiamnum ibi esse testatur Mariana aliique chronographi et historici. Vide Pinedam, lib. IV *De rebus Salomonis*, cap. IV, num. 6.

ET POSSEDERUNT OMNEM LOCUM (omnes urbes et arces Hispaniæ) CONSILIO SUO ET PATIENTIA, — Græce μακροθυμίᾳ, id est longanimitate, quam maxime Romani ostenderunt in domanda Hispania : nam eam omnem non domuerunt, nisi post 23 annos quibus assidue, sed successive progrediendo, cum ejus incolis bella gesserunt; nam alias provincias longe citius occuparunt. Ita Livius, Diodorus, Justinus, Florus et alii. Porro in Hispania præclara res gesserunt Scipio Africanus, ejusque pater et patruus.

Moraliter disce hic a Romanis omnes hostes, tam corporis quam animæ, adeoque omnes cupiditates et passiones animi, omniaque vitia superari consilio et patientia, id est longanimitate, longanimique constantia et perseverantia in illis debellandis; nil enim tam insolitum, tam potens, tam efferum, quod consilium et constantia non edomet, uti docent S. Basilius, Cassianus et alii.

Mystice Hugo : Sancti, ait, possident cœlum consilio, dum scilicet sequuntur consilium Christi : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, » *Matth.* V; terram vero possident patientia, juxta illud Christi ibidem : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. » Rursum Martyres obtinent cœlum patientia, Confessores consilio.

4. LOCAQUE QUÆ LONGE ERANT VALDE AB EIS (tum in Asia, tum in Africa, ac præsertim Carthaginem, Romæ æmulam, etc.) CONTIVERUNT. — Bella enim Romanorum cum Annibale et Carthaginensibus per Q. Fabium Maximum, et P. Scipionem Africanum hoc tempore gesta fuere, unde de iis hunc versum explicat Josephus.

5. ET PHILIPPUM, ET (ejus filium spurium) PERSEN (quem Livius aliique vocant *Perseum*) CETERORUM (id est Macedonum, uti dixi cap. I, 1, et Epiri) REGES, etc., CONTIVERUNT, — per L. Æmilium Paulum, qui post bellum quatuor annorum Perseum captum Romam in triumphum duxit, ac Macedoniam Epirumque Romanis subjecit, anno urbis condilæ 585.

VER. 6. 6. ET ANTIOCHUM MAGNUM (patrem Seleuci et Antiochi Epiphanis, avum Demetrii æque ac Antiochi Eupatoris) CONTRITUM AB EIS, — puta a Romanis per Scipionem Asiaticum, fratrem Scipionis Africani. Nam, ut ait Livius, lib. XXXVII : « Ad 50 millia peditum eo die cæsa dicuntur, equitum quatuor millia, mille 400 capti, et quindecim cum rectoribus elephanti : » nec mirum Antiochum contra Romanos in aciem eduxisse 120 elephantos, cum idem contra Ptolomæum Epiphanem eduxerit centum et duos, teste Polybio, lib. V.

VER. 7. 7. ET QUIA CEPERUNT EUM VIVUM. (Hoc non asserunt Appianus, Livius et Justinus, sed nec negant, imo subindicant, dum narrant Antiochum illa a Romanis fuisse constrictum et conclusum, ut quasi captus Scipioni victori manus dederit, concesseritque omnia quæ postulabat, ac præsertim) TRIBUTUM MAGNUM, (bis mille talentorum quotannis, tam a se quam a suis posteris pendendum); ET DARET OBSIDES, — inter quos primarius fuit Antiochus Epiphanes junior ejus filius.

ET CONSTITUTUM, — Græce διαταγὴν, id est *distinctionem* et divisionem, ut scilicet, diviso ejus regno in duas partes, unam meliorem daret Eumeni regi Pergami, suo æmulo, et amico Romanorum; alteram vero viliorem sibi servaret, ac fere in Syria sola, loclsque eis Taurum montem sibi regnaret : hoc enim quasi constitutum regnorum suorum pensum Romanis dare coactus fuit Antiochus unde explicans subdit :

VER. 8. 8. ET REGIONEM JUDÆORUM, — ita vocat provincias ultra Taurum montem sitas, ab Antiocho occupatas, uti ex Procopio, Strabone et aliis demonstrat Serarius.

ET MEDOS, ET LYDOS DE OPTIMIS REGIONIBUS EORUM, (q. d. Antiochus coactus fuit cedere Romanis regiones ultra Taurum sitas, item Mediam et Lydiam, quæ erant optimæ regiones ipsius, ac patrum et posterorum ejus, quas) AB EIS ACCEPTAS (Romani) DEDERUNT EUMENI REGI — Romanorum amico, sed Antiochi inimico. Id prædixit Daniel, cap. XI, VERS. 8. Vide ibi dicta.

VER. 9. 9. ET QUIA QUI ERANT APUD HELLADAM (Græce, « in Hellade, » id est in Græcia : nam Ἑλλὰς, id est Græci), VOLUERUNT IRE ET TOLLERE EOS — furtim, et per insidias trucidare legiones Romanorum, in eorum vicinia degentes. Respicit quoque ad Ætolos, qui primi e Græcis cum Romanis bellarunt. Horum enim dux Dæmoeritus T. Quintio Flaminio potenti responsum dixit, se id in Italia daturum, cum Ætoli ad Tiberim castra posuissent.

VER. 10. 10. ET INNOTUIT SERMO (res, sive cœlis machinatio) EIS (scilicet Romanis.)

ET MISERUNT (Romani) AD EOS (Græcos) DUCEM UNUM, — Nahim, ac deinde alios, qui variis conflictibus paulatim domuere et subegere Græcos universos, uti narrat Livius et alii.

VER. 11. 12. CUM AMICIS AUTEM, ET QUI IN EIS REQUIEM HABEBANT, (Græce, *qui acquiescebant* Romanis, illorum jussis vel postulatis sese accommodantes, fideliter) CONSERVAVERUNT AMICITIAM, — eosque ad magnas opes et honores evexerunt, uti de Eumene jam dictum est. Idem contigit Geloni regi Syracusæ et Massinissæ regi Numidiæ, et Ptolomæis Philometori, et Physconi regibus Ægypti.

VER. 14. 14. NEC INDUERATUR PURPURA, — id est purpureo paludamento, quasi cæterorum rex, vel imperator. Nam alioqui Senatores Romani purpurea toga ornabantur. Alia erat ergo purpura consularis, alia regia; imo consules proprie non habebant togas purpureas, sed purpura tantum prætextas, uti ex Livio docet Sallanus.

VER. 15. 15. ET QUIA (quod) CURIAM FECERUNT, — id est senatum virorum senum et sapientum, puta Patriciorum, eisque curiam ædificaverunt, ut in ea quotidie congregarentur de re publica consilia sua votaque collaturi.

ET QUOTIDIE CONSULEBANT (consultabant inter se) 320 VIRI, — senatores, sive patricii. Romulus primo statuit centum senatores; mox crescente Republica Romanorum auxit eorum numerum ad ducentos : inde Tarquinius Priscus, uti Halicarnassensis, ad trecentos, imo 320, ut hic dicitur, Gracco vero tumultuante excrevit ad sexcentos, inde ad 900 et 1000, uti narrat Livius, Florus et alii.

VER. 16. 16. ET COMMITTUNT UNI HOMINI MAGISTRATUM SUUM, — nam in periculis Romani creabant unum dictatorem qui toti Reipublicæ præesset. Alias duos creabant consules, sed ita ut unus foris bella gereret; alter domi solus Rempublicam administraret. Quod si plura ingruerant bella diversis in locis, unus uni exercitui et provinciæ, alter alteri præerat. Quin et si uterque consul in isdem castris essent, alternis diebus eis præerant singuli, ut scilicet unus uno die haberet fasces et imperaret, alter altero, ut patet ex clade Cannensi, quæ sub hoc tempus contigit hac de causa, quod illo die præerat castris Varro Consul, qui non audito socio consule Paulo cum Annibale conflixit infelicissime. Sic alternis diebus jus imperandi habebant Strategi in Græcia, Epistatæ Athenis, et Decemviri Romæ : hi enim decimo die jus populo singuli reddebant, ait Livius, lib. III, Diodorus, Plutarchus et alii. Putat Emmanuel Sa Judam, narratione aliquorum deceptum, putasse Romæ unicum fuisse magistratum, cui opinioni dictatura præbuerat occasionem, cum tamen illa, nec annua fuerit, nec ordinarius magistratus, uti fuit Consulatus.

ET NON EST INVIDIA, SEQUE ZELUS INTER EOS. — Non erat invidia apud Romanos primos, qui paucis contenti, opes et honores spernebant, uti fuere Camillus, Cincinnatus, Curius, Fabius, etc., sed posteri eorum inhiantes opibus et dignitatibus Reipublicæ, tempore Judæ Machabæi cœpere laborare ambitione et invidia, sed interna : non enim audebant exterius eum prodere, ne haberentur superbi, avari, ideoque a gubernatione repellerentur : quare exterius non apparebat in

eis invidia, vel zelus, id est æmulatio et contentio ut ait hic Judas; sed paulo post interna ambitio et invidia in externum erupit, cum Marius contra Syllam bello civili contendit, Julius Cæsar contra Pompeium, Augustus contra Antonium; tuncque respublica eorum pessumdata est, ac aristocratiæ successit monarchia Augusti et sequentium imperatorum. Audi Catonem apud Sallustium, *De Bello Catilinario* cap. LII : « Nolite existimare majores nostros armis Rempublicam ex parva magnam fecisse. Si ita esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus. Quippe sociorum, atque civium, præterea armorum, et equorum major copia nobis quam illis est; sed alia fuere, quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla sunt : domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, neque libidini, neque delicto obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam, atque avaritiam, publice egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos discrimen nullum, omnia virtutis præmia ambitio possidet. Neque mirum, ubi vos separatim sibi quisque consilia capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ, aut gratiæ servitis. Eo fit ut impetus fiat in vacuum Rempublicam. »

17. ET ELEGIT JUDAS EUPOLEMUM, etc., ET JASONEM, — id est Josue, vel Jesum; sic enim Hebraice vocabatur; sed quia Hebræi Græcis erant subditi a tempore Alexandri Magni, hinc pariter Græca assumpserunt nomina, ut pro « Jesus, » id est « salvator, » vocarentur « Jason, » id est « sanator » ab eo, id est sano. Sic Eupolemus, Menelaus, Alcimus græca sunt nomina, et talia ambiebant Apostatæ, ut Antiochi, Demetrii et Græcorum gratiam inirent.

FILIUM ELEAZARI. — Aliqui putant hunc Jasonem fuisse filium Eleazari fratris Judæ Machabæi, de quo cap. II, 5, alii Eleazari senis nonagenarii, qui pro lege Mosis generosum obiit martyrium, II *Machab.* XVIII; sed nil certi hic statui potest.

ET MISIT EOS ROMAM CONSTITUERE CUM ILLIS AMICITIAM. — Præmebatur Judas hinc validis copiis Demetrii, inde dolis Menelai, Jasonis et Alcimi Pseudo-Pontificum, ideoque apostatarum) æmulorum et hostium suorum : ac videbat se cum paucis fidis Judæis diu eis resistere non posse. Prudenter ergo ad Romanos tunc rerum dominos confugit, eorumque opem fœdus ineundo imploravit : quod ex voto successit. Nam Romani scripserunt ad Demetrium, jusseruntque ei ut Judam et Judæos deinceps non infestaret. Nec erat in hoc fœdere periculum idololatriæ, aut alterius mali, quia Romani omnibus gentibus permittebant suos deos patriamque religionem. Erant enim politici, nec nisi politicum regimen suum servare, et propagare studebant, ad quod valde sibi utile fore sciebant, si gentium jura et numina non mutarent, sed eas patriis legibus et numinibus vivere sinerent. Secus fuit in Josaphat rege Juda, qui a Propheta reprehensus fuit, II *Paral.* XIX; quod cum idololatra Joram rege Israël fœdus et conjugium contraxisset : per hoc enim idololatriæ ingressa est, et pervasit regnum Juda. Sic David, persecutionem sustinens, a Saule confugit ad Achis regem Geth idololatram, I *Reg.* XVII. Idem cum Naas rege Ammon fœdus iniit, II *Reg.* X; et cum Tholmai rege Gessur, cujus filiam duxit uxorem, II *Reg.* III, versu 3. Sic Abraham, Isaac et Jacob cum Palæstinis et Syris idololatris fœdera sanxerunt, *Gen.* cap. XIV, et XXI et XXVI. Licite ergo, imo pie et sancte Judas cum Romanis pactum iniit, ut eorum ope patriam, rempublicam, Ecclesiam, veramque fidem et religionem, quam Antiochus et apostatæ evertere conabantur, tueretur et propugnaret; esto Rupertus Ilesensis et alii contrarium sentiant, ut dicam cap. seq. vers. 18.

Dices : Hoc fœdus cum Romanis fuit occasio cur Romani paulo post Judæam subegerint, et deinde rebellantem everterint. Respondeo. Causa hujus subactionis non fuit fœdus, sed Hyrcani et Aristobuli nepotum Simonis Machabæi contentio de Principatu. Hi enim arbitrum delegerunt Pompeium, qui Principatum recte adjudicavit Hyrcano, quasi seniori; sed cum Aristobulus repugnaret, ac Jerusalem caperet, Pompeius eum cum urbe expugnavit, et consentiente Hyrcano Judæam Romanis subjecit, ut fuse narrat Josephus.

21. IN TABULIS ÆREIS. — Romani scribebant sua fœdera æque ac leges in tabulis æreis, quas publice appendebant ad eorum perpetuitatem, ac ne quis ea lacerare vel abolere posset.

23. BENE SIT ROMANIS ET GENTI JUDÆORUM. — Est hoc initium et auspicium fœderis, quo fœderi bene ominantur, et felicitatem apprecantur, q. d. Quod felix faustumque sit Romanis, æque ac Judæis, fœdus utrimque inimus bene precantes, ut illud utrisque contra hostes salutare, æque ac perpetuum sit.

23. AUXILIUM FERET (Romanis bello appetitis) GENS JUDÆORUM, PROUT TEMPUS DICTAVERIT CORDE PLENO, — id est sincero, integro, perfecto, q. d. Sincerissime, integerrime et promptissime Judæi juvabunt Romanos, si bellum eis ingruerit : unde pro « corde pleno, » versu 27, dicitur « ex animo. »

26. ET PRÆLIANTIBUS (Judæis, Romani) NON DABUNT, NEQUE SUBMINISTRABUNT TRITICUM, ARMA, PECUNIAM, NAVES. — Sed hæc omnia suo sumptu præstabunt Judæi, ut gratis succurrant Romanis; alioqui enim Romanorum non tam essent fœderati et amici, quam mercenarii pretio conducti. Amicitia enim gratuitam et liberalem opem amico egenti præstandam postulat.

ET CUSTODIENT MANDATA EORUM, — ut pro Romanis militantes Judæi Romanorum duci per omnia subsint, perinde ac si is Judæus esset, ejusque mandata plane exsequantur, uti faciunt cæteri milites Romani : alioqui enim frustraneum esset Judæorum auxilium, si ipsi sua consilia a Romanis diversa; imo subinde adversa sequi vellent. Sic enim schisma facerent in exercitu, eumque hosti cædendum objicerent.

Vers. 27. 27. SIMILITER AUTEM, ETC. — *q. d.* Simile auxilium gratuitum plane, sincerum et liberale præstabunt Romani Judæis, si a quopiam bello lacessantur.

Vers. 30. 30. QUOD SI, POST HÆC VERBA, SI AUT ILLI (Romani, aut Judæi conditionibus fœderis jam dictis) ADDERE, AUT DEMERE ADHUC ALIQUID VOLUERINT, FACIENT EX PROPOSITO SUO, — scilicet ex communi utriusque partis voluntate et consensu.

31. SCRIPSERUNT EI, — Demetrio, ut Judæos vexare desistat. Sed antequam hæ litteræ ad Demetrium venirent, ille jam miserat Bacchidem, cum quo Judas confligens vicit quidem sed occubuit, ut audiemus cap. sequenti.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Bacchides, a Demetrio remissus in Judæam, eam vastat : Judas, octingentos duntaxat in aciem educens, cum eo confligit et vincit; sed, dum fugientes insequitur, a tergo læsus gloriose cadit. Mox Judæi cum Bacchide paciscuntur, qui dum socios Judæ affligit, Judæi probi Judæ defuncto substituunt Jonatham ejus fratrem, vers. 28. Inde, vers. 35, filii Jambri capiunt, occidunque Joannem fratrem Jonathæ, qui proinde Joannis necem ulciscitur : mox, vers. 44, cum Bacchide confligit, cæditque mille viros; Alcimus quoque a Deo percutitur, vers. 44. Bacchides, vers. 58, ab apostatis in Judæam revocatus, nunc dolo capere Jonatham, nunc vi satagit, sed ubique repulsus, tandem cassis apostatis cum Jonatha stabile fœdus init.

1. Interea, ut audivit Demetrius quia cecidit Nicanor et exercitus ejus in prælio, apposuit Bacchidem et Alcimum rursum mittere in Judæam, et dextrum cornu cum illis. 2. Et abierunt viam quæ ducit in Galgala, et castra posuerunt in Masaloth, quæ est in Arbellis : et occupaverunt eam, et peremerunt animas hominum multas. 3. In mense primo anni centesimi et quinquagesimi secundi, applicuerunt exercitum ad Jerusalem : 4. et surrexerunt, et abierunt in Beream viginti millia virorum, et duo millia equitum. 5. Et Judas posuerat castra in Laisa, et tria millia viri electi cum eo; 6. et viderunt multitudinem exercitus, quia multi sunt, et timuerunt valde : et multi subtraxerunt se de castris, et non remanserunt ex eis nisi octingenti viri. 7. Et vidit Judas quod defluxit exercitus suus, et bellum perurgebat eum, et confractus est corde, quia non habebat tempus congregandi eos, et dissolutus est. 8. Et dixit his qui residui erant : Surgamus, et eamus ad adversarios nostros, si poterimus pugnare adversus eos. 9. Et avertebant eum, dicentes : Non poterimus, sed liberemus animas nostras modo, et revertamur ad fratres nostros, et tunc pugnabimus adversus eos; nos autem pauci sumus. 10. Et ait Judas : Absit istam rem facere ut fugiamus ab eis; et si appropiavit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, et non inferamus crimen gloriæ nostræ. 11. Et movit exercitus de castris, et steterunt illis obviam : et divisi sunt equites in duas partes, et fundibularii et sagittarii præibant exercitum, et primi certaminis omnes potentes. 12. Bacchides autem erat in dextro cornu, et proximavit legio ex duabus partibus, et clamabant tubis. 13. Exclamaverunt autem et hi, qui erant ex parte Judæ, etiam ipsi, et commota est terra a voce exercituum : et commissum est prælium a mane usque ad vesperam. 14. Et vidit Judas quod firmior est pars exercitus Bacchidis in dextris, et convenerunt cum ipso omnes constantes corde : 15. et contrita est dextera pars ab eis, et persecutus est eos usque ad montem Azoti. 16. Et qui in sinistro cornu erant, viderunt quod contritum est dextrum cornu, et secuti sunt post Judam, et eos qui cum ipso erant, a tergo : 17. et ingravatum est prælium, et ceciderunt vulnerati multi ex his et ex illis. 18. Et Judas cecidit, et cæteri fugerunt. 19. Et Jonathas et Simon tulerunt Judam fratrem suum, et sepelierunt eum in sepulcro patrum suorum in civitate Modin. 20. Et fleverunt eum omnis populus Israel planctu magno, et lugebant dies multos, 21. et dixerunt : Quomodo cecidit potens, qui salvum facie-

eis invidia, vel zelus, id est æmulatio et contentio ut ait hic Judas; sed paulo post interna ambitio et invidia in externum erupit, cum Marius contra Syllam bello civili contendit, Julius Cæsar contra Pompeium, Augustus contra Antonium; tuncque respublica eorum pessumdata est, ac aristocratiæ successit monarchia Augusti et sequentium imperatorum. Audi Catonem apud Sallustium, *De Bello Catilinario* cap. LII : « Nolite existimare majores nostros armis Rempublicam ex parva magnam fecisse. Si ita esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus. Quippe sociorum, atque civium, præterea armorum, et equorum major copia nobis quam illis est; sed alia fuere, quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla sunt : domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, neque libidini, neque delicto obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam, atque avaritiam, publice egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos discrimen nullum, omnia virtutis præmia ambitio possidet. Neque mirum, ubi vos separatim sibi quisque consilia capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ, aut gratiæ servitis. Eo fit ut impetus fiat in vacuum Rempublicam. »

17. ET ELEGIT JUDAS EUPOLEMUM, etc., ET JASONEM, — id est Josue, vel Jesum; sic enim Hebraice vocabatur; sed quia Hebræi Græcis erant subditi a tempore Alexandri Magni, hinc pariter Græca assumpserunt nomina, ut pro « Jesus, » id est « salvator, » vocarentur « Jason, » id est « sanator » ab eo, id est sano. Sic Eupolemus, Menelaus, Alcimus græca sunt nomina, et talia ambiebant Apostatæ, ut Antiochi, Demetrii et Græcorum gratiam inirent.

FILIUM ELEAZARI. — Aliqui putant hunc Jasonem fuisse filium Eleazari fratris Judæ Machabæi, de quo cap. II, 5, alii Eleazari senis nonagenarii, qui pro lege Mosis generosum obiit martyrium, II *Machab.* XVIII; sed nil certi hic statui potest.

ET MISIT EOS ROMAM CONSTITUERE CUM ILLIS AMICITIAM. — Præmebatur Judas hinc validis copiis Demetrii, inde dolis Menelai, Jasonis et Alcimi Pseudo-Pontificum, ideoque apostatarum) æmulorum et hostium suorum : ac videbat se cum paucis fidis Judæis diu eis resistere non posse. Prudenter ergo ad Romanos tunc rerum dominos confugit, eorumque opem fœdus ineundo imploravit : quod ex voto successit. Nam Romani scripserunt ad Demetrium, jusseruntque ei ut Judam et Judæos deinceps non infestaret. Nec erat in hoc fœdere periculum idololatriæ, aut alterius mali, quia Romani omnibus gentibus permittebant suos deos patriamque religionem. Erant enim politici, nec nisi politicum regimen suum servare, et propagare studebant, ad quod valde sibi utile fore sciebant, si gentium jura et numina non mutarent, sed eas patriis legibus et numinibus vivere sinerent. Secus fuit in Josaphat rege Juda, qui a Propheta reprehensus fuit, II *Paral.* XIX; quod cum idololatra Joram rege Israël fœdus et conjugium contraxisset : per hoc enim idololatriæ ingressa est, et pervasit regnum Juda. Sic David, persecutionem sustinens, a Saule confugit ad Achis regem Geth idololatram, I *Reg.* XVII. Idem cum Naas rege Ammon fœdus iniit, II *Reg.* X; et cum Tholmai rege Gessur, cujus filiam duxit uxorem, II *Reg.* III, versu 3. Sic Abraham, Isaac et Jacob cum Palæstinis et Syris idololatris fœdera sanxerunt, *Gen.* cap. XIV, et XXI et XXVI. Licite ergo, imo pie et sancte Judas cum Romanis pactum iniit, ut eorum ope patriam, rempublicam, Ecclesiam, veramque fidem et religionem, quam Antiochus et apostatæ evertere conabantur, tueretur et propugnaret; esto Rupertus Ilesensis et alii contrarium sentiant, ut dicam cap. seq. vers. 18.

Dices : Hoc fœdus cum Romanis fuit occasio cur Romani paulo post Judæam subegerint, et deinde rebellantem everterint. Respondeo. Causa hujus subactionis non fuit fœdus, sed Hyrcani et Aristobuli nepotum Simonis Machabæi contentio de Principatu. Hi enim arbitrum delegerunt Pompeium, qui Principatum recte adjudicavit Hyrcano, quasi seniori; sed cum Aristobulus repugnaret, ac Jerusalem caperet, Pompeius eum cum urbe expugnavit, et consentiente Hyrcano Judæam Romanis subjecit, ut fuse narrat Josephus.

21. IN TABULIS ÆREIS. — Romani scribebant sua fœdera æque ac leges in tabulis æreis, quas publice appendebant ad eorum perpetuitatem, ac ne quis ea lacerare vel abolere posset.

23. BENE SIT ROMANIS ET GENTI JUDÆORUM. — Est hoc initium et auspicium fœderis, quo fœderi bene ominantur, et felicitatem apprecantur, q. d. Quod felix faustumque sit Romanis, æque ac Judæis, fœdus utrimque inimus bene precantes, ut illud utrisque contra hostes salutare, æque ac perpetuum sit.

23. AUXILIUM FERET (Romanis bello appetitis) GENS JUDÆORUM, PROUT TEMPUS DICTAVERIT CORDE PLENO, — id est sincero, integro, perfecto, q. d. Sincerissime, integerrime et promptissime Judæi juvabunt Romanos, si bellum eis ingruerit : unde pro « corde pleno, » versu 27, dicitur « ex animo. »

26. ET PRÆLIANTIBUS (Judæis, Romani) NON DABUNT, NEQUE SUBMINISTRABUNT TRITICUM, ARMA, PECUNIAM, NAVES. — Sed hæc omnia suo sumptu præstabunt Judæi, ut gratis succurrant Romanis; alioqui enim Romanorum non tam essent fœderati et amici, quam mercenarii pretio conducti. Amicitia enim gratuitam et liberalem opem amico egenti præstandam postulat.

ET CUSTODIENT MANDATA EORUM, — ut pro Romanis militantes Judæi Romanorum duci per omnia subsint, perinde ac si is Judæus esset, ejusque mandata plane exsequantur, uti faciunt cæteri milites Romani : alioqui enim frustraneum esset Judæorum auxilium, si ipsi sua consilia a Romanis diversa; imo subinde adversa sequi vellent. Sic enim schisma facerent in exercitu, eumque hosti cædendum objicerent.

Vers. 27. 27. SIMILITER AUTEM, ETC. — *q. d.* Simile auxilium gratuitum plane, sincerum et liberale præstabunt Romani Judæis, si a quopiam bello lacessantur.

Vers. 30. 30. QUOD SI, POST HÆC VERBA, SI AUT ILLI (Romani, aut Judæi conditionibus fœderis jam dictis) ADDERE, AUT DEMERE ADHUC ALIQUID VOLUERINT, FACIENT EX PROPOSITO SUO, — scilicet ex communi utriusque partis voluntate et consensu.

31. SCRIPSERUNT EI, — Demetrio, ut Judæos vexare desistat. Sed antequam hæ litteræ ad Demetrium venirent, ille jam miserat Bacchidem, cum quo Judas confligens vicit quidem sed occubuit, ut audiemus cap. sequenti.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Bacchides, a Demetrio remissus in Judæam, eam vastat : Judas, octingentos duntaxat in aciem educens, cum eo confligit et vincit; sed, dum fugientes insequitur, a tergo læsus gloriose cadit. Mox Judæi cum Bacchide paciscuntur, qui dum socios Judæ affligit, Judæi probi Judæ defuncto substituunt Jonatham ejus fratrem, vers. 28. Inde, vers. 35, filii Jambri capiunt, occidunque Joannem fratrem Jonathæ, qui proinde Joannis necem ulciscitur : mox, vers. 44, cum Bacchide confligit, cæditque mille viros; Alcimus quoque a Deo percutitur, vers. 44. Bacchides, vers. 58, ab apostatis in Judæam revocatus, nunc dolo capere Jonatham, nunc vi satagit, sed ubique repulsus, tandem cassis apostatis cum Jonatha stabile fœdus init.

1. Interea, ut audivit Demetrius quia cecidit Nicanor et exercitus ejus in prælio, apposuit Bacchidem et Alcimum rursum mittere in Judæam, et dextrum cornu cum illis. 2. Et abierunt viam quæ ducit in Galgala, et castra posuerunt in Masaloth, quæ est in Arbellis : et occupaverunt eam, et peremerunt animas hominum multas. 3. In mense primo anni centesimi et quinquagesimi secundi, applicuerunt exercitum ad Jerusalem : 4. et surrexerunt, et abierunt in Beream viginti millia virorum, et duo millia equitum. 5. Et Judas posuerat castra in Laisa, et tria millia viri electi cum eo; 6. et viderunt multitudinem exercitus, quia multi sunt, et timuerunt valde : et multi subtraxerunt se de castris, et non remanserunt ex eis nisi octingenti viri. 7. Et vidit Judas quod defluxit exercitus suus, et bellum perurgebat eum, et confractus est corde, quia non habebat tempus congregandi eos, et dissolutus est. 8. Et dixit his qui residui erant : Surgamus, et eamus ad adversarios nostros, si poterimus pugnare adversus eos. 9. Et avertebant eum, dicentes : Non poterimus, sed liberemus animas nostras modo, et revertamur ad fratres nostros, et tunc pugnabimus adversus eos; nos autem pauci sumus. 10. Et ait Judas : Absit istam rem facere ut fugiamus ab eis; et si appropiavit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, et non inferamus crimen gloriæ nostræ. 11. Et movit exercitus de castris, et steterunt illis obviam : et divisi sunt equites in duas partes, et fundibularii et sagittarii præibant exercitum, et primi certaminis omnes potentes. 12. Bacchides autem erat in dextro cornu, et proximavit legio ex duabus partibus, et clamabant tubis. 13. Exclamaverunt autem et hi, qui erant ex parte Judæ, etiam ipsi, et commota est terra a voce exercituum : et commissum est prælium a mane usque ad vesperam. 14. Et vidit Judas quod firmior est pars exercitus Bacchidis in dextris, et convenerunt cum ipso omnes constantes corde : 15. et contrita est dextera pars ab eis, et persecutus est eos usque ad montem Azoti. 16. Et qui in sinistro cornu erant, viderunt quod contritum est dextrum cornu, et secuti sunt post Judam, et eos qui cum ipso erant, a tergo : 17. et ingravatum est prælium, et ceciderunt vulnerati multi ex his et ex illis. 18. Et Judas cecidit, et cæteri fugerunt. 19. Et Jonathas et Simon tulerunt Judam fratrem suum, et sepelierunt eum in sepulcro patrum suorum in civitate Modin. 20. Et fleverunt eum omnis populus Israel planctu magno, et lugebant dies multos, 21. et dixerunt : Quomodo cecidit potens, qui salvum facie-

bat populum Israel? 22. Et cætera verba bellorum Judæ, et virtutum quas fecit, et magnitudinis ejus, non sunt descripta: multa enim erant valde. 23. Et factum est, post obitum Judæ emerserunt iniqui in omnibus finibus Israel, et exorti sunt omnes qui operabantur iniquitatem. 24. In diebus illis facta est fames magna valde, et tradidit se Bacchidi omnis regio eorum cum ipsis. 25. Et elegit Bacchides viros impios, et constituit eos dominos regionis: 26. et exquirebant, et perscrutabantur amicos Judæ, et adducebant eos ad Bacchidem, et vindicabat in illos, et illudebat. 27. Et facta est tribulatio magna in Israel, qualis non fuit ex die qua non est visus Propheta in Israel. 28. Et congregati sunt omnes amici Judæ, et dixerunt Jonathæ: 29. Ex quo frater tuus Judas defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos nostros, Bacchidem, et eos qui inimici sunt gentis nostræ. 30. Nunc itaque te hodie elegimus esse pro eo nobis in principem, et ducem ad bellandum bellum nostrum. 31. Et suscepit Jonathas tempore illo principatum, et surrexit loco Judæ fratris sui. 32. Et cognovit Bacchides, et quærebat eum occidere. 33. Et cognovit Jonathas, et Simon frater ejus, et omnes qui cum eo erant: et fugerunt in desertum Thecuæ, et consederunt ad aquam lacus Asphar. 34. Et cognovit Bacchides, et die sabbatorum venit ipse, et omnis exercitus ejus, trans Jordanem. 35. Et Jonathas misit fratrem suum ducem populi, et rogavit Nabuthæos amicos suos, ut commodarent illis apparatum suum, qui erat copiosus. 36. Et exierunt filii Jambri ex Madaba, et comprehenderunt Joannem, et omnia quæ habebat, et abierunt habentes ea. 37. Post hæc verba, renuntiatum est Jonathæ, et Simoni fratri ejus, quia filii Jambri faciunt nuptias magnas, et ducunt sponsam ex Madaba, filiam unius de magnis principibus Chanaan, cum ambitione magna. 38. Et recordati sunt sanguinis Joannis fratris sui: et ascenderunt, et absconderunt se sub tegumento montis. 39. Et elevaverunt oculos suos, et viderunt; et ecce tumultus et apparatus multus: et sponsus processit, et amici ejus, et fratres ejus, obviamillis cum tympanis et musicis, et armis multis. 40. Et surrexerunt ad eos ex insidiis, et occiderunt eos, et ceciderunt vulnerati multi, et residui fugerunt in montes, et acceperunt omnia spolia eorum: 41. et conversæ sunt nuptiæ in luctum, et vox musicorum ipsorum in lamentum. 42. Et vindicaverunt vindictam sanguinis fratris sui, et reversi sunt ad ripam Jordanis. 43. Et audivit Bacchides, et venit die sabbatorum usque ad oram Jordanis in virtute magna. 44. Et dixit ad suos Jonathas: Surgamus, et pugnemus contra inimicos nostros; non est enim hodie sicut heri et nudius tertius. 45. Ecce enim bellum ex adverso, aqua vero Jordanis hinc et inde, et ripæ, et paludes, et saltus: et non est locus divertendi. 46. Nunc ergo clamate in cœlum, ut liberemini de manu inimicorum vestrorum. Et commissum est bellum. 47. Et extendit Jonathas manum suam percutere Bacchidem, et divertit ab eo retro. 48. Et dissiluit Jonathas, et qui cum eo erant, in Jordanem, et transnataverunt ad eos Jordanem. 49. Et ceciderunt de parte Bacchidis die illa mille viri. Et reversi sunt in Jerusalem, 50. et ædificaverunt civitates munitas in Judæa, munitionem quæ erat in Jericho, et in Ammaum, et in Bethoron, et in Bethel, et Thamnata, et Phara, et Thopo muris excelsis, et portis, et seris. 51. Et posuit custodiam in eis, ut inimicitias exercerent in Israel. 52. Et munivit civitatem Bethsuram, et Gazaram, et arcem, et posuit in eis auxilia, et apparatum escarum; 53. et accepit filios principum regionis obsides, et posuit eos in arce in Jerusalem in custodiam. 54. Et anno centesimo quinquagesimo tertio, mense secundo, præcepit Alcimus destrui muros domus sanctæ interioris, et destrui opera prophetarum: et cœpit destruere. 55. In tempore illo percussus est Alcimus: et impedita sunt opera illius, et occlusum est os ejus, et dissolutus est paralysi, nec ultra potuit loqui verbum, et mandare de domo sua. 56. Et mortuus est Alcimus in tempore illo cum tormento magno. 57. Et vidit Bacchides quoniam mortuus est Alcimus: et reversus est ad regem, et siluit terra annis duobus. 58. Et cogitaverunt omnes iniqui dicentes: Ecce Jonathas, et qui cum eo sunt, in silentio habitant

confidenter; nunc ergo adducamus Bacchidem, et comprehendet eos omnes una nocte. 59. Et abierunt, et consilium ei dederunt. 60. Et surrexit ut veniret cum exercitu multo: et misit occulte epistolas sociis suis, qui erant in Judæa, ut comprehenderent Jonathan, et eos qui cum eo erant; sed non potuerunt, quia innotuit eis consilium eorum. 61. Et apprehendit de viris regionis, qui principes erant malitiæ, quinquaginta viros, et occidit eos: 62. et secessit Jonathas, et Simon, et qui cum eo erant in Bethbessen, quæ est in deserto, et exstruxit diruta ejus, et firmaverunt eam. 63. Et cognovit Bacchides, et congregavit universam multitudinem suam: et his, qui de Judæa erant, denuntiavit. 64. Et venit, et castra posuit desuper Bethbessen: et oppugnavit eam dies multos; et fecit machinas. 65. Et reliquit Jonathas Simonem fratrem suum in civitate, et exiit in regionem, et venit cum numero, 66. et percussit Odaren, et fratres ejus, et filios Phaseron in tabernaculis ipsorum, et cœpit crædere et crescere in virtutibus. 67. Simon vero, et qui cum ipso erant, exierunt de civitate et succenderunt machinas, 68. et pugnaverunt contra Bacchidem, et contritus est ab eis: et afflixerunt eum valde, quoniam consilium ejus, et congressus ejus erat inanis. 69. Et iratus contra viros iniquos, qui ei consilium dederant ut veniret in regionem ipsorum, multos ex eis occidit: ipse autem cogitavit cum reliquis abire in regionem suam. 70. Et cognovit Jonathas, et misit ad eum legatos componere pacem cum ipso, et reddere ei captivitatem. 71. Et libenter accepit, et fecit secundum verba ejus, et juravit se nihil facturum ei mali omnibus diebus vitæ ejus. 72. Et reddidit ei captivitatem, quam prius erat prædatus de terra Juda: et conversus abiit in terram suam, et non apposuit amplius venire in fines ejus. 73. Et cessavit gladius ex Israel: et habitavit Jonathas in Machmas, et cœpit Jonathas ibi judicare populum, et exterminavit impios ex Israel.

Vers. 3. 3. In mense primo (Nisan, id est, Martio) anni 152 (Græcorum), applicuerunt exercitum (Bacchides et Alcimus: fuisse triginta armatorum millia ait Gorionides, lib. III, cap. XXV.) ad Jerusalem, — ut eam obsiderent et caperent; sed audientes Judam colligere suos, ut obsidionem solveret, ea relicta, abierunt, ut Judæ occurrerent.

Vers. 4. 4. Et abierunt in Bereæm viginti millia virorum, et duo millia equitum, — ut cum Juda dimicarent; reliqua enim ex triginta millibus octo millia Bacchides per præsidia distribuit, ita ut contra Judam eduxerit duntaxat viginti duo millia.

Vers. 6. 6. Et multi subtraxerunt se de castris, — mirum bis mille et ducenti; nam ex tribus millibus cum Juda mansere tantum 800, quos ipse in aciem eduxit contra Bacchidem. Mirum eos immemores opis divinæ toties expertæ, et tot victoriarum Judæ, tam turpiter eum deseruisse! sed hæc est hominum infirmitas, inconstantia, infidelitas, quam parit subitus metus et pavor. Præterea accedente mala furtorum, libidinum, aliorumque militarium scelorum conscientia: hæc enim milites facit timidos, ut in ea mori non audeant.

Vers. 7. 7. Et confractus est corde, — id est, « ut tædio affectus, ait S. Thomas, quia ingentem habebat zelum, nec eum exsequi poterat, » ubi Christus (cujus Judas fuit typus) in horto cœpit pavere et tædere, *Matth.* XXVI. *Secundo* et plenius, q. d. Perculsus et magna animi perturbatione correptus pene concidit: nesciebat enim quid in rebus tam arctis consilii caperet, sed natura naturalique ope, et consilio deficiente erexit animum per solitam in Deo confidentiam, et magnanimitatem, constituens cum paucis confligere cum tam numeroso hoste, et gloriose vel vincere, vel mori. Sic Julius Cæsar multos validosque hostes non fugiebat, sed ambiebat, ut in iis virtutem suam bellicam ostenderet, teste S. Augustino, lib. V *De Civitate*, cap. XII; sed Julius par cum pari fere numero, Judas vero longe impar cum numerosissimis dimicabat, eosque sternebat.

10. Absit istam rem facere, ut fugiamus ab eis; (generoso enim duci turpe est fugere, et fugiendo victum se fateri, malleque vitam fugiendo conservare, quam pugnando gloriose mori: etsi ergo Judas licite et prudenter potuisset fugere, ac dicere cum Demosthene: « Vir fugiens denuo pugnabit, » tamen præ animi magnitudine, et quia nunquam hucusque fugerat, sed semper pugnarat, et pugnando vicerat, fortius et gloriosius esse duxit non fugere, sed pugnare, præsertim quia fidebat Deo, cujus ope cum paucis toties hostes tam numerosos profligarat. Itaque, vel vincere voluit, vel generose mori; ait ergo:) Et si appropiavit tempus (occumbendi et moriendi) nostrum (nobis a Deo statutum, et decretum ab æterno,) moriamur in virtute, (in fortitudine, nimirum fortiter pugnantes, ne inulti, sed magna strage hostili illata pie cadamus) propter fratres nostros, pro aris et focis, pro patria, pro religione, pro Deo

dimicantes. Quæ enim gloriosior mors nobis obtingere potest?

ET NOS INFERAMUS CRIMEN (notam, labem, dedecus) GLORIÆ NOSTRÆ, — ut qui gloriose semper in acie stetimus, fronteque adamantina hosti restitimus, nunc timidi fugiendo ei terga obvertamus, ut ab eo insequente quasi oves fugientes ignavi cædamur et mactemur. Gloriam ergo hic non hominum vanam et inanem, sed Dei veram et solidam Judas captavit : decrevit enim pro Dei religione pugnare et vincere, vel mori. Ita S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. XLI : « Judas, ait, cum nongentis (Noster et Septuaginta habent octingentis) viris bellum adorsus, volentibus his cedere, ne multitudine opprimerentur, gloriosam magis mortem, quam turpem fugam suasit : Ne crimen nostræ relinquamus gloriæ. Itaque commisso prælio, cum a prime diei ortu in vesperam dimicaretur, dextrum cornu, in quo validissimam manum advertit hostium, agressus facile avertit. Sed dum fugientes sequitur a tergo vulneri locum præbuit, ita gloriosiorem triumphis mortem invenit. »

Sic S. Antonius solus demonum plurimorum conflictum non fugiebat, sed omnes ad duellum provocabat, malens ab eis occidi, quam fugere. Nam cum ab eis cæsus fuisset neque ad mortem, a suis semimortuus domum relatus, jussit se ad locum palæstræ reportari, ibique dæmones provocans : « Ecce, inquit, ego hic sum Antonius, non fugio vestra certamina, etiamsi majora faciatis, nullus me separabit a charitate Christi, psallebatque dicens : Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum, quia Dominus illuminatio mea et salus mea, quam timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Dominus mihi adjutor, et ego exultabo super inimicos meos. » Ita S. Athanasius in ejus vita.

Sic Judas hic instar leonis, qui nunquam fugit, quantucumque hostes eum invadant, fugere noluit, sed cum paucis plurimos invasit, et superavit.

45. ET CONTRITA EST DEXTERA PARS AB EIS, ET PERSECUTUS EST EOS. — Victor ergo in hoc prælio exstitit Judas eo gloriosior, quo cum paucis tam multos stravit.

In hac pugna error commissus est, quod cæteri milites Judæ non se opposuerint sinistro cornu Bacchidis, illudque præliando, vel potius prælium simulando distinuerint, ne Judam et cæteros a tergo sequeretur et cederet. Hæc enim fuit causa cædis Judæ et fugæ sociorum. Unde Vegetius, lib. III, cap. XX, hunc modum, quo pauci multos vincere possint, præscribit : « Cum instructa acies ad congressum veniunt, tunc tu sinistram alam tuam a dextra adversarii longius separabis, ne vel missilia ad eam, vel sagittæ perveniant. Dextram autem alam tuam sinistræ alæ illius junge, et ibi primum inchoa prælium : ita ut cum equitibus optimis, et probatissimis peditibus sinistram partem illius, ad quam te junxeris, aggrediaris, atque circumeas, et detrudendo atque supercurrendo ad hostium terga pervenias. Quod si semel adversarios exinde pellere cœperis, accedentibus tuis indubitatam victoriam consequeris, et pars exercitus tui, quam ab hoste submoveris, secura durabit. »

47. ET JUDAS CECIDIT, — non tam ex vulneribus Vers. 18.
quam expugnandi cædendique labore et lassitudine, ait Gorionides. Idem asserit Josephus, quem audi : « Id conspicati, qui sinistrum » cornu tenebant, a tergo adorti Judam circumveniunt : qui videns nullum superesse effugium, urgentibus circumquaque hostibus, in vestigio cum suis constitit, et cæsis hostium plurimis, lassitudine magis quam vulneribus confectus, cecidit non inultus. Quo prostrato, non habentes amplius quem sequerentur milites orbati tanto imperatore, tum demum in fugam effusi sunt. Ita victoria Bacchidi cessit : non cruenta solum, sed etiam pudenda cum 22 millibus, octingenti viri non solum totum diem restiterint, sed robur ipsum exercitus contriverint, fuderint, fugarint, et cæsum ducem suum incolumes e prælio sui fratres abstulerint.

Allegorice Judas heros fuit typus Christi, qui in cruce cadens et moriens vicit ipsam mortem, peccata, diabolum et infernum, omnesque hostes fortissime debellavit.

Judæ fortitudinem imitati sunt primi Gentilium duces. Leonidas Spartanus cum trecentis Xerxi ducenti in aciem undecies centena militum millia ad Thermopylas se opponens, vincendo occumbere maluit, quam fugiendo vitam servare; unde ad suos conversus sic ait : « Prandete, commilitones, tanquam apud inferos cœnaturi. » Ita Valerius Maximus, lib. IV, cap. VII.

Plutarchus *in Laconicis* sequentia affert. Idem Leonidas, ab Ephoris rogatus num quid aliud facere statuisset, respondit : « Nihil aliud ago, quam verbotenus barbarorum transitum impeditum, sed revera pro Græcis moriturus. » Idem cum aruspex diceret ex extis exercitui portendi victoriam, sed duci mortem, lætus navalem pugnam agressus vincendo occubuit, suaque morte patriæ victoriam peperit. Idem fecit Codrus rex Atheniensium mutato habitu hostem lacessens, a quo occisus Atheniensibus victoriam sua morte juxta oraculum sancivit. Rursum Leonidas, rogatus cur fortes viri gloriosam mortem ignoriæ vitæ anteponant, respondit : « Quoniam alterum naturæ proprium, alterum peculiariter suum esse ducunt. Nam naturæ beneficio vivunt et ignavissimi, ac honeste mori non contingit, nisi virtute præditis, et fortibus. Fugere enim ignominiosum est et duci et patriæ contra manentem, aut mori, aut vincere utrique honestissimum. »

Lacedæmonii, ait Plutarchus, juventutem nil aliud docebant, quam ut magistratui obtemperantes, omniaque contemnentes vitæ pericula,

aut in prælio vincerent, aut fortiter caderent.

Agesilaus, rogatus qua ratione duci posset ut gloria, respondit : « Si mortem contempserit, » nihil enim magnum geri potest ab eo qui vitæ suæ metuit et consulit.

Bias ab Iphicrate circumsessus, rogatus quid eo articulo faciendum foret, respondit : « Quid aliud, ait, nisi ut vos servemini, ego pugnando moriar? »

Lacæna clypeum imponens filio : « Fili, inquit, aut hunc, aut super hunc, » *q. d.* Sic rem gere in prælio, ut aut victor clypeum reportes, aut mortuus in eo domum reporteris.

Pelopydas iturus ad conflictum, cum uxor obsecraret ut vitæ suæ caveret, ait hoc dicendum esse privato, non duci. Ducis enim est pro patria fortiter pugnando occumbere. Hæc omnia Plutarchus *in Lacon.*

Epaminondas, ait Valerius Maximus, lib. III, cap. II, in prælio, « apud Leudram trajectus hasta, sanguine et spiritu deficiens, recreare se conantes, primum an clypeus suus salvus esset; deinde, an fusi hostes penitus forent, interrogavit. Quæ postquam ex animi sententia comperit : Non finis, inquit, commilitones, meæ vitæ, sed melius et altius initium advenit. Nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur. Thebas doctu et auspiciis meis caput Græciæ factas video, et fortis et animosa civitas Spartana jacet armis nostris abjecta, amara dominatione Græciæ liberata est, orbus quoque non tantum sine liberis morior : quoniam mirificas filias Leuctram et Mantineam relinquo. E corpore deinde suo hastam educi jussit, eoque vulnere expiravit. Quod si eum Dii immortales victoriis suis perfrui passi essent, sospes gloriosior patriæ mœnia non intrasset. »

Hæc duces mundi : quid nunc faciat dux, et miles Christi non pro vana caducaque, ut illi, sed pro vera sempiternaque gloria dimicans et decertans?

ET CÆTERI FUGERUNT, — sicut fugiunt milites, cæso duce, et oves cæso pastore, et sicut Apostoli fugerunt, Christo crucifixo, cujus typus hic fuit Judas : in eo enim consistebat totum robur Israelis.

Quæres : Unde tanta clades Judæ et Judæorum tam fortium et invincibilium? Respondeo. *Prima* causa fuit militum metus et perfidia, quod bis mille et ducenti Judam ducem suum deseruerunt, et cum eo remanserint tantum 800 qui humanis viribus non poterant diu resistere 22 millibus hostium. Adde militum rapinas, stupra aliaque scelera quæ Deus punire voluit.

Secunda causa fuit humana infirmitas et inconstantia, per quam fit ut etiam strenuissimi et peritissimi artis suæ in ea aliquando aberrent : uti ergo impossibile est ut sagittarius sagittandi peritissimus, adeo ut semper fere sagitta scopum configat, quin semel a scopo aberret, si sæpius v. g. centies in eum sagittet; sic impossibile est ut duces et milites bellicosissimi ita semper pugnent et vincant, ut nunquam vincantur. Sicut scilicet peritissimi natatores pereunt natando, sic optimi duces et milites pereunt pugnando.

Tertia, quod præbum sit res periculosissima; volant enim tela et sagittæ [illegible]am per aerem instar grandinis : quare nunc nunc, nunc illum tangunt, et occidunt. Nam ut ait Eccli. cap. III, vers. 27 : « Qui amat periculum in illo peribit; » et ut olebat David de caso Uriæ in prælio : « Nunc hunc, nunc illum consumit gladius, » II *Reg.* XI, 29. Novi in Belgio ducem audacissimum, cujus hoc erat axioma, generosum militem non posse diu vivere; quia cum se audaciter assiduis exponat vitæ periculis, vix posse evadere, quin ictu aliquo lethali perimatur. Unde et Poeta :

Turpe senex miles : turpe senilis amor.

Deus enim permittit causas secundas suo cursui : et esto suos sæpe protegat, tamen tandem permittit eos cursui naturæ, præsertim quia omnibus semel moriendum est. Permittit ergo quemque mori in suo opere et exercitio, ut militem in bello, agricolam in agricultura, fabrum in fabricando, doctorem in studio, etc. Sic plerosque martyres Deus ab igne, leonibus, aquis, etc., servavit illæsos; sed tandem permisit eos gladio perimi, ut martyrii laurea eos coronaret.

Quarta fuit quod Judas, suorum fuga se videns desertum, consternatus nolucrit fugere, uti prudenter facere poterat, sed ex animi magnanimitate maluerit pugnando occumbere. Hoc enim duci decorum est, adeoque hæc mors ei est gloriosa : unde generosi milites non aliam optant mortem, quam mori præliando. Fuit ergo hæc mors Judæ gloriosa, utpote quam obiit in pugna, qua cum paucis hostium plurimorum dextrum cornu confregit, totque eorum millia cecidit, et fugientes insecutus vulnus lethale a tergo accepit, victorque occubuit. Quare mors hæc Judæ fuit instar triumphi, et tot victoriarum trophæi, uti fuit Samsoni, Jonathæ, Josiæ, cæterisque heroibus, ait Serarius. Addunt Thalmudici : « In hoc sacro bello, plerique, dum viverent, filii erant diaboli et peccati. At post mortem, Dei filii, martyrio eorum peccata expiante; » et adjungit in *Psal.* LXXVIII. Genebrardus : « Audis quanta sit vis belli sacri contra Turcas et hæreticos, ut parum probos, sanctos et martyres efficiat : ubi vinci salutare, vincere gloriosum. » Commode tamen hoc intelligendum docent, quæ imperatori Phocæ volenti, ut militibus omnibus contra fidei hostes cadentibus, martyrum nomen honosque impenderetur; ab Antistitibus responsa facere, ut quidem scribit in *Can.* XIII Balsamon, et Baronius tom. VIII *Annal.* anno Domini 610. Ita Serarius.

Quinta, quod Judas confractus animo, cum in tantis angustiis se constitutum videret, expresse non confugerit ad Deum, nec ejus opem implorarit, uti facere solebat, sed totum se et suos

ad conflictum instantem et urgentem comparavit. Esto enim implicite, et virtualiter omnem suam fiduciam in Deo collocaret, tamen explicite et formaliter Deum non obsecravit : quare Deus eum sibi et naturæ permisit, juxta quam solus tot hostibus succubuit. Hinc disce homines in arctis constitutos ita angustiis suis sæpe absorberi, ut de Deo invocando non cogitent; quod tamen tunc maxime facere deberent, cum a nullo alio, nisi a Deo iis eripi possint. Quare Judæ exemplo saplamus, ut in magnis periculis, vel tentationibus constituti illico Dei auxiliam, opemque supplices magna cum fiducia imploremus; sic enim eam impetrabimus, et per eam salvabimur.

Sexta, Deus hoc casu voluit humiliare Judam, ne in suis viribus et victoriis superbiret. Sic Deus permittit viros sanctos in aliqua minora peccata labi, ut graviora, præsertim vanæ gloriæ et superbiæ, effugiant.

Septima, Deus Judæ et cæteris ostendere voluit omnia in hoc mundo esse vana, fragilia et caduca, eumque ab iis per mortem transferre ad verum vitam, et beatam immortalitatem : ad hanc enim ducit mors, quasi via, illaque sæpe in speciem misera, abjecta, et ut hominibus videtur tantis viris indigna. Sic principes Apostolorum S. Petrum et Paulum permisit Deus a Nerone indigne occidi, ut per hoc majorem in cœlis patientiæ coronam acipere mererentur. Sic Jordanem, qui S. Dominico in generalatu ordinis Prædicatorum successit, permisit in mari submergi, eumque nonnulli indolerent, et pene murmurarent, quod vir tam sanctus tam vilem mortem subiisset, ipse nonnullis apparens eos reprehendit, asserens se per illam mortem ab omnibus culpis mortisque expiatum transisse ad beatam immortalitatem. Justus enim, quacumque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, quia in justitia sua Deique gratia moritur. Sic S. Franciscus Xaverius, moliens Sinarum conversionem in ipso eorum aditu in extrema rerum omnium inopia desertus ab omnibus, miseram, ut hominibus videbatur, sed viro Apostolico dignam mortem obiit.

Aliam causam dat Rupertus, lib. X *De victor. verbi Dei* cap. ult. Petrus Blesensis, *Epist.* CXLVI, Emmanuel Sa et nonnulli alii, nimirum displicuisse Deo fœdus a Juda et Jonatha initum cum Romanis, quod non satis confisi sint soli Deo, ideoque post hoc fœdus omnia eis infeliciter cessisse, eosque cito occantuisse. Verum superius ostendi hoc fœdus prudenter ab eis fuisse initum; sic enim fidendum est Deo, ut humana adminicula non negligantur : ita Serarius sub finem libri, *Quæst.* XXIII.

Porro Judas sex duntaxat annis dux præfuit Israeli, quibus tot tantaque gessit, quanta vix ulli gesserunt, qui 50 annis Reipublicæ præfuerunt. Ducatum enim iniit anno 146 Græcorum, quo mortuus est pater ejus Mathathias, I *Machab.* II, 70; occubuit vero anno 152 Græcorum, ut patet hoc cap. III, qui fuit Demetrii regis Syriæ annus secundus, Ptolemæi Philometoris regis Ægypti vigesimus, ante Christi ortum annus 159. Ita Salianus et alii.

22. ET CÆTERA VERBA (id est gesta et facta verbis et historiis exprimenda) BELLORUM JUDÆ ET VIRTUTUM (Græce συγγραφῶν, id est *virilium operum*, sive heroicorum facinorum) QUAS FECIT, ET MAGNITUDINIS EJUS NON SUNT DESCRIPTA : MULTA ENIM ERANT VALDE, — *q. d.* Pauca e multis Judæ heroice gesta recensui, ut ex ungue agnoscas leonem : longe enim plura gessit, quæ nimis longum foret enarrare. Hinc patet incomparabilem belli ducem fuisse Judam, quo nullus fuerit superior, vix ullus æqualis et par; nullus enim cum tam paucis tantas hostium copias toties superavit, et prostravit; nullus pro patria, pro fide, pro templo, pro Dei cultu usque ad mortem per omnem vitam ita desudavit, ita præliatus est, ac tandem pugnando occubuit, ut Judas. Quare non dubium eum Sanctorum Ducum (si non martyrum, quod tamen nonnulli volunt) catalogo a Deo inscriptum, meritis per tot facinora coronis in cœlo decorari, etsi nomen ejus martyrologiis Christianorum inscriptum non legamus. Historia tamen scholastica, et Petrus de Natalibus Episcopus Esquilinus Judam vocant Sanctum, eumque catalogo Sanctorum adscribunt mense octobri. Vide eum lib. IX *Catalogi Sanctorum*, cap. II, ubi fuse Judæ, quasi sancti viri, vitam enarrat, ac cap. seq. fratrum ejus Jonathæ et Simonis, æque ac patris Mathathiæ, quos omnes sanctos nuncupat, virtutesque heroicas eorum, quasi Sanctorum recenset. Vers. 22

23. POST OBITUM JUDÆ EMERSERUNT INIQUI, — *q. d.* apostatæ, qui eo vivo hiscere non audebant, eo mortuo erexerunt cornua, ut regis Demetrii Gentilismum et idololatriam in Israelem inducerent. Ili ergo ursernnt Judæos, ut se dederent Bacchidi duci Demetrii præserlim, quia ut sequitur : Vers. 23

24. IN DIEBUS ILLIS FACTA EST FAMES MAGNA VALDE, — tum ex Dei apostatas castigantis vindicta, tum quod Bacchides frumenta, vel absumpserat, vel perdiderat : hisce de causis TRADIDIT SE BACCHIDI OMNIS REGIO EORUM, — exceptis Jonatha et Simone, eorumque asseclis, quorum electione et rogatu. Vers. 24

31. SUSCEPIT JONATHAS IN TEMPORE ILLO PRINCIPATUM, — tam civilem quam sacrum, puta tam Ducatum, quam Pontificatum. Vers. 31

33. ET PUGNARUNT (quia pauci erant, nec tot hostibus et apostatis resistere poterant) IN DESERTUM THECUE, — ex qua prodiit mulier illa Thecuitis, quæ Absalonem Davidi reconciliavit, lib. II *Regum*. XIV, 2. Vers. 33

35. ET JONATHAS MISIT FRATREM SUUM (Joannem, de quo cap. II, 2, ducem populi a Jonatha creatum, ut ejus foret vicarius et belli dux :) ET ROGAVIT NABUTHÆOS (incolas urbis Nabo nobilis et præclaræ, sitæ in tribu Ruben, *Numer.* XXXII, 38,) AMICOS SUOS, UT COMMODARENT ILLIS APPARATUM Vers. 35

SUUM — armorum et machinarum bellicarum, quo carebat Jonathas et Judæi, qui pene inermes profugerant in desertum Thecue, ut dictum est vers. 33.

Vers. 36. 36. ET EXIERUNT FILII JAMBRI EX MADABA, — faventes Bacchidi potius quam Jonathæ. Madaba erat in tribu Ruben non longe a Nabo, et Nabuthæis. Audi Adrichomium : « Madaba, vel Madeba Hebraice idem est quod aquæ doloris, vel manantes, primaria quondam Ammonitarum urbs, sita in planitie, cui et nomen dedit postea Amorrhæorum, quia eam jure belli abstulerant, et muris cinxerant. Habet in circuitu montes, paludes et saltus. Hujus cives cum Joannem Machabæum interfecissent, in ejus ultionem multi eorum, a Jonatha occisi sunt. Quam postea Hyrcanus non sine labore, sexto demum mense cepit; permansit usque ætatem Hieronymi, antiquum nomen retinens. »

COMPREHENDERUNT JOANNEM, — spoliaverunt et occiderunt; sed ejus necem egregie ultus est Jonathas, ut sequitur vers. 47.

Vers. 41. 41. ET CONVERSÆ SUNT NUPTIÆ IN LUCTUM, — casso sponso cum asseclis, ac cæteris spoliatis. Sic sæpe in hoc mundo plausus vertitur in planctum, cantus in lamentum, et extrema gaudii luctus occupat. Qui sapit ergo, mundum contemnat, et cœlum ambiat.

Vers. 42. 43. IN VIRTUTE MAGNA, — id est, cum exercitu magno et valido; hunc enim significat δυνάμει, id est virtus, robur, potentia, fortitudo.

Vers. 44. 44. SERGANUS ET PUGNEMUS CONTRA INIMICOS NOSTROS : NON EST ENIM HODIE SICUT HERI ET SUMUS TUTIUS, — ut possimus libere abire, vel pugnam declinare, vel fuga elabi. Summa enim hostibus numerosis vicini, et ab eis pene cingimur; nam alia ex parte Jordane, paludibus et saltibus in vils concludimur, ut effugere nequeamus; quare necesse est cum Bacchide confligere. Faciamus ergo ex inevitabili necessitate virtutem, et acerrime non tam pro vita, quam pro patria, templo et Deo dimicemus, ut vincamus, vel pugnando moriamur, uti fecit Judas frater meus, vers. 9. Hunc esse sensum liquet ex eo quod subdit :

Vers. 45. 45. ECCE ENIM BELLUM EX ADVERSO (a Bacchide instante nobis imminet), AQUA VERO JORDANIS HINC ET INDE NOS — cingit et transitu prohibet. Acer hic est militi stimulus ad pugnandum, quem duces ei proponunt, ut generose pugnet cum aut vincere debeat, aut mori. Simili modo Annibal, teste Livio lib. XXI : « Dextra lævaque duo maria claudunt, nullam nec ad effugium quidem navem habemus, etc., hic vobis vincendum aut moriendum, milites, est. » Idem lib. XXII, de Romanis in angustum reductis : « Ab lateribus montes et lacus; a fronte et a tergo hostium acies claudebat, apparuitque nullam nisi in dextra ferroque salutis spem esse. »

Vers. 47. 47. ET EXTENDIT JONATHAS MANUM SUAM PERCUTERE (ut occideret) BACCHIDEM, ET DIVERTIT AB EO RETRO, — *q. d.* Bacchides vertendo se et retrorsum resiliendo ictum Jonathæ declinavit.

48. ET DESILUIT (Græca et Latina nonnulla manuscripta ac Hugo habent *desiluit*) JONATHAS ET QUI CUM EO ERANT IN JORDANEM, ET TRANSNATAVERUNT AD EOS JORDANEM, — *q. d.* Jonathas cum vim hostium repressisset, cæsis mille viris, ipsoque pene duce Bacchide, videretque se cum tam paucis male armatis diu cum tot millibus hostium armatissimis confligere non posse, habuit tempus toto se cum suis subducendi. Nam insiliit in Jordanem, eumque vestitus et armatus natando transmisit; nec hostes, utpote ab eo cæsi, recrassique eum insequi, aut transitum Jordanis impedire sunt ausi. Itaque Jonathas et Judæi secure « trenaverunt ad eos, » puta ad suos, qui paulo ante Jordanem transierant. « Trenaverunt, » inquam, « Jordanem; » unde Græca clarius et plenius habent : *Et insiliit Jonathas et qui cum eo erant Judæorum et transnataverunt in ulteriorem ripam, et non transierunt* (hostes, scilicet, Bacchidis milites) *ad eos Jordanem*. Et Josephus : « Cum, inquit, Bacchides cante ictum Jonathæ declinasset, Jonathas cum suis desilientes commiscerunt se flumini, et in oppositam ripam enataverant, hostibus non ausis trajicere. » Hinc Salianus suspicatur in Vulgata esse mendum, et pro « trenaverunt ad eos, » legendum « non trenaverunt ad eos; » *q. d.* Hostes non ausi sunt trenare Jordanem, sequique Jonatham et Judæos, qui cum trenarant, ne ab eis interimerentur, vel aquis suffocarentur. Sed omnia exemplaria latina legunt affirmative « trenaverunt ad eos, » juxta sensum initio dictum. Ita Sanchez.

49. ET CECIDERUNT DE PARTE BACCHIDIS DIE ILLA MILLE VIRI. — Josephus auget more suo numerumque bis mille.

ET REVERSI SUNT IN JERUSALEM, — non Jonathas, sed Bacchides cum suis copiis. Hic enim tenebat urbem Jerusalem, imo arcem Sion, totamque fere Judæam. Ita Josephus, Salianus, Sanchez et alii idque patet ex sequentibus.

50. ET ÆDIFICAVERUNT (Bacchides, ejusque asseclæ missi a rege Demetrio ad occupandam Judæam) CIVITATES MUNITAS IN JUDÆA, — ut per eas reliquam Judæam sibi subjectam detinerent, ne Jonathas superveniens ex ea ipsos expelleret.

51. ET POSUIT CUSTODIAM IN EIS. — Custodiam vocat præsidium militum, quos Bacchides in urbibus jam dictis collocavit, ut eas contra Jonathæ irruptiones custodirent et propugnarent. Vers. 51.

52. ET POSUIT IN EIS AUXILIA (scilicet, præsidia militum jam dicta) ET APPARATUM ESCARUM, — hoc est annonam coposam, ut obsidionem Jonathæ se absente diu sustinere possent, ne pressi fame cogerentur deditionem facere. Vers. 52

53. ET ACCEPIT (Bacchides) FILIOS PRINCIPUM REGIONIS OBSIDES, — ne Principes, sive primores Judææ sibi rebellarent, et cum Jonatha conspirarent, ideoque eorum filios, quasi obsides conclu- Vers. 53

sit in arce Sion, ut ibi custodirentur, ne ad suos profugerent.

54. Et anno 153 (Græcorum) mense secundo præcepit Alcimus, [Pseudo Pontifex ac scelestus apostata et proditor, qui Demetrium regem excitarat, ut Baechidem contra Judam Machabæum, ejusque fratres mitteret, sibique Pontificatum excluso Judæconferret, cap. VII, 4 et seq.] destrui muros domus sanctæ interioris, — ut ea Pontificem et templi dominum esse ostenderet, Græce: *Jussit dirui murum aulæ sanctorum interioris.* Nonnulli murum hunc accipiunt eum, quem Judas Machabæus, cap. IV, 60, templo obtulit ad ejus custodiam, ne in illud irruerent Demetriani occupantes arcem vicinam Sion. Verum hic murus erat aulæ exterioris, non interioris, nec erat opus prophetarum, ut sequitur, sed Judæ Machabæi. Quare murus hic intelligendus est templi, puta Sancti, et Sancti Sanctorum; vel potius atrii sacerdotum, templo sive Sancto adjacentis. Hoc enim atrium dicitur aula, sive domus interior respectu atrii laicorum, quod dicebatur aula, sive domus exterior. Nam inter utrumque hoc atrium interjectus erat murus altitudinis trium cubitorum, quem Josephus Gysum vocat, ut sacerdotes a laicis disterminaret, ne laici ad atrium sacerdotum, et altare holocaustorum, quod in eo erat, accedere possent. Alcimus ergo murum hunc intermedium cepit destruere, tum ut sacerdotes et sacrificia profanaret, tum ut laici et gentiles ad altare holocaustorum accedere possent, in eoque æque ac sacerdotes sacrificare. Ita Salianus, Sanchez et alii.

Et destrui opera prophetarum, — nimirum murum atrii sacerdotum jam dictum: hunc enim æque ac reliquum templum jussu Dei exstrui jusserunt prophetæ Aggæus et Zacharias, qui et suis oraculis urgebant populum assidue ad inchoatam templi fabricam prosequendam et perficiendam, ita ut templum, operaque facta in templo ad ejus ornatum dici possint, debeantque horum prophetarum pariter, ac Ezechielis, qui et cap. XL templi fabricandi ideam descripsit, ut juxta eam ædificarent. Forte etiam peculiaria quædam fuere in atrio hoc monumenta horum, et aliorum prophetarum, quibus significaretur, tum eorum sanctitas et prophetia, tum eos fabricæ templi fuisse auctores et promotores.

55. In tempore illo (cum scilicet sacrilegus manus immitteret in muri sacri jam dicti demolitionem) percussus est (a Deo templi sui tutore, et sacrilegii vindice) Alcimus (sacrilegus), et impedita sunt opera illius (in demoliendo atrii templi muro), et occlusum est os ejus (blasphemum quo murum hunc, quasi Pontifex dirui præceperat), et dissolutus est paralysi, nec ultra potuit loqui verbum et mandare de domo sua, — *q. d.* Non potuit condere testamentum, nec de rebus domus suæ disponere, qui inique de domo Dei disposuerat, illamque diruere voluerat. Justa ergo et congrua sceleri et sacrilegio Alcimi a Deo inflicta est hæc pœna. Scelestus hic Judæus et apostata, ut Demetrio et Græcis placeret, pro Hebræo Joacim, quod ei erat proprium, Græcum nomen vicinum assumpsit, seque vocavit Alcimum, Græce ἄλκιμος, id est fortem, validum, strenuum, ferocem, ut Demetrius eo quasi duce ad debellandum Judam et Jonatham uteretur, qui et revera ipso usus est; sed Deus sacrilegum mox castigavit, eumque paralysi dissolvit; itaque debilitavit et prostravit, ut ne verbum quidem eloqui posset, nimirum:

Sequitur superbos ultor a tergo Deus,

ut ἄλκιμος, id est robustum facit, ἄμετρον, id est molestissimum, tristissimum, doloribus et cruciatibus confectum.

56. Et mortuus est Alcimus in tempore illo cum tormento magno, — nimirum anno 153 Græcorum, ut dictum est vers. 50, qui fuit annus secundus ducatus Jonathæ. Quare errat Josephus, dum scribit Alcimo morienti in Pontificatu successisse Judam Machabæum. Nam Judas jam anno præcedenti, puta 152 Græcorum, ut dictum est cap. IX, 3 et seqq. occubuerat. Modico ergo tempore sua impietate et pseudo-Pontificatu gavisus est Alcimus, scilicet, per biennium duntaxat. Nam eum iniit anno 151 Græcorum, ut dictum est cap. VII, 1 et 5; finiit vero 153 Græcorum, mense secundo, ut hic dicitur. Tam breve est gaudium impiorum, tam brevis impietas, cui mox succedit longissima gehennæ æternitas. Vers. 56.

57. Et siluit terra (quievit Judæa a bellis et infestatione Baechidis) annis duobus, quibus Jonathas se suosque crexit et armavit. Vers. 57.

58. Et cogitaverunt omnes iniqui, — Judæi apostatæ, et Jonathæ æmulis, ac inimici et proditores, qui vocarunt secreto Baechidem, ut Jonatham nihil cogitantem mali, noctu caperet et opprimeret, sed frustra: Deo enim dirigente, innotuit Jonathæ eorum proditio. Vers. 58.

61. Et apprehendit (non Baechides, ut vult Josephus, sed Jonathas suos proditores) de viris regionis, qui erant principes malitiæ (proditionis) 50 viros et occidit eos. Vers. 61.

62. Et secessit Jonathas et Simon et qui cum eo erant in Bethbessen, quæ erat in deserto: et exstruxit diruta ejus, et firmaverunt eam. — Jonathas fraude apostatarum et proditorum, ac validis copiis Baechidis tota Judæa exclusus, cum fratre Simone, et paucis assedis, secessit in urbem Bethbessen sitam in deserto Jericho in tribu Benjamin, non longe a Jordane, eamque munivit, ut in ea se suosque contra Baechidem defenderet. Audivit id Baechides, et collectis omnibus copiis Bethbessen obsedit, ut Jonatham cum omnibus suis ibidem collectis opprimeret, itaque bellum omne finiret. Quid ad hæc Jonathas et Simon? Vers. 62.

63. Et reliquit Jonathas Simonem fratrem suum V

in civitate (ut eam contra Baechidem propugnaret), et exiit in regionem (vicinam colligere milites), et venit cum numero, — cum numeroso exercitu.

63. Et percussit Odaren. — Erat hic unus ex amicis et ducibus Baechidis. Aliqui, pro « Odaren » legentes « Oduren, » censent hoc nomen non esse proprium, sed appellativum, ut significet obsessorem viarum, sive prædonem et latronem; hunc enim significat Græcum ὁδοῦρος.

Et cœpit cædere (socios et amicos Baechidis sparsos per campestria, ibique in tabernaculis secure degentes, ex opinato eos invadens) et crescere in virtutibus. — Græce ἐν δυνάμει, id est *in exercitibus*, *q. d.* Jonathas collecta manu invasit Odaren cum suis, aliosque socios Baechidis cecidit; inde pluribus ad se concurrentibus, auctisque copiis æque ac animis, invasit ipse castra Baechidis, quæ Bethbessen obsidebant, dato signo Simoni fratri, ut ex urbe erumpens hostes obsidentes a fronte invaderet, quos ipse a tergo invadebat, ita factum ut hostes utrimque invasi tanta vi utrobique ab utroque cæderentur, itaque Simon machinas eorum, quibus urbem impetebant, combureret, ut sequitur. Ita Josephus, lib. XIII, cap. I, quem audi: « Relicto ad oppidi tutelam Simone fratre, clam egressus Jonathas, et collectis in vicina regione suæ factionis hominibus, noctu in Baechidis castra irruit, et multis trucidatis, effecit ut frater adventum cognosceret. Quamprimum enim tumultum sensit in castris hostium, eruptione facta incendit eorum machinas, cædis etiam non mediocri edita. » Ita quoque Hugo, Salianus, Sanchez et alii. Addit Gorionides Baechidem fugisse in desertum, ibique captum a Jonatha, supplicem ei factum jurasse se omnia quæ e Judæa ceperat redditurum; itaque pace firmata liberum dimissum in Syriam ad suos rediisse. Sed nil tale habet Scriptura, imo contrarium indicat, scilicet, Jonatham priorem pacem petiisse a Baechide, idque parum æquas Judæis conditiones accepisse, ut patebit vers. 70.

69. Et multos ex eis occidit. — Baechides, cæsus a Jonatha, fram vertit in apostatas Judæos, qui eum e Syria in Judæam contra Jonatham evocarant, promittentes ei securam de ipso, utpote de bello non cogitante, victoriam; quare videns se ab eis in fraudem inductum, et a Jonatha cæsum, eos, quasi mali sui auctores, occidit. Vide hic ut malum consilium consultori sit pessimum, et in ejus jugulum redeat.

Ipse autem cogitavit cum reliquis abire in regionem suam. — Hoc unum cogitans, ait Josephus, quomodo ex sua et regis dignitate obsidione sese imposito, exercitum posset sine ignominia reducere Antiochiam ad regem Demetrium, ideoque conditiones pacis a Jonatha oblatas statim accepit.

70. Et cognovit Jonathas, et misit ad eum legatos componere pacem, et reddere ei captivitatem, — id est captivos. Hæc enim fuit conditio pacis, ut utrimque captivi commutarentur et redderentur. Jonathas prior petiit pacem, quia res ejus et Judæorum erant afflictæ, ideoque nec tam magnam quam tenebat Baechides, nec alias Judææ urbes ab eo petere est ausus. Vers. 70.

73. Et cessavit gladius in Israel, — id est cessavit bellum et prælia, in quibus multi gladio perimuntur, ac de facto multi hic in Israel perempti erant. Vers. 73.

Et habitavit Jonathas in Machmas. — Jonathas Principis et Pontificis propria sedes erat Jerusalem et templum; sed hanc occupantibus Baechidianis, Jonathas sedem sibi elegit in oppido Machmas, quod situm erat in confinio tribuum Benjamin et Ephraim, ibique cœpit jus dicere populo, ac apostatas ex Israel exterminare, totamque Rempublicam Israelis componere, æque ac ibidem fecerat Samuel, judex et princeps, lib. I Reg. VII, 5.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Demetrius et Alexander reges consobrini, de regno Asiæ inter se dimicantes, magnis promissis ambiunt amicitiam Jonathæ; sed eam obtinet Alexander, qui Jonathæ Pontificatum confirmat, additque purpuram et coronam auream. Mox, vers. 48, Alexander adjutus a Jonatha, cum Demetrio confligens, eum superat et occidit, interque uxorem ducit Cleopatram filiam Ptolemæi Philometoris regis Ægypti, ac in nuptiis Jonathæ honorat, ducemque sui Principatus creat. Denique, vers. 67, Demetrius Demetrii occisi filius mittit Apollonium cum exercitu, quem Jonathas profligat, ideoque ab Alexandro dono accipit urbem Accaron, et fibulam auream.

1 Et anno centesimo sexagesimo ascendit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus est Nobilis: et occupavit Ptolemaidam; et receperunt eum, et regnavit illic. 2. Et audivit Demetrius rex, et congregavit exercitum copiosum valde, et exivit obviam illi in prælium.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

3. Et misit Demetrius epistolam ad Jonathan verbis pacificis, ut magnificaret eum. 4. Dixit enim : Anticipemus facere pacem cum eo, priusquam faciat cum Alexandro adversum nos : 5. recordabitur enim omnium malorum quæ fecimus in eum, et in fratrem ejus et in gentem ejus. 6. Et dedit ei potestatem congregandi exercitum, et fabricare arma, et esse ipsum socium ejus : et obsides, qui erant in arce, jussit tradi ei. 7. Et venit Jonathas in Jerusalem, et legit epistolas in auditu omnis populi, et eorum qui in arce erant. 8. Et timuerunt timore magno, quoniam audierunt quod dedit ei rex potestatem congregandi exercitum. 9. Et reddi ti sunt Jonathæ obsides, et reddidit eos parentibus suis : 10. et habitavit Jonathas in Jerusalem, et cœpit ædificare et innovare civitatem. 11. Et dixit facientibus opera, ut exstruerent muros, et montem Sion in circuitu lapidibus quadratis ad munitionem : et ita fecerunt. 12. Et fugerunt alienigenæ, qui erant in munitionibus, quas Bacchides ædificaverat, 13. et reliquit unusquisque locum suum, et abiit in terram suam : 14. tantum in Bethsura remanserunt aliqui ex his qui reliquerant legem et præcepta Dei ; erat enim hæc eis ad refugium. 15. Et audivit Alexander rex promissa quæ promisit Demetrius Jonathæ : et narraverunt ei prælia, et virtutes quas ipse fecit, et fratres ejus, et labores quos laboraverunt. 16. Et ait : Numquid inveniemus aliquem virum talem ? et nunc faciemus eum amicum et socium nostrum. 17. Et scripsit epistolam, et misit ei secundum hæc verba, dicens : 18. Rex Alexander fratri Jonathæ salutem. 19. Audivimus de te, quod vir potens sis viribus, et aptus es ut sis amicus noster : 20. et nunc constituimus te hodie summum Sacerdotem gentis tuæ; et ut amicus voceris Regis (et misit ei purpuram et coronam auream), et quæ nostra sunt sentias nobiscum, et conserves amicitias ad nos. 21. Et induit se Jonathas stola sancta septimo mense, anno centesimo sexagesimo, in die solemni scenopegiæ : et congregavit exercitum, et fecit arma copiosa. 22. Et audivit Demetrius verba ista, et contristatus est nimis, et ait : 23. Quid hoc fecimus, quod præoccupavit nos Alexander apprehendere amicitiam Judæorum ad munimen sui? 24. Scribam et ego illis verba deprecatoria, et dignitates et dona, ut sint mecum in adjutorium. 25. Et scripsit eis in hæc verba : Rex Demetrius genti Judæorum salutem. 26. Quoniam servastis ad nos pactum, et manestis in amicitia nostra, et non accessistis ad inimicos nostros, audivimus, et gavisi sumus. 27. Et nunc perseverate adhuc conservare ad nos fidem, et retribuemus vobis bona pro his quæ fecistis nobiscum : 28. et remittemus vobis præstationes multas, et dabimus vobis donationes. 29. Et nunc absolvo vos et omnes Judæos a tributis, et pretia salis indulgeo, et coronas remitto, et tertias seminis : 30. et dimidiam partem fructus ligni, quod est portionis meæ, relinquo vobis ex hodierno die, et deinceps, ne accipiatur a terra Juda, et a tribus civitatibus, quæ additæ sunt illi ex Samaria et Galilæa, ex hodierna die et in totum tempus ; 31. et Jerusalem sit sancta et libera cum finibus suis : et decimæ et tributa ipsius sint. 32. Remitto etiam potestatem arcis quæ est in Jerusalem ; et do eam summo Sacerdoti, ut constituat in ea viros quoscumque ipse elegerit, qui custodiant eam. 33. Et omnem animam Judæorum, quæ captiva est a terra Juda in omni regno meo, relinquo liberam gratis, ut omnes a tributis solvantur, etiam pecorum suorum. 34. Et omnes dies solemnes, et sabbata, et neomeniæ, et dies decreti, et tres dies ante diem solemnem, et tres dies post diem solemnem, sint omnes immunitatis et remissionis omnibus Judæis, qui sunt in regno meo : 35. et nemo habebit potestatem agere aliquid, et movere negotia adversus aliquem illorum, in omni causa. 36. Et adscribantur ex Judæis in exercitu regis ad triginta millia virorum : et dabuntur illis copiæ, ut oportet omnibus exercitibus regis, et ex eis ordinabuntur qui sint in munitionibus regis magni : 37. et ex his constituentur super negotia regni, quæ aguntur ex fide, et principes sint ex eis, et ambulent in legibus suis, sicut præcepit rex in terra Juda. 38. Et tres civitates, quæ additæ sunt Judææ ex regione Samariæ, cum Judæa reputentur : ut sint sub uno, et non obediant alii potestati,

nisi summi Sacerdotis. 39. Ptolemaida, et confines ejus quas dedi donum sanctis, qui sunt in Jerusalem, ad necessarios sumptus sanctorum. 40. Et ego do singulis annis quindecim millia siclorum argenti de rationibus regis, quæ me contingunt ; 41. et omne quod reliquum fuerit, quod non reddiderant qui super negotia erant annis prioribus, ex hoc dabunt in opera domus. 42. Et super hæc quinque millia siclorum argenti, quæ accipiebant de sanctorum ratione per singulos annos : et hæc ad sacerdotes pertinebant, qui ministerio funguntur. 43. Et quicumque confugerint in templum, quod est Jerosolymis, et in omnibus finibus ejus, obnoxii regi in omni negotio dimittantur, et universa quæ sunt eis in regno meo, libera habeant. 44. Et ad ædificanda vel restauranda opera sanctorum, sumptus dabuntur de ratione regis. 45. et ad exstruendos muros Jerusalem, et communiendos in circuitu, sumptus dabuntur de ratione regis, et ad construendos muros in Judæa. 46. Ut audivit autem Jonathas et populus sermones istos, non crediderunt eis, nec receperunt eos : quia recordati sunt malitiæ magnæ quam fecerat Israel, et tribulaverat eos valde. 47. Et complacuit eis in Alexandrum, quia ipse fuerat eis princeps sermonum pacis, et ipsi auxilium ferebant omnibus diebus. 48. Et congregavit rex Alexander exercitum magnum, et admovit castra contra Demetrium. 49. Et commiserunt prælium duo reges, et fugit exercitus Demetrii, et insecutus est eum Alexander, etinvaluit super eos. 50. Et invaluit prælium nimis, donec occidit sol : et cecidit Demetrius in die illa. 51. Et misit Alexander ad Ptolemæum regem Ægypti legatos secundum hæc verba, dicens : 52. Quoniam regressus sum in regnum meum, et sedi in sede patrum meorum, et obtinui principatum, et contrivi Demetrium, et possedi regionem nostram, 53. et commisi pugnam cum eo, et contritus est ipse et castra ejus a nobis, et sedimus in sede regni ejus ; 54. et nunc statuamus ad invicem amicitiam, et da mihi filiam tuam uxorem ; et ego ero gener tuus, et dabo tibi dona et ipsi, digna te. 55. Et respondit rex Ptolemæus, dicens : Felix dies, in qua reversus es ad terram patrum tuorum, et sedisti in sede regni eorum. 56. Et nunc faciam tibi quod scripsisti ; sed occurre mihi Ptolemaidam, ut videamus invicem nos, et sponsam tibi sicut dixisti. 57. Et exivit Ptolemæus de Ægypto, ipse et Cleopatra filia ejus, et venit Ptolemaidam, anno centesimo sexagesimo secundo. 58. Et occurrit ei Alexander rex, et dedit ei Cleopatram filiam suam : et fecit nuptias ejus Ptolemaidæ, sicut reges in magnagloria. 59. Et scripsit rex Alexander Jonathæ, ut veniret obviam sibi. 60. Et abiit cum gloria Ptolemaidam, et occurrit ibi duobus regibus, et dedit illis argentum multum, et aurum, et dona : et invenit gratiam in conspectu eorum. 61. Et convenerunt adversus eum viri pestilentes ex Israel, viri iniqui interpellantes adversus eum : et non intendit ad eos rex. 62. Et jussit spoliari Jonathan vestibus suis, et indui cum purpura, et ita fecerunt. Et collocavit eum rex sedere secum, 63. dixitque principibus suis : Exite cum eo in medium civitatis, et prædicate ut nemo adversus eum interpellet de ullo negotio, nec quisquam ei molestus sit de ulla ratione. 64. Et factum est, ut viderunt qui interpellabant gloriam ejus, quæ prædicabatur, et opertum eum purpura, fugerunt omnes : 65. et magnificavit eum rex, et scripsit eum inter primos amicos, et posuit eum ducem, et participem principatus. 66. Et reversus est Jonathas in Jerusalem cum pace et lætitia. 67. In anno centesimo sexagesimo quinto, venit Demetrius filius Demetrii a Creta in terram patrum suorum. 68. Et audivit Alexander rex, et contristatus est valde, et reversus est Antiochiam. 69. Et constituit Demetrius rex Apollonium ducem, qui præerat Cælesyriæ : et congregavit exercitum magnum, et accessit ad Jamniam ; et misit ad Jonathan summum Sacerdotem, 70. dicens : Tu solus resistis nobis ; ego autem factus sum in derisum et in opprobrium, propterea quia tu potestatem adversum nos exerces in montibus. 71. Nunc ergo si confidis in virtutibus tuis, descende ad nos in campum, et comparemus illic invicem : quia mecum est virtus bellorum. 72. Interroga, et disce quis sum ego, et cæteri qui auxilio sunt mihi, qui et dicunt quia non potest stare pes vester

ante faciem nostram, quia his in fugam conversi sunt patres tui in terra sua : 73. et nunc quomodo poteris sustinere equitatum et exercitum tantum in campo, ubi non est lapis, neque saxum, neque locus fugiendi? 74. Ut audivit autem Jonathas sermones Apollonii, motus est animo : et elegit decem millia virorum, et exiit ab Jerusalem, et occurrit ei Simon frater ejus in adjutorium : 75. et applicuerunt castra in Joppen, et exclusit eum a civitate (quia custodia Apollonii Joppe erat) et oppugnavit eam. 76. Et exterriti qui erant in civitate, aperuerunt ei, et obtinuit Jonathas Joppen. 77. Et audivit Apollonius, et admovit tria millia equitum, et exercitum multum. 78. Et abiit Azotum tanquam iter faciens, et statim exiit in campum, eo quod haberet multitudinem equitum, et confideret in eis. Et insecutus est eum Jonathas in Azotum, et commiserunt prælium. 79. Et reliquit Apollonius in castris mille equites post eos occulte. 80. Et cognovit Jonathas quoniam insidiæ sunt post se, et circuierunt castra ejus, et jecerunt jaculo in populum a mane usque ad vesperam. 81. Populus autem stabat, sicut præceperat Jonathas : et laboraverunt equi eorum. 82. Et ejecit Simon exercitum suum, et commisit contra legionem : equites enim fatigati erant; et contriti sunt ab eo, et fugerunt. 83. Et qui dispersi sunt per campum, fugerunt in Azotum, et intraverunt in Bethdagon idolum suum, ut ibi se liberarent. 84. Et succendit Jonathas Azotum et civitates, quæ erant in circuitu ejus, et accepit spolia eorum, et templum Dagon : et omnes, qui fugerunt in illud, succendit igni. 85. Et fuerunt qui ceciderunt gladio, cum his qui succensi sunt, fere octo millia virorum. 86. Et movit inde Jonathas castra, et applicuit ea Ascalonem : et exierunt de civitate obviam illi in magna gloria. 87. Et reversus est Jonathas in Jerusalem cum suis habentibus spolia multa. 88. Et factum est, ut audivit Alexander rex sermones istos, addidit adhuc glorificare Jonathan. 89. Et misit ei fibulam auream, sicut consuetudo est dari cognatis regum; et dedit ei Accaron, et omnes fines ejus, in possessionem.

4. Et anno 160 ascendit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus est (Epiphanes, id est illustris, vel) nobilis, et occupavit Ptolemaidam. — Alexander hic cognomento Balles, sive Veles (uti nunc Valesia familia in Gallia est regia), fuit filius Antiochi Epiphanis, ideoque frater Antiochi Eupatoris occisi a Demetrio; quare fratris necem ulturus, ejusque regnum recepturus occupavit Ptolemaidam Phœniciæ urbem, quæ nunc *Accon*, vel *Acce* dicitur (1). « Unde errant Justinus, XXXV, Appianus, Florus, Sulpitius et Genebrardus, qui Alexandrum hunc ex plebeia familia oriundum, per mendacium et fraudem se stirpi Antiochi inseruisse scribunt, uti hoc eodem tempore pseudo-Philippus se inseruit stirpi regum Macedoniæ, ideoque tertium contra Romanos Macedonicum bellum suscitavit, in quo et victus cæsusque est, teste L. Floro et aliis. Nisi dicas eum Antiochi Epiphanis filium quidem fuisse, sed nothum ex Bala concubina genitum, indeque cognominatum Balas, uti ex Eusebio et Appiano docet Salianus. Magis errant Lyranus, Carthusianus et Adrichomius qui hunc Alexandrum faciunt filium Antiochi Eupatoris, cum ejus fuerit frater, filius vero Antiochi Epiphanis, præsertim quia Eupator occisus est anno ætatis duodecimo quo vix generare poterat (2).

(1) Hodie *Acre*, vel gallice, *Saint-Jean d'Acre*.

(2) Non satis constat Alexandrum hunc fuisse filium vel

Et receperunt eum, — *q. d.* Incolæ et accolæ Ptolemaidis, exosum habentes Demetrium propter superbiam, luxum et desidiam, Alexandrum ejus consobrinum in regem susceperunt et coronarunt.

6. Et dedit ei potestatem congregandi exercitum, — ut eum suis copiis conjungeret, iisque simul junctis debellaret Alexandrum. Vers. 6.

8. Et timuerunt timore magno, — *q. d.* Demetriani milites, occupantes arcem Sion, timuerunt Jonathan, ne jussu Demetrii exercitum conscriberet et arcem invaderet; non tamen ex arce ingerunt, ut aliqui putant ex vers. 12, sed eam retinuerunt : nam postea eam obsedit Jonathas, ut audiemus cap. XI, vers. 20. Vers. 8.

10. Et habitavit Jonathas in Jerusalem, — tum quia ipse erat summus Pontifex, ac Pontificalu fungi debebat in templo, ideoque residere in Jerusalem; tum quia ipse erat dux et princeps Israelis, cujus metropolis erat Jerusalem. Vers. 10.

18. Rex Alexander fratri Jonathæ salutem, — Jonathan Alexander rex vocat fratrem, quod ejus amicitiam et auxilium ambiret, cuperetque eum Vers. 18.

legitimum vel spurium Antiochi Epiphanis, et perhabilius putator eum ex Rhodo vel Cypro et obscura conditione natum, suum genus ementitum fuisse, se illium Antiochi Epiphanis dicendo. Porro Romanorum præsidio fretus, qui eum pro rege habebant, Romæ et Ephesi exercitum contra Demetrium congregavit, et Ptolemaidem occupavit.

habere socium, promittens quod eum habiturus esset eo honore et amore, quo frater habet fratrem.

20. Constituimus te hodie summum Sacerdotem. — Jonathas, ait Serarius, jam a populo electus et constitutus erat Dux et Pontifex; sed Pontificatum hic ei confirmat Alexander, quasi rex Asiæ et Syriæ, adquem proinde jure regnorum politico pertinere videbatur creatio Pontificis, sicut olim Romani Imperatores sibi arrogabant, et nominabant Romanum Pontificem: sed merito posteriores Pontifices hoc jus imperatoribus ademerunt, ac in clerum, puta in Episcopos et Cardinales transtulerunt. Jam enim hoc officium usurparat Antiochus Epiphanes Alexandri pater, qui Jasonem, deinde Menelaum constituerat Pontificem, ac post eum Demetrius rex constituerat Alcimum Pontificem, a cujus morte anno octavo Alexander hic Pontificem creat Jonatham.

Et quæ nostra sunt sentias nobiscum, — *q. d.* Nostræ causæ et parti faveas, non adversæ, ut scilicet me armis copiisque juves, non Demetrium antagonistam meum. Idque fecit Jonathas præferens Alexandrum Demetrio ob bella et damna Israeli ab eo illata.

21. Et induit se Jonathas stola sancta, — scilicet stola tunicaque Pontificali, in qua erat Rationale cum Ephod, *Exodi* XXVIII. Nam hucusque Jonathas, licet Pontifex, Pontificalia non induerat, nec exercuerat, eo quod Jerusalem ab hostibus occuparetur. Jam autem recepta Jerusalem, Pontificalia vestimenta induit, et munia Pontificis exercuit.

26. Quoniam servastis ad nos pactum. — Demetrius hic fingit se nescire quod Jonathas et Judæi a se ad Alexandrum æmulum suum defecissent; unde eos quasi fideles amicos compellat, hortaturque ut in fide et amicitia sua persistant, magna, si id fecerint, promittens præmia.

28. Et remittemus vobis præstationes (id est exactiones et tributa, quæ mihi præstare solebatis; unde explicans subdit) : Et nunc absolvo vos et omnes Judæos a tributis.

29. Et prætia salis indulgeo, — id est tributa quæ pro sale conficiendo, devehendo, et dividendo mihi pendebatis, vobis condono, quæ utique magna sunt : nam omnes omnino homines indigent sale. Unde Salisburgi Princeps opes suas ingentes ex sale collegit. Id patet ex cap. seq., vers. 30.

Et coronas — aureas, ut patet cap. XIII, vers. 37, quas quotannis persolvebatis, remitto.

Et tertiam seminis, — id est tertiam partem frugum, ut habet Josephus, quæ ex semine in terram jacto germinare solent, remitto. Ita Lyranus. Verum cum hoc tributum videatur esse immane, unde cap. XI, vers. 35, decimæ tantum fit mentio, hinc melius Sallanus præcise tertiam seminis accepit, ut si quis duodecim tritici modios seminasset, debuisset is in messe quatuor modios tritici regi persolvere, non autem si collegisset in messe sexaginta modios, debuisset regi solvere viginti; quæ est tertia pars messis, non seminis, ut hic dicitur.

30. Et dimidiam partem fructus ligni, — id est omnium fructuum, qui ex lignis, id est arboribus produci solent, quorum dimidiam partem mihi pendebatis, nunc vobis condono. Vers. 30.

31. Et Jerusalem sit sancta et libera; (*primo*, ut ipsa velut urbs sancta populo fideli et sancto, puta Judæis restituatur : quare milites mei, qui sunt in arce Sion, caveant ne eam profanent, imo ex arce excedant, eamque Jonathæ et Judæis tradant, ut patet versu seq.; *secundo*, ut ipsa velut urbs « sancta » sit libera, gaudeatque plena immunitate et libertate, quali gaudent templa, aliaque loca sancta; *tertio*, ut in ea solus Deus sancte colatur, sanctæque victimæ ei immolentur, quare interdico ne mei milites, allive idololatræ eam suis idololatricis hostiis ritibusque contaminent; *quarto*, ut) decimæ et tributa ipsius sint, — ut scilicet decimæ deinceps non mihi, aut meis, sed templo et sacerdotibus, uti antea ex Dei sanctione fiebat, persolvantur. Vers. 31.

32. Remitto etiam potestatem arcis, — *q. d.* dominium arcis in monte Sion, quod obtineo, remitto, illudque resigno, et trado Jonathæ, quasi summo Pontifici. Hoc promisit Demetrius Jonathæ, sed reipsa non præstitit, quia Jonathas fœdus iniit cum Alexandro hoste Demetrii. Vers. 32.

33. Et omnem animam Judæorum quæ captiva est, — *q. d.* Omnes Judæos, qui e Judæa captivi abducti sunt, sparsique per totum regnum meum, liberos dimitti volo, idque gratis et sine lytro, eosdemque absolvo ab omni tributo etiam pecorum suorum. Vers. 33.

34. Et omnes dies solemnes, et sabbata, et neomeniæ, et dies decreti, — qui scilicet non a lege, sed a Judæis ipsis decreti, et deputati sunt ad aliquam festivitatem, uti a Juda decretum fuit festum Encæniorum ob templi purgationem; item festum victoriæ Judith ob cæsum Holofernem, et festum Esther ob cæsum Aman. Ita Sallanus, *q. d.* Sancio et edico ut omnes Judæi, qui sunt in regno meo, libere celebrent sua sabbata, neomenias, et alios dies festos a lege, vel Synagoga statutos et decretos, imo ut tres dies ante, et tres dies post aliquam solemnitatem, Judæis sint dies immunitatis et remissionis, quibus nec in jus vocari, nec ad opera servilia capessenda a quopiam cogi possint, uti explicat versus sequens. Vers. 34.

36. Et dabuntur illis copiæ, — id est copiosa stipendia æque ac annona. Vers. 36.

Et ex eis ordinabuntur, qui sint in munitionibus regis magni, — scilicet Demetrii, *q. d.* Tradam Judæis arces meas, ut ipsi quasi mihi fidi eas custodiant. Pro « magni » Græce est *magnis*, *q. d.* magnas et primarias arces meas credam Judæis.

37. Et ex eis constituentur super negotia regni, quæ constituuntur ex fide, — id est quæ sum- Vers. 37.

mam fidem, summumque silentium et secretum requirunt.

ET PRINCIPES SINT EX EIS (qui tam provinciis, quam exercitus meos gubernent), ET AMULENT IN LEGIBUS SUIS, — ut juxta eas Judaice vivant in regno meo, sient vivunt in Judæa.

39. PTOLEMAIDA (civitatem, quam invasit Alexander, meus consobrinus, et emulus) ET CONFINES EJUS, QUÆ DEDI DOMUS SANCTIS, QUI SUNT IN JERUSALEM, — pulc. sancto Pontifici sanctiorique, id est fidelibus Judæis; eursum etiam nunc do, donumque a me datum confirmo. Pro « qui » Græce est ἅτινα, q. d. Colonias has dedi *sanctis*, id est Sanctuario, sive sancto templo, quod est in Jerusalem, puta Sancto, et Sancto sanctorum; ut ex earum proventibus emantur victimæ, aliaque necessaria ad cultum Dei in sancto ejus templo.

41. ET OMNE QUOD RELIQUUM FUERIT, QUOD NON REDDIDERANT, — q. d. Sancio ut mei quæstores reddant, et restituant templo illa quæ ex censibus aliisque rebus templo destinatis subtraxerunt, et in meum ærarium intulerunt. Aut ut Sallanus, q. d. Jubeo ut publicani Judæi, qui sunt obnoxii reddendæ rationi, nec regiis quæstoribus adhuc satisfecerint, ea non ærario regio, sed templo persolvant Jerosolymitano. Nam de redditibus templi subdit novum beneficium, vers. 42.

42. QUÆ ACCIPIEBANT DE SANCTORUM RATIONE, — id est ex sancti templi censu et ærario, ut in meum ærarium inferrent : nunc jubeo illa templo restitui, nimirum, « quinque millia siclorum, » id est quinque millia Francorum, sive Florenorum Brabanticorum. Siclus enim pendit quatuor drachmas, valeque quatuor Julios, sive quatuor regales Hispanicos.

43. ET QUICUNQUE (sive Judæi, sive Gentiles) CONFUGERINT IN TEMPLUM, etc., DIMITTANTUR, — q. d. Jubeo sancioque jus asyli, quod habuit templum, imo illud augeo. Volo enim ut, dum quis confugit ad templum, quamdiu is in eo manet, nemo possit invadere bona illius in regno meo, licet alibi sita. Verum nimis ampla promittit hic Demetrius : quare Jonathas et Judæi ei non credi derunt æstimantes ex necessitate ficte hæc promittere, sed postea non servaturum; præsertim, quia ejus malevolentiam sæpius erant experti : quare, Demetrio relicto, adhæserunt Alexandro.

Nota : hic Demetrius duodecim ingentia beneficia promittit Jonathæ, si suas partes contra Alexandrum sequi et tueri velit; unde colligas quanta fuerit fortitudo, et fama Jonathæ. *Primum* est immunitas tributorum; *secundum*, libertas Jerosolymæ, ut sit immunis a præsidio militum Demetrii; *tertium*, restitutio captivorum; *quartum*, permissio festivæ quietis; *quintum*, jus honoratæ militiæ; *sextum*, jus gubernandi; *septimum*, jus servandi fidem legemque patriam; *octavum*, amplificatio dominii Pontificii; *nonum*, donatio Ptolemaidis; *decimum*, annuus pro templo census quindecim millium siclorum; *undecimum*, jus asyli in templo; *duodecimum*, ædificatio murorum Jerusalem.

47. QUIA IPSE FUERAT EIS PRINCEPS SERMONUMPACIS, — id est quia Alexander prior, et ante Demetrium, pacem fœdusque a Judæis postularat.

50. ET CECIDIT DEMETRIUS, — victus ab Alexandro per auxilium Jonathæ et Judæorum. Cecidit Demetrius, equo ipsius cadente et tela ipsum diruentibus, ait Josephus, lib. XIII, cap. 4. Porro licet Demetrius potius jus haberet ad regnum Asiæ, utpote filius Seleuci, qui senior erat Antiochi Magni filius, ideoque in regno successor, quam Alexander, utpote filius Antiochi Epiphanis, qui Seleuci erat frater junior; tamen Jonathas licite adjuvit Alexandrum contra Demetrium, tum quia Demetrius hucusque hostis fuerat Judæorum eosque hostiliter invaserat, et vastarat : quare contra eum Alexandri ope uti, imo eam implorare jure suo poterat Jonathas; tum quia Alexander jus belli habebat contra Demetrium, eo quod ipse fratrem suum seniorem Antiochum Eupatorem occidisset; voluit ergo necem fratris sui ulcisci, præsertim quia populus, scelera et tyrannidem Demetrii detestans, ei prætulerat Alexandrum, illumque sibi regem crearat.

51. ET MISIT ALEXANDER AD PTOLEMÆUM (Philometoram) REGEM ÆGYPTI LEGATOS, — poscens ejus filium Cleopatram in uxorem, ut hac ratione fœdus cum eo firmaret, seseque contra Demetrium Demetrii a se occisi filium roboraret. Porro Cleopatra Græce idem est quod decus et gloria patris et patriæ. Utinam hæc talis fuisset!

Nota : Multæ fuerunt Cleopatræ, quarum hæc fuit origo et series. *Prima* Cleopatra fuit Antiochi Magni filia, et soror Antiochi Epiphanis, quæ nupsit Ptolemæo Epiphani, quinto post Alexandrum Magnum regi Ægypti. Hæc fuit speciosissima, ideoque a Daniele, cap. XI, vers. 17, vocatur « filia feminarum, » hoc est formosissima, indeque dicta Cleopatra, id est decus et gloria patris. Unde ab ea cæteræ omnes reginæ Ægypti, utpote ab ea prognatæ, vocatæ sunt Cleopatræ. Ipsa ergo ex Ptolemæo Epiphane genuit Ptolemæum Philometorem, Ptolemæum Physconem, et Cleopatram filiam, quam licet sororem Philometor, ac deinde Physcon in uxorem acceperunt.

Hæc est ergo *secunda* Cleopatra, quæ Physconis fuit soror, uxor, et insuper quasi mater, aut potius socrus. Nam Physcon post eam repudiatam, duxit filiam ejus in uxorem.

Tertia Cleopatra fuit hujus secundæ ex Philometore filia, quam Philometor pater primo despondit Demetrio Nicanori, deinde eo capto ipsa nupsit Antiocho Sideti, Demetrii fratri. Hæc venienum propinans filio suo Antiocho Grypho, ab eodem coacta illud bibere, seipsam occidit. De ea hic agitur.

Quarta Cleopatra fuit Ptolemæi Lathuri, qui Ptolemæi Physconis fuit filius et successor, soror et uxor, quæ ab eo repudiata nupsit Antiocho Cyziceno regi Asiæ, et a Gryphina sorore in templo

amplexans simulacra, jussa est confodi et occidi, teste Justino, lib. XXXIX.

Quinta Cleopatra fuit Ptolemæi Auletis filia, et Ptolemæi Dionysii ultimi regis Ægypti soror et uxor, quam adamavit Antonius repudians sororem Augusti Cæsaris, ideoque ab eo victus ad spontaneam necem adactus fuit : Cleopatra quoque seipsam admotis corpori serpentibus interfecit. Ita Eusebius, Josephus Strabo, Beda et alii.

50. ET SPONSABAM TIBI, — id est sponsam tibi dem filiam meam. Spondere enim est parentis, despondere mariti, indeque sponsi et sponsæ, ac sponsaliorum et sponsandi voces emanarunt.

59. SCRIPSIT REX ALEXANDER JONATHÆ, UT VENIRET OBVIAM SIBI, — q. d. Invitavit Alexander Jonathan Ptolemaidam ad nuptias suas cum Cleopatra celebrandas.

62. INDUIT EUM PURPURA, — id est regio amictu : purpura enim regni et regum erat vestis. Alexander ergo hic Jonathan regiis insignibus ornat, ob opem et auxilia sibi ab eo contra Demetrium præstita, idque per principes suos jubet per totam civitatem prædicari et promulgari. Non tamen hoc ipso Jonathan creat regem, sed dynastam et principem, purpura enim erat amictus dynastarum, qui amici regis, et ex amictu purpureo purpurati vocabantur. Sic Mardocheus ab Assuero ornatus fuit corona aurea in capite et amictu purpureo : erat enim ex primariis regis dynastis et amicis, *Esther* VIII, 15.

67. IN ANNO 165 VENIT DEMETRIUS (junior) FILIUS DEMETRII — senioris ab Alexandro et Jonatha victi et occisi. Venit, inquam, e Creta, ubi latuerat in Syriam, ut necem patris ulcisceretur, et avitum ejus regnum, profligato Alexandro, reciperet. Factum hoc est quinto anno regni Alexandri, qui fuit tertius ab ejus nuptiis cum Cleopatra; has enim iniit anno 162 Græcorum, ut dictum est vers. 57; regnum vero occupavit anno 160 Græcorum, ut dictum est vers. 1.

Nota : Ex Justino, lib. XXXV, Demetrius senior, initio belli contra Alexandrum, duos filios suos, scilicet Demetrium Nicanorem et Antiochum Sidetem, qui ambo successive postea regnarunt, apud hospitem suum Gnidium (Gnidus est in Asia extrema prope Halicarnassum et Rhodum, in extremo promontorio, quod respicit Cretam) cum magna auri vi deposuit, ut belli periculis eximerentur, et si ita sors tulisset, ultioni paternæ necis servarentur. Ita factum; nam Demetrius Nicanor, Demetrio patre occiso, e Creta profugit in Syriam, regnumque invasit. Hoc eodem tempore mortuus est Cato senior, Marcellus consul Romanus bellum gessit in Hispania, Attilius Prætor in Lusitania, ac Carthago tertium bellum Punicum contra Romanos apparavit, quo victa et excisa est a Scipione Africano. Ita Sallanus.

60. ET CONSTITUIT DEMETRIUS REX APOLLONIUM DUCEM, QUI PRÆERAT COELESYRIÆ. — Hic Apollonius prius servierat Alexandro, sed ab eo defecit ad Demetrium, illectus spe majorum honorum et opum, quas promittebat novus rex Demetrius. Aulici enim respiciunt semper ad solem Orientem, ut vulgo dicitur. Hic Apollonius, quem Josephus Daum cognominat, alius fuit ab Apollonio Thraseo filio, qui tempore Seleuci regis præfuit Cœlesyriæ, de quo II *Machab.* III, 5. Alius quoque fuit ab Apollonio Almestiæi filio, quem Antiochus Epiphanes misit cum 22 millibus, ut Jerusalem et Ægyptum occuparet, II *Machab.* IV, 21. Alius quoque ab Apollonio Gennæi filio, qui Judæos sub Eupatore vexavit, de quo II *Machab.* XII, 2. Videtur hic Apollonius a Demetrio præfectus Cœlesyriæ constitutus, deinde veniente Alexandro ad eum a Demetrio defecisse; inde ab Alexandro ad Demetrium Demetrii filium cum aliis pluribus transiisse. Unde Justinus ait milites paternos ad filium Demetrium signa transtulisse.

70. QUIA TU POTESTATEM ADVERSUS NOS EXERCES IN MONTIBUS, — id est in Judæa, quæ montosa est, q. d. Tu, o Jonatha, inter montes Judææ te continens, ibique dominaris, mihique resistis. Exi ergo e Judæa in campum Syriæ, ibique aperto marte mecum confligo, si vir es, et viribus ad bellandum pollis, uti jactas; nam in angustiis montium facile est homini imbelli cum paucis resistere multis. Vers. 70.

TU SOLUS RESISTIS NOBIS. — Nam, ut ait Justinus, lib. XXXV, de hoc Demetrio : « Audita Alexandri luxuria, quem insperatæ opes et alienæ felicitatis ornamenta, velut captivum inter scortorum greges, desidem in Regia tenebant, auxiliantibus Cretensibus, securum, ac nihil hostile metuentem aggreditur. Antiochenses quoque veterem patris offensam, novis meritis correcturi se ei tradunt; sed et milites paterni, favore juvenis accensi, prioris sacramenti religionem novi regis superbiæ præferentes, signa ad Demetrium transferunt. »

71. NUNC ERGO SI CONFIDIS IN VIRTUTIBUS (Græce *Δυνάμει*, id est viribus et exercitibus) TUIS, DESCENDE AD NOS IN CAMPUM, ET COMPAREBIMUS (Græce *συγχρίθωμεν*, id est comparamur, conferamur, componamur) ILLIC INVICEM, (ut pedem pedi, manum manui conseratis, ostendamus uter sit fortior, an tu, an ego :) QUIA MECUM EST VIRTUS BELLORUM. — Græce, *quia mecum est exercitus potens urbium*, q. d. Provoco te in campum, ubi armis pugnandum est, non saxis, et in quo nullum victo est refugium. Nostar legit πόλεων, id est *bellorum*; alii legunt πόλεως, id est *urbium*, et sic quoque legit Josephus. Vers. 71.

72. QUIA BIS IN FUGAM CONVERSI SUNT PATRES TUI, — nimirum semel, quando Mathathias fugit cum filiis suis, I *Machab.* II, 28; iterum in pugna cum Bacchide, in qua cæso Juda, cæteri Judæi fugerunt, I *Machab.* IX, 18. Vers. 72.

74. UT AUDIVIT AUTEM JONATHAS SERMONES APOLLONII, NOTUS EST ANIMO, — ad iram excandescens, et ad pugnam exardescens, ut ipso facto redu- Vers. 74.

taret exprobrationem Apollonii, ac reipsa ostenderet se tam in campis quam in montibus esse bellipotentem, imo leonem.

Et EXCLUSIT (Apollonius) EUM (Jonatham) A CIVITATE : QUIA CUSTODIA (præsidium militum ad custodiendam urbem) APOLLONII JOPPE (Græce in Joppe) ERAT. Græce est ἀπέκλεισεν, id est *excluserunt*, scilicet milites præsidiarii Jonatham.

80. Et CIRCUIERUNT — hostes, scilicet equites Apollonii) CASTRA EJUS (scilicet Jonathæ), ET PERCUSSERUNT FACULA IN POPULUM, scilicet in socios Jonathæ.

81. POPULUS AUTEM STARAT (constanti animo, pede et manu clypeis suis excipiens, et repellens jacula hostium), ET LABORAVERUNT EQUI EORUM : — *q. d.* Equi et equites Apollonii fatigati fuere, quia tota die laboraverunt currendo, et jaciendo tela in castra Jonathæ. Unde Simon eos fessos et lassos agressus fudit fugavitque.

82. Et EDUXIT (Græce ἐξήγαγεν, id est extraxit, eduxit, emisit, explicuit, expendit) SIMON EXERCITUM SUUM (alas militum) ET COMMISIT (prælium) CONTRA LEGIONEM (Græce *contra phalangem*, puta contra aciem hostium) : EQUITES ENIM FATIGATI ERANT (ob causam jam dictam), ET CONTRITI SUNT AB EO (a Simone fratre Jonathæ), ET FUGERUNT.

83. Et INTRAVERUNT IN BETHDAGON. — id est in domum Dagon, puta in templum Dagon, qui erat Deus sive « idolum » eorum. Græce εἰς τὸ εἰδωλεῖον, id est in idolium, sive fanum idoli sui, scilicet Dagon. Verum qui idolum suum e manibus Jonathæ liberare non poterat, quomodo ab eodem a strage Jonathæ liberaretur? Quare omnes cum suo idolo et idolis a Jonatha succensi concrematique fuere.

86. Et EXIERUNT (Ascalonitæ) DE CIVITATE OBVIAM ILLI (Jonathæ) IN MAGNA GLORIA. — id est magno honore et pompa eum excipientes, illique se et urbem suam dedentes, ne ab eo crudeliter tractarentur instar Bethdagon.

89. Et MISIT (Alexander rex hostis Demetrii et Apollonii) EI (Jonathæ ob contritum Apollonium) FIBULAM AUREAM. Græce σάγμα, quod aliqui vertunt monile e collo, vel e cingulo dependens, quale est in Belgio vellus aureum. Melius Noster vertit « fibulam, » qua longiores tunicæ et vestes subnecti solent, juxta illud *Æneid.* IV :

Aurea purpureum subnectit fibula vestem.

Fuit hoc ornamentum militare, teste Livio, lib. VII et IX; non olim nisi regum cognatis, et summis amicis dari solitum, ut hic dicitur. Fibula ergo hæc vestes laxas et fluidas, vel in pectore, vel in cingulo stringebat, et confibulabat. Unde Virgilius, XII *Æneid.*:

Laterum junctura fibula mordet.

Et Ovidius, VIII *Metam.* :

Resilit hinc summam mordebat fibula vestem.

Et S. Hieronymus, *epist.* 49 : « Fibulam quæ chlamydis mordebat oras, in humum excussit. » Tertullianus, *De pallio*, cap. 1 : « In viris, inquit, pallii extrinsecus habitus, et ipse quadrangulus ab utroque laterum regestus, et cervicibus circumstrictus in fibulæ morsu humeris acquiescebat. »

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ptolemæus Philometor Alexandro filiam suam Cleopatram quam ei uxorem dederat, una cum regno aufert, Alexander fugit in Arabiam, ibique a Zabdiele rege occiditur, qui caput occisi mittit ad Philometorem. Philometor, eo accepto, tertio die post moritur. Mox, vers. 19, Demetrius, firmato regno, fœdus init cum Jonatha qui eum a nece liberat, cæsis centum hostium millibus ; sed Demetrius jam de regno securus, vers. 53, fœdus cum Jonatha initum perfide abrumpit. Quare Jonathas ad Antiochum Alexandri occisi filium se transfert, ab eoque magnis honoribus afficitur. Unde pro eo dimicans plures Demetrii urbes occupat, ejusque copias fundit fugatque.

1. Et rex Ægypti congregavit exercitum, sicut arena quæ est circa oram maris, et naves multas : et quærebat obtinere regnum Alexandri dolo, et addere illud regno suo. 2. Et exiit in Syriam verbis pacificis, et aperiebant ei civitates, et occurrebant ei : quia mandaverat Alexander rex exire ei obviam, eo quod socer suus esset. 3. Cum autem introiret civitatem, Ptolemæus ponebat custodias militum in singulis civitatibus. 4. Et ut appropiavit Azoto, ostenderunt ei templum Dagon succensum igni, et Azotum et cætera ejus demolita, et corpora projecta, et eorum qui cæsi erant in bello tumulos quos fecerant secus viam. 5. Et narraverunt regi quia hæc fecit Jonathas, ut invidiam facerent ei : et tacuit rex. 6. Et occurrit Jonathas regi in Joppen cum gloria, et invicem se salutaverunt, et dormierunt illic. 7. Et abiit

Jonathas cum rege usque ad fluvium, qui vocatur Elenterus : et reversus est in Jerusalem. 8. Rex autem Ptolemæus obtinuit dominium civitatum usque Seleuciam maritimam, et cogitabat in Alexandrum consilia mala. 9. Et misit legatos ad Demetrium, dicens : VENI, componamus inter nos pactum, et dabo tibi filiam meam, quam habet Alexander, et regnabis in regno patris tui ; 10. pœnitet enim me quod dederim illi filiam meam : quæsivit enim me occidere. 11. Et vituperavit eum, propterea quod concupierat regnum ejus. 12. Et abstulit filiam suam, et dedit eam Demetrio, et alienavit se ab Alexandro, et manifestatæ sunt inimicitiæ ejus. 13. Et intravit Ptolemæus Antiochiam, et imposuit duo diademata capiti suo, Ægypti et Asiæ. 14. Alexander autem rex erat in Cilicia illis temporibus : quia rebellabant qui erant in locis illis. 15. Et audivit Alexander, et venit ad eum in bellum : et produxit Ptolemæus rex exercitum, et occurrit ei in manu valida, et fugavit eum. 16. Et fugit Alexander in Arabiam, ut ibi protegeretur ; rex autem Ptolemæus exaltatus est. 17. Et abstulit Zabdiel Arabs caput Alexandri, et misit Ptolemæo. 18. Et rex Ptolemæus mortuus est in die tertia : et qui erant in munitionibus, perierunt ab his qui erant intra castra. 19. Et regnavit Demetrius anno centesimo sexagesimo septimo. 20. In diebus illis congregavit Jonathas eos qui erant in Judæa, ut expugnarent arcem quæ est in Jerusalem : et fecerunt contra eam machinas multas. 21. Et abierunt quidam qui oderant gentem suam viri iniqui ad regem Demetrium, et renuntiaverunt ei quod Jonathas obsideret arcem. 22. Et ut audivit, iratus est ; et statim venit ad Ptolemaidam, et scripsit Jonathæ ne obsideret arcem, sed occurreret sibi ad colloquium festinato. 23. Ut audivit autem Jonathas, jussit obsidere : et elegit de senioribus Israel et de sacerdotibus, et dedit se periculo. 24. Et accepit aurum, et argentum, et vestem, et alia xenia multa, et abiit ad regem Ptolemaidam, et invenit gratiam in conspectu ejus. 25. Et interpellabant adversus eum quidam iniqui ex gente sua. 26. Et fecit ei rex, sicut fecerant ei qui ante eum fuerant : et exaltavit eum in conspectu omnium amicorum suorum. 27. Et statuit ei principatum sacerdotii, et quæcumque alia habuit prius pretiosa, et fecit eum principem amicorum. 28. Et postulavit Jonathas a rege, ut immunem faceret Judæam, et tres toparchias, et Samariam, et confines ejus : et promisit ei talenta trecenta. 29. Et consensit rex ; et scripsit Jonathæ epistolas de his omnibus, hunc modum continentes : 30. Rex Demetrius fratri Jonathæ salutem, et genti Judæorum. 31. Exemplum epistolæ quam scripsimus Lastheni parenti nostro de vobis misimus ad vos ut sciretis : 32. Rex Demetrius Lasthæni parenti salutem. 33. Genti Judæorum, amicis nostris, et conservantibus quæ justa sunt apud nos, decrevimus benefacere, propter benignitatem ipsorum, quam erga nos habent. 34. Statuimus ergo illis omnes fines Judææ, et tres civitates, Lydan, et Ramathan, quæ additæ sunt Judææ ex Samaria, et omnes confines earum, sequestrari omnibus sacrificantibus in Jerosolymis, pro his quæ ab eis prius accipiebat rex per singulos annos, et pro fructibus terræ et pomorum. 35. Et alia quæ ad nos pertinebant decimarum et tributorum, ex hoc tempore remittimus eis : et areas salinarum, et coronas quæ nobis deferebantur, 36. omnia ipsis concedimus : et nihil horum irritum erit ex hoc, et in omne tempus. 37. Nunc ergo curate facere horum exemplum, et detur Jonathæ, et ponatur in monte sancto, in loco celebri. 38. Et videns Demetrius rex quod siluit terra in conspectu suo, et nihil ei resistit, dimisit totum exercitum suum, unumquemque in locum suum, excepto peregrino exercitu quem contraxit ab insulis Gentium ; et inimici erant ei omnes exercitus patrum ejus. 39. Tryphon autem erat quidam partium Alexandri prius ; et vidit quoniam omnis exercitus murmurabat contra Demetrium, et ivit ad Emalchuel Arabem, qui nutriebat Antiochum filium Alexandri : 40. et assidebat ei, ut traderet eum ipsi, ut regnaret loco patris sui ; et enuntiavit ei quanta fecit Demetrius, et inimicitias exercituum ejus adversus illum ; et mansit ibi diebus multis. 41. Et misit Jonathas ad Demetrium regem, ut ejiceret eos qui in arce erant in Jerusalem,

taret exprobrationem Apollonii, ac reipsa ostenderet se tam in campis quam in montibus esse bellipotentem, imo leonem.

Et EXCLUSIT (Apollonius) EUM (Jonatham) A CIVITATE : QUIA CUSTODIA (præsidium militum ad custodiendam urbem) APOLLONII JOPPE (Græce in Joppe) ERAT. Græce est ἀπέκλεισεν, id est *excluserunt*, scilicet milites præsidiarii Jonatham.

80. Et CIRCUIERUNT — hostes, scilicet equites Apollonii) CASTRA EJUS (scilicet Jonathæ), ET PERCUSSERUNT FACULA IN POPULUM, scilicet in socios Jonathæ.

81. POPULUS AUTEM STARAT (constanti animo, pede et manu clypeis suis excipiens, et repellens jacula hostium), ET LABORAVERUNT EQUI EORUM : — *q. d.* Equi et equites Apollonii fatigati fuere, quia tota die laboraverunt currendo, et jaciendo tela in castra Jonathæ. Unde Simon eos fessos et lassos agressus fudit fugavitque.

82. Et EDUXIT (Græce ἐξήγαγεν, id est extraxit, eduxit, emisit, explicuit, expendit) SIMON EXERCITUM SUUM (alas militum) ET COMMISIT (prælium) CONTRA LEGIONEM (Græce *contra phalangem*, puta contra aciem hostium) : EQUITES ENIM FATIGATI ERANT (ob causam jam dictam), ET CONTRITI SUNT AB EO (a Simone fratre Jonathæ), ET FUGERUNT.

83. Et INTRAVERUNT IN BETHDAGON. — id est in domum Dagon, puta in templum Dagon, qui erat Deus sive « idolum » eorum. Græce εἰς τὸ εἰδωλεῖον, id est in idolium, sive fanum idoli sui, scilicet Dagon. Verum qui idolum suum e manibus Jonathæ liberare non poterat, quomodo ab eodem a strage Jonathæ liberaretur? Quare omnes cum suo idolo et idolis a Jonatha succensi concrematique fuere.

86. Et EXIERUNT (Ascalonitæ) DE CIVITATE OBVIAM ILLI (Jonathæ) IN MAGNA GLORIA. — id est magno honore et pompa eum excipientes, illique se et urbem suam dedentes, ne ab eo crudeliter tractarentur instar Bethdagon.

89. Et MISIT (Alexander rex hostis Demetrii et Apollonii) EI (Jonathæ ob contritum Apollonium) FIBULAM AUREAM. Græce σάγμα, quod aliqui vertunt monile e collo, vel e cingulo dependens, quale est in Belgio vellus aureum. Melius Noster vertit « fibulam, » qua longiores tunicæ et vestes subnecti solent, juxta illud *Æneid.* IV :

Aurea purpureum subnectit fibula vestem.

Fuit hoc ornamentum militare, teste Livio, lib. VII et IX; non olim nisi regum cognatis, et summis amicis dari solitum, ut hic dicitur. Fibula ergo hæc vestes laxas et fluidas, vel in pectore, vel in cingulo stringebat, et confibulabat. Unde Virgilius, XII *Æneid.*:

Laterum junctura fibula mordet.

Et Ovidius, VIII *Metam.* :

Resilit hinc summam mordebat fibula vestem.

Et S. Hieronymus, *epist.* 49 : « Fibulam quæ chlamydis mordebat oras, in humum excussit. » Tertullianus, *De pallio*, cap. 1 : « In viris, inquit, pallii extrinsecus habitus, et ipse quadrangulus ab utroque laterum regestus, et cervicibus circumstrictus in fibulæ morsu humeris acquiescebat. »

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ptolemæus Philometor Alexandro filiam suam Cleopatram quam ei uxorem dederat, una cum regno aufert, Alexander fugit in Arabiam, ibique a Zabdiele rege occiditur, qui caput occisi mittit ad Philometorem. Philometor, eo accepto, tertio die post moritur. Mox, vers. 19, Demetrius, firmato regno, fœdus init cum Jonatha qui eum a nece liberat, cæsis centum hostium millibus ; sed Demetrius jam de regno securus, vers. 53, fœdus cum Jonatha initum perfide abrumpit. Quare Jonathas ad Antiochum Alexandri occisi filium se transfert, ab eoque magnis honoribus afficitur. Unde pro eo dimicans plures Demetrii urbes occupat, ejusque copias fundit fugatque.

1. Et rex Ægypti congregavit exercitum, sicut arena quæ est circa oram maris, et naves multas : et quærebat obtinere regnum Alexandri dolo, et addere illud regno suo. 2. Et exiit in Syriam verbis pacificis, et aperiebant ei civitates, et occurrebant ei : quia mandaverat Alexander rex exire ei obviam, eo quod socer suus esset. 3. Cum autem introiret civitatem, Ptolemæus ponebat custodias militum in singulis civitatibus. 4. Et ut appropiavit Azoto, ostenderunt ei templum Dagon succensum igni, et Azotum et cætera ejus demolita, et corpora projecta, et eorum qui cæsi erant in bello tumulos quos fecerant secus viam. 5. Et narraverunt regi quia hæc fecit Jonathas, ut invidiam facerent ei : et tacuit rex. 6. Et occurrit Jonathas regi in Joppen cum gloria, et invicem se salutaverunt, et dormierunt illic. 7. Et abiit

Jonathas cum rege usque ad fluvium, qui vocatur Elenterus : et reversus est in Jerusalem. 8. Rex autem Ptolemæus obtinuit dominium civitatum usque Seleuciam maritimam, et cogitabat in Alexandrum consilia mala. 9. Et misit legatos ad Demetrium, dicens : VENI, componamus inter nos pactum, et dabo tibi filiam meam, quam habet Alexander, et regnabis in regno patris tui ; 10. pœnitet enim me quod dederim illi filiam meam : quæsivit enim me occidere. 11. Et vituperavit eum, propterea quod concupierat regnum ejus. 12. Et abstulit filiam suam, et dedit eam Demetrio, et alienavit se ab Alexandro, et manifestatæ sunt inimicitiæ ejus. 13. Et intravit Ptolemæus Antiochiam, et imposuit duo diademata capiti suo, Ægypti et Asiæ. 14. Alexander autem rex erat in Cilicia illis temporibus : quia rebellabant qui erant in locis illis. 15. Et audivit Alexander, et venit ad eum in bellum : et produxit Ptolemæus rex exercitum, et occurrit ei in manu valida, et fugavit eum. 16. Et fugit Alexander in Arabiam, ut ibi protegeretur ; rex autem Ptolemæus exaltatus est. 17. Et abstulit Zabdiel Arabs caput Alexandri, et misit Ptolemæo. 18. Et rex Ptolemæus mortuus est in die tertia : et qui erant in munitionibus, perierunt ab his qui erant intra castra. 19. Et regnavit Demetrius anno centesimo sexagesimo septimo. 20. In diebus illis congregavit Jonathas eos qui erant in Judæa, ut expugnarent arcem quæ est in Jerusalem : et fecerunt contra eam machinas multas. 21. Et abierunt quidam qui oderant gentem suam viri iniqui ad regem Demetrium, et renuntiaverunt ei quod Jonathas obsideret arcem. 22. Et ut audivit, iratus est ; et statim venit ad Ptolemaidam, et scripsit Jonathæ ne obsideret arcem, sed occurreret sibi ad colloquium festinato. 23. Ut audivit autem Jonathas, jussit obsidere : et elegit de senioribus Israel et de sacerdotibus, et dedit se periculo. 24. Et accepit aurum, et argentum, et vestem, et alia xenia multa, et abiit ad regem Ptolemaidam, et invenit gratiam in conspectu ejus. 25. Et interpellabant adversus eum quidam iniqui ex gente sua. 26. Et fecit ei rex, sicut fecerant ei qui ante eum fuerant : et exaltavit eum in conspectu omnium amicorum suorum. 27. Et statuit ei principatum sacerdotii, et quæcumque alia habuit prius pretiosa, et fecit eum principem amicorum. 28. Et postulavit Jonathas a rege, ut immunem faceret Judæam, et tres toparchias, et Samariam, et confines ejus : et promisit ei talenta trecenta. 29. Et consensit rex ; et scripsit Jonathæ epistolas de his omnibus, hunc modum continentes : 30. Rex Demetrius fratri Jonathæ salutem, et genti Judæorum. 31. Exemplum epistolæ quam scripsimus Lastheni parenti nostro de vobis misimus ad vos ut sciretis : 32. Rex Demetrius Lasthæni parenti salutem. 33. Genti Judæorum, amicis nostris, et conservantibus quæ justa sunt apud nos, decrevimus benefacere, propter benignitatem ipsorum, quam erga nos habent. 34. Statuimus ergo illis omnes fines Judææ, et tres civitates, Lydan, et Ramathan, quæ additæ sunt Judææ ex Samaria, et omnes confines earum, sequestrari omnibus sacrificantibus in Jerosolymis, pro his quæ ab eis prius accipiebat rex per singulos annos, et pro fructibus terræ et pomorum. 35. Et alia quæ ad nos pertinebant decimarum et tributorum, ex hoc tempore remittimus eis : et areas salinarum, et coronas quæ nobis deferebantur, 36. omnia ipsis concedimus : et nihil horum irritum erit ex hoc, et in omne tempus. 37. Nunc ergo curate facere horum exemplum, et detur Jonathæ, et ponatur in monte sancto, in loco celebri. 38. Et videns Demetrius rex quod siluit terra in conspectu suo, et nihil ei resistit, dimisit totum exercitum suum, unumquemque in locum suum, excepto peregrino exercitu quem contraxit ab insulis Gentium ; et inimici erant ei omnes exercitus patrum ejus. 39. Tryphon autem erat quidam partium Alexandri prius ; et vidit quoniam omnis exercitus murmurabat contra Demetrium, et ivit ad Emalchuel Arabem, qui nutriebat Antiochum filium Alexandri : 40. et assidebat ei, ut traderet eum ipsi, ut regnaret loco patris sui ; et enuntiavit ei quanta fecit Demetrius, et inimicitias exercituum ejus adversus illum ; et mansit ibi diebus multis. 41. Et misit Jonathas ad Demetrium regem, ut ejiceret eos qui in arce erant in Jerusalem,

et qui in præsidiis erant : quia impugnabant Israel. 42. Et misit Demetrius ad Jonathan, dicens : Non hæc tantum faciam tibi, et genti tuæ ; sed gloria illustrabo te et gentem tuam, cum fuerit opportunum. 43. Nunc ergo recte feceris, si miseris in auxilium mihi viros : quia discessit omnis exercitus meus. 44. Et misit ei Jonathas tria millia virorum fortium Antiochiam : et venerunt ad regem, et delectatus est rex in adventu eorum. 45. Et convenerunt qui erant de civitate, centum viginti millia virorum, et volebant interficere regem. 46. Et fugit rex in aulam : et occupaverunt qui erant de civitate itinera civitatis, et cœperunt pugnare. 47. Et vocavit rex Judæos in auxilium, et convenerunt omnes simul ad eum, et dispersi sunt omnes per civitatem : 48. et occiderunt in illa die centum millia hominum, et succenderunt civitatem, et ceperunt spolia multa in die illa, et liberaverunt regem. 49. Et viderunt qui erant de civitate, quod obtinuissent Judæi civitatem sicut volebant : et infirmati sunt mente sua, et clamaverunt ad regem cum precibus, dicentes : 50. Da nobis dextras, et cessent Judæi oppugnare nos et civitatem. 51. Et projecerunt arma sua, et fecerunt pacem, et glorificati sunt Judæi in conspectu regis, et in conspectu omnium qui erant in regno ejus, et nominati sunt in regno : et regressi sunt in Jerusalem habentes spolia multa. 52. Et sedit Demetrius rex in sede regni sui, et siluit terra in conspectu ejus. 53. Et mentitus est omnia quæcumque dixit, et abalienavit se a Jonatha, et non retribuit ei secundum beneficia quæ sibi tribuerat, et vexabat eum valde. 54. Post hæc autem reversus est Tryphon, et Antiochus cum eo puer adolescens, et regnavit et imposuit sibi diadema. 55. Et congregati sunt ad eum omnes exercitus quos disperserat Demetrius, et pugnaverunt contra eum : et fugit, et terga vertit. 56. Et accepit Tryphon bestias, et obtinuit Antiochiam : 57. et scripsit Antiochus adolescens Jonathæ, dicens : Constituo tibi sacerdotium, et constituo te super quatuor civitates, ut sis de amicis regis. 58. Et misit illi vasa aurea in ministerium, et dedit ei potestatem bibendi in auro, et esse in purpura, et habere fibulam auream : 59. et Simonem fratrem ejus constituit ducem a terminis Tyri usque ad fines Ægypti. 60. Et exiit Jonathas, et perambulabat trans flumen civitates : et congregatus est ad eum omnis exercitus Syriæ in auxilium, et venit Ascalonem, et occurrerunt ei honorifice de civitate. 61. Et abiit inde Gazam, et concluserunt se qui erant Gazæ : et obsedit eam, et succendit quæ erant in circuitu civitatis, et prædatus est ea. 62. Et rogaverunt Gazenses Jonathan, et dedit illis dexteram : et accepit filios eorum obsides, et misit illos in Jerusalem ; et perambulavit regionem usque Damascum. 63. Et audivit Jonathas quod prævaricati sunt principes Demetrii in Cades, quæ est in Galilæa, cum exercitu multo, volentes eum removere a negotio regni : 64. et occurrit illis ; fratrem autem suum Simonem reliquit intra provinciam. 65. Et applicuit Simon ad Bethsuram, et expugnabat eam diebus multis, et conclusit eos. 66. Et postulaverunt ab eo dextras accipere, et dedit illis : et ejecit eos inde, et cepit civitatem, et posuit in ea præsidium. 67. Et Jonathas et castra ejus appliciuerunt ad aquam Genesar, et ante lucem vigilaverunt in campo Asor. 68. Et ecce castra alienigenarum occurrebant in campo, et tendebant ei insidias in montibus ; ipse autem occurrit ex adverso. 69. Insidiæ vero exurrexerunt de locis suis, et commiserunt prælium. 70. Et fugerunt qui erant ex parte Jonathæ omnes, et nemo relictus est ex eis, nisi Mathathias filius Absalomi, et Judas filius Calphi, princeps militiæ exercitus. 71. Et scidit Jonathas vestimenta sua, et posuit terram in capite suo, et oravit. 72. Et reversus est Jonathas ad eos in prælium, et convertit eos in fugam, et pugnaverunt. 73. Et viderunt qui fugiebant partis illius, et reversi sunt ad eum, et insequebantur cum eo omnes usque Cades ad castra sua, et pervenerunt usque illuc. 74. Et ceciderunt de alienigenis in die illa tria millia virorum : et reversus est Jonathas in Jerusalem.

4. Etbex Ægypti (Ptolemæus Philometor) congregavit exercitum (maximum et plurimum) sicut arena quæ est circa oram maris, — ut Syriam Alexandro genero suo eriperet, eamque regno suo, puta Ægypto adjiceret. Vide hic quam ambitio regnandi sit inhumana et crudelis, utpote quæ nec genero parcat.

2. Verbis pacificis, — quasi generum suum Alexandrum invisurus, eumque in regno confirmaturus, ac contra Demetrium aliosque hostes tanto suo exercitu defensurus.

3. Ponebat custodias milium, — id est, præsidium militare per quod civitates singulas sibi subjugabat, easque Alexandro genero suo adimebat.

10. Quæsivit enim me occidere, — præmisit hoc Philometor suæ perfidiæ causans, fingensque quod Alexander gener sibi socero necem per sicarios, vel venena machinaretur. Vera autem causa odii et belli erat, quod regnum Syriæ Alexandro eripere, illudque suo Ægypti adjicere vellet : unde et utriusque regni sibi diadema imposuit, vers. 13. Quare licet ipse, vers. 9, promitteret regnum Demetrio æmulo Alexandri, tamen illud revera ei conferre non intendebat, sed eo tantum uti, quasi administro et præfecto, vel vicerege. Josephus tamen asserit Alexandrum revera insidias struxisse Philometori. « Postquam, inquit, Ptolemaidam pervenit, minimum abfuit quin præter omnem exspectationem oppressus sit Ptolemæus, Alexandri insidiis, per Ammonium ejus amicum, appetitus. Quibus detectis scripsit Alexandro, deposcens Ammonium ad supplicium, quod meritum ajebat propter structas sibi insidias. Qui cum non dederetur, intellexit ipsum Alexandrum earum fuisse auctorem ; et cœpit eum magno odio prosequi. Antiochenos autem jam ante infensos habebat Alexander, propter eumdem Ammonium, a quo plurimis affecti fuerant incommodis. Non tamen effugit pœnam Ammonius, turpiter ut mulier cæsus, dum amicu feminineo quærit latebras ut in alio commentario diximus. »

Fides horum sit penes Josephum, qui sæpe a S. Scriptura dissentit, uti et hic facit, dum Philometorem ab ambitione regni Syriæ, quam ei Scriptura tribuit, purgare conatur, eo quod Philometor Judæorum foret amicus et fautor.

11. Et vituperavit eum — Magno probro et vituperio Philometor affecit Alexandrum generum suum, filiam suam ei uxorem eripiens, tradensque hosti Demetrio, ac simul regno eum spolians.

17. Et abstulit Zabdiel Arabs (rex vel dynasta Arabiæ) caput Alexandri, et misit Ptolemæo — Philometori, ut ejus gratiam iniret, ne ipse Arabiam sibi eriperet, uti Syriam eripuerat Alexandro. Jam enim videbat eum novo regno auctum et magnis copiis instructum sibi imminere, nec se posse ei resistere.

18. Et rex Ptolemæus mortuus est in die tertia. — Vide hic celerem in perfidum Philometorem vindictam Numinis. Regnum ille generi ambivit, invasit, occupavit ; sed ad tres duntaxat dies a nece Alexandri illud possedit, illico tam vita quam regno, bonisque omnibus a justo judice et vindice Deo spoliatus. Justum enim fuit ut Philometor, invadens regnum alienum Syriæ, amitteret suum Ægypti, et qui de Alexandri hostis sui cæsi capite lætabatur, de suo ipsius quoque interitu hetos redderet hostes suos. Addit Josephus Philometorem ex vulneribus quæ in nupero conflictu cum Alexandro acceperat obiisse anno regni sui circiter 35, qui fuit annus regni Græcorum 167. Audi eum lib. XIII, cap. XX : « Forte accidit ut equus Ptolemæi consternatus barrita elephanti eum exceteret, prostratumque aggressi hostes vulneribus in caput inflictis in periculum extremum adducerent, ni ereptus esset interventu satellitum. Attamen per integrum quatriduum sopitis sensibus nec loqui potuit, nec loquentes intelligere. Alexandri vero caput Zabelus Arabum dynasta recisum misit ad Ptolemæum, qui die quinta demum respirans a vulneribus, et ad se reversus jucundissimo sibi rumore, simul et spectaculo capitis ac mortis Alexandri pavit animum et oculos. Nec ita multo post satiatus gaudio percepto ex inimici interitu, et vitam ipse finivit. »

Et Livius : « Ptolemæus, ait, in caput graviter vulneratus inter curationem, dum medici ossa terebrare contendunt, expiravit. »

Porro mortuo Philometore, milites ejus, qui ab eo collocati erant in munitionibus, (id est, arcibus et urbibus Syriæ,) perierunt (et occisi sunt) a suis qui erant intra castra, — id est a militibus quos in castris suis habebat Demetrius, qui proinde occiso Alexandro consobrino et æmulo suo, mortuo quoque Philometore invasore, regnum Syriæ pacifice adiit, totumque quiete possedit anno regni Græcorum 167.

Philometoris elymos.

Denique Genebrardus, lib. II *Chronol.* : Philometor, id est amator matris, inquit, dictus est per antiphrasin, eo quod ipse occiderit matrem, sicut avus ejus dictus est Philopator, id est amator patris per antiphrasin, eo quod occiderit patrem Ptolemæum Evergetem. Hoc de Philopatore scribunt Appianius, Justinus et alii passim, sed de Philometore nullus veterum tale quid narrat ; imo Pausanias in *Atticis* asserit matrem Philometoris occisam esse ab ejus fratre Alexandro, quem ipse exclusо Philometore in regnum evexerat.

Vers. 19. 20. Ex diebus illis congregavit Jonathas eos qui erant in Judæa, ut expugnarent arcem quæ est in Jerusalem ; — huc enim adhuc tenebatur a militibus Syris in ea jam pridem a Antiocho collocatis. Licet enim Demetrius promisisset Jonathæ arcem Sionis tradere, si fœdus secum contra Alexandrum iniret, ut audivimus cap. X, 6 et 32 ; tamen suum hoc promissum non præstitit, eo quod Jonathas Demetrio præluserit Alexandrum,

cum eoque fœdus inierit. Jonathas ergo, videns Demetrium bello contra Alexandrum implicitum, occasione hac usus arcem Sionis obsedit.

Vers. 22. 23. Et debit se periculo ; — periculum enim erat ne rex Demetrius male exciperet Jonatham, eo quod suo mandato de solvenda obsidione arcis Sion non paruisset ; sed Jonathas Deo confisus hoc periculum per magna dona quæ regi detulit, discussit : iis enim ejus gratiam inlit, adeo ut ab eo factus sit aulicorum et principum Princeps, ut patet vers. 26 et 27.

Vers. 25. 28. Et postulavit Jonathas a rege, ut remittem faceret Judæam (a militi Syro et exercitu, a tributo et a quovis alio onere) et tres toparchias, (id est præfecturas, sive ut Josephus vocat satrapias, quæ nominantur vers. 34 rursum immunes faceret, eo quod Judæa additis subjectaque foret, promittens regi, si annueret,) talenta trecenta.

Vers. 29. 29. Et consensit rex, — tanto pretio illectus.

Vers. 31. 31. Exemplum epistolæ quam scripserus Lasthenis parenti nostro. — Lasthenes hic fuit hospes ille Gnidius, sive Cretensis, cui Demetrius senior conflicturus cum Alexandro Veles Demetrium hunc juniorem filium suum commendavit, ut ex Justino dixi cap. x. Quare Demetrio seniore in prælio occiso, Lasthenes hic Demetrium ejus filium e Creta cum exercitu in Syriam reduxit, eique patris regnum restituit, teste Josepho, lib. XIII, cap. VIII, et aliis. Quocirca Demetrius Lasthenem parentis loco coluit, eumque suum vicarium effecit, ac Syriæ aliisque provinciis præfecit. Ad eum ergo hic scribit Demetrius rex, ut Judæam a tributis et oneribus faciat immunem, quod petebat Jonathas, ac exemplum litterarum suarum ad Lasthenem datarum mittit ad Jonatham, ut a Lasthene beneficium regis executioni mandari postulet. Apte vocatus fuit « Lasthenes, » Græce *Lasthanes*, id est *lapidis robur*, ait Pagninus, vel potius Laosthenes, per crasin Lasthenes : Laosthenes enim Græce idem est quod Demosthenes, id est populi robur et fortitudo. Talem enim decet esse Principem, qualis fuit hic Lasthenes, qui Demetrio regnum Syriæ, Syrisque suum regem fortitudine sua restituit.

Vers. 32. 32. Rex Demetrius Lastheni. — Hoc est exemplum litterarum Demetrii ad Lasthenem.

Vers. 34. 34. Et tres civitates. — Græce νόμους, quæ vox non tam ædificia, quam cœtus civium iisdem juribus utentes significat. Ita Serarius, Salianus et alii. Concedit Demetrius Jonathæ immunitatem non tantum Judææ, sed et trium civitatum, sive toparchiarum Samariæ, quas Demetrius pater ejus Judææ addixerat, cap. x, 30 ; ideoque eadem a Demetrio filio poposcerat Jonathas, vers. 28 ; ac Demetrius filius decretum patris secutus easdem Judæis concessit et attribuit. Sed quænam sunt hæ tres civitates ? nam in Latino textu tantum nominantur duæ, scilicet Lyda, sive Diospolis, et Ramatha, quæ fuit Samuelis patria. Respondet Sanchez esse ipsam urbem Samariam, quæ erat caput totius provinciæ Samariæ ; nam in provincia Samariæ sitas fuisse hasce tres urbes liquet ex textu hoc versu, et cap. x, vers. 38.

Verum Septuaginta, Josephus, Pagninus, Vatablus et alii ex Græco tertiam civitatem assignant Aphæremam, quam Adrichomius in tribu Ephraim collocat juxta Lydam. Sic enim habent Septuaginta : *Statuimus ergo illis fines Judææ et tres civitates, Aphæremа et Lydam et Ramatham, quæ additæ sunt Judææ ex Samaritide, et omnia pertinentia ad ipsas omnibus sacrificantibus in Hierosolymis pro Regalibus, quæ ab eis prius accipiebat Rex per singulos annos de fructibus terræ et de fructibus arborum.*

Noster vero interpres Græcum ἀνάφημα accepit ut nomen non proprium, sed appellativum, significans sequestrationem, sive separationem. Unde vertit « sequestrari. » Sensus ergo Vulgatæ editionis est, *q. d.* trium civitatum jam dictarum, puta Lydæ, Ramathæ et Samariæ, atque confinium, id est locorum illorum, quæ sub earum jurisdictione sunt, annui proventus et redditus sequestrentur, id est segregentur a tributis regiis, et apud aliquem quæstorem Judæam deponantur, ut ad templi et sacerdotum sumptus applicentur, ut hac ratione compensentur damna quæ singulis annis rex regiique quæstores iis inferebant, dum ad suos, Id est profanos usus transferebant, tam illarum civitatum tributa, quam arborum fructus, quæ prius templi sumptibus destinata erant, illsque serviebant.

Porro mirum est Josephum tribus hisce civitatibus, sive toparchiis tres alias addere, scilicet Gaddeam, Joppen et Samariam.

36. Et areas salinarum. — Græce λιμνῶνος, id est « stagna » salinarum, quæ vox, ait Sanchez, docet quomodo aqua saliginosa sive ex mari derivata, sive ex puteis jugibus exhausta duretur et concrescat. Neque enim in suo duratur naturali loco, sed in arcis lacubusque collecta. Ibi enim evaporat, et calore solis in sal concrescit. Sane Romæ a sale via Salaria nomen accepit, quod adhuc perdurat, quoniam illa sal in Sabinos portari consueverat, ait Plinius, lib. XXXI, cap. VII ; ac stipendium militare, mercesque quæhibet dicta est salarium a sale, quod militibus et operariis pro mercede distribuebatur, teste Plinio ibidem.

38. Et videns Demetrius rex quod siluit terra in conspectu suo. — Occiso enim Alexandro et Philometore mortuo, nullus erat qui Syriam invadere auderet ; sed illa tota se subdidit Demetrio, quasi legitimo hæredi regique suo. Unde tunc ipse se dedit otio et voluptatibus. Quod videns Tryphon, Antiochum Alexandri filium suscitavit, qui Demetrium inertem et voluptuarium invasit et regno expulit, uti Annibalem enervarunt et perdiderunt Capuanæ deliciæ, ac Romanos Græcanicæ. Unde illud dictum vetus : Græcia victa suum victorem vicit. Audi Justinum, lib. XXVI : « Recuperato regno, Demetrius et ipse successu rerum corruptus vitiis adolescentiæ in segnitiem labitur ; tantumque contemptum apud omnes inertiæ, quantum odium ex superbia pater habuerat, contraxit. »

Dimisit totum exercitum suum (patrium, quem scilicet pater ejus Demetrius ex Syris et Asiaticis sibi subditis collegerat), excepto peregrino exercitu quem contraxit — ab insulis gentium, puta ex Creta, Cypro, aliisque vicinis insulis. Fecit hoc, eo quod hi eum in regnum induxissent. Lasthenes enim ex Creta eum in regnum cum copiis Cretensibus revexerat. Verum hac ratione offendit milites patrios, suos scilicet Syros et Asiaticos, eo quod ægre ferrent se a rege suo militia et stipendiis militaribus spoliari : offendit quoque subditos suos, qui nolebant externum militem, egregue ferebant quod ipse externis plus fideret quam suis subditis ; quodque magnis sumptibus peregrinos aleret, cum parvo pretio domesticos et subjectos conducere posset. Quocirca inimici erant et omnes exercitus patrum eius, qui proinde ad Antiochum ejus æmulum transierunt, ac pro eo pugnantes Demetrium regno expulerunt. Exosum enim habebant peregrinum militem, ideoque non raro insolentem.

Discant hic Principes subditos suos honorare, eisque fidere potius quam externis. Sic enim subditorum animos, amorem, fidem et obedientiam sibi conciliabunt. Ita fecit Alexander Magnus, qui ut Persas a se victos subactosque sibi conciliaret, Persicum habitum assumpsit ; Persas in militum conscripsit, suisque ducibus Persides dedit uxores, ac Darii matrem, uxorem et filias miris honoribus et beneficiis affecit, teste Curtio.

39. Tryphon autem erat quidam partium Alexandri prius. — Tryphon hic ab Appiano et aliis vocatur Diodorus, diciturque natione, vel educatione fuisse Apamæus, vir potens, astutus et ambitiosus. Hic videns exercitum Syriacum et Asiaticum dimissum a Demetrio, eumdem sibi adscivit, ut per eum Antiocho filio Alexandri Velis, qui fuerat æmulus, hostisque Demetrii occisus a Philometore, in speciem restitueret, sed revera ut ipse illud occuparet ; itaque factum est. Porro Antiochum hunc Alexandri filium Appianus et alii pariter vocant Alexandrum. Denique Tryphon hic Antiochi « pupilli » (sic enim legendum est apud Justinum, lib. XXXVI, pro *privigni*), tutor paulo post ejusdem factus est tortor, ut ejus regnum occuparet, sed modico tempore eo gavisus est : nam et ipse tertio post anno occisus est ab Antiocho Sidete fratre et successore Demetrii. Ita Josephus.

41. Et misit Jonathas ad Demetrium regem, ut ejiceret eos (milites Demetrianos) qui in arce erant in Jerusalem, — qui occupabant arcem Sion. Hinc patet Jonatham necdum occupasse arcem Sion, imo obsidionem ejus solvisse. Concessit tamen vel potius promisit Demetrius se traditurum arcem Jonathæ, si ipse sibi milites suos ad suum tutelam mitteret. Subditi enim ejus Antiocheni in ipsum insurrexerunt ad 220 millia, ex quibus milites ter mille Judæi a Jonatha submissi occiderunt centum millia, ac Demetrium liberarunt, ut sequitur. Magna fuit hæc fortitudo, fama et gloria Judæorum.

46. Aulam, — puta palatium, sive arcem in quam Demetrius confugerat.

53. Et mentitus est omnia quæcumque dixit, — *q. d.* Demetrius videns, vel potius putans se suaque esse in tuto, fidem datam Jonathæ fefellit, cœpitque eum vexare et persequi. Magna fuit hæc Demetrii ingratitudo et perfidia, ob quam paulo post a Tryphone pædagogo Antiochi prælio superatus et regno pulsus fuit, utpote desertus a Jonatha et Judæis, imo ab eis profligatus et cæsus, ut dicitur vers. 56. Antiochus enim fœdus iniit cum Jonatha contra Demetrium, eumque magnis honoribus auxit. Quare milites Syri, qui a Demetrio dimissi erant, ad Jonatham se contulerunt, quibus Jonathas instructus Ascalonem, Gazam aliasque urbes expugnavit.

56. Et accepit Tryphon bestias, — puta elephantes quos Demetrius in aciem eduxerat cum cæteris ejus machinis bellicis, adeoque castris cum exuit, et obtinuit Antiochiam, urbem regiam regnique metropolim. Id fecit ope Jonathæ quem proinde magnis honoribus auxit, ac ope exercitus Syriaci, qui a Demetrio dimissus ad Antiochum ejus æmulum transierat. Porro Jonathas pergens pro Antiocho pugnare, adjutus exercitu ejus Syriaco expugnavit Ascalonem, Gazam aliasque urbes.

58. Dedit ei potestatem bibendi in auro, — puta ex aureo poculo, scypho, phiala, vel calice. Reges enim Persarum et Asiæ aurum voluerunt sibi esse proprium. Unde Xenophon, lib. I *De exped. Cyri*, magnum dicit a rege Persarum beneficium concedi, si per illum alicui liceat aureum collo gestare torquem, aureas armillas, aureum acinacem : idem iterum docet lib. I *Cyrop.* Procopius, lib. I *De bello Persico*, negat cuiquam licere aureo uti annulo, aut fibula, aut zona, nisi regis concessu. Hinc et *Esther* cap. VI, concessum est Mardochæo ab Assuero rege, ut torquem gestaret aureum. Idem promisit Balthassar, *Dan.* cap. V, illi qui litteras in pariete descriptas explicaret, et lib. III *Esdræ* cap. III, illi cujus sermo fuerit sapientior, concedendum dicitur a Dario rege ut induatur purpura, et ut in auro bibat, et super aurum dormiat, et currum aureo freno et torquem aureum gestet.

60. Perambulabat trans flumen (Judææ, puta trans Jordanem) civitates.

62. Et perambulavit regionem (Jonathas, quasi victor et triumphator, omnia sibi et Antiocho subjugans, ac Demetrio adimens) usque ad Damascum. — Hoc enim significat : τὸ « perambulavit, » ut dixi *Zachar.* vers. 11.

63. Et audivit Jonathas quod prævaricati sunt principes Demetrii in Cades quæ est in Galilæa, (quod scilicet Demetriani sollicitarent incolas Cades et Galilæos ad rebellandum Jonathæ et subjiciendum se Demetrio. Fecerunt hoc eo consilio, ut Jonathan e Syria et Damasco, ubi omnia subjugabat sibi et Antiocho, revocarent in Galilæam, ne aliena foris consectans sua domi perderet), volentes eum amovere a negotio regni, — ita scilicet negotia regni Syriæ pro Antiocho curaret et promoveret, sed sua in Galilæa custodiret. Unde Josephus : « Cum vellent, inquit, abstrahere Jonathan a Syria, iaturam opem Galilæis suæ ditionis hominibus. »

Nota, « prævaricari » in Scriptura est rebellare et rebellionem concitare : hoc enim est Hebr. סרר *marad*. Sic IV *Reg.* I, 1, dicitur rex et populus Moab prævaricatus in regem Israel, id est rebellasse illi, cui antea subditus fuerat, eique solitum negasse tributum. Porro Salianus opinatur pro « prævaricati sunt » legendum « præparati sunt : » hoc enim significat Græcum ἡτοίμασαν, id est adstiterunt; sed videtur Noster legisse παρεσκεύασαν, vel παρέσχοντο, id est *præparati sunt*.

64. Et occurrit illis (Jonathas, cum eisque conflixit, ut dicitur, vers. 62); fratrem autem suum reliquit intra provinciam, — scilicet intra Judæam, ut eam tutaretur; Simon autem expugnavit Bethsuram, quæ insignis erat munitio juxta Jerusalem, vers. 66.

67. Et Jonathas et castra ejus applicuerunt ad aquam Genezar, — scilicet ad stagnum Genezareth, quod et mare Galilææ, vel mare Tiberiadis dicitur.

68. Et ecce castra alienigenarum (hostium Demetrianorum suscitatorum incolas Cades ad rebellandum Jonathæ, vers. 63), occurrebant in campo, — Græce in campum.

70. Et fugerunt, qui erant ex parte Jonathæ, — utpote circumventi ab hostibus ex insidiis, quas non præviderant, prodeuntibus; hisce enim territi fugerunt, veriti ne intercepti in medio contruciderentur, ait Josephus.

Et nemo ex eis relictus est nisi Mathathias filius Absalomi, et Judas filius Calphi, princeps (Græce « principes : » ambo enim erant duces) militiæ [illegible]s, — intellige cum aliquot sibi familiaribus generosioribus proximisque asseclis : unde Josephus ait cum eis mansisse 50 milites, qui a desperatione, inquit, sumpta audacia tanto impetu adversam hostium frontem impulerunt, ut territi, quasi furentibus cederent. Quomodo enim duo soli totam hostium vim sustinuissent? Ita Serarius.

71. Et scidit Jonathas vestimenta sua, et posuit terram in capite suo, — pulverem inspersit capiti suo in signum doloris et pœnitentiæ; itaque toto corde compunctus supplex oravit Deum, ut in re tam arcta, et quasi desperata solitam opem ferret. Quare cum paucis quasi leo irruens in hostes eos cecidit et fudit. Quod videntes ejus socii e fuga ad eum reversi, hostes persecuti ex eis ceciderunt tria millia. Laudat S. Ambrosius, lib. I *Officiorum*, cap. XLI, Jonathæ animum et fortitudinem, quod solus aciem inclinatam restituerit et victoriam deperditam recuperaverit. « Jonathas, ait, parva manu adversus exercitus regios pugnans, desertas a suis et cum duobus tantum relictus reparavit bellum, avertit hostem, fugitantes suos ad societatem revocavit triumphi. »

Moraliter disce hic quantum in bellis rebusque arduis valeat ducis constantia et magnanimitas, adeo ut milites suos jam victos faciat victores. Unde illud : Fortior est exercitus cervorum duce leone, quam leonum duce cervo. Nam ut ait Vegetius, lib. III *De re milit.* cap. XXV : « Si pars exercitus fugerit, minime desperandum, cum in ejusmodi necessitate, ducis constantia totum sibi possit vindicare victoriam. Innumerabilibus hoc accidit bellis, et pro superioribus sunt habiti, qui minime desperarunt. Nam in simili conditione fortior creditur, quem adversa non frangunt. Prior ergo de cæsis hostibus spolia capiat, et quod ipsi dicunt, colligat campum, prior clamore ac bucinis exultare videatur. Hæc fiducia perterrebit inimicos, et suis fiduciam geminabit, quasi victor ex omni parte discesserit. »

Exempla dat Julius Frontinus, lib. II *de Stratagematibus*, cap. VIII : « Furius Agrippa, inquit, consul, cedente cornu, signum militare ereptum signifero, in hostes Hernicos et in Æquos misit : quo facto ejus prælium restitutum est. Summa enim alacritate Romani ad recipiendum signum incubuerant. T. Quintius Capitolinus Consul signum in hostes Phalliscos ejecit, militesque id repetere jussit. M. Furius Camillus Fr. Mil. consulari potestate, cunctante exercitu, arreptum manu signiferum in hostes Volscos et Latinos traxit, ceteros puduit non sequi. Salvius Pelignus bello Persico idem fecit. Q. Furius, averso exercitu, cum occurrisset, affirmavit non recepturum se in castra quemquam, nisi victorem, reductisque in aciem victoria potitus est. Scipio apud Numantium, cum aversum suum videret exercitum, pronuntiavit sibi pro hoste futurum, quisquis in castra redisset. » Ac mox his majora subjungens addit : « M. Attilius consul bello Samnitico ex acie refugientibus in castra militibus aciem suorum opposuit, affirmans secum et cum bonis civibus dimicaturos eos, nisi cum hostibus maluissent; ea ratione universos in aciem reduxit. L. Sylla cedentibus jam legionibus exercitui Mithridatico, ducto Archelai, stricto gladio in primam aciem procurrit, appellansque milites, dixit : Si quis quæsisset ubi Imperatorem reliquissent, responderent pugnantem in Bœotia, cujus rei pudore universi cum secuti sunt. Julius Cæsar ad Munam suis referentibus pedem, equum suum abduci a conspectu suo jussit, et in primam aciem pedes prosilit : milites, dum destituere Imperatorem erubescunt, redintegrarunt prælium. »

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jonathas fœdus cum Romanis et Lacedæmoniis renovat. Mox, vers. 24, exercitum Demetrii profligat, Arabesque fugat. Inde, vers. 33, Simon Jeppen aliasque urbes præsidiis communit. Denique, vers. 39, Tryphon perfide Jonatham quasi amicum invitans capit, carceriqne mancipat.

1. Et vidit Jonathas quia tempus eum juvat, et elegit viros, et misit eos Romam, statuere et renovare cum eis amicitiam : 2. et ad Spartiatas, et ad alia loca misit epistolas secundum eamdem formam. 3. Et abierunt Romam, et intraverunt curiam, et dixerunt : Jonathas summus sacerdos et gens Judæorum miserunt nos, ut renovaremus amicitiam et societatem secundum pristinum. 4. Et dederunt illis epistolas ad ipsos per loca, ut deducerent eos in terram Juda cum pace. 5. Et hoc est exemplum epistolarum quas scripsit Jonathas Spartiatis : 6. Jonathas summus sacerdos, et seniores gentis, et sacerdotes, et reliquus populus Judæorum, Spartiatis fratribus salutem. 7. Jampridem missæ erant epistolæ ad Oniam summum sacerdotem ab Ario, qui regnabat apud vos, quoniam estis fratres nostri, sicut rescriptum continet, quod subjectum est. 8. Et suscepit Onias virum, qui missus fuerat cum honore : et accepit epistolas, in quibus significabatur de societate et amicitia. 9. Nos, cum nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris, 10. maluimus mittere ad vos renovare fraternitatem et amicitiam, ne forte alieni efficiamur a vobis : multa enim tempora transierunt, ex quo misistis ad nos. 11. Nos ergo in omni tempore sine intermissione in diebus solemnibus, et cæteris quibus oportet, memores sumus vestri in sacrificiis quæ offerimus, et in observationibus, sicut fas est et decet meminisse fratrum. 12. Lætamur itaque de gloria vestra. 13. Nos autem circumdederunt multæ tribulationes et multa prælia, et impugnaverunt nos reges, qui sunt in circuitu nostro. 14. Noluimus ergo vobis molesti esse, neque cæteris sociis et amicis nostris, in his prœliis. 15. Habuimus enim de cœlo auxilium, et liberati sumus nos, et humiliati sunt inimici nostri. 16. Elegimus itaque Numenium Antiochi filium, et Antipatrem Jasonis filium, et misimus ad Romanos renovare cum eis amicitiam et societatem pristinam. 17. Mandavimus itaque eis ut veniant etiam ad vos, et salutent vos, et reddant vobis epistolas nostras de innovatione fraternitatis nostræ. 18. Et nunc benefacietis respondentes nobis ad hæc. 19. Et hoc est rescriptum epistolarum, quod miserat Onias : 20. Arius, rex Spartiatarum, Oniæ sacerdoti magno salutem. 21. Inventum est in scriptura de Spartiatis et Judæis, quoniam sunt fratres, et quod sunt de genere Abraham. 22. Et nunc ex quo hæc cognovimus, benefacitis scribentes nobis de pace vestra. 23. Sed et nos rescripsimus vobis : Pecora nostra et possessiones nostræ vestræ sunt, et vestra nostræ; mandavimus itaque hæc nuntiari vobis. 24. Et audivit Jonathas, quoniam regressi sunt principes Demetrii cum exercitu multo supra quam prius, pugnare adversus eum. 25. Et exiit ab Jerusalem, et occurrit eis in Amathite regione : non enim dederat eis spatium ut ingrederentur regionem ejus. 26. Et misit speculatores in castra eorum, et reversi renuntiaverunt quod constituunt supervenire illis nocte. 27. Cum occidisset autem sol, præcepit Jonathas suis vigilare, et esse in armis paratos ad pugnam tota nocte, et posuit custodes per circuitum castrorum. 28. Et audierunt adversarii quod paratus est Jonathas cum suis in bello : et timuerunt, et formidaverunt in corde suo : et accenderunt focos in castris suis. 29. Jonathas autem, et qui cum eo erant, non cognoverunt usque mane : videbant autem lucernarum ardentia; 30. et secutus est eos Jonathas, et non comprehendit eos : transierant enim flu-

men Eleutherum. 31. Et divertit Jonathas ad Arabas, qui vocantur Zabadæi, et percussit eos, et accepit spolia eorum. 32. Et junxit, et venit Damascum, et perambulabat omnem regionem illam. 33. Simon autem exiit, et venit usque ad Ascalonem, et ad proxima præsidia : et declinavit in Joppen, et occupavit eam (34. audivit enim quod vellent præsidium tradere partibus Demetrii); et posuit ibi custodes ut custodirent eam. 35. Et reversus est Jonathas, et convocavit seniores populi, et cogitavit cum eis ædificare præsidia in Judæa, 36. et ædificare muros in Jerusalem, et exaltare altitudinem magnam inter medium arcis et civitatis, ut separaret eam a civitate, ut esset ipsa singulariter, et neque emant, neque vendant. 37. Et convenerunt, ut ædificarent civitatem; et cecidit murus qui erat super torrentem ab ortu solis, et reparavit eum qui vocatur Caphetetha : 38. et Simon ædificavit Adiada in Sephela, et munivit eam, et imposuit portas et seras. 39. Et cum cogitasset Tryphon regnare Asiæ, et assumere diadema, et extendere manum in Antiochum regem : 40. timens ne forte non permitteret eum Jonathas, sed pugnaret adversus eum, quærebat comprehendere eum et occidere. Et exsurgens abiit in Bethsan. 41. Et exivit Jonathas obviam illi cum quadraginta millibus virorum electorum in prælium, et venit Bethsan. 42. Et vidit Tryphon quia venit Jonathas cum exercitu multo ut extenderet in eum manus, et timuit; 43. et excepit eum cum honore, et commendavit eum omnibus amicis suis, et dedit ei munera ; et præcepit exercitibus suis ut obedirent ei, sicut sibi. 44. Et dixit Jonathæ : Utquid vexasti universum populum, cum bellum nobis non sit? 45. Et nunc remitte eos in domos suas ; elige autem tibi viros paucos qui tecum sint, et veni mecum Ptolemaidam, et tradam eam tibi, et reliqua præsidia, et exercitum, et universos præpositos negotii, et conversus abibo : propterea enim veni. 46. Et credidit ei, et fecit sicut dixit ; et dimisit exercitum, et abierunt in terram Juda. 47. Retinuit autem secum tria millia virorum, ex quibus remisit in Galilæam duo millia ; mille autem venerunt cum eo. 48. Ut autem intravit Ptolemaidam Jonathas, clauserunt portas civitatis Ptolemenses, et comprehenderunt eum ; et omnes qui cum eo intraverant gladio interfecerunt. 49. Et misit Tryphon exercitum et equites in Galilæam et in campum magnum, ut perderent omnes socios Jonathæ. 50. At illi cum cognovissent quia comprehensus est Jonathas, et periit, et omnes qui cum eo erant, hortati sunt semetipsos, et exierunt parati in prælium. Et videntes hi, qui insecuti fuerant, quia pro anima res est illis, reversi sunt ; 52. illi autem venerunt omnes cum pace in terram Juda. Et planxerunt Jonathan, et eos qui cum ipso fuerant, valde : et luxit Israel luctu magno. 53. Et quæsierunt omnes gentes, quæ erant in circuitu eorum, conterere eos; dixerunt enim : 54. Non habent principem et adjuvantem; nunc ergo expugnemus illos, et tollamus de hominibus memoriam eorum.

1. Et videt Jonathas quia tempus eum juvat, — quo, post heroïca facta totque victorias, ingens nominis ejus fama percrebuerat apud Romanos et Spartiatas, ut ambirent cum eo inire amicitiam et fœdus.

2. Et ad Spartiatas, — incolas Spartæ, qui et Lacones sive Lacedæmonii sunt dicti, et fuere posteri Heraclidarum (sociorum Herculis) Agidæ nominati, quos Lycurgus suis legibus ad miram politiam, temperantiam et fortitudinem evexit, ideoque Lacones pro libertate Sparte omni ævo acerrime certarunt, et etiamnum cum Turca certant. Licet enim ei tributum pendant, tamen urbem arcemque suam ab omni Turcarum præsidio liberam servant, et constantissime tuentur.

7. Jampridem missæ erant epistolæ ad Oniam summum Sacerdotem (Pontificem) ab Ario, qui regnabat apud vos. — Arius hic fuit inter Agidarum reges quartus a fine, qui multa contra Pyrrhum Epiri, et Antigonum Macedoniæ reges prœlia commisit, atque ad Oniam Pontificem sociales et fœderales dedit litteras quæ recitantur vers. 20.

9. Nos cum nullo horum indigeremus habentes solatio sanctos libros. — Posterior pars dat causam prioris, q. d. Ideo non indiguimus vestro, nec eam imploravimus; quia hanc præstiterunt nobis libri Mosis et Prophetarum qui nobis certo promittunt in rebus arctis et desperatis Dei auxilium, si ei fideliter serviamus eumque invocemus. Deum ergo invocantes, et adjutorem habentes, homines auxiliatores non quæsivimus.

11. In observationibus — sacrorum rituum, festorum et orationum. Unde Græca clarius habent: *in obsecrationibus.*

21. Inventum est in Scriptura (non sacra, licet id quoque velit Josephus, lib. XIII, cap. IX, sed profana, puta in historiis et Chronicis Spartiatarum) de Spartiatis et Judæis, quoniam (quod) sunt fratres, et quod sunt de genere Abrahæ. — Spartiatæ enim jactabant se progenitos ex Abraham per Cetoram, quæ fuit tertia Abrahæ uxor, *Genes.* XXV, 1. Ita Josephus, licet alii putent Spartiatas ab Abraham per Agar et Ismaelem descendere. Plures hujus cognationis Spartiatarum cum Judæis conjecturas affert Serarius hic, pag. 753 in medio, quarum prima est magna similitudo utrorumque, tum in legibus, uti notavit Clemens Alexandrinus, I *Strom.*, tum in institutis præsertimque in ablutionibus quotidianis et unctionibus, de quibus Strabo, lib. III, tum in constantia, robore et fortitudine bellica. Denique cum Nabuchodonosor obsedit Tyrum, multi inclarum profugerunt in Cyprum, Macedoniam Græciamque, ait S. Hieronymus in cap. XXIII *Isaiæ*. Idem fecisse Judæos obsessa ab eodem vicina Jerosolyma plane credibile est. Unde idem S. Hieronymus in epist. *ad Ephesios* Ephesum dictam asserit ab Hebræis יפי « chephets, » id est voluntas, benevolentia. Atque hac de causa Spartæ multi degebant Judæi qui cum Spartiatis conjugia inibant.

23. Possessiones nostræ vestræ sunt, et vestræ nostræ : — formula est loquendi significandique se esse amicos, q. d. Spartiatæ sunt amici Judæorum, ideoque possessiones suas eis offerunt, et possessiones ipsorum suas æstimant; amicorum enim omnia sunt communia. Addit Josephus litteras has Spartiatarum obsignatas fuisse proprio urbis eorum sigillo, quod erat signum aquilæ quæ unguibus tenebat draconem.

24. Regressi sunt principes Demetrii cum exercitu multo supra quam prius, — id est, multo majore quam prius fuerat, ut dedecus fugæ præcedentis abolerent, Jonathamque validius oppugnarent.

24. Et occurrit eis in Amathite regione. — Regio hæc est pars Syriæ et confinis, imo terminus Judææ, ut patet III *Reg.* VIII, 65; et lib. IV, cap. XIV, vers. 15, sita est juxta Libanum et Damascum. Tota ergo hæc regio dicitur Amath, vel Emath, aut Hamath, vel Hemath, indeque Amathites, vel Hemathites. Prudenter hoc fecit Jonathas, ut extra Judæam suam in Syria cum hostibus confligeret. Militare enim præceptum est cum hoste confligendum esse in terra non propria, sed hostili, ut illam, non tuam vastes. Sic Scipio sub idem hoc tempus noluit confligere cum Annibale in Italia; sed trajecit in Africam, eoque avocavit Annibalem, ac tandem Carthaginem ipsam expugnavit.

28. Et accenderunt focos in castris suis, — ut simularent Demetriani se in castris degere et vigilare, non vero fugere, ne si Jonathas adverteret vos fugere, fugientes insequeretur. Idem fecit Annibal focorum excitatione fallens Romanos sua castra cingentes, et ex eorum manibus elabens.

36. Cogitavit Jonathas exaltare altitudinem inter medium arcis et civitatis, ut separaret eam a civitate, ut esset ipsa singulariter, et neque emant, neque vendant. — Jonathas, videns arcem Sion a Demetrianis insessam ob munitionem ægre a se posse expugnari, erexit murum altum inter arcem et urbem Jerusalem, eoque seclusit arcem ab urbe ut ipsa esset singularis, id est solitaria, nec ullum haberet cum urbe commercium, adeoque potestatem sua vendendi et emendi in urbe eis ademit; qua ratione eos ad tantam famem adegit, ut cogerentur se dedere, ut patebit capite sequenti, vers. 49 et 50.

39. Et cum cogitasset Tryphon regnare (dominari) Asiæ, — nimirum facere se regem Asiæ, occiso Antiocho rege pupillo, cujus ipse erat tutor.

40. Et exsurgens abiit in Bethsan quæ postea Scythopolis est dicta, sitaque juxta Tyberiadem.

45. Veni mecum Ptolemaidam, et tradam eam tibi. — Hæc enim civitas confinis erat Judææ, ideoque a Demetrio promissa fuerat Jonathæ, cap. X, vers. 39. Vidè hic perfidiam, dolum et insidias Tryphonis.

46. Et credidit ei. — Nimis facile Jonathas vir simplicis candidique animi credidit versipelli et perfido Tryphoni; quare temere dimisit exercitum, ideoque captus ab eo et occisus est.

51. Videntes hi qui insecuti fuerant (milites Tryphonis), quia pro anima res est illis (id est quod Judæi pro vita sua pugnaturi sint usque ad mortem), reversi sunt; — tum cum desperatis, aut animo resolutis, qui scilicet aut vincere, aut mori decreverunt, periculosissime pugnatur, nec nisi cum certo magnæ cladis accipiendæ discrimine, uti docent Vegetius et Julius Frontinus, lib. II *De Stratagematibus*, cap. VI, cujus titulus est : *De mittendo hoste, ne clausus prælium ex desperatione redintegret*, ubi idipsum multis exemplis confirmat. « L. Marius, inquit, cui, duobus Scipionibus occisis, exercitus imperium detulit, cum circumventi ab eo Pœni, ne inulti morerentur, acrius pugnarent, laxatis manipulis, et concesso fugæ spatio, dissipatos sine periculo suorum trucidavit. C. Cæsar Germanos inclusos, ex desperatione fortius pugnantes, emitti jussit, fugientesque aggressus est. Annibal, cum ad Trasimenum inclusi Germani acerrime pugnarent, deductis ordinibus fecit eis abunde potestatem, enimvero sine suorum sanguine stravit. Antigonus rex Macedonum Ætolis, qui in obsidionem ab eo compulsi fame urgebantur, statueranique eruptione facta commori, viam fugæ dedit, atque ita infracto impetu eorum, insecutos, aversos cecidit. Themistocles, victo Xerxe, volentes suos pontem rumpere prohibuit, cum docuisset potius esse eum expelli ex Europa, quam cogi ex desperatione pugnare. Idem misit ad eum, qui indicaret

in quo periculo esset, nisi fugam maturaret.» Vide dicta II *Reg.* II, 26, ad illa: « An ignoras quod periculosa sit desperatio. »

Nota hæc omnia fusius narrari a Josepho, Appiano et Justino, lib. XXXV et XXXVI, in quibus tamen nonnulla sunt quæ a narratione S. Scripturæ hoc loco dissentiunt, in quibus proinde plane fides vacillat. Atque ut videas quam Gentiles Judæis infensi eorum res vel ignorarint, vel depravarint, Justinus citato libro XXXVI, ita de Judæis scribit: « Fuit Judæis origo Damascena, quæ Syriæ nobilissima civitas est; unde et Syrii a regibus genus ex regina Semiramide fuit. Nomen urbi a Damasco rege inditum; in cujus honore Syrii sepulcrum Arathis uxoris ejus pro templo colunt, denique exinde sanctissimæ religionis habent. Post Damascum Abraham, Moses, Israel reges fuere. Sed Israelem felix decem filiorum proventus majoribus suis clariorem fecit, itaque populum in decem regna divisum filiis tradidit omnesque ex nomine Judæ, qui post divisionem decesserat, Judæos appellavit, colique ejus memoriam ab omnibus jussit; » ubi plures vides errores et figmenta quam sententias, sed falsiora his subjicit dicens Joseph filium Jacob fuisse magnum, additque: «Filius ejus (Joseph) fuit Moses, quem etiam præter paternæ scientiæ hæreditatem formæ pulchritudo commendabat. Sed cum scabiem Ægyptii et pruriginem paterentur, responso moniti eum cum ægris, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægypti pellunt. Dux igitur exulum factus, sacra Ægyptiorum furto abstulit, quæ repetentes armis Ægyptii, domum redire tempestatibus compulsi sunt. »

Et non multis interjectis: « Et quoniam metu contagionis pulsos se ab Ægypto meminerant, ne eadem causa invisi apud incolas forent, caverunt ne cum peregrinis communicarent; quod ex causa factum, paulatim in disciplinam religionemque convertit. Post Mosen etiam ejus filius Aruas, sacerdos sacris Ægyptiis, mox rex creatur, semperque exinde hic mos apud Judæos fuit, ut eosdem et reges et sacerdotes haberent; quorum justitia religione permixta, incredibile quantum coaluere. »

Quid hisce mendaciis agglomeratis et condensatis falsius dici potest?

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jonatha cepto succedit frater Simon, qui Tryphoni pro Jonatha lytrum centum talentorum, et duos ejus filios obsides poscenti misit et persolvit; sed vix acceptis perfidus Tryphon Jonatham cum filiis occidit. Idem mox, vers. 31, interficit Antiochum pupillum sibi commissum, regnumque ejus occupat. Quare contra eum Simon Judææ urbes communit, fœdusque cum Demetrio Tryphonis æmulo iunxit. Denique, vers. 43, Gazam et vers. 49, arcem Sion fame expugnat, ac Joannem filium suum exercitui præficit.

1. Et audivit Simon quod congregavit Tryphon exercitum copiosum, ut veniret in terram Juda, et attereret eam. 2. Videns quia in tremore populus est et in timore, ascendit Jerusalem, et congregavit populum; 3. et adhortans dixit: Vos scitis quanta ego, et fratres mei, et domus patris mei, fecimus pro legibus et pro sanctis prælia, et angustias quales vidimus; 4. horum gratia perierunt fratres mei omnes propter Israel, et relictus sum ego solus. 5. Et nunc non mihi contingat parcere animæ meæ in omni tempore tribulationis: non enim melior sum fratribus meis. 6. Vindicabo itaque gentem meam, et sancta, natos quoque nostros, et uxores: quia congregatæ sunt universæ gentes conterere nos inimicitiæ gratia. 7. Et accensus est spiritus populi, simul ut audivit sermones istos. 8. Et responderunt voce magna dicentes: Tu es dux noster loco Judæ et Jonathæ fratris tui; 9. pugna prælium nostrum, et omnia quæcumque dixeris nobis faciemus. 10. Et congregans omnes viros bellatores, accelleravit consummare universos muros Jerusalem, et munivit eam in gyro. 11. Et misit Jonathan filium Absalomi, et cum eo exercitum novum, in Joppen; et ejectis his qui erant in ea, remansit illic ipse. 12. Et movit Tryphon a Ptolemaida cum exercitu multo, ut veniret in terram Juda, et Jonathas cum eo in custodia. 13. Simon autem applicuit in Addus contra faciem campi. 14. Et ut cognovit Tryphon quia surrexit Simon loco fratris sui Jonathæ, et quia commissurus esset cum eo prælium, misit ad eum legatos, 15. dicens: Pro argento quod debebat frater tuus Jonathas in ratione regis, propter negotia quæ habuit, detinuimus eum.

16. Et nunc mitte argenti talenta centum, et duos filios ejus obsides, ut non dimissus fugiat a nobis, et remittemus eum. 17. Et cognovit Simon quia cum dolo loqueretur secum, jussit tamen dari argentum et pueros; ne inimicitiam magnam sumeret ad populum Israel, dicentem: 18. Quia non misit ei argentum et pueros, propterea periit. 19. Et misit pueros et centum talenta: et mentitus est, et non dimisit Jonathan. 20. Et post hæc venit Tryphon intra regionem, ut contereret eam: et gyraverunt per viam quæ ducit Ador; et Simon et castra ejus ambulabant in omnem locum quocumque ibant. 21. Qui autem in arce erant, miserunt ad Tryphonem legatos, ut festinaret venire per desertum, et mitteret illis alimonias. 22. Et paravit Tryphon omnem equitatum, ut veniret illa nocte: erat autem nix multa valde, et non venit in Galaaditim. 23. Et cum appropinquasset Bascaman, occidit Jonathan et filios ejus illic. 24. Et convertit Tryphon, et abiit in terram suam. 25. Et misit Simon, et accepit ossa Jonathæ fratris sui, et sepelivit ea in Modin civitate patrum ejus. 26. Et planxerunt eum omnis Israel planctu magno, et moxerunt eum dies multos. 27. Et ædificavit Simon super sepulcrum patris sui et fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito retro et ante. 28. Et statuit septem pyramidas, unam contra unam patri et matri, et quatuor fratribus: 29. et his circumposuit columnas magnas; et super columnas arma, ad memoriam æternam; et juxta arma naves sculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare. 30. Hoc est sepulcrum quod fecit in Modin, usque in hunc diem. 31. Tryphon autem, cum iter faceret cum Antiocho rege adolescente, dolo occidit eum. 32. Et regnavit loco ejus, et imposuit sibi diadema Asiæ, et fecit plagam magnam in terra. 33. Et ædificavit Simon præsidia Judææ, muniens ea turribus excelsis, et muris magnis, et portis, et seris: et posuit alimenta in munitionibus. 34. Et elegit Simon viros, et misit ad Demetrium regem, ut faceret remissionem regioni: quia actus omnes Tryphonis per direptionem fuerant gesti. 35. Et Demetrius rex ad verba ista respondit ei, et scripsit epistolam talem: 36. Rex Demetrius Simoni summo sacerdoti, et amico regum, et senioribus et genti Judæorum, salutem. 37. Coronam auream, et bahem quam misistis, suscepimus: et parati sumus facere vobiscum pacem magnam, et scribere præpositis regis remittere vobis quæ indulsimus. 38. Quæcumque enim constituimus vobis constant. Munitiones quas ædificastis vobis sint. 39. Remittimus quoque ignorantias et peccata usque in hodiernum diem, et coronam quam debebatis: et si quid aliud erat tributarium in Jerusalem, jam non sit tributarium. 40. Et si qui ex vobis apti sunt conscribi inter nostros, conscribantur, et sit inter nos pax. 41. Anno centesimo septuagesimo ablatum est jugum Gentium ab Israel. 42. Et cœpit populus Israel scribere in tabulis et gestis publicis, anno primo sub Simone summo sacerdote, magno duce, et principe Judæorum. 43. In diebus illis applicuit Simon ad Gazam, et circumdedit eam castris, et fecit machinas, et applicuit ad civitatem, et percussit turrem unam, et comprehendit eam. 44. Et eruperant qui erant intra machinam in civitatem, et factus est motus magnus in civitate. 45. Et ascenderunt qui erant in civitate cum uxoribus et filiis supra murum, scissis tunicis suis, et clamaverunt voce magna, postulantes a Simone dextras sibi dari. 46. et dixerunt: Non nobis reddas secundum malitias nostras, sed secundum misericordias tuas. 47. Et flexus Simon, non debellavit eos: ejecit tamen eos de civitate, et mundavit ædes in quibus fuerant simulacra, et tunc intravit in eam cum hymnis, benedicens Dominum: 48. et ejecta ab ea omni immunditia, collocavit in ea viros qui legem facerent; et munivit eam, et fecit sibi habitationem. 49. Qui autem erant in arce Jerusalem prohibebantur egredi et ingredi regionem, et emere ac vendere: et esurierunt valde, et multi ex eis fame perierunt. 50. Et clamaverunt ad Simonem ut dextras acciperent; et dedit illis, et ejecit eos inde, et mundavit arcem a contaminationibus: 51. et intraverunt in eam tertia et vigesima die secundi mensis, anno centesimo septuagesimo primo, cum laude, et ramis palmarum, et cinyris, et cymbalis, et na-

blis, et hymnis, et canticis, quia contritus est inimicus magnus ex Israel. 52. Et constituit ut omnibus annis agerentur dies hi cum lætitia. 53. Et munivit montem templi, qui erat secus arcem, et habitavit ibi ipse, et qui cum eo erant. 54. Et vidit Simon Joannem filium suum, quod fortis prælii vir esset : et posuit eum ducem virtutum universarum, et habitavit in Gazaris.

8. TU ES DUX NOSTER LOCO JUDÆ ET JONATHÆ FRATRIS TUI. — Hic populus Simonem creat ducem et Pontificem anno 170 Græcorum, ut dicitur vers. 41 et 42. Simon ergo ducatum et Pontificatum gessit per septem annos, nimirum usque ad annum 177 Græcorum, quo perfide a genero suo occisus est, ut dicitur cap. XVI, 14.

10. ACCELERAVIT CONSUMMARE UNIVERSOS HUROS JERUSALEM, — ne Demetriani ex arce Sion eam se absente et pergente contra Tryphonem invaderent et spoliarent.

13. SIMON AUTEM APPLICUIT IN ADDUS, — quam ipse cap. XII, 38, communierat, ubi tamen *Addus* vocatur *Adiada*, Græce *Adida*. Sita est in Palmyrena Phœniciæ regione. Hic castra locavit Simon) CONTRA FACIEM CAMPI, — id est ex adverso campi magni et spatiosi, invitans et irritans hac ratione Tryphonem ad conflictum secum ineundum.

14. ET UT COGNOVIT TRYPHON. — Tryphon, metuens Simonis copias, pellem leoninam in vulpinam mutavit, dolosoque finxit se amicum, itaque fraudulenter a Simone centum talenta, ac duos filios Jonathæ pro ejus lytro extorsit.

15. IN RATIONE REGIS, — *g. d.* in rationibus regis, sive in libris computuum inventimus Jonathan debere regi centum talenta : mitte ergo illa cum duobus filiis ejus obsidibus, et ego remittam tibi Jonatham. Centum talenta auri, si Attica fuerint, faciunt sexcenta millia aureorum ; sin Hebræa, faciunt dupla amplius, nimirum millionem, et insuper ducenta millia aureorum ; tantam ergo vim auri Simon misit Tryphoni pro fratre Jonatha redimendo.

17. ET COGNOVIT SIMON QUIA CUM DOLO LOQUERETUR SECUM. — « Cognovit, » id est, subodoratus et probabiliter suspicatus est Tryphonem secum non sincere, sed dolose agere, ex eo quod expertus erat ejus ingenium vafrum et perfidum, præsertim cum Jonatham per fraudem cepisset, et mille ejus socios occidisset ; quia tamen non erat certus eum dolose agere, et quia intime amabat Jonatham, cumque sibi et Israeli omnibus modis restitui cupiebat, et ne populo occasionem daret murmurandi sibique rebellandi, quasi qui ex ambitione regnandi, et ex avaritia neglexisset liberare Jonatham, ut ipse ejus loco imperaret, quæ rebellio plane Rempublicam Israelis everteret, utpote cum illam invaderet cum magnis copiis Tryphon ; hisce de causis prudenter Simon) JUSSIT DARI ARGENTUM ET PUEROS, — præsertim quia, ut ait S. Thomas, non putabat Tryphonem tam fore crudelem, ut eos occideret.

VERS. 19. 20. ET EGRAVERUNT PER VIAM QUÆ DUCIT ADOR, — quæ est urbs Phœniciæ mari adjacens vicina Ptolemaidi, ac a Ptolemæo Dor vel Dora (unde Dores Græcos ortos dictosque opinantur nonnulli) vocatur. Josephus tamen, lib. XIII, cap. XII, eam vocat urbem Idumææ, forte quod ab Idumæis esset occupata eisque subjecta.

ET SIMON ET CASTRA EJUS AMBULABANT IN OMNEM LOCUM QUOCUMQUE IBANT — Tryphon et milites ejus, *q. d.* Simon ubique opponebat se Tryphoni, ne alicubi in fines Judææ irrumperet ; circa illos gyrabat et oberrabat Tryphon.

21. QUI AUTEM IN ARCE (Sion) ERANT, — præsidiarii Tryphoniani, fame pressi miserunt ad Tryphonem ut alimenta eis per equites via deserti submitteret.

22. ERAT AUTEM NIX MULTA VALDE, (quæ impedivit Tryphonem ne posset ingredi et inferre annonam in arcem Sion) : ET NON VENIT IN GALAADITIDEM. — Videntur hic aliqua verba desiderari, quæ habent Græca hoc modo : *Et fuit nix multa valde, non venit propter nivem : Et movit castra, et venit in Galaaditim* ; quomodo habet etiam Josephus. Et quomodo non venit in Galaaditidem, cum venerit ad ejus oppidum, dictum Bascaman, ad quod occidit Jonathan et filios ejus, ut statim subditur : amanuensem a priore « venit » ad posterius imprudenter transiliisse existimant Emmanuel Sa et Salianus. Potest tamen Latinus textus cum Græco conciliari hoc modo : Tryphon non venit in Galaaditim, ut habet Latinus, nimirum eodem die prout destinarat, idque ob nivem quæ impediebat iter, uti præcessit : quare postero vel tertio die venit in Galaaditim, ut habet Græcus, ut in Syriam et Antiochiam unde venerat, rediret.

23. ET CUM APPROPINQUASSET BASCAMAN, OCCIDIT JONATHAN ET FILIOS EJUS ILLIC. — Cum Tryphon ob nivem progredi non posset, sed regredi cogeretur, iratus occidit Jonathan cum filiis, ut suum in eum odium expromeret, utque Judæis noceret quantum posset. Addit Josephus eum commisisse prælium cum Simone, eoque superatum ex indignatione et vindicta occidisse Jonathan. Sed hujus prælii non meminit Scriptura, illudque impedebat alta nix. Porro occisus est Jonathas anno 19 sui principatus et Pontificatus (non septimo, ut ait Josephus, nec 14 Pontificatus, ut 18 ducatus, ut vult Scaliger) ; tot enim annis præfuit Israeli ut dux et Pontifex, scilicet ab anno 152 Græcorum inchoante, quo cæso Judæ in prælio successit Jonathas usque ad annum 170 Græcorum, quo a Tryphone necatus est Jonathas ; qui fuit ante natalem Christi annus 141. Ita Salianus et alii.

VV. 27. ET ÆDIFICAVIT SIMON SUPER SEPULCRUM PATRIS SUI, etc. LAPIDE POLITO. — Josephus : « Ex marmore candido et polito. »

28. ET STATUIT SEPTEM PYRAMIDAS, UNAM CONTRA UNAM, — id est unam alteri oppositam, sive unam ex adverso alterius, *q. d.* Binas et binas statuit columnas. Septem autem fuere, quia duas erexit patri et matri, quatuor totidem fratribus, scilicet Judæ, Jonathæ, Joanni et Eleazaro, I *Machab.* II, 2 ; septimam vero sibi reservavit.

29. ET JUXTA ARMA, NAVES SCULPTAS, — ut per naves ostenderet eos tam mari quam terra fuisse potentes, et utrobique illustres obtinuisse victorias, etsi bellorum navalium ab eis gestorum nulla hoc libro facta sit mentio.

30. HOC EST SEPULCHRUM QUOD FECIT IN MODIN USQUE AD HUNC DIEM. — Duravit hos sepulcrum usque ad tempora Josephi, ut ipse testatur ; imo usque ad tempora S. Hieronymi per 500 annos. Nam in *locis Hebr.* ita scribit S. Hieronymus : « Modin vicus juxta Diospolin unde fuerunt Machabæi, quorum hodieque ibidem sepulcra monstrantur. »

31. TRYPHON AUTEM, CUM ITER FACERET CUM ANTIOCHO REGE ADOLESCENTE, DOLO OCCIDIT EUM. — Uti dolo ceperat et occiderat Jonathan cum filiis. Modum necis enarrat Livii abbreviator, *Epist.* 59 : « Alexandri filius, inquit, rex Syriæ, decem annos admodum habens, a Diodoro, qui Tryphon cognominabatur, tutore suo, per fraudem occisus est, corruptis quidem medicis, qui eum calculi dolore consumi ad populum mentiti, dum secant illum, occiderunt. » Eademque videtur Josephi sententia, lib. XIII, cap. XII, ubi ait : γεγενῆσθαι ἀπόθανον, id est *dum a chirurgis curaretur mortuus est* : quod Josephi interpres perperam vertit, *inter exercendum se est extinctus*. Hic fuit genius perfidi Tryphonis tyranni ; ideoque et ipse post biennium ab Antiocho Sidete pari modo occisus est. Porro vide hic justum Dei judicium, quo plane impium stirpem et propaginem impissimi Antiochi Epiphanis in Antiocho hoc ejus nepote sustulit. Epiphanes enim miserime morienti successit filius Antiochus Eupator puer, quem Demetrius senior interemit. Eupatori successit frater Alexander Veles quem Ptolemæus Philometor in prælio interfecit ; Alexandro successit hic Antiochus filius parvulus quem Tryphon necavit, ejusque regnum occupavit. Hic ergo impia Antiochi stirps funditus excisa est, et completum illud Psalmi : « Vidi impium superexaltatum, et elevatum super cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat. »

32. ET FECIT PLAGAM MAGNAM — occidens omnes qui sibi suoque regni Asia invasioni adversabantur. Hic ergo Tryphon solus extitit, qui per dolum intrusit se in seriem Seleucidarum Asiæ regum, idcoque per hiemalium tantum illud obtinuit ; eo enim exacto Alexander Sidetes Demetrii senioris filius, et junioris frater, occiso Tryphone, regnum Asiæ sibi et Seleucidis restituit.

33. ET ÆDIFICAVIT (Simon contra Tryphonem, ne Judæam invaderet, uti invaserat regnum Asiæ), PRÆSIDIA JUDÆÆ, — id est arces in quibus milites præsidiarios ad eas tutandas collocavit.

34. ET MISIT AD DEMETRIUM REGEM UT FACERET REMISSIONEM — a tributis et a jugo Græcorum, sive Seleucidarum, ut scilicet Judæa non esset iis subjecta, sed libera, uti ante fuerat. Concessit id Demetrius ; unde tunc nova Æra constituta est, a qua Judæi numerare cœperant annos, scilicet ab anno primo Simonis, ut dicitur, vers. 42. Porro Demetrius hic junior filius fuit Demetrii senioris, cognomento Nicanor, qui paulo ante a Tryphone fuerat regno ejectus, cap. XI, vers. 53, ac ibidem vers. ult. a Jonatha bis fusus fugatusque ; nunc vero Tryphonem metuens cum Simone fœdus iniit, ideoque Judææ suam libertatem postliminio restituit.

QUIA ACTUS OMNES TRYPHONIS (quibus Judæis gravia tributa et onera imposuerat) PER SUBREPTIONEM (id est per subreptionem et apertam injustitiam prædationemque) FUERUNT GESTI ; — unde Græca habent : *Quia actus omnes Tryphonis erant rapinæ*, ideoque rescindendi ; unde ea rescidit Demetrius.

37. CORONAM AURAM ET BAHEN QUAM MISISTI, — quasi gratulantes mihi regnum recuperatum, optantesque victoriam de Tryphone ; cujus symbolum et omen est Bahes ; Græce βάϊς, id est ramus palmæ, non ex arbore evulsus, sed ex auro fabrefactus. Sic enim vertit Noster, vers. 51. Bahia enim, sive βαΐς est ramus palmæ, ita dictus παρὰ τὸ βάπτεσθαι, quod non facile revelli possit, eo quod natura sua sursum nitatur contra deprimentis manum. Hinc Joan. XII, rami palmarum vocantur βαΐα φοινίκων. Sic lib. II, cap. XIII, vers. 4, Alcimus obtulit altari Demetrio coronam auream, et palmam, et thallos qui rami sunt : ex quo conjecturi licet hos Syriæ regibus a Judæis deferri solita. Hinc et βαΐα dicebantur dona, quæ Imperator Constantinus suis Palatinis, et Patriarcha suis clericis dabat ante diem Palmarum, quo festa ramos palmarum fidelibus distribuit. Noster Sanctes : Bahia, inquit, Hebraice ana idem valet quod *in illis*, aut *inter illos*. Videtur autem Simon a Demetrio rege postulasse ut se rebellesque Judæos habeat cum illis qui amici sunt et federati, aut inter illos qui subditi sunt et vectigales, ut illos contra Tryphonem communem adversarium foveatur, qui ut pro se proxime tulerat, ad Judæorum cædem toto animo et imperii viribus ferebatur.

Porro Isidorus in Glossario : « Baen, inquit, est lamina auri ab aure ad aurem qua familiares regum utebantur ; ornamentum colli ex auro et gemmis, quod alio nomine torques dici potest ; » unde gallicum *baigne*, et Belgicum *baegde*, id est *bacca*, bulla, monile nimirum baccatum, ut vocat Virgilius, *Æneid.* I, hoc est baccis, id est gemmis ornatum.

Denique nonnulli *baben* suspicantur deductum

ab Hebræo בהון *bohen*, id est pollex, qui roboris et victoriæ est symbolum. Pollex enim dictus est, inquit D. Isidorus in *Etymol.* quod inter digitos cæteros virtute polleat et potestate, et a Græcis ἀντίχειρ dictus, quod cum reliqua manu de virtute et robore certet; in cujus rei symbolum notat Pierius in *Hieroglyphicis*, Valerianus et Brixianus in *Symbolis* significari robur et fortitudinem, cum reliquis ad volam compressis digitis solus pollex surrigeretur, utpote qui solus cæterorum virtutem æquet.

Videntur ergo Judæi talem manuum cum pollice surrecto ex auro missam Demetrio, ut hoc symbolo repræsentarent ejus fortitudinem, atque ac victoriam; pollex enim olim victoria significabatur. Hinc apud priscos Latinos, qui in palæstra succumbebat, pollicem elevabat (unde illud « tolle digitum » ut se victum fateatur. Et in gladiatorum ludo solebat populus Romanus favere, et qui victoriam annuere presso pollice; allevi vero victoriam abnuere, et ad mortem damnare verso pollice. Vide dicta *Judicum* cap. I, vers. 6.

Hic sensus post priorum cæteris duobus videtur accommodatior. Judæi enim coronam et habenam obtulerunt Demetrio alludentes et applaudentes ad ejus prælia et victorias ob quas ipse cognominatus est Nicanor, id est victor, *q. d.* Offerimus tibi Nicanori symbola vestra, id est victoriæ, scilicet rosarum palmæ vel manuum exercentem pollicem. Porro Syrus habens interpretatur *munionem*, hoc est *munera et dona missa*.

38. QUÆCUNQUE ENIM CONSTITUIMUS vobis (Græce ἐφάναμεν, *q. d.* Privilegia quæ vobis concessi cap. II, vers. 24). CONSTANT, — id est constantia, rata et firma esse decerno.

39. REMITTIMUS QUOQUE IGNORANTIAS ET PECCATA, — id est condono vobis quidquid contra me ignoranter vel scienter peccastis. Postquam enim Demetrius fœdus initum cum Jonatha fœde ruperat, Jonathas eum semel iterumque graviter cecidit, ac Judæi eum male tractarunt, ut patet cap. XI, vers. 63, et cap. XII, vers. 24. Quare Demetrius ea omnia eis remittit, ac præteritarum injuriarum indoluit ἄφεσιν et oblivionem.

Quocirca ex hac tam liberali gratia et privilegio Demetrii plena libertas data est Simoni et Judææ, ideoque

41. ANNO 170 ABLATUM EST JUGUM GRÆCORUM (Seucidarum) AB ISRAEL.

42. ET COEPIT POPULUS SCRIBERE (novam Æram ab hoc anno constituendo et inchoando) IN TABULIS ET GESTIS PUBLICIS : ANNO PRIMO SUB SIMONE SUMMO SACERDOTE. — Annus enim primus Simonis fuit 170 Græcorum quo Demetrius suo indulto libertatem hanc Judæis concessit.

43. APPLICUIT SIMON AD GAZAM. — Gazam subegerat Jonathas, cap. XI, vers. 61; sed illo abeunte jugum excussit. Quare Simon hic eam rursus obsedit et ad prius jugum compulit.

48. COLLOCAVIT IN EA VIROS QUI LEGEM FACERENT, — id est Judæos vel proselytos legis Mosaicæ sectatores, imo ipse Simon in ea domicilium fixit ut sequitur :

49. QUI AUTEM ERANT IN ARCE — montis Sion, hi fame pressi arcem dediderunt Simoni, eam tenuissent per annos 26, scilicet ab anno 145 Græcorum, ut patet cap. I, vers. 21, 30 et 35, usque ad annum 171 Græcorum, ut hic dicitur, vers. 51. Addit Josephus Simonem arcem hanc plane diruisse et solo æquasse.

51. QUIA CONTRITUS EST INIMICUS MAGNUS EX ISRAEL, — Milites enim Seleucidarum Asiæ regum arcem Sionis incidentes infestissimi erant subjectis Jerosolymæ templo, civibus omnibusque Judæis.

53. ET MUNIVIT MONTEM TEMPLI, — *q. d.* Arcem in monte Sion juxta templum olim contra milites arcis jam dictæ a Juda Machabæo, cap. IV, vers. 60, exstructam, et ab impio Alcimo, cap. IX, vers. 54, destructam, iterumque a Jonatha, cap. X, vers. 11, reædificatam Simon novis operibus et fortaliitiis communivit, in eaque habitavit, ut patet vers. 48, cum prius habitasset in Gazara, sed Gazaram misit Joannem filium suum, qui postea cognominatus est Hyrcanus, eumque utpote virum fortem exercitui præfecit. Ille est Joannes qui Simoni occiso in ducatu et Pontificatu successit, ut audiemus cap. ultimo.

54. ET POSUIT EUM (Joannem jam dictum) DUCEM VIATUUM (Græce δυνάμεων, id est exercituum sive copiarum) UNIVERSARUM; ET HABITAVIT (Joannes) IN GAZARIS. — Gazara sive Gadera, vel Gaser, ut Gezer, ait Adrichomius, erat urbs in tribu Ephraim, cujus regem occidit Josue, urbemque Levitis attribuit. Verum hic per Gazaram intelligitur Gaza urbs potens Philistinorum juxta Azotum, ut dicitur cap. XIV, vers. 34. Gazam enim ceperat Simon, ibique domicilium fixerat, ut dictum est vers. 48. Quare inde transiens, nunc in Jerusalem Gazam filio suo Joanni incolendam et custodiendam commisit. Ita Salianus.

CAPUT DECIMUM QUARTUM

SYNOPSIS CAPITIS.

Demetrius, filius Demetrii, ab Arsace capitur. Simon Judæam prudenter et feliciter gubernat, ac vers. 18, cum Romanis et Spartiatis fœdus renovat. Denique facta ejus heroica recensetur, et ab Israelitis in aeneis tabulis templo appensis ad æternam memoriam incidantur.

1. Anno centesimo septuagesimo secundo congregavit rex Demetrius exercitum suum, et abiit in Mediam ad contrahenda sibi auxilia, ut expugnaret Tryphonem. 2. Et audivit Arsaces rex Persidis et Mediæ, quia intravit Demetrius confines suos, et misit unum de principibus suis ut comprehenderet eum vivum, et adduceret eum ad se. 3. Et abiit, et percussit castra Demetrii; et comprehendit eum, et duxit eum ad Arsacem, et posuit eum in custodiam. 4. Et siluit omnis terra Juda omnibus diebus Simonis, et quæsivit bona genti suæ: et placuit illis potestas ejus, et gloria ejus, omnibus diebus. 5. Et cum omni gloria sua accepit Joppen in portum, et fecit introitum in insulis maris. 6. Et dilatavit fines gentis suæ, et obtinuit regionem. 7. Et congregavit captivitatem multam, et dominatus est Gazaræ, et Bethsuræ, et arcæ: et abstulit immunilitias ex ea, et non erat qui resisteret ei. 8. Et unusquisque colebat terram suam cum pace: et terra Juda dabat fructus suos, et ligna camporum fructum suum. 9. Seniores in plateis sedebant omnes, et de bonis terræ tractabant, et juvenes induebant se gloriam et stolas belli. 10. Et civitatibus tribuebat alimonias, et constituebat eas ut essent vasa munitionis, quoadusque nominatum est nomen gloriæ ejus usque ad extremum terræ. 11. Fecit pacem super terram, et lætatus est Israel lætitia magna. 12. Et sedit unusquisque sub vite sua, et sub ficulnea sua, et non erat qui eos terreret. 13. Defecit impugnans eos super terram: reges contriti sunt in diebus illis. 14. Et confirmavit omnes humiles populi sui, et legem exquisivit, et abstulit omnem iniquum et malum: 15. sancta glorificavit, et multiplicavit vasa sanctorum. 16. Et auditum est Romæ quia defunctus esset Jonathas, et usque in Spartiatas: et contristati sunt valde. 17. Ut audierunt autem quod Simon frater ejus factus esset summus sacerdos loco ejus, et ipse obtineret omnem regionem et civitates in ea, 18. scripserunt ad eum in tabulis æreis, ut renovarent amicitias et societatem quam fecerant cum Juda et cum Jonatha fratribus ejus. 19. Et lectæ sunt in conspectu ecclesiæ in Jerusalem. Et hoc exemplum epistolarum, quas Spartiatæ miserunt: 20. Spartiatarum principes et civitates, Simoni sacerdoti magno, et senioribus, et sacerdotibus, et reliquo populo Judæorum, fratribus, salutem. 21. Legati, qui missi sunt ad populum nostrum, nuntiaverunt nobis de vestra gloria, et honore, ac lætitia: et gavisi sumus in introitu eorum. 22. Et scripsimus quæ ab eis erant dicta in conciliis populi, sic: Numenius Antiochi, et Antipater Jasonis filius, legati Judæorum, venerunt ad nos, renovantes nobiscum amicitiam pristinam. 23. Et placuit populo excipere viros gloriose, et ponere exemplum sermonum eorum in segregatis populi libris, ut sit ad memoriam populo Spartiatarum. Exemplum autem horum scripsimus Simoni magno sacerdoti. 24. Post hæc autem misit Simon Numenium Romam, habentem clypeum aureum magnum, pondo mnarum mille, ad statuendam cum eis societatem. Cum autem audisset populus Romanus 25. sermones istos, dixerunt: Quam gratiarum actionem reddemus Simoni, et filiis ejus? 26. Restituit enim ipse fratres suos, et expugnavit inimicos Israel ab eis: et statuerunt ei libertatem, et descripserunt in tabulis æreis, et posuerunt in titulis in monte Sion. 27. Et hoc est exemplum scripturæ: Octava decima die mensis Elul, anno centesimo septuagesimo secundo, anno tertio sub Simone sacerdote

gnavit in Asaramel, 28. in conventu magno sacerdotum, et populi, et principum gentis, et seniorum regionis, nota facta sunt hæc : Quoniam frequenter facta sunt prælia in regione nostra. 29. Simon autem Mathathiæ filius ex filiis Jarib, et fratres ejus dederunt se periculo, et restiterunt adversariis gentis suæ, ut starent sancta ipsorum et lex : et gloria magna glorificaverunt gentem suam. 30. Et congregavit Jonathas gentem suam, et factus est illis sacerdos magnus, et appositus est ad populum suum. 31. Et voluerunt inimici eorum calcare eos, et alterere regionem ipsorum, et extendere manus in sancta eorum. 32. Tunc restitit Simon, et pugnavit pro gente sua, et erogavit pecunias multas, et armavit viros virtutis gentis suæ, et dedit illis stipendia; 33. et munivit civitates Judææ, et Bethsuram quæ erat in finibus Judææ, ubi erant arma hostium antea : et posuit illic præsidium viros Judæos. 34. Et Joppen munivit, quæ erat ad mare; et Gazaram, quæ est in finibus Azoti, in qua hostes antea habitabant, et collocavit illic Judæos : et quæcumque apta erant ad correptionem eorum, posuit in eis. 35. Et vidit populus actum Simonis, et gloriam quam cogitabat facere genti suæ, et posuerunt eum ducem suum, et principem sacerdotum, eo quod ipse fecerat hæc omnia, et justitiam, et fidem quam conservavit genti suæ, et exquisivit omni modo exaltare populum suum. 36. Et in diebus ejus prosperatum est in manibus ejus, ut tollerentur gentes de regione ipsorum, et qui in civitate David erant in Jerusalem, in arce, de qua procedebant, et contaminabant omnia quæ in circuitu sanctorum sunt, et inferebant plagam magnam castitati : 37. et collocavit in ea viros Judæos ad tutamentum regionis et civitatis, et exaltavit muros Jerusalem. 38. Et rex Demetrius statuit illi summum sacerdotium. 39. Secundum hæc fecit eum amicum suum, et glorificavit eum gloria magna. 40. Audivit enim quod appellati sunt Judæi a Romanis amici, et socii, et fratres, et quia susceperunt legatos Simonis gloriose : 41. et quia Judæi et sacerdotes eorum consenserunt eum esse ducem suum et summum sacerdotem in æternum, donec surgat propheta fidelis; 42. et ut sit super eos dux, et ut cura esset illi pro sanctis, et ut constitueret præpositos super opera eorum, et super regionem, et super arma, et super præsidia : 43. et cura sit illi de sanctis : et ut audiatur ab omnibus, et scribantur in nomine ejus omnes conscriptiones in regione, et ut operiatur purpura et auro : 44. et ne liceat ulli ex populo et ex sacerdotibus irritum facere aliquid horum, et contradicere his quæ ab eo dicuntur, aut convocare conventum in regione sine ipso, et vestiri purpura, et uti fibula aurea. 45. Qui autem fecerit extra hæc, aut irritum fecerit aliquid horum, reus erit. 46. Et complacuit omni populo statuere Simonem, et facere secundum verba ista. 47. Et suscepit Simon, et placuit ei ut summo sacerdotio fungeretur, et esset dux et princeps gentis Judæorum, et sacerdotum, et præesset omnibus. 48. Et scripturam istam dixerunt ponere in tabulis æreis, et ponere eas in pariete sanctorum, in loco celebri : 49. exemplum autem eorum ponere in ærario, ut habeat Simon, et filii ejus.

2. 2. Et audivit Arsaces rex Persidis et Mediæ qua (quod) intravit Demetrius in confines suos. — Justinus, Appianus et alii Arsacem hunc vocant regem Parthorum, sed Parthi tunc dominabantur Persidi et Mediæ. Orosius, lib. V, cap. IV, Arsacem hunc proprio nomine vocat Mithridatem, eumque sextum facit a primo Arsace regni Parthorum fundatore; nam Arsacis nomen commune erat regibus Parthorum, teste Justino, lib. XLI, qui hunc Arsacem tertium vocat proprio nomine Pompeium, sive Priapatium, cujus filii duo Mitridates et Phrahates qui apud Parthos ambo Reges recensent. Porro Demetrius a Tryphone regno Syriæ exclusus, per vicinas regiones oberrans, et auxilia undique conquirens, a Græcis, et Macedonibus illis in locis degentibus invitatus fuit, ut Arsaci bellum inferret, magna et promittentes subsidia. Fecit id Demetrius, ac confligens cum Arsace eum semel iterumque vicit; sed tandem victus captusque in Arsacis manus vivus venit. Anni Justinum, libro XXXVI, initio : « Demetrii adventum non inviti Orientis populi viderе, et propter Arsacidæ regis Parthorum crudelitatem, et quod veteri Macedonum imperio, novi populi assueti, superbiam indigne ferebant. Itaque cum et Persarum, et Elymæorum, Bactrianorum quoque

auxiliis juvaretur, multis prœliis Parthos fudit. Ad postremum tamen pacis simulatione deceptus, capitur, traductusque per ora civitatum, populis qui desciverant, in ludibrium favoris ostenditur. Missus deinde in Hyrcaniam, benigne et juxta cultum pristinæ fortunæ habetur. »

Addit Justinus, lib. XXXVIII, Arsacem filiam suam Demetrio uxorem dedisse. Appianus vero in *Syriaco* sub finem ait Demetrium commoratum in Phraatis regia, et Rhodogunam regis sororem in matrimonium duxisse.

3. Et posuit eum in custodiam. — Demetrio ab Arsace victo, vincto et incarcerato, Cleopatra Ptolemæi Philometoris filia uxorque Demetrii jam capti fratrem ejus Antiochum Sidetem Seleucium accersivit, eique fratris regnum una cum suo conjugio obtulit. Sed e carcere liberatus Demetrius cum copiis reversus in Syriam, fratrem Sidetem tam regno quam vita spoliavit, teste Josepho, Justino, Appiano et aliis; sed de Sidete rursum agetur cap. XV.

4. Et siluit omnis terra (Judææ et vicinarum regionum Syriæ et Asiæ) omnibus diebus Simonis — ob ejus regimen prudens, suave et forte, adeo ut nemo eum invadere auderet. Quare deinceps mira Simonis elogia et facinora recensentur.

5. Et cum omni gloria sua accepit Joppen in portum, — *q. d.* Simon magnam sibi ac toti Israeli conciliavit gloriam æque ac utilitatem et opes, cum expugnavit Joppen, ibique portum constituit, e quo naves mitteret ad vicinas insulas, imo per totum mare, quæ omnis generis merces invecherentur eveherent. Portus enim Joppe totius Judææ commodissimus; unde etiamnum perdurat, adeoque omnes euntes Jerosolymam primo appellunt ad Joppen, quæ nunc Jafo dicitur (1.) Porro urbes per portum opportunum mercatoribus et mercibus fiunt opulentissimæ, ut patet in Antuerpia, Venetiis, Lisbona, etc.

7. Et congregavit captivitatem multam, — *q. d.* Simon multos hostium captivos abduxit; Judæos vero multos ab hostibus captos e captivitate liberavit.

9. Juvenes induerant se gloriam, (id est gloriosas et pretiosas induebant vestes quasi victores et de hostibus suis triumphantes, adeoque induebant) stolas belli, — id est vestes elegantiores quas bello acquisierant.

10. Et constituerat eas, ut essent vasa munitionis, — *q. d.* Simon urbes Judææ ita muris et arcibus communivit, ut essent « vasa, » id est receptacula, et valla contra hostes munitissima.

4. 14. Et confirmavit omnes humiles populi sui, — *q. d.* Simon Judæos sive ab hostibus, sive ab æmulis, sive alia quapiam causa et modo afflictos solatus est, erexit et confirmavit, afflictionem eorum, vel tollendo, vel minuendo, vel per media et subsidia toleratu facilem reddendo.

(1) Vel Jaffa.

15. Et Sancta glorificavit, (id est magnum ornatum, splendorem et gloriam addidit sanctuario sive templo, ejusque sacrificiis sacrisque ritibus; et) vasa (quibus opus erat ad sacrificandum, thurificandum, aliisque modis Deum colendum,) multiplicavit. — Fuere ergo sub Simone duce et Pontifice aurea Israelis sæcula, ut aurea Salomonis pax et opulentia sub eo et per eum redisse videatur.

20. Spartianorum Principes. — Recensentur hic Epistolæ fœderis, quod Spartiatæ cum Simone inierunt, æque ac inierant cum Juda et Jonatha.

22. Et scripsimus quæ ad eis erant dicta in concilio populi, — scilicet in publicis actis, et libris in quibus populi nostri gesta, historiæ, fœdera cæteraque res omnes describuntur.

24. Clypeum aureum magnum, pondo mnarum mille, — hoc est centum millium aureorum. Mna enim est quasi libra auri, quæ valet centum aureos; mille ergo mnæ faciunt centies mille aureos, hoc est centum millia aureorum.

Cum audisset autem populus Romanus sermonis istos, dixerunt :

25. Quam gratiarum actionem reddemus Simoni et filiis ejus. — Vox « Romanus, » inquit Sanius, abest a Græcis omnibus et Latinis, præterquam Vulgata; et improbatur a Vatablo et Serario, et omnino videtur ex margine, ubi ea vox explicandi causa ab homine minime malo posita fuerat, in textum irrepsisse. Porro sequentem orationem non esse Romanorum, sed Judæorum ex eo patet, quod responsio Romanorum, in qua de hoc dono agitur, habetur cap. seq., vers. 16. Deinde tota oratio Hebraici ritus est, et nihil sapit Romanum morem. Nec enim Romani rerum domini solebant agere gratias populis minorum gentium, multo minus Judæis. Sic ergo sensus erit, *q. d.* Cum populus Judaicus de pace Judææ a Simone reddita exultans audiret litteras Spartiatarum, excitus spiritu gratitudinis ait : « Quam gratiarum actionem reddemus Simoni, et filiis ejus? Restituit enim ipse fratres suos. »

Verum quia Biblia Latina Romæ correcta ac Complutensia et Regia, item Pagninus, Lyranus et alii constanter legunt « Romanus, » hocque apte respondeat legationi Simonis ad Romanos quæ immediate præcessit: hinc apte sic exponas, ut auctor hujus libri legationi Simonis ad Romanos voluerit breviter subjungere responsionem et gratulationem Romanorum, fusius deinde eam enarraturus cap. seq., vers. 16. Nam quod sequitur : « Restituit enim ipse fratres suos, » et cætera quæ deinceps sequuntur, non populi Romani, ut patet intuenti, sed auctoris libri hujus sunt verba. Voluit enim auctor causas subjungere cur populus Romanus gratias egerit Simoni; nimirum propter heroica ejus facta et ingentia in Jerusalem cæterosque vicinos Romanis subditos merita, utpote quibus Simon sua prudentia, fortitudine pacem et tranquillitatem communem creaverat, itaque

tam se et vicines quam Romanos bellis liberarat. Ita Lyranus, Sanchez, Torniellus et alii.

26. RESTITUIT ENIM IPSE FRATRES SUOS, — q. d. Simon Israelitas et contribules suos animis viribusque collapsos et in servitutem quasi reductos ob Tryphonem, Demetrium allosque hostes eos invadentes, restituit pristinæ magnanimitati, fortitudini, opulentiæ et libertati. Unde Græca habent: *Firmavit vel stabilivit ipse, et fratres ejus, et domus patris ejus* (Israelem) *et expugnaverunt inimicos Israel ab eis* : scilicet ab Israelitis inimicos eorum expellendo et propulsando.

ET STATUERUNT EI LIBERTATEM, — q. d. Israelitæ statuerunt ut Simon ob sua merita liber esset ab omni tributo, onere, subjectione, utique cæteri omnes ei quasi Principi suo essent subjecti. Græci nonnulli legunt in singulari : « Statuit ei libertatem, » ac de Simone sic explicant, q. d. Simon sua sapientia, fortitudine et victoriis libertatem peperit, eumque a jugo Græcorum exemit, ut dictum est cap. XIII, vers. 41.

27. ET HOC EST EXEMPLUM SCRIPTURÆ (quam populus, non Romanus, sed Judaicus, ut patet, pro elogio Simonis in tabulis æreis templo appensis descripsit) OCTAVA DECIMA DIE MENSIS ELUL, (qui est sextus, et respondet nostro augusto), ANNO 172 (GRÆCORUM) ANNO TERTIO SUB SIMONE SACERDOTE MAGNO (summo Pontifice) IN ASAREMEL. — Nam primus annus Simonis fuit 170 Græcorum; quare tertius annus Simonis fuit 172 Græcorum. Illud autem « in Asaramel, » vel, ut habent Græca, Sesemel, Vatablus vocem corruptam putat, et legendum : in Jerusalem. Serarius ait retentam vocem Hebræam, qua significetur in principe Deo, et Simon dicatur sacerdos magnus in Domino Deo, sive Domini Dei. Syrus pro « Asaramel » vertit *Israel*, et per eum non locum, sed majores natu, sive seniores et senatores Israelis intelligit, qui hoc elogium Simoni dederunt et scripserunt. Forte « Asaramel » vocatus est locus synedrii, sive aula magni concilii, in qua hoc decretum editum fuit.

29. UT STARENT SANCTA IPSORUM, — puta sanctum templum, sancta religio, sancta victimæ, sanctusque Dei cultus, quæ ab impio Antiocho Epiphane, ejusque sequacibus prostrata fuerant, hac Simon et fratres ejus erexerunt.

31. CALCARE. — Græce κατεπάτουν, id est invadere, penetrare, pervadere, pessumdare.

34. ET QUÆCUMQUE APTA ERANT AD CORREPTIONES. — Videtur legendum ad « correctionem, » id est instaurationem; hanc enim significat Græcum ἐπανόρθωσιν. Ita Vatablus, Sa, Sallanus et alii.

36. ET INFERERANT PLAGAM MAGNAM CASTITATI, — id est munditiæ et puritati templi, illud suis idolis, spurcitiis et libidinibus profanando, polluendo, violando. Loquitur de arce Sion, ex qua milites Seleucidarum excurrebant in Jerosolymam et Judæos, eos deprædantes, verberantes, vulnerantes, occidentes, ac feminas eorum violantes; nam gymnasium luxuriæ sub arce jam sublatum erat a Juda templum expurgante, ut dictum est cap. IV et lib. II, cap. X, vers. 2.

41. DONEC SURGAT PROPHETA FIDELIS, — scilicet Christus summus Israelis Dux et Pontifex. Decernunt ergo Simonem ejusque posteros continua successione esse Israelis Duces et Pontifices, usque ad Christum, idque ita fere factum est. Nam Simonis progenies præfuit Israeli usque ad Herodem sub quo natus est Christus.

42. ET UT SIT SUPER EOS DUX, ET UT CURA ESSET ILLI PRO SANCTIS. — Declaratur hic summa potestas data Simoni a populo, eaque duplex, nimirum ut in civilibus et bellicis sit populi dux, atque in sacris et ecclesiasticis sit Pontifex; huic enim « cura » incumbit « pro sanctis, » scilicet pro Sancto et Sancto sanctorum, proque sanctis sancti Dei victimis, ritibus, cæremoniis, etc.

Quæres cur Auctor toto hoc capite tam impense et magnifice laudet Simonem, cum non ita laudarit Judam et Jonatham, qui Simone fuerunt priores, et ut videtur fortiores? Respondeo, *primo* causa est quod Simon sua prudentia et valore pacem plenam Judææ contulerit, quam Judas et Jonathas præstare non potuerunt, ideoque Simon aureum quasi sæculum, indeque novam Æram apud Judæos induxit.

Secundo, quod Simon diutius laboravit : nam Judam et Jonatham assidue adjuvit, iisque mortuis solus ipse superstes pondus belli et Reipublicæ sustinuit, ac præliis omnibus per optatum omnibus pacem finem imposuit.

Tertio, quod sub Simone et cum Simone laudet Judam et Jonatham, qui hujus felicitatis et pacis principium per assidua bella dederunt, quorum virtute Simon tam felicem eis par publicam quietem finem imposuit. Unde Græca, vers. 26, habent: *Firmavit enim ipse, et fratres ejus, et domus patris ejus* (Israelitæ), *et debellavit inimicos Israelitarum.*

Quarto, quod Auctor hujus libri, ut dixi in Proœmio, videatur fuisse Jonathas Hyrcanus Simonis filius, qui proinde filiali affectu patri suo merito hanc elogiorum coronidem pertexit, itaque ei parentat, eo quod ipse sibi suisque posteris usque ad Christum Principatum et Pontificatum Israelis consignarit.

43. ET UT SCRIBANTUR IN NOMINE EJUS OMNES CONSCRIPTIONES IN REGIONE. — Græce *omnes syngraphæ*, puta omnia instrumenta, edictorum, pactorum, contractuum, fœderum, conjugiorum et actorum omnium, ut scilicet singula hæc consignentur, juxta annos Principatus et Pontificatus Simonis, uti re ipsa hic inchoatum est vers. 27 et cap. XIII, vers. 42.

48. ET SCRIPTURAM ISTAM (puta decreta populi de Ducatu et Pontificatu Simonis propagando in posteros usque ad Christum in tabulis æreis conscripta) DIXERUNT (id est jusserunt Israelitæ,) PONERE (insculpere) IN TABULIS ÆREIS (ut sit indelebilis et æterna :) ET PONERE EAS (tabulas æreas cum hac Scriptura) IN PERIBOLO SANCTORUM, — id est in portico templi, quæ templum circumquaque ambibat.

49. EXEMPLUM AUTEM EORUM PONERE IN ERARIO, (id est in Gazophylacio templi, in quo inter gazam opesque templi servabantur publica instrumenta quasi in Archivio), UT HABEAT SIMON ET FILII EJUS, — ut si quando eo indiguerint, illud inde accipere queant.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Antiochus Sidetes, Demetrii ab Arsace capti frater, magnis præmiis captat amicitiam Simonis; non elicit Tryphonem, eumque obsidet in urbe Dora. Inde, vers. 15, legati Simonis Roma redeunt cum amplis promissis. Denique, vers. 27, Antiochus fædus cum Simone perfide rumpit, et Cendebæum cum magno exercitu in Judæam immittit.

1. Et misit rex Antiochus filius Demetrii epistolas ab insulis maris Simoni sacerdoti, et principi gentis Judæorum, et universæ genti; 2. et erant continentes hunc modum : REX Antiochus Simoni Sacerdoti magno, et genti Judæorum, salutem. 3. Quoniam quidem pestilentes obtinuerunt regnum patrum nostrorum, volo autem vindicare regnum, et restituere illud sicut erat antea : et electam feci multitudinem exercitus, et feci naves bellicas. 4. Volo autem procedere per regionem, ut ulciscar in eos qui corruperunt regionem nostram, et qui desolaverunt civitates multas in regno meo. 5. Nunc ergo statuo tibi omnes oblationes quas remiserunt tibi ante me omnes reges, et quæcumque alia dona remiserunt tibi; 6. et permitto tibi facere percussuram proprii numismatis in regione tua : 7. Jerusalem autem sanctam esse et liberam; et omnia arma quæ fabricata sunt, et præsidia quæ construxisti, quæ tenes, maneant tibi. 8. Et omne debitum regis, et quæ futura sunt regi, ex hoc et in totum tempus remittuntur tibi. 9. Cum autem obtinuerimus regnum nostrum, glorificabimus te et gentem tuam, et templum gloria magna, ita ut manifestetur gloria vestra in universa terra. 10. Anno centesimo septuagesimo quarto exiit Antiochus in terram patrum suorum, et convenerunt ad eum omnes exercitus, ita ut pauci relicti essent cum Tryphone. 11. Et insecutus est eum Antiochus rex, et venit Doram fugiens per maritimam. 12. Sciebat enim quod congregata sunt mala in eum, et reliquit eum exercitus. 13. Et applicuit Antiochus super Doram cum centum viginti millibus virorum belligeratorum, et octo millibus equitum. 14. Et circuivit civitatem, et naves a mari accesserunt : et vexabant civitatem a terra et mari, et neminem sinebant ingredi vel egredi. 15. Venit autem Numenius, et qui cum eo fuerant, ab urbe Roma, habentes epistolas regibus et regionibus scriptas, in quibus continebantur hæc : 16. LUCIUS, consul Romanorum, Ptolemæo regi salutem. 17. Legati Judæorum venerunt ad nos amici nostri, renovantes pristinam amicitiam et societatem, missi a Simone principe Sacerdotum, et populo Judæorum. 18. Attulerunt autem et clypeum aureum mnarum mille. 19. Placuit itaque nobis scribere regibus et regionibus, ut non inferant illis mala, neque impugnent eos, et civitates eorum, et regiones eorum; et ut non ferant auxilium pugnantibus adversus eos. 20. Visum autem est nobis accipere ab eis clypeum. 21. Si qui ergo pestilentes refugerunt de regione ipsorum ad vos, tradite eos Simoni principi sacerdotum, ut vindicet in eos secundum legem suam. 22. Hæc eadem scripta sunt Demetrio regi, et Attalo, et Ariarathi, et Arsaci, 23. et in omnes regiones : et Lampsaco, et Spartiatis, et in Delum, et in Myndum, et in Sycionem, et in Cariam, et in Samum, et in Pamphyliam, et in Lyciam, et in Alicarnassum, et in Coo, et in Siden, et in Aradon, et in Rhodum, et in Phaselidem, et in Gortynam, et Gnidum, et Cyprum, et Cyrenen. 24. Exemplum autem eorum scripserunt Simoni principi sacerdotum, et populo Judæorum. 25. Antiochus autem rex applicuit castra

tam se et vicines quam Romanos bellis liberarat. Ita Lyranus, Sanchez, Torniellus et alii.

26. RESTITUIT ENIM IPSE FRATRES SUOS, — q. d. Simon Israelitas et contribules suos animis viribusque collapsos et in servitutem quasi reductos ob Tryphonem, Demetrium allosque hostes eos invadentes, restituit pristinæ magnanimitati, fortitudini, opulentiæ et libertati. Unde Græca habent: *Firmavit vel stabilivit ipse, et fratres ejus, et domus patris ejus* (Israelem) *et expugnaverunt inimicos Israel ab eis* : scilicet ab Israelitis inimicos eorum expellendo et propulsando.

ET STATUERUNT EI LIBERTATEM, — q. d. Israelitæ statuerunt ut Simon ob sua merita liber esset ab omni tributo, onere, subjectione, utique cæteri omnes ei quasi Principi suo essent subjecti. Græci nonnulli legunt in singulari : « Statuit ei libertatem, » ac de Simone sic explicant, q. d. Simon sua sapientia, fortitudine et victoriis libertatem peperit, eumque a jugo Græcorum exemit, ut dictum est cap. XIII, vers. 41.

27. ET HOC EST EXEMPLUM SCRIPTURÆ (quam populus, non Romanus, sed Judaicus, ut patet, pro elogio Simonis in tabulis æreis templo appensis descripsit) OCTAVA DECIMA DIE MENSIS ELUL, (qui est sextus, et respondet nostro augusto), ANNO 172 (GRÆCORUM) ANNO TERTIO SUB SIMONE SACERDOTE MAGNO (summo Pontifice) IN ASAREMEL. — Nam primus annus Simonis fuit 170 Græcorum; quare tertius annus Simonis fuit 172 Græcorum. Illud autem « in Asaramel, » vel, ut habent Græca, Sesemel, Vatablus vocem corruptam putat, et legendum : in Jerusalem. Serarius ait retentam vocem Hebræam, qua significetur in principe Deo, et Simon dicatur sacerdos magnus in Domino Deo, sive Domini Dei. Syrus pro « Asaramel » vertit *Israel*, et per eum non locum, sed majores natu, sive seniores et senatores Israelis intelligit, qui hoc elogium Simoni dederunt et scripserunt. Forte « Asaramel » vocatus est locus synedrii, sive aula magni concilii, in qua hoc decretum editum fuit.

29. UT STARENT SANCTA IPSORUM, — puta sanctum templum, sancta religio, sancta victimæ, sanctusque Dei cultus, quæ ab impio Antiocho Epiphane, ejusque sequacibus prostrata fuerant, hac Simon et fratres ejus erexerunt.

31. CALCARE. — Græce κατεπάτουν, id est invadere, penetrare, pervadere, pessumdare.

34. ET QUÆCUMQUE APTA ERANT AD CORREPTIONES. — Videtur legendum ad « correctionem, » id est instaurationem; hanc enim significat Græcum ἐπανόρθωσιν. Ita Vatablus, Sa, Sallanus et alii.

36. ET INFERERANT PLAGAM MAGNAM CASTITATI, — id est munditiæ et puritati templi, illud suis idolis, spurcitiis et libidinibus profanando, polluendo, violando. Loquitur de arce Sion, ex qua milites Seleucidarum excurrebant in Jerosolymam et Judæos, eos deprædantes, verberantes, vulnerantes, occidentes, ac feminas eorum violantes; nam gymnasium luxuriæ sub arce jam sublatum erat a Juda templum expurgante, ut dictum est cap. IV et lib. II, cap. X, vers. 2.

41. DONEC SURGAT PROPHETA FIDELIS, — scilicet Christus summus Israelis Dux et Pontifex. Decernunt ergo Simonem ejusque posteros continua successione esse Israelis Duces et Pontifices, usque ad Christum, idque ita fere factum est. Nam Simonis progenies præfuit Israeli usque ad Herodem sub quo natus est Christus.

42. ET UT SIT SUPER EOS DUX, ET UT CURA ESSET ILLI PRO SANCTIS. — Declaratur hic summa potestas data Simoni a populo, eaque duplex, nimirum ut in civilibus et bellicis sit populi dux, atque in sacris et ecclesiasticis sit Pontifex; huic enim « cura » incumbit « pro sanctis, » scilicet pro Sancto et Sancto sanctorum, proque sanctis sancti Dei victimis, ritibus, cæremoniis, etc.

Quæres cur Auctor toto hoc capite tam impense et magnifice laudet Simonem, cum non ita laudarit Judam et Jonatham, qui Simone fuerunt priores, et ut videtur fortiores? Respondeo, *primo* causa est quod Simon sua prudentia et valore pacem plenam Judææ contulerit, quam Judas et Jonathas præstare non potuerunt, ideoque Simon aureum quasi sæculum, indeque novam Æram apud Judæos induxit.

Secundo, quod Simon diutius laboravit : nam Judam et Jonatham assidue adjuvit, iisque mortuis solus ipse superstes pondus belli et Reipublicæ sustinuit, ac præliis omnibus per optatum omnibus pacem finem imposuit.

Tertio, quod sub Simone et cum Simone laudet Judam et Jonatham, qui hujus felicitatis et pacis principium per assidua bella dederunt, quorum virtute Simon tam felicem eis par publicam quietem finem imposuit. Unde Græca, vers. 26, habent: *Firmavit enim ipse, et fratres ejus, et domus patris ejus* (Israelitæ), *et debellavit inimicos Israelitarum.*

Quarto, quod Auctor hujus libri, ut dixi in Proœmio, videatur fuisse Jonathas Hyrcanus Simonis filius, qui proinde filiali affectu patri suo merito hanc elogiorum coronidem pertexit, itaque ei parentat, eo quod ipse sibi suisque posteris usque ad Christum Principatum et Pontificatum Israelis consignarit.

43. ET UT SCRIBANTUR IN NOMINE EJUS OMNES CONSCRIPTIONES IN REGIONE. — Græce *omnes syngraphæ*, puta omnia instrumenta, edictorum, pactorum, contractuum, fœderum, conjugiorum et actorum omnium, ut scilicet singula hæc consignentur, juxta annos Principatus et Pontificatus Simonis, uti re ipsa hic inchoatum est vers. 27 et cap. XIII, vers. 42.

48. ET SCRIPTURAM ISTAM (puta decreta populi de Ducatu et Pontificatu Simonis propagando in posteros usque ad Christum in tabulis æreis conscripta) DIXERUNT (id est jusserunt Israelitæ,) PONERE (insculpere) IN TABULIS ÆREIS (ut sit indelebilis et æterna :) ET PONERE EAS (tabulas æreas cum hac Scriptura) IN PERIBOLO SANCTORUM, — id est in portico templi, quæ templum circumquaque ambibat.

49. EXEMPLUM AUTEM EORUM PONERE IN ERARIO, (id est in Gazophylacio templi, in quo inter gazam opesque templi servabantur publica instrumenta quasi in Archivio), UT HABEAT SIMON ET FILII EJUS, — ut si quando eo indiguerint, illud inde accipere queant.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Antiochus Sidetes, Demetrii ab Arsace capti frater, magnis præmiis captat amicitiam Simonis; non elicit Tryphonem, eumque obsidet in urbe Dora. Inde, vers. 15, legati Simonis Roma redeunt cum amplis promissis. Denique, vers. 27, Antiochus fædus cum Simone perfide rumpit, et Cendebæum cum magno exercitu in Judæam immittit.

1. Et misit rex Antiochus filius Demetrii epistolas ab insulis maris Simoni sacerdoti, et principi gentis Judæorum, et universæ genti; 2. et erant continentes hunc modum : REX Antiochus Simoni Sacerdoti magno, et genti Judæorum, salutem. 3. Quoniam quidem pestilentes obtinuerunt regnum patrum nostrorum, volo autem vindicare regnum, et restituere illud sicut erat antea : et electam feci multitudinem exercitus, et feci naves bellicas. 4. Volo autem procedere per regionem, ut ulciscar in eos qui corruperunt regionem nostram, et qui desolaverunt civitates multas in regno meo. 5. Nunc ergo statuo tibi omnes oblationes quas remiserunt tibi ante me omnes reges, et quæcumque alia dona remiserunt tibi; 6. et permitto tibi facere percussuram proprii numismatis in regione tua : 7. Jerusalem autem sanctam esse et liberam; et omnia arma quæ fabricata sunt, et præsidia quæ construxisti, quæ tenes, maneant tibi. 8. Et omne debitum regis, et quæ futura sunt regi, ex hoc et in totum tempus remittuntur tibi. 9. Cum autem obtinuerimus regnum nostrum, glorificabimus te et gentem tuam, et templum gloria magna, ita ut manifestetur gloria vestra in universa terra. 10. Anno centesimo septuagesimo quarto exiit Antiochus in terram patrum suorum, et convenerunt ad eum omnes exercitus, ita ut pauci relicti essent cum Tryphone. 11. Et insecutus est eum Antiochus rex, et venit Doram fugiens per maritimam. 12. Sciebat enim quod congregata sunt mala in eum, et reliquit eum exercitus. 13. Et applicuit Antiochus super Doram cum centum viginti millibus virorum belligeratorum, et octo millibus equitum. 14. Et circuivit civitatem, et naves a mari accesserunt : et vexabant civitatem a terra et mari, et neminem sinebant ingredi vel egredi. 15. Venit autem Numenius, et qui cum eo fuerant, ab urbe Roma, habentes epistolas regibus et regionibus scriptas, in quibus continebantur hæc : 16. LUCIUS, consul Romanorum, Ptolemæo regi salutem. 17. Legati Judæorum venerunt ad nos amici nostri, renovantes pristinam amicitiam et societatem, missi a Simone principe Sacerdotum, et populo Judæorum. 18. Attulerunt autem et clypeum aureum mnarum mille. 19. Placuit itaque nobis scribere regibus et regionibus, ut non inferant illis mala, neque impugnent eos, et civitates eorum, et regiones eorum; et ut non ferant auxilium pugnantibus adversus eos. 20. Visum autem est nobis accipere ab eis clypeum. 21. Si qui ergo pestilentes refugerunt de regione ipsorum ad vos, tradite eos Simoni principi sacerdotum, ut vindicet in eos secundum legem suam. 22. Hæc eadem scripta sunt Demetrio regi, et Attalo, et Ariarathi, et Arsaci, 23. et in omnes regiones : et Lampsaco, et Spartiatis, et in Delum, et in Myndum, et in Sycionem, et in Cariam, et in Samum, et in Pamphyliam, et in Lyciam, et in Alicarnassum, et in Coo, et in Siden, et in Aradon, et in Rhodum, et in Phaselidem, et in Gortynam, et Gnidum, et Cyprum, et Cyrenen. 24. Exemplum autem eorum scripserunt Simoni principi sacerdotum, et populo Judæorum. 25. Antiochus autem rex applicuit castra

in Doram secundo, admovens ei semper manus, et machinas faciens: et conclusit Tryphonem, ne procederet. 26. Et misit ad eum Simon duo millia virorum electorum in auxilium, et argentum, et aurum, et vasa copiosa: 27. et noluit ea accipere, sed rupit omnia quæ pactus est cum eo antea, et alienavit se ab eo. 28. Et misit ad eum Athenobium unum de amicis suis, ut tractaret cum ipso, dicens: Vos tenetis Joppen, et Gazaram, et arcem quæ est in Jerusalem, civitates regni mei. 29. Fines eorum desolastis, et fecistis plagam magnam in terra, et dominati estis per loca multa in regno meo. 30. Nunc ergo tradite civitates quas occupastis, et tributa locorum in quibus dominati estis extra fines Judææ. 31. Sin autem, date pro illis, quingenta talenta argenti, et exterminii quod exterminastis, et tributorum civitatum alia talenta quingenta: sin autem, veniemus et expugnabimus vos. 32. Et venit Athenobius amicus regis in Jerusalem, et vidit gloriam Simonis, et claritatem in auro et argento, et apparatum copiosum: et obstupuit, et retulit ei verba Regis. 33. Et respondit ei Simon, et dixit ei: Neque alienam terram sumpsimus, neque aliena detinemus; sed hæreditatem patrum nostrorum, quæ injuste ab inimicis nostris aliquo tempore possessa est. 34. Nos vero tempus habentes, vindicamus hæreditatem patrum nostrorum. 35. Nam de Joppe et Gazara quæ expostulas, ipsi faciebant in populo plagam magnam, et in regione nostra: horum damus talenta centum. Et non respondit ei Athenobius verbum. 36. Reversus autem cum ira ad regem, renuntiavit ei verba ista, et gloriam Simonis, et universa quæ vidit: et iratus est rex ira magna. 37. Tryphon autem fugit navi in Orthosiada. 38. Et constituit rex Cendebæum ducem maritimum, et exercitum peditum et equitum dedit illi. 39. Et mandavit illi movere castra contra faciem Judææ; et mandavit ei ædificare Gedorem, et obstruere portas civitatis, et debellare populum. Rex autem persequebatur Tryphonem. 40. Et pervenit Cendebæus Jamniam, et cœpit irritare plebem, et conculcare Judæam, et captivare populum, et interficere, et ædificare Gedorem. 41. Et collocavit illic equites et exercitum, ut egressi perambularent viam Judææ, sicut constituit ei rex.

1. Et misit rex Antiochus filius Demetrii (senioris cui cognomen Soter, frater vero Demetrii junioris cui cognomen Nicanor) epistolas ab insulis maris (ex Rhodo, ait Appianus) Simoni Sacerdoti, — summo, id est Pontifici, et principi Judææ. Ut historiam hanc ab avo intelligas, nota. cum Demetrius a Thryphone fugatus exul et captivus detineretur ab Arsace, Tryphon tyrannus magnam Syriæ partem occupavit, Cleopatra Demetrii uxor cum paucis copiis Seleuciam profugit, ad quam plures Tryphonis tyrannidem detestantes in dies transfugiebant. Hæc ut se magis in regno corroboraret, Antiochum Demetrii mariti sui capti fratrem juniorem ad regnum et conjugium suum invitavit. Audi Josephum, lib. XIII, cap. XII: « Quamprimum Tryphon rex declaratus est absque persona Tryphonem agere cœpit; id quod adversariorum partibus non mediocriter profuit. Milites enim perfasi ejus mores defecerunt ad Cleopatram uxorem Demetrii, quæ tum in Seleuciam cum liberis se incluserat. Et cum Demetrii frater Antiochus cognomine Soter obtineret, nec ab ulla urbe reciperetur metu Tryphonis, misit ad eum Cleopatra, conjugium suum et regnum ei offerens; fecit autem hoc partim amicorum suasu, partim quod timeret ne quidam Seleucienses urbem Tryphoni traderent. »

Porro Antiochum hunc Josephus Soterem, id est salvatorem, cognominat; Eusebius vero et alii Sidetem, vel Sedetem a Sida urbe, vel Cilicie, ut vult Eusebius, vel illi vicinæ Pamphyliæ, ut habet Ptolemæus, Strabo, Plinius et alii, eo quod in Sida Antiochus hic sit natus vel educatus. Eumdem Appianus Pium cognominat. Cleopatra ergo Antiochum levirum suum fecit maritum et regem, adeoque simul duos fratres viventes habuit maritos, scilicet Demetrium captum apud Parthos, et Antiochum Sidetem regnantem in Asia et Syria: cum ante utrumque a Philometore patre desponsa fuisset Alexandro Velis regi Syriæ, qui erat patruelis Demetrii; sed vide justam Numinis in incestos vindictam. Antiochus enim in Perside, II *Machab.* I, 16, occisus fuit; Cleopatra vero Antiocho Grypho filio suo, quem ex Demetrio susceperat, et in regnum evexerat, tandem offensa eidem propinavit venenum; sed filius, id advertens, illud ipsum matrem specie officiositatis ebibere coegit. Illa itaque seipsum veneno suo, quod filio pararat, occidit. Ita Eusebius et alii. Porro Antiochum Grypho ejus ex Demetrio filium occidit Antiochus Cyzicenus ejusdem Cleopatræ ex Antiocho Sidete filius. Rursum

Seleucus Antiochi Gryphi filius, patris mortem ulciscens, Antiochum Cyzicenum patruum suum necavit; Seleucum vero vice versa ultio divina persecuta est; nam ipse superatus ab Antiocho Eusebe filio Cyziceni in domo regia a Mopseatis in Cilicia, ubi residebat, concrematus fuit. Ita Josephus, Justinus, Appianus et alii. Vide hic quod parricidiorum causa fuerit incestus Cleopatræ et Antiochi Sidetis. Ipsa enim trium Syriæ regum fuit uxor, nimirum primo Alexandri Velis, qui erat filius Antiochi Epiphanis: deinde duorum fratrum Demetrii senioris filiorum, et nepotum Seleuci, qui Epiphanis fuerat frater senior, nimirum Demetrii junioris et Antiochi Sidetis, ut dixi.

2. Rex Antiochus Simoni, etc., salutem. — Antiochus hic fuit hostis Judæorum infestissimus, ut patet vers. 27 et seq. sed hic necessitate et tyrannide Tryphonis inimici sui fœdus cum Simone ambit, ejusque opem implorat, ampla ei et Judæis concedens privilegia.

3. Nunc ergo statuo tibi omnes oblationes. — Græce ἀφορήματα, id est *ablationes*, scilicet onerum, puta immunitates a prioribus regibus Judæis indultas; unde ait: Quas remiserunt tibi ante me omnes reges.

6. Et permitto tibi facere percussuram propriæ numismatis, — hoc signum erat supremi dominii quod hic Judæis restituit Antiochus, cum prius id eis abstulisset Nabuchodonosor capiens Jerusalem, subjugansque Judæam, ac cæteri Persarum et Græcorum reges, qui Nabuchodonosoris regna successive ad se transtulerunt. Quare Judæi tunc numismate nunc a Chaldæis, nunc a Persis, nunc a Græcis cuso utebantur. Cudere enim monetam summæ est potestatis, qualis est regalis, imperialis, et ducalis absoluta.

7. Jerusalem autem sanctam esse et liberam. — Græce *et sancta esse libera*, id est sanctum templum, sanctumque ejus cultum, ac sanctus ejus victimas, vasa et ritus jubeo esse libera, ut libere a Simone et Judæis exerceri valeant, nec ab aliquo Gentilium impediri, aut idolorum victimis et superstitionibus inquinari queant.

8. Et quæ futura sunt regi. — Legendum videtur « regia, » Græce enim est βασιλικά, quæ vulgo regalia, scilicet jura appellantur. Hæc Antiochus condonat Judæis. Quid Antiocho responderit Simon tacet Scriptura, sed Josephus asserit, Simonem indulta et postulata Antiochi libenter acceptasse.

11. Et venit (Tryphon) Doram fugiens per maritimam, — scilicet regionem. Græce *fugiens per mare*; Vatablus *fugiens in Dorum maritimam*. Modum fugæ narrat Frontinus, lib. II *Strateg.* XII: « Tryphon, inquit, Syriæ rex victus per totum iter fugiens pecuniam sparsit, eaque sectantes Antiochi equites moratus effugit. »

15. Venit autem Numenius, quem Simon miserat ad Romanos, ut cum eis fœdus renovaret. Hic attulit litteras Romanorum, tum fœderales ad Simonem, tum inhibitorias ad Ptolemæum et vicinos reges, ne Judæos infestarent.

16. Lucius consul Romanorum. — Serarius pro « Lucius » censet legendum « Lepidus » qui consul fuit anno sequenti. Verum omnes Codices habent « Lucius. » Quare multi hic accipiunt L. Furium Philum qui cum Attilio Serrano consul fuit anno urbis Romæ conditæ 617. Sed hi ægre annos urbis cum annis Græcorum adæquant. Alii L. Cæciliam Metellum intelligunt, qui consul fuit anno Græcorum 170; sed hi non advertunt Numenium a Simone missum fuisse Romam anno 172 Græcorum, ideoque biennio post Metelli consulatum. Quocirca Sallianus censet Lucium hunc esse Calphurnium Pisonem, qui anno præcedenti Romæ fuerat consul cum collega Popilio, quo finiente ipse legatos Simonis Roma dimiserat, qui proinde anno sequenti ineunte Jerosolymam ad Simonem pervenerunt. Hunc enim Calphurnium Valerius Maximus, lib. I, cap. IX, Lucium præ nominat.

Ptolemæo regi salutem. — Hic est Ptolemæus cognomento Physcon vel Evergetes, qui Ptolemæo Philometori fratri suo jam mortuo, uti dictum est cap. XI, 18, in regno successit, fuitque crudelis et incestus. Nam ut de eo ait Justinus, lib. XXXVIII: « Post quod non mitior in populares, qui eum in regnum vocaverunt, fuit. Siquidem, peregrinis militibus licentia cædis data, omnia sanguine quotidie manabant, ipsamque sororem, filia ejus virgine per vim stuprata, et in matrimonium adscita, repudiavit. » Mox vero ejus formam et figuram ita describit: « Erat enim et vultu deformis, et statura brevis, et sagina ventris non homini, sed belluæ similis, quam fœditatem nimia subtilitas, et pellucida vestis augebat; prorsus quasi astu inspicienda præberentur, quæ omni studio occultanda pudibundo viro erant. » Idem Ptolemæus Physcon ipso die nuptiarum cum Cleopatra, filiolum ejus quem ex Ptolemeo Philometore fratre suo susceperat, ideoque regni hæredem, in ipso matris complexu occidit, teste Justino, lib. XXXVIII. Hic ergo Ptolemæus Physcon frater junior Philometoris dicebatur frater et maritus et gener Cleopatræ; nam ipse filiæ Cleopatræ vim intulit, deinde repudiata matre filiam in uxorem duxit, mox populus eum ob nimiam crudelitatem expulit, ac regnum detulit Cleopatræ priori ejus uxori, matri et sorori, ac statuas et imagines ejus detraxit ac dejecit; quod ille factum studio sororis existimans, filium quem ex ea susceperat, in Cypro interfecit, corpusque in membra divisum, et in cista impositum, matri die natali ejus, inter epulas afferri curat. Ita Justinus, lib. XXXVIII et XXXIX. Merito ergo ad hoc crudelitatis et incestus monstrum scribunt Romani, ne illam in Judæos sibi vicinos exerat.

22. Hæc eadem scripta sunt Demetrio regi, (qui jam ab Arsace captus detinebatur; sed Ro-

manu vel necdum audierant eum esse captum, ut vult Scaliger, vel putabant eum pace cum Arsace inita brevi liberandum), ET ATTALO, (qui fuit Eumenis filius et Pergami rex, ac moriens populum Romanum scripsit hæredem), ET ARIARATHI. (Hic fuit rex Cappadociæ frater Orophernis, pater Demetrii, teste Polybio, Justino, et Appiano), ET ARSACI. — Hic fuit rex Parthorum, qui Demetrium captivum detinebat.

23. ET IN OMNES REGIONIS (violans nimirum) ET LAMPSACO, ET SPARTIATIS, ET IN DELUM. — Nominantur hic novemdecim partim insulæ, partim urbes et regiones, ad quas Romani easdem dederé litteras pro Judæis, ne eis essent molesti, sed benevoli, ex quod nonnullæ ex eis nuntiis litteras ad regem jam nominatos deferentibus in ipso navigationis cursu dedendæ erant; aliæ Romanis valde erant addictæ, aliæ Judæis multum nocere vel commodare poterant. Apud omnes autem Romanorum nomen erat venerabile et formidabile. Has Romanorum litteras earum potentiam arguunt, sed Judæis non profuere; imo eis odium gentium conciliarunt, et Antiocho majorem iram concitarunt, ut patet versu 27.

25. ANTIOCHUS (Sidetes) AUTEM REX APPLICUIT CASTRA IN DORAM SECUNDO, (quia ob hiemem similemve causam obsidionem primam solverat; in vere ergo rediit, et secundo Tryphonem in Dora obsedit, ait Tyranus. Sed obstat quod sequitur,) ADDUCENS ET SECUM MANUS, — id est continuo urgens obsidionem, premensque Tryphonem. Alii ex Graeco vertunt *in secunda*, scilicet die, q. d. Secunda die a positis castris Antiochus cepit oppugnare Doram. Salianus vero « secundo, » inquit, « quia una parte urbis occupata Antiochus alteram partem nova et quinta secunda obsidione cinxit. Planius dicas secundam hanc obsidionem vocari; quia Antiochus novo conatu, novis viribus et copiis, novis machinis Doram e vicino, arcte pressique obsedit et concussit, ut nova et secunda videretur esse hæc ejus obsidio.

ET CONSILIUM TRYPHONEM NE PROCEDERET, — ne scilicet e Dora egredi posset; patet ex Graeco.

27. ET VOLUIT (Antiochus rex) EA, (scilicet militia et dona a Simone Pontifice missa) ACCIPERE. — Errat ergo Josephus, qui ait Antiochum ea accepisse, ob eaque Simonem inter intimos amicos habuisse; SED RUPIT OMNIA QUÆ PACTUS EST CUM EO: quia videbat se tot copiis, terra marique instructum, Tryphonem ad extremum redegisse, nec Simonis opera indigere; et quia Judæum quasi Syriæ partem regno suo Asiæ et Syriæ adjungere volebat; indignabatur enim unum Judææ angulum velle se subducere ab amplo suo Asiæ et Syriæ imperio.

28. VOS TENETIS JOPPEN ET GAZARAM, — id est, Gazam urbem Philistinorum; hanc enim expugnavit Simon, cum Gaza ad Judæam et Simonem non pertineret, ideoque eam a Simone repetit hic Antiochus.

31. ET EXTERMINII QUOD EXTERMINASTIS, ET TRIBUTORUM CIVITATUM ALIA TALENTA QUINGENTA, — q. d. Pro damnis et cladibus quas locis mihi subditis intulistis, et pro tributis quæ mihi eripuistis, solvite alia talenta 500.

32. ET VIDE GLORIAM SIMONIS. — Videtur interpres legisse καύχαν a κάλλος, id est gloria; jam legunt κάναβος, id est abacum, in quo reponuntur paterae, pocula, cæteraque vasa aurea et argentea.

ET APPARATUM COPIOSUM, — tum famulorum, tum armorum, tum militum, tum supellectilium.

33. ET RESPONDIT EI SIMON — cordate, æque ac animose, scilicet se non aliena, sed sua occupare: Joppen tamen et Gazam, licet aliena, occupasse jure belli, eo quod ipsæ prius Judæos infestassent.

34. NOS VERO TEMPUS HABENTES, — id est, occasionem commodam nacti.

37. NAM DE JOPPE ET GAZARA QUÆ EXPOSTULAS ID FACIEBANT IN POPULO PLAGAM MAGNAM; — Joppenses enim ducentos Judæos in mari submerserunt, ut patet lib. II, cap. XII. Gazarenses, id est Gazenses, utpote Philistini, olitani erant Judæorum hostes infestissimi. Hinc patet per Gazaram non intelligi Gazer, quæ erat in tribu Ephraim, ideoque ad Judæos spectans, sed Gazam; hæc enim ad Philistinos spectabat, non ad Judæos, ideoque quasi Judæis infesta a Simone fuit expugnata, et jure belli occupata.

HORUM DABUS TALENTA 100, — q. d. Etsi jure belli juste occupem Gazaram, tamen ad redimendam vexationem, et ut regibus Syriæ aliquid demam, sed abunde satisfaciam, ero eo et Joppe, offero iisdem centum talenta, id est 120 millia aureorum.

38. REVERSUS EST AUTEM (Athenobius) CUM VERBA AD REGEM, puta ad Antiochum Sidetem, 20 quæ Simon negasset ei quæ postulabat, ac pro millibus aureorum, quem petierat rex, Simon tantum obtulisset decimam circiter partem, scilicet 120 millia aureorum. Rex vero magis iratus fuit indigne ferens se a Simone negligi, sibique ab eo resisti. Hinc apte vocatus fuit Cendebæus, quæ vox Hebraice idem est quod zelus, vel possessio dolore, ait Pagninus *in Nom. Hebr.*

37. TRYPHON AUTEM FUGIT NAVI IN ORTHOSIADA. — Orthosias, teste Ptolemæo, lib. V, cap. XV, est urbs Phœniciæ in promontorio quod proxime abest a Cypro; est ergo urbs maritima. Quare non est Antaradus, ut aliqui putant, quia hæc est mediterranea; multo minus est Apamia, ut vult Josephus. Audi Adrichomium *in Descriptione terræ sanctæ*, parte 187, num. 20: Orthosia et Orthosias, hodie Tortosia vocata, maritima Phœniciæ urbs est, inter Tripolim et Archim sita: quæ post Christi tempora Episcopali sede inclyta fuit. In hanc urbem Tryphon e Dora (in qua ab Antiocho Syriæ rege obsidebatur) elapsus, navi aufugit, I *Machab.* XV, Tyrinus, XIII *Belli sacri*, II et XIV *Belli sacri*, XII, Ptolemæi.

PORRO SIDETES Orthosiadem cepit, et Tryphonem captum interfecit, teste Strabone, lib. XIV, Justino, Appiano, Josepho et aliis. Josephus ait Tryphonem per triennium regnasse, Sallianus vero per septennium, occisum enim esse anno principatus Simonis septimo. Vide hic justum Dei in homicidam et tyrannum judicium. Tryphon enim, qui Jonatham et Antiochum regem pupillum sibi creditum occiderat, tertio vel septimo anno post hanc cædem simili modo a Sidete occisus fuit, justa utique talionis pœna.

38. ET CONSTITUIT REX CENDEBÆUM DUCEM MARITIMÆ, — id est, præfectum classis sive archithalassum. Hunc misit Sidetes, ut invaderet Judæam.

39. ET IMPEDIVIT ÆDIFICARE GEDOREM, — Græce *Cedronem*. Erat urbs hæc in ingressu Judææ. Audi Adrichomium in tribu Dan, num. 28: Gedor quæ et Gador civitas tribu Juda in sorte Dan, sita ad Orientem vallis in terra pascuali, et uberrima. Hanc tempore Ezechiæ regis occupaverunt Simeonitæ, pulsis inde quibusdam Chananæis, quod terra hæc optissima esset gregibus, quibus Simeonitæ abundabant. Postea hæc civitas vocata est Cedro, quam ædificiis munivit Cendebæus dux Antiochi adversus Judæos, juxta quam et devictus est a Machabæis.

ET OBSTRUERE. — Græce ἐφράξαι, id est munire portas, ut Gedor sibi suisque loco arcis et munitionis, ad quem a Judæis pressi se reciperent, et in quem rapinas et spolia Judæorum conveherent.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Simon per Judam et Joannem filios suos profligat Cendebæum. Inde, vers. 11, Ptolemæus, gener Simonis, cum invitans dolose interficit cum duobus filiis, ut Judææ se Principem constituat. Denique, vers. 19, Joannes superstes Simonis filius, a Ptolemæo quæsitus ad necem, præmonitus ejus conatus elusit, ac patri in Pontificatu successit.

1. Et ascendit Joannes de Gazaris, et nuntiavit Simoni patri suo quæ fecit Cendebæus in populo ipsorum. 2. Et vocavit Simon duos filios seniores, Judam et Joannem, et ait illis: Ego et fratres mei, et domus patris mei, expugnavimus hostes Israel ab adolescentia usque in hunc diem; et prosperatum est in manibus nostris liberare Israel aliquoties. 3. Nunc autem senui; sed estote loco meo, et fratres mei, et egressi pugnate pro gente nostra: auxilium vero de cœlo vobiscum sit. 4. Et elegit de regione viginti millia virorum belligeratorum, et equites; et profecti sunt ad Cendebæum, et dormierunt in Modin. 5. Et surrexerunt mane, et abierunt in campum: et ecce exercitus copiosus in obviam illis peditum et equitum, et fluvius torrens erat inter medium ipsorum. 6. Et admovit castra contra faciem eorum ipse et populus ejus, et vidit populum trepidantem ad transfretandum torrentem, et transfretavit primus: et viderunt eum viri, et transierunt post eum. 7. Et divisit populum, et equites in medio peditum: erat autem equitatus adversariorum copiosus nimis. 8. Et exclamaverunt sacris tubis, et in fugam conversus est Cendebæus, et castra ejus: et ceciderunt ex eis multi vulnerati: residui autem in munitionem fugerunt. 9. Tunc vulneratus est Judas frater Joannis; Joannes autem insecutus est eos, donec venit Cedronem quam ædificavit. 10. Et fugerunt usque ad turres quæ erant in agris Azoti, et succendit ea igni. Et ceciderunt ex illis duo millia virorum, et reversus est in Judæam in pace. 11. Et Ptolemæus filius Abobi constitutus erat dux in campo Jericho, et habebat argentum et aurum multum. 12. Erat enim gener summi sacerdotis. 13. Et exaltatum est cor ejus, et volebat obtinere regionem, et cogitabat dolum adversus Simonem et filios ejus, ut tolleret eos. 14. Simon autem, perambulans civitates quæ erant in regione Judææ, et sollicitudinem gerens earum, descendit in Jericho ipse, et Mathathias filius ejus, et Judas, anno centesimo septuagesimo septimo, mense undecimo: hic est mensis Sabath. 15. Et suscepit eos filius Abobi in munitiunculam, quæ vocatur Doch, cum dolo, quam ædificavit: et fecit eis convivium magnum, et abscondit illic viros. 16. Et cum inebriatus esset Simon, et filii ejus, surrexit Ptolemæus cum suis, et sumpp-

serunt arma sua, et intraverunt in convivium, et occiderunt eum, et duos filios ejus, et quosdam pueros ejus. 17. Et fecit deceptionem magnam in Israel, et reddidit mala pro bonis. 18. Et scripsit hæc Ptolemæus, et misit regi ut mitteret ei exercitum in auxilium, et traderet ei regionem, et civitates eorum, et tributa. 19. Et misit alios in Gazaram tollere Joannem : et tribunis misit epistolas, ut venirent ad se, et daret eis argentum et aurum, et dona. 20. Et alios misit occupare Jerusalem, et montem templi. 21. Et præcurrens quidam nuntiavit Joanni in Gazara, quia periit pater ejus, et fratres ejus, et quia misitte quoque interfici. 22. Ut audivit autem, vehementer expavit ; et comprehendit viros qui venerant perdere eum, et occidit eos ; cognovit enim quia quærebant eum perdere. 23. Et cætera sermonum Joannis, et bellorum ejus, et honarum virtutum quibus fortiter gessit, et ædificii murorum quos exstruxit, et rerum gestarum ejus. 24. Ecce hæc scripta sunt in libro dierum sacerdotii ejus, ex quo factus est princeps sacerdotum post patrem suum.

1. Et ascendit Joannes de Gazaris, — id est, de Gaza ubi cum loco suo quasi exercitus ducem reliquerat et constituerat Simon pater.

3. Nunc autem senui ; sed istiote loco meo, et fratres mei. — Græca et Latina Complutensia habent : *et fratris mei*, scilicet Jonathæ et Judæ, ut nobis in ducatu et bellis pro Israele succedatis. Græca addunt : *Vos autem in misericordia idonei estis ætate*, id est, vos autem beneficio ætatis estis idonei ad bellandum.

4. Et elegit de regione viginti millia virorum belligeratorum (bellatorum), et equites. — Hic duntaxat invenio equites in castris Joannis et Judæorum, cum in castris Judæ, Jonathæ et Simonis hucusque non nisi pedites legerimus, eo quod Deus *Deuter.* XVII, multiplicationem equorum Judeis vetuisset.

6. Et transfretavit primus, — scilicet ipse Joannes Simonis filius, et exercitus dux, cujus exemplum cæteri, qui prius trepidaverant, illico secuti sunt ; quare animose invadentes Cendebæum eum occiderunt, et in fugam compulerunt.

Residui autem in munitionem fugerunt, — puta in Gedorem quam munierant, cap. præc. vers. 39.

9. Donec venit Cedronen (puta Gedorem, hæc enim Græce vocatur Cedron ; hanc ergo hostibus fugientibus insistens Joannes exforsit) quam ædificavit, — id est, quam ædificaverat et munierat Cendebæus, cap. præced. vers. 39.

Hoc fuit principium victoriarum et heroicorum facinorum Joannis quibus ipse fortiter et feliciter auspicatus est principatum loco Simonis patris sui, cui jam mors dolo Ptolemæi parabatur. Vide hic Dei providentiam quæ Israeli consuluit per Joannem, dum Simon pater ejus et dux per fraudem generi interimitur.

Porro Josephus hoc prælium more suo phalerat, ideoque multa falsa admiscet, scilicet quod Simon ipse huic prælio interfuerit, quod per insidias Cendebæum aggressus sit ; quod sæpius cum eo conflixerit, et semper victor exstiterit.

11. Et Ptolemæus filius Abobi constitutus erat Dux in campo Jericho, — scilicet a Simone Duce et Pontifice socero suo, ut sequitur. Hic Ptolemæus erat opulentus, ac per opes suas destinabat obtinere ducatum Judææ ; ideoque Simonem cum filiis totamque Assamonæorum stirpem delere cogitabat. Vide hic immane Ptolemæi parricidium et sacrilegium, quo summum Pontificem, cujus filiam ipse duxerat uxorem, per fraudem interfecit. Quid non audet ambitio et regnandi libido ?

16. Et cum inebriatus (id est largiore potu exhilaratus) esset Simon, — citra ebrietatem tamen. Unde Vatablus vertit : *Cum potu satiati essent.* Nam ut ait Nonnius Marcellus : « Ebrii dicuntur non solum vinolenti, sed et qualibet re expleti. » Sic fratres Joseph dicuntur inebriati, id est incaluisse mero, *Gen.* XLIII ; et *Psalm.* LXIII : « Visitasti terram, inquit, et inebriasti eam ; » et *Cant.* V, 1 : « Bibite et inebriamini, » id est exhilaramini, « charissimi. »

Et occiderunt eum et duos filios ejus. — Addit Josephus et ex eo Hegesippus uxorem Simonis fuisse captam cum filiis, excepto Joanne ; Joannem vero ultum necem patris et fratrum, et obsedisse Ptolemæum, sed obsidionem solvisse, eo quod Ptolemæus matri ejus captæ flagella aliaque tormenta intentaret, similiaque plura quæ parum videntur probabilia, imo S. Scripturæ dissona, uti ostendit Salianus et Sanchez.

Præfuit Simon Israeli septem integros annos, cœpit enim anno Græcorum 170, quo occisus est Jonathas ejus antecessor, I *Machab.* XIII, 8. Desiit vero anno 177 Græcorum, ut dicitur vers. 14. Quocirca errat Josippus, dum Simoni tribuit 18 annos, eumque occisum dicit a Ptolemæo rege Ægypti, idque justa Dei vindicta, eo quod cum Spartiatis et Romanis gentilibus fœdus iniisset. Denique occisus est Simon anno 134 ante Christi nativitatem.

21. Et præcurrens quidem nuntiavit Joanni in Gazara. — id est Gaza urbe, ut dixi. Joannes hic fuit filius Simonis primarius, vir animosus et bellicosus, qui Simoni in Ducatu et Pontificatu successit ; cognominatus fuit Hyrcanus, eo quod

Hyrcanos bello superasset, ait Eusebius et S. Thomas. Hujus Hyrcani heroica facta describuntur, lib. IV *Machab.* Ipse enim cum Antiocho Sidete rege Syriæ fœdus iniit, rege complures auratis cornibus tauros ad templi sacrificia submittente. Eumdem regem ab bellum Parthicum comitatus est ; Syriæ plurimas urbes cepit, Samaritas vicit, Garizitanum templum evertit, Idumæos domuit, ad innovandam societatem legatos Romam misit. Tandem post 31 annos principatus et sacerdotii sui satis concessit, relicto successore filio suo Aristobulo, qui loco « ducis » nomen « regis » cum diademate primus Assamonæorum assumpsit, et Pontificatui adnexuit, et adnexum reliquit fratri suo Alexandro, et Alexandri filio Aristobulo secundo : quo regnante capta a Pompeio Jerosolyma, et Judæa in provinciam redacta, et dignitas regia a Pontificali prorsus avulsa est.

Tumque desiit Ducatus, et stirps Assamonæorum, cum stetisset 130 annos, ut dixi in Proœmio ; Romani enim Herodem alienigenam constituerunt regem Judææ, tumque deficiente sceptro de Juda, venit natusque est Christus juxta oraculum Jacobi, *Genes.* XLIX, 9 et 10.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

COMMENTARIA

IN LIBRUM SECUNDUM

MACHABÆORUM.

ARGUMENTUM.

Hic secundus liber est quasi continua Epistola circularis, qua Judæi in Judæa degentes ad Judæos in Ægypto habitantes perscribunt clades et calamitates quas ipsi perpessi fuere ab Antiocho Epiphane, ejusque filio Eupatore : item, victorias quas Judas ecclitus ab Angelis, atque ab Onia et Jeremia adjutus, de fidem retulit, ideoque omnes ad Dei laudem et gratiarum actionem excitant. Totus ergo hic liber in gestis Judæ Machabæi et Martyrum fusius quam lib. I enarrandis consumitur. Similes circulares epistolas scripsere Christiani Smyrnenses, Viennenses et Lugdunenses quibus suorum fidelium martyria et afflictiones a tyrannis perpessas recensent, quæ extant apud Eusebium, IV *Hist.* XV, et lib. lib. V, I.

De auctore et auctoritate hujus libri, cæterisque eum concernentibus dixi in Prooemio lib. I. Causa scribendi hanc epistolam fuit ut tolleretur schisma inter Judæos in Judæa, et in Ægypto degentes, uti dicam cap. I, vers. 1.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

I vers. 1, usque ad 10, recensetur pars epistolæ scriptæ a Jerosolymitis ad Judæos in Ægypto degentes anno Græcorum 169, ut patet vers. 7, qua eos hortantur ut ipsi quoque celebrent festum Scenopegiæ. Mox, a vers. 10 usque ad 20, cap. II, recensetur alia epistola, vel potius alia ejusdem epistolæ pars a Jerosolymitis scripta anno Græcorum 188, ut patet vers. 10, qua enarrant historiam dati ecclitus ignis, idemque eosdem hortantur ut festum dati a Deo ignis celebrent. A vers. autem 20, cap. II, usque ad finem libri enarrant gesta Judæ Machabæi contra Antiochum Epiphanem et Eupatorem, eorumque duces Bacchidem, Timotheum, Nicanorem, etc., ac martyrium septem fratrum una cum matre, Eleazari et aliorum martyrum.

1. Fratribus qui sunt per Ægyptum, Judæis, salutem dicunt fratres qui sunt in Jerosolymis, Judæi, et qui in regione Judææ, et pacem bonam. 2. Benefaciat vobis Deus, et memineri testamenti sui quod locutus est ad Abraham, et Isaac, et Jacob, servorum suorum fidelium : 3. et det vobis cor omnibus, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem corde magno, et animo volenti. 4. Adaperiat cor vestrum in lege sua et in præceptis suis, et faciat pacem. 5. Exaudiat orationes vestras, et reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo. 6. Et nunc hic sumus orantes pro vobis. 7. Regnante Demetrio anno centesimo sexagesimo nono, nos Judæi scripsimus vobis in tribulatione, et impetu qui supervenit nobis in istis annis, ex quo recessit Jason a sancta terra et a regno. 8. Portam succenderunt, et effuderunt sanguinem innocentem : et oravimus ad Dominum, et exauditi sumus, et obtulimus sacrificium et similaginem, et accendimus lucernas, et proposuimus panes. 9. Et nunc frequentate dies scenopegiæ mensis Casleu. 10. Anno centesimo octogesimo octavo, populus, qui est Jerosolymis et in Judæa, Senatusque et Judas, Aristobolo magistro Ptolemæi regis, qui est de genere christorum sacerdotum, et his qui in Ægypto sunt, Judæis, salutem et sanitatem. 11. De magnis periculis a Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi, utpote qui adversus talem regem dimicavimus. 12. Ipse enim ebullire fecit de Perside eos qui pugnaverunt contra nos et sanctam civitatem. 13. Nam cum in Perside esset dux ipse, et cum ipso immensus exercitus, cecidit in templo Nanææ, consilio deceptus sacerdotum Nanææ. 14. Etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus, et amici ejus, et ut acciperet pecunias multas dotis nomine. 15. Cumque proposuissent eas sacerdotes Nanææ, et ipse cum paucis ingressus esset intra ambitum fani, clauserunt templum. 16. Cum intrasset Antiochus, apertoque occulto aditu templi, mittentes lapides percusserunt ducem et eos qui cum eo erant, et divisserunt membratim, et capitibus amputatis foras projecerunt. 17. Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios. 18. Facturi igitur quinta et vigesima die mensis Casleu purificationem templi, necessarium duximus significare vobis : ut et vos quoque agatis dies scenopegiæ, et diem ignis qui datus est, quando Nehemias ædificato templo et altari obtulit sacrificia. 19. Nam cum in Persidem ducerentur patres nostri, sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occulte absconderunt in valle, ubi erat puteus altus et siccus, et in eo contutati sunt eum, ita ut omnibus ignotus esset locus. 20. Cum autem præterissent anni multi, et placuit Deo ut mitteretur Nehemias a rege Persidis, nepotes sacerdotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem : et sicut narraverunt nobis, non invenerunt ignem, sed aquam crassam. 21. Et jussit eos haurire, et afferre sibi ; et sacrificia, quæ impo-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sita erant, jussit sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua, et ligna, et quæ erant superposita. 22. Utque hoc factum est, et tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. 23. Orationem autem faciebant omnes sacerdotes, dum consummaretur sacrificium, Jonatha inchoante, cæteris autem respondentibus. 24. Et Nehemiæ erat oratio hunc habens modum : DOMINE Deus omnium creator, terribilis et fortis, justus et misericors, qui solus es bonus rex, 25. solus præstans, solus justus et omnipotens, et æternus, qui liberas Israel de omni malo, qui fecisti patres electos, et sanctificasti eos : 26. accipe sacrificium pro universo populo tuo Israel, et custodi partem tuam, et sanctifica. 27. Congrega dispersionem nostram, libera eos qui serviunt Gentibus, et contemptos et abominatos respice ; ut sciant Gentes quia tu es Deus noster. 28. Afflige opprimentes nos, et contumeliam facientes in superbia. 29. Constitue populum tuum in loco sancto tuo, sicut dixit Moyses. 30. Sacerdotes autem psallebant hymnos, usquequo consumptum esset sacrificium. 31. Cum autem consumptum esset sacrificium, ex residua aqua Nehemias jussit lapides majores perfundi. 32. Quod ut factum est, ex eis flamma accensa est ; sed ex lumine, quod refulsit ab altari, consumpta est. 33. Ut vero manifestata est res, renuntiatum est regi Persarum, quod in loco, in quo ignem absconderant hi qui translati fuerant sacerdotes, aqua apparuit, de qua Nehemias, et qui cum eo erant, purificaverunt sacrificia. 34. Considerans autem rex, et rem diligenter examinans, fecit ei templum ut probaret quod factum erat. 35. Et cum probasset, sacerdotibus donavit multa bona, et alia atque alia munera, et accipiens manu sua, tribuebat eis. 36. Appellavit autem Nehemias hunc locum Nephtar, quod interpretatur purificatio. Vocatur autem apud plures Nephi.

Hinc patet hanc epistolam, utpote scriptam anno 188 Græcorum, datam fuisse post gesta Judæ, Jonathæ et Simonis, lib. I descripta, ideoque apte subnecti libri primi. Liber primus enim finitur in morte Simonis, quæ contigit anno Græcorum 177. Quare mox eo anno post Simonis mortem scripta fuit hæc epistola, sive liber hic secundus *Machab.* Prior vero epistola pars scripta anno 169 Græcorum, scripta fuit paulo ante captivitatem et eadem Jonathæ ; hæc enim facta est a Tryphone anno 170 Græcorum, ut dictum. Jonathæ successit Simon, ut dictum est libro I, cap. XIII, vers. 41. Quare pars hæc epistolæ hoc ordine temporis collocando foret, libro I, cap. XII, ante vers. 33.

1. FRATRIBUS QUI SUNT PER ÆGYPTUM JUDÆIS SALUTEM DICUNT FRATRES, QUI SUNT IN JEROSOLYMIS JUDÆI. — Ægyptus enim abundabat Judæis, tum quia eis erat vicina, tum quia Ptolemæus Lagi primus post Alexandrum magnum Ægypti rex 220 millia Judæorum captiva in Ægyptum duxerat, tum quia jam recenter sub Ptolemæo Philometore Onias filius Oniæ Iedii Pontificis templum magnificum Heliopoli in Ægypto construxerat simile Jerosolymitano, ibique Pontificem agebat, ad quod proinde multi Judæorum confluebant, præsertim quia in Ægypto tuti erant a Seleucidis, pula ab Antiochis et Demetriis, qui continue Judæam infestabant. Scribunt ergo Judæi e Jerosolymis ad Judæos, qui erant in Ægypto, quasi ad fratres, id est cognatos et contribules [illegible] ut eos in vera fide, religione et unione cum Synagoga sive Ecclesia continuent, ne scilicet a Jerosolymis et templo faciant schisma ob templum suum Heliopolitanum, sicut eodem tempore Judæi in Samaria degentes erigendo templum in monte Garizim schisma fecerunt a Judæis, et templo Jerosolymitano, ut patet *Joan.* cap. IV. Vide de templo Heliopolitano Josephum, lib. XII, cap. I et VI, et libro XIII, cap. VI. Ad schisma ergo hoc tollendum, Judæi e Jerosolymis, ac Judas hanc epistolam scripserunt ad Judæos in Ægypto commorantes.

4. ADAPERIAT COR VESTRUM IN LEGE SUA, — q. d. Deus luce cœlesti per gratiam suam vos illuminet et inflammet ut legem ejus plene cognoscatis, et cognitam adimpleatis, præsertim vero ut a templo vestro Heliopolitano, Pontifice proprio, et sacrificiis a Deo vetitis ibidem ad Jerusalem nostrumque templum et Pontificem Jonatham post liminio redeatis. Deus enim vetuerat alibi quam in templo Jerosolymitano sibi sacrificari, *Deuter.* cap. XII, 11 et *Levit.* VII, 3.

ET FACIAT PACEM, — tum a bellis, tum potius a templi divisione et schismate, ut nobiscum in unum synagogam coalescatis, et ad unum nobiscum templum conveniatis, ibique festum Scenopegiæ, ut sequitur, celebretis.

7. REGNANTE DEMETRIO (juniore dicto Nicanore, Demetrii Soteris filio) ANNO CENTESIMO SEXAGESIMO PRIMO — Græcorum, hic enim fuit annus tertius regni Demetrii, qui post triennium, anno scilicet 172 Græcorum, captus fuit ab Arsace rege Par-

m, ut dictum est I *Machab.* XIV, vers. 1 et 3.

EX QUO RECESSIT JASON, — de quo cap. IV, vers. 7.

8. PORTAM SUCCENDERUNT, *q. d.* (Instigante impio Jasone Antiochus per suos satellites portas Jerusalem et templi ac reliquarum Judææ civitatum succendit. Verum) ORAVIMUS AD DOMINUM, ET EXAUDITI SUMUS, (ut per virtutum Judæ Machabæi tempii profanati fieret purgatio, novaque dedicatio, in quo proinde jam nove dedicato) OFFULIMUS SACRIFICIUM, (reliquaque in pristinum statum restituimus, nimirum) ACCENDIMUS LUCERNAS (septem in candelabro aureo septicipili,) ET PROPOSUIMUS PANES 12, — juxta 12 tribus Israel in mensa panum propositionis.

9. ET (id est idcirco) NUNC FREQUENTATE (et frequentando celebrate) DIES SCENOPEGIÆ, — id est, festum Enceniorum institutum a Juda Machabæo in memoriam purgationis et novæ dedicationis templi ab eo factæ, idque die 25 mensis Casleu, qui nostro novembri respondet. Nota, festum Scenopegiæ proprie erat festum Tabernaculorum, quod per octo dies celebrabatur in mense Tisri, id est in septembri ; hic vero per catachresin festum Enceniorum vocant festum Scenopegiæ, quia hoc erat simile : utrumque enim celebrabatur magna totius populi lætitia cum ramis, thyrsis, tubis et tympanis per octo dies, ut patet I *Machab.* IV, 54 et II *Machab.* X, 6, ubi dicitur festum Enceniorum institutum et celebratum fuisse « in modum festi Tabernaculorum ; » unde vocatur « Scenopegia Casleu, » non Tisri. Hortantur ergo ut Judæi in Ægypto celebrent festum Enceniorum per viridium ramorum gestationem, per clangorem tubarum, similiaque signa lætitiæ, non autem ut in templo Heliopolitano victimas Deo offerant : hoc enim lege Dei erat vetitum. Sic Machabæi profugi in montibus celebrarunt Scenopegiam cum thyrsis sine sacrificiis, ut patet cap. X, vers. 6.

10. ANNO 188 (Græcorum), POPULUS QUI EST JEROSOLYMIS ET IN JUDÆA, SENATUSQUE ET JUDAS. — Hic Judas, ait Rupertus, lib. X *De victor verbi Dei*, cap. XV, Serarius, Salmeron, Mariana et alii, videtur esse auctor hujus posterioris epistolæ, adeoque totius hujus libri secundi *Machab.* nimirum Judas Essenus, qui, ut ait Josephus lib. XIII, cap. XIX, hoc tempore ob donum prophetiæ magnæ apud omnes erat existimationis, et post 20 annos Antigono Joannis Hyrcani filio mortem prædixit, quæ et paulo post secuta est. Adeoque Josephus ejus prædictiones nunquam fefellisse, sed reipsa semper evenisse.

Sanchez tamen putat hunc Judam fuisse Joannis Hyrcani ducis et Pontificis filium, qui hoc tempore patri successerat, eratque dux et Pontifex Israelis, teste Josepho, lib. XX *Antiq.* cap. VIII. Ubi addit Judam hunc alio nomine dictum fuisse Aristobulum, ac per unum annum duntaxat regnasse ; quare mortuum sine filio, regnum et Pontificatum reliquisse fratri suo Alexandro, qui alio nomine dictus est Jannæus. Verum obstat quod hic Judas sive Aristobulus primus sibi diadema imposuerit, seque regem Judææ nominarit, ac matrem suam fame necarit in vinculis : fratrem vero suum Antigonum jam nominatum occiderit ; reliquos autem fratres in vinculis habuerit, quoad vixit, teste Josepho, lib. XIII *Antiq.* cap. XIX et XX, quæ omnia Scriptore hagiographo videntur indigna. Adde Aristobulum hunc regnasse anno non 188, ut hic dicitur, sed 209 Græcorum, uti ostendit Salianus et alii. Quare hoc anno 188, adhuc Israeli præerat pater Aristobuli Joannes Hyrcanus, cujus proinde potius quam Aristobuli filii, erat scribere hanc epistolam. Denique Bellarminus, lib. I *De Verbo Dei*, cap. XV, putat hunc Judam esse Judam Machabæum. Verum is jam ante 36 annos in prælio occubuerat.

Porro hic incipit posterior epistola, itaque ejus est titulus. Duas enim hic jungi epistolas censet Rupertus, lib. X, cap. XV, Glossa, Lyranus, Bellarminus, Melchior Canus, lib. II *De* [illegible], cap. XI Medina, lib. VI *De Fide*, cap. XIII. Sed verius videtur non duas, sed unam duntaxat esse epistolam scriptam anno 188 Græcorum, in qua tamen refricent et renovent epistolam a se scriptam anno 1696 Græcorum, *q. d.* Hæc quidem illo anno scripsimus, hoc autem anno scribimus vobis quæ sequuntur : sed pro ea locutione repetunt salutationem, cum appositione propriorum nominum, eorum qui litteras mittunt, et eorum ad quos mittuntur, quæ initio fuerant prætermissa. Ita Salianus et Sanchez.

ARISTOBULO MAGISTRO PTOLEMÆI REGIS, QUI EST DE GENERE CHRISTORUM (id est, unctorum oleo sancto) SACERDOTUM. — Aristobulus hic, ait Rabanus, fuit natione Judæus, sed peripateticus philosophus esse agnoscitur, qui ad Philometorem Ptolemæum explanationum in Moysen commentarios scripsit, ut chronographi produnt. Ita Rabanus. Intelligit autem Eusebium, cujus illa sunt verba in *Chron. sub initium regni Ptolomæi* : « Aristobulus, inquit, cujus secundus Machabæorum liber initio meminit, quemque Aristotelicæ peritum fuisse philosophiæ constat : similiter manus et cetera membra, quando de Deo dicuntur, intelligenda esse in libro quem ad Ptolemæum scripsit, declarat, etc. » Idem asserit Clemens Alexandrinus, lib. V *Strom.* Addit Eusebius eum oriundum fuisse ex Pareadi, ubi Jordanis est origo : « Videtur autem, ait Salianus, nomen magistri regis adeptus, vel ex illo scripto libro, in quo regem Philometorem docebat, vel quod eum de rebus Mosaicæ legis doceret, quæ deinde libro illo sit complexus. » Alii tamen censent eum fuisse magistrum Ptolemæi Lathuri, qui fuit filius Ptolemæi Physconis : hoc enim verba sonare videntur. Nam ut ait Rupertus loco citato : « Consueverant Ægypti reges jam inde a temporibus Ptolemæi Philadelphi (qui legem per 72 sibi fecit interpretari) magistros habere Judæos. » Ubi nota : Phys-

con erat frater junior Philometoris; unde et illiberi defuncto in regno successit, isque hoc tempore regnabat : unde filio suo Lathuri Aristobulum sacerdotem Judæum videtur dedisse magistrum.

11. GRATIAS AGIMUS IPSI, UTPOTE QUI ADVERSUS TALEM REGEM DIMICAVIMUS, — qui postea in Perside occisus fuit a sacerdotibus deæ Naneæ, ut sequitur.

Quæres quisnam fuerit hic rex. *Primo* aliqui censent fuisse Antiochum magnum, qui pater fuit Antiochi Epiphanis ac cum Annibale contra Romanos pugnans, victus est a Scipione, qui inde cognomen Asiatici accepit. Verum hic Antiochus ante annos 58 erat defunctus, nimirum anno 124 Græcorum. Adde : hic Judæorum quærit hostis, sed inimicus, teste Josepho, lib. XII, cap. III.

Secundo, alii accipiunt Antiochum Epiphanem, qui Judæorum et templi fuit hostis acerrimus. Ita Torniellus, Bellarminus, loco citato, et Pererius, lib. IX *in Danielem*. Verum Epiphanes non fuit occisus in templo Nanææ, ut hic dicitur, sed in Babylone percussus a Deo expiravit, ut audiemus cap. IX. Respondet Emmanuel Sa epistolam hanc non habere auctoritatem S. Scripturæ sicut nec alias epistolas Spartianarum, Flaminarum et aliorum hisce libris citatas, ne prorsus filii posse et errare, sed S. Scripturam solum narrare ita illos scripsisse. Verum hoc durum est dicere. Sic enim idem de toto hoc libro, qui est Epistola Judæ, et Jerosolymitarum ad Judæos Ægyptios dici posset : quod absit.

Tertio, Al. serenissimus Serarius et Salianus hic, ac Ruparius, lib. X *De auctor. verbi Dei*, cap. XVI, Michael Medina, lib. VI *De recta in Deum Fide*, cap. XIII, Sigonius, in lib. II *Sulpitii*, censent hunc esse Antiochum Sidetem filium Demetrii Soteris, et fratrem Demetrii Nicanoris, qui Nicanore ab Arsace capto regnum Asiæ et Syriæ occupavit : hic enim, ut audivimus lib. I, cap. XV, sub Simone Pontifice, et sub Joanne Hyrcano Simonis filio Judæos afflixit et desolymam, in eaque Joannem, teste Josepho, obsedit; sed urgente bello Parthico cum Joanne et Judæis pacem mit, eosque sacrum contra ritus deoxit, ubi et periit. Sidetes enim hoc tempore regnabat, cum Epiphanes, ejusque pater, jam pridem erat vita functus (1).

(1) Quis fuerit hic Antiochus qui miserabiliter in Perside occubuit, Interpretes in templo Nanææ, ubi eum sacerdotes introduxerant ut Deam uxorem duceret, multum semper inter Interpretes controversum est. Porro, si testimonia ex historia deprompta serio discutiantur, fatendum est illum Antiochum nec Antiochum Sotorem esse dicendum, cum hic Antiochi soteris ; nec ejus successorem Antiochum, cognomento Pium, qui a Lentulo veneno sublatus fuit ; nec Antiochum Epiphanem, qui longe diverso modo vitæ functus est, II *Macch.* IX, 5 ; nec ejus filium Antiochum Eupatorem, qui post duos annos a Demetrio interfectus est ; nec Antiochum VI a Tryphone interfectum : nullus igitur alius superest Antiochus cujus regnum tempori quo hæc epistola scripta fuit, aptum congruat, nisi Antiochus cognomento Sidetes. Attamen quædam difficultas cum sicut alias excludere videtur. Aut enim Sidetes regnare cœpit anno 174, illumque sex vel septem annos regnasse, et in bello versus annum 183 occubuisse, Porphyrius et Eusebius asserunt. Quomodo igitur Judæ, anno 188, mortem hujus principis dicet fugum imperiumque ejus in epistola exhibere potuerunt? Quæ quidem difficultatem cum aliter resolvere non posset Tirinus, opinionem Porphyrii et Eusebii, ut solum veritati consentaneam, contra auctorem libri II *Machab.*, probare et sequi non dubitavit. (*Concordantia veteris et novi Testamenti. — Tabula chronologica*, in fine). Sed doctissimus Erasmus Frobich, jam antea a nobis citatus, in *annalibus regum et gestis in Syria*, Porphyrium et Eusebium in errore manifesto versatos fuisse demonstravit ; et in probationem duo nummismata Antiochi cujus gestamina proferuntur, unum anno 183, alterum anno 184 cusum, quæ Antiochum sidetem anno tempore a duobus historicis anchoritate assignatum regnasse ostendunt. Una ex duobus nummismatibus hic inscribitur :

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΤΥΡΟΥ ΙΕΡΟΥ ΑΣΥΛΟΥ.

Regis Antiochi Tyri sacrum asylum 184.

(Vide opus Cardinalis Wiseman, cui titulus : *Relationes inter scientiam et religionem restitutas*, orat. 2.)

Ergo τὸ « ebullire » tria significat. *Primo* magnum copiam et ardorem militum Sidetis, scilicet quod quasi musæ, vel ranæ numerosissimæ ex aqua, id est ex Syria et Perside ebullierint, et invaserint Persidem omnibus undique ad eam prædandam confluentibus. *Secundo*, quod in Perside magno numero sint occisi et mortui, sicut musæ et ranæ, paulo postquam natæ sunt ex aqua, in eadem suffocantur et moriuntur. *Tertio*, quod Persis eos jam cadavera factos a se in sepulcra et abyssum expulerit, et ejecerit, sicut mare cadavera expuit, et in littes evomit.

13. NAM CUM IN PERSIDE ESSET DUX IPSE, (*q. d.* cum Antiochus Sidetes, rex et dux exercitus, Persidem invaderet,) ET CUM IPSO IMMENSUS (Græce ἀνυπόστατος, id est *irresistibilis*, cui resisti vix potuit) EXERCITUS, CECIDIT (Græce ἐπεσκοτώθησαν, id est, *percussi sunt*) IN TEMPLO NANEÆ, — dissentiunt a Scriptura et inter se historici profani (ideoque non ea, sed S. Scripturæ hic credendum est) de modo necis et mortis Antiochi Sidetis. Nam Josephus et Justinus, lib. XXXVIII, asserunt eum in prælio a Parthis sive Persis occisum. Appianus in Syriacis asserit eum a Parthis victum seipsum interimisse. Ælianus, lib. X *De Anim.* cap. XXXIV, cum se præcipitem dejecisse. Eusebius : « Arsaces Parthus, inquit, Antiochum interfecit. » Alii putant eum a fratre suo Demetrio ab Arsace dimisso, ac regnum suum repetente fuisse occisum. Verum hæc dissensio arguit eos nil certi hac de re habuisse, ac variis falsisque vulgi rumoribus fidem habuisse. Quare credendum est S. Scripturæ quæ hic asserit eum in templo Naneæ cum illud expilare vellet, a sacerdotibus lapidatum et occisum.

Porro Nanea erat dea Gentilium, quæ vel fuit Diana, ut opinatur S. Thomas, Lyranus, Pererius et Paginius, *in Nom. Hebr.* « Nanea, ait, lingua [illegible] est Diana, » vel potius Venus, uti ex Agathia Beroso, Clemente, Athenodo, Symmacho, Gyraldo et aliis ostendit Serarius et Salianus ; Persæ enim tam Venerem quam Dianam colebant ; sed illæ sequuntur magis congruunt Veneri.

14. ETENIM CUM EA HABITATURUS VENIT AD LOCUM (templum Naneæ) ANTIOCHUS, ET AMICI EJUS, AD UT ACCIPERET PECUNIAS NUPTAS DOTIS NOMINE. — Pro habiturus » Græce est συνέλθων, id est habiturus cum illa quasi cum conjuge sua. Finxit ergo antiochus se cum dea Nanea velle conjugium inire, ut hoc honesto prætextu templum ejus expilaret, quasi omnia ejus donaria loco dotis accepturus foret ; sed sacerdotes fraudem et spolium suboluerant, dotem non gemmarum, sed lapidum dederunt, id est lapidaverunt et occiderunt.

Porro prisci reges nonnulli olim volebant haberi quasi dii quidam terrestres, ac proinde cum deabus conjugia se ioire jactabant. Audi Senecam lib. I *naturalium* : « Desponderunt Athenienses Antonio in matrimonium Minervam ; Antonius ait se ducturum, sed dotis nomine imponere se illis mille talenta. » Sic Antiochus Gryphus unam se maritam jactavit, Numa Egeriæ, Anchises Veneris (ex qua fingitur Æneam genuisse), Bellogabalus Uraniæ, Peleus Thetidis ; unde nonnulli putant a Peleo ritum illum manasse, quo Veneri Thetidem, id est mare quotannis in festo Ascensionis solemni ritu jacto in mare annulo sponsalitio sibi despondent. Porro horum cum deabus regalium connubiorum luculenti testes sunt Josephus, Plutarchus, in *vita Marci Grassi*, Xiphilinus, Herodotus, Isocrates et Suetonius, qui in *vita C. Caligulæ*, cap. XXI, scribit eum se Veneris maritum vindicasse.

15. CUMQUE PROPOSUISSENT (promisissent Antiocho Sideti se illi pro dote daturos) EAS SACERDOTES NANEÆ, ET IPSE CUM PAUCIS COMITIBUS ESSET INTRA AMBITUM FANI (quasi sacros aquarum ritus celebraturi), CLAUSERUNT TEMPLUM.

16. CUM INTRASSET ANTIOCHUS, APERTUQUE OCCULTO ADITU TEMPLI (in superiori laqueari, vel in parietibus templi, inde) MITTENTES LAPIDES (Græce : *lapidibus fulminantes*) PRÆCUSSERUNT DUCEM (regem Antiochum Sidetem), ET DIVISERUNT DEMEMBRATIM, ET CAPITIBUS AMPUTATIS FORAS PROJECERUNT, — in ejus milites et vulgus sparsentes Sidetem cum suis ab aliquo Deo Antiochi rivali, qui deam Naneam sibi ambiebat sponsam, cæsum et fulminatum esse, ne ipsi quasi necis auctores a militibus Sidetis cæderentur. Atque hinc tam variæ in vulgus de morte Sidetis, utpote occulta, emanarunt sententiæ quas ex Justino, Appiano et aliis recensui versu 13.

Itaque Judæi hic pro cæso Sidete tanto tyranno et hoste suo Deo gratias agunt. Quare ridicule Scaliger et nonnulli alii scribunt Antiochum in templo Naneæ non cæsum, sed fuga elapsum salvum Antiochiam redisse.

18. FACTURI IGITUR QUINTA ET VIGESIMA DIE MENSIS CASLEU PURIFICATIONEM TEMPLI, — hoc est celebraturi die 25 Casleu festum Encæniorum in memoriam purificationis et novæ dedicationis templi facta a Juda Machabæo, I *Machab.* IV, vers. 52.

NECESSARIUM DUXIMUS SIGNIFICARE VOBIS, UT ET VOS QUOQUE AGATIS DIES SCENOPEGIÆ (id est festum Æneæniorum simile Scenopegiæ, ut dixi versu 9), ET DIES IGNIS. — Eadem enim die 25 Casleu, cum in Encæniis jam dictis offerrent sacrificia, ignem a Deo celitus in illa missus fuit ad ea comburendum, ideoque institutum est festum dati ignis, quod eodem die 25 Casleu, vel certe postero die (ut festum ignis proprium sibi haberet diem), celebrabatur : cujus rei historia fusa in sequentibus enarratur.

19. NAM CUM IN PERSIDEM (id est in Chaldæam sive in Babyloniam a Nabuchodonosor) DUCERENTUR PATRES NOSTRI. — Chaldæa hic vocatur Persia tum quia multi Judæi abducti in Chaldæam sparsi fuere per Persiam, Mediam, aliasque regiones Chaldæis subditas : tum quia tempore Nehemiæ, quo datus fuit ignis, monarchia Chaldæorum

translata erat ad Persas; tunc enim Artaxerxes, rex Persarum, dominabatur tam Chaldæis quam Persis : quare omnes regiones tunc Persis subjectæ, inter quas erat Chaldæa, vocantur Persia, uti ex S. Chrysostomo, Lucano et aliis probat Serarius.

ACCEPTUM IGNEM DE ALTARI OCCULTI ABSCONDERUNT IN VALLE UBI ERAT PUTEUS ALTUS ET SICCUS. — id est ignem in puteo, qui erat in valle, absconderunt. Ignis hic, ut patet *Levit.* IX, 24, primitus a Deo datus fuit Aaroni, cum is primo in altari a Mose fabricato sacrificium obtulit : hoc enim igne ccelestl concrematum fuit, ut scilicet Deus illud approbaret, sibique gratum ostenderet; unde et jussit illum ignem additis lignis et fomentis deinceps semper conservari, ut non nisi illo igne divino postorum sacrificia Deo comburerentur, *Levit.* VI, 12, unde cap. X, 1, 2, Deus occidit Nadab et Abiu, eo quod igne profano thurificassent. Exciso vero a Chaldæis cum urbe, altari et templo, ignem hunc ne periret sacerdotes extulerunt et absconderunt in valle et puteo jam dicto, sperantes Deum ignem hunc post suum e Babylone reditum resuscitaturum. Ita Rupertus, lib. X *De victor. verbi Dei*, cap. XVIII : « Ignem, ait, moriturum, qui nutriri non poterat, qui ubi nutriretur non habebat, illi resuscitandum commiserunt, in quo est spes resurrectionis mortuorum, nec eos fefellit spes. Quomodo? » quia hanc eorum spem Deus hic per Nehemiam explicuit. Simili modo horum sacerdotum fidem, spem et pietatem laudat S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. XIV : « Non illis, inquit, studio fuit aurum defodere, argentum abscondere, quod servarent posteris suis, sed inter extrema sua honestatis curam habentes sacrum ignem servandum putarunt : ne eum vel impurum contaminaret, vel defunctorum sanguis extingueret, vel deformium ruinarum acervos aboleret. Abierunt itaque in Persidem sola religione liberi, quoniam sola illis per captivitatem extorqueri nequivit. Post plurimum vero temporis, quando placuit Deo, dedit hanc mentem regi Persarum, ut instaurari in Judæa templum, et legitimos reparari Hierosolymis usus juberet. Cujus gratia muneris Nehemiam sacerdotem rex Persarum direxit. At ille secum direxit illorum sacerdotum nepotes, qui profecturi de patrio solo, sacrum ne periret ignem absconderant. »

20. UT MITTERETUR NEHEMIAS A REGE PERSIDIS. — Nehemias ter missus fuit a rege Persidis in Judæam, *primo*, a Cyro anno primo monarchiæ ejus : tunc enim Nehemias cum Zorobabel, Esdra et Jesu Pontifice e captivitate Babylonica rediit in Jerusalem, adeoque unus fuit e redeuntium primoribus et ducibus, ut patet I *Esdræ* II, 2, et *Nehemiæ* VII, 7 et 65. *Secundo*, missus fuit ab Artaxerxe Longimano anno regni ejus 20, *Nehem.* II, 1. *Tertio*, ab eodem missus fuit anno regni sui 32, ut patet *Nehem.* cap. ult. 6. Quæritur ergo de qua missione hic sit sermo, et consequenter quando contigerit hæc missio ignis de cœlo facta Nehemiæ. Franciscus Ribera, lib. V *De Templo*, cap. XVII, verisimiliter hæc de secunda missione accipit; hæc enim propria fuit missio solius Nehemiæ. Quare hæc contigisse anno 20 Artaxerxis in festo Tabernaculorum, quod primum solemniter celebravit Nehemias post suum e Perside reditum, ut patet *Nehem.* VII, ideoque illo festo, cum ipse juxta legem sacrificia statuta offerret ignem e cœlo a Deo missum, sacrificia inflammasse et consumpsisse. Quocirca in memoriam hujus beneficii Judæos deinceps festum dati ignis celebrasse ipso festo Tabernaculorum, quo primitus erat datus, atque hac de causa hic dici vers. 9 : « Et nunc frequentate dies scenopegiæ. »

Verum probabilius est datum a Deo fuisse ignem paulo post primam Nehemiæ missionem factam a Cyro, nimirum anno sexto Darii Hystaspis die tertio mensis Adar, id est februarii. Tunc enim perfecta fuit fabrica novi templi, ejusque facta est solemnis dedicatio cum oblatione plurimarum victimarum, ut patet *Esdræ* VI, 15 et 16. Ergo tunc datus fuit cœlitus ignis sacer quo victimæ comburendæ erant juxta *Levit.* VI, 12, ubi vetatur ne igne communi et profano victimæ crementur, ideoque jubetur ut sacerdotes ignem sacrum e cœlo missum *Lecit.* VIII, semper foveant et conservent. Alioqui enim Hebræi per annos 70 (tot enim fluxerunt ab anno sexto Darii, quo dedicatum est per sacrificia templum usque ad annum 20 Artaxexis, qui Nehemiam secundo misit in Judæam), caruissent in templo igne sacro, omnesque suas victimas per ignem laicum et profanum immolassent, quod Deus lege sua vetuerat.

Dices : Anno sexto Darii Nehemias erat juvenis, ac digniores eo erant Zorobabel, Esdras et Jesus Pontifex; quare iis potius tribuenda foret hæc ignis missio, quam Nehemiæ. Respondeo omnes hi erant coævi Nehemiæ, ideoque cum eo ætate pares vel suppares. Nehemiæ autem hæc potius tribuuntur, quam aliis : *primo*, ob zelum religionis qua præcellebat; *secundo*, ob ejus nobilitatem et dignitatem : fuit enim ipse unus e primis Judæorum e Babylone redeuntium ducibus. *Tertio*, quia ipso in magno honore fuit apud Artaxerxem, adeoque ejus pincerna; unde ab eo creatus fuit gubernator et præneps Judææ, ac Jerosolymæ muros et domos recedificavit, urbemque optimis legibus imbuit et stabilivit, quæ omnia patent ex libro Nehemiæ.

Dices *secundo* : Ex dictis sequitur die tertia Adar, id est februarii quo datus fuit ignis, celebrandum esse festum ignis, non autem die 25 Casleu, ut hic dicitur. Respondeo ante Antiochum Epiphanem et Judam Machabæum festum ignis celebratum fuisse eo die quo datus erat, scilicet die tertio Adar. Verum quia Antiochus Epiphanes templum profanans, ignem sacrum quoque

cœlitus datum exstinxit, vel sustulit; hinc Judas Machabæus templum purificans, ac altare et victimas restituens die 25 Casleu eodem die ignem hunc sacrum a Deo rursum accepit, ideoque eodem, vel certe postero die quasi proprio festum dati, vel potius redditi ignis celebrandum sanxit. Judas enim, exstincto igne sacro, non poterat sacrificare igne profano : hoc enim lege erat vetitum; quare necesse fuit ut Deus ignem hunc restitueret. Id fecit cum e lapidibus templi et altaris olim sub Nehemia ignitis, rursum sub Juda Dei jussu ignis hic sacer emicuit, ut diserte asseritur cap. X, 3, ubi de Juda dicitur : « Et purgato templo aliud altare fecerunt, et de ignitis (olim sub Nehemia) lapidibus igne concepto sacrificia obtulerunt. » Hoc autem contigit in purificatione et nova dedicatione templi, quæ a Juda facta est die 25 Casleu, ut ibidem dicitur vers. 5. Ita Sanchez : Lapides, inquit, ignitos illos intelligo, quos Nehemias aqua crassa perfudit, quam imbiberunt primum, deinde igne, qui ex aqua illa exarsit, combusti sunt; quare in lapidibus hisce videntur saeri ignis semina in posterum esse servata : nam ex illis tempore Judæ eadem flamma emicuit. Ita quoque Serarius, *Quæst.* XIII. Unde Gorionides : « Cum, inquit, composuissent ligna, non invenerunt ignem sanctum; sed clamarunt ad Dominum, et exiit ignis a lapide, qui erat altari suppositus adjicientes ei ligna; duravit ille ignis usque ad captivitatem tertiam, » quæ videlicet accidit Vespasiani tempore. Errant ergo Hebræi dicentes ignem sacrum et cœlestem defuisse in secundo templo, quod post reditum e Babylone ædificatum est.

21. ET SACRIFICIA, QUÆ IMPOSITA ERANT, JUSSIT SACERDOS NEHEMIAS ASPERGI IPSA AQUA, — idque bis, semel ad victimas concremandas, secundo ad lapides ignicndos, eisque vim igniendi inserendum, de quo versibus 31 et 32. Ita Sanchez.

22. TEMPUS AFFUIT, QUO SOL REFULSIT, QUI PRIUS ERAT IN NUBILO, ACCENSUS EST IGNIS MAGNUS. — Videtur Deus hic sole usus, ejusque radiis ex aqua crassa eduxisse vapores crassos, illosque assidue radiis ipsius siderando inflammasse, itaque ignem produxisse, vis producuntur in aere ex vaporibus vi solis cometæ, stellæ errantes, ignes fatui, halones, dracones igniti, etc.

Tropologice ignis hic representat Spiritum Sanctum qui in specie ignis sedit super Apostolos in die Pentecostes, eisque igneas mentes et linguas indidit, ut totum orbem igne amoris divini accenderent, adeoque homines instar aquæ crassæ frigidos et torpidos efficerent igneos et flammeos. Ita S. Ambrosius, lib. I *Offic.* XIV : « Illo, inquit, ignis typus Spiritus Sancti fuit, qui descensurus erat post Domini ascensionem, et remissurus peccata omnium; qui quasi ignis inflammat animum ac mentem fidelem. » Vide Riberam, lib. V *De Templo*, cap. XVII. Vide quoque ea quæ de hoc igne fuse annotavi *Levit.* IX, 13, ubi 17 analogias hujus ignis et charitatis recensui. Audi S. Chrysostomum, hom. 11 *ad Hebr.* « Nonne, ait, admiramur ignem olim descendentem omnia consumpsisse? Potest fieri ut ignis quoque nunc descendat illo longe admirabilior; et omnia quæ sunt proposita consumat, imo vero non consumat, sed in cœlum tollat. Is enim ea, quæ offeruntur, non in cinerem redigit; sed dona a Deo offert. Tales erant Cornelii orationes, *Actor.* X. »

23. JONATHA INCHOANTE, — Jonathas hic non fuit summus Sacerdos, ut aliqui putant, sed Levita et cantor, imo cantorum præfectus, cujus tunc erant vices. Ita Lyranus et Serarius.

31. CUM AUTEM CONSUMPTUM ESSET SACRIFICIUM (scilicet igne ex aqua lapidum emicante concrematum) EX RESIDUA AQUA NEHEMIAS JUSSIT LAPIDES MAJORES PERFUNDI.

32. QUOD UT FACTUM EST, EX EIS FLAMMA ACCENSA EST; SED EX LUMINE QUOD REFULSIT AB ALTARI CONSUMPTA EST, — *q. d.* Ignis et flamma lucida ardens quæ quæ combusserat victimas in altari, ex eo exsiliens, absumpsit flammam ex aqua in lapidibus majoribus accensam, idque *primo*, quia lumen majus altaris offuscabat et absumebat lumen minus lapidum; *secundo*, quia ignis hic ex lege *Levit.* VI, 12, in solo altari restare debebat, quasi ignis sacer eique proprius ad victimas comburendas; quare in lapidibus restare non poterat, ne quis eo ad superstitionem abuteretur. *Tertio*, ut significaretur ignis hic non vi solis, sed Dei (cujus symbolum erat altare) sole quasi instrumento addentis illique majorem vim ad ignem ex aqua producendum indentis in lucem prodiisse. *Quarto*, ut ignis hic lapides igniret, eisque vim, non physicam, sed moralem inderet ad ignem in necessitate producendum, uti eum produxerunt in purificatione et dedicatione templi facta a Juda Machabæo. Ita Sanchez.

33. RENUNTIATUM EST REGI PERSARUM, — puta Dario Hystaspis, cujus anno sexto hæc contigerunt, ut dixi; vel ut alii volunt Artaxerxi Longimano Darii nepoti, cujus pincerna erat Nehemias.

34. CONSIDERANS AUTEM REX. — Serarius pro « considerans » censet legendum *conserans* vel *obserans*. Græce enim est περιφράξας, id est *circumsepiens fecit ei templum*, *q. d.* rex igni templum statuit, illudque septo circumdedit ad loci reverentiam.

FECIT IBI TEMPLUM. — *Primo*, S. Ambrosius, lib. I *Offic.* XIV, ait regem in loco ubi inventa fuerat aqua crassa, postea versa in ignem, ædificasse templum. Persæ enim colebant ignem ut Deum, teste Brissonio, lib. II *De regno Persarum*. *Secundo*, Genebrardus *in Notat. chronicis*, et Beda in cap. II *Esdræ* quos citat et laudat Serarius, *Quæst.* XIV, censent regem eodem loci sacrum aliquod ædificium, qualis erat probatica piscina, construxisse; Græcum enim ἱερὸν significat locum illum, qui antea profanus erat, factum esse sacrum, ut jam in eo quædam Dei esset veneratio ac numinis religio : unde eum rex circumsepsit, ut habet Græcus.

Tertio, Lyranus explicat, *q. d.* Darius rex jussit reædificari templum Jerosolymitanum. Verumhoc jam erat reædificatum : in eo enim aqua crassa versa fuit in ignem. *Quarto*, *q. d.* Artaxerxes rex templum jam a Dario avo suo fabricatum fecit, id est luculenter ornavit, et magnifice locupletavit. Sic Nabuchodonosor, ait *Daniel* IV : « Nonne hæc est Babylon quam ego ædificavi in domum regni, » id est auxi, ornavi, et regiam Monarchiæ Babyloniorum constituī? Nam ante eum ædificata fuit Babylon a Nemrod, *Genes.* X. Sic Romulus dicitur Romam ædificasse, id est ornasse et amplificasse; nam ut ait Virgilius : Ante Romulum fuit a rex Evander Romanæ conditor arcis. » Ita S. Thomas, Lyranus, Dionysius, Hugo et Sanchez. Primus S. Ambrosii sensus ut primo obvius, ita planissimus est. Persæ enim templa plura igni extruxerunt, quæ inde sacra dicta sunt (an tamen eodem loci, quo inventa fuit aqua, hoc templum a rege erectum sit, uti vult S. Ambrosius, S. Scriptura non expressit), ignis enim elementorum nobilissimum suo splendore, calore, activitate, etc. expressum est symbolum Dei et divinitatis, juxta illud : « Deus noster ignis consumens est, » *Hebr.* XII, 29. Vide dicta ibidem, et *Exodi* III, 2.

UT PROBARET QUOD FACTUM ERAT, — ut hoc miraculum ignis ex aqua enati fuderet, celebraret, et ad perpetuam rei memoriam templo decoraret.

36. APPELLAVIT AUTEM NEHEMIAS HANC LOCUM NEPHTAR, QUOD INTERPRETATUR PURIFICATIO, — a radice פטר *Pathar* quæ Hebraice aut Chaldaice, Syriace, Persice et Arabice significat liberare, emittere, dimittere, ac tribuitur capto, qui e squalore et sordibus carceris liber et purus efficitur, sicut hic templum a Chaldæis profanatum, squalidum et in sordes cineresque versum a Nehemia per dedicationem et sacri ignis e cœlo descensum purificabatur, sanctificabatur, et Deo consecrabatur. Hinc *Phatir* Arabice vocatur *panis purus*, et *azymus*; et Chaldæus, *Exodi* XXIII, 15, festum Azymorum vocat *chagga depatirria* חגא דפטיריא.

Ad *Nephter* alludit *naphta*, quod est genus « bituminis, » ait Plinius, lib. II, cap. CCV, « liquido huic magna cognatio ignium, transiliuntque protinus in eam undecumque visam, » sicut hic ignes transilierunt in aquam crassam ad templi purificationem et sanctificationem. Porro apud veteres lustratio et purificatio fiebat per sulphur et ignem. Unde Plinius, lib. XXXV, cap. XV : « Habet, inquit, sulphur in regionibus locum ad expiandas suffitu domos. » Videlicet putabant igni isti sulphureo et bituminoso cælestis et divini quid inesse, quod quæ apud ipsos sacra erant fulmina et fulgura, sulphuris odorem haberent, et eorum ipsa lux sulphurea esset, ut ibidem a Plinio scriptum est. Hinc enim et sèra Græci sulphur appellant, et quæ fulmine tacta essent loca, studiose procurarunt Romani, atrisque excitatis et hidentibus cæsis, *bidentalia* nominarunt. Ita Gyraldus, *syntag.* 17 et ex eo Serarius. Denique Syriacus textus hoc loco sic habet : *Vocaverunt eum* (locum) *qui sunt domus Nehemiæ* (Nehemibe) *Genephar, quod interpretatur mundities* (vel purificatio); *vocatur autem a multis Nephri*. Arabicus vero sic : *Quæ sunt Nehemiæ vocarunt hunc locum Techeptha, quod interpretatur purificatio. Vocatur autem apud plures Nephi* (syrus) *Nephti* a radice *nephi*, quæ multa significat, scilicet lavare, asperare, agitare, cribrare : inde נופת *nophet* est favus et נפת *naphat* est regio, provincia. *Nephi* ergo est locus mundatus, elevatus, honoratus, sacratus et dilatatus. *Aphti* enim syriace significat dilatare.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Narrat Jeremiam in captivitate Babylonica abscondisse arcam, tabernaculum et altare thymiamatis in monte Nebo. Inde, vers. 20, præfatur auctor hujus libri secundi se gesta Antiochi Epiphanis et Eupatoris, ac Judæ Machabæi, et fratrum ejus fuse a Jasone et aliis conscripta breviter enarraturum.

1. Invenitur autem in descriptionibus Jeremiæ prophetæ, quod jussit eos ignem accipere qui transmigrabant, ut significatum est, et ut mandavit transmigratis. 2. Et dedit illis legem ne obliviscerentur præcepta Domini, et ut non exerrarent mentibus, videntes simulacra aurea et argentea, et ornamenta eorum. 3. Et alia hujusmodi dicens, hortabatur ne legem amoverent a corde suo. 4. Erat autem in ipsa scriptura, quomodo tabernaculum et arcam jussit propheta divino responso ad se facto comitari secum, usquequo exiit in montem, in quo Moyses ascendit, et vidit Dei hæreditatem. 5. Et veniens ibi Jeremias invenit locum speluncæ : et tabernaculum, et arcam, et altare incensi intulit illuc, et ostium obstruxit. 6. Et accesserunt quidam sinul, qui sequebantur, ut notarent sibi locum; et non potuerunt invenire. 7. Ut autem cognovit Jeremias, culpans illos, dixit : Quod ignotus erit locus, donec

congreget Deus congregationem populi, et propitius fiat; 8. et tunc Dominus ostendet hæc, et apparebit majestas Domini, et nubes erit, sicut et Moysi manifestabatur, et sicut cum Salomon petiit ut locus sanctificaretur magno Deo, manifestabat hæc. 9. Magnifice etenim sapientiam tractabat : et ut sapientiam habens, obtulit sacrificium dedicationis et consummationis templi. 10. Sicut et Moyses orabat ad Dominum, et descendit ignis de cœlo, et consumpsit holocaustum, sic et Salomon oravit, et descendit ignis de cœlo, et consumpsit holocaustum. 11. Et dixit Moyses, eo quod non sit comestum quod erat pro peccato, consumptum est. 12. Similiter et Salomon octo diebus celebravit dedicationem. 13. Inferebantur autem in descriptionibus et commentariis Nehemiæ hæc eadem : et ut construens bibliothecam congregavit de regionibus libros et Prophetarum, et Davidi, et epistolas Regum, et de donariis. 14. Similiter autem et Judas ea quæ deciderant per bellum, quod nobis acciderat, congregavit omnia, et sunt apud nos. 15. Si ergo desideratis hæc, mittite qui perferant vobis. 16. Acturi itaque purificationem scripsimus vobis; bene ergo facietis, si egeritis hos dies. 17. Deus autem, qui liberavit populum suum, et reddidit hæreditatem omnibus, et regnum, et sacerdotium, et sanctificationem, 18. sicut promisit in lege, speramus quod cito nostri miserebitur, et congregabit de sub cœlo in locum sanctum. 19. Eripuit enim nos de magnis periculis, et locum purgavit. 20. De Juda vero Machabæo, et fratribus ejus, et de templi magni purificatione, et de aræ dedicatione; 21. sed et de prœliis quæ pertinent ad Antiochum Nobilem, et filium ejus Eupatorem : 22. et de illuminationibus quæ de cœlo factæ sunt ad eos qui pro Judæis fortiter fecerunt, ita ut universam regionem, cum pauci essent, vindicarent, et barbaram multitudinem fugarent, 23. et famosissimum in toto orbe templum recuperarent, et civitatem liberarent, et leges, quæ abolitæ erant, restituerentur, Domino cum omni tranquillitate propitio facto illis; 24. itemque ab Jasone Cyrenæo quinque libris comprehensa, tentavimus nos uno volumine breviare. 25. Considerantes enim multitudinem librorum, et difficultatem volentibus aggredi narrationes historiarum propter multitudinem rerum, 26. curavimus volentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio; studiosis vero, ut facilius possint memoriæ commendare; omnibus autem legentibus utilitas conferatur. 27. Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus brevianti causa suscepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus. 28. Sicut hi qui præparant convivium, et quærunt aliorum voluntati parere propter multorum gratiam, libenter laborem sustinemus. 29. Veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes, ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes. 30. Sicut enim novæ domus architecto de universa structura curandum est : ei vero qui pingere curat, quæ apta sunt ad ornatum, exquirenda sunt; ita æstimandum est et in nobis. 31. Etenim intellectum colligere, et ordinare sermonem, et curiosius partes singulas quasque disquirere, historiæ congruit auctori : 32. brevitatem vero dictionis sectari, et executiones rerum vitare, brevianti concedendum est. 33. Hinc ergo narrationem incipiemus : de præfatione tantum dixisse sufficiat; stultum etenim est ante historiam effluere, in ipsa autem historia succingi.

1. INVENITUR AUTEM IN DESCRIPTIONIBUS JEREMIÆ PROPHETÆ, QUOD JUSSIT EOS IGNEM ACCIPERE QUI TRANSMIGRABANT, — e Judæa capti a Chaldæis in Babylonem. Confirmat id quod dixit de igne abscondito ex ipsis Jeremiæ scriptis. Descriptiones vocat Scripturam Jeremiæ, ut explicat vers. 4, hoc est codicem, vel pugillarem, aut commentarium, ut vocatur vers. 13, in quo Jeremias descripserat ea quæ dixit et gessit, cum Jerusalem capta fuit a Chaldæis, nimirum, *primo*, quod jusserit ignem templi abscondi in puteo; *secundo*, quod exhortatus sit Judæos, qui captivi in Babylonem abducebantur, ne ibi videntes idola aurea ad ea colendum se pellici sinerent, sed constanter solum Deum suum adorarent. Unde dedit eis volumen legis divinæ, puta Deuteronomium, vel Pentateuchum, ut illud crebro legerent in Babylone, illoque se et suam captivitatem solarentur, seseque in vero Dei cultu confirmarent; *tertio*, quod arcam, tabernaculum et altare incensi detulerit, et absconderit in speluncam montis Nebo.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Porro incertum est an liber hic fuerit canonicus, et a Synagoga probatus, habitusque ut S. Scriptura, qualis est prophetia Jeremiæ. Certum tamen est librum hunc fuisse magnæ auctoritatis, utpote qui scriptus sit a Jeremia propheta, atque hic citetur ut testis indubitatus ignis sacri absconditi.

Denique injuria temporum periit hic liber, uti et plures alii a Jeremia conscripti, nimirum ejus carmen lugubre de morte Josiæ regis, de quo II *Paral.* XXXV. Item liber ejusdem de eversione urbis, et populi captivitate. Ad hæc liber de Babylonis excidio, quem alligatum saxo jussit in Euphratem projici, *Jeremiæ* LI, 60; et alii plures de quibus egi Prologo in *Jeremiam*.

2. ET DEDIT ILLIS LEGEM, (puta exemplar Deuteronomii, in quo tota lex a Mose repetita continetur : vel exemplar totius Pentateuchi, ut illud assidue in Babylone captivi legerent. Rursum « dedit eis legem, » id est dedit eis mandatum, illudque iterum gravi obtestatione eis inculcavit), NE (scilicet) OBLIVISCERENTUR PRÆCEPTA DOMINI; (sed continuo ea ante oculos mentis et corporis ponerent). ET NON EXERRARENT MENTIBUS, — ne scilicet ex fulgore auri in idolis resplendentis inducerentur in errorem, quod in idolis foret aliquid augustæ divinitatis.

4. ERAT AUTEM IN IPSA SCRIPTURA, QUOMODO TABERNACULUM ET ARCAM JUSSIT PROPHETA DIVINO RESPONSO (oraculo) AD SE FACTO COMITARI SECUM; USQUEQUO EXIIT IN MONTEM (Nebo) IN QUO MOYSES (moriturus) ASCENDIT, ET VIDIT DEI HÆREDITATEM, — id est vidit eminus terram Chanaan, quam Deus Abrahæ ejusque posteris quasi hæreditatem possidendam promiserat, *Genes.* XIII. « Comitari, » id est secum deferri, et portari a suis sociis sacerdotibus, vel Levitis : hisce enim jubere poterat Jeremias, non Angelis; ita Lyranus. Serarius tamen putat Angelos detulisse arcam post Jeremiam (sicut iidem ædem B. Virginis, in qua ipsa nuntiante Gabriele filium Dei concepit, ex Palæstina transtulerunt in Italiam puta Lauretum), ita tamen ut arca visa sit a nonnullis, qui proinde eam secuti notarunt locum in quo a Jeremia fuit deposita.

In quo MOYSES. — Arca ergo et tabernaculum condita fuere eodem loco, quo Moyses mortuus et sepultus fuit, qui arcæ et tabernaculi fuerat conditor. Porro modum depositionis arcæ recenset S. Epiphanius et ex eo S. Thomas quos audi : « Dicit Epiphanius : Hic est Jeremias, qui templum subvertendum prænoscens, arcam testamenti cum his quæ in eadem erant, tulit; et precibus eum absorberi fecit in petram : petram vero digito designans, nomen Dei impressit, et factum est sigillum in similitudinem Scripturæ, quæ ferro cavatur, et ipsum Domini nomen nubis operimento ita celatum est, ut ex tunc nec locum quis cognoscere queat, nec nomen legere usque in hunc diem, et usque in finem, et pristinæ figuræ instar ignis, et nubes sæpe illic fit nocturno tempore, eo quod gloria Domini ab ejus lege non desinat. Est autem petra illa in eremi terra, inter duos montes, inter quos jacent sepulti Moyses et Aaron, dixitque Jeremias præsentibus : Dominus de Sion ascendit ad cœlos, inde cum virtute reversurus, et erit signum præsentiæ ejus, quando omnes gentes adoraverint lignum, dixitque quod arcam hanc nemo poterit producere, præter Moysen electum Dei prophetam. Et tabulas, quæ in ea sunt, nullus aperiet sacerdotum, nullusque Prophetarum nisi electus Dei Aaron. Et in prima resurrectione resurget hæc arca, et exibit de petra, et ponetur in monte Sina, et omnes Sancti congregabuntur ad ipsam, regressum Domini exspectantes, et ut viteat adversarium, qui eos fugientes est quæsturus interimere. » Hæc ille.

Eadem habet Dorotheus in vita Jeremiæ. Horum fides sit penes ipsos auctores.

Porro Jeremias hæc gerere potuit, et de facto gessit vel ante captam Jerusalem regnante non Sedecia (tunc enim fuit in carcere), sed Joachim; huic enim Jeremias erat in veneratione, unde ipse suasu Jeremiæ dedidit se Chaldæis, aut capta jam Jerusalem a Chaldæis, antequam templum ab eis incenderetur. Jeremias enim in magna sanctitatis opinione erat apud Nabuchodonosorem, eo quod ab eo capiendam Jerusalem prædixisset; unde ab eo obtinuit quæcumque voluit, ut patet *Jeremiæ* XXXIX, 12. Nil ergo habent hic Novantes ut fidem huic libro derogent.

7. QUOD IGNOTUS ERIT LOCUS (arcæ, tabernaculi et altaris incensi), DONEC CONGREGET DEUS CONGREGATIONEM POPULI. — Quæres an et quando hoc factum vel adhuc faciendum sit. Nonnulli id factum putant sub Nehemia et Dario Hystaspis, quando populus Judaicus in Babylone dispersus inde rediit, et congregatus fuit in Jerusalem et templo, ibique ignem a Jeremia reconditum per aquam crassam in ignem conversam recuperavit; tunc enim simili modo videntur circa tabernaculum et altare ab eo abscondita Deo revelante rursum apparuisse in novo templo. Hæc enim erant vasa propria, per quæ Deus in eo coli volebat, idcoque per Moysen ea fabricari, et in templo reponi jusserat. Ita Melchior Canus, lib. II *de Locis*, cap. XII, Torniellus ad annum mundi 3601, Sanchez hic, et Ribera in cap. I *Aggæi*, num. 13, qui tamen in fine magis in contrariam sententiam inclinat.

Verum contraria sententia uti communior, ita et verior est, scilicet arcam, tabernaculum et altare incensi non fuisse reperta cum igne sacro sub Nehemia et Dario, sed revelanda fore sub finem mundi quando Deus per Eliam et Enoch populum suum, id est Judæos ad Christum convertet, eosque in unam Ecclesiam cum gentibus congregabit : tunc enim Elias, ut eos in fide Christi confirmet, ostendet eis arcam hic a Jeremia in illud ævum promissam. Probatur primo, quia si hæc inventa fuissent cum igne, utique

auctor hic idipsum hic narraret, uti narravit de igne : hoc enim ad rem præsentem plane pertinebat. Jam autem nil tale hic narrat. *Secundo*, quia sub Nehemia non est facta integra congregatio populi, ut patet vers. 18, et cap. II, vers. 37. Multi enim Judæorum manserunt in Babylone; alii in alias regiones fuere dispersi. *Tertio*, si reperta fuissent, tum in templi secundi exspoliatione, quæ per Titum facta est, arca in spolis poneretur. At non ponitur apud Josephum, lib. VII *De bello*, cap. XVII et XIX. Imo idem, lib. VI, cap. VI, expresse docet tunc in Sancto sanctorum nihil omnino fuisse. Cum in idem Sanctum sanctorum ingressus est Pompeius, quid in templo viderit enumerat idem Josephus diligenter, lib. XIV *Antig.* cap. VIII; de arca tamen semper mutus. Quocirca Romæ in arca triumphali Titi cernimus effigiem candelabri aurei et mensæ panum propositionis, non autem arcam depictam. *Quarto*, quia hæc est communis Hebræorum sententia, qui constanter asserunt hæc vasa defuisse in secundo templo. Idem asserunt Latini et Græci, ut S. Epiphanius et Dorotheus jam citati in vita Jeremiæ, S. Thomas, Lyranus et Dionysius hic, Petrus Galatinus, lib. IV, cap. IX, Genebrardus, lib. II *Chronol.* anno mundi 3730, Bellarminus, lib. I *De verbo Dei*, cap. XV, Abulensis in cap. XV *Exodi*, *Quæst.* IV, ubi asserit hæc vasa in eodem loco abscondita in quo corpus Moysis conditum fuit, ac tunc apparitura quando Moysis corpus resurget, et apparebit, quod erit in fine mundi. Sic et Dorotheus in vita Jeremiæ ait eum abscondisse arcam in sepulcro Moysis et Aaronis. Idem censet Cosmas Magallanes, præfat. in *Josue*, sectione VI.

Nonnulli addunt Hebræos, defuisse arca, tabernaculo et altari incensi a Moyse fabricatis, similia fabricasse, illaque in secundo templo (nunc enim ornatum sibi proprium exigebat templum) reposuisse; idque sat colligitur ex lib. I *Machab.* cap. I, vers. 23, ubi dicitur Antiochum Epiphanem e templo accepisse altare aureum et candelabrum luminis, et mensam panum propositionis; et ex Hegesippo, lib. I, cap. XVII, ubi ait Pompeium tabulas testamenti et cherubinos (non Mosaicos, sed Mosaicis similes) in templo vidisse.

Porro defuit in templo secundo arca fœderis, quia in ipso apparituras et docturus erat Christus per arcam figuratus. Unde mystice S. Ambrosius, lib. I *Offic.* capite XIV, Rupertus, cap. XXIV, hoc vaticinium Jeremiæ impletum censent, cum in templo congregato toto populo videndum se exhibuit Christus, qui est vera arca novi Testamenti, continens tabulas legis Evangelicæ et manna Eucharisticæ. Vide dicta *Exodi* XXV, 10.

8. ET APPAREBIT MAJESTAS DOMINI, ET NUBES ERIT, — *q. d.* Cum Deus revelabit arcam, tunc pariter ostendet gloriam suam in nube splendida, sicut eumdem manifestavit Mosi et Salomoni in dedicatione altaris et templi, ut dicitur vers. 10.

MANIFESTABAT HIC, — scilicet majestatem suam in nube splendida. Græca hæc referunt ad sequentia hoc modo : ut locus sanctificaretur magnifice; deinde punctum. *Manifestabatur enim hoc*, sive *manifestum fiebat*, quod velut *sapientiam habens obtulit sacrificium*.

9. MAGNIFICE ENIM SAPIENTIAM TRACTABAT (Salomon mortalium sapientissimus), ET UT SAPIENTIAM HABENS OBTULIT SACRIFICIUM DEDICATIONIS ET CONSUMMATIONIS TEMPLI, — *q. d.* Salomon uti erat sapientissimus, sic sapientissime imitatus est Mosen, ac orando impetravit ut Deus suam majestatem in templo a se ædificato, et jam dedicato per nubem gloriosam ostenderet III *Reg.* VIII, 10; unde explicans subdit :

10. SICUT ET MOYSES ORABAT AD DOMINUM, ET IGNIS DESCENDIT DE COELO ET CONSUMPSIT HOLOCAUSTUM (*Levit.* IX, 2), SIC ET SALOMON ORAVIT, ET DESCENDIT IGNIS DE COELO, ET CONSUMPSIT HOLOCAUSTUM, — *q. d.* Simili ergo modo ignis cœlestis in dedicatione templi facta a Nehemia, et postea a Juda Machabæo descendit de cœlo, eorumque victimas consumpsit, ideoque institutum est festum Encæniorum æque ac dati ignis, ad quod vos, o Ægyptii Judæi, hortamur, nos Jerosolymitæ, ut illud nobiscum ad Dei laudem et gratiarum actionem celebretis.

11. ET DIXIT MOYSES EO QUOD NON SIT COMESTUM, QUOD ERAT PRO PECCATO CONSUMPTUM EST, — *q. d.* Cum sacrificium Moysis esset pro peccato, ideoque immundum videretur, sicut et peccatum ipsum, ideoque nec consumptum a sacerdotibus esset, hinc idipsum a flamma consumptum est. Sumpta sunt hæc verba ex *Levit.* X, 16, videnturque continuata esse cum superioribus, ut sicut ignis cæteras victimas cremavit, sic et hostias pro peccato consumpserit; ita Serarius, Sanchez et alii.

13. INFEREBANTUR AUTEM IN DESCRIPTIONIBUS ET COMMENTARIIS NEHEMIÆ HÆC EADEM, — *q. d.* Hæc quæ dixi de igne sacro ex aquis crassis emicante scripta sunt a Nehemia, non lib. II *Esdræ*, sed alio Nehemiæ commentario, qui jam injuria temporum interciit.

ET UT CONSTRUENS BIBLIOTHECAM. — Prima est hæc Judæorum solemnis bibliotheca quam construxit Nehemias. Ipse enim antecessit centum et amplius annis Alexandrum Magnum, et Aristotelem quem Strabo, lib. XIII, scribit fuisse primum qui bibliothecam exstruxerit. Pluribus annis Nehemias antecessit Ptolemæum Philadelphum, qui secundus post Alexandrum regnavit in Ægypto, ibique celeberrimam bibliothecam erexit, ideoque e Judæa 72 Interpretes evocavit qui S. Scripturam ex Hebræo in Græcum traducerent. Sic ante Ptolemæum et Alexandrum tempore Darii Hystaspis exstabat bibliotheca in Babylone, ut patet I *Esdræ* VI, 1. Videntur Jerosolymitæ hic adeo celebrare bibliothecam Nehemiæ, ut eam apponant, vel componant, vel opponant bibliothecæ Philadelphi, de qua gloriabantur Judæi in Ægypto de-

gentes, *q. d.* Vos in Ægypto plures forsan habetis Gentilium libros profanos; at nos soli habemus illicos sacros et historias gentis nostræ quibus caret bibliotheca Philadelphi.

14. SUBLITER AUTEM ET JUDAS EA QUÆ DECIDERANT PER BELLUM CONGREGAVIT OMNIA, (*q. d.* Simili cura et diligentia Judas sacros Codices per bella Antiochi Epiphanis dissipatos) CONGREGAVIT ET SUNT APUD NOS.—Per Judam nonnulli accipiunt Judam Machabæum. Verum quia Judam hunc a Machabæo distinguit, dicens, vers. 20: « De Juda vero Machabæo; » hunc enim solet vocare Machabæum; et quia Judas Machabæus in assiduis fuit bellis, ideoque illi potius cura fuit armamentarii quam bibliothecæ, ut caderet gladios, non libros: hinc verius alii accipiunt per Judam, Judam Essenum, qui, ut dixi cap. I, vers. 10, fuit auctor hujus epistolæ et libri; sed quia ipse eam scripsit nomine totius Senatus et populi Judaici, ut ibidem dicitur, hinc de se hic loquitur in tertia persona. Induit enim personam populi et Senatus, eorum nomine scripsit epistolam, eaque hic de Juda, id est de se, quasi de tertio aliquo loquentes induxit.

17. DEUS AUTEM QUI LIBERAVIT POPULUM SUUM, — (ab Antiocho Epiphane, Eupatore, Sidete, Demetrio, cæterisque hostibus, et reddidit hereditatem omnibus et regnum, *q. d.* Deus effecit ut omnes Judæi regnum Judææ non titulo regni, ut prius, sed provinciæ sibi a Deo datæ, quasi hereditate possiderent, ac singuli in ea partem suam hereditariam sibi ab Antiochis ereptam, rursum quiete obtinerent); ET SACERDOTIUM, (ut scilicet Jerosolymis redditaret summi Pontificem et sacerdotes); ET SANCTIFICATIONEM, — ut est sensu templum enim sancto Dei cultu. Templum enim ab Antiocho pollutum Judas Machabæus expians pristinæ puritati et sanctitati, sanctoque unius veri Dei cultui restituit, lib. I, cap. IV, vers. 52.

20. DE JUDA VERO MACHABÆO ET FRATRIBUS EJUS. — Sententia hujus versus et quatuor sequentium pendet et expletur illo vers. 24: « Tentavimus nos uno volumine breviare, » *q. d.* Quæ Jason et alii fuse dixerunt et scripserunt multis voluminibus de gestis et prœliis Judæ Machabæi et fratrum ejus, hæc nos breviter hoc libro II *Machab.* enarrabimus.

Finita ergo, vers. 19, epistola, Judas Essenus hic orditur historiam libri II *Machab.* eique hunc titulum et præfationem de libri argumento, methodo, stylo, etc. præmittit: quare idem est argumentum libri secundi, quod fuit primi, nimirum gesta Judæ Machabæi et fratrum ejus: hæc enim breviter conscripta, lib. I, hic fusius enarrantur: multa etiam addentur, quæ libro primo omissa fuerunt.

21. ANTIOCHUM NOBILEM, — id est Antiochum Epiphanem: ἐπιφανῆ enim Græce idem est quod illustris, nobilis; ita vocatus fuit a Gentilibus ob illustria facta, licet verius a Polybio et aliis cognominetur ἐπιμανῆ, id est stultus et insanus, ut dixi lib. I.

22. ET DE ILLUMINATIONIBUS QUÆ DE COELO FACTÆ SUNT AD EOS QUI PRO JUDÆIS FORTITER EGERUNT. — Illuminationes de cœlo vocat signa cœlitus edita pro Juda et sociis, qui ope Angelorum adjuti, pro Judæis fortiter dimicantes, magnos Antiochi exercitus prostrarunt. Unde Angeli apparuerunt Judæ, ejusque castra, quasi duces belli præiverunt, ut audiemus in sequenti.

23. DOMINO CUM OMNI TRANQUILLITATE PROPITIO V FACTO ILLIS, — *q. d.* Domino tranquillante et sedante turbationes, tumultus et prœlia ab Antiocho intentata Judæis, eisque pacem pristinam reddente: « Tranquillus enim Deus tranquillat omnia, et tranquille aspicere, quiescere est, » ait quidam Sanctorum.

24. UTEQUE AB JASONE CYRENÆO QUINQUE LIBRIS CONCREMENSA TENTAVIMUS NOS UNO VOLUMINE BREVIARE, — id est in breve hoc volumen redigere. Objicit Calvinus et Novantes Jasonem hunc fuisse Cyrenæum, ideoque Gentilem, ac proinde librum hunc, qui est compendium Jasonis, non esse sacrum et Canonicum. Respondeo Jasonem hunc fuisse Judæum, non Gentilem: Judæi enim erant sparsi per totum orbem; ideoque in Cyrene quoque degebant, ut patet *Actor.* II et VI. Gentiles enim hostes erant Judæorum, eorumque legem, ritus et gesta irridebant, extenuabant, depravabant. Hic autem Jason hæc omnia extollit et celebrat, ut patet ex seq. Quare fuit ipse verus Dei cultor, ac vir probus et pius, Deique cultus zelotes.

Sed esto Jason fuisset gentilis, Judas tamen, qui Jasonis scripta selegit, digessit, disposuit, concinnavit, suaque effecit, et in hunc librum redegit assistente sibi semper Spiritu Sancto necubi erraret, hunc librum Canonicum effecit. Quare idem effecit ut si quid falsi, impii, vel obsceni esset in libris Jasonis, illud Judas omitteret vel castigaret. Ubi nota Canonem: Cum auctor Canonicus citat probatque dicta alicujus profani auctoris, hoc ipso facit ea Canonica. Sic S. Paulus ad *Titum* I, 12, citans illud Epimenidis: « Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri, » addensque: « Testimonium hoc verum est, » hoc ipso illi tribuit fidem Canonicam et infallibilem. Sic illud *Job* V, 13: « Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, » prout dictum est ab Epiphane gentili, non habet auctoritatem Canonicam; eam tamen adeptum est, cum citatum et laudatum est a Paulo, I *Cor.* III, 13. Simili modo Judas hic auctor Canonicus dicta a Jasone citans laudansque, ea fecit Canonica. Sic rursum Paulus, *Act.* XVII, 28, citans probansque illa Arati: « Ipsius enim et genus sumus, » eis tribuit auctoritatem Canonicam. Ita Sanchez, Serarius, Bellarminus et alii.

27. NEGOTIUM PLENUM VIGILIARUM ET SUDORIS AS-SUMPSIMUS. — Magni enim laboris et industriæ est plurima legere, eaque omnia methodice, concinne, clare, et plene paucis verbis constringere

et complecti. Sic laboravit, qui Iliadem Homeri ita minutis litteris descripsit, ut totam cortici nucis includeret, teste Plinio, lib. VII, cap. XXI, et Archimedes, qui, ut ait Cicero, *Tusc.* I: « lunæ, solis et quinque stellarum errantium motus in sphæram alligavit, idque divino ingenio. » Et quia pauci id facere norunt, hinc sæpe compendia et dispendia. Paucis ergo multa complecti magni viri est, profundique ingenii, quod punctum veritatis multiplicis uno mentis cernit et stringit in ictu. Hic luconismus, id est breviloquentia indicium est animi silentis, meditabundi et sapientis, ideoque illa nisi sunt septem Græciæ Sapientes quorum dicta sunt hæc: « Nosce teipsum. Ne quid nimis. Spondе, noxa præsto est, etc. » Audi Plutarchum tract. *De Garrulitate*: « Semper audiendæ sunt taciturnitatis ac silentii laudes, eorumque majestas, sanctimonia, ac cum sacris arcanis similitudo, et quod majori sunt in admiratione, magis cari sapientesque habentur, quam effrenes isti et concitati ii, qui rotundi sunt, ac breviloquentes, et quorum in exigua dictione multus inest sensus. Nam et Plato hos laudat, similes esse docens peritorum jaculatorum, dum crispa ac densa inter seque convoluta verba emittunt. Et lycurgus cives statim a puero suos silentio compescens, ad hujusmodi contracte ac presse loquendi peritiam condocefecit. Etenim sicut Celtiberes ferro aciem solubilitatemque parant, eo in terram defosso, crassas terræ tresque partes expurcando: ita Laconica oratio cortice carebat, et supervacaneorum remotione in efficacitatem coacta acuebatur: quippe illa scite dicendi brevitas, et versatile in responsionibus acumen, multi erat silentii fructus. »

29. VERITATEM QUIDEM DE SINGULIS AUCTORIBUS (Græce *auctori*, puta Jasoni Cyrenæo) CONCLUDENTES IPSI AUTEM SECUNDUM DATAM (dictam jam) FORMAM BREVITATI STUDENTES, — *q. d.* Ego Judas hujus libri scriptor hoc tantum egi, ut Jasonis scripta breviarem, quare nolui curiose scrutari veritatem singularum rerum etiam minutissimarum ab eo conscriptarum, sed veritatis hujus laudem tribuo Jasoni, utpote scriptori probo, veraci et exacto, qui hæc omnia diligenter prius investigavit, nec nisi certo comperta conscripsit. Ita modeste de se sentit, et loquitur Judas, sed Spiritus Sanctus qui eo quasi organo et calamo usus est, ita eum direxit, ut nil nisi verum, pium sanctumque conscriberet, et si quid secus in Jasone invenisset, illud vel omitteret, vel mutaret.

30. SICUT ENIM NOVÆ DOMUS ARCHITECTO. — Ex eadem modestia Judas hic Jasonem comparat architecto magnæ fabricæ, cui incumbit totius fabricæ dispositio et constructio: at vero pictori qui fabricam jam perfectam pictura sua exornat, *q. d.* Historici est fabricam historiæ construere; abbreviatoris vero est eam suo brevi et concinno stylo exornare.

31. ETENIM INTELLECTUM COLLIGERE. — Intellectum vocat argumentum, sive materiam quam historicus colligit, et lectori legendam intelligendamque proponit.

32. EXSECUTIONES RERUM VITARE BREVIANTI CONCEDENDUM EST. — Græce: *Curiositatem negotii omittere abbreviationem facienti concedendum est, q. d.* Auctoris historici est curiose singula minutim investigare et enarrare; at abbreviatoris est plura ex his circumcidere et paucis multa complecti. Græce enim ἐξηγήσεως significat opus quod fit magna diligentia et cura, hoc est, quod curiose, exacte, plene et perfecte pertractatur. Et hoc Noster vocat « exsecutiones: » nec hanc vocem illitinam existimes. Exsequi enim significat aliquid absolvere et perficere, ideoque accurate illud agere; unde illud Tullii in *Oratore*: « Divine ut omnia exsequitur. » Et illud ejusdem *De Universit.*: « Non igitur dubium quin æternitatem maluerit exsequi, quandoquidem neque mundo quidquam pulchrius, neque ejus ædificatore præstantius. » Et illud ejusdem, lib. *De Senectute*: « Exsequi omnia regis officia et munia. » Rursum, et magis ad rem propositam exsequi significat rem minutim et ample exponere ac narrando prosequi. Ita Livius, lib. V: « Exsequebatur deinde, inquit, quæ solemnis derivatio esset. » Et Cicero, *Mario*, lib. XXVII: « Habeo, inquit, multa occultiora quæ vix verbis exsequi possum. » Et Plinius, lib. XXXV, cap. VIII: « Nunc celebres in ea arte quam maxima brevitate percurrant; neque enim instituti operis est talis exsecutio, » id est prolixior et plenior enarratio. Sic hic exsecutiones opponuntur abbreviationi quam sibi sectandam proponit noster hic Auctor

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensetur prosper Jerosolymæ status sub Onia Pontifice quem Simonis præpositi ambitio et proditio turbavit : prædixit enim ipse thesauros templi Seleuco regi, qui ad eos expilandos misit Heliodorum; sed hic ab Angelis acriter flagellatus, et orationibus Oniæ sibi restitutus, cæpit Dei potentiam templique sanctitatem ubique celebrare.

1. Igitur cum sancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optime custodirentur, propter Oniæ pontificis pietatem, et animos odio habentes mala, 2. fiebat ut et ipsi reges et principes locum summo honore dignum ducerent, et templum maximis muneribus illustrarent : 3. ita ut Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. 4. Simon autem de tribu Benjamin, præpositus templi constitutus, contendebat, obsistente sibi principe sacerdotum, iniquum aliquid in civitate moliri. 5. Sed cum vincere Oniam non posset, venit ad Appollonium Tharseæ filium, qui eo tempore erat dux Cœlesyriæ et Phœnicis : 6. et nuntiavit ei pecuniis innumerabilibus plenum esse ærarium Jerosolymis, et communes copias immensas esse, quæ non pertinent ad rationem sacrificiorum; esse autem possibile sub potestate regis cadere universa. 7. Cumque retulisset ad regem Apollonius de pecuniis quæ delatæ erant, ille accitum Heliodorum, qui erat super negotia ejus, misit cum mandatis, ut prædictam pecuniam transportaret. 8. Statimque Heliodorus iter est agressus, specie quidem quasi per Cœlesyriam et Phœnicen civitates esset peragraturus, revera autem regis propositum perfecturus. 9. Sed cum venisset Jerosolymam, et benigne a summo sacerdote in civitate esset exceptus, narravit de dato indicio pecuniarum : et cujus rei gratia adesset, aperuit; interrogabat autem si vere hæc ita essent. 10. Tunc summus sacerdos ostendit deposita esse hæc, et victualia viduarum et pupillorum : 11. quædam vero esse Hircani Tobiæ viri valde eminentis, in his quæ detulerat impius Simon; universa autem argenti talenta esse quadringenta, et auri ducenta; 12. decipi vero eos, qui credidissent loco et templo, quod per universum mundum honoratur, pro sui veneratione et sanctitate omnino impossibile esse. 13. At ille pro his quæ habebat in mandatis a rege, dicebat omni genere regi ea esse deferenda. 14. Constituta autem die intrabat de his Heliodorus ordinaturus. Non modica vero per universam civitatem erat trepidatio. 15. Sacerdotes autem ante altare cum stolis sacerdotalibus jactaverunt se, et invocabant de cælo eum qui de depositis legem posuit, ut his qui deposuerant ea salva custodiret. 16. Jam vero qui videbat summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur : facies enim et color immutatus declarabat internum animi dolorem; 17. circumfusa enim erat mœstitia quædam viro, et horror corporis, per quem manifestus aspicientibus dolor cordis ejus efficiebatur. 18. Alii etiam gregatim de domibus confluebant, publica supplicatione obsecrantes, pro eo quod in contemptum locus esset venturus. 19. Accinctæque mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant; sed et virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, Judæam vero per fenestras aspiciebant : 20. universæ autem protendentes manus in cælum deprecabantur. 21. Erat enim misera commixtæ multitudinis, et magni sacerdotis in agone constituti exspectatio. 22. Et hi quidem invocabant omnipotentem Deum, ut credita sibi, his qui crediderant, cum omni integritate conservarentur. 23. Heliodorus autem, quod decreverat, perficiebat eodem loco ipse cum satellitibus circa ærarium præsens. 24. Sed spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam, ita ut omnes qui ausi

fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in dissolutionem et formidinem converterentur. 25. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus : isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit; qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea. 26. Alii etiam apparuerunt duo juvenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu : qui circumsteterunt eum, et ex utraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes. 27. Subito autem Heliodorus concidit in terram, eumque multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum ejecerunt. 28. Et is qui cum multis cursoribus et satellitibus prædictum ingressus est ærarium, portabatur nullo sibi auxilium ferente, manifesta Dei cognita virtute; 29. et ille quidem per divinam virtutem jacebat mutus, atque omni spe et salute privatus. 30. Hi autem Dominum benedicebant, quia magnificabat locum suum : et templum, quod paulo ante timore ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente Domino, gaudio et lætitia impletum est. 31. Tunc vero ex amicis Heliodori quidam rogabant confestim Oniam, ut invocaret Altissimum, ut vitam donaret ei qui in supremo spiritu erat constitutus. 32. Considerans autem summus sacerdos, ne forte rex suspicaretur malitiam aliquam ex Judæis circa Heliodorum consummatam, obtulit pro salute viri hostiam salutarem. 33. Cumque summus sacerdos exoraret, iidem juvenes eisdem vestibus amicti, adstantes Heliodoro dixerunt : Oniæ sacerdoti gratias age; nam propter eum Dominus tibi vitam donavit. 34. Tu autem a Deo flagellatus, nuntia omnibus magnalia Dei et potestatem. Et his dictis, non comparuerunt. 35. Heliodorus autem, hostia Deo oblata, et votis magnis promissis ei qui vivere illi concessit, et Oniæ gratias agens, recepto exercitu, repedabat ad regem. 36. Testabatur autem omnibus ea quæ sub oculis suis viderat opera magni Dei. 37. Cum autem rex interrogasset Heliodorum, quis esset aptus adhuc semel Jerosolymam mitti, ait : 38. Si quem habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illuc, et flagellatum eum recipies, si tamen evaserit; eo quod in loco sit vere Dei quædam virtus. 39. Nam ipse, qui habet in cœlis habitationem, visitator et adjutor est loci illius, et venientes ad malefaciendum percutit ac perdit. 40. Igitur de Heliodoro et ærarii custodia ita res se habet.

Ordine temporis, hoc caput et principium sequentis usque ad vers. 7 collocandum esset libro I *Machab.* cap. I, ante vers. 42, ut patebit ex vers. 3.

1. Igitur cum sancta civitas (Jerusalem in qua vigebat sanctus Dei cultus in sancto templo per sanctos Pontifices, sacerdotes et fideles quotidie exercitus) habitaretur in omni pace, etc., propter Oniæ Pontificis pietatem. — Onias hic fuit hoc nomine tertius, cognomento Sanctus, qui immediate ante Mathathiam patrem Judæ Machabæi Pontificatum gessit : cujus filius Onias pariter dictus Heliopoli in Ægypto templum erexit, permittente Ptolemæo Philometore rege, ejusque Pontificem se constituit. Porro Onias hic Sanctus a fratre suo Jesu, sive Jasone Apostata, Pontificatu privatus est : hunc enim pecunia Jason emit ab Antiocho Epiphane, ideoque pseudopontifex exstitit, ut patebit cap. IV, vers. 7; sed justo Dei judicio simili prorsus modo Jason Pontificatu extrusus fuit a Menelao, et Menelaus a Lysimacho; et hic ab Alcimo, postquam Mathathias pater Judæ Machabæi, electus a populo, legitime Pontificatum et Principatum adiit.

3. Ita ut Seleucus rex Asiæ de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. — Seleucus hic, cognomento Philopator, fuit frater senior Antiochi Epiphanis; uterque enim fuit filius Antiochi Magni qui, a Scipione Asiatico superatus, cum Romanis pacem iniit. Seleucus ergo hic initio regni sumptus præbuit templo, sed postea audiens ingentes in eo esse thesauros, victus avaritiæ, misit Heliodorum, qui eos expilaret : unde justo Dei judicio ab eodem Heliodoro occisus regnum reliquit fratri juniori Antiocho Epiphani. Ita Appianus, Justinus, Josephus et alii. Simili modo in templum Judæorum propensi et munifici fuere Cyrus, Darius, Artaxerxes reges Persarum, ut patet *Esdræ* cap. I et VI, et *Nehemiæ* II. Idem fecit Antiochus Magnus, teste Josepho, lib. XII, cap. III.

4. Simon autem de tribu Benjamin, præpositus templi constitutus, contendebat, obsistente sibi principe sacerdotum (Onia sancto Pontifice ut sequitur), iniquum aliquid in civitate moliri. — Simon hic non erat de tribu Levi, ac proinde non erat sacerdos; soli autem sacerdotes præerant in templo rebus sacris. Simon ergo hic ex tribu Benjamin fuit constitutus præpositus templi in rebus politicis, v. g. ut præesset templi prædiis, agris,

rentibus, vel militibus ad templi custodiam deputatis, I *Mach.* cap. IV, vers. ult.

QUEQUAM ALIQUID. — Videtur hic Simon ambivisse Principatum vel Pontificatum Jerosolymæ, uti habuit postea ejus frater Menelaus, de quo dicam infra.

5. VENIT AD APOLLONIUM, etc., QUI EO TEMPORE ERAT DUX COELENTRIÆ ET PHŒNICIS : — Dux, id est præses et prælectus constitutus a Seleuco rege Asiæ et Syriæ. Jason ergo per Apollonium nuntiavit, et prodidit Seleuco regi thesauros templi, qui profanos ad eos auferendos misit Heliodorum. Hic est Apollonius, qui postea cum Joiatha confligens ab eo superatus est, I *Machab.* x, vers. 69 et seq.

10. TUNC SUMMUS SACERDOS (Onias sanctus) OSTENDIT DEPOSITA ESSE HÆC. — Solebant enim non tantum apud Judæos et Christianos, sed etiam apud Ethnicos res pretiosæ, ac nominatim dotes viduarum et pupillorum deponi et asservari in templo, quasi in asylo inviolabili, ideoque certo et secuto, teste Josepho, XIV *Ant.* VIII; Suetonio in *Vita Julii Cæsaris*, ubi ait de ejus testamento; Cicero, lib. II *De legibus* sub medium, quem sic : « Sacrilego pœna esto, neque ei soli qui eorum aliquem fecerit, sed etiam si qui sacro communicatum. Quod et nunc multis fit in fanis. Alexander in Cilicis deposuisse apud solem in delubro pecuniam dicitur, et Atheniensis Cimothei Timoni Samiæ civis egregius, cum rebus timeret suis, filiarum dotes credidit. » Idem jure Canonico sancitum est cap. *Gravis*, extra de depositio. Sic S. Ambrosius, lib. II *Offic.* cap. XXIX, scribit se suasisse Ticinensi ecclesiæ, ut virum depositum contra imperatoris rescriptum conservaret, eique minatur Heliodori flagellationem et ultionem divinam.

Hinc Pompeius, capta Jerosolyma, invenit in templo reposita bis mille talenta; nec tamen quicquam abstulit, teste Josepho loco citato; secus fecit M. Crassus qui, ut Josephus ait cap. XII, trabem auream e templo sustulit.

11. QUIDAM VERO ESSE HIRCANI TOBIÆ VIRI VALDE EMINENTIS — dignitate et auctoritate; addit S. Ambrosius et sanctitate. Hic enim Tobias sororem Simonis secundi (qui erat pater Oniæ Simoni Pontificis in uxorem duxerat, ut ait Josephus libro XII, cap. IV; qui et addit hujus Tobiæ filios ad Antiochum Epiphanem, qui Seleuco fratri successit, se transtulisse.

UNIVERSA AUTEM ARGENTI TALENTA ESSE QUADRINGENTA, — quæ si Attica fuerunt, faciunt ducenta millia aureorum : sin Hebræa, 400 millia aureorum.

ET ADHUC DESUPER, — quæ si Attica fuerunt, faciunt millionem et insuper ducenta millia aureorum : sin Hebræa, duos milliones et 400 millia aureorum.

12. DECIPI (Græce ἀδικεῖσθαι, id est injuria affici, fraudari, spoliari) VERO EOS QUI CREDIDISSENT LOCO ET TEMPLO QUOD PER UNIVERSUM MUNDUM HONORATUR PRO SUI VENERATIONE ET SANCTITATE OMNINO INPOSSIBILE ESSE, — ἦ, d. omnino illicitum, indignum et sacrilegum, ideoque ethice impossibile est ut tradamus et prodamus regi ea quæ vidimus, pupilli aliique deposuerunt in templo, credentes illa ibidem ob loci sacri venerationem et sanctitatem tuta et secura fore : sic enim ipsi decipientur, suisque pecuniis fraudabuntur contra omne fas et contra omnia jura divina et humana : hæc enim rapina fieret gravis injuria templo, et injustus depositariis, ac vilipendium mihi pontifici, et sacerdotibus, quod fidem depositariis datam non servaverimus, sed contra eam violaverimus sanctitatem templi, jus asyli, et fortunas viduarum et pupillorum raptori prodiderimus. Quare moraliter impossibile est ut hoc fiat.

19. SED ET VIRGINES QUÆ CONCLUSÆ ERANT PROCURREBANT AD ONIAM. — Virgines aliæ in templo erant exclusæ inter quas B. Virgo præsentata in templo angelice vixit, donec nupsit Josepho; aliæ domi a parentibus puturis et pudicitiæ causa reclusi habitabant, uti etiamnum Romæ et alibi a viris honestis fit. Ego cum Serario utrasque hic accipio : utræque enim ob tam sacrilegum publicamque templi profanationem accurrebant ad Oniam Pontificem ut ab eo consilium et auxilium peterent, præsertim quia multæ ex his dotem suam, ex qua vivebant, habebant in templo depositam, quam si cum cæteris auferebat Heliodorus, victum et vitam eis auferebat.

25. APPARUIT ENIM ILLIS QUIDAM EQUUS, TERRIBILEM (vultu gestuque savo et minaci) HABENS SESSOREM, [Hic erat Angelus qui equi et equitis speciem assumpsit, ut Heliodoro equiti se opponeret, ac quasi in duello cum prosterneret; EQUE CUM IMPETU HELIODORO PEDIBUS CALCES ELISIT, — id est illisit, impegit; equi enim calcitrando pungunt. Græce : *Insertis enim pedibus impetu commisit in Heliodorum priores ungulas*; ungulas enim priores equi sunt loco manuum armaturam : his ergo impegit equus hic Heliodoro; itaque eum prostravit, afflixit, et pene examinavit. Sic Angeli prædictus apparuerunt Zachariæ, cap. I, specie equorum et equitum, et S. Joanni Apoc. cap. VI, vers. 2. Vide ibi dicta. Similiter in Cyclopum et Pollucem in candidis equis pro Romanis pugnasse scribit Livius, *Decade* I, de quibus multa fingere Gentiles.

Porro non fuit hæc imaginaria visio soli Heliodoro apparens, sed realis actio, prostratio, et flagellatio Heliodori coram toto populo. Ait enim «apparuit» (Græce ὤφθη, id est visus est) «illis», scilicet omnibus præsentibus. Unde sequitur :

26. ALII ETIAM APPARUERUNT DUO JUVENES VIRTUTE DECORI (quia decorem virtutum et indolem cœlestem præ se ferebant : erant enim Angeli) QUI CIRCUMSTETERUNT EUM (Heliodorum) ET EX UTRAQUE PARTE FLAGELLABANT (habentes scuticas sive flagella in manibus, ait Gorionides) SINE INTERMISSIONE MULTIS PLAGIS VERBERANTES. — Prior Angelus eques erat quasi prætor; hi vero duo Angeli erant

quasi ejus apparitores, et sententiæ exsecutores, qui proinde Heliodorum sacrilegum acerrime flagellabant. Hinc patet Deum peccata et peccatores non semper per nuncios, sed subinde etiam per Angelos bonos castigare. Addit Josephus filius Gorionidis, lib. III, cap. I, atque : « Ingressus Heliodorus cum omnibus satellitibus suis deambulansque in medio sanctuarii, et intrans in Sancta sanctorum, Dominus fecit illum et eos quos secum habuit, audire voces strepitus, et vehementissimæ commotionis quæ etiam montes frangebat, et dissecabat petras; ut cuncti satellites ejus fugere inciperent, abderenturque in quibus possent locis, et relinqueretur Heliodorus solus; qui cum levasset oculos suos, vidit virum habentem aspectum valde horribilem indutum veste aurea, unde micabant gemmæ pretiosæ, incedentem atque impedientem, saltantem, atque currentem contra Heliodorum, etc. » Si ita Deus castigavit Heliodorum deposita solum e templo auferre conantem, quomodo castigabit eos qui templorum, monasteriorum et piorum locorum res proprias diripiunt, et in profanos laicosque usus convertunt? Cogitent ipsi quomodo Deus castigavit Antiochum Epiphanem templum expilantem; legant horrendam ejus mortem cap. IX recensitam. Meminerint quoque vindictæ sacrilego Alcimo a Deo inflictæ, lib. I, cap. IX, vers. 3. Denique similium exemplorum plenæ sunt omnes historiæ. Porro flagellatio hæc Angelorum utpote fortissimorum et Dei sui templique injurias acerrime vindicantium, longe acrior diriorque fuit omni flagellatione hominum; præsertim quia ipsi in Heliodoro voluere exemplum acris vindictæ divinæ in sacrilegos statuere, quo alii a simili templi expilatione deterrerentur; unde ipse rogatus a Seleuco rem dixit : « Si quem habes hostem, mitte illuc, et flagellatum recipies. »

32. OBTULIT PRO SALUTE VIRI (Heliodori) HOSTIAM SALUTAREM, — id est victimam pacificam, quæ ex lege pro pace et salute cujuspiam offerebatur, juxta legem *Levit.* III.

33. ET ONIÆ GRATIAS AGENS; — id enim jusserat ipsi Angeli, vers. 33. Addit Gorionides Heliodorum Angelorum monita accidisse ad pedes Oniæ, itaque suppliciter gratias egisse. Hic enim exstimulabat salus per Oniam recepta et vita donata : vitam enim suam Heliodorus debebat Oniæ.

36. TESTABATUR AUTEM OMNIBUS. — Hinc videtur Heliodorus verum Israelis Deum agnovisse, ac relictis idolis eum solum coluisse. Idque non tantum eum, sed et omnes ejus milites et asseclas fecisse, ait Gorionides, qui asserit eos fuisse Macedones. Hinc et ipse victimas Deo obtulit, magnaque promisit et Deo vovit, ut dictum est vers. 35.

Porro hic Heliodorus, postea multos regnum, Seleucum regem per insidias occidit, ac regem se fecit. Sed Antiochus Epiphanes Seleuci frater junior, adjutus ab Attalo et Eumene regibus vicinis, eum expulit, et regnum sibi vindicavit. Ita Appianus, Justinus, Josephus et alii : indeque dictus est Epiphanes, id est illustris et nobilis, « eo quod alienis regnum usurpantibus ipse avitæ dignitatis assertor exortus suis illuxerit, » ait Appianus in *Syriacis*.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Onias apud Seleucum regem purgat se a calumniis sibi a Simone objectis. Mox, vers. 7, *Seleuco defuncto, Jason Oniæ Pontificis frater eo exclusо Pontificatum ab Antiocho Epiphane Seleuci fratre et successore emit* 360 *talentis. Idemque Judæos a Judaismo ad Gentilismum traducit. Inde*, vers. 23, *Jason, qui Oniam fratrem per datum regi pecuniam extruserat e Pontificatu, simili modo eodem fraudulenter extrusus fuit a Menelao fratre Simonis; Menelaum vero simili ratione extrusit frater ejus Lysimachus. Deinde*, vers. 34, *Onias Pontifex rogatu Menelai ab Andronico occiditur; sed Andronicum, instante populo, eodem loco occidit jussu Antiochus Epiphanes. Denique*, vers. 39, *sedition Lysimachus a populo seditionem excitante interficitur; Menelaus vero, corrupto pecuniis Ptolemæo, injustum absolutionis sententiam effingit.*

1. Simon autem prædictus pecuniarum et patriæ delator male loquebatur de Onia, tanquam ipse Heliodorum instigasset ad hæc, et ipse fuisset incentor malorum; 2. provisorem quoque civitatis, ac defensorem gentis suæ, et æmulatorem legis Dei, audebat insidiatorem regni dicere. 3. Sed, cum inimicitiæ in tantum procederent, ut etiam per quosdam Simonis necessarios homicidia fierent : 4. considerans Onias periculum contentionis, et Apollonium instabilis, utpote ducem Cœlesyriæ et Phœnicis, ad augendam malitiam Simonis, ad regem se contulit, 5. non ut civium accusator, sed communem utilitatem apud semetipsum universæ

rentibus, vel militibus ad templi custodiam deputatis, I *Mach.* cap. IV, vers. ult.

QUEQUAM ALIQUID. — Videtur hic Simon ambivisse Principatum vel Pontificatum Jerosolymæ, uti habuit postea ejus frater Menelaus, de quo dicam infra.

5. VENIT AD APOLLONIUM, etc., QUI EO TEMPORE ERAT DUX COELENTRIÆ ET PHŒNICIS : — Dux, id est præses et prælectus constitutus a Seleuco rege Asiæ et Syriæ. Jason ergo per Apollonium nuntiavit, et prodidit Seleuco regi thesauros templi, qui profanos ad eos auferendos misit Heliodorum. Hic est Apollonius, qui postea cum Joiatha confligens ab eo superatus est, I *Machab.* x, vers. 69 et seq.

10. TUNC SUMMUS SACERDOS (Onias sanctus) OSTENDIT DEPOSITA ESSE HÆC. — Solebant enim non tantum apud Judæos et Christianos, sed etiam apud Ethnicos res pretiosæ, ac nominatim dotes viduarum et pupillorum deponi et asservari in templo, quasi in asylo inviolabili, ideoque certo et secuto, teste Josepho, XIV *Ant.* VIII; Suetonio in *Vita Julii Cæsaris*, ubi ait de ejus testamento; Cicero, lib. II *De legibus* sub medium, quem sic : « Sacrilego pœna esto, neque ei soli qui eorum aliquem fecerit, sed etiam si qui sacro communicatum. Quod et nunc multis fit in fanis. Alexander in Cilicis deposuisse apud solem in delubro pecuniam dicitur, et Atheniensis Cimothei Timoni Samiæ civis egregius, cum rebus timeret suis, filiarum dotes credidit. » Idem jure Canonico sancitum est cap. *Gravis*, extra de depositio. Sic S. Ambrosius, lib. II *Offic.* cap. XXIX, scribit se suasisse Ticinensi ecclesiæ, ut virum depositum contra imperatoris rescriptum conservaret, eique minatur Heliodori flagellationem et ultionem divinam.

Hinc Pompeius, capta Jerosolyma, invenit in templo reposita bis mille talenta; nec tamen quicquam abstulit, teste Josepho loco citato; secus fecit M. Crassus qui, ut Josephus ait cap. XII, trabem auream e templo sustulit.

11. QUIDAM VERO ESSE HIRCANI TOBIÆ VIRI VALDE EMINENTIS — dignitate et auctoritate; addit S. Ambrosius et sanctitate. Hic enim Tobias sororem Simonis secundi (qui erat pater Oniæ Simoni Pontificis in uxorem duxerat, ut ait Josephus libro XII, cap. IV; qui et addit hujus Tobiæ filios ad Antiochum Epiphanem, qui Seleuco fratri successit, se transtulisse.

UNIVERSA AUTEM ARGENTI TALENTA ESSE QUADRINGENTA, — quæ si Attica fuerunt, faciunt ducenta millia aureorum : sin Hebræa, 400 millia aureorum.

ET ADHUC DESUPER, — quæ si Attica fuerunt, faciunt millionem et insuper ducenta millia aureorum : sin Hebræa, duos milliones et 400 millia aureorum.

12. DECIPI (Græce ἀδικεῖσθαι, id est injuria affici, fraudari, spoliari) VERO EOS QUI CREDIDISSENT LOCO ET TEMPLO QUOD PER UNIVERSUM MUNDUM HONORATUR PRO SUI VENERATIONE ET SANCTITATE OMNINO INPOSSIBILE ESSE, — ἦ, d. omnino illicitum, indignum et sacrilegum, ideoque ethice impossibile est ut tradamus et prodamus regi ea quæ vidimus, pupilli aliique deposuerunt in templo, credentes illa ibidem ob loci sacri venerationem et sanctitatem tuta et secura fore : sic enim ipsi decipientur, suisque pecuniis fraudabuntur contra omne fas et contra omnia jura divina et humana : hæc enim rapina fieret gravis injuria templo, et injustus depositariis, ac vilipendium mihi pontifici, et sacerdotibus, quod fidem depositariis datam non servaverimus, sed contra eam violaverimus sanctitatem templi, jus asyli, et fortunas viduarum et pupillorum raptori prodiderimus. Quare moraliter impossibile est ut hoc fiat.

19. SED ET VIRGINES QUÆ CONCLUSÆ ERANT PROCURREBANT AD ONIAM. — Virgines aliæ in templo erant exclusæ inter quas B. Virgo præsentata in templo angelice vixit, donec nupsit Josepho; aliæ domi a parentibus puturis et pudicitiæ causa reclusi habitabant, uti etiamnum Romæ et alibi a viris honestis fit. Ego cum Serario utrasque hic accipio : utræque enim ob tam sacrilegum publicamque templi profanationem accurrebant ad Oniam Pontificem ut ab eo consilium et auxilium peterent, præsertim quia multæ ex his dotem suam, ex qua vivebant, habebant in templo depositam, quam si cum cæteris auferebat Heliodorus, victum et vitam eis auferebat.

25. APPARUIT ENIM ILLIS QUIDAM EQUUS, TERRIBILEM (vultu gestuque savo et minaci) HABENS SESSOREM, [Hic erat Angelus qui equi et equitis speciem assumpsit, ut Heliodoro equiti se opponeret, ac quasi in duello cum prosterneret; EQUE CUM IMPETU HELIODORO PEDIBUS CALCES ELISIT, — id est illisit, impegit; equi enim calcitrando pungunt. Græce : *Insertis enim pedibus impetu commisit in Heliodorum priores ungulas*; ungulas enim priores equi sunt loco manuum armaturam : his ergo impegit equus hic Heliodoro; itaque eum prostravit, afflixit, et pene examinavit. Sic Angeli prædictus apparuerunt Zachariæ, cap. I, specie equorum et equitum, et S. Joanni Apoc. cap. VI, vers. 2. Vide ibi dicta. Similiter in Cyclopum et Pollucem in candidis equis pro Romanis pugnasse scribit Livius, *Decade* I, de quibus multa fingere Gentiles.

Porro non fuit hæc imaginaria visio soli Heliodoro apparens, sed realis actio, prostratio, et flagellatio Heliodori coram toto populo. Ait enim «apparuit» (Græce ὤφθη, id est visus est) «illis», scilicet omnibus præsentibus. Unde sequitur :

26. ALII ETIAM APPARUERUNT DUO JUVENES VIRTUTE DECORI (quia decorem virtutum et indolem cœlestem præ se ferebant : erant enim Angeli) QUI CIRCUMSTETERUNT EUM (Heliodorum) ET EX UTRAQUE PARTE FLAGELLABANT (habentes scuticas sive flagella in manibus, ait Gorionides) SINE INTERMISSIONE MULTIS PLAGIS VERBERANTES. — Prior Angelus eques erat quasi prætor; hi vero duo Angeli erant

quasi ejus apparitores, et sententiæ exsecutores, qui proinde Heliodorum sacrilegum acerrime flagellabant. Hinc patet Deum peccata et peccatores non semper per nuncios, sed subinde etiam per Angelos bonos castigare. Addit Josephus filius Gorionidis, lib. III, cap. I, atque : « Ingressus Heliodorus cum omnibus satellitibus suis deambulansque in medio sanctuarii, et intrans in Sancta sanctorum, Dominus fecit illum et eos quos secum habuit, audire voces strepitus, et vehementissimæ commotionis quæ etiam montes frangebat, et dissecabat petras; ut cuncti satellites ejus fugere inciperent, abderenturque in quibus possent locis, et relinqueretur Heliodorus solus; qui cum levasset oculos suos, vidit virum habentem aspectum valde horribilem indutum veste aurea, unde micabant gemmæ pretiosæ, incedentem atque impedientem, saltantem, atque currentem contra Heliodorum, etc. » Si ita Deus castigavit Heliodorum deposita solum e templo auferre conantem, quomodo castigabit eos qui templorum, monasteriorum et piorum locorum res proprias diripiunt, et in profanos laicosque usus convertunt? Cogitent ipsi quomodo Deus castigavit Antiochum Epiphanem templum expilantem; legant horrendam ejus mortem cap. IX recensitam. Meminerint quoque vindictæ sacrilego Alcimo a Deo inflictæ, lib. I, cap. IX, vers. 3. Denique similium exemplorum plenæ sunt omnes historiæ. Porro flagellatio hæc Angelorum utpote fortissimorum et Dei sui templique injurias acerrime vindicantium, longe acrior diriorque fuit omni flagellatione hominum; præsertim quia ipsi in Heliodoro voluere exemplum acris vindictæ divinæ in sacrilegos statuere, quo alii a simili templi expilatione deterrerentur; unde ipse rogatus a Seleuco rem dixit : « Si quem habes hostem, mitte illuc, et flagellatum recipies. »

32. OBTULIT PRO SALUTE VIRI (Heliodori) HOSTIAM SALUTAREM, — id est victimam pacificam, quæ ex lege pro pace et salute cujuspiam offerebatur, juxta legem *Levit.* III.

33. ET ONIÆ GRATIAS AGENS; — id enim jusserat ipsi Angeli, vers. 33. Addit Gorionides Heliodorum Angelorum monita accidisse ad pedes Oniæ, itaque suppliciter gratias egisse. Hic enim exstimulabat salus per Oniam recepta et vita donata : vitam enim suam Heliodorus debebat Oniæ.

36. TESTABATUR AUTEM OMNIBUS. — Hinc videtur Heliodorus verum Israelis Deum agnovisse, ac relictis idolis eum solum coluisse. Idque non tantum eum, sed et omnes ejus milites et asseclas fecisse, ait Gorionides, qui asserit eos fuisse Macedones. Hinc et ipse victimas Deo obtulit, magnaque promisit et Deo vovit, ut dictum est vers. 35.

Porro hic Heliodorus, postea multos regnum, Seleucum regem per insidias occidit, ac regem se fecit. Sed Antiochus Epiphanes Seleuci frater junior, adjutus ab Attalo et Eumene regibus vicinis, eum expulit, et regnum sibi vindicavit. Ita Appianus, Justinus, Josephus et alii : indeque dictus est Epiphanes, id est illustris et nobilis, « eo quod alienis regnum usurpantibus ipse avitæ dignitatis assertor exortus suis illuxerit, » ait Appianus in *Syriacis*.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Onias apud Seleucum regem purgat se a calumniis sibi a Simone objectis. Mox, vers. 7, *Seleuco defuncto, Jason Oniæ Pontificis frater eo exclusо Pontificatum ab Antiocho Epiphane Seleuci fratre et successore emit* 360 *talentis. Idemque Judæos a Judaismo ad Gentilismum traducit. Inde*, vers. 23, *Jason, qui Oniam fratrem per datum regi pecuniam extruserat e Pontificatu, simili modo eodem fraudulenter extrusus fuit a Menelao fratre Simonis; Menelaum vero simili ratione extrusit frater ejus Lysimachus. Deinde*, vers. 34, *Onias Pontifex rogatu Menelai ab Andronico occiditur; sed Andronicum, instante populo, eodem loco occidit jussu Antiochus Epiphanes. Denique*, vers. 39, *sedition Lysimachus a populo seditionem excitante interficitur; Menelaus vero, corrupto pecuniis Ptolemæo, injustum absolutionis sententiam effingit.*

1. Simon autem prædictus pecuniarum et patriæ delator male loquebatur de Onia, tanquam ipse Heliodorum instigasset ad hæc, et ipse fuisset incentor malorum; 2. provisorem quoque civitatis, ac defensorem gentis suæ, et æmulatorem legis Dei, audebat insidiatorem regni dicere. 3. Sed, cum inimicitiæ in tantum procederent, ut etiam per quosdam Simonis necessarios homicidia fierent : 4. considerans Onias periculum contentionis, et Apollonium instabilis, utpote ducem Cœlesyriæ et Phœnicis, ad augendam malitiam Simonis, ad regem se contulit, 5. non ut civium accusator, sed communem utilitatem apud semetipsum universæ

multitudinis considerans. 6. Videbat enim sine regali providentia impossibile esse pacem rebus dari, nec Simonem posse cessare a stultitia sua. 7. Sed post Seleuci vitæ excessum, cum suscepisset regnum Antiochus, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Jason frater Oniæ summum sacerdotium : 8. adito rege, promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta, et ex redditibus aliis talenta octoginta, 9. super hæc promittebat et alia centum quinquaginta, si potestati ejus concederetur gymnasium et ephebiam sibi constituere, et eos, qui in Jerosolymis erant, Antiochenos scribere. 10. Quod cum rex annuisset, et obtinuisset principatum, statim ad gentilem ritum contribules suos transferre cœpit. 11. Et amotis his, quæ humanitatis causa Judæis a regibus fuerant constituta, per Joannem patrem Eupolemi, qui apud Romanos de amicitia et societate functus est legatione legitima, civium jura destituens, prava instituta sanciebat. 12. Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, et optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere. 13. Erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam, et profectus gentilis et alienigenæ conversationis, propter impii et non sacerdotis Jasonis nefarium et inauditum scelus : 14. ita ut sacerdotes jam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo, et sacrificiis neglectis festinarent participes fieri palæstræ, et præbitionis ejus injustæ, et in exercitiis disci. 15. Et patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur : 16. quarum gratia periculosa eos contentio habebat, et eorum instituta æmulabantur, ac per omnia his consimiles esse cupiebant quos hostes et peremptores habuerant. 17. In leges enim divinas impie agere impune non cedit ; sed hoc tempus sequens declarabit. 18. Cum autem quinquennalis agon Tyri celebraretur, et rex præsens esset, 19. misit Jason facinorosus ab Jerosolymis viros peccatores, portantes argenti didrachmas trecentas in sacrificium Herculis : quas postulaverunt hi qui asportaverant ne in sacrificiis erogarentur, quia non oporteret, sed in alios sumptus eas deputari. 20. Sed hæ oblatæ sunt quidem ab eo, qui miserat, in sacrificium Herculis : propter præsentes autem datæ sunt in fabricam navium triremium. 21. Misso autem in Ægyptum Apollonio Mnestheifilio, propter primates Ptolemæi Philometoris regis, cum cognovisset Antiochus alienum se a negotiis regni effectum, propriis utilitatibus consulens, profectus inde venit Joppen, et inde Jerosolymam. 22. Et magnifice ab Jasone et civitate susceptus, cum facularum luminibus et laudibus ingressus est : et inde in Phœnicen exercitum convertit. 23. Et post triennii tempus misit Jason Menelaum, supradicti Simonis fratrem, portantem pecunias regi, et de negotiis necessariis responsa perlaturum. 24. At ille commendatus regi, cum magnificasset faciem potestatis ejus, in semetipsum retorsit summum sacerdotium, superponens Jasoni talenta argenti trecenta. 25. Acceptisque a rege mandatis, venit, nihil quidem habens dignum sacerdotio, animos vero crudelis tyranni et feræ helluæ iram gerens. 26. Et Jason quidem, qui proprium fratrem captivaverat, ipse deceptus profugus in Ammanitem expulsus est regionem. 27. Menelaus autem principatum quidem obtinuit : de pecuniis vero regi promissis nihil agebat, cum exactionem faceret Sostratus, qui arci erat præpositus ; 28. (nam ad hunc exactio vectigalium pertinebat) quam ob causam utrique ad regem sunt evocati. 29. Et Menelaus amotus est a sacerdotio, succedente Lysimacho fratre suo : Sostratus autem præfectus est Cypriis. 30. Et cum hæc agerentur, contigit Tharsenses et Mallotas seditionem movere, eo quod Antiochidi regis concubinæ dono essent dati. 31. Festinanter itaque rex venit sedare illos, relicto suffecto uno ex comitibus suis Andronico. 32. Ratus autem Menelaus accepisse se tempus opportunum, aurea quædam vasa e templo furatus donavit Andronico, et alia vendiderat Tyri, et per vicinas civitates. 33. Quod cum certissime cognovisset Onias, arguebat eum, ipse in loco tuto se continens Antiochiæ secus Daphnem. 34. Unde Menelaus accedens ad Andronicum, rogabat ut Oniam interficeret. Qui cum venisset ad Oniam, et datis dextris cum jurejurando (quamvis esset ei suspectus) suasisset de asylo

recedere, statim eum peremit, non veritus justitiam. 35. Ob quam causam non solum Judæi, sed aliæ quoque nationes indignabantur, et moleste ferebant de nece tanti viri injusta. 36. Sed regresso rege de Ciliciæ locis, adierunt Judæi apud Antiochiam, simul et Græci, conquerentes de iniqua nece Oniæ. 37. Contristatus itaque animo Antiochus propter Oniam, et flexus ad misericordiam, lacrymas fudit, recordatus defuncti sobrietatem et modestiam. 38. Accensisque animis, Andronicum purpura exutum per totam civitatem jubet circumduci; et in eodem loco, in quo in Oniam impietatem commiserat, sacrilegum vita privari, Domino illi condignam retribuente pœnam. 39. Multis autem sacrilegiis in templo a Lysimacho commissis Menelæ consilio, et divulgata fama, congregata est multitudo adversum Lysimachum, multo jam auro exportato. 40. Turbis autem insurgentibus, et animis ira repletis, Lysimachus armatis fere tribus millibus iniquis manibus uti cœpit, duce quodam tyranno, ætate pariter, et dementia provecto. 41. Sed, ut intellexerunt conatum Lysimachi, alii lapides, alii fustes validos arripuere : quidam vero cinerem in Lysimachum jecere. 42. Et multi quidem vulnerati, quidam autem et prostrati, omnes vero in fugam conversi sunt : ipsum etiam sacrilegum secus ærarium interfecerunt. 43. De his ergo cœpit judicium adversus Menelaum agitari. 44. Et cum venisset rex Tyrum, ad ipsum negotium detulerunt missi tres viri a senioribus. 45. Et cum superaretur Menelaus, promisit Ptolemæo multas pecunias dare ad suadendum regi. 46. Itaque Ptolemæus in quodam atrio positum quasi refrigerandi gratia regem adiit, et deduxit a sententia : 47. et Menelaum quidem universæ malitiæ reum criminibus absolvit : miseros autem qui, etiamsi apud Scythas causam dixissent, innocentes judicarentur, hos morte damnavit. 48. Cito ergo injustam pœnam dederunt, qui pro civitate, et populo, et sacris vasis causam prosecuti sunt. 49. Quam ob rem Tyrii quoque indignati, erga sepulturam eorum liberalissimi exiterunt. 50. Menelaus autem, propter eorum qui in potentia erant avaritiam, permanebat in potestate, crescens in malitia ad insidias civium.

Prior pars a vers. 1 *ad* 7 ordine temporis collocanda est post vers. 16, cap. I, lib. I; posterior vero pars a vers. 21 usque ad vers. 11, cap. V, collocanda est post vers. 20, cap. I, lib. I.

1. Tanquam ipse (Onias Sanctus Pontifex) Heliodorum instigasset (id est magicis artibus impulisset) ad hæc — flagella jam dicta sufferenda. Sic enim impii miracula Dei adscribunt magiæ et dæmonis invocationi.

4. Onias, etc., ad regem (Seleucum) se contulit, — ne Simonis calumnias diluat, et Simoni silentium per regem imponat.

7. Sed post Seleuci vitæ excessum (necem ei irrogatam per insidias ab Heliodoro) cum suscepisset regnum Antiochus, qui Nobilis (puta Epiphanes) appellabatur (cæsoque frater Seleuci occisi) arripiebat Jason (Hebraice vocabatur *Jesus*, sed græcizans ethnicum nomen assumpsit, dictusque est Jason) frater Oniæ summum sacerdotium, — sollicet Pontificatum.

8. Adito rege promittens ei argenti talenta 360. — Quanta fuerit hæc summa, calcula ex eis quæ dixi cap. præced., vers. 11.

9. Super hæc promittebat et alia 140, si potestati eius concederetur gymnasium et ephebiam sibi constituere — in urbe Jerosolymitana. Quid hæc fuerint dixi lib. I, cap. I, vers. 13; et de his fuse agit Petrus Faber, lib. III *Agonist.* cap. XXVII et XXVIII, ubi inter cætera ait : Ephebiam Lyranus optime exposuit prostibulum pulcherrimorum juvenum ; et Athenæus, lib. XI *Dipnos.* Ephebi, ait, sunt prostituti pueri, qui IV *Reg.* XXIV, Hebraice vocantur *Kadesim* קדשים, id est spurci et scelerati. Noster vertit effeminatos ; Lyranus prostibula masculà. Iidem vocantur מזומנים, id est initiati et consecrati, scilicet Astartæ, sive Veneri, aut Priapo. Syrorum enim Dea erat Astarte sive Venus. Iidem utebantur galero lato, qui inde petasus dicebatur a πατάσσω, id est extendo. Aut petasus erat cortina, quæ lupanari obducebatur ad tegendas earum spurcitias. Rursum idem Faber per ephebiam accipit ganeas et popinas ad comessandum et compotandum ; voluerant enim imitari suum regem Antiochum Epiphanem, qui cum populoribus, quos in tabernis reperisset, helluari ac compotare, et cum juvenibus nepotari saltareque solebat ; unde a nonnullis pro Epiphane dictus est Epimanes, id est insanus, teste Athenæo, lib. V *Dipnos.* pag. 57. Hinc lupanaria canponis erant conjuncta : venter enim cibo vinoque saturatus in Venerem profluit ; et, ut ait S. Hieronymus, despumat. Causam subjicit Faber dicens : « in Syria, cum ob regionis fertilitatem plerisque apud alias gentes necessariis laboribus exempti essent, agi-

tata identidem ab incolis convivia lavationibus, ludicrorum certaminum exercitationibus, et sumptuosissimis ex oleo crebroso unctionibus adhibitis; adeo ut in grammatelis quoque (sic enim publica opulentam loca honestiore scilicet, ac turpitudinem rei velante vocabulo nuncupabant) non secus ac privatus quisque domibus maximam diei partem, fercendo dapibus vinoque ventri non sine aurium voluptate [quas vel ipse demulcebat multisonæ testudinis fragor] impellerent, secumque postea obscœnorum partes Cœnum auferreat; Athenæus ita docuit, » libro V *Dipnos.* pag. 66.

Et eos, qui in Jerosolymis erant, Antiochenos scribere. — Antiochia erat caput regni Syriæ; quare Antiochia ampla a suis regibus obtinuerunt privilegia, quatenus pariter habuere Alexandrini et Romani. Unde S. Paulus dicens : « Civis romanus sum, » flagellationis jam paratæ se exemit, *Actor.* XXII, 25.

11. Et gentis hæ (patriis institutis, scilicet Judæorum legibus, moribus et ritibus) quæ humanitatis (benevalentiæ) causa junxis a gentibus (Persarum et Græcorum, licet ethnicorum et idololatrarum) fuerant constituta. (Illi enim reges imbuerant Judæos suis legibus vivere, voluerantque eos ad Gentilium religionem et mores cogi; his, inquam, amotis, impius et apostata Jason Gentilibus ritus induxit; Idque fecit) per Joannem patrem Eupolemi, qui (Eupolemus postea tempore Judæ Machabæi) apud Romanos de amicitia et societate (cum Juda et Judæis incunda) functus est legatione legitima (I *Macheb.* VIII, 17) civium jura destituens (abrogans, abolens, destruens) prava instituta (Gentilium et Gentilismi) sanciebat.

12. Etenim ausus est sua ipsa arce (Sion) gymnasium, (in quo juvenes gymnasticen exercerent, discerentque luctari, currere, saltare, equitare, digitabari, etc.) constituere et optimos quosque ephebosque (id est adolescentium) in lupanaribus ponere, — ad infandam et præposteram libidinem. Ephebi græce vocantur puberes, adolescentes : ἥβη enim est pubertas, adolescentia quæ in maribus fit anno ætatis 14; ἥβη enim est juventus : unde Hebraice dicta est uxor Herculis, ac Dea pubertatis et juventutis progenita ex Jove et Junone, ait Hesiodus *in Theogn.* Græce est : *Optimos ephebosque pulcherrimos sub petasum ducit.* Petasus erat galeræ latus, qui erat insigne catamitorum, aut potius petasus erat velum, et cortina tegens lupanar, ut eo tuti impudenter pudendas et nefarias suas libidines exercerent.

Ita ut sacerdotes, etc., festinarent participes fieri palæstræ, (ut scilicet athletas in palæstra, lucta, cursu, gladiis, hastis certantes spectarent, quin et ipsimet iisdem certarent, et præmium victori constitutum adipiscerentur : unde explicans subdit) et præmiorum ejus injustæ, — præmiorum quæ vincentibus præberi solebant, qualia erant aurum, argentum, coronæ, vestes, arma, etc., quæ vocat injusta, id est iniqua, quia sacerdotibus indigna erant, utpote laica, juvenilia, immodestia et lasciva.

Et in exercitus disci. — Qualia hæc fuerint dixi lib. I, cap. I, vers. 15. Græca habent : *post discoi provocationem* : solebat enim discus per palæstram circumferri, ac præmium vincenti propositum disco imponi, ut per hoc plures ad disci certamen invitarent et provocarent, uti docet Petrus Faber, lib. II *Agonist.* cap. XXII.

15. Græcas glorias. — Ita vocat ludos Græcorum, Olympicos et Isthmios, qui Corinthi celebrabantur, aliosque similes Gentilium ritus, de quibus gloriabantur Græci, id est Gentiles, præsertim qui in iis victores palmam et præmium tulerant.

16. Quarum gratia periculosa eos contentio habebat, — id est periculose contendebant æmulari ludos ritusque Græcorum et Gentilium, ac alter alterum in iis superare conabatur, de eoque gloriabatur. Nota : « periculosa : » periculum enim erat tum exarum et pugnarum, ne iis se mutuo invaderent et conficerent : tum ne a Græcis, puta Antiochis Asiæ regibus quasi Græci plane subjugarentur; tum maxime periculum erat a Deo, ne ipse apostatarum eorum a se et Judaismo ad Gentilismum et dæmones acriter puniret.

Quos hostis et peremptores habuerant, — tum ante sub Ptolemæo Philopatore, qui acriter Judæos persecutus est, ut patet ex libro II *Mach.* tum paulo post sub hoc Antiocho Epiphane, idque in pœnam hujus apostasiæ ipsorum; unde sequitur :

17. In leges enim divinas impie agere impune non credit. — Deus enim suas injurias lente sed acriter punit. Nam ut ait ille : « Dei lanceas habent pedes, sed ferreas manus; » et ut ait Valerius Maximus, lib. I, cap. II : « Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat. »

18. Cum autem quinquennalis agon Tyri celebraretur. — Agon significat ludos agonisticos jam dictos similes ludis et agonibus Olympicis, qui post quartum quemlibet annum celebrabantur, ideoque « quinquennalis agon » vocatur. Quare hic Agon diversus erat ab agone Olympico, qui quarto quolibet anno celebrabatur, nec in præsentem annum cadebat, uti ostendit Salianus.

19. Misit Jason (Simoniacus pseudopontifex) viros peccatores, — utpote impietatis et idololatriæ Jasonis legatos, administros et exsecutores. Serarius pro « peccatores » censet legendum *præcatores* : hos enim significat Græcum θοιγὸς, quod tamen Complutensia vertunt *procuratores sacrorum*; alii, *oraculorum suscitatores*; Vatablus, *spectatores*, et ita pro « peccatores » legendum censet Salianus. De quibus Suidas et Sigonius, *De Rep. Athen.* θοιγοὶ erant, inquit, qui ad spectacula, festa, oracula, rerumque divinarum curationem rogitabantur. Ita

Diodorus Siculus eos vocat, quos Dionysius tyrannus ad ludos Olympicos cum suis carminibus miserat. Illinc Straiodes adulator Athenis rogationem promulgavit, ut qui ex plebiscito publice ad Antigonum et Demetrium mitterentur, non legati, sed theori dicerentur, sicut qui Delphis et Olympiæ solemnibus Græcorum conventibus victimas pro civitatibus agunt, ut inquit Plutarchus in Demetrio. Græca adduut : *ut qui Antiochenses* esset, id est jure Antiochensium donati ab Antiocho.

Portantes argenti didrachmas (Græce est drachmas) trecentas in sacrificium Herculis. — Drachma argenti est Julius sive regalis Hispanicus; didrachma ergo sunt duo Julii, sive duo regales : quare trecentæ didrachmæ faciunt Julios, sive regales sexcentos, hoc est sexaginta aureos Romanos, quibus multæ victimæ, puta oves et capri eoemi poterant ad sacrificium Herculis. Nonnulli tamen, putantes hanc summam nimis esse vilem et exilem in Pontifice ad captandam Antiochi regis benevolentiam, putant hos didrachmas fuisse aureos; eas tamen vocari « argenti, » id est pecuniæ, *q. d.* Misit Jason argenti, id est pecuniæ didrachmas aureas trecentas, quæ faciunt sexcentos aureos Romanos. Ita Sanctius; drachma enim auri est unus aureus : didrachma ergo sunt duo aurei; quare trecentæ didrachmæ aurei sunt sexcentiaurei.

In sacrificium Herculis, — qui quasi Deus fortitudinis, et bellorum, ac certaminum celebratur in Syria et Tyro, eratque proprius Tyriorum Deus, ideoque Hercules Tyrius dicebatur, vide Gyraldum *De diis gentium in Hercule.* Unde multi putant Herculem non alium fuisse quam Samsonem, qui juxta Tyrum in Palæstina raræ fortitudinis suæ edidit exempla, ut dixi in libro *Judicum* Hinc ibidem celebrabatur agon quinquennalis in honorem Herculis, quo athletæ profitebantur se imitari Herculem, ideoque ibidem in gymnasiis proponebantur Herculis statuæ et sacella, uti ex Galeno, Pausania, Athenæo et aliis docet Serarius.

Quas postulaverunt ei, etc. — *q. d.* Jason misit trecentas didrachmas pro sacrificio Herculis, sed ejus legati licet impii, minus tamen scelerati quam Jason, eas portantes cum essent Judæi, Deumque verum colerent, et idola detestarentur, rogarunt ne in Herculis dei gentium sacrificia, sed in alios usus expenderentur. Quare Antiochus Epiphanes easdem expendit in fabricam triremium, quas ipse adornabat pro prima sua expeditione in Ægyptum, de qua sequitur.

21. Propter primates Ptolemæi Philometoris regis, (qui a Philometore rege suo defecerant, ejusque fratrem juniorem Ptolemæum Evergeten, qui et Physcon dictus est, ejus regem creare volebant. Igitur Antiochus Epiphanes videns dissidium duorum fratrum, scilicet Philometoris et Physconis de regno Ægypti litigantium, ipse quasi avunculus utriusque (Cleopatra enim soror Epiphanis erat mater utriusque) finxit se velle esse litis arbitrum et mediatorem, ac inter fratres rem componere; sed revera intendebat regnum utrique nepoti eripere, et sibi arrogare. Id schodorati primates Ægypti et tutores regis noluerunt ut ipse rebus Ægypti se immisceret. Et hoc est quod hic dicitur :) Cum cognovisset Antiochus aliquam se a negotiis regni effectum, propriis utilitatibus (regni sui in Syria) consulens. Profectus inde (scilicet ex Tyro) venit Joppen, et inde Jerosolymam, — ubi eum, quasi regem, imo quasi Deum quemdam terrestrem (talis enim volebat haberi et adorari Antiochus) excepit Jason : « cum facularum luminibus et laudibus, » ut sequitur. Pro « utilitatibus » Noster legit in Græco πράξεσι; jam legunt εὐχρείαις, id est « securitatibus, » sed eodem redit sensus.

23. Et post triennii tempus misit Jason Menelaum supradicti Simonis (proditoris et delatoris pecuniarum, de quo vers. 5) fratrem portantem pecunias regi — Antiocho Epiphani, quasi tributum in signum subjectionis.

24. At ille commendatus (a Jasone) regi, cum magnificasset faciem potestatis ejus, — id est cum amplis verbis exaltasset regiam Antiochi potestatem, majestatem et splendorem, quod scilicet ipse per eam quidlibet in Syria efficere posset non solum in profanis et politicis, sed etiam in ecclesiasticis et sacris, ideoque posset Jerosolymæ Pontificem constituere, quem vellet, adeoque Pontificatum a Jasone in se transferre : qua arte et fraude Menelaus a Jasone) in semetipsum retorsit summum sacerdotium (Pontificatum) supereminens Jasoni talenta argenti trecenta, — tantumdem scilicet amplius Antiocho offerens, quam Jason obtulerat. Sicut ergo Jason, oblatis Antiocho Epiphani 360 talentis, emit Pontificatum, eoque exstrusit fratrem suum Oniam Sanctum : sic pariter Menelaus missus a Jasone ipsum Jasonem dolose supplantavit, et extrusit, promittens regi alia trecenta talenta præter 360 a Jasone eidem promissa. Unde Græce est : *superans Jasonem talentis trecentis, q. d.* Jason promiserat regi pro Pontificatu 360 talenta; at Menelaus summam hanc auxit, et pene duplicavit : sicut enim cum res in auctione venditur, singuli augent pretium, et qui summum offert pretium, illi res cedit : sic hic Menelaus addens trecenta, promittensque regi universim 660 talenta, Pontificatum obtinuit, horumque summ Jasonem callide exclusit.

25. Acceptisque a rege mandatis (ut Judæi eum quasi Pontificem loco Jasonis susciperent) venit, nihil quidem habens dignum sacerdotio, (tum quia Menelaus erat e tribu Benjamin, quæ inhabilis erat ad sacerdotium, cum Jason esset ex tribu Levi, ideoque ad eum habilis; tum quia impius erat, ac per simoniam Pontificatum sibi comparabat :) animos vero crudelis tyranni, — unde vers. 34, jussit Oniam verum sanctumque Pontificem per Andronicum crudeliter occidi.

26. Et Jason quidem qui proditum erat (Oniam Pontificem) captivaverat, ipse per

(in cujus ejus Menelao) PROFUGUS IN ARMANITINE EXPULSUS EST REGIONE. — Justum hoc fuit Dei judicium, et *justa* talionis pœna, ut qui fratrem supplantaverat a famulo supplantaretur, et qui Pontificatum emerat a majori emptore exploderetur; et qui Oniam Sanctum Pontificem in exilium egerat, exsul apud Ammonitas misere viveret. Hic vide quam verum sit illud *Eccli*, cap. XXVII, vers. 28 : « Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet, et plaga dolosa dolosi dividet vulnera; et qui foveam fodit, incidet in eam; et qui statuit lapidem proximo, offendet in eo; et qui laqueum alii ponit, peribit in illo. »

20. ET MENELAUS ARGUTUS EST A SACERDOTIO, — a Pontificatu ab Antiocho Epiphane, eo quod 360 talenta sibi promissa non præstaret. Quare Epiphanes loco Menelai Pontificem creavit ejus fratrem Lysimachum eadem sibi, ut videtur, promittentem. Ita impius Menelaus impium Jasonem exturbavit, et ab impio fratre Lysimacho pariter exturbatus est. Cum enim agitur de honore et ambitu, frater fratrem non agnoscit, sed odit et supplantat. Quisque enim dignitatem sibi optat potius quam fratri; imo non raro fratri eamdem eripit. Tanta est vis ambitionis et cupiditatis in homine per peccatum corrupto.

30. CONTIGIT THARSENSES ET MALLOTAS SEDITIONEM MOVERE, EO QUOD ANTIOCHUS REGIS CONCUBINÆ DONO ESSENT DATI — ab Epiphane, et ex eorum redditibus sibi vestes pretiosas, monilia, armillas, famulos et rhedas compararet. Audi Ciceronem, Act. V *in Verrem* : « Solere aiunt barbaros reges Persarum et Syrorum plures uxores habere; his autem exoptas civitates attribuere hoc modo : hæc civitas muliori cuidam cingulum præbeat, hæc in collum, hæc in crines; illa pectus habeat universos non solum conscios libidinis suæ, verum etiam administros. » Idem tradit Plato *in Alcibiade*, Plutarchus *in Themistocle*, et Athenæo, lib. I, Strabo, lib. XIV. Porro Tharsus et Mallus erant nobiles Siciliæ civitates, quæ proinde indignatæ sunt se datas meretrici, quæ ab Antiocho amasio suo se vocabat Antiochidem, ideoque tumultuatæ sunt. Quocirca illico occurrit Antiochus, ut tumultum sedaret relicto Antiochiæ prorege Andronico, ut sequitur.

33. ONIAS (sanctus Pontifex) ARGUEBAT EUM — Menelaum de sacrilegio, quod vasa aurea furatus e templo dedisset Andronico proregi, ut sibi Pontificatum restitueret. Licet enim Onias injuste spoliatus esset Pontificatu, et exularet Antiochiæ; tamen quia vere ipse erat Pontifex, ex zelo Pontificio redarguit sacrilegum, etsi probabiliter sciret se hac ratione necem sibi accersere; sciebat enim per eam se Martyrii lauream quam optabat adepturum.

IN LOCO TUTIORI CONTINENS ANTIOCHIÆ SECUS DAPHNEN; — locus hic erat quinque passuum millibus distans Antiochia : unde a Dione, lib. LI, nuncupatur *salubrium*, tum dictus a copia laurorum, *q. d.* lauretum; δάφνη enim est laurus : quare in eo erat fanum celebre Apollinis, ideoque erat asylum omnibus tutum et inviolabile. Hic sepultus fuit S. Babylas martyr, qui Apollini silentium indixit, ideoque a Juliano apostata exhumatus fuit. Vide ejus acta. Juxta hunc locum sepultus quoque fuit S. Ignatius Antiochiæ Episcopus et Martyr; sed inde translatus fuit Romam. Huc ergo quasi ad asylum confugit Onias Pontifex; sed perdolum ex eo eductus ab Andronico perfide et sceleste contra fidem ei datam et juratam occisus fuit. Quare Judæi et Gentiles indigne sancti Pontificis cædem ferentes Andronicum apud Antiochum Epiphanem accusarunt, qui eum purpura exutum circumduci jussit per urbem, et in eodem loco occidi, in quo ipse occiderat Oniam, ut sequitur. Ita occisus est Onias sanctus et zelosus Pontifex, postquam 36 annis Judæorum Synagogam æque ac Rempublicam magno animi robore contra impios sustentasset. Qualis autem quantusque fuerit liquet, tum ex eo quod omnes Judæi et Gentiles mortem ejus luxerint, adeoque impius rex Epiphanes lacrymas fuderit; tum ex elogio quod ei dat Scriptura, cap. XV, vers. 12, ubi Judas Machabæus pugnaturus contra Epiphanem vidit in somnis Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum et benignum, verecundum visu, modestum moribus, et eloquio decorum, et qui a puero in virtutibus exercitatus fuerat, manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum. Erat autem illi socius orationis Jeremias, qui ipse quoque a suis desertoribus peremptus fuerat in Ægypto.

40. DUCE QUODAM TYRANNO. — Græce *Orano quodam*, *q. d.* Cum populus ob Lysimachi scelera et sacrilegia tumultuaretur, Lysimachus populo opposuit tria millia armatorum, duce tyranno; sed populus undique concurrens, furensque, lapidibus et fustibus eos fugavit, et Lysimachum juxta ærarium sive gazophylacium templi occidit. Hæc est summa eorum quæ fusc in sequentibus narrantur.

43. DE HIS ERGO COEPIT JUDICIUM ADVERSUS MENELAUM AGITARI, — *q. d.* Judæi Menelaum quasi omnis malitiæ auctorem, qui fratri suo Lysimacho pseudopontifici tot scelera et sacrilegia suasisset, accusarunt apud Antiochum Epiphanem, qui rem litemque jussit judicialiter contra Menelaum agi.

45. ET CUM SUPERARETUR (multitudine testium et evidentia gravissimorum criminum reus convincetur) PROMISIT PTOLEMÆO (Dorymenis filio, ut addunt Græca, qui auctoritate et gratia valebat apud Antiochum Epiphanem) MULTAS PECUNIAS DARE AD SUADENDUM REGI, — ut Menelaum quasi innocentem absolveret; Judæos vero accusatores quasi calumniatores pœna talionis ad mortem damnaret, cum ipsi prorsus essent innocentes. Itaque factum est, ut sequitur :

50. MENELAUS AUTEM PROPTER EORUM QUI IN POTENTIA ERANT AVARITIAM (qua se perenniis a Deo

lato corrumpi sinebant) PERMANEBAT IN POTESTATE — Pontificia, *q. d.* Menelaus, occiso a populo fratre suo Lysimacho pseudopontifice, per aulicos pecunia corruptos intrusit se rursum in Pontificatum, cum non esset de tribu Levi, sed Benjamin, ut dictum est vers. 23. Menelaus ergo Pontificatum gessit non legitime, sed ut intrusus per quatuor annos, scilicet ab anno 140 Græcorum, quo ipse curavit occidi Oniam sanctum Pontificem, usque ad annum 145 Græcorum, quo Mathathias contra eum et regem Epiphanem insurrexit, ac a populo Dux et Pontifex fuit creatus. Licet enim Onias sanctus filium haberet Onian, cui jure successionis hereditariæ Pontificatus ille ævo debebatur, tamen is jam fugiens in Ægyptum, ac Heliopoli aliud templum erexerat, eique se Pontificem constituerat. Jason autem inter Onias plane indignus erat Pontificatu, utpote simoniacus et apostata, qui Judæos ad gentilismum traducere satagebat, ut audivimus initio capitis. Deficientibus ergo legitimis hæredibus, Pontificatus devolutus est ad Mathathiam ejusque filios Judam, Jonatham et Simonem Machabæos.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judæi, videntes in cælo acies militum confligentes, ex eis accipiunt omen instantium bellorum et cædium Antiochi Epiphanis. Jason ex Ammonitide reversus Jerosolymam occupat, et per cædes in cives grassatur. Mox, vers. 11, Antiochus Epiphanes Ægypto exclusus iram suam in vicinos Judæos evomit; quare Jerosolymam capit, in eaque 80 millia trucidat, 40 millia incarcerat, et totidem divendit; templum violat et spoliat, ablatis ex eo 1800 talentis; inde rediens Antiochiam in Judæa reliquit præfectos, qui gravius quam ipse Judæos affligunt. Quare Judas Machabæus cum suis fugit in desertum.

1. Eodem tempore Antiochus secundam profectionem paravit in Ægyptum. 2. Contigit autem per universam Jerosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aera equites discurrentes, auratas stolas habentes, et hastis, quasi cohortes, armatos, 3. et cursus equorum per ordines digestos, et congressiones fieri cominus, et scutorum motus, et galeatorum multitudinem gladiis districtis, et telorum jactus, et aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum. 4. Quapropter omnes rogabant in bonum monstra converti. 5. Sed cum falsus rumor exisset, tanquam vita excessisset Antiochus, assumptis Jason non minus mille viris, repente aggressus est civitatem, et civibus ad murum convolantibus, ad ultimum apprehensa civitate, Menelaus fugit in arcem : 6. Jason vero non parcebat in cæde civibus suis, nec cogitabat prosperitatem adversum cognatos malum esse maximum, arbitrans hostium et non civium se trophæa capturum. 7. Et principatum quidem non obtinuit, finem vero insidiarum suarum confusionem accepit, et profugus iterum abiit in Ammaniten. 8. Ad ultimum, in exitium sui conclusus ab Areta Arabum tyranno, fugiens de civitate in civitatem, omnibus odiosus, ut refuga legum et execrabilis, ut patriæ et civium hostis, in Ægyptum extrusus est. 9. Et qui multos de patria sua expulerat, peregre periit, Lacedæmonas profectus, quasi pro cognatione ibi refugium habiturus; 10. et qui insepultos multos abjecerat, ipse et illamentatus et insepultus abjicitur, sepultura neque peregrina usus, neque patrio sepulcro participans. 11. His itaque gestis, suspicatus est rex societatem desertores Judæos; et ob hoc profectus ex Ægypto efferatis animis, civitatem quidem armis cepit. 12. Jussit autem militibus interficere, nec parcere occursantibus, et per domos ascendentes trucidare. 13. Fiebant ergo cædes juvenum ac seniorum, et mulierum et natorum exterminatio, virginumque et parvulorum neces. 14. Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venumdati. 15. Sed nec ista sufficiunt; ausus est etiam intrare templum universa terra sanctius, Menelao ductore, qui legum et patriæ fuit proditor; 16. et scelestis manibus sumens sancta vasa, quæ ab aliis regibus et

civitatibus erant posita ad ornatum loci et gloriam, contrectabat indigne, et contaminabat. 17. Ita alienatus mente Antiochus non considerabat quod, propter peccata habitantium civitatem, modicum Deus fuerat iratus; propter quod et accidit circa locum despectio; 18. alioquin nisi contigisset eos multis peccatis esse involutos; sicut Heliodorus, qui missus est a Seleuco rege ad exspoliandum ærarium, etiam hic statim adveniens flagellatus et repulsus utique fuisset ab audacia. 19. Verum non propter locum, gentem; sed propter gentem, locum Deus elegit. 20. Ideoque et ipse locus particeps factus est populi malorum; postea autem fiet socius bonorum, et qui derelictus in ira Dei omnipotentis est, iterum in magni Domini reconciliatione cum summa gloria exaltabitur. 21. Igitur Antiochus, mille et octingentis ablatis de templo talentis, velociter Antiochiam regressus est, existimans se præ superbia terram ad navigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum propter mentis elationem. 22. Reliquit autem et præpositos ad affligendam gentem: Jerosolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorem eo ipso, a quo constitutus est; 23. in Garizim autem Andronicum et Menelaum, qui gravius quam cæteri imminebant civibus. 24. Cumque appositus esset contra Judæos, misit odiosum principem Apollonium cum exercitu viginti et duobus millibus, præcipiens ei omnes perfecte ætatis interficere, mulieres ac juvenes vendere. 25. Qui cum venisset Jerosolymam, pacem simulans, quievit usque ad diem sanctum sabbati; et tunc feriatis Judæis, arma capere suis præcepit. 26. Omnesque qui ad spectaculum processerant, trucidavit; et civitatem cum armatis discurrens, ingentem multitudinem peremit. 27. Judas autem Machabæus, qui decimus fuerat, secesserat in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis, agebat; et feni cibo vescentes, demorabantur, ne participes essent coinquinationis.

Hoc caput, a vers. 11, ad finem æque ac caput VI et VII, ordine temporis quo gesta sunt, collocandum est in fine cap. I, lib. I, ante initium capitis II.

1. EODEM TEMPORE ANTIOCHUS (Epiphanes) SECUNDAM PROFECTIONEM PARAVIT IN ÆGYPTUM, — ut eam armis subjugaret; sed a Romanis prohibitus, rediens in Judæam vicinam, indignationem suam effudit. Idipsum ante trecentos et plures annos Gabriel prænuntiarat Danieli, cap. XI, 23 et seq. Vide ibi dicta.

2. CONTIGIT AUTEM PER UNIVERSAM JEROSOLYMORUM CIVITATEM VIDERI DIEBUS 40 PER AERA EQUITES DISCURRENTES, — inter se gladiis districtis, et telorum jactibus confligentes, uti verbis sequentibus valde efficacibus auctor exaggerat; quæ omnia fuerunt prognostica ingentis cladis Judææ imminentis, ut sequitur.

Porro hæc portenta fuere ab Angelis jussu Dei in aere effecta per vaporum et exhalationum certam dispositionem, motum et concursum, quæ speciem aciemm conflictantium præ se ferret, ut per ea Deus Judæos præsignificaret stragem eis mox ab Antiocho Epiphane inferendam, ac prælia quæ eum eo gesturus erat Judas Machabæus. Sic antequam Titus et Romani obsiderent et caperent Jerosolymam 21 die mensis maii, ait Josephus, lib. VII *De Bello*, cap. XII: « Post dies festos ante solis occasum visi sunt per inane ferri currus totis regionibus, et armatæ acies tranantes nubila, et civitati circumfusæ. » Idem accidit tempore S. Gregorii, cum Longobardi invaderent Italiam. Audi eum, hom. I *in Evangelium*: « Priusquam Italia Gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cælo acies vidimus, ipsum qui postea humani generis fusus est sanguinem coruscantes. » Julius Obsequens, lib. *De Prodigiis ad Aug. Cæsarem*, cap. VI et VII, refert t.. Opimio et Q. Posthumio Consulibus, Consæ arma in cælo volare visa; et C. Mario et Horo Consulibus, Arimini eamem locutum, arma cœlestia ab ortu et occasu visa pugnare, et ab occasu vinci. Lucio Scipione et Caio Norbano Consulibus per Syllana tempora, inter capuam et Vulturnum, ingens signorum sonus, armorumque horrendo clamore auditus, ita ut viderentur duæ acies concurrere per plures dies. Pausa Item et Hirtio Consulibus eum adversus Antonium dimicaretur, armorum telorumque species a terra visa cum fragore ad cælum ferri. Eutropius, lib. VI *historiæ*, cum Cæsar adversus Pompeium dimicaret, refert tantum in aere armorum strepitum fuisse, ut Antiochia quasi adventu hostium in muris concurreretur.

Audi et Plinium, lib. II, cap. LVII: « Armorum crepitus et tubæ sonitus auditos e cælo Cimbricis bellis accepimus, crebroque et prius et postea. Tertio vero consulatu Marii ab Amerinis et Tudertibus spectata arma cœlestia, ab ortu occasuque inter se concurrentia, qui ab occasu erant. » Similia Cæsaris cædem præcessere signa, de quibus Appianus, lib. IV *Civilium*: « Hominum, inquit, immanes voces, armorum strepitum, equorum cursus inspectante nemine audiebantur. » De eodem tempore Ovidius, lib. XV *Metamorph.*:

> Signa tamen luctus dant non incerta futuri,
> Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes,
> Terribilesque tubæ auditasse cornua cœlo
> Pramoniides nefas.

Similia portenta recenset Seneca in *Quæst. natural.* Augustus Niphus in *Meteorologicis*, Cornelius Gemma Frisius in *Cosmocritices*, Conradus Lycosthenes licet in fide heterodoxus, lib. *De Prodigiis*, pag. 189, 210 et 228. Memini mihi in Belgio, cum puer essem, similia in cælo ostenta fuisse ostensa sub initium bellorum Belgicorum, quæ proinde Belgio instare ex hisce signis viri sapientes jam tum prænuntiabant, et eventus docuit docetque adhuc prænuntiationem fuisse verissimam. Denique astrologi, ac nominatim Ptolemæus in *Centiloquio*, cap. IX, censet hæc fieri naturaliter vi astrorum, ac præsertim vi astri Persei; sic et Augustus Niphus, lib. I *Meteor.* fol. 31, pag. 4; sed verius est hæc fieri a providentia speciali Dei per Angelos, qui tamen astris, ventis et vaporibus ad hæc spectra producenda utuntur, ut figuras cladis præsignificent. Vide Christophorum a Castro, lib. I *Prolegom. in Minores Prophetas*, cap. XXII.

4. QUAPROPTER OMNES BOGABANT IN BONUM MONSTRA (Græce ὁράσεις, id est apparitionem, visa, ostenta scilicet in aere conflictantium, quæ conflictus in Judæa fore acres præmonstrabant) CONVERTI, — ut scilicet Judæi in hisce conflictibus forent superiores, neque vincerentur, sed vi sterent, uti de facto Antiochum Epiphanem vicerunt Judas ejusque fratres Machabæi.

5. SED CUM FALSUS RUMOR EXISSET TANQUAM VITA EXCESSISSET ANTIOCHUS (Epiphanes), ASSUMPTIS JASON NON MINUS MILLE VIRIS, REPENTE AGGRESSUS EST CIVITATEM, quæ Jerosolyma erat. Jason his frater Oniæ sancti Pontificis data pecunia emerat Pontificatum ad Epiphanem; itaque Pontificatu extruserat fratrem Oniam; sed Menelaus plus pecuniæ offerenti Epiphanes Pontificatum tradidit, exciso Jasone. Jason ergo audiens rumorem de morte Epiphanis, cum jam ejus offensam et potentiam non metueret, ex Ammonitide, ubi exsulabat, armatis mille viris rediens, Jerosolymam invasit et occupavit, ut Pontificatum recuperaret. Quocirca) MENELAUS, (qui Jasonem extruserat, ex urbe) FUGIT IN ARCEM — incolis Sion.

7. EX PRIORE — TUM (sacrum, puta Pontificatum, eique annexum Principatum politicum quem maxime ambiebat Jason; hunc enim Pontifex simul erat dux et princeps populi) QUEMEM NON OBTINUIT, (quia a conflictante civium multitudine ipse quasi hostis et tyrannus cum suis urbe expulsus fuit. Quid enim poterant mille ejus viri, et insidiæ contra centena et plura civium millia? Unde) PROFUGUS ITERUM ABIIT IN AMMANITEN, — indeque errans et vagus instar Caini profugit in Arabiam; sed cum ibi Arethæ regi de proditione, vel regni ambitione esset suspectus, captusque fugiens abiit in Ægyptum: quia Ptolemæus rex Ægypti hostis erat Epiphanis, sed pace inter utrumque conciliata, Jason, ne Epiphanes eum a Ptolemæo ad necem deposceret, ex Ægypto profugit ad Spartanos, quasi veteres Judæorum amicos et cognatos; ibique misere in exilio vitam finiit, mortuusque humana caruit sepultura, sepultusque est sepultura asini in sterquilinio.

8. UT REFUGA LEGUM, — Græce ut « legum ἀποστάτης, id est *transgressor et apostata*, utpote qui a Judaismo ad Gentilismum apostatasset, et cæteros apostatare compelleret.

11. SUSPICATUS EST REX (Epiphanes) SOCIETATEM REBELLIONIS (secum initam) JUDÆOS. — Cur suspicandi erant: *prima*, quia sciebat eos sibi infensos, eo quod ipse ademisset Oniam Pontificum sanctum, eique surrogasset impios et sacrilegos pseudopontifices, Jasonem, Menelaum et Lysimachum, qui eos a Judaismo ad Gentilismum traducere satagebant. *Secunda*, quia Antiochus a Romanis ex Ægypto cum infamia expulsus putabat se jam Judæis fore contemptui, illosque vicinorum Ægyptiorum et sociorum Romanorum ope fretos jugum suum excussuros, uti excusserant Ægyptii. *Tertia*, quia ipse sciebat se ob avaritiam et crudelitatem Judæis exosum. *Quarta*, quia Judæi Lysimachum a se Pontificem constitutum lapidarant. *Quinta*, quia ipsi sparserant falsum rumorem de ejus morte, vers. 5. Addit Gerianides ipsos de eo exultasse: « Venerunt, inquit, e gente nostra impii ad regem, et dixerunt: Ecce vita sunt Jerosolymis ostenta quædam, et dixerunt cives: Mortuus est Antiochus, ilicmque de domini nostri regis exitio gavisi sunt. » *Sexta*, quia redeunti Antiocho ex Ægypto Jerosolymitæ paraverant se ad illi resistendum, ut ille mox advenanti portas occluserunt. Hæc omnia rescivit Epiphanes per suos exploratores et amicos, et præsertim per Menelaum, cui post lapidatum Lysimachum ejus frater ipse Pontificatum restituerat. Hic omnia Judæorum contra Epiphanem consilia, acta dictaque ipsi prodebat, vers. 15. Atque hac de causa Epiphanes, portas urbis sibi occlusas videns, ingenti ira, tanta crudelitate et barbarie in Judæos sæviit, ut spatio trium dierum occideret 80 millia, 40 venumdaret, et totidem capta vinciret, ut sequitur.

17. ITA ALIENATUS MENTE (Græce *elatus animo*) ANTIOCHUS — putabat se Judæos supplantasse, ut eis quasi municipiis uteretur, eorumque templum sacrilege violaret et spoliaret, ablatis ex eo 1800 talentis, vers. 21.

19. VERUM NON PROPTER LOCUM, GENTEM; SED PROPTER GENTEM, LOCUM DEUS ELEGIT, — v. g. Deus non propter locum Judææ gentem Judæorum elegit, sed propter gentem ipsorum olim sub Davide et Salomone fidelem et sanctam, locum Judææ elegit, ut in eo sibi conderet domum, puta templum, in quo quasi sanctissimus inter sanc-

tos cives, servos et filios suos haberet. At jam ob peccata grandia Judæorum Deus templum deseruit, illudque prædæ dedit Antiocho, sed ut speramus, eodem rursus redibit, cum Judæi pœnitentes ad Deum suum conversi fuerint, illique pie et sancte servierint, uti ante fecerant.

12. RELIQUIT AUTEM ET PRÆPOSITOS AD AFFLIGENDAM GENTEM, — *q. d.* Antiochus rediens Antiochiam, quasi ad regni sui sedem regiam, reliquit in Judæa homines servos et feros, qui magis quam ipse Judæos afflixerunt, nimirum Philippum, Andronicum et Menelaum pseudopontificem omnis malitiæ suggestorem et incentorem.

24. GRÆCE APOSITUS (nonnulli legendum putant ἐπίθετος, a verbo ἐπιτίθημι, unde Græca habent : ἀντιθέτως, id est, *inimicum contra Judæos habens intentionem*) ESSET CONTRA JUDÆOS, *q. d.* Cum Antiochus eo suum apposuisset, id est statuisset, stabilivisset et obfirmasset contra Judæos, ut eos perderet et annihilaret, si posset, MISIT ODIOSUM (Judæis exosum) PRINCIPEM APOLLONIUM CUM EXERCITU, (nimirum cum) 22 MILLIBUS, PRÆCIPIENS EI OMNES PERFECTÆ ÆTATIS INTERFICERE. — Ille est ille Apollonius qui, Antiocho Magno contra Romanos pugnante, dextrum ejus cornu ducebat, cum sinistrum duceret Annibal, teste Livio, lib. XXXVII. Idem paucis post annis ab Epiphane missus contra Judam Machabæum ab eodem victus est et occisus, I *Mach.* III, 11.

26. OMNESQUE QUI AD SPECTACULUM (ad spectanda sacrificia, sacraque officia festo sabbati a Judæis celebrari solita) PROCESSERANT, TRUCIDAVIT.

27. JUDAS AUTEM MACHABÆUS, QUI DECIMUS FUERAT, — id est futurus erat decimus Pontifex computando a Jaddo, qui Pontifex fuerat tempore Alexandri Magni. Ita Sa et Mariana, Lyranus et Dionysius. Simplicius alii censent Judam vocari decimum, quia tum in ordine sacerdotum erat decimus. Aut potius fuerat Judas decimus, id est decemvir, sive unus e decem primoribus et principibus sacerdotum, qui populum regebant. Porro ex Græco simpliciter vertas : *Judas autem decimus factus*, hoc est, Judas congregavit sibi novem socios paris fidei et virtutis, quorum ipse erat decimus, cum quibus ipse in montes secessit, vivens herbis inter feras. Sic sanctus Bruno cum sex sociis secessit in asperos Carthusiæ montes, ibique Carthusianorum ordinem instituit. Sic noster S. Ignatius aggregavit sibi novem socios, quorum ipse erat decimus, cum quibus secedens Societatem Jesu instituit. Ita Judas cum novem Assideis illius ævi religiosis, de quibus libro I, cap. VII, vers. 13, in montes recessit, ibique herbis victitans austeram egit vitam. Ita Salianus et alii. Judas ergo cum suis parentibus, fratribus et asseclis fugiens tantam persecutorum rabiem.

SECESSERAT IN DESERTUM LOCUM, IBIQUE INTER FERAS VITAM IN MONTIBUS CUM SUIS AGEBAT; ET FENI (id est olerum, herbarum radicumque) CIBO VESCENTES DEMORABANTUR, NE PARTICIPES ESSENT COINQUINATIONIS, — ne se contaminarent convictu, alloquio, familiaritate Apollonii, ejusque militum Gentilium, qui acerrime Judæos persequebantur, cogebantque eos vesci suis cibis idolo immolatis, imo idolis suis sacrificare, ut patebit capitibus VI et VII

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Antiochus Epiphanes mittit senatorem, qui cogat Judæos ad gentilismum, ac templum Jerosolymitanum consecret Jovi Olympio, Garizitanum vero Jovi Hospitali. Quare resistentes illi mactantur, præcipitantur, concremantur. Inter quos, vers. 18, recensetur gloriosa mors, et martyrium Eleazari qui mahit excruciari, quam carne porcina contra legem vesci.

1. Sed non post multum temporis, misit rex senem quemdam Antiochenum, qui compelleret Judæos ut se transferrent a patriis et Dei legibus; 2. contaminare etiam quod in Jerosolymis erat templum, et cognominare Jovis Olympii; et in Garizim, prout erant hi qui locum inhabitabant, Jovis Hospitalis. 3. Pessima autem et universis gravis erat malorum incursio; 4. nam templum luxuria et commessationibus Gentium erat plenum, et scortantium cum meretricibus, sacratisque ædibus mulieres se ultro ingerebant, intro ferentes ea quæ non licebat. 5. Altare etiam plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur. 6. Neque autem sabbata custodiebantur, neque dies solemnes patrii servabantur, nec simpliciter Judæum se esse quisquam confitebatur. 7. Ducebantur autem cum amara necessitate in die natalis regis ad sacrificia; et, cum Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circuire. 8. Decretum autem exiit in proximas Gentilium civitates, suggerentibus Ptolemæis, ut pari

modo et ipsi adversus Judæos agerent, ut sacrificarent; 9. eos autem, qui nollent transire ad instituta Gentium, interficerent; erat ergo videre miseriam. 10. Duæ enim mulieres delatæ sunt natos suos circumcidisse; quas, infantibus ad ubera suspensis, cum publice per civitatem circumduxissent, per muros præcipitaverunt. 11. Alii vero, ad proximas cocuntes speluncas, et latenter sabbati diem celebrantes, cum indicati essent Philippo, flammis succensi sunt, eo quod verebantur, propter religionem et observantiam, manus sibimet auxilium ferre. 12. Obsecro autem eos, qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter adversos casus, sed reputent ea quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri. 13. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. 14. Non enim, sicut in aliis nationibus, Dominus patienter exspectat, ut eas, cum judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat; 15. ita et in nobis statuit ut, peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet. 16. Propter quod nunquam quidem a nobis misericordiam suam amovet; corripiens vero in adversis, populum suum non derelinquit. 17. Sed hæc nobis ad commonitionem legentium dicta sint paucis. Jam autem veniendum est ad narrationem. 18. Igitur Eleazarus unus de primoribus Scribarum, vir ætate provectus, et vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare. 19. At ille gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad supplicium. 20. Intuens autem quemadmodum oporteret accedere, patienter sustinens, destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem. 21. Ili autem qui astabant, iniqua miseratione commoti, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secreto rogabant afferri carnes, quibus vesci ei licebat, ut simularetur manducasse, sicut rex imperaverat, de sacrificii carnibus; 22. ut, hoc facto, a morte liberaretur; et propter veterem viri amicitiam, hanc in eo faciebant humanitatem. 23. At ille cogitare cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, et ingenitæ nobilitatis canitiem, atque a puero optimæ conversationis actus; et secundum sanctæ et a Deo conditæ legis constituta, respondit cito, dicens præmitti se velle in infernum. 24. Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere, ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum; 25. et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, et per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram. 26. Nam, etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam. 27. Quamobrem fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo; 28. adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar. Ilis dictis, confestim ad supplicium trahebatur. 29. Ili autem qui cum ducebant, et paulo ante fuerant mitiores, in iram conversi sunt propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur. 30. Sed cum plagis perimeretur, ingemuit, et dixit : Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis quia, cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores; secundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior. 31. Et iste quidem hoc modo vita decessit, non solum juvenibus, sed et universæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis et fortitudinis derelinquens.

1. MISIT REX (Antiochus Epiphanes) SENEM (senatorem; senatus enim erat concilium senum; senum enim est sapientia et prudentia) QUEMDAM ANTIOCHENUM — Græce ἄνδρα, id est *Athenaïensem*, forte quia Athenis erat oriundus, sed Antiochiæ factus civis habitabat; aut quod nomen proprium ei sonet *Athenæus*. Noster Mariana censet illum fuisse Bacchidem, quem cogentem Judæos idolis sacrificare Mathathias ex zelo occidit, ut dictum est lib. I, cap. II, vers. 25.

2. CONTAMINARE, etc., TEMPLUM ET COGNOMINARE JOVIS OLYMPII. — Jussit Antiochus ergo Jovis idolum in templo collocari et adorari, ac templum solemni ritu dedicari, indeque templum Jovis

nuncupari. Ecce hæc est « abominatio desolationis, » hoc est, abominandum idolum omnia desolans, prædicta ante trecentos annos a Daniele, cap. II, vers. 31.

ET IN GARIZIM PROUT ERANT QUI LOCUM INHABITABANT JOVIS HOSPITALIS, — *q. d.* Templum Garizitanum Samaritanorum, de quo *Joannis* IV, 20. Antiochus jussit dedicari Jovi Hospitali, eo quod incolæ Garizitani et Samaritani essent hospites et advenæ. Ex Assyria enim in Samariam quasi hospites et peregrini traducti erant a Salmanasar, III *Reg.* XVII. Unde et Samaritani in epistola ad Antiochum scripta quam recenset Josephus lib. XII, cap. IX, vocant se « hospites, » id est advenas et peregrinos. Jupiter enim Hospitalis dictus est, eo quod ei quasi Deo hospitum cura et tutela incumberet, ne quis eos impune lædi aut vel videret. Unde sum invocat Æneas peregre in Italiam pergens. Sic enim ait, *Æneid.* I :

Jupiter (hospitibus nam te dare jura loquuntur)
Hunc lætum Tyriisque dies, Trojaque profectis
Esse velis.

7. DUCEBANTUR AUTEM (Judæi tormentis magno numero) CUM ANGARIA NECESSITATE (puta violenta coactione) IN DIE NATALIS REGIS (Antiochi Epiphanis) AD SACRIFICIA, — quæ offerebantur idolis, ut iis assisterent et cooperarentur ex iisque manducarent, quasi consentientes idolis et idolatriæ.

ET CUM LIBERI (Bacchi) SACRA CELEBRARENTUR, cogebantur HEDERA CORONATI LIBRO CIRCUIRE, — *q. d.* Cum Bacchanalia, id est festi Bacchi celebrarentur potando, saltando, ludendo, scortando, etc., in omni cæni et sentinæ ne concupiscentiæ libertate (unde Bacchus vocabatur Liber, quod omnem carnis libertatem indulget in festis et sacris suis daret) cogebantur Judæi in honorem Liberi sive Bacchi coronari hedera, itaque templum vel urbem circuire. Erat enim hedera dicata Baccho, eo quod sua frigiditate resistat vino et ebrietati, cujus Deus erat Bacchus, teste Plinio, lib. XVI, cap. XXXIV, Tertulliano, I *de Corona mil.* cap. VII, et Emilio Rodigino, lib. XIV, cap. XLIX. Græci enim suis peregrinationibus, id est compotationibus indulgentes (ac maxime Antiochus Epiphanes) colebant Bacchum; unde et fingebant Bacchum apud se ex famore Jovis natum, ait Dionysius. Bacchus ergo dictus est Liber, quasi Deus libertatis, vel eo quod vinum curas solvat, et mentem ab illis liberet, et audaciorem in omnes conatus faciat. Varro a labendo deducit, quod lubrica mens quo lubet prolabatur. S. Augustinus, lib. VI *De Civit.* cap. IX, docet Liberum vocari, « quod mares in coeundo per ejus beneficium emissis seminibus liberentur. Hoc idem in feminis agere Liberam, quam etiam Venerem putant. » Porro quanta fuerit turpitudo sacrorum Liberi idem Augustinus describit, lib. VII *De Civitate*, cap. XXI.

8. DUCEBATUR (cogendi Judæos ad colendum Bacchum) AUTEM EXIIT IN PROXIMAS GENTILIUM CIVITATES SUGGERENTIBUS PTOLEMÆIS, — duobus fratribus, scilicet Ptolemæo Philometore, et Ptolemæo Physcone, qui regnabant in Ægypto. Verum quia hi hoc tempore pene quieti erant, nec vicinas Jerosolymæ civitates in Syria occupabant, iidemque in Judæos erant benevoli; hinc malitia per Ptolemæos hic accipias eos qui erant ex familia Ptolemæorum jam dictorum, ac pro Antiocho Epiphane præerant Ciliciæ et Phœnici, præsertim Tyro et Sidoni, qualis fuit Ptolemæus, cujus mentio fit cap. IV, 45, et cap. VIII, 8. Quia enim Antiochus Epiphanes erat avunculus Ptolemæi Philometoris et Physconis; hinc ex eorum cognatis et familiaribus nonnullos in suam aulam adscivit, eosque suis provinciis in Syria præfecit.

11. CUM INDICATI ESSENT PHILIPPO, FLAMMIS SUCCENSI SUNT, — eo quod Sabbatum colerent, et judaizarent, ideoque Sabbato invasi nollent se defendere ob honorem Sabbati, quo lex ab opere quiescere jubebat, sed permitterent illo die se occidi, ut sequitur. Hic est Philippus ille quem Antiochus ad exagitandos Judæos misit, cap. V, vers. 22.

18. ICITUR ELEAZARUS (Eleazarus Hebraice idem est quod *Dei adjutorium*, quod huic glorioso athletæ et martyri ad tentationes et tormenta validum affuit) UNUS DE PRIMORIBUS SCRIBARUM — (id est Doctorum et Legisperitorum). Josephus, filius Gorionis, lib. III, cap. II et IV, eum vocat « sacerdotem, « imo « principem sacerdotum, » scilicet suæ vicis et classis. Erant enim 24 classes sacerdotum, quarum quisque suum habebat principem. Addit eum fuisse e 72 interpretibus qui sub Ptolemæo Philadelpho S. Scripturam ex Hebræo in Græcum converterunt. Verum se debuisset esse 120 annorum, non 90 duntaxat, ut ipse ait vers. 14. S. Gregorius Nazianzenus, orat. 25 *De Machabæis*, et S. Ambrosius, lib. II *De Jacob et vita beata*, cap. X et XI, eum vocant « patrem, » id est doctorem, et magistrum septem fratrum Machabæorum martyrum, de quibus cap. seq.; unde ipsi Antiocho dixerunt, ait Nazianzenus, « Eleazari discipuli sumus, patri pietas decertavit, filii postea certabunt. » Et S. Ambrosius : « Sequamur patrem filii discipuli doctorem. »

VULTU DECORUS (Græce *aspecta facies* κάλλιστος, id est *pulcherrimus*) VOLUNTARIE (Græce sponte) ERAT AD SUPPLICIUM. — Græce *ad tympanum*. Porro *tympanum* erat genus tormenti, quo homines fortiter et rigide distendebantur, vel in modum scammi, vel ad palum affigati quasi in equuleo, ibique fustibus pulsabantur, uti pelles distentæ in tympano pulsantur, uti ex Polybio, Suida et Aristophane docet Serarius. Nonnulli quoque ibidem flagris cædebantur vel vivi excoriabantur, vel candentibus laminis ustulabantur, uti Eleazaro huic factum narrat Josephus; vel saxis malleisque tundebantur, et quasi tympanum omnium verberibus cruciatibusque objiciebantur.

Huc alludens Apostolus, *Hebr.* XI, 34, ait : « Alii autem distenti sunt, » Græce ἐτυμπανίσθησαν, id est *tympanizati sunt*: Suidas, *fustibus contusi sunt*; S. Chrysostomus, *decollati sunt*. Eleazarus ergo distentus pulsatusque in tympano typus fuit Christi in cruce distenti, malleisque pulsati et confixi.

20. INTERIM (legit Noster προσέρχεται, jam legunt προσέτι, id est *insuper*, scilicet carnem sibi violenter in os ingestam) AUTEM QUEMADMODUM OPORTEBAT ACCEDERE, (*q. d.* prospiciens, præcogitans, præmeditans quomodo oporteret ad certamen hoc acre accedere, nimirum tanquam pugilem athletam, et martyrem Dei, qui primus agonem hunc fidei erat obiturus, cæterisque exemplum invictæ constantiæ et fortitudinis daturus firmo mentis proposito, ac voluntate prorsus obfirmata, DESTINAVIT NON ADMITTERE ILLICITA PROPTER VITÆ AMOREM, — puta non comedere carnem porcinam Judæis Levit. XI vetitam, præsertim quia eam comedere jubebatur ab Antiocho tyranno in legis contemptum, ut hac manducatione significaret se a Judaismo ad Gentilismum apostatare. Quocirca maluit Eleazarus excarnificari, quam porcinam comedere et Antiocho consentire.

Addit Josephus, lib. *De Machabæis*, cap. V, Antiochum suasisse variis ratiotibus Eleazaro, ut porcinam ederet, ac imprimis illa, quod Deus daturus esset illi veniam, eo quod non sponte, sed vi coactus comedisset porcinam; Eleazarum vero regi respondisse : « Nos, Antioche, quibus ex divina lege vivendum esse persuasum est, nullam necessitatem violentiorem ejs esse existimamus, quam legi nostræ parere; quo fit ut nullo pacto violandum esse censeamus. » Causam subdit : « Temperantiam enim docet nos, ita ut omnibus voluptatibus et cupiditatibus imperemus, et fortitudinem sic exercesamus, ut labores omnes ultro feramus. Justitiam quoque sic docet, ut eum qui solus Deus est magnifice veneremur. » Et paulo post : « Verum non committam, ut tu me sic derideas; neque sacrum majorum nostrorum de lege servanda jusjurandum violabo, non si mihi et oculos effoderis, et viscera torqueris. Non ego sic sum senex et effeminatus, ut mihi non vigeat pietate ratio. Tu et rotas compone, et ignem affla vehementius : non sic me miseret senectutis meæ, ut ejus causa patriam legem violem. Non tibi mentiar, præceptrix lex; neque te abjurabo, cara temperantia : neque te dedecorabo, sapientiæ studiosa ratio; neque te abnegabo, venerabile sacerdotium, legumque scientia : anstum me majores recipient, non veritum morieram istam tuam violentiam. » Subdit deinde cap. VI : « Hoc pacto contra tyranni exhortationem locutum Eleazarum, qui aderant satellites crudeliter ad tormenta trahunt, ac primum nudatum, brachia utrimque tenentes, flagris cædunt, præcone interea vociferante, ut regis mandatis obediret. At magnanimus ille Eleazarus, perinde ac si in somnio cruciaretur, nihil prorsum movebatur; sed intentis oculis cœlum intuebatur ille senex, cum interea ipsius cuto verberibus laniaretur, et defluente sanguine latera vulnerarentur. Cumque corpore dolores non ferente ad terram cecidisset, rectum tamen immotamque rationem habebat. Hic crudelis quidam satellites in jacentis illa insilit, eumque pedibus pulsat, ut surgeret. At ille dolores ferebat, et vim illam contemnens cruciatus tolerabat, et verberantes vincebat senex carnifices, adeo ut ipsis quoque ejus animi præstantia esset admirationi. » Plura hic addit Josephus quæ non habet Scriptura, quorum proinde penes ipsum sit fides. Ad Josephi verba alludens S. Ambrosius, lib. II *De Jacobo*, cap. XI, asserit Eleazarum dixisse : « Nos non intentione ducimur, sed reverentia legis tenemur, quæ suilla carne abstinendum præcipit. Quod si hoc leve putas, ut carne vescamur suilla, qui in minimis legem contempserit, quomodo in magnis tenebit? Abstinentia nostra disciplina est castimoniæ. Non sum ita senex, ut non juveneseat animi fortitudo. Senectus portus esse debet, non naufragium vitæ superioris. Non te negabo, lex patria; non abjurabo vos, sancta instituta majorum; non decolorabo vos, intulæ sacerdotales : non te perfidiæ pulvere turpabo, canities. » Itaque simulare ne quidem voluit, cum aliæ carnes proponerentur; et sic, ait Ambrosius, « immoriendo tormentis, factus est cæteris magisterium perseverantiæ, qui electus erat ad infirmitatis exemplum. »

23. DIGNUS PRÆDITUS SE VELLE IN INFERNUM, — id est velle se mori, mittique in imbum patrum potius quam contra legem porcinam edere. Eleazarum imitantur Carthusiani, qui carnem, licet a medico præscriptam ut necessariam ad ægroti vitam, constanter respuunt, malunique potius mori ut votum suum de non vescendo carnibus illibatum inviolatumque conservent. Licet enim religioni et voto posponere vitam : ut S. Casimirus ægrotans maluit mori, ut votum virginitatis servaret, cum medici assererent eum a morbo quo laborabat curari non posse, nisi uxorem duceret; hisce omnibus enim hoc unum respondit : « Eligo virgo mori, » numirum :

Et vivam et moriar; vivam cum virgine Jesu,
Cujus amore labens ergo virgo mori.

Hi sunt Heroum actus castitatis, temperantiæ, fortitudinis, heroici.

26. NAM ETSI IN PRÆSENTI TEMPORE SUPPLICIIS HOMINUM ERIPIAR, SED MANUM (vindictam acerrimam) OMNIPOTENTIS NEC VIVUS NEC DEFUNCTUS EFFUGIAM. — Peccasset enim mortaliter Eleazarus in Deum, si porcinam jussu Antiochi comedisset; quia is eam comedi jubebat in contemptum legis et Dei, ut eo quasi signo testaretur se a lege et Deo ad Antiochum ejusque Deos apostatare.

28. AD SUPPLICIUM (Græce ad tympanum, de quo vers. 19) TRAHERATUR. — Addit Josephus, lib. *De Machab.* cap. VI : « Hanc ejus magnanimitatem videntes illi, qui ne ipsorum quidem misericor-

dia flecteretur igni eum admovent, et diris instrumentis subjectum creamant, tetrosque odores ejus naribus infundunt. Ille jam usque ad ossa consumptus, et animam acturus, contentis ad Deum oculis dixit : Tu scis, Deus, me, cum evadere possem, ignis cruciatibus propter legem emori. Quare propitius esto genti tuæ, nostro pro ipsis supplicio contentus. Fac ut eorum expiatorius sit sanguis meus, et pro eorum vita accipe meam. Hæc locutus vir sanctus, generose mortuus est. » Hæc Josephus : quæ cum tympano non adeo conveniunt, nisi dicamus reos in tympano non tantum fustibus, sed et ignibus, et quovis supplicio excruciari solitos, quod verum esse liquet ex Auctoribus et Martyrum actis. Unde Lipsius, lib. *De cruciat.* : « Tympanum, ait, omnia hæc cruciamentorum genera complectitur. »

30. DUROS CORPORIS SUSTINEO DOLORES : SECUNDUM ANIMAM VERO PROPTER TIMOREM TUUM LIBENTER HÆC PATIOR. — Illustre ergo et gloriosum fuit hoc Eleazari martyrium, qui quasi dux septem fratribus cæterisque ad illud idem prævit. Quocirca ipse a Nazianzeno vocatur « primitiæ Martyrum veteris Testamenti, » sicut Stephanus novi. Esto enim ante Eleazarum passi sunt martyrium Abel, Isaias, Zacharias, Jeremias, cæteræque prophetæ; tamen Eleazarus primus fuit, qui expresse pro vera in Deum fide et religione publice contra Antiochum eam subvertere volentem, solemnem martyrii agonem obiit.

Audi Nazianzenum : « Hic Eleazarus primitiæ eorum qui ante Christum passi sunt, quemadmodum Stephanus eorum qui post Christum, vir sacerdos et natu grandis, tum capillis, tum prudentia canus, prius quidem pro populo sacrificia et preces adhibens, nunc autem seipsum quoque Deo offerens, perfectissimam hostiam, ac totius populi expiatricem, faustum certaminis præludium, loquens pariter, ac tacens exhortatio : septemque insuper filios offerens, institutionis suæ fructum, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, omni legali sacrificio clariorem et puriorem. Filiorum enim virtutes parentibus adscribere æquissimum ac justissimum est. » Audi et elogia quæ Eleazaro merito dat Josephus, lib. *De Machab.* cap. VI : « O digne sacerdotio sacerdos! non polluisti sacros istos dentes, neque religionis hospitem ventrem immundorum esu contaminasti. O legis concentor, divinique sermonis studiose! tales esse decet eos, qui legis sacrum ministerium proprio sanguine obeunt, et generoso sudore lethi doloribus resistunt. Tu pater legum nostrarum bonitatem tua patientia gloriose sanxisti, et sanctimoniam gravitate verborum stabilivisti, factisque tuis fidem conciliasti dictis divinæ disciplinæ. O cruciatu vehementior senex, et igne acrior vetule, et affectionibus major Eleazare! O felix senecta, quam fidele mortis sigillum absolvit! »

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Septem fratres Machabæi, hortante matre dignissima, Antiochi tormenta constantissime superant, ac martyrii lauream capessunt.

1. Contigit autem et septem fratres una cum matre sua apprehensos, compelli a rege edere contra fas carnes porcinas, flagris et taureis cruciatos. 2. Unus autem ex illis, qui erat primus, sic ait : Quid quæris, et quid vis discere a nobis ? parati sumus mori, magis quam patrias Dei leges prævaricari. 3. Iratus itaque rex jussit sartagines et ollas æneas succendi : quibus statim succensis, 4. jussit ei qui prior fuerat locutus amputari linguam ; et, cute capitis abstracta, summas quoque manus et pedes ei præscindi, cæteris ejus fratribus et matre inspicientibus. 5. Et, cum jam per omnia mutilis factus esset, jussit ignem admoveri, et adhuc spirantem torreri in sartagine ; in qua cum diu cruciaretur, cæteri una cum matre invicem se hortabantur mori fortiter, 6. dicentes : Dominus Deus aspiciet veritatem, et consolabitur in nobis, quemadmodum in protestatione cantici declaravit Moyses : Et in servis suis consolabitur. 7. Mortuo itaque illo primo, hoc modo, sequentem deducebant ad illudendum ; et, cute capitis ejus cum capillis abstracta, interrogabant si manducaret prius, quam toto corpore per membra singula puniretur. 8. At ille, respondens patria voce, dixit : Non faciam. Prooter quod et iste, sequenti loco, primi tormenta suscepit ; 9. et in ultimo spirito constitutus, sic ait : Tu quidem, scelestissime, in præsenti vita nos perdis ; sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. 10. Post hunc tertius

illuditur, et linguam postulatus cito protulit, et manus constanter extendit ; 11. et cum fiducia ait : E cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero ; 12. ita ut rex, et qui cum ipso erant, mirarentur adolescentis animum, quod tanquam nihilum duceret cruciatus. 13. Et hoc ita defuncto, quartum vexabant similiter torquentes. 14. Et, cum jam esset ad mortem, sic ait : Potius est ab hominibus morti datos spem exspectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos ; tibi enim resurrectio ad vitam non erit. 15. Et cum admovissent quintum, vexabant eum. At ille, respiciens in eum, dixit : 16. Potestatem inter homines habens, cum sis corruptibilis, facis quod vis ; noli autem putare genus nostrum a Deo esse derelictum. 17. Tu autem patienter sustine, et videbis magnam potestatem ipsius, qualiter te et semen tuum torquebit. 18. Post hunc ducebant sextum, et is, mori incipiens, sic ait : Noli frustra errare ; nos enim propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum, et digna admiratione facta sunt in nobis ; 19. tu autem ne existimes tibi impune futurum, quod contra Deum pugnare tentaveris. 20. Supra modum autem mater mirabilis, et bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat ; 21. singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia ; et femineæ cogitationi masculinum animum inserens, 22. dixit ad eos : Nescio qualiter in utero meo apparuistis ; neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi : 23. sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges ejus. 24. Antiochus autem, contemni se arbitratus, simul et exprobrantis voce despecta, cum adhuc adolescentior superesset, non solum verbis hortabatur, sed et cum juramento affirmabat se divitem et beatum facturum, et translatum a patriis legibus amicum habiturum, et res necessarias ei præbiturum. 25. Sed ad hæc cum adolescens nequaquam inclinaretur, vocavit rex matrem, et suadebat ei ut adolescenti fierit in salutem. 26. Cum autem multis eam verbis esset hortatus, promisit suasuram se filio suo. 27. Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patria voce : Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, et lac triennio dedi et alui, et in ætatem istam perduxi. 28. Peto, nate, ut aspicias ad cælum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt ; et intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus ; 29. ita fiet ut non timeas carnificem istum ; sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. 30. Cum hæc illa adhuc diceret, ait adolescens : Quem sustinetis ? non obedio præcepto regis, sed præcepto legis quæ data est nobis per Moysen. 31. Tu vero, qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei. 32. Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur. 33. Et si nobis propter increpationem et correptionem Dominus Deus noster modicum iratus est ; sed iterum reconciliabitur servis suis. 34. Tu autem, o sceleste, et omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vanis spebus in servos ejus inflammatus. 35. Nondum enim omnipotentis Dei, et omnia inspicientis, judicium effugisti. 36. Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt ; tu vero judicio Dei justas superbiæ tuæ pœnas exsolves. 37. Ego autem, sicut et fratres mei, animam et corpus meum trado pro patriis legibus ; invocans Deum maturius genti nostræ propitium fieri, teque cum tormentis et verberibus confiteri quod ipse est Deus solus. 38. In me vero et in fratribus meis desinet Omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum justo superducta est. 39. Tunc rex accensus ira, in hunc super omnes crudelius desævit, indigne ferens se derisum. 40. Et hic itaque mundus obiit, per omnia in Domino confidens. 41. Novissime autem post filios et mater consumpta est. 42. Igitur de sacrificiis et de illius cruciatibus satis dictum est.

dia flecteretur igni eum admovent, et diris instrumentis subjectum creamant, tetrosque odores ejus naribus infundunt. Ille jam usque ad ossa consumptus, et animam acturus, contentis ad Deum oculis dixit : Tu scis, Deus, me, cum evadere possem, ignis cruciatibus propter legem emori. Quare propitius esto genti tuæ, nostro pro ipsis supplicio contentus. Fac ut eorum expiatorius sit sanguis meus, et pro eorum vita accipe meam. Hæc locutus vir sanctus, generose mortuus est. » Hæc Josephus : quæ cum tympano non adeo conveniunt, nisi dicamus reos in tympano non tantum fustibus, sed et ignibus, et quovis supplicio excruciari solitos, quod verum esse liquet ex Auctoribus et Martyrum actis. Unde Lipsius, lib. *De cruciat.* : « Tympanum, ait, omnia hæc cruciamentorum genera complectitur. »

30. DUROS CORPORIS SUSTINEO DOLORES : SECUNDUM ANIMAM VERO PROPTER TIMOREM TUUM LIBENTER HÆC PATIOR. — Illustre ergo et gloriosum fuit hoc Eleazari martyrium, qui quasi dux septem fratribus cæterisque ad illud idem prævit. Quocirca ipse a Nazianzeno vocatur « primitiæ Martyrum veteris Testamenti, » sicut Stephanus novi. Esto enim ante Eleazarum passi sunt martyrium Abel, Isaias, Zacharias, Jeremias, cæteræque prophetæ; tamen Eleazarus primus fuit, qui expresse pro vera in Deum fide et religione publice contra Antiochum eam subvertere volentem, solemnem martyrii agonem obiit.

Audi Nazianzenum : « Hic Eleazarus primitiæ eorum qui ante Christum passi sunt, quemadmodum Stephanus eorum qui post Christum, vir sacerdos et natu grandis, tum capillis, tum prudentia canus, prius quidem pro populo sacrificia et preces adhibens, nunc autem seipsum quoque Deo offerens, perfectissimam hostiam, ac totius populi expiatricem, faustum certaminis præludium, loquens pariter, ac tacens exhortatio : septemque insuper filios offerens, institutionis suæ fructum, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, omni legali sacrificio clariorem et puriorem. Filiorum enim virtutes parentibus adscribere æquissimum ac justissimum est. » Audi et elogia quæ Eleazaro merito dat Josephus, lib. *De Machab.* cap. VI : « O digne sacerdotio sacerdos! non polluisti sacros istos dentes, neque religionis hospitem ventrem immundorum esu contaminasti. O legis concentor, divinique sermonis studiose! tales esse decet eos, qui legis sacrum ministerium proprio sanguine obeunt, et generoso sudore lethi doloribus resistunt. Tu pater legum nostrarum bonitatem tua patientia gloriose sanxisti, et sanctimoniam gravitate verborum stabilivisti, factisque tuis fidem conciliasti dictis divinæ disciplinæ. O cruciatu vehementior senex, et igne acrior vetule, et affectionibus major Eleazare! O felix senecta, quam fidele mortis sigillum absolvit! »

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Septem fratres Machabæi, hortante matre dignissima, Antiochi tormenta constantissime superant, ac martyrii lauream capessunt.

1. Contigit autem et septem fratres una cum matre sua apprehensos, compelli a rege edere contra fas carnes porcinas, flagris et taureis cruciatos. 2. Unus autem ex illis, qui erat primus, sic ait : Quid quæris, et quid vis discere a nobis ? parati sumus mori, magis quam patrias Dei leges prævaricari. 3. Iratus itaque rex jussit sartagines et ollas æneas succendi : quibus statim succensis, 4. jussit ei qui prior fuerat locutus amputari linguam ; et, cute capitis abstracta, summas quoque manus et pedes ei præscindi, cæteris ejus fratribus et matre inspicientibus. 5. Et, cum jam per omnia mutilis factus esset, jussit ignem admoveri, et adhuc spirantem torreri in sartagine ; in qua cum diu cruciaretur, cæteri una cum matre invicem se hortabantur mori fortiter, 6. dicentes : Dominus Deus aspiciet veritatem, et consolabitur in nobis, quemadmodum in protestatione cantici declaravit Moyses : Et in servis suis consolabitur. 7. Mortuo itaque illo primo, hoc modo, sequentem deducebant ad illudendum ; et, cute capitis ejus cum capillis abstracta, interrogabant si manducaret prius, quam toto corpore per membra singula puniretur. 8. At ille, respondens patria voce, dixit : Non faciam. Prooter quod et iste, sequenti loco, primi tormenta suscepit ; 9. et in ultimo spirito constitutus, sic ait : Tu quidem, scelestissime, in præsenti vita nos perdis ; sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. 10. Post hunc tertius

illuditur, et linguam postulatus cito protulit, et manus constanter extendit ; 11. et cum fiducia ait : E cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero ; 12. ita ut rex, et qui cum ipso erant, mirarentur adolescentis animum, quod tanquam nihilum duceret cruciatus. 13. Et hoc ita defuncto, quartum vexabant similiter torquentes. 14. Et, cum jam esset ad mortem, sic ait : Potius est ab hominibus morti datos spem exspectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos ; tibi enim resurrectio ad vitam non erit. 15. Et cum admovissent quintum, vexabant eum. At ille, respiciens in eum, dixit : 16. Potestatem inter homines habens, cum sis corruptibilis, facis quod vis ; noli autem putare genus nostrum a Deo esse derelictum. 17. Tu autem patienter sustine, et videbis magnam potestatem ipsius, qualiter te et semen tuum torquebit. 18. Post hunc ducebant sextum, et is, mori incipiens, sic ait : Noli frustra errare ; nos enim propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum, et digna admiratione facta sunt in nobis ; 19. tu autem ne existimes tibi impune futurum, quod contra Deum pugnare tentaveris. 20. Supra modum autem mater mirabilis, et bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat ; 21. singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia ; et femineæ cogitationi masculinum animum inserens, 22. dixit ad eos : Nescio qualiter in utero meo apparuistis ; neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi : 23. sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges ejus. 24. Antiochus autem, contemni se arbitratus, simul et exprobrantis voce despecta, cum adhuc adolescentior superesset, non solum verbis hortabatur, sed et cum juramento affirmabat se divitem et beatum facturum, et translatum a patriis legibus amicum habiturum, et res necessarias ei præbiturum. 25. Sed ad hæc cum adolescens nequaquam inclinaretur, vocavit rex matrem, et suadebat ei ut adolescenti fierit in salutem. 26. Cum autem multis eam verbis esset hortatus, promisit suasuram se filio suo. 27. Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patria voce : Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, et lac triennio dedi et alui, et in ætatem istam perduxi. 28. Peto, nate, ut aspicias ad cælum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt ; et intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus ; 29. ita fiet ut non timeas carnificem istum ; sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. 30. Cum hæc illa adhuc diceret, ait adolescens : Quem sustinetis ? non obedio præcepto regis, sed præcepto legis quæ data est nobis per Moysen. 31. Tu vero, qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei. 32. Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur. 33. Et si nobis propter increpationem et correptionem Dominus Deus noster modicum iratus est ; sed iterum reconciliabitur servis suis. 34. Tu autem, o sceleste, et omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vanis spebus in servos ejus inflammatus. 35. Nondum enim omnipotentis Dei, et omnia inspicientis, judicium effugisti. 36. Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt ; tu vero judicio Dei justas superbiæ tuæ pœnas exsolves. 37. Ego autem, sicut et fratres mei, animam et corpus meum trado pro patriis legibus ; invocans Deum maturius genti nostræ propitium fieri, teque cum tormentis et verberibus confiteri quod ipse est Deus solus. 38. In me vero et in fratribus meis desinet Omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum justo superducta est. 39. Tunc rex accensus ira, in hunc super omnes crudelius desævit, indigne ferens se derisum. 40. Et hic itaque mundus obiit, per omnia in Domino confidens. 41. Novissime autem post filios et mater consumpta est. 42. Igitur de sacrificiis et de illius cruciatibus satis dictum est.

Contigit hæc historia uno anno ante Mathathiæ et Judæ Machabæi Pontificatum, et bella cum Antiocho Epiphane, nimirum anno 145 Græcorum, qui fuit Antiochi Epiphanis nonus, Ptolomæi Philometoris 13, urbis Romæ 586, ante Christi natalem 166. Ita Salianus et alii.

1. Contigit autem et septem fratres una cum matre sua apprehensos compelli a rege (Antiocho Epiphane) contra fas carnes porcinas edere. — In veteri (nam iti moderna non exstant) Josephi editione Græca horum septem fratrum nomina assignantur hæc. Primus vocabatur *Machabæus*, secundus *Aber*, tertius *Machir*, quartus *Judas*, quintus *Achas*, sextus *Areth*, septimus *Jacob*, mater vero *Machabæa*, a qua filii omnes dicti sunt Machabæi (1), ait S. Thomas, licet Serarius ita dictos putet a fratre primo, cui nomen erat Machabæus; Sedulius vero a robore et fortitudine animi, sicut ex eodem dictus est Judas Machabæus: verius est eam vocatam fuisse *Salomen*, ut dicam versu 20. Erant omnes, inquit Josephus, genere illustres, corpore venustissimi; sed animo formosiores, statu cælibes plerique, vel omnes. Passi sunt Antiochiæ, eo enim redierat Antiochus Epiphanes; ubi postea sub S. Petro primo Christi discipuli vocati sunt Christiani. Unde S. Augustinus, serm. 100 *De Temp.* cap. VI : « Sanctorum, inquit, Machabæorum basilica etiam in Antiochia prædicatur. In illa scilicet civitate, quæ regis ipsius persecutoris nomine vocitatur. Antiochum quippe regem persecutorem impium pertulerunt, et memoria martyrii eorum in Antiochia celebratur, ut simul sonet et nomen persecutoris, et memoria coronatoris. Hæc basilica a Christianis tenetur, et a Christianis ædificata est. »

Porro qua ætate hi septem fratres fuerint docet S. Chrysostomus, hom. *De Machabæis* : « Agonem, ait, proponens Christus non juvenes exercitatos ad certamina athletas, sed primævos adolescentulos et cum ipsis senem Eleazarum, simulque mulierem anum, matrem septem adolescentium vult considerari. » Et Prudentius, hymno *De S. Romano* :

Narrant illæ notitle ac memorabile
Certamen, una matre quod septem editi
Gessere pueri, sed tamen facti viri.

Et infra :

Liceram cyranna amputari jusserat,
Uni ex ephebis.

Et D. Ambrosius, in libro *De Jacob et vita beata*, cap. XI : « Insultare, ait, licet tyranno qui, dum callide a sene inciplendum putat, magistrum elegit, qui discipulos faceret fortiores : quorum velut puerilem ætatem præmiis provocabat ad culpam, arguebat terroribus ad formidinem. At illi non degeneres tanto duci respondent : Quid contemnis vel circumscribis ut pueros? sed fides cana est, sed valida disciplina. Experire, certa, subjice quibus placet pœnis puerilia viscera, non juvenis corda puerilia. » Et mox : « Quam vicit senectus, superabit æmula senectutis puerilia. »

Flagris et taureis (Græce σφυρίς, id est nervis taurorum) cruciatos — et flagellatos.

2. Unus autem ex illis, qui erat primus (nomine *Machabæus*, ut dixi), sic ait : Quid quæris et quid vis discere a nobis? (vide hic animositatem Machabæi, qui regem alloquitur quasi puerum et discipulum) parati sumus mori magis quam patrias Dei leges prævaricari. — Hic erat natu maximus et primogenitus; unde ipse unus pro omnibus respondet : ipsius enim os sensusque, erat os, sensusque cæterorum, qui in fide obfirmati pro ea opitabant mortem et martyrium. Josephus, libro *De Machab.* cap. VIII, addit Antiochum multis verbis et rationibus exhortatum fuisse hosce septem fratres ad comedendam porcinam, ac ni sibi obedirent, omnes cruciatus minitatum esse; ideoque eis ostendisse omnium tormentorum instrumenta, quæ ad illos exercuiandos paraverat, nimirum fidiculas, rotas, equuleos, catapultas, lebetes, sartagines, digitos et manus ferreas, cuneos, ignes, etc., ac subjecisse : « Adolescentes, timete, et quod veneramini Numeu id vobis per vim deliquentibus ignoscet; » mox omnes una mente et voce respondisse : « Parati sumus mori potius quam patria violare præcepta. Terres nos mortem nobis per tormenta minitando; quasi qui non paulo ante quale hoc sit didiceris ab Eleazaro. Quod si senex Hebræi etiam in tormentis pietatem retinuerant, justius moriemur nos juvenes, contempta tormentorum tuorum violentia, quam et præceptor noster vicit. Quapropter lenta, tyranne, num animas quoque nostras pro pietate pugnantes necare possis. Ne puta te nobis nocere cruciando; nos enim malis patienter ferendis virtutis præmia consequemur. At tu ob nostri cædem nefariam ab ultione divina æterno afficiere cruciatu. »

3. Iratus itaque rex jussit sartagines et ollas æneas succendi. — Plenæ erant, inquit Theophilus Alexandrinus, *Epist. 3 paschali*, ferventis olei sartagines, et ad frigenda sanctorum corpora terrore incredibili personabant; et tamen inter hæc omnia paradisum animo deambulantes, non sentiebant quod patiebantur, sed quod videre cupiebant. Porro « sartago, inquit Antonius Gallonius, lib. *De Martyrum cruciat.*, pag. 221, erat patella ovalis, vel rotunda, amplaque oleo, pice, resina ac sulphure referta, igni applicabatur; cumque ebullire atque effervescere inciperet, injiciebantur in eam utriusque sexus Christiani, qui constanter fortiterque in Christi fidei confessione perstitissent, ut instar piscium in oleum fervens conjectorum, torrerentur ac suffrigerentur. » Additque martyres aliquando toto corpore in sartagine ampla frixos fuisse, uti contigit S. Euphemiæ; aliquando vero non toto corpore, sed per membra singula; quamobrem hæc ibi litteris consignata habentur : « Mandavit priscus Proconsul eam, id est sanctam virginem, scriis membratim dividi, et in sartagine divisa membra torreri, etc. » Sartago ergo erat ad frixendum; olla ad elixandum carnes martyrum. « Erat enim olla, inquit Gallonius, vas amplissimum ex ære factum, in quo martyres ignominiæ gratia elixabantur; fabricatum (ut quædam pervetustæ ostendunt, quæ ex hujusce urbis ruinis erui nonnunquam solent) ad oliarum, quibus utimur ad cibaria coquenda, similitudinem, absque oris, cum duabus ansis, quæ vel partim quadratæ erant, partim quæ rotundæ; quadratæ ab imo ad medium, rotundæ a medio ad extremum. » Ad hæc conjiciebantur etiam in ollam sic prælo pressi atque plicati, ut caput eorum ad genua pelleretur. Hujus alterius modi testis est Josephus, loco citato, his verbis : « Carnificum manibus ollæ ænea imponitur (hoc pœnali supplicio nomen est) prælo gyrato, hoc est versato, sanctum caput ad genua impelliter, sicque corpore deorsum redacto, pugil in eam, quam diximus, ollam miserrime delitit. » Hæc ibi.

Advertat hic lector Josephum per prælum denotasse quoddam instrumenti pressorii genus : prælum quippe non tantum trabem illam significat, per quam in torculari, uva vel oliva calcata premitur, sed etiam Budæo teste, instrumentum pressorium, quo pellissimum pannarii, chartarii et librorum impressores utuntur.

4. Et cute capitis abstracta, summas quoque manus et pedes (extremitates manuum et pedum) et præscindi. — Addit Josephus, cap. IX : « Itaque eorum natu maximum jussi in medium adduxere satellites, et dilacerata ejus tunica, manus et brachia foris utrinque constrinxerunt. Deinde postquam eum flagris ad insitudinem usque verberarunt, cum nihil proficerent, rotæ circumposuerunt : circa quam distentus juvenis, exarticulatus, omnibusque membris fractus, illi maledicebat in hunc modum : Scelerattissime tyranne, cœlestisque justitiæ inimice et crudelis, nullum tu me ob homicidium aut impium facinus hoc pacto torques, sed ob divinæ legis defensionem. Cumque monerent eum satellites, ut se concessurum promitteret, quo cruciatibus liberaretur, dixit : Non ita valida est rota vestra, o impuri ministri, ut meam rationem juguletis. Secate membra mea, carnemque comburite, et artus torquete; nam per omnis tormenta vobis persuadebo, solos Hebræos pro virtute esse invictos. Hæc dicenti ignem illi subjiciunt, et rotam insuper magis magisque distendunt, ita ut tota sanguine cruentaretur, et pyra acervus, cruoris guttis exstingueretur, machinæque axes carne circumfluerent. Sed magnanimus ille, et Abramæus adolescens, quamvis spoliata jam ossium compagine non ingemiscebat, sed perinde ac si in igne transformaretur in immortalitatem, cruciatus fortiter ferebat. » Animi me, fratres, inquit, neve meæ vitæ ornamen descueritis, neve meam vestri fratris alacritatem abjuraveritis. Sacram nobilemque militiam militate pro pietate : qua fiat ut justa illa et patria nostri Numinis providentia genti propitiata, scelesto tyranno pœnas irroget. Hinc fatus, sacer ille juvenis animam egit. »

5. Cæteri una cum matre invicem se hortabantur mori fortiter, — sibi mutuo dicentes, ait Josephus, lib. *De Machab.* cap. XIII : « Fraterne, fratres, pro lege moriamur; imitemur tres illos in Assyria juvenes, qui vastam illam fornacem contempserunt : nolimus in pietate ostendenda remollescere. Bono es animo, frater, dicebat aliquis. Et alius : Generose perdurato. Alius item cæteros præteritorum commonefaciens : Recordamini, inquit, unde sitis, et cujus patris manu immolari se ob pietatem passus fuerit Isaacus. Denique universi inter se intuentes læti, et admodum alacres, sic dicebant : Consecremus nos ipsos into corde Deo, qui nobis dedit animas, et impendamus in legis custodiam corpora. » Et paulo post : « Sic enim mortuos nos excipient Abrahamus, Isaacus et Jacobus, cunctique patres laudabunt. Deinde eorum qui restabant singuli fratrum, a quo divellebantur, sic cohortari : Ne nos, frater, dedecoraveris, neve a fratribus noatris, qui jam oppetierunt, degeneraveris. »

6. Deus aspiciet veritatem, (id est justitiam, *q. d.* Deus expendet et præstabit id quod justum est, nos scilicet innocentes et justos esse, ac a te, o tyranne, injuste exerciari, ideoque martyrii Laurea coronabit : quare) consolabitur in nobis, — id est nobis auxilio erit et solatio, nobis suas consolationes ingeret et immittet, ut te hinc tormenta generosa superemus, quemadmodum Moyses in Cantico, *Deut.* XXXII, 36, cecinit, et promisit Deum esse facturum.

8. At ille respondens patria (id est virili) voce, — *q. d.* respondebat, non ut puer voce gracili, sed forti et crassa ut pater et vir, de quo vers. 21.

Dixit (secundus nomine *Aber*) : Non facias, — non comedam porcinam. Hoc firmum meum est propositum, hæc obfirmata mea voluntas. Audi Josephum multa addentem, et martyrem sua facundia exornantem, forte etiam nonnulla, uti solet, ex suo adjungentem, et phalarantem : « Adducunt satellites ætate secundum, injectisque ferreis manibus, acutis unguibus, cum catapultis (quæ machina est) alligant. Deinde percontati, priusquam eum torquerent, num effugere vellet, postquam generosam ejus sententiam audiverunt, ab imis pedibus exorsi, omnem ejus carnem ferreis illis manibus, usque ad mentum dilaniant, et capitis pellem admotis pedis dilaceraut, quam

(1) Septem isti fratres Machabæi verisimiliter dicti sunt, non quod cum Juda Machabæo cognatione devincti erant, sed quia pro defensione suæ fidei mortem tanquam martyres oppetierant, eo tempore quo Judas et fratres ejus pro libertate religionis et patriæ fortiter decertabant. (Alliott.)

ille gravissimum dolorem tolerans, sic dicebat : Suave est mortis quodlibet genus ob patriam religionem nostram. Non putas te, o omnium crudelissime tyranne, magis quam me nunc torqueri, cum videas crudelem istam tyrannidis rationem nostra pro pietate patientia vinci? Etenim ego virtutis voluptatibus dolorem levo : tu in impietatis minis excruciaris. Neque vero effugies, impurissime tyranne, pœnas iræ divinæ. » Josephum secutus S. Ambrosius, lib. *De Jacob et vita beata*, lib. II, cap. XI, ait : « Secundus accessit, nec degener fratris munia piæ confessionis implevit. Et cum detraheretur membrana capitis, respondit : Auferis quidem membranam, sed dulce galeam spiritualem, quam non potestis auferre. Et vere hanc galeam nemo auferre potest : sicut postea Apostolus docuit in Ecclesia Domini, quia caput viri Christus est, et ejus sumus membra. Recte puer istum divino spiritu doctrinam Apostolicam prædicabat : Exsecrant immanes bestiæ eorum capita, et pardalicis feritatibus sæviebant. At ille deficiens : Quam dulce est, inquit, mori pro religione! quam suavis omnis acerbitas mortis pro pietate! quia manet horum remuneratio laborum. Tua sunt rex graviora tormenta, tu tuis vehementer torqueris supplicis, quia vides vinci in potestate. »

10. POST HUNC TERTIUS ILLUDITUR, ET LINGUAM POSITUS CITO PROTULIT, ET MANUS CONSTANTER EXTENDIT, — ut eum lingua, quæ regem despexerat, amputarentur et in sartagine frigerentur, S. Cyprianus, *De exhort. martyr.*, urget : « manus extendit, » atque : « Manus amputandas constanter extendit multum beatus genere isto supplicii, cui contigit extensis ad pœnam manibus passionis Dominicæ instar imitari. »

11. ET CUM FIDUCIA AIT : E CÆLO ISTA POSSIDEO, SED PROPTER DEI LEGES NUNC HÆC IPSA DESPICIO, QUONIAM AB IPSO ME EA RECEPTURUM SPERO. — Addit Josephus, cap. X : « At ille exclamans : Ignoratis, inquit, eodem me quo mortuos hos et patre natum et matre editum esse, iisdemque nos in ædibus educatos? non abjurabo tam nobilem fraternitatis cognationem. Tum illi hominis libertatem graviter ferentes, laceratoris machinis manus ejus et pedes exarticulant, laxatisque commissuris, membratim dilacerant et digitos et brachia, et crura, et cubitos confringunt. Cumque eum extinguere nullo pacto possent, detractam cum summis digitorum capitibus pellem dihiniant. Deinde eam profinus ad rotam ducunt : cui circumjectus, cum vertebratim exarticularetur, cernebat carnem suam discerpi, et ex visceribus distillantes guttas sanguinis, jamque moriturus dixit : Nos quidem, o impurissime tyranne, ob Dei disciplinam, virtutemque hæc patimur; at tu ob impietatem cædesque nefarias immensos feres cruciatus. » Josephum secutus S. Ambrosius *De Jacob et vita beata*, cap. XI, ait tertium hunc dum excoriaretur dixisse : « Non faciam voluntatem tuam, non succumbam imperio tuo. Per beatam illam fratrum passionem et nobilem vitam non negabo piam germanitatem. Quæ vis adhibeto supplicia, quibus magis urgeas : hoc proficies asperitate pœnarum, ut majora testimonia nostræ germanitatis accipias. Jussit itaque ei linguam amputari. Et ille exclamans : Victus es, inquit, Antioche, qui organum vocis abscindi jubes. Confessus es te respondere non posse rationi, rejiciaque probas linguæ nostræ flagella, quam tua verbera. Nos enim tua verbera non timemus, tu nostræ vocis flagella non potes sustinere. Sed hæc pietatis flagella sunt, tua flagella perfidiæ. Sed etiam sublata, gravius te sine cadens murmure flagellabit. Evadere tu putes, Antioche, si vocem eripias? Et tacentes Deus audit, et magis audit. Ecce ejecti os meum, laxavi linguam meam, abscinde linguam; sed non abscindes constantiam, non virtutem auferes, non rationem obliterabis, non eripies testimonium veritatis, non eripies cordis clamorem. Si lingua amputatur, sanguis clamabit, et dicetur tibi : Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. » Et paulo post : « Loquaciora sunt vulnera, etsi vulnera teguntur, etsi abscondatur cicatrix, non abscenditur fides; nec tamen plaudes, quod auferendo linguam, confessionem laudis eripias. Satis enim Deum sermone laudavi, mutæ posséne laudamus. »

13. ET HOC ITA DEFUNCTO QUARTUM VEXABANT. — Illi posteriores plus passi sunt quam priores. *Primo*, quia acrius in eos ira regis effervebat ob tot acres priorum in regem exprobrationes. *Secundo*, quia hi ætate erant juniores, ideoque viribus, et animo inferiores. *Tertio*, quia hi compatiendo fratribus ita excruciatis per compassionem patiebantur eadem quæ ipsi. *Quarto*, quia eadem passuros se mox cernebant. Itaque acri fratrum tortura, et longa sua torturæ representatione, æque ac expectatione gravius torquebantur. Unde S. Leo, sermone *in nativit. septem Machab.* : « Regis impietas, inquit, id excogitavit, ut victoriam sibi, et de primis promiteret, quos sine tolerantiæ cruciaret exemplo et de postremis, quos in supplicio torqueret alieno, multiplicatæ sunt martyrum palmæ; et dum singuli in omnibus vincunt, præter coronas proprias, omnes acquisivere septenas. » Addit S. Ambrosius, lib. *De Jacob.* : « Et hoc peremptio, ait, jussit quartum vinciri ad rotam, ut ejus vertigine membris omnibus solveretur, » etc. an forte quia torquere, etiam versare est poetis atque oratoribus? an potius quia initium cruciatuum erat in equuleo, sive in rota distendi, ad fustium et nervorum diverberationem? Ita Salianus.

14. ET CUM JAM ESSET AD MORTEM, SIC AIT : POTIUS (saltus) EST AB HOMINIBUS MORTI DATOS SPEM (resurrectionis vitæ et gloriæ æternæ : hanc enim vivam habuere hi septem fratres; ideoque illa animati regi et tormentis resultarunt, imo insultarunt : porro spem vocant rem speratam, puta vitam et gloriam æternam per metonymiam) EXSPECTARE

A DEO, ITERUM AB IPSO RESUSCITANDOS; TIBI ENIM RESURRECTIO AD VITAM NON ERIT, — sed ad gehennam et mortem immortalem. Addit Josephus, cap. X, cum dixisse : « Non sic urentem habetis ignem adversum me, ut ego remollescam; » cumque Antiochus ei linguam præscindi juberet, subjecisse : « Etiamsi vocis instrumentum auferas, etiam silentes exaudit Deus; nam divinarum laudum cantatricem linguam amputas. » Josephum paraphrasten paraphrastice explicans illustratque S. Ambrosius, lib. *De Jacob*, cap. XI : « Et hoc peremptio, inquit, jussit quartum vinciri ad rotam, ut ejus vertigine membris omnibus solveretur. At ille cum torqueretur immaniter : Dissolvis, inquit, corporis membra, sed adjungis gratiam passioni, nec eripis solatium morti. Est enim vox tonitrui in rota, quia in bono et inoffenso vitæ istius cursu cœleste resultat oraculum, sicut in Joanne et Jacob filiis tonitrui resultabat. Itaque illud quod legi, nunc manifestius recognosce, quia rota intra rotam currit, nec impeditur. Teres enim vita sine ulla offensione in quavis passione versatur, et intra hanc quoque rota currit. »

15. ET CUM ADMOVISSENT QUINTUM, VEXABANT EUM — cruciando, ut cæteros priores. Addit Josephus cap. XI : « Satellites eum constringunt, et ad catapultam trahunt, eoque catapultæ in genua alligato, genibus ferreis pedicis astrictis, ejus lumbos circum orbicularem cuneum inflectunt, ita ut totus circum rotam, scorpii instar, inflexus exarticularetur. Hoc pacto cum et spiritus ejus opprimeretur, et corpus angeretur, dixit : Præclara tu quidem nolens, o tyranne, confers in nos beneficia, dum effecis ut tanto generosioribus doloribus nostram pro lege tolerantiam exeramus. » S. Ambrosius vero loco citato de hoc sic ait : « Quintus cum sisteretur, cæso prius, eidem jussit ignes admoveri, subjici, incendi. Manabat e vulneribus cruor, et effossis ulceribus sanguis effusus ipsos flammarum exstinguebat globos. At ille inter flammarum crepitus audiebatur dicens : Gratias tibi, Domine, quod dedisti nobis dicere : Transibimus per ignem. Et sicut alibi idem tuus dicit Propheta : Igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum. Adstabo tibi sicut aurum purgatus incendio : et si quid fuit culpæ, ignis exussit. Itaque et iste transfiguratus e corruptela ad incorruptionem, vitam exhalavit. » Porro Gorionides ait quintum dixisse : « Noli in corde tuo cogitare quasi me Deus reliquerit, quia ex suo in me amore ad istam me gloriam duxit. Tu vero impius, blasphemus et rabidus es, ideoque te odio prosequens, te excitat ad omnia ista in nos facienda, quasi ipse paratus ad vindictam de te tuoque semine sumendam, et suum contra te totamque domum tuam furorem accendet. »

18. POST HUNC DUCEBANT SEXTUM, ET IS MORI INCIPIENS SIC AIT : NOLI FRUSTRA ERRARE; NOS ENIM PROPTER NOSMETIPSOS HÆC PATIMUR PECCANTES IN DEUM NOSTRUM. — Major in hoc sexto elucet humilitas, contritio, et compunctio de peccatis, non tam suis, quam totius gentis; par tamen cum cæteris in eodem emicuit animi magnitudo. Unde S. Ambrosius loco citato paraphrastice ejus dicta sic illustrat : « Nostrorum hoc delictorum est pretium, ut peccantes puniamur. Et gratias Domino, quod hic a nobis duplicia peccata exiguntur, ut ibi nobis consolatio deferatur. Gratias autem et tibi, quod tam durus et immitis es, ut talibus nostris suppliciis, Dominus in quem peccavimus genti nostræ propitius fiat. Nos quoque ablevamus ærumnam, dum fidei passionibus delectamur. Et iste duris et asperis laceratus supplicii appositus est ad fratres suos. » Addit Josephus, cap. XI, sexum adolescentiorem dixisse : « Ego ætate fratribus junior, animo sum æqualis; ad eadem enim et geniti, et educati, pro iisdem similiter mori debemus. Itaque, si tibi videtur abstinentem ab immundorum esu torquere, torque. Hoc locutum ducunt ad rotam, et ab ea ille membratim distenditur, discerptisque membris succenditur; et acuta ferra igne candentia ejus tergo admoventur, ac perforata ejus latera, et viscera comburuntur. Ac ille inter tormenta : O sacrum certamen, inquit, ad quod ob pietatem exercendi doloribus toti fratres vocati, non victi sumus. Est enim invicta, o tyranne, pia scientia virtute armata. Moriar ego quoque cum fratribus meis, et tibi ipse quoque magnas addam furias. O novorum tormentorum excogitator, et vere piorum hostis! sex adolescentes tyrannidem tuam abolevimus. Nam quod rationem nostram de sententia dimovere non potuisti, neque ad immundorum esum cogere, an non est tui abolitio? Frigidus est nobis ignis tuus, et nullius doloris efficientes catapultæ. Non enim tyranni, sed divinæ legis satellites nos stipant : ideoque invictam habemus rationem. »

Nota : Acre ideoque illustre fuit martyrium horum septem Machabæorum : ideoque Ecclesia eorum celebrat festum præ aliis sanctis veteris Testamenti prima die augusti, præsertim Romæ, ubi sacra eorum ipsana requiescunt in templo S. Petri ad vincula, ut testatur S. Augustinus, *serm.* 109, cap. VI, ac magno populi concursu et devotione frequentantur. Causæ sunt multæ : *prima*, quod hi primi expresse et publice certarint pro vera Dei fide et cultu; *secunda*, quod in veteri Testamento id fecerint, cum obscura esset fides, et cognitio tam Dei et Christi, quam futuræ vitæ et resurrectionis; *tertia*, quod passi sint in ætate tenera et juvenili, cum vita summe est jucunda, et mors summe acerba; *quarta*, quod persecutorem et tortorem habuerunt Antiochum Epiphanem tyrannum sævissimum et crudelissimum; *quinta*, quod fortissime ei restiterint, imo singuli eum acriter increparint, et scelestissimum nuncuparint; *sexta*, quod omnis generis tormenta subierint, ut flagra et nervos taurinos, vers. 1, lin-

quæ amputationem æque ac manuum et pedum, item excoriationem capitis et forte totius corporis, vers. 4, ollas et sartagines in quibus igne, pice, sulphure cremabantur et torrebantur, vers. 3. A Judæis his discе, Christiane, quid tibi faciendum sit in qualibet tentatione, persecutione, afflictione, quæ longe est timor, quamque generose eam superare debeas : « Nondum enim usque ad sanguinem restitistis. » *Hebr.* XII. Quis te in tympano distendit et pulsavit? Quis in olla bullivit? Quis in sartagine frixit? Ut septem his fratribus contigit, qui tamen omnia forti alacrique animo sustinuerunt, ut tu in tuis modicis idem facias spe beatæ æternitatis. « Quod enim in præsenti momentaneum est, et leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. » II *Cor.* IV. Porro stimuli ad hæc omnia generose sustinenda et superanda Machabæis fuere : *primo* fides et spes in Christum mox futurum, ex anjus meritis prævisis Deus dedit eis copiosam gratiam, fortitudinem et constantiam; *secundo*, spes melioris vitæ et beatæ resurrectionis, quod scilicet membra, quæ tormentis exponebant a Deo illis reddenda forent in resurrectione, eaque splendida et gloriosa; *tertio*, quod crucіatus futurus esset modicus et brevis; præmium vero in cœlo immensum et æternum. Hoc enim omnes martyres animavit in tormentis etiam acerrimis; unde S. Sebastianus S. Marcum et Marcellianum ob parentum comploratione vacillantes corroboravit hoc dilemmate : Crucіatus vobis inferendi, aut erunt graves, aut leves. Si graves, cito mortem inferent, et vos ad cœlum transmittent. Si leves, erunt tolerata facilius. Utrosvis ergo fortiter sustinete, quia dolor brevis æternum vobis pariet gaudium. Momentum enim quod crucіat, æternum est quod delectat. *Quarto*, quod mater singulos animose hortaretur et acriter stimularet ad persistendum in patria religione; *quinto*, Eleazari senis de quo, cap. præced., in duris tympani crucіatibus verum patientiæ exemplum.

20. SUPRA MODUM AUTEM MATER MIRABILIS, — quæ in Græcorum Calendario nuncupatur *Salome*; a Josepho *Salomona*; a Gorionide et Genebrardo *Anna*, id est gratia; a S. Thoma *Machabæa*, quia Machabæorum mater. Rursum a Josepho cap. XV, *Abrua*; quia, inquit, « piæ Abrahami tolerantiæ filia recordata est; » ac sicut Abraham suum Isaac, sic ipsa septem filios Deo immolavit. Miris elogiis eamdem celebrat Joseph. « Non ita luna, inquit, in cœlo cum astris venusta stat, sicut tu, quæ septem stellas, scilicet septem filios ad pietatem illuminasti, gloriosa coram Deo stas, et in cœlo una cum illis infixa es. » Unde cap. XV, ejus robur admirans exclamat : « O mater gentis, vindex legis, pietatis propugnatrix, victrixque certaminis quod per viscera gestum est! O maribus continentia generosior, et viris patientia fortior. Sicut enim arca Noe in universo illo totius mundi diluvio mundum ferens, fluctus constanter sustinuit; sic et in custos illa legis, cum affectionum diluvio obrueretur undique, vehementibusque quasi tormentorum ventis tunderetur, susceptum pro pietate certamen egregie pertulisti. » Quocirca S. Cyprianus, lib. *De exhort. ad martyrium* : « Tam grande, inquit, martyrium Deo præbuit virtute oculorum suorum, quam præbuerunt filii ejus tormentis et passione membrorum. » Et O. Chrysostomus, hom. 4 *De verbis Isaiæ* : « Mater, inquit, martyrum septies ipsa martyrium præstitit; dum enim illi torquebantur, illa plagam accipiebat. » S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. XLI : « Spectabat, inquit, beta filiorum, quot funera, tot triumphos, et morientium vocibus plusquam psallentium cantibus delectabatur : pulcherrimum ventri sui cytharam (septem quodammodo fidibus instructam) in filiis suis cernens et pietatis harmoniam omni lyræ numero dulciorem. » Quam virtutem D. Gregorius Nazianzenus, *Orat.* XXII, increfibiliter admiratus : « O virilem, inquit, animum in muliebri corpore! O sacrificium, Abrahæ sacrificio majus ac præstantius! Nam ille unum alacri animo obtulit, hæc autem populum universum filiorum Deo consecravit. »

21. SINGULOS ILLORUM (dum singuli ordine ætatis ab Antiocho evocati irent ad examen et tormenta, mater singulos ad constantiam) HORTABATUR VOCE PATRIA, (id est Hebraica, ait Josephus. Melius Salianus vocem patriam interpretatur generosum et virilem, qualis solet esse vox patris, *q. d.* Hortabatur voce non materna et feminea, sed patria et virili : unde « patrius » non a patria, sed a patre deducitur, idemque est quod « paternus : » hoc enim significat Græcum πατρῶος, *q. d.* loquebatur viriliter, ut pater, non femineo ut mater. Quocirca explicans subdit :) FORTIUM (Græce *generose*) REPLETA SAPIENTIA, ET FEMINEAM COGITATIONI MASCULINUM ANIMUM (vocemque) INSERENS. — Audi Nazianzenum, *Orat.* XXII, affectus et gestus hujus heroinæ graphice depingentem : « Strenua mater, et vere illorum tali virtute præditorum parens; illa, inquam, præclara et magnanima legis alumna, prius quam gaudio, simul ac timore afficiebatur, atque in illorum affectuum confinio posita erat : nam ut ex eorum fortitudine, iisque quæ videbat lætitiam capiebat; sic rursus cum incertum pugnæ eventum, incredibilemque tormentorum magnitudinem secum reputaret, timore angebatur : ac proinde illos non secus, atque avicula pullos suos arripiente angue, aut alia quapiam insidiosa fera, circumvolabat, stridebat, obsecrabat, una cum ipsis certabat, nihil denique non dicebat ac faciebat, quo illos ad victoriam paratiores alacriosque redderet. Cruoris guttas rapiebat, fragmenta membrorum excipiebat, reliquias adorabat, hunc colligebat, illum porrigebat, alium parabat, omnibus acclamabat : Euge, filii mei, euge strenui mei milites, euge in corporibus ferme incorporei, euge legis,

canæque senectutis meæ, atque civitatis quæ vos aluit, et ad eam virtutis magnitudinem evexit, præsidium ac propugnaculum. Paulum adhuc et vicimus, defatigantur carnifices : hoc unum extimesco. Paulum adhuc, et ego inter mulieres beata, et vos inter adolescentes beati. At fortasse matris vos desiderium angit? nequaquam vos deseram. Hoc vobis polliceor, non tam liberos meos odi.

24. ANTIOCHUS AUTEM — cruciabatur rex constantia tanta martyrum, quod eos expugnare non posset, sed a singulis vinceretur; ideoque pudefactus et indignans se a pueris despici, septimum fortissime aggreditur, ut eum vincens cæteros vicisse videatur, sed ab eo magis quam ab aliis victus cum acrius præ aliis ipse regi insultaret, rex desperans actusque in furorem in eum præ cæteris desævit : quare minimus hic natu frater cæteros fratres suos ætate majores tam cruciatibus, quam animositate et tolerantia heroica superavit.

ET RES NECESSARIAS EI PRÆDITURUM. — Ex Græco versi potest se ei *creditarum negotia sua*, hoc est eum amicum intimum et secretum habiturum, cui regni sui negotia et regimen credat et committat, quemque provinciis suis quasi præsidem præficiat.

25. VOCAVIT REX MATREM, — ut mater filio suaderet obedire regi.

27. ITAQUE INCLINATA AD ILLUM (filium natu minimum), IRRIDENS CRUDELEM TYRANNUM (nota animos plusquam masculos in femina), AIT PATRIA VOCE (loquens sermone Hebraico, non Græco, quali loquebatur Antiochus, ut secretius et intimius filii cor pungeret et feriret. Ita Josephus aut potius « patria, » id est virili « voce. » Sic vers. 8, secundus patria, id est virili voce dixit : « Non faciam. » Vide dicta vers. 21, *q. d.* Loquebatur forti voce et generosa, non quasi femina et mater, sed quasi pater et vir :) FILI MI, MISERERE MEI, — ne tu solus turpi apostasia me matrem tuam confestes et exercucies, sed potius sollicitam de te solo tua constantia lætifices : vaide enim me afflіget, si tu a fratribus tuis degener, tyranno consentias, animamque tuam perdas, ac me fratresque tuos æterno dedecore afficias. Audi S. Gregorium Nazianzenum, Orat. 22 *De Machabæis* : « Mater omnium maxima sacratissima affectu sum, nihil mundo reliqui feci; omnia Deo tradidi; thesaurum meum, spes meas, senectutis altrices, quam magnifice honorata sum! Quam excellenter senectus mea curata atque tractata est! Habeo educationis vestræ præmia, o filii, quoniam omnes virtutis causa decertantes vidi, omnes victores aspexi : mihi vero carissimi filii, nequaquam mortui atque exstincti; sed Deo oblati estis, nec lacerati, sed compacti et coagmentati, non fera vos abripuit, non fluctus obruit, non latro jugulavit, non hostis oppressit, non vis belli sustulit, non denique ullius humanus casus. »

ET LAC TRIENNIO DEDI. — Hoc multæ matres fecerunt per triennium, idque medicis rationibus probat et laudat Franciscus Valesius *Sacræ philos.* cap. LXXXIII. Si quis infans ultra triennium matris lac sugat vulgari sconmiate Manotreptus vocatur, ait S. Augustinus in *Psal.* XXX.

28. PETO, NATE, UT ASPICIAS AD CŒLUM ET TERRAM, ET AD OMNIA QUÆ IN EIS SUNT, ET INTELLIGAS QUIA EX NIHILO FECIT ILLA DEUS, — ac proinde cogites te quoque ex nihilo a Deo creatum, et eum solum quasi creatorem timeas, ames, colas, eique obedias; nec timeas tyrannum, quem pariter Deus creavit, eique limites sæviendi præfixit, ut non plura nec majora tibi possit inferre tormenta, quam Deus permiserit, qui scit quantum commode pati possis, quamque copiosam gratiam et robur ad ea sustinendum sit tibi daturus ut te in terra victorem, in cœlo triumphantem præmiet, et corpus a tyranno laceratum, sanum et glorioso tibi in resurrectione restituat. Audi S. Ambrosium, lib. II *De Jacob*, cap. XI et XII, paraphrastice hæc illustrantem : « Miserere mei, quæ te in utero tot mensium curriculo portavi, ne uno momento confundas senectutem meam, ne decolores tot fratrum tuorum trophæa, ne sacrum eorum comitatum relinquas, ne consortium deseras. Te adhuc isti exspectant triumphi. Aspice in cœlum, unde hausisti spiritum, ad Patrem omnium : aspice in terram, quæ tibi ante alimoniam ministravit; aspice ad fratres, qui collegam requirunt : aspice ad matrem, quæ tibi lac dedit : redde mercedem pii sanguinis, noli a fratribus, noli a matre divelli. Temporales opes sunt, quas promittit Antiochus, temporales honores : perpetua corona quæ a Deo omnipotente defertur. Vos mihi septem dierum lumina dedit Dominus, sextum jam diem clausi, et omnium opera bona valde. Debes mihi, fili, ut quæ in illis sex laboravi, in te requiescam septimo, tanquam a sæculi operibus jam feriata. »

Simili rubore et ardore S. Symphorosa e capillis suspensa filios ad sui imitationem et martyrii æmulationem incitabat, teste Usuardo, Beda et aliis. « Eja, inquit, o mea non tam pignora, quam viscera! Attendite ad petram unde excisi estis. Patrem habuistis Getulium Christi martyrem; matrem habetis Symphorosam ad martyrium festinantem, et exultantem. Quid dubitatis vestros sequi, o boni filii, parentes, et quæ vobis pro Christo infligentur, non tormenta, sed blandimenta reputare? Hos patior femina imbecilla cruciatus : patimini et vos constantes viri. Meo nutriti lacte, vestro me sanguine recreate. Porrexi ubera, reddite vulnera. Hoc beneficio maternum obsequium rependite. Nullum mihi charius vestræ in me charitatis argumentum. Vivam, si vos pro Christo mori sensero. Felicissima erit vita vestra, si felicissima pro Christo morte coronetur. »

Pari fortitudine mater S. Melitonis qui junior erat 40 Martyrum (quorum festum Ecclesia colo-

brat die 9 martii), cum ei adhuc spiranti carnifex parcere vellet, tum impulit ad martyrium : « Nam ut vidit, inquit Nyssenus, Orat. *De 40 Martyr.*, humanitatem carnificis erga virum fortem, contumeliam non tulit; sed illum quidem increpabat, quod a commilitonibus et collegis Athletam segregasset. » Et mox ad filium conversa : « Non meus, inquit, filius es tu; non mei partus germen? quoniam Deum recepisti, secundum Deum natus es. Accepisti potestatem, ut filius fieres : curre ad Patrem tuum; ne relinquaris a tuis cœvis; ne secundus ad coronam venias; ne irritum facias votum maternum : non offendes matrem, si victor, si triumphator evaseris. » Et S. Basilius, hom. *De eisdem 40 Mart.* : « Non enim, inquit, lacrymam indecorum effundere, aut aliquid humile loqui, vel indignum agere visa est. Sed, o nate, inquit, perfice cum tuis contubernalibus iter beatum, ne a chorea deseraris, neve inferior aliis appareas. » Et statim ad matris laudem regressus : « O matrem, ait, felicem! o bonæ radicis bonum germen! ostendit generosa parens quemadmodum pietatis institutis eum, magis quam lacte, educaverat. » Quocirca ipsa, Melitone in humeros sublato, vehicula martyrum corporibus onusta strenue prosequebatur, in cujus amplexu Meliton spiritum Deo reddidit, ejusque corpus in eumdem illum ceterorum martyrum rogum pia mater injecit, ut qui fide et virtute fuerant conjunctissimi, funeris etiam societate copulati, una in cœlum evolarent.

Suppar hisce exstitit mater S. Symphoriani martyris, qui, dum ad supplicium duceretur, matrem clamantem audiens : « Nate, nate, memento æternæ vitæ, cœlum suspice et ibi regnantem intuere; tibi enim vita non eripitur, sed mutatur in melius, » forliter Jesu Christi causa collum carnifici præbuit, cujus triumphum recolit Ecclesia die 22 augusti.

Æmula harum nuper in Japone exstitit heroina Thecla, quæ ut Phœnix inter odores, sic inter filios flagravit : « Ite, o filii, ait, ad rogum quasi ad regnum. Ambulabimus inter prunas, ut inter gemmas : recumbemus inter flammas, ut inter plumas; quiescemus inter accensas pyras, ut inter maternas ulnas : spiritus oris nostri Christus Dominus. Cum noster a nobis spiritus recesserit, Christus subibit. Ille reget melius nostras animas, quam ipsæ nostros artus animabant. Macte animo, o filii, pro Christo qui est vita vestra, vestram libentes vitam profundite. Hic rogus vobis uterus erit non maternus, sed divinus, ex quo non in hanc vitam morti similem, sed in veram et æternam exeatis. Pergite, gaudium meum et corona mea. Vestra mihi tormenta exhilarant, vestra incendia coronant. Quidquid lactis ex me suxistis, mihi abunde compensabitis, si vestrum pro Christo sanguinem profundatis; generosam me appello vitem, quam tam generosi pampini circumdant. Pergite, filii, ad tormentum quasi ad tropheum. »

30. CUM HÆC ILLA ADHUC DICERET, AIT ADOLESCENS : QUEM SUSTINETIS, — id est qualem me fore exspectatis? An ut Antiocho obediam? minime gentium : Deo enim et matri divina consilia suggerenti parebo, ac fratribus meis me similem experimini, uti hactenus experti estis. Sic «sustine» vers. 17, sumitur pro « exspecta. » Porro Gorinides ait septimum dixisse : « Quid me tardas, et pergero non sinis una cum sanctis fratribus meis? mihi haud personaseris ut vanitates tuas complectar. Non recedam a Domino et sancta ejus ac immaculata lege, quam Moysis servi sui opera dedit Israeli populo suo, et filiis servorum suorum. Et te, o Belial pessime, malorum inventor, Antioche, homo injuriose, osor veritatis, quam blasphemas et calumniaris, quo ibis, et quo fugies a facie Domini nostri, cujus est terra, et plenitudo orbis, et qui habitant in ea? Adhuc vivificabit nos et exaltabit, et magnificabit præ omnibus, vel super omnem gentem. »

36. NAM FRATRES MEI MODICO NUNC DOLORE SUSTENTATO (forliter tolerato) SUB TESTAMENTO ÆTERNÆ VITÆ EFFECTI SUNT, — id est vita æterna fruuntur in limbo, exspectantes beatam Dei visionem in cœlis post mortem Christi, quæ vita eis a Deo promissa est per testamentum, id est fœdus et pactum quod cum Hebræis iniit, et per Moseu, *Exodi* XXIV, et passim in *Deut.* conscripsit. Audi S. Ambrosium : « Itaque prorpiens se juvenis, ait : Quid sustinetis? Et multa vociferans, quod nequaquam divelli posset a fratrum consortiis, quorum multo beatiora essent funera quam regis imperia; dum argueret conviciis regem, et ipse acerbis excruciatus tormentorum generibus, vita hujus munus absolvit. » Porro Josephus, cap. XII, hæc aliter enarrat; sic enim ait : « Solvite me, inquit (erat enim septimus hic filius catenis vinctus quasi reus,) ut regem et ejus amicos omnes alloquar. Hoc illi pueri promisso supra modum gavisi protinus eum solvunt. Et ille, cum ad propinquam quamdam cucurrisset sartaginem : O impie, inquit, et omnium improborum sceleratissime tyranne, non veritus es, cum a Deo tam bona cetera, tum regnum acceperis, et ejus servos interficere, et pietatis cultores excruciare, præquibus te reservat Fas, et densiori et eidem æterno igni, atque tormentis nulla unquam sæculorum serie intermittendis. Non veritus es, homo belluine, ejusdem tecum generis hominum, et ex iisdem ortorum elementis linguas præcidere, eosque in hunc modum vexatos torquere. Enim vero illi fortiter occumbentes sua in Deum pietate perfuncti sunt : at tu, misere, plorabis, qui virtutis propugnatores insontes interemeris. Itaque ipse moriturus a fratrum meorum virtute non auferio. Hæc fatus seipsum in sartagines dejicit atque ita animam ponit. » At hoc non consentit cum eo quod subdit S. Scriptura, dicens :

38. IN ME VERO ET IN FRATRIBUS MEIS DESINET ORIPUTENTIS IRA — quasi in victima pro peccatis to-

tius Israelis. Id factum est anno sequenti, ut audietnus cap. VIII; 1. fuit ergo hæc cygnea vox puri et innocentis Jacob, qua ipse quasi vetus propheta moriens promeruit, et prædixit salutem Israeli.

39. TUNC REX ACCENSUS ERA IN HUNC SUPER OMNES CRUDELIUS DESÆVIT, INDIGNE FERENS SE DERISUM — tam a matre quam a filio.

40. ET HIC ITAQUE MUNDUS (ab esu carnis porcinæ, ab apostasia, a violatione legis) OMNE SUB OMNIA IN DOMINO CONFIDENS, — quod ab eo membra ejus amore laniata reciperet gloriosa in beata resurrectione. Porro horum septem Machabæorum martyria fuere totidem miracula, inter quæ uti atrocius, ita generosius et illustrius fuit hoc septimi, et omnium minimi. Nec enim puer tot tamque horrenda tormenta continuo viribus naturæ ferre et superare potuisset, multo minus tantam alacritatem et animositatem qua tyranno insultavit, ostendere. Hoc ergo fuit opus gratiæ Dei per merita prævisa Christi, cujus hi septem martyres fuere typi, ideoque plagis cæsi, ad palos distenti, et igni frixi fuere, uti Christus flagellatus, in cruce distentus, et igne tum doloris, tum amoris pro nobis assus frixusque fuit.

Sic post Christum pueri et puellæ, ut S. Agnes, S. Vitus, S. Celsus, S. Pancratius, tum tormentorum acerbitate et varietate, tum animi robore et alacritate superarunt martyres viros : nimirum :

Major in exiguo regnavit corpore virtus.

Et « virtus » divina « in infirmitate » humana « perficitur. » In parvis enim magnus vincit et triumphat Christus, ideoque ipse « infirma mundi elegit, ut confundat fortia, » ut « qui gloriatur » non in se, sed « in Domino gloriatur » 1 *Corinth.* I.

41. NOVISSIMUS AUTEM POST FILIOS ET MATER CONSUMPTA EST. — Græce ἐτελεύτησε, id est *mortua est*. At quo genere mortis? *Primo*, alicui putant eam mortuam ex ingenti gaudio, quod videret omnes filios tam gloriose de tyranno triumphasse. Ita Marius Victorinus in carmine *De Machabæis* :

Dum puer, *inquit*, ista gerit, solvuntur gaudia matrem.
Jamque ut erat læxata malis jam voce negata
Suspirans, interque manus collapsa suorum
Concidit exanimis, resolutaque membra quierunt,
Sic ipsa et mater Sanctorum in parte recepta est.

Sic nonnullæ Romanæ matres gaudio exanimatæ sunt, cum subito viderunt filios, quos in pugna contra Annibalem cecidisse audierant, teste Livio, lib. XXII, et Valerio, lib. IX, cap. XII. *Secundo*, Gorionides ait eam a Deo postulasse mortem, et impetrasse. « Hæc, inquit, mulier fortis stans super eorum cadaveribus, palmas suas in cœlum expandit, et dixit : O Deus excelse, Deus sæculi, abeam, quæso, cum filiis meis, ego ancilla tua, in locum quem parasti eis. Et cum hæc dixisset, reddidit animam suam, et exiit spiritus ejus, et cecidit ipsa super filios, et cum ipsis obiit, sicque fidelissimis filiis felicissima tandem mater adjuncta est. » *Tertio*, verisimilius est eam frixam fuisse in sartagine instar filiorum, hoc enim significat « « consumpta est : » et hoc exigebat, tum ejus magnanimitas et magnanima tyranni irrisio, tum ipsius tyranni in eam indignatio et furor. Addit Josephus eam seipsam in ignem sibi paratum injecisse, uti fecit S. Apollonia ex Dei instinctu. Audi Josephum ex Græco ejus textu : « Novissime filiis omnibus consumptis, admirabilis tantorum athletarum parens in cruenta pœnarum carnificina flexis repente genibus, corporis a Deo dissolutionem efflagitabat. Non enim vivendi cupiditate, sed filiorum causa tantum tempus protraxisse. Septem igitur triumphos mater pientissima suscepit. Antiochus faucibus stridet, matrem generosam affligere jubet, tyrannice rapitur, teneris nudatur artubus, in altum manus attigantur, sævius illuditur flagellis, læsis mœret uberibus, ac flammivomæ adjecta sartagini ambustos ultro filios concomitatur in pœnas. » Merito S. Ambrosius, lib. II *De Jacob*, cap. XI : « Quis, inquit, hanc beatam neget, quæ quasi septem vallata mœnibus, inter corpora filiorum nullum sensit mortis incursum? Quis, inquam, dubitet de ejus beatitudine, quæ septem turribus circumdata in paradisi sedem caput extulit; quæ septem filiis cincta, sacratissimum Deo chorum, non solum canorum vocibus, sed etiam passionibus ad concinnendas Domini laudes cœlestibus invexit altaribus? Quam bonus fidei partus, quam tutus portus iste pietatis, quam splendida lucerna Ecclesiæ, septeno fulgens lumine, et octavo utero cunctis luminibus aleum subministrans! » Quocirca S. Augustinus de ea ait serm. 109 *De diversis*, cap. VI : « Discant fœminæ de matris illius tanta patientia, ineffabili virtute, quæ noverat conservare filios suos. Habere noverat quæ perdere non timebat. Isti in se singuli sentiendo, illa vivendo in omnibus passa est. Facta mater septem martyrum, septies martyr, a filiis non separata spectando et filiis addita moriendo. » Et cap. VII, ait eam dixisse filio : « Ibi te mihi servabit Christus, unde non tollet Antiochus. » Rursum S. Ambrosius, lib. VII *De Jacob*, cap. XII : « Non sic luna, inquit, inter stellas refulget, ut inter filios mater : et cum eos ad martyrium illuminatura deduceret, refulgebat, et cum amplexata victores in medio filiorum jaceret. O vere mater adamante fortior, melle dulcior, flore fragrantior! o indissolubile pietatis vinculum! o vere valida charitas sicut mors dura, sicut inferi zelus devotionis ac fidei! Nulla tantarum diluvia passionum tuam potuerunt charitatem excludere, nulla inundare eam flumina tantarum acerbitatum. Sicut arca in illo mundi diluvio totius orbis spatiis innocua ferebatur, ita et tu adversus fluctus tam gravium passionum pietate immobilis restitisti, et cum posses salutem filiorum eligere, noluisti. »

Similis prorsus huic septem Machabæorum matri fuit S. Felicitas septem filiorum totidemque martyrum mater, quæ eosdem peperit cœlo quos genuerat terræ. Cum enim sub Antonio Imperatore, Publius Præses ei diceret : « Miserere filiis tuis, juvenibus bonis, et flore primæ juventutis florentibus, » respondit Felicitas : « Misericordia tua impietas est, et exhortatio tua crudelitas est. » Et conversa ad filios suos dixit : « Videte, filii, cœlum, et sursum aspicite ; ibi vos exspectat Christus cum sanctis suis. Pugnate pro animabus vestris, et fideles vos in amore Christi exhibete. » Nec tantum dixit, sed et fecit ; nam et ipsa gloriosum obiit martyrii agonem ; unde S. Augustinus, *serm.* 110 *De diversis*, de ea ait : « Fecundior virtutibus quam fœtibus ; videres certantes in quibus et ipsa certabat, et in omnibus vincentibus etiam ipsa vincebat. » Et S. Gregorius, hom. 3 *in Evang.* : « Non ergo, inquit, hanc feminam martyrem dixerim, sed plus quam martyrem, quæ septem pignoribus ad regnum præmissis, toties ante se mortua ad pœnas prima venit, sed pervenit octava. Aspexit mater, et cruciata, et imperterrita, illiorum mortem ; spei gaudium tribuit, adhibuit doloremnaturæ. Timuit viventibus, gavisa est morientibus. Optavit nullam post se relinquere, ne si quem haberet superstitem, non posset habere consortem. »

Similis eidem fuit S. Symphorosa, quæ septem filiis uti magistra fidei, ita et dux ad martyrium exstitit ; cujus triumphum septemplicem, imo octuplicem quotannis recolit Ecclesia die 18 julii.

Hic ergo gloriosus fuit septem Machabæorum duce matre martyrii triumphus, quam passim Patres miris encomiis celebrant, ut S. Gregorius Nazianzenus, *Orat.* 22, quæ tota est de Machabæis ; S. Ambrosius, locis citatis ; S. Augustinus, in *epist.* 1 S. *Joannis*, tract. 8, et serm. 109 *De diversis* ; S. Cyprianus, lib. IV, *epist.* 6 ; S. Chrysostomus, hom. *De Nativit. septem Machab.* ; Prudentius, hymno *De Romano mart.* ; Gaudentius Brixianus, tract. *De Machabæis* ; S. Leo, serm. *in Nativit.* 7. *Machabæis* ; S. Ephrem, serm. *De morte* ; Victorinus Afer, in carmine *De Machabæis* ; S. Prosper, part. II, *Prædict.* cap. XI ; S. Bernardus, *epist.* 98 ; Theophilus Alexandrinus, *epist.* 3 *Paschali*, quem audi : « Quid memorem insignes Machabæorum victorias, qui ne illicitis carnibus vescerentur, et communes tangerent cibos, corpora obtulere cruciatibus, totiusque orbis in Ecclesiis Christi laudibus prædicantur, fortiores pœnis, ardentiores, quibus comburebantur, ignibus ? Victa sunt in eis omnia crudelitatis ingenia, et quidquid ira persecutoris invenerat, patientium fortitudo superavit ; inter pœnas, magis paternæ legis quam dolorum memores. Lacerabantur viscera, tabo et sanie artus diffluebant, et tamen sententia persevera[bat] immobilis : liber erat animus, et mala præ[sentia] futurorum spe despiciebant. Lassabantur tortores, et non lassabatur fides : frangebantur ossa, et volubili rota omnis compago nervorum atque artuum solvebatur, et in immensum spirantia mortem incendia consurgebant : plenæ erant ferventis olei sartagines, et ad frigenda sanctorum corpora terrore incredibili personabant, et tamen inter hæc omnia paradisum animo deambulantes, non sentiebant quid patiebantur, sed quod videre cupiebant. Mens enim Dei timore vallata flammas superat, varios tormentorum sprevit dolores ; cumque semel virtuti se tradiderit, quidquid adversi evenerit, calcat et despicit. Qualis fuit Paulus scribens : In iis omnibus superamus per eum qui nos dilexit. » Audi rursum S. Ambrosium, lib. II *De Jacob et vita beata*, cap. XII : « Talis hæc pugna est, ut ille gloriosior vicerit, qui crudelius occisus fuerit. Itaque nemo timuit, nemo trepidavit, nullus ad mortem ex tot fratribus pigrior fuit, sed omnes tanquam ad immortalitatis viam, ita ad mortem per acerba supplicia cucurrerunt. Et mater consona cernens filiorum agmina tanquam pia anima sui membra corporis in filiis offerebat, et per artus proprios videbatur sibi subire tormenta. » Et lib. XI, *epist.* 7 : « Haud deneger Abrahamidarum et Machabæorum concertatus puerorum, quorum alii super flammas canebant, alii cum exurerentur, non rogabant ut parceretur, sed invehebantur ut amplius persecutor inflammaretur. » Porro S. Cyprianus *De exhort. mart. ad Fortunatum*, Machabæorum fortitudinem exaggerat ex eo quod tam generose Antiocho tyranno insultarint. « Quale, inquit, illud levamentum fuit martyri, quam grande solatium ! in cruciatibus suis non tormenta propria cogitare, sed tortoris sui supplicia prædicare. » De matre vero ista subjungit : « Admirabilis quoque mater, quæ nec sexus infirmitate fracta, nec multiplici orbitate commota, morientes liberos spectavit libenter, nec pœnas illas pignorum, sed et glorias computavit, tam grande martyrium Deo præbens virtute oculorum suorum, quam præbuerant filii ejus tormentis et passione membrorum.

Tropologice, S. Chrysostomus, hom. *de Machab.* docet nos imitari debere Machabæos in robore, ut cum aliqua tentatio nos invadit, cum eis dicamus resolute : « Non faciam, » non violabo legem, non offendam Deum meum : « Quantum illi, inquit, patientiam in periculis corporalibus ostenderunt, tantam nos in passionibus irrationalibus continentiam demonstremus : id est contra iram, et avaritiam, vel inanis gloriæ concupiscentiam divino timore moniti sensibus repugnantes, et consilia diaboli destruentes in nobis. Si enim cupiditatum ignes vicerimus, sicut illi tyrannidis ignem vicerunt, poterimus juxta ipsos et matrem eorum, pari gloria constituti similes haberi. »

Denique singuli hi Machabæi martyres minantes et prædicentes imminens Antiocho Dei judicium et supplicium, veri fuere vates. Nam Antiochus post triennium gravibus pudendisque morbis afflictus interiit, ut audiemus cap. IX, 28

filius ejus Eupator vix biennium regnavit interfectus a Demetrio consobrino suo, qui quasi Seleuci filius regnum jure sibi debitum occupavit ; itaque omnis Antiochi familia exstincta fuit.

Porro Machabæi hi Sanctorum catalogo adscripti sunt in Romano martyrologio ad diem primum augusti, ubi sic legimus : « Antiochiæ passio Sanctorum septem fratrum Machabæorum cum matre sua, qui passi sunt sub Antiocho Epiphane rege ; horum reliquiæ Romam translatæ in Ecclesia S. Petri ad vincula conditæ fuerunt. » Quare mirum est nonnullos apud Serarium contendere eas Coloniam Agrippinam esse translatas, ubi et horum Machabæorum Ecclesia exstat, quam cum ibi degerem sæpius vidi et visitavi, nisi quis dicat partem earum esse Romæ, partem Coloniæ ; multorum enim Sanctorum facta est hæc reliquiarum distributio.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judas Machabæus cum sex millibus invocato Deo gentiles mire exagitat. Mox, vers. 16, *acri oratione suos ipsos exhortatur, ut animose cum Nicanore confligant, certamque a Deo victoriam sperent. Animati ergo confligunt, et Nicanorem prosternunt, qui fugiens Antiochiam Dei Israelis fortitudinem ubique celebrat. Pari robore, vers.* 30, *sternit Timotheum, et Bacchidem impiumque Callisthenem conterit.*

1. Judas vero Machabæus, et qui cum illo erant, introibant latenter in castella ; et convocantes cognatos et amicos, et eos, qui permanserunt in Judaismo, assumentes, eduxerunt ad se sex millia vivorum. 2. Et invocabant Dominum, ut respiceret in populum, qui ab omnibus calcabatur ; et misereretur templo, quod contaminabatur ab impiis ; 3. misereretur etiam exterminio civitatis, quæ esset illico complananda, et vocem sanguinis ad se clamantis audiret ; 4. memoraretur quoque iniquissimas mortes parvulorum innocentum, et blasphemias nomini suo illatas, et indignaretur super his. 5. At Machabæus, congregata multitudine, intolerabilis gentibus efficiebatur ; ira enim Domini in misericordiam conversa est. 6. Et superveniens castellis et civitatibus improvisus, succendebat eas ; et opportuna loca occupans, non paucas hostium strages dabat ; 7. maxime autem noctibus ad hujuscemodi excursus ferebatur, et fama virtutis ejus ubique diffundebatur. 8. Videns autem Philippus paulatim virum ad profectum venire ac frequentius res eis cedere prospere, ad Ptolemæum ducem Cœlesyriæ et Phœnicis scripsit, ut auxilium ferret regis negotiis. 9. At ille velociter misit Nicanorem Patrocli de primoribus amicum, datis ei de permistis gentibus, armatis non minus viginti millibus, ut universum Judæorum genus deleret, adjuncto ei et Gorgia viro militari, et in bellicis rebus experientissimo. 10. Constituit autem Nicanor ut regi tributum, quod Romanis erat dandum, duo millia talentorum, de captivitate Judæorum suppleret ; 11. statimque ad maritimas civitates misit, convocans ad coemptionem Judaicorum mancipiorum, promittens se nonaginta mancipia talento distracturum, non respiciens ad vindictam quæ eum ab Omnipotente esset consecutura. 12. Judas autem ubi comperit, indicavit his qui secum erant Jup

et venientes adversum nos, et universum mundum uno nutu delere, confidimus. 19. Admonuit autem eos et de auxiliis Dei, quæ facta sunt erga parentes; et quod sub Sennacherib centum octoginta quinque millia perierunt; 20. et de prælio quod eis adversus Galatas fuit in Babylonia, ut omnes, ubi ad rem ventum est, Macedonibus sociis hæsitantibus, ipsi sex millia soli peremerunt centum viginti millia, propter auxilium illis datum de cœlo, et beneficia pro his plurima consecuti sunt. 21. His verbis constantes effecti sunt, et pro legibus et patria mori parati. 22. Constituit itaque fratres suos duces utrique ordini, Simonem, et Josephum, et Jonathan, subjectis unicuique millenis et quingentenis. 23. Ad hoc etiam ab Esdra lecto illis sancto libro, et dato signo adjutorii Dei, in prima acie ipse dux commisit cum Nicanore. 24. Et facto sibi adjutore Omnipotente, interfecerunt super novem millia hominum; majorem autem partem exercitus Nicanoris vulneribus debilem factam fugere compulerunt. 25. Pecuniis vero eorum, qui ad emptionem ipsorum venerant, sublatis, ipsos usquequaque persecuti sunt, 26. sed reversi sunt hora conclusi; nam erat ante sabbatum: quam ob causam non perseveraverunt insequentes. 27. Arma autem ipsorum et spolia congreganteS, sabbatum agebant; benedicentes Dominum qui liberavit eos in isto die, misericordiæ initium stillans in eos. 28. Post sabbatum vero debilibus, et orphanis, et viduis diviserunt spolia; et residua ipsi cum suis habuere. 29. His itaque gestis, et communiter ab omnibus facta obsecratione, misericordem Dominum postulabant, ut in finem servis suis reconciliaretur. 30. Et ex his, qui cum Timotheo et Bacchide erant contra se contendentes, super viginti millia interfecerunt, et munitiones excelsas obtinuerunt; et plures prædas diviserunt, æquam portionem debilibus, pupillis et viduis, sed et senioribus, facientes. 31. Et cum arma eorum diligenter collegissent, omnia composuerunt in locis opportunis, residua vero spolia Jerosolymam detulerunt; 32. et Philarchen, qui cum Timotheo erat, interfecerunt, virum scelestum, qui in multis Judæos affixerat. 33. Et cum epinicia agerent Jerosolymis, eum, qui sacras januas incenderat, id est Callisthenem, cum in quoddam domicilium refugisset, incenderunt, digna ei mercede pro impietatibus suis reddita. 34. Facinorosissimus autem Nicanor, qui mille negotiantes ad Judæorum venditionem adduxerat, 35. humiliatus auxilio Domini ab his quos nullos existimaverat, deposita veste gloriæ per mediterranea fugiens, solus venit Antiochiam, summam infelicitatem de interitu sui exercitus consecutus. 36. Et qui promiserat Romanis se tributum restituere de captivitate Jerosolymorum, prædicabat nunc protectorem Deum habere Judæos, et ob ipsum invulnerabiles esse, eo quod sequerentur leges ab ipso constitutas.

PRIORES septem hujus cap. versus ordine temporis et rei gestæ subjungendi sunt versui 1, cap. III, lib. I, cæteri deinde ad finem capitis inferendi videntur inter vers. 37 et 38 ejusdem cap. III.

Hucusque audivimus fortitudinem passivam Judæorum martyrum, nunc usque ad finem libri audiemus fortitudinem activam Judæorum militum, puta Judæ Machabæi, et fratrum ejus. « Romanum est, inquiebat ille, fortia agere; at Machabæum, æque ac Christianum est tam dura pati quam fortia agere. »

1. JUDAS VERO MACHABÆUS, etc., EDUXERUNT AD EE SEX MILLIA VIRORUM. — Hisce paucis copiis maximos Antiochi Epiphanis prostravit exercitus, tum quia hi erant quasi desperati, qui pro aris et focis pugnabant, tum quia magna in Deum spe et vocatione prælia inibant: quare Deus eis aniviresque addebat, hostibus vero adimebat.

3. ET VOCEM SANGUINIS (Judæorum innocentium ab Antiocho occisorum, uti audivimus cap. VII et præced.) AD SE (muta voce instar Abel contra parricidam Cainum) CLAMANTIS AUDIRET.

5. AT MACHABÆUS CONGREGATA MULTITUDINE, INTOLERABILIS (Græce ἀνυπόστατος, impatibilis, intolerandus, quem nemo tolerare, cujus arma et vires nemo sufferre posset, sed omnes iis cederent et succumberent) GENTIBUS EFFICIEBATUR; IRA ENIM DOMINI (qua Judæorum peccatum hucusque per Antiochum castigarat) IN MISERICORDIAM CONVERSA EST — ut per Judam Judæos ante victos calcatosque ab Antiocho faceret ejus victores et calcatores. Hoc est quod anno præcedenti ultimus Machabæus exercitatus quasi vates prædixerat Antiocho, cap. VII, vers. 38: « In me, inquit, et in fratribus meis desinet Omnipotentis ira. » Hoc enim ut fieret, ipse cum fratribus sua tam heroica

martyrii tolerantia meruere, qua et Judæorum peccata apud Deum expiarunt, ejusque iram in misericordiam et gratiam converterunt; qua factum est ut Deus excitaret Judam Machabæum, eique animos et vires adderet quibus Antiochi copias ubique profligaret.

6. ET SUPERVENIENS CASTELLIS ET CIVITATIBUS IMPROVISUS, SUCCENDEBAT EAS. — Hoc enim stratagema est insignium belli ducum, ut ex improviso, ideoque noctu in hostes inermes et imparatos, imo somno vinoque sepultos irruant, itaque eos quasi pecora mactent, uti fecit hic Judas. Idem Romanis faciebat Annibal, ac vicissim Romani Annibali, teste Livio, Justino, Plutarcho et aliis.

8. VIDENS AUTEM PHILARCUS — qui ab Antiocho Jerosolymæ gubernator constitutus fuerat, cap. V, vers. 22. paulatim virum ad profectum venire, scilicet Judam in dies victoriis æque ac animis, viribus et copiis ad eum quasi victorem confluentibus augeri, et proficere, metuens sibi suisque, auxilium petiit a Ptolemæo Præfecto Cœlesyriæ.

9. AT ILLE (Ptolemæus) VELOCITER MISIT NICANORUM PATROCLI (filium), etc., DATIS EI DE PERMIXTIS GENTIBUS, ARMATIS NON MINUS VIGINTI MILLIBUS; — sed postea ad hos longe plures accessere, ut patet, lib. I, cap. III, vers. 38 et 42.

10. CONSTITUIT AUTEM NICANOR (tantis copiis elatus, et certa spe victoriæ Judæos omnes quasi devorans) ET REGI (Antiocho) TRIBUTUM QUOD ROMANIS ERAT DANDUM (eo quod Romani ejus patrem Antiochum Magnum bello vicissent, et ad tributum damnassent; summa autem hujus tributi Romanis dandi erant), DUO MILLIA TALENTORUM (ut hoc tributum) DE CAPTIVITATE JUDÆORUM SUPPLERET, — ut nimirum totam hanc summam magna ex parte conflaret ex venditione Judæorum a se captivandorum. Unde incolas Tyri, Sidonis, aliarumque vicinarum convocavit ad Judaica mancipia vilissimo pretio coemenda; nimirum.

11. PROMITTENS SE NONAGINTA MANCIPIA TALENTO (argenti) DISTRACTURUM, — hoc est 500 aureis venditurum, ita ut quodque mancipium non staret nisi quinque aureis cum dimidio; cum alioqui paulo ante Hyrcanus unum juvenem talento, id est 500 aureis, vendidisset, teste Josepho, lib. XII, cap. IV. Hæc indignitas et vilipendium pupugit Judæos, ut ad castra Judæ agminatim confluerent usque ad necem pro lege et libertate pugnaturi. Quare imprudenter id fecit Nicanor irritans Judæos, ut quasi desperati pugnarent, ideoque ab eis victus cæsusque est.

13. NON CREDENTES DEI JUSTITIÆ, — quod scilicet Deus patronus et vindex foret justæ et innocentis Judæorum causæ, et injustum Nicanorem per eos prosterneret.

14. ALII VERO SI QUID EIS SUPERERAT VENDERANT, — indeque arma et annonam comparabant, ut ad castra accedentes, pro patria et fide usque ad mortem animose contra Nicanorem depugnarent.

15. ET SI NON PROPTER EOS, PROPTER TESTAMENTUM TAMEN, QUOD ERAT AD PATRES EORUM, — v. cl. Dominum deprecabantur ut eos eriperet a Nicanore, non propter sua merita, sed Patrum, puta Abrahæ, Isaac, Jacob, etc., quibuscum Deus testamentum, id est pactum, inierat, promittens se eis eorumque posteris fore Deum, id est tutorem et protectorem, si ipsi eum vicissim ut Deum suum colerent.

16. CONVOCATIS AUTEM MACHABÆUS SEPTEM MILLIBUS, — Græce *sex millibus*; tot enim nominantur vers. 4 et 22, sed septimum millenarium ducebat ipse Judas, reliqua sex mille ejus fratres quasi duces. Ita Salianus.

ROGABAT NE HOSTIBUS RECONCILIARENTUR, — sed cum eis gereret ἀσπόνδους πόλεμον, id est irreconciliabile bellum, ideoque hostibus metuendum et formidabile, quale cum Romanis gessit Annibal, qui cum admodum esset puer, ab Hamilcare patre sacrificante ad aras jurejurando obstrictus fuit se, cum primum per ætatem liceret, Romanorum fore inimicum, teste Plutarcho in ejus vita. Sic Numantini in Hispania a Romanis per 14 annos obsessi noluerunt eis reconciliari, ideoque 40 millia Romanorum deleverunt; sed tandem a Scipione fame pressi omnia sua et seipsos fame in foro excitato concremarunt. Ita Florus, libro II. Asdrubal Carthaginis a Scipione obsessæ Præfectus Romanos captivos in manibus, oculis, vel linguis, vel digitis, vel plantis mutilavit, itaque vivos præcipitavit per rupes, ne Carthaginensibus ullam spem veniæ a Romanis impetrandæ relinqueret, sed in solis armis salutem reponerent, ait Appianus. Cum obstinatis enim durum et periculosum est bellum. Tale bellum fidelis quilibet per totam vitam gerere debet cum Lucifero, cum carne et mundo, cum superbia, ira, gula, luxuria, ut nullas pacis conditiones admittat, sed internecino prælio cum eis assidue confligat.

20. ET DE PRÆLIO, QUOD EIS ADVERSUS GALATAS FUIT IN BABYLONIA, UBI AD REM VENTUM EST, MACEDONIBUS SOCIIS HÆSITANTIBUS, IPSI SEX MILLIA SOLI PEREMERUNT 120 MILLIA. — Videtur hoc contigisse sub Antiocho primo, qui Seleuci primi post Alexandrum Asiæ et Syriæ regis filius et successor cognominatus est Soter. Hic enim, ut narrat Appianus in *Syriacis*, Galatas ex Europa Asiam invadentes repulit, idque ope Judæorum, quibus proinde tam ipse quam ejus filius Antiochus cognomento θεὸς summas dignitates et privilegia in gratiarum actionem contulerunt, uti narrant Josephus, libro XII, cap. III; Justinus, lib. XXIV et XXV; Plutarchus in *Demetrio*, et alii. Ita Serarius, Mariana et alii.

22. CONSTITUIT ITAQUE FRATRES SUOS DUCES UTRIQUE ORDINI SIMONEM ET JOSEPHUM. — Josephus hic alio nomine Joannes vocatus est libro I, cap. II, vers. 2. Ita Serarius.

23. AD HOC ETIAM AB ESDRA LECTO ILLIS SANCTO

LIBRO. — Esdras hic non fuit verus celebrisque ille scriba qui librum Esdræ conscripsit, sed longe eo posterior, nimirum sacerdos, vel legis doctor insignis, qui ut militibus ituris ad bellum animos, spemque victoriæ adderet, legit eis ex *Deut.* cap. XXVIII, vers. 7, ubi Deus Judæis se rite colentibus certum de hostibus promittit triumphum. Atque id ipsum fieri jusserat Deus ante pugnam, *Deut.* cap. XX, dicens : « Appropinquante prælio stabit sacerdos ante agmen et sic loquetur : Audi, Israel, noli timere, quia Dominus Deus vester in medio vestri est. » Porro Græca habent : *Adhuc etiam Eleazarum*, scilicet quartum fratrem suum, *constituit Judas belli ducem in partibus et pariter* 1500 *militibus* : sic enim sex mil in militum in quatuor fratres quasi duces distribuit, attributa cuique quarta parte, scilicet 1500 militibus. Deinde aliam sententiam subjungunt, quod scilicet Judas quasi Pontifex, et supremus belli dux, uti præcessit, legerit militibus librum Deuteronomii.

ET DATO SIGNO, — id est tessera militari adjutorii Dei, *q. d.* Judas suis dedit hanc belli tesseram, quo socii ab hostibus dignoscerentur : « Adjutor suis est Deus. » Hoc fuit omen et causa victoriarum omnium, quod scilicet Judas non in suis, sed in Dei viribus omnem victoriæ spem reponeret : sic Gentiles sæpe hanc belli tesseram dabant : « Nobiscum Deus, » ait Vegetius, lib. III, cap. III. Sic Cyri in bello tessera erat : « Jupiter belli socius et dux. » ait Xenophon, lib. III. Pompeii vero in acie Pharsalica hæc : « Hercules invictus; » Julii Cæsaris autem hæc : « Victrix Venus, » teste Appiano, lib. II *De bellis civilibus*. Ita Sanchez, Serarius, Salianus et alii.

IPSE DUX (Judas) COMMISIT (prælium) CUM NICANORE.

24. ET FACTO SIBI ADJUTORE OMNIPOTENTI, INTERFECERUNT SUPER NOVEM MILLIA HOMINUM, — reliquis in fugam actis vel captis.

26. SED REVERSI SUNT HORA CONCLUSI, — *q. d.* Hora vespertina, quæ præit sabbatum, ingruente, arctati et prohibiti sunt insequi hostes fugientes, sabbato enim ex lege eis indicta erat quies; Sabbatum autem incipiebat a pridiana hora vespertina.

28. DEBILIBUS, ET ORPHANIS, ET VIDUIS DIVISERUNT SPOLIA. — Vide hic Judæ et militum charitatem et liberalitatem, qua in gratiarum actionem de victoria a Deo obtenta spolia in egenos distribuunt, ideoque novas a Deo, qui in gratos est gratior, et in liberales liberalior, victorias obtinuerunt : nam vers. 30, e castris Timothei « super viginti millia interfecerunt, et munitiones excelsas obtinuerunt, et plures prædas diviserunt. » Hoc Judæorum exemplum narrent ducibus et militibus Christianis eorum confessarii et concionatores, ut illud imitantes simili modo a Deo benedici, et victoriis cumulari mereantur. Sane Turca cum insignem aliquam de hostibus victoriam obtinuit, solet in gratiarum actionem erigere hospitale quoddiam ad alendos pauperes, illudque dotare.

29. ET COMMUNITER AB OMNIBUS FACTA OBSECRATIONE (hanc quoque communem litaniam imitentur nostri milites), MISERICORDEM DOMINUM POSTULABANT, UT IN FINEM SERVIS SUIS RECONCILIARETUR, — ut scilicet hucusque peccatis Judæorum offensus, ideoque eos per Antiochum castigans tandem aliquando precibus communibus placatus flagellum hoc amoveret, eosque ab omni hostium incursu plene planeque liberaret.

30. ÆQUAM PORTIONEM DEBILIBUS, PUPILLIS ET VIDUIS, SED ET SENIORIBUS FACIENTES. — Græce ἰσομοιρίαν, id est *æquales portiones cum debilibus, pupillis et viduis, et sacerdotibus facientes*, *q. d.* Spolia diviserunt in duas æquales portiones. Quarum unam milites sibi servarunt, alteram in debiles præsertim, qui in prælio vulnerati, mutilati, debilitati fuerant, item in orphanos et viduas, quorum parentes et mariti in acie ceciderant, distribuerunt. Hoc enim pietas, ac parentum et maritorum merita exigebant. Adhæc sacerdotibus, utpote qui erant Deo consecrati, ac pro militibus pugnantibus Deum deprecati fuerant ut eis victoriam largiretur.

32. ET PHILARCHEN QUI CUM TIMOTHEO ERAT INTERFECERUNT. — Philarches non est nomen proprium, sed nomen officii et dignitatis; φυλάρχης enim est tribunus tribuum præfectus, estque nomen magistratus in exercitu : φυλὴ enim est tribus, familia, cohors; ἄρχω est præfectus, princeps. Ita Salianus.

33. ET CUM EPINICIA AGERENT HIEROSOLYMIS. — Epinicia vocat publica festa, plausus et ovationes ob adeptam victoriam. Tunc pariter in signum triumphi Callisthenem, qui valvas templi igne combusserat, simili igne concremarunt. Justa fuit hæc talionis pœna.

36. PRÆDICABAT (Nicanor victus et cæsus a Juda) PROTECTOREM DEUM HABERE JUDÆOS, ET OB IPSUM INVULNERABILES (Valablus *invictos*) ESSE EO QUOD SEQUERENTUR LEGES AB IPSO CONSTITUTAS. — Magnum est hoc ab hoste testimonium.

Disce hic, Christiane, te in quavis tentatione, persecutione, conflictu, securum invulnerabilem et invictum fore, si leges Dei custodias. Deus enim erit protector tuus, et te vel illa liberabit, vel per patientiam et magnanimitatem te eamdem fortiter sustinere et vincere efficiet, ut majorem tibi certanti et vincenti in cœlo coronam paret.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur fuse morbus et mors Antiochi Epiphanis, quæ breviter descripta fuit, lib. I, *cap.* VI. *Impius ergo a vermibus corrosus cum fetore intolerabili in montibus expiravit.*

1. Eodem tempore Antiochus inhoneste revertebatur de Perside. 2. Intraverat enim in eam, quæ dicitur Persepolis, et tentavit expoliare templum et civitatem opprimere; sed multitudine ad arma concurrente, in fugam versi sunt : et ita contigit ut Antiochus post fugam turpiter rediret. 3. Et cum venisset circa Ecbatanam, recognovit quæ erga Nicanorem et Timotheum gesta sunt. 4. Elatus autem in ira, arbitrabatur se injuriam illorum qui se fugaverant, posse in Judæos retorquere; ideoque jussit agitari currum suum, sine intermissione agens iter, cœlesti eum judicio perurgente, eo quod ita superbe locutus est se venturum Jerosolymam, et congeriem sepulcri Judæorum eam facturum. 5. Sed qui universa conspicit Dominus Deus Israel, percussit eum insanabili et invisibili plaga. Ut enim finivit hunc ipsum sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, et amara internorum tormenta; 6. et quidem satis juste, quippe qui multis et novis cruciatibus aliorum torserat viscera, licet ille nullo modo a sua malitia cessaret. 7. Super hoc autem superbia repletus, ignem spirans animo in Judæos, et præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, et gravi corporis collisione membra vexari. 8. Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, et montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans; 9. ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac vivente in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius et fetore exercitus gravaretur. 10. Et qui paulo ante sidera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fetoris portare. 11. Hinc igitur cœpit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus. 12. Et cum nec ipse jam fetorem suum ferre posset, ita ait : Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire. 13. Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus. 14. Et civitatem, ad quam festinans veniebat ut eam ad solum deduceret, ac sepulcrum congestorum faceret, nunc optat liberam reddere; 15. et Judæos, quos nec sepultura quidem se dignos habiturum, sed avibus ac feris diripiendos traditurum, et cum parvulis exterminaturum dixerat, æquales nunc Atheniensibus facturum pollicetur; 16. templum etiam sanctum, quod prius exspoliaverat, optimis donis ornaturum, et sancta vasa multiplicaturum, et pertinentes ad sacrificia sumptus de redditibus suis præstaturum; 17. super hæc, et Judæum se futurum, et omnem locum terræ perambulaturum, et prædicaturum Dei potestatem. 18. Sed non cessantibus doloribus (supervenerat enim in eum justum Dei judicium) desperans scripsit ad Judæos in modum deprecationis epistolam hæc continentem : 19 Optimis civibus Judæis plurimam salutem, et bene valere, et esse felices, rex et princeps Antiochus. 20. Si bene valetis, et filii vestri, et ex sententia vobis cuncta sunt, maximas agimus gratias. 21. Et ego in infirmitate constitutus, vestri autem memor benigne, reversus de Persidis locis, et infirmitate gravi apprehensus, necessarium duxi pro communi utilitate curam habere; 22. non desperans memetipsum, sed spem multam habens effugiendi infirmitatem. 23. Respiciens autem quod et pater meus, quibus temporibus in locis supe-

rioribus ducebat exercitum, ostendit qui post se susciperet principatum : 24. ut si quid contrarium accideret, aut difficile nuntiaretur, scientes hi qui in regionibus erant, cui esset rerum summa derelicta, non turbarentur. 25. Ad hæc considerans de proximo potentes quosque et vicinos temporibus insidiantes, et eventum exspectantes, designavi filium meum Antiochum regem, quem sæpe recurrens in superiora regna multis vestrum commendabam; et scripsi ad eum quæ subjecta sunt. 26. Oro itaque vos et peto, memores beneficiorum publice et privatim, ut unusquisque conservet fidem ad me et ad filium meum. 27. Confido enim eum modeste et humane acturum, et sequentem propositum meum, et communem vobis fore. 28. Igitur homicida et blasphemus pessime percussus, et ut ipse alios tractaverat, peregre in montibus miserabili obitu vita functus est. 29. Transferebat autem corpus Philippus collactaneus ejus, qui metuens filium Antiochi, ad Ptolemæum Philometorem in Ægyptum abiit.

MORS hæc Antiochi breviter narrata fuit lib. I, cap. VI, sed hic fusius recensetur ad Judæorum ab eo afflictorum consolationem, et ad perpetuum vindictæ divinæ in impios et sacrilegos exemplum.

2. INTRAVERAT ENIM IN EAM (provinciam sive regionem et ditionem Persidis) QUÆ (a primaria ejus urbe sive metropoli) DICITUR PERSEPOLIS (Græce; nam Hebraice dicitur Elam sive Elymais, ut patet cap. VI, lib. I, vers. 1, quam Pererius, lib. IX in *Daniel.* ad illa : « Et sine manu conteretur, » arbitratur fuisse Susan.) *q. d.*—Antiochus ingressus est ditionem Persepolis cum exercitu, ipsamque primariam ejus urbem, quæ pariter Persepolis sive Elymais dicebatur, oppugnare aggressus est; sed a civibus ad mœnia concurrentibus repulsus fuit, suo magna suorum clade affectus : « Cives enim recedentem persecuti sunt, ita ut plurimis desideratis fugientis more Babylonem se recipere[t], » ait Josephus, lib. XII, cap. XIII.

ET TENTAVIT EXSPOLIARE TEMPLUM — Illamæ, quod est illis regionibus augustissimum, ait Plinius, lib. VI, cap. XXVI. XXVII. Ita Josephus, Polybius, et S. Hieronymus in cap. XI *Daniel.* 36, ex Diodoro : licet Appianus in *Syriacis*, dicat fuisse templum Veneris.

3. ET CUM VENISSET CIRCA ECBATANAM (celeberrimam Persidis civitatem) RECOGNOVIT (ex nuntiis et litteris ad se missis) QUÆ ERGA NICANOREM ET TIMOTHEUM (duces suos) GESTA SUNT — a Juda Machabæo, quod scilicet ipse eos prostraverit, cæciderit et fugarit.

4. SE VENTURUM JEROSOLYMAM ET CONGERIEM SEPULCRI JUDÆORUM EAM FACTURUM. — Græce quod eam faceret μνημάδεον, id est cœmeterium in quod multorum virorum cadavera congeri solent, *q. d.* Antiochus jactavit se suorum cladem a Judæis acceptam ultorum, ac Jerusalem ita funditus eversurum, ut tota urbs futura sit funerum et cadaverum Judaicorum sepulcrum.

5. 6. DEUS ISRAEL PERCUSSIT EUM INSANABILI ET INVISIBILI PLAGA, (scilicet acerbissimis viscerum doloribus, eo quod) NOVIS CRUCIATIBUS ALIORUM (Machabæorum) TORSERAT VISCERA, — ut sequitur, ac gravissima melancholia et cholera. Addit S. Hieronymus loco citato ex Diodoro, eum « quibusdam phantasiis et terroribus versum in amentiam. » Exterius autem percussit eum morbo pediculari, profluvio carnium, fetore intolerabili, ut dicitur vers. 9.

7. PRÆCIPIENS ACCELERARI NEGOTIUM (in agitando curru ut cito perveniret Jerosolymam), CONTIGIT ILLUM IMPETU FUNTEM DE CURRU CADERE, ET GRAVI CORPORIS COLLISIONE MEMBRA VEXARI. — Rom fusius probabiliter narrat Gorionides, lib. III, cap. XXII : « Contigit autem, inquit, cum jam veheretur, et comitaretur exercitum suum, ut currus ejus transiret contra elephantem quemdam, et elephas vociferari inciperet, atque ex barritu ejus equi terrerentur, calcitrarent et subverterent currum, caderetque Antiochus de curru, et confringerentur omnia ossa ejus siquidem erat homo gravis et crassus.

9. ITA UT DE CORPORE IMPII VERMES (pediculi) SCATURIRENT. — Hic morbus a medicis vocatur phtiriasis, id est morbus pedicularis, quo vermes hi e corpore ebulliunt, illudque fœdo horrore et intoleranda prurigine erodunt et consumunt. Oritur subinde naturaliter ex delicata dulcique corporis complexione, vel nutritione, aut ex sordibus et putredine, uti fit in pauperibus; sed sæpe supernaturaliter Deus eum infligit superbis, blasphemis, sacrilegis, ac persecutoribus et tortoribus fidelium et sanctorum, uti eum inflixit Herodi Ascalonitæ, qui fuit Christi persecutor et infanticida, teste Josepho, lib. XVII, cap. VIII, et ejus nepoti Herodi Agrippæ, eo quod populo sibi acclamanti « vox Dei et non hominis, » applausisset, ac Jacobum Apostolum occidisset, occisurus et Petrum ni Angelus eum liberasset, *Actorum* XII, 23, et Maximiano Imperatori acri Christianorum tortori, teste Eusebio, lib. VIII, cap. XVIII, et Juliano apostatæ, teste Sozomeno, lib. V, cap. VIII, et Humerico Wandalorum regi Ariano, cujus truculentam in Orthodoxos sævitiam, indeque Dei vindictam et phtiriasim ipse onarrat Victor Uticensis libris tribus, quos de Wandalica persecutione conscripsit; item Joanni Calvino,

utpote hæresiarchæ in Deum, Christum et Sanctos blasphemo, uti scribit Bolsecus, nec diffitetur Beza in ejus Vita, qui et plura majoraque addit : « Tam variis, inquit, cum et multiplicibus morbis cruciatum fuisse, ut plane sit incredibile; hemicrania scilicet, hæmorroidibus ulcerosis, sanguine excrementitio, quartana, podagra, calculo et colica. » Ita

« Sequitur superbos ultor a tergo Deus, » ut canit Tragœdus, et sæpe occinit S. Scriptura.

12. ET CUM NEC IPSE JAM FŒTOREM SUUM FERRE POSSET, ITA AIT : JUSTUM EST SUBDITUM ESSE DEO, ET MORTALEM NON PARIA DEO SENTIRE. — Morbis hisce exercitatus superbus Antiochus in se rediit, et seipsum agnovit, quod scilicet stulte se Deum æstimasset, ac Deo vero æquare voluisset, utpote homo Deo, mortalis immortali, infirmus omnipotenti, temporarius æterno; ideoque Deus percussit eum phtiriasi, ut disceret diceretque cum Job, cap. XVII : « Putredini dixi : Pater meus es, mater mea, et soror mea vermibus. » Et cum David : « Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis, » *Psal.* XXI. Et illud alterius sancti : « Vermis vermem quærit. » Sic ostendit Deus se exaudisse orationem septimi Machabæi martyris, cujus hæc ante triennium in cruciatibus ultima fuit vox, cap. VII, vers. 37 : « Invocans Deum maturius genti nostræ propitium fieri, teque cum tormentis et verberibus confiteri, quod ipse est Deus solus. » Martyrium enim Machabæorum contigit anno Græcorum 145, Antiochi nono; mors vero ejusdem contigit anno Græcorum 149, ut dictum est lib. I, cap. VI, vers, 16, qui fuit Antiochi decimus tertius et ultimus.

13. ORABAT AUTEM HIC SCELESTUS DOMINUM A QUO NON ESSET MISERICORDIAM CONSECUTURUS; — quia hæc ejus confessio, pœnitentia et oratio fuit tormentis coacta et exterta, nec ex amore, sed ex servili timore procedebat. Tantum enim orabat Deum ad hoc, ut cruciatibus ab eo immissis liberaretur, non autem eo fine ut vitam mutaret, Deoque vere et sincere serviret. Similis fuit pœnitentia Pharaonis sentientis plagas a Mose inflictas, *Exodi* X, 16, et Saulis, I *Reg.* XV, 24 et 30, et Achab Regis Israel, III *Reg.* XXI, 29, et Nabuchodonosor, *Daniel.* IV, 31, licet de ultimo hoc dubitare liceat. Rursum esto Antiochum sincere pœnituisset, sed actum vere confitionis ex amore Dei elicuisset, itaque animam suam salvasset; tamen misericordiam quam petebat, puta liberationem a cruciatibus, non fuisset consecutus. Jam enim fixum decretumque erat Deo ipsum ob immania scelera hisce cruciatibus usque ad mortem punire. Simili modo Esaü licet pœnitens, patris benedictionem et jus primogenituræ deperditum recuperare non potuit; nam ut dicitur *Hebr.* XII, 17 : « Postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est; non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam. »

15. ÆQUALES NUNC ATHENIENSIBUS FACTURUM POLLICETUR,—nimirum ἰσοπολίτας, ait Josephus, id est suis legibus propriisque institutis libere viventes, ut faciebant Athenienses, licet jam Antiocho et Antiochenis subjecti. Hoc enim summe optare Judæos sciebat Antiochus.

17. SUPER HÆC ET JUDÆUM SE FUTURUM, ET OMNEM LOCUM TERRÆ PERAMBULATURUM, ET PRÆDICATURUM DEI POTESTATEM. — Dixit hæc Antiochus ficte et simulate, quia coactus Dei flagellis : quare, si ea subduxisset Deus, ipse ad ingenium rediisset juxta illud vulgi :

> Dæmon languebat, monachus tunc esse volebat.
> Ast ubi convaluit, mansit ut ante fuit.

Illudere ergo voluit impius Deo, sed ab eo illusus fuit. Non enim intendebat illa præstare quæ hic dicit et promittit.

18. SED NON CESSANTIBUS DOLORIBUS (SUPERVENERAT ENIM IN EUM JUSTUM DEI JUDICIUM,) *q. d.* Deus justo suo judicio plane decreverat eum ob sacrilegia cruciare usque ad mortem), DESPERANS (de dolorum levamine, et sanitate recuperanda æque ac de Dei gratia et salute æterna) SCRIPSIT AD JUDÆOS, ut iis viventibus filium suum unicum Antiochum Eupatorem sibi successorem relinqueret, eique regnum assecuraret. Sciebat enim se illud eripuisse Demetrio Seleuci senioris fratris sui filio, ac proinde Demetrium, qui loco sui obses Romæ detinebatur, audita sua morte illico in Asiam advolaturum, ut regnum jure sibi debitum occuparet, ac Eupatorem puerum, ad quem non pertinebat, ab eo excluderet, uti et factum est; nam Demetrius Eupatorem cum Lysia occidit, et regnum sibi vindicavit. Quocirca Antiochus hisce litteris id impedire volens nihil effecit, sed tam ipse quam filius justo Dei judicio regnum cum vita perdiderunt.

Vide hic magnificentiam, magnificamque potentiam Dei nostri, qua tumidum et indomabilem Antiochum, qui videbatur sibi, terræ, mari et cœlo imperare, uno viscerum dolore ita sternit, ut non tantum sibi, sed et Judæis, quos plane despexerat, supplex fiat. Sic Pharaonem supplicem fecit Mosi, Saulem Samueli, Nabuchodonosorem Danieli.

20. MAXIMAS AGIMUS GRATIAS. — Græca habent : *Deo ago maximas gratias in cœlo spem habens, et ego languide jacens vestri honoris benevole recordatus sum.*

23. RESPICIENS AUTEM QUOD ET PATER MEUS, etc.— *q. d.* Sicut pater meus Antiochus Magnus rex prudentissimus, et in vos summe benevolus, teste Josepho, lib. XII, cap. III, peregre proficiscens, declaravit hæredem suum, ut si quid humanitus ei contigisset, ille ipsi succederet; sic ego patris exemplum secutus vobis declaro hæredem regni mei meum filium Antiochum Eupatorem, petoque ut in eo fovendo tuendoque vestrum auxilium conferatis.

23. CONSIDERANS POTENTES QUOSQUE, ET VICINOS TEMPORIBUS INSIDIANTES, — ut si videant regem mortuum putent tempus esse opportunum ad regnum occupandum. Notat suum ex fratre Seleuco nepotem Demetrium, cui jure regnum debebatur, ut dixi vers. 18.

26. MEMORES BENEFICIORUM. — Hic patet fictio et adulatio Antiochi. Splendide enim mentitur jactans sua in Judæos beneficia, cum in eos omne maleficii genus exercuerit.

27. SEQUENTEM PROPOSITUM MEUM, — ut in vos sit benevolus, sicut ego deinceps esse propono. Finxit se amasse benevolentiam, cum fuerit malevolus in Judæos, et hanc patris malevolentiam in Judæos secutus fuit filius Eupator.

Et COMMUNEM (id est comem, familiarem, affabilem, benignum, benevolum) VOBIS FORE.

28. PEREGRE IN MONTIBUS — circa Ecbatanam, ut dictum est vers. 3, in oppido Tabes, ait S. Hieronymus in cap. XI *Danielis*. Ibi ergo in montibus Persidis et Mediæ mortuus est Antiochus. Licet enim ipse pergeret Babylonem, ut dictum est lib. I, cap. VI, vers. 4, tamen cruciatu crescente, eo pervenire non potuit; sed in montibus cbiit. Hic fuit funestissimus exitus Antiochi Epiphanis impii, blasphemi, sacrilegi, athei, et deorum omnium contemptoris, qui proinde expressus fuit Antichristi typus et prodromus.

Porro cavendus est hic error Josephi. Ipse enim, lib. XIV, cap. XVII, citans Polybium dicentem Antiochum ob hoc periisse, quod conatus sit Dianæ templum expilare, eum redarguit : « Voluisse enim tantum, inquit, se non etiam perfecisse sacrilegium, non videtur res digna supplicio. » Erras, o Josephe; nam omnis virtus æque ac vitium, indeque meritum et demeritum in voluntate consistit : actus enim externus in se non est liber, ideoque omnem suam libertatem, ac bonitatem, vel malitiam trahit, et sugit ab interno voluntatis actu bono vel malo. Bonus autem actus quilibet dignus est laude et præmio, malus vero vituperio et supplicio. Verum, si Antiochus periit quod voluerit expilare templum Dianæ, multo magis periit eo quod reipsa exspoliarit templum Dei veri Jerosolymæ, ibique tot et tantas strages ediderit, quot et quantas hucusque audivimus.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judas Machabæus templum ab Antiocho pollutum expurgat. Inde, vers. 9, Antiocho Epiphani vita functo succedit filius Antiochus Eupator, sub quo Ptolemæus Macer justi tenax et Judæorum amicus veneno occiditur. Adhæc, vers. 14, Gorgias a Judæis profligatur æque ac Idumæi et proditores. Denique, vers. 24, Machabæus Angelorum ductu prosternit, occiditque Timotheum, Chæreum, et Apollonium, Deoque Epinicium concinit.

1. Machabæus autem, et qui cum eo erant, Domino se protegente, templum quidem et civitatem recepit; 2. aras autem, quas alienigenæ per plateas exstruxerant, itemque delubra demolitus est, 3. et purgato templo, aliud altare fecerunt; et de ignitis lapidibus igne concepto sacrificia obtulerunt post biennium, et incensum, et lucernas, et panes propositionis posuerunt. 4. Quibus gestis, rogabant Dominum prostrati in terram, ne amplius talibus malis inciderent; sed et, si quando peccassent, ut ab ipso mitius corriperentur, et non barbaris ac blasphemis hominibus traderentur. 5. Qua die autem templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationem fieri, vigesima quinta mensis, qui fuit casleu. 6. Et cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quod ante modicum temporis, diem solemnem tabernaculorum in montibus et in speluncis more bestiarum egerant. 7. Propter quod thyrsos, et ramos virides, et palmas præferebant ei, qui prosperavit mundari locum suum. 8. Et decreverunt communi præcepto et decreto, universæ genti Judæorum, omnibus annis agere dies istos. 9. Et Antiochi quidem, qui appellatus est Nobilis, vitæ excessus ita se habuit. 10. Nunc autem de Eupatore Antiochi impii filio quæ gesta sunt narrabimus, breviantes mala quæ in bellis gesta sunt. 11. Hic enim suscepto regno, constituit super negotia regni Lysiam quemdam, Phœnicis et Syriæ militiæ principem. 12. Nam Ptolemæus, qui dicebatur Macer, justi tenax erga Judæos esse constituit, et præcipue propter iniquitatem quæ facta erat in eos, et pacifice agere cum eis. 13. Sed ob hoc accusatus ab

amicis apud Eupatorem, cum frequenter proditor audiret, eo quod Cyprum creditam sibi a Philometore deseruisset, et ad Antiochum Nobilem translatus etiam ab eo recessisset, veneno vitam finivit. 14. Gorgias autem, cum esset dux locorum, assumptis advenis frequenter Judæos debellabat. 15. Judæi vero, qui tenebant opportunas munitiones, fugatos ab Jerosolymis suscipiebant, et bellare tentabant. 16. Hi vero qui erant cum Machabæo, per orationes Dominum rogantes ut esset sibi adjutor, impetum fecerunt in munitiones Idumæorum, 17. multaque vi insistentes, loca obtinuerunt, occurrentes interemerunt, et omnes simul non minus viginti millibus trucidaverunt. 18. Quidam autem, cum confugissent in duas turres valde munitas, omnem apparatum ad repugnandum habentes, 19. Machabæus ad eorum expugnationem, relicto Simone, et Josepho, itemque Zachæo, eisque qui cum ipsis erant satis multis, ipse ad eas, quæ amplius perurgebant, pugnas conversus est. 20. Illi vero qui cum Simone erant, cupiditate ducti, a quibusdam qui in turribus erant, suasi sunt pecunia; et septuginta millibus didrachmis acceptis, dimiserunt quosdam effugere. 21. Cum autem Machabæo nuntiatum esset quod factum est, principibus populi congregatis, accusavit quod pecunia fratres vendidissent, adversariis eorum dimissis. 22. Hos igitur proditores factos interfecit, et confestim duas turres occupavit. 23. Armis autem ac manibus omnia prospere agendo, in duabus munitionibus plus quam viginti millia peremit. 24. At Timotheus, qui prius a Judæis fuerat superatus, convocato exercitu peregrinæ multitudinis, et congregato equitatu Asiano, advenit quasi armis Judæam capturus. 25. Machabæus autem, et qui cum ipso erant, appropinquante illo, deprecabantur Dominum, caput terra aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti, 26. ad altaris crepidinem provoluti, ut sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus, et adversariis adversaretur, sicut lex dicit : 27. Et ita post orationem, sumptis armis, longius de civitate procedentes, et proximi hostibus effecti, resederunt. 28. Primo autem solis ortu utrique commiserunt; isti quidem victoriæ et prosperitatis sponsorem cum virtute Dominum habentes; illi autem ducem belli animum habebant. 29. Sed, cum vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cælo viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Judæis præstantes; 30. ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant; in adversarios autem tela et fulmina jaciebant, ex quo et cæcitate confusi et repleti perturbatione cædebant. 31. Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, et equites sexcenti. 32. Timotheus vero confugit in Gazaram præsidium munitum, cui præerat Chæreas. 33. Machabæus autem, et qui cum eo erant, lætantes obsederunt præsidium diebus quatuor. 34. At hi qui intus erant, loci firmitate confisi, supra modum maledicebant, et sermones nefandos jactabant. 35. Sed cum dies quinta illuxisset, viginti juvenes ex his qui cum Machabæo erant, accensi animis propter blasphemiam, viriliter accesserunt ad murum, et feroci animo incedentes ascendebant; 36. sed et alii similiter ascendentes, torres portasque succendere aggressi sunt, atque ipsos maledicos vivos concremare. 37. Per continuum autem biduum præsidio vastato Timotheum occultantem se, in quodam repertum loco peremerunt; et fratrem illius Chæream et Apollophanem occiderunt. 38. Quibus gestis, in hymnis et confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israel, et victoriam dedit illis.

Prior pars purgati templi, a versu 1 ad 9 ordine temporis collocanda est, lib. I, cap. IV, post vers. 35. Cetera hujus capitis, imo et capitis XI ac XII, inserenda sunt lib. I, cap. XVI, ante vers. 18. Purgatio enim templi facta a Juda, licet hic post mortem Antiochi Epiphanis narretur, tamen ante esm contigit, nimirum anno Græcorum 148, ut patet lib. I, cap. IV, vers. 52. Antiochus vero mortuus est anno 149 Græcorum, ut dictum est lib. I, cap. XVI, vers. 16.

3. ET DE IGNITIS LAPIDIBUS IGNE CONCEPTO SACRIFICIA OBTULERUNT. — Per ignitos lapides Salianus et Mariana intelligunt silices et similes, ex quibus inter se collisis facile ignis excutitur in subjectum fomitem, exceptusque accenditur, uti naturaliter quotidie fiebat. Verum Græce est τοῦ

23. CONSIDERANS POTENTES QUOSQUE, ET VICINOS TEMPORIBUS INSIDIANTES, — ut si videant regem mortuum putent tempus esse opportunum ad regnum occupandum. Notat suum ex fratre Seleuco nepotem Demetrium, cui jure regnum debebatur, ut dixi vers. 18.

26. MEMORES BENEFICIORUM. — Hic patet fictio et adulatio Antiochi. Splendide enim mentitur jactans sua in Judæos beneficia, cum in eos omne maleficii genus exercuerit.

27. SEQUENTEM PROPOSITUM MEUM, — ut in vos sit benevolus, sicut ego deinceps esse propono. Finxit se amasse benevolentiam, cum fuerit malevolus in Judæos, et hanc patris malevolentiam in Judæos secutus fuit filius Eupator.

Et COMMUNEM (id est comem, familiarem, affabilem, benignum, benevolum) VOBIS FORE.

28. PEREGRE IN MONTIBUS — circa Ecbatanam, ut dictum est vers. 3, in oppido Tabes, ait S. Hieronymus in cap. XI *Danielis*. Ibi ergo in montibus Persidis et Mediæ mortuus est Antiochus. Licet enim ipse pergeret Babylonem, ut dictum est lib. I, cap. VI, vers. 4, tamen cruciatu crescente, eo pervenire non potuit; sed in montibus cbiit. Hic fuit funestissimus exitus Antiochi Epiphanis impii, blasphemi, sacrilegi, athei, et deorum omnium contemptoris, qui proinde expressus fuit Antichristi typus et prodromus.

Porro cavendus est hic error Josephi. Ipse enim, lib. XIV, cap. XVII, citans Polybium dicentem Antiochum ob hoc periisse, quod conatus sit Dianæ templum expilare, eum redarguit : « Voluisse enim tantum, inquit, se non etiam perfecisse sacrilegium, non videtur res digna supplicio. » Erras, o Josephe; nam omnis virtus æque ac vitium, indeque meritum et demeritum in voluntate consistit : actus enim externus in se non est liber, ideoque omnem suam libertatem, ac bonitatem, vel malitiam trahit, et sugit ab interno voluntatis actu bono vel malo. Bonus autem actus quilibet dignus est laude et præmio, malus vero vituperio et supplicio. Verum, si Antiochus periit quod voluerit expilare templum Dianæ, multo magis periit eo quod reipsa exspoliarit templum Dei veri Jerosolymæ, ibique tot et tantas strages ediderit, quot et quantas hucusque audivimus.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judas Machabæus templum ab Antiocho pollutum expurgat. Inde, vers. 9, Antiocho Epiphani vita functo succedit filius Antiochus Eupator, sub quo Ptolemæus Macer justi tenax et Judæorum amicus veneno occiditur. Adhæc, vers. 14, Gorgias a Judæis profligatur æque ac Idumæi et proditores. Denique, vers. 24, Machabæus Angelorum ductu prosternit, occiditque Timotheum, Chæreum, et Apollonium, Deoque Epinicium concinit.

1. Machabæus autem, et qui cum eo erant, Domino se protegente, templum quidem et civitatem recepit; 2. aras autem, quas alienigenæ per plateas exstruxerant, itemque delubra demolitus est, 3. et purgato templo, aliud altare fecerunt; et de ignitis lapidibus igne concepto sacrificia obtulerunt post biennium, et incensum, et lucernas, et panes propositionis posuerunt. 4. Quibus gestis, rogabant Dominum prostrati in terram, ne amplius talibus malis inciderent; sed et, si quando peccassent, ut ab ipso mitius corriperentur, et non barbaris ac blasphemis hominibus traderentur. 5. Qua die autem templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationem fieri, vigesima quinta mensis, qui fuit casleu. 6. Et cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quod ante modicum temporis, diem solemnem tabernaculorum in montibus et in speluncis more bestiarum egerant. 7. Propter quod thyrsos, et ramos virides, et palmas præferebant ei, qui prosperavit mundari locum suum. 8. Et decreverunt communi præcepto et decreto, universæ genti Judæorum, omnibus annis agere dies istos. 9. Et Antiochi quidem, qui appellatus est Nobilis, vitæ excessus ita se habuit. 10. Nunc autem de Eupatore Antiochi impii filio quæ gesta sunt narrabimus, breviantes mala quæ in bellis gesta sunt. 11. Hic enim suscepto regno, constituit super negotia regni Lysiam quemdam, Phœnicis et Syriæ militiæ principem. 12. Nam Ptolemæus, qui dicebatur Macer, justi tenax erga Judæos esse constituit, et præcipue propter iniquitatem quæ facta erat in eos, et pacifice agere cum eis. 13. Sed ob hoc accusatus ab

amicis apud Eupatorem, cum frequenter proditor audiret, eo quod Cyprum creditam sibi a Philometore deseruisset, et ad Antiochum Nobilem translatus etiam ab eo recessisset, veneno vitam finivit. 14. Gorgias autem, cum esset dux locorum, assumptis advenis frequenter Judæos debellabat. 15. Judæi vero, qui tenebant opportunas munitiones, fugatos ab Jerosolymis suscipiebant, et bellare tentabant. 16. Hi vero qui erant cum Machabæo, per orationes Dominum rogantes ut esset sibi adjutor, impetum fecerunt in munitiones Idumæorum, 17. multaque vi insistentes, loca obtinuerunt, occurrentes interemerunt, et omnes simul non minus viginti millibus trucidaverunt. 18. Quidam autem, cum confugissent in duas turres valde munitas, omnem apparatum ad repugnandum habentes, 19. Machabæus ad eorum expugnationem, relicto Simone, et Josepho, itemque Zachæo, eisque qui cum ipsis erant satis multis, ipse ad eas, quæ amplius perurgebant, pugnas conversus est. 20. Illi vero qui cum Simone erant, cupiditate ducti, a quibusdam qui in turribus erant, suasi sunt pecunia; et septuginta millibus didrachmis acceptis, dimiserunt quosdam effugere. 21. Cum autem Machabæo nuntiatum esset quod factum est, principibus populi congregatis, accusavit quod pecunia fratres vendidissent, adversariis eorum dimissis. 22. Hos igitur proditores factos interfecit, et confestim duas turres occupavit. 23. Armis autem ac manibus omnia prospere agendo, in duabus munitionibus plus quam viginti millia peremit. 24. At Timotheus, qui prius a Judæis fuerat superatus, convocato exercitu peregrinæ multitudinis, et congregato equitatu Asiano, advenit quasi armis Judæam capturus. 25. Machabæus autem, et qui cum ipso erant, appropinquante illo, deprecabantur Dominum, caput terra aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti, 26. ad altaris crepidinem provoluti, ut sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus, et adversariis adversaretur, sicut lex dicit : 27. Et ita post orationem, sumptis armis, longius de civitate procedentes, et proximi hostibus effecti, resederunt. 28. Primo autem solis ortu utrique commiserunt; isti quidem victoriæ et prosperitatis sponsorem cum virtute Dominum habentes; illi autem ducem belli animum habebant. 29. Sed, cum vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cælo viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Judæis præstantes; 30. ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant; in adversarios autem tela et fulmina jaciebant, ex quo et cæcitate confusi et repleti perturbatione cædebant. 31. Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, et equites sexcenti. 32. Timotheus vero confugit in Gazaram præsidium munitum, cui præerat Chæreas. 33. Machabæus autem, et qui cum eo erant, lætantes obsederunt præsidium diebus quatuor. 34. At hi qui intus erant, loci firmitate confisi, supra modum maledicebant, et sermones nefandos jactabant. 35. Sed cum dies quinta illuxisset, viginti juvenes ex his qui cum Machabæo erant, accensi animis propter blasphemiam, viriliter accesserunt ad murum, et feroci animo incedentes ascendebant; 36. sed et alii similiter ascendentes, torres portasque succendere aggressi sunt, atque ipsos maledicos vivos concremare. 37. Per continuum autem biduum præsidio vastato Timotheum occultantem se, in quodam repertum loco peremerunt; et fratrem illius Chæream et Apollophanem occiderunt. 38. Quibus gestis, in hymnis et confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israel, et victoriam dedit illis.

Prior pars purgati templi, a versu 1 ad 9 ordine temporis collocanda est, lib. I, cap. IV, post vers. 35. Cetera hujus capitis, imo et capitis XI ac XII, inserenda sunt lib. I, cap. XVI, ante vers. 18. Purgatio enim templi facta a Juda, licet hic post mortem Antiochi Epiphanis narretur, tamen ante esm contigit, nimirum anno Græcorum 148, ut patet lib. I, cap. IV, vers. 52. Antiochus vero mortuus est anno 149 Græcorum, ut dictum est lib. I, cap. XVI, vers. 16.

3. ET DE IGNITIS LAPIDIBUS IGNE CONCEPTO SACRIFICIA OBTULERUNT. — Per ignitos lapides Salianus et Mariana intelligunt silices et similes, ex quibus inter se collisis facile ignis excutitur in subjectum fomitem, exceptusque accenditur, uti naturaliter quotidie fiebat. Verum Græce est τοῦ

ναντες λίθους, id est *ignientes lapides, et ex iis ignem excipientes*. Silices autem collisi non igniuntur, sed scintillas ignis duntaxat emittunt. Quare verius videtur precibus Judæ et sacerdotum ignem e cœlo evocatum in riviss lapides; indeque sacerdotes ignem acc pisse, quo sacrificia crementur. Sic enim a de Judam fecerat Nehemias et sic statuerat Deus *Levit.* VI, 12, ut ignis non communi, sed cœlesti et divino hostiæ cremarentur, atque hac de causa Judas festum dati, vel potius redditi a Deo ignis instituit ut audivimus, cap. I. vers. 19 et sequent. Ita Serarius, Sanchez et alii. Sic et Gorionides, lib. III, cap. XIII : « Cum, inquit, composuissent ligna non invenerunt ignem sanctum, sed clamaverunt ad Dominum, et exsilit ignis e lapide, qui erat alluri suppositus, adjicientes et ligna. Duravit ille ignis ad captivitatem tertiam, » quæ facta est a Tito et Vespasiano, **cum templum fuit combustum.**

POST BIENNIUM. — Inchoandum non a profanatione templi, ut volunt nonnulli (ab hac enim fluxerat triennium), sed a principatu Judæ, ut dixi lib. I, cap. IV, vers. 34. Ita Serarius, Salianus et alii. Mirum est nonnullos viros doctos hoc biennium computare a morte Antiochi; nam Antiochus post templi purgationem et sacrificationem mortuus est, ut dixi in synopsi capitis.

6. ET CUM LÆTITIA DIEBUS OCTO EGERUNT IN MODUM TABERNACULORUM, — *q. d.* Celebrarunt festum Enceniorum per octo dies eodem ritu et plausu, quo juxta legem celebrant quotannis festum Tabernaculorum die 15 mensis Tisri, idque in gratiarum actionem, eo quod Deus eos urbi Jerosolymæ, suisque domibus restituisset, cum ipsi paulo ante fugientes persecutionem Antiochi in sylvis et montibus delituissent, ibique sibi tuguria et tabernacula e ramis arborum construxissent.

7. PROPTER QUOD THYRSOS ET RAMOS. — Thyrsi erant frondes et virgulta, quibus milites parta victoria, se suasque hastas et arma vestiebant. Hinc apud Gentiles thyrsus erat hasta aculeata hederis obtecta, quam in Orgiis (sacris) Bacchi quatiebant; unde Bacchus dictus est thyrsigerus.

11. HIC (Antiochus Eupator filius Epiphanis) etc. CONSTITUIT SUPER NEGOTIA REGNI (id est constituit suum in regimine vicarium et proregem, sive, ut Græca habent, Protarchum) LYSIAM.

12. NAM PTOLEMÆUS, QUI DICEBATUR MACER. — Τὸ « nam » innuit Ptolemæum ante Lysiam negotia regni administrasse; sed per calumniam accusatum de proditione apud Eupatorem gradu suo excidisse. Hic Ptolemæus videtur esse ille idem qui, cap. VIII, vers. 8, vocatur dux Cœlesyriæ et Phœnicis, misitque Nicanorem contra Judam et Judæos; sed mox videns eorum innocentiam, Deumque pro eis pugnare, cœpit Judæis favere et patrocinari; ideoque accusatus fuit apud Eupatorem quasi proditor, quod ab eo ad Judæos defecisse **videretur**, eo quod eorum causam tueretur.

13. VENENO VITAM FINIVIT. — In quibusdam Græcis additur Ptolemæum præ infirmitate animi ultro ad venenum confugisse, sponteque illud hausisse, eo quod calumniam et infamiam proditionis sibi impactam audire et sustinere non posset. Non enim firmi magnique, sed infirmi pusillique est animi frangi hominum dicteriis, ideoque se occidere; fortis enim est hæc omnia viriliter sustinere et magnanimitate virili superare, juxta illud Martialis : Vers. 13.

Fortiter ille facit qui miser esse potest.

Narrat hunc casum Ptolemæi S. Scriptura, ut significet Judæos tanto amico et patrono orbatos fuisse; ideoque novis cum Eupatore bellis implicitos fuisse.

14. GORGIAS AUTEM, etc., ASSUMPTIS ADVENIS. — Advenas vocat milites ex Thracia, Ægypto, Africa aliisque exteris regionibus conscriptos. Unde vers. 24, vocantur « exercitus peregrinæ multitudinis. » Indigenæ enim erant Asiatici et Syri.

15. JUDÆI VERO QUI TENEBANT OPPORTUNAS MUNITIONES FUGATOS AB JEROSOLYMIS SUSCIPIEBANT ET BELLARE TENTABANT, — *q. d.* Judæi aliquot munitiones Gorgiæ et Antiochianis eripuerunt, in easque admittebant socios suos Judæos, qui Jerosolyma e suis sedibus ab hoste pellebantur : ex quibus multi ad Judam confluentes ejus copias augebant, ut audacter Antiochianos invaderet, et feliciter **terreret**, sicut paulo post viginti millia eorumdem prostravit. Ita Sanchez.

Verum pro « Judæi » legendum videtur *Idumæi*, uti legunt Codices græci : Idumæorum enim munitiones hæ vocantur vers. seq.; vult enim significare duos Judæorum hostes, Gorgiam scilicet et Idumæos. Sensus ergo est, *q. d.* Idumæi perpetui Judæorum inimici occuparunt aliquot Judæorum munitiones, in quas suscipiebant Judæorum apostatas et transfugas, nimirum eos qui a Jerosolymis ob apostasiam et scelera ad se profugiebant, atque cum iis « bellare, » et bellum Jerosolymæ et Judæis inferre « tentabant. » Sed Judas Deo invocato in has Idumæorum munitiones armata manu irrupit et viginti millia interemit, ut sequitur. Ita Serarius, Salianus et alii.

17. VIGINTI MILLIBUS. — Græcus habet *novem millia*.

19. JOSEPHO. — Hic est Josephus Judæ, Jonathæ et Simonis frater, de quo cap. VIII, vers. 22.

20. HI VERO QUI CUM SIMONE ERANT CUPIDITATE (avaritia) DUCTI, etc., 70 MILLIBUS DIDRACHMIS (argenti, quæ si Atticæ fuerunt, faciunt aureos 5833; sin Hebraicæ, duplo plus) ACCEPTIS DIMISERUNT QUOSDAM (hostium in turribus conclusorum) EFFUGERE.

21. CUM AUTEM MACHABÆO NUNTIATUM ESSET, etc. ACCUSAVIT QUOD PECUNIA FRATRES VENDIDISSENT ADVERSARIIS EORUM DIMISSIS. — Salutem enim civium prodit qui hostes eorum captos vel jamjam capiendos dimittit; dimissi enim rursum cives in-

dent, spoliabunt et occident, præsertim ut lyrum, quod pro se solverunt recuperent.

28. PRIMO AUTEM SOLIS ORTU UTRIQUE COMMISERUNT (prælium) ISTI (qui erant cum Juda) QUIDEM VICTORIÆ, ET PROSPERITATIS SPONSOREM CUM VIRTUTE DOMINUM HABENTES. — Deus enim Judæ cum suis erantî indebat certam victoriæ spem, quam augebat virtus, id est probitas, fortitudo, et generositas Judæ et sociorum, qui parati erant pro Dei lege et cultu dimicare usque ad mortem, staterantque non nisi victores e prælio discedere; sed vel vincere vel occumbere. Græce est : *Sponsorem victoriæ et prosperitatis cum virtute habentes refugium ad Dominum*; hæc enim duo, scilicet Dei invocatio et propria virtus, generosusque animi ad pugnam, aliamve rem perficiendam conatus sunt efficacissima remedia, quæ quasi spondent certam victoriam, et felicem Dei eventum.

ILLI (Timotheani Judæorum hostes) AUTEM DUCEM BELLI ANIMUM (Græce θυμὸν, id est animositatem, iram, superbiam) HABEBANT, — quia numero suorum militum præfisi despiciebant paucitatem Judæorum, putabantque se eos ut bolum penis devaraturos; sed Deus struxit eorum animositatem et superbiam, ostenditque victoriam non a numero, sed a favore Dei pendere ac dari.

Vers. 29. 29. APPARUERUNT ADVERSARIIS VIRI QUINQUE IN EQUIS, FRENIS AUREIS DECORI, DUCATUM JUDÆIS PRÆSTANTES.

Vers. 30. 30. EX QUIBUS DUO MACHABÆUM MEDIUM HABENTES, ARMIS SUIS CIRCUMSEPTUM INCOLUMEM CONSERVABANT; IN ADVERSARIOS AUTEM TELA, ET FULMINA JACIEBANT, EX QUO ET CÆCITATE CONFUSI, ET REPLETI PERTURBATIONE CADEBANT. — Erant hi quinque Angeli pro Juda et populo fideli jussu Dei dimicantes. Sic Angeli pugnarunt pro Theodosio contra Eugenium, dum militum ejus tela in ipsosmet jacientes retorserunt, teste Theodoreto, lib. V, cap. XXIV. Sic pro S. Wenceslao, ut habet ejus Vita, duellante cum Radislao Duce Curimensæ pugnavit Angelus Ducemque perculit, ut prostratus veniam vitamque peteret. Sic pro Constantino Magno certarunt Angeli, qui, ut ait *Panegyr.* VI, « flagrabant verendum nescio quid umbone coruscl, et cœlestium armorum lux terribilis ardebat. Tales enim venerant ut tui crederentur. Hæc ipsorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebant : Constantinum petimus, Constantino imus auxilio. » Plura exempla recenset Serarius hic, pag. 676.

32. TIMOTHEUS VERO CONFUGIT IN GAZARAM. — Gorionides censet esse « Gazam, » sed alii cum Serario hæc duo distinguunt. Vide hic assiduas Judæ victorias illi a Deo concessas, præsertim quibus occidit 20 millia Timotheanorum, sicut paulo ante occiderat viginti millia Idumæorum, ac tandem ipsum Timotheum cum Chærea et Apollophane interemit. Vers. 32.

33. VIGINTI JUVENES ACCENSI ANIMIS OB BLASPHEMIAM. — Vide hic quid efficiat juvenum animus et ardor. Vide rursum quam stultum et periculosum sit hostium animos et iras subsannando et blasphemando irritare et accendere. Vers. 33.

Sic Alexander Magnus, uti narrat Curtius sub finem libri VII, obsidens petram abscissam et abruptam, quam Arimazes Sogdianus cum triginta millibus armatorum insidebat, petenaque ut se dederet ab eo irrisus fuit, rogatusque volarene posset? quo scommate ictus Alexander : Ostendam, inquit, proxima nocte Macedones etiam volare; quare trecentos juvenes maximis præmiis et promissis accendit, ut a tergo per loca inaccessa noctu in petram scanderent, cum ipse a fronte, qua via patebat, petram invaderet. Juvenes accensi in petram maximis laboribus penetrarunt memores istius dicti Alexandri : « Nihil tam alte natura constituit, quo virtus non possit enitl. » Quare, perculsus Arimazes se cum propinquis Alexandro dedidit, qui omnes verberibus affectos sub ipsis radicibus petræ crucibus jussit affigi.

37. IN QUODAM REPERTUM LOCO. — Græce *loco*.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judas et Judæi duce Angelo sternunt invictum Lysiæ exercitum. Quare Lysias cum eis pacem fmit. Hinc vers. 16 et seq. reconsentur ann Lysiæ quam Antiochi Eupatorisæ quæ ac Romanorum litteræ ad Judæos hac de re datæ.

1. Sed parvo post tempore, Lysias procurator regis, et propinquus, ac negotiorum præpositus, graviter ferens de his quæ acciderant, 2. congregatis octoginta millibus, et equitatu universo, veniebat adversus Judæos, existimans se civitatem quidem captam Gentibus habitaculum facturum, 3. templum vero in pecuniæ quæstum, sicut cætera delubra Gentium, habiturum, et per singulos annos venale sacerdotium : 4. nusquam recogitans Dei potestatem,

sed mente effrenatus, in multitudine peditum, et in millibus equitum, et in octoginta elephantis confidebat. 5. Ingressus autem Judæam, et appropians Bethsuræ, quæ erat in augusto loco, ab Jerosolyma intervallo quinque stadiorum, illud præsidium expugnabat. 6. Ut autem Machabæus, et qui cum eo erant, cognoverunt expugnari præsidia, cum fletu et lacrymis rogabant Dominum, et omnis turba simul, ut bonum angelum mitteret ad salutem Israel. 7. Et ipse primus Machabæus, sumptis armis, cæteros adhortatus est simul secum periculum subire, et ferre auxilium fratribus suis. 8. Cumque pariter promptoanimo procederent, Jerosolymis apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis, hastam vibrans. 9. Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, et convaluerunt animis : non solum homines, sed et bestias ferocissimas, et muros ferreos parati penetrare. 10. Ibant igitur prompti, de cœlo habentes adjutorem, et miserantem super eos Dominum. 11. Leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostraverunt ex eis undecim millia peditum, et equitum mille sexcentos : 12. universos autem in fugam verterant, plures autem ex eis vulnerati nudi evaserunt. Sed et ipse Lysias turpiter fugiens evasit. 13. Et quia non insensatus erat, secum ipse reputans factam ergo se diminutionem, et intelligens invictos esse Hebræos, omnipotentis Dei auxilio iantantes, misit ad eos : 14. promisitque se consensurum omnibus quæ justa sunt, et regem compulsurum amicum fieri. 15. Annuit autem Machabæus precibus Lysiæ, in omnibus utilitati consulens : et quæcumque Machabæus scripsit Lysiæ de Judæis, ea rex concessit. 16. Nam erant scriptæ Judæis epistolæ a Lysia quidem hunc modum continentes :

Lysias populo Judæorum salutem. 17. Joannes et Absalom, qui missi fuerant a vobis, tradentes scripta, postulabant ut ea, quæ per illos significabantur, implerem. 18. Quæcumque igitur regi potuerunt perferri, exposui : et quæ res permittebat, concessit. 19. Si igitur in negotiis fidem conservaveritis, et deinceps bonorum vobis causa esse tentabo. 20. De cæteris autem per singula verbo mandavi, et istis, et his qui a me missi sunt, colloqui vobiscum. 21. Bene valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, mensis Dioscori die vigesima et quarta.

22. Regis autem epistola ista continebat : Rex Antiochus Lysiæ fratri salutem. 23. Patre nostro inter deos translato, nos volentes eos, qui sunt in regno nostro, sine tumultu agere, a rebus suis adhibere diligentiam, 24. audivimus Judæos non consensisse patri meo ut transferrentur ad ritum Græcorum, sed tenere velle suum institutum, ac propterea postulare a nobis concedisibi legitima sua. 25. Volentes igitur hanc quoque gentem quietam esse, statuentes judicavimus templum restitui illis, ut agerent secundum suorum majorum consuetudinem. 26. Bene igitur feceris, si miseris ad eos, et dexteram dederis : ut cognita nostra voluntate, bono animo sint et utilitatibus propriis deserviant.

27. Ad Judæos vero regis epistola talis erat :

Rex Antiochus Senatui Judæorum, et cæteris Judæis salutem. 28. Si valetis, sic estis ut volumus : sed et ipsi bene valemus. 29. Adiit nos Menelaus, dicens velle vos descendere ad vestros, qui sunt apud nos. 30. Iis igitur, qui commeant usque ad diem trigesimum mensis Xanthici, domus dextras securitatis, 31. ut Judæi utantur cibis et legibus suis, sicut et prius : et nemo eorum ullo modo molestiam patiatur de his quæ per ignorantiam gesta sunt. 32. Misimus autem et Menelaum, qui vos alloquatur. 33. Valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, Xanthici mensis quinta decima die.

34. Miserunt autem etiam Romani epistolam, ita se habentem :

Quintus Memmius et Titus Manilius, legati Romanorum, populo Judæorum salutem. 35. De his, quæ Lysias cognatus regis concessit vobis et nos concessimus. 36. De quibus autem ad regem judicavit referendum, confestim aliquem mittite, diligentius inter vos conferentes, ut decernamus sicut congruit vobis : nos enim Antiochiam accedimus. 37. Ideoque festinate rescribere, ut nos quoque sciamus cujus estis voluntatis. 38. Bene valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, quinta decima die mensis Xanthici.

Vers. 1. 1. Lysias præcerator regis (Antiochi Eupatoris, qui patri Antiocho Epiphani jam mortuo puer successerat, et a Lysia educabatur regebatturque), et propinquus, — id est consanguineus sive « cognatus, » ut dicitur vers. 35. Lysias audiens a Juda cœsa esse castra, tam Gorgiæ quam Timothei, novum conscripsit exercitum 80 millium peditum cum equitatu universo et 80 elephantis, quibus ea Judæos et Judæam devoraturum sperabat. Sed Judas Deum invocans Angelum impetravit, quo duce tota Lysiæ castra cecidit.

Vers. 2. 3. Templum vero in pecunia quæstum. — Destinabat Lysias magnum vectigal templo imponere, ac dona templo oblata, vel tota vel magna ex parte fisco regio adhibere, et in suos usus convertere, uti deluduis deinceps a tyrannis fieri solet. Hæc autem, et plurima, et pretiosissima erant; templum enim erat opulentissimum.

Venale sacerdotium, — ac scilicet Pontificatum quotannis magno pretio Judæis venditurum.

Vers. 6. 6. Cum fletu et lacrymis rogabant Dominum, etc., ut bonum Angelum mitteret ad salutem Israel. — uti miserat Mosi, Gedeoni, Manue. Hoc enim Mosi promiserat, *Exodi* XXIII, 20, dicens : « Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, et custodiat. » Vide ibi dicta : ibi enim omnes Angelorum visiones et opitulationes Hebræis præstitas recensui.

Vers. 8. 8. Apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. — Fuit hic S. Michael Israelis protector, aut certe Angelus inferioris ordinis a Michaele missus ad Judæorum auxilium, ut quasi dux castra præiret, ac Judæ et Judæis animos adderet, hostes vero metu et formidine percelleret, uti reipsa fecit. Hinc præcessit specie equitis cataphracti aureis armis hastam vibrans vestitus candidis. Candor enim Angelorum puritatem, splendorem, lætitiam, immortalitatem, victoriam et gloriam significat, ut dixi *Ecclesiast.* IX, 8, ad illa : « Omni tempore sint vestimenta tua candida. »

9. Convaluerunt animis (ingentes validosque sumpsere animos, videntes Angelum armatum quasi ducem suum præire. Solebant enim Angelum esse invincibilem, et ab Angelo solo tota castra hostium posse prosterni, uti ab eo prostrata fuerant 185 millia militum Sennacherib sub Ezechia. Quare ducta Angeli certi de victoria animose processerunt ad prælium), non solum homines, sed et bestias ferocissimas (elephantes) et muros ferreos parati penetrare. — Angelo enim nil est impenetrabile, nil invincibile, nil impossibile; imo nil arduum et difficile. Angelus ergo hos animos et ardores Judæ et Judæis injecit, quibus ipsi accensi castra Lysiæ numerosissima, et fortissima illico ut paleas disjecerunt et dissiparunt. Nil enim est tam arduum quod militum ardor non perfringat. Quocirca Vegetius docet ducem debere vel maxime hos ardores in millibus excitare et accendere; inde enim certa existit spes omnemque victoriæ. Addidque dux solerter investigandum esse quid de prælii successu sentiant milites pugnaturi, ut si felicem fore augurentur, pugnet; si infelicem, cesset a pugna. Audi Vegetium, lib. III, cap. XII : « Ipsa die qua certaturi sunt milites, quid sentiant, diligenter convenit explorare. Nam fiducia vel formido ex vultu, verbis, incessu, motibusque cernitur. Nec confulas, si tyro prælium cupit; inexperto enim dulcis est pugna, et noveris te oportere differre si exercitati bellatores metuerint dimicare. Monitis tamen et oratione ducis exercitui virtus crescit et animus : præcipue si futuri certaminis talem acceperint rationem, qua sperent se facile ad victoriam perventuros. Tunc inimicorum ignavia, vel error ostendendus est : vel si ante a nobis superati sunt commemorandum. Dicendum etiam quibus militum mentes in odium adversariorum, ira et indignatione moveantur. »

Vers. 11. 11. Leonum autem more impetu irruentes in hostes prostraverunt ex eis undecim millia, et equitum 1600. — Prælium hoc aliud et diversum est ab eo quod narratum est, lib. I, cap. IV, unde ibidem alius cæsorum numerus recensetur. Leones enim sunt impavidi et terribiles; unde, teste Plinio clausis oculis in venabula, enses et hastas irruunt, omniaque disjicinut et rumpunt. Tales fuere hic Judas et Judæi juxta illud Jacobi vaticinium, *Gen.* XLIX, 9 : « Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi, ascendisti : requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna quis suscitabit eum. » Licet enim Judas non esset de tribu Juda, cui a patre Jacobo hoc oraculum datum est, sed ex tribu Levi; tamen ipse loco Judæ erat dux omnium Judæorum, ad quos hoc oraculum pertinet.

Tropologice, cum te invadit Lysias, id est diabolus, suggeritque motus iræ, superbiæ, libidinis, etc., resiste et occurre illi ut leo, statimque eum fugabis. Diabolus enim coram animosis et resolutis est pavidus ut formica; timidis vero et hæsitantibus terribilis est leo. Unde S. Gregorius, lib. IV *Mor.* cap. XVII, illud Job. IV : « Tigris periit eo quod non haberet prædam, » explicans juxta Septuaginta qui pro « tigris » vertunt *Mirmicolion*, id est formica-leo, « quod, inquit, est animal adversum formicis, easque frumenta gestantes interficit, interfectasque consumit, » hoc ipsum mystice applicans diabolo : « Recte, inquit, mirmicolion, id est leo et formica dicitur : formicis enim, ut diximus, leo est; volatilibus formica;

quia nimirum antiquus hostis sient contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis. Si enim ejus suggestionibus assensus præbetur, quasi leo tolerari nequaquam potest; si autem resistitur, quasi formica attenditur. Aliis ergo leo est, aliis formica: quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant, spirituales vero infirmitatem illius pede virtutis calcant. »

Vers. 13. 13. Et quia non insensatus erat, — sed sensatus et prudens Lysias, hinc facile ex multa cladis suorum cognovit Deum per Angelum pro Judæis pugnare, ideoque eos esse insuperabiles. Quocirca ab eis pacem petit et obtinuit.

Vers. 17. 19. Si videbi (id est si facilitatem tam hujus fœderis, tum subjectionis quam regibus Antiochis quasi reibus Asiæ et Syriæ præstabilis, et aliis præstabilis), conservaverittis, et principes nostros causa esse xanthaio, — id est ego pariter vestris commodis studebo, vobisque multa bona et beneficia mea commendatione apud regem Patrorem procurabo.

Vers. 20. 20. De cetenis autem (articulis a vobis propositis) per singulu, verbo mandavi et istis (scilicet Joanni et Absalomo a vobis missis) et his qui a me missi sunt (id est meis legatis, quos cum vestris ad vos mitto) colloqui vobiscum. — ut vobiscum de singulis tractent, et per omnia satisfaciant.

Vers. 21. 21. Anno 148. — Dixi: Hoc anno 148 Græcorum vivebat et regnabat adhuc Antiochus Epiphanes; quomodo ergo hæc differre ab Antiocho Eupatore ejus filio, quod jam post mortem patris regnante, dicte scribuntur? mortuus est enim Epiphanes anno 149 Græcorum, ut dictum est lib. I, cap. VI, vers. 16.

Respondeo annos Græcorum dupliciter computari; primo ab anno duodecimo post mortem Alexandri Magni, idque a mense Martio, quia illo anno, qui fuit conditæ Romæ 442, et Olympiadis 117, teste Eusebio, Ptolemæo, S. Hieronymo, Josepho, Dione, Appiano et aliis, illoque mense Martio Seleucus victo Antigono minoris Asiæ rege, totius Asiæ sibi diadema imposuit.

Hoc computo annos Græcorum, sive Seleucidarum, numerant Judæi, ideoque liber primus Machabæorum eodem usus est teque ac Ægyptii, eaque de causa hi anni Græcorum vocantur, nunc *Judaici*, nunc *Macedonici*, nunc *Alexandrini*.

Secundo, anni Græcorum sesquianno tardius inchoantur, forte quod eo tempore Seleucus ex Asia minore triumphans redierit in Asiam majorem sive Syriam, unde hic annorum computus vocatur *Syriacus*, *Chaldaicus* et *Antiochenus*. Hoc ergo secundo computu incipiunt hi anni anno 13 a morte Alexandri mense septimo Tisri qui nostro septembri respondet, id est sesquianno serius quam priores Judaici sive Alexandrini. Hoc computu utitur liber II *Machab.* Unde hoc loco annum 149 Græcorum, quo lib. I, cap. VI, 16, dicuntur obiisse Antiochus, vocat 148 Græcorum, quia annus, qui computu Judaico et Alexandrino erat 149, idem ille computu Antiocheno, sive Chaldaico erat 148. Ita Salianus, Serarius et alii. Aliter respondet Scaliger, scilicet fuisse annum 148, si annum inchoes a Nisan, id est martio: rursum eumdem annum fuisse 149 Græcorum, si annum inchoes a Tisri, id est septembri (1).

Mensis Dioscori, — Græce Δίου κατὰ Ἑβραίους, id est Jovis Corinthii. Hic mensis inter ordinarios Græcorum menses non reperitur, unde Scaliger et Salianus putant eum fuisse embolimæum, sive intercalarem. Verum id recte confutat Serarius, qui censet *Dioscorum* esse Dysium, qui respondet nostro martio, quo solent reges ad bella procedere.

22. Rex Antiochus Lysiæ fratri salutem. — Vers. 22. Lysias erat tutor regis. Rursum ergo quod rex, qui, ut ait Appianus, puer novennis erat, cum non vocat patrem potius quam fratrem; sed id studio fecit rex, vel potius regis scriba, ut apud Judæos regia puteritima dissimularet, ne ob eam ab ipsis despiceretur: quasi ergo jam grandior et maturior Lysiam vocat fratrem, non patrem. Adde: Lysiam non vocat patrem, quia mox Antiochum Epiphanem vocat patrem suum, unde subdit:

23. Patre nostro inter deos (Gorionides refer Vers. 23. *Angelos*) translato. — Fingebant Gentiles regum adulatores, eos post mortem in deorum numerum referri. Hinc in funere regum et imperatorum fiebat eorum apotheosis, sive inter deos relatio, quæ quibus cæremoniis apud Romanos fieret, eleganter describit Herodianus initio lib. IV, ubi inter alia, ait, aquilam ex rogo evolare solitam, quæ animam Cæsaris in cœlum ad deos veheret. Verum impius Antiochus Epiphanes ob sua scelera et sacrilegia inter deos non cœli, sed inferni, puta inter dæmones, translatus est.

24. Jubeos, etc., postulare a nobis concedi si- Vers. 24. bi legitima sua, — ut scilicet eis liceat vivere suis legibus et ritibus in sua fide, et culto unius Dei, ne cogantur more gentium vivere et colere earumdem deos et idola.

25. Judicavimus templum restitui illis. — Jam Vers. 25. Judas et Judæi armis recuperarant templum, illudque expurgarant. Rex tamen illud sibi hic arrogat, ut suam in Judæos potestatem æque ac liberalitatem ostendat; cum revera templum ita non restituat, sed restitutionem jam factam probet et confirmet.

26. Dexteram dedimus, — id est, si data Judæis Vers. 26. dextera (hic enim est ritus incundi fœderis) cum eis fœdus sanxeris. Porro aliud est hoc fœdus ab eo quod cum iisdem Judæis iniit Lysias et Antiochus, cap. XIII, 23 et seq. et lib. I, cap. VI, ubi occasione Philippi rebellantis et Antiochiam occupantis, ut eum debellet, Lysias nomine regis pacem a Judæis petiit et obtinuit. Unde colligas hoc fœdus non diu durasse, sed mox renovato

(1) Vide quæ diximus in prooemio libri *Machab.*

bello ruptum fuisse ut patebit cap. sequenti.

Sic Turca cum Christianis facile init pacem, dum urgetur bello Persico, aliove simili; at eo sopito, facile occasionem pacis rumpendæ invenit, si bellum sibi pace utilius arbitretur.

Vers. 29. 29. Adhit nos Menelaus (non ille pseudo-pontifex et Judæorum proditor, de quo cap. IV, 34 et seq. ut volunt nonnulli, sed alius Judæorum ad regem et Lysiam legatus. Ita Salianus et alii) dicens velle vos descendere ad vestros qui sunt apud nos, — ut scilicet visitatis Judæos vestros cognatos et amicos, qui apud me in Syria degunt.

Vers. 30. 30. His igitur qui commeant usque ad diem 30 mensis Xanthici (qui Dysium proxima sequitur, et respondet nostro aprili) danus dextras securitatis. — Dat ergo rex Judæis 15 dies securitatis (nam die 15 ejusdem Xanthici scripta sunt hæc regis litteræ, ut patet vers. 33,) quibus libere in Syriam descendant; quia medium pax inter eum et Judæos erat conclusa, sed de ea per legatos cum Judæis tractabatur: ea vero conclusa, liberum erat Judæis quovis tempore in Syriam commeare.

Vers. 31. 31. Nemo eorum ullo modo molestiam patiatur de his quæ per ignorantiam gesta sunt. — Asseverat sancit rex eorum, quæ hucusque inter suos et Judæos hostiliter gesta fuerant, ut ea quasi per ignorantiam admissa excusata, imo obliterata habeantur.

32. Misimus (id est remisimus) autem et Menelaum (a vobis ad me missum,) qui vos alloquatur, — referatque ea, quæ mecum tractavit meaque sensa et dicta vobis renuntiet.

Mittunt autem etiam Romani epistolas, — puta legati qui a Romanis ad Antiochum mittebantur, qui illi præciperent ut naves, quas supra numerum a Senatu Romano præscriptum habebat, succenderet et elephantes interficeret, ut Romanis novi belli metum vel suspicionem adimeret, uti narrat Appianus, et ex eo Sigonius ad annum urbis 591. Hi ergo Romanorum legati miserunt pariter ad Judæos epistolam, qua significabant ut si quas alias justas pacis cum Antiocho conditiones cuperent, eas ad se perscriberent: se enim curaturos ut Antiochus eis subscribat, Romani enim, ut recte observat Salianus, facile supplicibus omnibus injuste vexatis aderant, quæ fuit prima origo potentiæ ipsorum, et incrementi in Sicilia, in Hispania, in Græcia, in Asia, in Africa et ubique gentium, ut hactenus Romanæ historiæ decursus ostendit. Cum ergo Judæi ad Romanorum legatos, qui per id tempus in Syria erant, se contulissent, et fortasse jam tum amicitiam eorum ac societatem ambire se ostendissent, petierunt, ut quæ a Lysia concedebantur, confirmarent, aliaque nonnulla in suæ gentis gratiam cum rege transigerent.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Duces Antiochi Eupatoris non obstante pace Judæos exagitant; Joppenses ducentos in mare mergunt; Jamnitæs similia destinant, sed Judas utrosque trucidat et succendit, Arabes superat, Timotheum profligat, urbes Caspliin et Ephron expugnat, Gorgiam fugat, ac tandem, vers. 39, pro suis, qui in acie ceciderant, eunt sacrificari offerendo duodecim millia drachmarum.

1. His factis pactionibus, Lysias pergebat ad regem, Judæi autem agriculturæ operam dabant. 2. Sed hi qui residerant, Timotheus, et Apollonius Gennæi filius, sed et Hieronymus, et Demophon super hos, et Nicanor Cypriarches, non sinebant eos in silentio agere, et quiete. 3. Joppitæ vero tale quoddam flagitium perpetrarunt: rogaverunt Judæos, cum quibus habitabant, ascendere scaphas, quas paraverant, cum uxoribus et filiis, quasi nullis inimicitiis inter eos subjacentibus, pacisque causa nihil suspectum habentibus: cum in altum processissent, submerserunt non minus ducentos. 5. Quam crudelitatem Judas in suæ gentis homines factam ut cognovit, præcepit viris, qui erant cum ipso: et invocato justo judice Deo, 6. venit adversus interfectores fratrum, et portum quidem nocte succendit, scaphas exussit, eos autem, qui ab igne refugerant, gladio peremit. 7. Et cum hæc ita egisset, discessit quasi iterum reversurus, et universos Joppitas eradicaturus. 8. Sed cum cognovisset et eos, qui erant Jamniæ, velle pari modo facere habitantibus secum Judæis, 9. Jamnitis quoque nocte supervenit, et portum cum navibus succendit: ita ut lumen ignis appareret Jerosolymis a stadiis ducentis quadraginta. 10. Inde cum jam abiissent novem stadiis, et iter facerent ad Timotheum, commise-

runt cum eo Arabes, quinque millia viri et equites quingenti. 11. Cumque pugna valida fieret, et auxilio Dei prospere cessisset, residui Arabes victi, petebant a Juda dextram sibi dari, promittentes se pascua daturos, et in cæteris profuturos. 12. Judas autem, arbitratus vere in multis eos utiles, promisit pacem : dextrisque acceptis, discessere ad tabernacula sua. 13. Aggressus est autem et civitatem quamdam firmam, pontibus murisque circumseptam, quæ a turbis habitabatur Gentium promiscuarum, cui nomen Casphin. 14. Hi vero qui intus erant, confidentes in stabilitate murorum, et apparatu alimoniarum, remissius agebant, nr lectis lacessentes Judam, et blasphemantes, ac loquentes quæ fas non est. 15. Machabæus autem, invocato magno mundi Principe, qui sine arietibus et machinis temporibus Jesu præcipitavit Jericho, irruit ferociter muris : 16. et capta civitate per Domini voluntatem, innumerabiles cædes fecit, ita ut adjacens stagnum stadiorum duorum latitudinis, sanguine interfectorum fluere videretur. 17. Inde discesserunt stadia septingenta quinquaginta, et venerunt in Characa ad eos, qui dicuntur Tubiani, Judæos : 18. et Timotheum quidem in illis locis non comprehenderunt, nulloque negotio perfecto regressus est, relicto in quodam loco firmissimo præsidio. 19. Dositheus autem et Sosipater, qui erant duces cum Machabæo, peremerunt a Timotheo relictos in præsidio, decem millia viros. 20. At Machabæus, ordinatis circum se sex millibus, et constitutis per cohortes, adversus Timotheum processit, habentem secum centum viginti millia peditum, equitumque duo millia quingentos. 21. Cognito autem Judæ adventu, Timotheus præmisit mulieres, et filios, et reliquum apparatum, in præsidium, quod Carnion dicitur : erat enim inexpugnabile, et accessu difficile propter locorum angustias. 22. Cumque cohors Judæ prima apparuisset, timor hostibus incussus est, ex præsentia Dei, qui universa conspicit, et in fugam versi sunt alius ab alio, ita ut magi a suis dejecrentur, et gladiorum suorum ictibus debilitarentur. 23. Judas autem vehementer instabat punieus profanos, et prostravit ex eis triginta millia virorum. 24. Ipse vero Timotheus incidit in partes Dosithei et Sosipatris : et multis precibus postulabat ut vivus dimitteretur, eo quod multorum ex Judæis parentes haberet ac fratres, quos morte ejus decipi eveniret. 25. Et cum fidem dedisset restituturum se eos secundum constitutum, illæsum eum dimiserunt propter fratrum salutem. 26. Judas autem egressus est ad Carnion, interfectis viginti quinque millibus. 27. Post horum fugam et necem, movit exercitum ad Ephron civitatem munitam, in qua multitudo diversarum gentium habitabat ; et robusti juvenes pro muris consistentes fortiter repugnabant : in hac autem machinæ multæ, et telorum erat apparatus. 28. Sed, cum Omnipotentem invocassent, qui potestate sua vires hostium confringit, ceperunt civitatem : et ex eis qui intus erant, viginti quinque millia prostraverunt. 29. Inde ad civitatem Scytharum abierunt, quæ ab Jerosolymis sexcentis stadiis aberat. 30. Contestantibus autem his qui apud Scythopolites erant, Judæis, quod benigne ab eis haberentur, etiam temporibus infelicitatis quod moleste secum egerint : 31. gratias agentes eis, et exhortati etiam de cætero ergo genus suum benignes esse, venerunt Jerosolymam die solemni septimanarum instante. 32. Et post Pentecosten abierunt contra Gorgiam præpositum Idumææ. 33. Exivit autem cum peditibus tribus millibus, et equitibus quadringentis. 34. Quibus congressis, contigit paucos ruere Judæorum. 35. Dositheus vero quidam de Becenoris equis, vir fortis, Gorgiam tenebat : et, cum vellet illum capere vivum, equus quidam de Thracibus irruit in eum, humerumque ejus amputavit : atque ita Gorgias effugit in Maresa. 36. At illis, qui cum Esdrin erant, diutius pugnantibus et fatigatis, invocavit Judas Dominum adjutorem et ducem belli fieri : 37. incipiens voce patria, et cum hymnis clamorem extollens, fugam Gorgiæ militibus incussit. 38. Judas autem collecto exercitu venit in civitatem Odollam : et, cum septima dies superveniret, secundum consuetudinem purificati, in eodem loco sabbatum egerunt. 39. Et sequenti die venit cum suis Judas, ut

corpora prostratorum tolleret, et cum parentibus poneret in sepulcris paternis. 40. Invenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt, a quibus lex prohibet Judæos : omnibus ergo manifestum factum est ob hanc causam eos corruisse. 41. Omnes itaque benedixerunt justum judicium Domini, qui occulta fecerat manifesta. 42. Atque ita ad preces conversi, rogaverunt ut id quod factum erat delictum oblivioni traderetur. At vero fortissimus Judas hortabatur populum conservare se sine peccato, sub oculis videntes quæ facta sunt pro peccatis eorum qui prostrati sunt. 43. Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans. (44. Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis ;) 45. et quia considerabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. 46. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

Vers. 1. 1. JUDÆI AUTEM AGRICULTURÆ OPERAM DABANT. — Addit Gorionides, lib. III, cap. XVII, pacem et quietem Judæorum durasse per octo menses : interea Judam Machabæum in quosdam perduelles Judæos animadvertisse : Judæos et Macedonas in pluribus Judææ urbibus, maxime ad littus maris, simul habitasse, et negotia exercuisse ; sed « Joppitas et Jamnienses » ea occasione perfide usos, in exitium et excidium Judæorum.

Vers. 2. 2. SED HI QUI RESIDERANT (in Judæa) TIMOTHEUS ET APOLLONIUS, SED ET HIERONYMUS ET DEMOPHON SUPER NOS (ita legendum cum Hummio et Græcis, (non « superbus, » ut legunt Dionysius et Emmanuel Sa), ET NICANOR CYPRIARCHES NON SINEBANT NOS IN SILENTIO AGERE ET QUIETE. — Quinque hi duces Antiochi occupabant multas Judææ urbes, ut Joppen et Jamniam, de quibus vers. 3 et seq.; ac Judæos, non obstante pace cum Lysia jam inita, infestare pergebant : tum quia huic rei assueverant, et ad hoc ab Antiocho collocati jam pridem erant in Judæa, ut eam vel attererent, vel totam sibi subjicerent, ideoque semper Judæis fuere infensi et infesti ; tum quia ex prædis Judæorum vivebant. Benique miles pacem non amat, utpote qui in bello spoliis et rapinis ve ditet : quare cum post bellum initur pax, duces summe laborare debent, ut militem contineant, aliove bello, vel labore occupent, ne in seditionem versus, præsertim si stipendia ei plene non sint persoluta, ipsis ducis regiones expilet et vastet, aut ad hostem transfugiat, aut novum sibi principem creet, ut in historiis sæpe factum legimus, et hoc ævo reipsa videmus. Quocirca Vegetius, lib. II *De re mil.* cap. XVIII, docet assiduo labore, vel dimicandi, vel sagittas jaciendi, vel fodiendi, vel currendi, vel castra munienda, etc., occupandum et exercitandum esse militem, ne murmuret, et rebellet, aut prædas agat, aut iners et imbellis fiat ; « atque ab hac exercitatione, inquit, exercitus nomen accepit. » Addit que : « Juniores quidem et nov. milites mane et post meridiem ad omne genus exercebantur armorum. Veteres autem et eruditi sine intermissione semel in die exercebantur in armis. Neque enim longitudo ætatis, aut annorum numerus artem bellicam tradit, sed continua exercitationis meditatio : post quanta volueris stipendia inexercitatus miles semper est tyro. » Causam subjicit : « Nam et velocitas usu ipso acquiritur corporis, et scientia feriendi hostem, neque protegendi, præsertim si gladiis cominus dimicetur. Illud vero majus est, ut servare ordines discant. » Subdit deinde alia militum exercitia : « Ad palum quoque, vel undes juniores exerceri percommodum est, cum latera, vel pedes, aut caput petere punctim consimique condiscunt. Saltus quoque et lotos facere pariter assuescant, insurgere tripudiantes in clypeum, rursusque subsidere, nunc gestiendo provolare cum saltu, nunc sedentes in terga redire. Misalibus etiam palos ipsos procul ferire meditentur, ut et ære dirigendi, et dextræ virtus possit accrescere. » Et sub finem hoc addit : « Cæteris autem diebus, si nives tantum pluviæque cessarent, exerceri cogebantur in campo ; ne intermissa consuetudine animi militum debilitarentur et corpora. Sylvam cædere, portare onera, transilire fossas, natare in mari sive fluminibus, gradu pleno ambulare, vel currere etiam armatos cum sarcinis suis, frequentissime convenit, ut quotidiani laboris usus in pace, difficilis non videatur in bello. Sive ergo legio, sive auxilia fuerint, exercenntur assidue. »

Vers. 3. 3. ASCENDERE SCAPHAS, — quasi in mare piscatum, vel lusum, vel in insulam aliquam vicinam recreationis ergo trajecturi.

Vers. 4. 4. SECUNDUM COMMUNE ITAQUE DECRETUM CIVITATIS. — Tota ergo civitas decreverat hac fraude mergere Judæos ; quare tota ut rea a Juda Machabæo, vers. 7, exitio fuit addicta.

Vers. 5. 5. PRÆCEPIT VIRIS, — ut arma caperent, et fratrum cædem ulciscerentur.

Vers. 7. 7. DISCESSIT QUASI ITERUM REVERSURUS ET UNIVERSOS JOPPITAS ERADICATURUS. — Græca addunt Judam hoc repentino impetu urbem utpote muni-

tam occupare non potuisse; quare portum invasisse, scaphas exussisse, et quotquot aderant interfecisse; itaque abiisse cum voluntate redeundi cum arietibus et balistis, ad urbem expugnandam et exterminandam.

Vers. 9. 9. Jamnitis quoque nocte supervenit, et portum cum navibus succendit, ita ut lumen ignis appareret Jerosolymis a stadiis ducentis quadraginta. — Jamnia erat distabat a Jerosolymis stadiis 240, id est decem leucis Gallicis, sive triginta milliaribus Italicis : stadium enim est octava pars milliaris Italici, sive mille passuum, nimirum continens 125 passus : hæc enim est octava pars mille passuum.

Porro milites Judæ in vicinis Jamniæ locis delubra idolorum expilarunt, indeque donaria sufurati sunt, quod lege erat vetitum, ut judicium vers. 30.

Vers. 10. 10. Commiserunt (prælium) cum eo Arabes, — qui Græce vocantur *Nomades*, id est pascendis gregibus occupati : eorum enim opes sunt pecudes et pecora, quibus omnes provinciæ successivo depascuntur : ἀμοιβαῖος enim est possessor.

Vers. 12. 13. Casphin — urbs est quam Adrichomius collocat in tribu Dan juxta Jamnium ; sed hic locus indicat eam longe ulterius ad meridiem versus Arabiam sitam fuisse. Ita Salianus.

Vers. 14. 14. Hebussus agebant. — Græce ἀνεπιτήδειος ἦν ἐκεῖνος quod Vatablus vertit, *Perversiores se exhibebant*. Ἀνεπιτήδειος est continuax, perviax, indomitus, intractabilis, indocilis, qui disciplina caruit, ac remisse et laxe educatus est; ideoque petulantior, dissolutior, intemperantior, procacior evasit. Remissa enim et mollis educatio facit contumaces, juxta illud *Eccli.* XXX. 8 : « Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadit præceps. *Remissus ergo agebat*, id est, voluptatibus suis dedite negligebant et despiciebant Judam, eique petulanter insultabant, eo quod muris suis præsiderent, putarentque se esse inexpugnabiles.

Vers. 15. 15. Jubeit ferociter hubis, — eos quationis, et sternens per incussum arietem, vel balistam. Gorionides tamen asserit Judam portas obstruxisse pice, ac spinis e deserto ad easdem aggessisse, itaque incensa porta in urbem penetrasse, ac tandem in urbe stragem edidisse tantam, ut stagnum latum quoquoversus per duo stadia fluxerit sanguine, quasi aqua.

Vers. 17. 17. Inde discesserunt stadia septingenta quinquaginta. — quæ faciunt 93 milliaria Italica cum sex stadiis, hoc est leucas Gallicas fere triginta.

Et venerunt in Characa ad eos, qui dicuntur Tubianæi, Judæos.—Salianus censet locum hunc Characa dictum, eo quod naturali, aut arte facto insigni vallo munitus esset : χάραξ enim est vallum.

« Tubianæi » dicti sunt a loco *Tubin* quem incolebant, de quo lib. I, cap. V, vers. 12. Quare impertinens est quod scribit Rabanus, et ex eo D. Thomas (si tamen hujus *Commentarii in Machab.* est auctor) : « Audivi, inquit, quemdam Hebræum disserentem Tubianæos Judæos illos nuncupari, qui ex alienigenis convocati in adjutorium Judæ venerunt, et dictos Tubianæos, quasi alienis tubis conductos. » Tubianæi enim erant Hebræi, non Latini : quare non a *tubis*, sed a *Tubin* dicti, forte ab Hebræo טוֹב *tob*, id est bonus, quasi Timotheus Judæos, qui ab egregia bonitate nomen acceperunt, sit persecutus; ideoque a Juda repressus. Ita Sanchez.

20. Equitumque duo millia quingentis. — Græca Vers. 20 habent 1300; sed viginti millia peditum facile requirebant 2500 equites. Ita Vatablus, Salianus et alii.

21. Præsidium (arx sive locus munitus) quod Vers. 21 Carnion dicitur, — ac proinde diversum ab urbe quæ *Carnaim*, id est duorum cornuum, sive bicornis dicitur, de qua lib. I, cap. V. Aliud ergo est prælium, quod hic; aliud, quod ibi narratur. Si quis tamen idem esse velit, contentiosum finem cum eo non traham, imo omnibus rite consideratis hæc sententia mihi æque ac Saliano videtur probabilior.

22. Timor hostibus incussus est ex præsentia Vers. 22 Dei. — Ex iis quæ dicta sunt cap. X, vers. 29 et 30, et cap. XI, vers. 8, suspicari licet Michaelem Synagogæ, hoc est Judæ et Judæorum protectorem vel per se, vel per Angelos sibi subditos et Judæ, ac Judæorum custodes Timotheanis hostibus Judæorum visibiliter terribili et minaci vultu apparuisse : imo in eos horrifico impetu irruisse, itaque eis terrorem, fugam, amentiam et interitum attulisse. Ita Salianus : unde mox Judas Angeli ope occidit 30 millia, ut dicitur vers. 23 : ipsum vero Timotheum vivum capit vers. 24.

23. Ipse vero Timotheus incidit in partes Dosthei et Sosipatris (qui erant duces Judæ Machabæi cum eo et pro eo pugnantes), et multis precibus postulabat ut vives dimitterentur, eo quod multorum ex Judæis parentes haberet ac fratres Vers. 24

(captivos et in potestate sua), quos morte ejus decuti (forte legendum *despici*, Græce enim est ἀπορέω, id est negligi vertit Vatablus) eveniret, — *q. d.* Si me despicitis et occiditis, mei pariter Judæos vestros, quos captivos detinent, despicient, et in mei sanguinis vindictam eos occident.

25. Et cum fidem dedisset restituturum se eos Vers. 25 secundum constitutum, — id est juxta promissum et pactum.

26. Judas autem egressus est ad Carnion. — Vers. 26 Græca addunt : καὶ τὸ ἀτεργάτειον *et Atergateion* quod erat fanum Deæ Syrorum dictæ Atargate, ad quod proinde quasi ad asylum multi hostium profugerant; ideoque Judas eo contendit, ac fanum profanavit et profugos occidit ad 25 millia. Audi de hac Dea veteres. Plinius lib. V, cap. XXIII : « Hierapolis, inquit, Syris vocatur Magog, ibi prodigiosa Atargatis; Græcis autem Derceto dicta, colitur. Strabo, lib. XVI, in fine, ait Atargatam corrupto a barbaris vocabulo dici Atharam, quam Cæsius, inquit, Decreto vocavit. Athenagoras in *Apologia* ait hanc Decreto matrem fuisse Semiramidis, incestam mulierem et homicidam, quæ, ut scribit Diodorus in lib. III, filium ex lasciva adolescente susceperit; Venere matre sua lenocinante, filiam columbis nutriendam dederit, ipsa se pudore fugiu in stagnum abjecerit, ubi in piscem versa fuerit, et filia in columbam. Quare, inquit, Syri piscibus abstinent, et templum in stagni littore constituerunt; Derceto facie quidem formosæ mulieris, reliqua parte piscis simulacrum colunt.

Vers. 27. 27. Movit exercitum ad Ephron. — Græca addunt *in qua habitabat* (habitare solebat, nam jam erat absens) *Lysias* tutor Antiochi Eupatoris : ideoque ad eam magnus fuit variarum Gentium confluxus : qua de causa in eam sævit Judas. Hanc primo expugnavit Judas anno Græc. 149, vivente adhuc Antiocho Epiphane, lib. I, cap. V; deinde vero eandem refloreseentem cepit anno Græcorum 149, vel 150 sub Antiocho Eupatore; imo Salianus contendit eamdem esse expugnationem hanc hujus capitis cum illa quæ recensita est lib. I, cap. V. Nam ibi quoque contra Timotheum pugnatur contra Carnaim, a Caraaim pereitur ad Ephron, inde ad Bethsan, quæ a Græcis dicta est Scythopolis. Quare ea quæ, lib. I, cap. V, dicuntur usque ad vers. 8, gesta esse sub Antiocho Epiphane; quæ vero a vers. 8 ad finem narrantur, gesta esse sub Antiocho Eupatore, licet Scriptura brevitatis studio hæc non distinguat, nec tempora duorum regum assignet, idque satis est verisimile.

Vers. 29. 29. Inde ad civitatem Scythaeum (quæ inde dicta est *Scythopolis*) quæ ab Jerosolymis sexcentis stadiis aberat, — quæ faciunt 75 milliaria Italica, quorum quodque continet mille passus; hujus enim milliaris octava pars est stadium, utpote continens 125 passus, ut dixi superius. Porro Scythæ hanc urbem restaurarunt et inhabitarunt. Sita est eis Jordanem in tribu Manasse, eratque Decapoleos maxima. Vide Adrichomium.

31. Venerunt Jerosolymam die solemni septimanarum instante. — Intelligit festum Pentecostes, quod dicitur a septimanarum, « quia post septem septimanas, sive post 49 dies a Paschate celebratur proximo die quinquagesimo, Lev. XXIII, vers. 18.

Vide hic celeritatem Judæ Machabæi, qui instar fulminis omnia pervasit. Nam unius circiter mensis spatio (scilicet a mense Xanthico, hoc est aprili de quo cap. XI, vers. ult., usque ad finem maii, quo Pentecosten illo anno celebrabant), variis in locis cecidit supra centum millia hostium : nimirum ex castris Timothei vers. 23, cecidit triginta millia, ex incolis Carnion vers. 26, millia 25, ex Ephron vers. 28, totidem. Adde innumeros Joppitas et Jamnienses ab eo cæsos vers. 6 et 9, et Arabes vers. 10, et incolas Casphin vers. 16, quos ita truculenter, ut stagnum duorum stadiorum sanguine fluere videretur.

Exivit autem cum peditibus tribus millibus, et equitibus in quadringentis. — « Exivit » nimirum Judas contra Gorgiam : hujus enim longe numerosior erat exercitus, ita Vatablus, Salianus et alii. Unde colligas subinde Judam præter pedites habuisse equites, sed paucos. Vers. 32

35. Dositheus vero quidam de Bacenoris, — scilicet castris, qui nimirum ad Bacenoris militis ducis castra pertinebat, eumque ut miles sequebatur. Patet ex Græco, licet Gorionides et ex eo Serarius centum hanc Dositheum fuisse Ducem exercitus, de quo vers. 19, qui Bacenoris fuerit filius, vel nepos. Vers. 35

36. At illis qui cum Esdrin erant diutius pugnantes. — « Esdrin » fuit unus e Judæ ducibus, qui cum diuturna pugna fatigarentur, Judas ardenti animo et voce invocans Deum, hostes fudit et pugnæ finem imposuit. Male ergo codex Basilicus pro « Esdrin » ponit « Gorgiam » hostem Judæ. Vers. 36

37. Inciipiens voce patria, (non quasi Judæus alias Græce sit locutus; hic vero Hebraice, quæ lingua ipsi erat patria, sed patria, id est animosa, confidenti, forti, excelsa, generosa, clamosa, ut verum docebat Judam, et Judæorum invocans Deum, robur ab eo impetravit, quo hostes illico prosterneret; unde explicans subdit : Et cum hymnis clamorem extollens fugam Gorgiæ militibus incussit. — Vide quæ de voce patria dixi, cap. VII, vers. 8 et 27. Vers. 37

38. Purificati — a sanguinis hostium effusione et cadaverum contactu. Vers. 38

39. Sequenti die (scilicet prima post sabbatum, quæ nobis est Dominica) venit cum suis Judas ut corpora prostratorum (inter quos erant nonnulli e fortissimis Assamonæis, sit Gorionides) tolleret, et cum parentibus poneret in sepulchris patrum. — Hic enim est honor, qui mortuis cæsis debetur; hoc ultimum est pietatis officium, nimirum ut corpora eorum religiose sepeliantur, adeo ut apud Romanos aliosque Gentiles sepulturam negligere, vel negare etiam hosti insons fuerit ignominia, inhumanitas et barbaries. Unde Q. Curtius, lib. V : « Vix ullum, inquit, tam solemne munus in bello, quam humandi suos. » Vers. 39

40. Invenerunt autem sub tunicis (Græca addunt : ἱερὰ, id est *uniuscujusque*) interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt (ut dixi, vers. 9) a quibus lex prohibet, — jubens ea comburi ad abominationem idolorum et idololatriæ. Sic enim sancit *Deut.* VII, 25 : « Sculptilia eorum igne combures, non concupisces argentum et aurum, de quibus facta sunt; neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quod abominatio est Domini Dei tui. Nec inferes quidpiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut et illud est; quasi spurcitiam detestaberis, et velut inquinamentum ac sordes Vers. 40

abominationis habebis, quia anathema est. »

OMNIBUS ERGO MANIFESTUM FACTUM EST OB HANC CAUSAM EOS CORRUISSE, — quia soli illi corruerant, qui hoc donario abstulerant, ut patet ex Græco; cæteri vero illæsi et vivi erant. Hinc colligo admirandas et audaces fuisse Judæ victorias, utpote incruentas, in quibus nemo suorum caderetur nisi ipse per furtum, aliudve scelus culpam suæ cædis dedisset, denique offensi custodiam et protectionem a se avertisset. Unde inotemus non legimus Judam post prælium cæsorum corpora sepelivisse, quia scilicet nemo eorum occubuerat. Discant hic milites a rapinis et criminibus abstinere. Sic enim Deus eos conservabit, imo victores efficiet; victoriam enim subinde aufert unius vel paucorum scelus, uti ablatulit furtum Achan, Josue cap. VII.

42. RODGAVERUNT UT ID QUOD FACTUM ERAT DELICTUM OBLIVIONI TRADERETUR. — Græce : *perfecte delerentur*. Supponebant ergo cæsos ante mortem de furto pœnituisse, ejusque partem precipuam scilicet culpam per contritionem delevisse : quare alteram partem scilicet reatum pœnæ post hanc vitam in Purgatorio luendæ tantum restare, qui per sacrificia expiandus erat, ut peccatum perfecte delerctur. Itaque ipsorum animæ a pœnis Purgatorii exemptæ ad limbum patrum sive ad sinum Abrahæ transferrentur.

Adde nonnullorum peccatum hic non fuisse mortale, sed veniale, tum quia aliqui, utpote rudes et milites, ignorabant legem vetantem hæc idolorum furta, aut certe putabant eam tantum obligare sub veniali; tum quia nonnulli erant in gravi, vel extrema necessitate, in quibus sibi putabant licitum furari ad vitam servandam, tum quia aliqui parum admodum rapuerant, quos materiæ levitas a mortali excusabat. Nam expresse, vers. 43, ait eos « cum pietate » obdormitionem (id est mortem) accepisse. Erant ergo in statu gratiæ. Denique justum et pium erat ut Judas cum suis æstimaret, et speraret nonnullos ex iis, vel venialiter tantum peccasse, vel si mortaliter, pœnituisse, antequam expirarent; ideoque preces et suffragia pro defunctis fieri solita eis adhibuisse, uti etiamnum peccatoribus ea adhibet Ecclesia. Omni enim ratione, et modo quo potest fidelium animas adjuvare, et pœnis eximere satagit. Hoc enim exigit pietas, et charitas, ipsaque communio Sanctorum.

AT VERO FORTISSIMUS (Græce γενναῖος, id est generosus) JUDAS MORTEBATUR POPULUM CONSERVARE ET SINE PECCATO, — eo quod fortitudo eorum consisteret in innocentia et justitia; Deus enim innocentes et justos conservabat in prœliis, faciebatque victores; nocentes vero et rapaces sinebat vinci et occidi, uti hic factum esse ipsimet oculis suis videbant, ut sequitur.

Vers. 43. 43. DUCENTOS MILLIA DRACHMAS ARGENTI (quæ faciunt *mille aureos*, si drachmæ fuerunt Atticæ; sin Hebraicæ, faciunt *bis mille aureos*, quibus multæ hostiæ pro peccato coemi et offerri poterant) MISIT (Judas quasi Pontifex) HIEROSOLYMAM OFFERRI PRO PECCATIS MORTUORUM. — Hinc ergo liquet Judam Pontificem credidisse Purgatorium, in quo animæ post hanc vitam a culpis expientur. Hæc enim fuit fides Synagogæ et priscorum Judæorum neque ac modernorum, ut patet ex eorum Ritualibus, Commentariis et scriptis, quæ citant Serarius hic, Genebrardus, Bellarminus et alii scribentes de Purgatorio. Idipsum clare patet ex illo *Tobiæ* IV, 18 : « Panem tuum et vinum tuum super sepulturam justi constitue. » Vide ibi dicta.

BENE ET RELIGIOSE (Græce ὡσίως id est urbane, eleganter, pulchre, scite, probe) DE RESURRECTIONE COGITANS. — Urbanum enim, civile, honestum et probum est suos cives vita functos precibus juvare, ut ad beatam resurrectionem, quæ omnis elegantiæ, pulchritudinis et gloriæ plenissima est, resurgant.

44. NISI ENIM EOS QUI CECIDERANT RESURRECTUROS SPERARET, SUPERFLUUM VIDERETUR ET VANUM ORARE PRO MORTUIS. — Dices : Non foret vanum hoc, quia anima, quæ est immortalis, a pœnis liberaretur per preces; esto corpus non resurgeret. Respondeo, quia anima est immortalis, hinc exigit corporis resurrectionem. Anima enim naturaliter ad corpus propendet, sicut forma ad materiam. Quare violentus foret status animæ, si in æternum duraret sine corpore. Quocirca hæc duo, scilicet animæ immortalitas et corporis resurrectio, ita connexa sunt, ut qui ponit creditque unum, ponat credatque et alterum; ac qui tollit negatque unum, tollat negetque et alterum. Vers. 44.

45. QUI CUM PIETATE (id est in statu gratiæ certantes, et dimicantes pro vera fide, pietate et cultu Dei) DORMITIONEM ACCEPERANT, — id est occubuerant. Mors enim in Scriptura vocatur somnus per analogiam et similitudinem; mors enim est quasi longus somnus, somnus vero est quasi brevis mors; sed maxime mors vocatur somnus ob spem resurrectionis, in qua quasi e somno exigilabimus ad vitam æternam. Vers. 45.

46. SANCTA ERGO ET SALUBRIS (Græce ἁγνῶς, id est pia) EST COGITATIO PRO DEFUNCTIS EXORARE UT A PECCATIS (id est a pœnis peccatorum) SOLVANTUR. — Hoc est epiphonema Scriptoris Canonici, quod finem Synagogæ priscæ de Purgatorio et suffragiis pro animabus in eo detentis clare astruit. Hæc ergo fuit fides Ecclesiæ ab omni ævo certa et inlubitata. Vers. 46.

Sanctum ergo est sacrificium pro defunctis, quia sancte Deo sancto immolatur. Idem est pium, tum in animas, quas horrendis Purgatorii cruciatibus ignibusque liberat; tum in cœlites beatosque, quorum numerum, indeque lætitiam et gloriam adauget; tum in Ecclesiam, cui novos apud Deum patronos et advocatos conciliat; tum in ipsummet sacrificantem, cui animæ ab ipso liberatæ vicariam gratiam rependent, orantes Deum assidue pro ejus salute. Quare valde pium et utile est crebro orare pro defunctis, idque oranti multa

conciliat bona : uti docte ostendit noster Martinus de Roa, libello hac de re edito.

Audi S. Augustinum, lib. I : « In Machabæorum, inquit, libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium; sed et si nusquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ quæ in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quas Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet, etiam commendatio mortuorum. Et Damascenus, *Orat. pro defunctis* : « Animadvertite, inquit, quid Scriptura sacra de Juda Machabæo memoriæ prodidorit, nimirum eum, in Sion regis magni civitate, cum populum, cui præerat, ab exteris hostibus cæsum et truncatum vidisset, sinusque eorum exsultans, condita in ipsis idola comperisset, statim expiandi hujusce sceleris causa, Domino ad misericordiam prompto atque propenso, pro unoquoque eorum munera obtulisse, in eaque re summe pietatis et charitatis munere perfunctum esse. Unde etiam factum est ut divina Scriptura, quemadmodum omnibus aliis nominibus, ita hoc quoque nomine summis eum laudibus evexerit, ac mirifice commendarit. »

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Antiochus Eupator, duce Lysia, bellum contra Judam instaurat cum 110 millibus peditum et 5 millibus equitum, ac Menelaum pseudo-pontificem ex alto præcipitat. Eupatori, vers. 10, Judas sese opponit, ac invocato Deo noctu castra ejus ingressus multos occidit. Inde, vers. 18, Eupator Bethsuram obsidet, et deditione occupat. Denique, vers. 22, confligens cum Juda victus est : unde audiens rebellare Philippum pacem a Juda petiscit et obtinuit.

1. Anno centesimo quadragesimo nono, cognovit Judas Antiochum Eupatorum venire cum multitudine adversus Judæam, 2. et cum eo Lysiam procuratorem et præpositum negotiorum, secum habentem peditum centum decem millia, et equitum quinque millia, et elephantos viginti duos, currus cum falcibus trecentos. 3. Commiscuit autem se illis et Menelaus : et cum multa fallacia deprecabatur Antiochum, non pro patriæ salute, sed sperans se constitui in principatum. 4. Sed Rex regum suscitavit animos Antiochi in peccatorem : et suggerente Lysia hunc esse causam omnium malorum, jussit (ut eis est consuetudo) apprehensum in eodem loco necari. 5. Erat autem in eadem loco turris quinquaginta cubitorum, aggestum undique habens cineris : hæc prospectum habebat in præceps. 6. Inde in cinerem dejici jussit sacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum. 7. Et tali lege prævaricatorem legis contigit mori, nec terræ dari Menelaum. 8. Et quidem satis juste : nam quia multa erga aram Dei delicta commisit, cujus ignis et cinis erat sanctus, ipse in cineris morte damnatus est. 9. Sed rex mente effrenatus veniebat, nequiorem se patre suo Judæis ostensurus. 10. Quibus Judas cognitis, præcepit populo ut die ac nocte Dominum invocarent, quo, sicut semper et nunc, adjuvaret eos : 11. quippe qui lege, et patria, sanctoque templo privative rerentur; ac populum, qui nuper paululum, respirasset, ne sineret blasphemis rursus nationibus subdi. 12. Omnibus itaque simul id facientibus, et petentibus a Domino misericordiam, cum fletu et jejuniis, per triduum continuum prostratis, hortatus est eos Judas ut se præpararent. 13. Ipse vero cum senioribus cogitavit, prius quam rex admoveret exercitum ad Judæam, et obtineret civitatem, exire, et Domini judicio committere exitum rei. 14. Dans itaque potestatem omnium Deo mundi creatori, et exhortatus suos ut fortiter dimicarent, et usque ad mortem pro legibus, templo, civitate, patria et civibus starent, circa Modin exercitum constituit. 15. Et dato signo suis Dei victoriæ, juvenibus fortissimis electis, nocte aggressus nullam regiam, in castris interfecit viros quatuor millia, et maximum elephantorum cum his qui superpositi fuerant : 16. summoque metu ac perturbatione hostium castra replentes, rebus prospere gestis, abierunt. 17. Hoc autem factum est die illucescente, adjuvante

eum Domini protectione. 18. Sed rex, accepto gustu audaciæ Judæorum, arte difficultatem locorum tentabat : 19. et Bethsuræ, quæ erat Judæorum præsidium munitum, castra admovebat; sed fugabatur, impingebat, minorabatur. 20. His autem, qui intus erant, Judas necessaria mittebat. 21. Enuntiavit autem mysteria hostibus Rhodocus quidam de Judaico exercitu, qui requisitus comprehensus est et conclusus. 22. Iterum rex sermonem habuit ad eos qui erant in Bethsuris : dextram dedit, accepit, abiit; 23. commisit cum Juda, superatus est. Ut autem cognovit rebellasse Philippum Antiochiæ, qui relictus erat super negotia, mente consternatus, Judæos deprecans, subditusque eis, jurat de omnibus quibus justum visum est : et reconciliatus obtulit sacrificium, honoravit templum, et munera posuit. 24. Machabæum amplexatus est, et fecit eum a Ptolemaide usque ad Gerrenos ducem et principem. 25. Ut autem venit Ptolemaidam, graviter ferebant Ptolemenses amicitiæ conventionem, indignantes ne forte fœdus irrumperent. 26. Tunc ascendit Lysias tribunal, et exposuit rationem, et populum sedavit, regressusque est Antiochiam; et hoc modo regis profectio et reditus processit.

Hoc apud collocandum est lib. I, cap. VI, vers. 28 : ibi enim usque ad tinea capillis fuse narrantur eadem, quæ hic. Unde colligas alium hujus libri scindi alium Libri primi fuisse auctorem, ut liquet ex diversitate narrandi.

Vers. 2. 2. PEDITUM CENTUM DECEM MILLIA, EQUITUM QUINQUE MILLIA, ET ELEPHANTOS VIGINTI DUOS. — Dices : lib. I, cap. VI, vers. 30, numerantur centum millia peditum et 20 equitum, ac 32 elephanti. Respondeo variis diebus varius fuit copiarum numerus : hunc enim alius accedebant, nunc veteres unusquisque alio abscedebant.

Vers. 3. 3. CORRUPTUS AUTEM SE ILLIS ET MENELAUS, — qui ab Antiocho Epiphane constitutus erat Judæorum pseudopontifex, petens ab Eupatore Epiphanis filio, ut hunc Pontificatum, et consequenter Principatum (tunc enim Pontifex simulerat princeps) sibi confirmaret. Vide dicta cap. IV, vers. 23 et ultimo.

Vers. 4. 4. SED REX REGUM (Deus) SUSCITAVIT ANIMOS ANTIOCHI IN FELCATOREM (id est in apostatam et patriæ proditorem Menelaum, ut indignatus eum pro meritis castigaret) SUGGERENTE LYSIA HUNC ESSE CAUSAM OMNIUM MALORUM, — id est omnium seditionum et bellorum, quæ Judæi movebant Antiocho, eo quod Menelaum pseudopontificem insocietatem et sacrificium pati non possent. Ita Josephus.

JUSSIT (UT EIS EST CONSUETUDO) APPREHENSUM IN EODEM LOCO NEGARI, — puta ex alta turri præcipitari. Sic enim Syri solebant proditores, sacrilegos et scelestos plectere, de quo plura vers. seq.

Vers. 5. 5. ERAT AUTEM IN EODEM LOCO TURRIS QUINQUAGINTA CUBITORUM AGGESTUM UNDIQUE HABENS CINERES. — Videtur Interpres noster aliud habuisse Græcum exemplar; nam modernum sic habet : *Est autem ea in loco turris 50 cubitorum, plena cinere, aggestum habens in fundo cineris copiam. Hic autem instrumentum habebat rotundum undique præceps in cinerem; hic sacrilegii reum, et quorumdam aliorum malorum principem, sive excessum habentem, omnes protrudunt in interitum.* Tigurina sic : *Eo in loco pleua pulvere 50 cubitorum turris erat, quæ machinam habebat circumversatilem, in pulverem undique declivem. Ibi eum, qui damnatus esset sacrilegii, aut qui aliud quodcumque malum insigne patrasset, omnes protrudebant ad interitum.*

Hoc supplicii genus adinvenit Darius Ochus rex Persarum, ut plecteret conjurationis auctores quos se ferro non occisurum juraverat. Nam et ait Valerius Maximus, lib. IX, cap. II : « Septum altis parietibus locum cinere complevit, suppositoque ligno, prominente benigno cibo et potione, exceptos in eo collocabat, ex qua somno sopiti in illam insidiosam congeriem decidebant. » Idem docet Ovidius in *Ibin*.

Utpote nocatorum fureii fraude secundi,
Sic sua succedens devoret esse ratis.

6. INDE IN CINEREM REDIGI JUSSIT SACRILEGUM. — Vide hic justam congruamque talionis pœnam a Deo vindice Menelao inflictam : fecit enim eum cineribus profanis obrui et sepeliri, eo quod ipse cineres altaris Dei dispersisset, et suis sacrilegiis contaminasset, uti expresse dicitur, vers. 8. Vers. 6.

9. SED REX (Antiochus Eupator) MENTE EFFRENATUS (indignans et furens in Judæos sibi rebellantes) VEHEMENTER NEGOTIABATUR (truculentissime) SE PATRE SUO (Antiocho Epiphane crudelissimo) JUDÆIS OSTENSURUS. Vers. 9

10. QUIBUS JUDAS COGNITIS PRÆCEPIT POPULO UT DIE AC NOCTE DOMINUM INVOCARENT; — per triduum ut sequitur. Ecce hic est præludium, et quasi origo litaniæ publicæ, sive orationis continuæ, tam noctu quam diu per 40, imo 72 horas. Hoc fuere arma spiritualia Judæ, quibus semper de hostibus triumphavit. Vers. 10

14. DANS ITAQUE POTESTATEM OMNIUM DEO, — *q. d.* Judas se suosque committens, et resignans Dei quasi omnium Domini beneplacito, noctu invasit castra Antiochi, ut vel vinceret, vel pro Deo et patria occumberet, prout Deus voluisset. Vers. 14

15. ET DATO SIGNO SUIS DEI VICTORIÆ, — *q. d.* Judas suis hoc dedit militare signum, sive tesseram, nimirum « Deus victor, » vel « Dei victoria, » vel « Deus adjutor. » Hoc enim signum quasi omen victoriæ suis dare solebat, ut patet cap. VIII, vers. 23. Unde Judas D. o duce mox cecidit quatuor millia hostium, cæterosque perculit, ut de ebitu cogitarent. Vers. 15

Judas suis hoc dedit militare signum, sive tesseram, nimirum « Deus victor, » vel « Dei victoria, » vel « Deus adjutor. » Hoc enim signum quasi omen victoriæ suis dare solebat, ut patet cap. VIII, vers. 23. Unde Judas D. o duce mox cecidit quatuor millia hostium, cæterosque perculit, ut de ebitu cogitarent.

Vers. 18. 18. SED REX ACCEPTO GUSTU AUDACIÆ JUDÆORUM, (cum scilicet gustasset, id est sensisset, et reipsa expertus esset Judæ audaciam, qua cum paucis in castra sua irrumpere, et quatuor millia trucidare ausus fuerat, veritus ne plura et majora auderet, a vi conversus ad astum) ARTE DIFFICULTATEM LOCORUM TENTABAT, — id est per solertiam, dolum et proditionem difficiliora ad expugnandum Judææ loca occupare tentabat. Quocirca,

Vers. 19. 19. BETHSURÆ, etc., CASTRA ADMOVEBAT, SED FUGABATUR, IMPINGEBAT, MINORABATUR. — Vatablus *atterebatur*, tum fame, tum morbis, tum ab armis obsessorum æque ac Judæ in eum ex improviso irruentium. Bethsura erat arx munitissima in petra et rupe sita (*Bethsur* enim Hebraice idem est quod *domus petræ*); unde Josephus, lib. XIII, cap. IX, Bethsuram ait fuisse locum totius Judææ munitissimum. Erat ad meridiem Jerosolymæ, ab ea distans quinque stadiis, hoc est 624 passibus, ut eam contra Idumæorum aliorumque hostium incursiones defenderet. Quare Antiochus Bethsuram vi expugnare non potuit, præsertim cum Judas adesset et obsessis assidue alimenta et subsidia subministret, ut sequitur.

Vers. 21. 21. ENUNTIAVIT AUTEM MYSTERIA (hoc est arcana, sive secreta) HOSTIBUS RHODOCUS : — probabiliter Salianus opinatur mysteria hæc fuisse secretas quasdam vias, et modos quibus alimenta Bethsuræis suggerebantur, quæ perfidus Rhodocus hostibus patefecerit, transfugere ad eos destinans; sed re patefacta) inquisitus inventusque, in carcerem conjectus est. Id ita esse colligitur ex sequenti versu.

Vers. 22. 22. ITERUM REX SERMONEM HABUIT AD EOS QUI ERANT IN BETHSURIS : DEXTRAM DEDIT, ACCEPIT, ABIIT, — *q. d.* Rex primo allocutus milites Bethsuræ, ut se dederent, ab eis repulsus fuit, eo quod Judas per occultas vias obsessis alimenta subministraret. At ubi has vias per Rhodocum proditorem Antiochus agnovit, et obstruxit, iterum milites allocutus eos jam fame laborantes ad deditionem inflexit.

Vers. 23. 23. COMMISIT (prælium) CUM JUDA : SUPERATUS EST. — *q. d.* Antiochus, capta Bethsura, perrexit ad vicinam Jerosolymam; sed ibi a Juda repulsus et superatus est, vide dicta libro I, cap. VI, vers. 51. Ita Sanchez, licet Salianus hæc referat ad quatuor millia in castris Antiochi a Juda, vers. 15, cæsa, antequam caperetur Bethsura.

UT AUTEM COGNOVIT REBELLARE PHILIPPUM, — cui Antiochus Epiphanes moriens annulum et diadema tradiderat, filiumque Eupatorem cum regno commiserat. Hic audiens Lysiam tutorem esse Eupatoris, et regnum administrare, utrique rebellavit, et Antiochiam occupavit. Quare Lysias ut eum Antiochiæ obsideret, caperetque et occideret, pacem cum Juda et Judæis petiit, et impetravit. Vide dicta lib. I, cap. VI, vers. 14 et 55.

JUDÆOS DEPRECANS SUBDITUSQUE EIS. — Vatablus liberalius rem exaggerans sic vertit : « Perturbatus suppliciter se summisit Judæis, jura vitæ quæcumque conditiones, pacem iniit, sacrificium fecit, honorem detulit templo, locum benignitate prosecutus est, et Machabæum amplexatus est, » etc.

24. ET FECIT EUM (Judam) A PTOLEMAIDE USQUE AD GERRENOS (id est Gerrasenos) DUCEM ET PRINCIPEM. — Græce : *Reliquit Judam belli ducem a Ptolemaide usque ad Gerrhenorum principium*, ut nomine Antiochi quasi prorex illas regiones administraret. Vers. 24

25. UT AUTEM VENIT PTOLEMAIDAM, GRAVITER FERBERANT PTOLEMENSES AMICITIÆ CONJUNCTIONEM, INDIGNANTES NE FORTE FŒDUS IRRUMPERENT. — Græce, *Indignabantur pro eo quod irrita facere voluerant fœdera* : quod nonnihil sic exponunt, *q. d.* Ptolemenses indigne ferebant quædam ab Antiocho concessa Judæis, ob quæ ipsi Ptolemenses voluerant fœdera pacis irrita facere. Sed hic sensus non consentit cum Latina vulgata, quæ plane motum rumpendi fœderis Judæis attribuit, *q. d.* Ptolemenses indignabantur hoc fœdus ab Antiocho cum Judæis initum, ac præsertim Judæ Machabæo, quasi prorege se ab eo subjectos fuisse, eo quod metuerent ne Judas et Judæi jam potentiores facti insolescerent, ac fœdus cum rege initum abrumperent, atque sese quoque et virinas regiones, utpote jam Judæ subditas, secum eidem rebellare compellerent. Erant enim Ptolemenses Judæorum hostes, ut patet ex eo quod ipsi Jonathan Judæ fratrem per proditionem captum cum suis occiderint, ut dictum est libro I, cap. XII, vers. 48 (1). Vers. 25

26. TUNC ASCENDIT LYSIAS TRIBUNAL (quasi suggestum altum et elevatum, ex quo ab omnibus videri et audiri posset), ET EXPOSUIT RATIONEM (cur hoc fœdus initum esset, scilicet quod expediret, tam regi, quam ipsis, cum Juda et Judæis, utpote viris fortissimis, felicissimis, justissimis et fidelissimis pacem colere, itaque) POPULUM (tumultuantem) SEDAVIT. Vers. 26

(1) Talis esse hujusce versus interpretatio nobis videtur juxta textum græcum : Graviter ferebant Ptolemenses propter pacta, id est, cum Antiochus venisset Ptolemaidem, reperit cives causa pactorum magna molestia indignationeque affectos, scilicet causa Ptolemensium molestiæ indignationisque fuit pax cum Judæis constituta, qua conditiones pacis et conventionis quam rex cum ipsis fecerat violari videbatur; et sic Græcus cum Vulgata quoad sensum concordat.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Demetrius evasa fuga, et Antiocho Eupatore, mandante Alcimo pontifice, mittit Nicanorem cum magno exercitu contra Judæos et Judam; sed is Judæ cum Juda suis : ægre id fert Demetrius, jubetque ut Judam vinctum ad se mittat. Judas vel præsentiens se locum tutum esse recipit : nec Nicanor eum in Judam conceptam in Iacrimas negoti nomists circumvenit. Sed Razias trina ratione mortem violentam sibi infert, sese, qui plagis incidit.

1. Sed post triennii tempus, cognovit Judas, et qui cum eo erant, Demetrium Seleuci cum multitudine valida, et navibus, per portum Tripolis ascendisse ad loca opportuna, 2. et tenuisse regiones adversus Antiochum, et ducem ejus Lysiam. 3. Alcimus autem quidam, qui summus sacerdos fuerat, sed voluntarie coinquinatus est temporibus commixtionis, considerans nullo modo sibi esse salutem, neque accessum ad altare, 4. venit ad regem Demetrium, centesimo quinquagesimo anno, offerens ei coronam auream et palmam, super hæc et thallos, qui templi esse videbantur. Et ipsa quidem die siluit. 5. Tempus autem opportunum dementiæ suæ nactus, convocatus a Demetrio ad consilium, et interrogatus quibus rebus et consiliis Judæi niterentur, 6. respondit : Ipsi qui dicuntur Assidæi Judæorum, quibus præest Judas Machabæus, bella nutriunt, et seditiones movent, nec patiuntur regnum esse quietum. 7. Nam et ego defraudatus parentum gloria (dico autem summo sacerdotio) huc veni : 8. primo quidem utilitatibus regis fidem servans, secundo autem etiam civibus consulens; nam illorum pravitate universum genus nostrum non minime vexatur. 9. Sed ero his singulis, o rex, cognitis, et regioni, et genori, secundum humanitatem tuam pervulgatam omnibus prospice. 10. Nam, quamdiu superest Judas, impossibile est pacem esse negotiis. 11. Talibus autem ab hoc dictis, et cæteri amici, hostiliter se habentes adversus Judam, inflammaverunt Demetrium. 12. Qui statim Nicanorem præpositum elephantorum ducem misit in Judæam. 13. Datis mandatis, ut ipsum quidem Judam caperet; eos vero, qui cum illo erant, dispergeret, et constitueret Alcimum maximi templi summum sacerdotem. 14. Tunc gentes, quæ de Judæa fugerant Judam, gregatim se Nicanori miscebant; miserias et clades Judæorum, prosperitates rerum suarum existimantes. 15. Audito itaque Judæ Nicanoris adventu, et conventu nationum, conspersi terra rogabant eum, qui populum suum constituit, ut in æternum custodiret, quique suam portionem signis evidentibus protegit. 16. Imperante autem duce, statim inde moverunt, convenerunteque ad castellum Dessau. 17. Simon vero frater Judæ commiserat cum Nicanore : sed conterritus est repentino adventu adversariorum. 18. Nicanor tamen, audiens virtutem comitum Judæ, et animi magnitudinem, quam pro patriæ certaminibus habebant, sanguine judicium facere metuebat. 19. Quamobrem præmisit Posidonium et Theodotium, et Matthiam, ut darent dextras, atque acciperent. 20. Et cum diu de his consilium ageretur, et ipse dux ad multitudinem retulisset, omnium una fuit sententia amicitiis annuere. 21. Itaque diem constituerunt, qua secreto inter se agerent; et singulis sellæ prolatæ sunt et positæ. 22. Præcepit autem Judas armatos esse locis opportunis, ne forte ab hostibus repente mali aliquid oriretur : et congruum colloquium fecerunt. 23. Morabatur autem Nicanor Jerosolymis, nihilque inique agebat; gregesque turbarum, quæ congregatæ fuerant, dimisit. 24. Habebat autem Judam semper charum ex animo, et erat viro inclinatus. 25. Rogavitque eum ducere uxorem, filiosque procreare. Nuptias fecit, quiete egit, communiterque vivebant. 26. Alcimus autem, videns charitatem illorum ad invicem et conventiones, venit ad Demetrium, et dicebat Nicanorem rebus alienis assentire, Judamque regni insidiatorem successorem sibi destinasse. 27. Itaque rex exasperatus, et pessimis hujus criminationibus irritatus, scripsit Nicanori, dicens graviter quidem se ferre de amicitiæ conventione, jubere tamen Machabæum citius vinctum mittere Antiochiam. 28. Quibus cognitis Nicanor consternabatur, et graviter ferebat, si ea, quæ convenerant, irrita faceret, nihil læsus a viro : 29. sed, quia regi resistere non poterat, opportunitatem observabat, qua præceptum perficeret. 30. At Machabæus, videns secum austerius agere Nicanorem, et consuetum occursum ferocius exhibentem, intelligens non ex bono esse austeritatem istam, paucis suorum congregatis, occultavit se a Nicanore. 31. Quod cum ille cognovit fortiter se a viro præventum, venit ad maximum et sanctissimum templum : et sacerdotibus solitas hostias offerentibus, jussit sibi tradi virum. 32. quibus cum juramento dicentibus nescire se ubi esset qui quærebatur, extendens manum ad templum, 33. juravit, dicens : Nisi Judam mihi vinctum tradideritis, istud Dei famum in planitiem deducam, et altare effodiam, et templum hoc Libero patri consecrabo. 34. Et his dictis, abiit; sacerdotes autem protendentes manus in cælum, invocabant eum, qui semper propugnator esset gentis ipsorum, hæc dicentes : 35. Tu, Domine universorum, qui nullius indiges, voluisti templum habitationis tuæ fieri in nobis. 36. Et nunc, Sancte sanctorum omnium Domine, conserva in æternum impollutum domum istam, quæ nuper mundata est. 37. Razias autem quidam de senioribus ab Jerosolymis delatus est Nicanori, vir amator civitatis, et bene audiens : qui pro affectu patet Judæorum appellabatur. 38. Hic multis temporibus continentiæ propositum tenuit in Judaismo, corpusque et animam tradere contentus pro persecutantia. 39. Volens autem Nicanor manifestare odium quod habebat in Judæos, misit milites quingentos, ut eum comprehenderent. 40. Putabat enim, si illum decepisset, se cladem Judæis maximam illaturum. 41. Turbis autem irruere in domum ejus, et januam disrumpere, atque ignem admovere cupientibus, cum jam comprehenderetur, gladio se petit; 42. eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus, et contra natales suos indignis injuriis agi. 43. Sed, cum per festinationem non certo ictu plagam dedisset, et turbæ intra ostia irruperent, recurrens audacter ad murum, præcipitavit semetipsum viriliter in turbas : 44. quibus velociter locum dantibus casui ejus, venit per medias cervicem; 45. et cum adhuc spiraret, accensus animo, surrexit : et cum sanguis ejus magno fluxu defluxeret, et gravissimis vulneribus esset saucius, cursu turbam pertransiit : 46. et stans supra quamdam petram præruptam, et jam exsanguis effectus, complexus intestina sua, utrisque manibus projecit super turbas, invocans dominatorem vitæ ac spiritus, ut hæc illi iterum redderet : atque ita vita defunctus est.

Hoc caput et sequens connexum est cum cap. VII libri I.

1. SED POST TRIENNII TEMPUS. — Id est, tertio anno a morte Antiochi Epiphanis, puta anno 150 Græcorum, ut dicitur vers. 4. Supponit enim Auctor hujus libri II Antiochum Epiphanem defunctum esse anno 148 Græcorum, licet enim mortuus sit anno 149, juxta computum Judaicum, tamen annus hic 149 erat 148, juxta computum Antiochenum, ut dixi superius; ac consequenter annus hic 150 Græcorum juxta computum Antiochenum erat 151 juxta computum Judaicum.

DEMETRIUM SELEUCI. — Seleucus hic erat senior Antiochi Magni filius; junior vero filius ejusdem erat Antiochus Epiphanes. Quare Demetrio, utpote senioris fratris filio, debebatur regnum Asiæ et Syriæ. Demetrius ergo Romæ obses, audiens patrem suum Antiochum Epiphanem vita functum, petiit a Romanis licentiam redeundi ad suos, regnumque jure sibi debitum occupandi. Verum Romani illam ei negarunt, eo quod eum magis metuerent, quam Eupatorem Epiphanis filium, utpote pueruni. Quare Demetrius clam Roma aufugiens venit in Syriam, ubi a suis in regem coronatus, occisis Eupatore et Lysia, regnum occupavit, uti dixi lib. I, cap. VII.

3. ALCIMUS AUTEM. (De hoc Alcimo pseudo-pontifice et proditore dixi lib. I, cap. VII, 7.) SED VOLUNTARIE COINQUINATUS EST TEMPORIBUS COMMIXTIONIS; (cum scilicet Antiochus Epiphanes juberet Judæos misceri Gentilibus, et a Judaismo ad Gentilismum apostatare, tunc apostatavit et Alcimus; quare) CONSIDERANS NULLO MODO SIBI ESSE SALUTEM, NEQUE ACCESSUM AD ALTARE, — tum quia Judæi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

eum ut apostatam a templo exclusissent, tum quia Judas Machabæus jam fungens Pontificatu et principatu, nullo modo Alcimum quasi æmulum possus fuisset; quocirca Alcimus rogavit Demetrium ut Nicanorem contra Judam mitteret, itaque sibi Pontificatum conferret.

Vers. 4. 4. OFFERENS EI CORONAM AUREAM (qua novo regi Demetrio novum regnum gratulabatur) ET PALMAM, (qua eidem victoriam contra Judam optabat, eosque hostes apprecabatur,) ET RAMUM, (id est, ramos ex olea arbore, quibus pacem flagitabat: olea enim symbolum est pacis, sed hæc sacrilegus abstulerat e templo. Unde sequitur:) QUI TEMPLI ESSE VIDEBANTUR. — Potio in rami et palmæ, atque ne coronæ, erant ex auro fabricatæ.

Vers. 6. 6. ISSI QUI MUNITUM ASSIDEI, (quam hi fuerint dixi lib. I, cap. VII, 13,) QUIBUS PRÆERAT JUDAS MACHABÆUS. — Hinc patet Judam religione et pietate fuisse Assidæum, imo Assidæorum primatem et principem.

Vers. 10. 18. NICANOR TAMEN AUDIENS VIRTUTEM COMITUM JUDÆ, etc., SANGUINE JUDICIUM FACERE METUEBAT, — id est prælio decertare, illumque armis defiuire metuebat; timebat enim a Juda vinci et cædi, quare legatos ad eum pacis causa misit, pacemque cum eo iniit.

Vers. 24. 24. HABEBAT AUTEM JUDAM SEMPER CHARUM EX ANIMO. — Græce τὸ προσωπον, id est *in facie*, *q. d.* Nicanor semper habebat Judam præ oculis quasi sibi amicum et familiarem.

ET ERAT VIRO INCLINATUS, — id est propensus et benevolus in Judam. Aliqui contrarie explicant τὸ « in facie, » *q. d.* Nicanor exterius simulabat se amicum Judæ; sed interius eum ut ducem belli fortissimum, qui æquari non posset, oderat, ideoque suadebat ei uxorem ducere, ut per eam effeminaretur, et spiritus bellicos deponeret; sicut Samson per suam Dalilam effeminatus est, et fortitudine spoliatus. Verum hic sensus repugnat Vulgatæ, quæ ait: « Habebat Judam charum ex animo. »

Vers. 25. 25. ROGAVITQUE EUM (Judam) UXOREM DUCERE, FILIOSQUE PROCREARE, — ut prolem sibi similem procrearet, in eamque suam fortitudinem et virtutem bellicam transfunderet; nam ut ait Lyricus:

> Fortes creantur fortibus et bonis.
> Est in juvencis, est in equis patrum
> Virtus, nec imbellem feroces
> Progenerant aquilæ columbam.

Ita Horatius, lib. IV *carm.* ode IV. Gorionides addit Judam ex uxore filium masculum genuisse; sed ille videtur mox interiisse neque ac Judas, qui sequenti anno in prælio occubuit; nam nulla filii ejus in Scriptura fit mentio.

CONVENITQUE VIVEBANT, — scilicet Judas et Nicanor sibi mutuo erant familiares. Aliter Serarius Græcum ἐχρῶντο, *habebant familiares filios* vertit: *Communem egit vitam*, sive *communiter vivebat*, scilicet Judas, *q. d.* Judas nil habebat proprium; sed quasi Assidæus, sive Essenus, cum sociis vivebat in communi, uti nunc vivunt religiosi.

Vers. 26. 26. ALCIMUS AUTEM, etc., *q. d.* (Alcimus Judæ æmulus apud Demetrium regem accusavit Nicanorem, quod cum hoste suo Juda fœdus iniisset, eumque) REGNI INSIDIATOREM SUCCESSORUM (Græce διάδοχον, id est vicarium) SIBI (qui scilicet loco suo castris præesset) DESTINASSET; — unde iratus Demetrius jussit Nicanori ut Judam caperet, captumque ad se mitteret; Judam enim regno suo insidiari.

Vers. 31. 31. FORTITER (Græce *generose*) SE A VINO (Judæ) PRÆVENTUM. — Generosi enim est prudenter prævidere insidias futuras et pericula, eaque præcavere, ac se suaque in tuto collocare, uti fecit hic Judas.

Vers. 37. 37. RAZIAS AUTEM QUIDAM DE SENIORIBUS (id est, unus e Senatoribus et Primoribus Jerosolymitanis,) QUI PRO AFFECTU (pro amore in suos cives et patriam) PATER JUDÆORUM APPELLABATUR:

Vers. 38. 38. HIC MULTIS TEMPORIBUS CONTINENTIÆ PROPOSITUM TENUIT IN JUDAISMO, — « continentiæ, » scilicet ab uxore, id est castitatis, aut celibatus: ita aliqui. Aut potius continentiæ, scilicet in vera Dei fide et cultu, *q. d.* Raziæ semper etiam in persecutione continuit se in Judaismo et avita religione, nec se cum multis ab ea ad Gentilismum sub Epiphane apostantibus commiscuit: hoc enim significat Græcum ἁμιξίας, id est incommixtionis; et hoc notat τὸ « propositum continentiæ tenuit in Judaismo, » nimirum perseverantiam constantem usque ad mortem in Judaismo; unde idipsum mox explicans subdit: CORPUSQUE ET ANIMAM TRADERE CONTENTUS PRO PERSEVERANTIA in acuta Judæorum religione. Addit Gorionides Raziam professione fuisse Assidæum.

Vers. 40. 40. PUTABAT ENIM, SI ILLUM DECIPISSET. — Satius censet legendum « cepisset; » Græce enim est ἐκδῆσαι, id est, « si illum comprehendisset. »

Vers. 41. 42. ELIGENS NOBILITER (Græce ἐγενναίως, id est generose) MORI POTIUS QUAM SUBDITUS FIERI PECCATORIBUS ET CONTRA NATALES SUOS (natus ergo fuit Razias nobilibus parentibus) INDIGNIS INJURIIS AGI. — Græce: *Et propria nobilitate indigne contumeliis affici.* Hic fuit sensus Raziæ, uti fuit aliorum nobilium hujus sæculi, qui generosum putant mori potius, quam ludibria indigna pati. Verum alius est sensus fidelium et Christianorum, præsertim Apostolorum et martyrum, de quibus proinde dicitur *Act.* V: « Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. »

Vers. 46. 44. VENIT PER MEDIAM CERVICEM. — Græce per medium ventrem, *q. d.* Cecidit in terram non prono capite, sed in ventrem, ita ut medium cervicem ad humum allideret. Razias ergo trina morte se confecit: *primo* enim gladio se confodit; *secundo*, ex muro se præcipitavit; *tertio*, ambabus manibus viscera in turbam projecit.

Quæres an Razias occidendo se peccarit. Sapiendo ex communi sententia S. Augustini, Lactantii, S. Thomæ cæterorumque Ecclesiæ Doctorum non licere homini se occidere ad vitandam infamiam, violationem pudicitiæ, peccandi periculum, aliamve ob causam. Ratio a priori est quod Deus solus sit vitæ nostræ dominus, qui ut eam dedit, sic et repetit, recipitque quando ei libuerit. Quare injuriam Deo facit, qui se occidit; quia rem Deo propriam, puta vitam suam illi eripit. Vide S. Augustinum, lib. I *De Civitat. Dei* a cap. XX, usque ad XXIV.

Hoc quoad thesin, nunc ad hypothesin descendamus, et disquiramus an Razias hic et nunc se occidendo peccarit, an non.

Primo, S. Augustinus, lib. II *Contra epist. Gaudentii*, cap. XXIII, magis propendet eo, ut censeat eum peccasse, præsertim ob Circumcelliones, qui Raziæ exemplum imitantes se ipsos necabant, quasi hoc esset honestum; imo quoddam martyrium. Quare laudari quidem hic Raziam a probitate, continentia, auctoritate et amore patriæ, non tamen a sui occisione: « Humilitatem, inquit, inter manus inimicorum non valens ferre, non plane sapientiæ, sed insipientiæ dedit exemplum, non Christi martyribus, sed Donati Circumcellionibus imitandum. » Et inferius: « Unde illi tanquam homini subrepsit humilitatis impatientia, ut prius mori vellet, quam hostibus subjici. Dictum est quod elegerit nobiliter mori; melius vellet humiliter, sic enim utiliter. Illis autem verbis historia gentium laudare consuevit, sed viros fortes hujus sæculi, non martyres Christi. Dictum est quod se viriliter de muro præcipitavit in turbas, nec nos dicimus eum hoc fecisse muliebriter, quanquam vos qui multum exemplo isto profecistis, etiam feminas vestras hoc facere docuistis. Sed fatemur etiam ipsas hoc non facere muliebriter, sed viriliter; non tamen salubriter, quia non fideliter. » *Secundo*, Franciscus de Victoria, *Relect. de Homicidio*, et S. Thomas respondent Raziam non peccasse, eo quod ex Spiritus Sancti instinctu voluntariam sibi mortem conscivérit. Sed hujus instinctus nulla hic apparet scintilla, præsertim quia non solet Spiritus Sanctus inspirare, ut quis se occidat ad vitandam ludibrii infamiam, uti fecit hic Razias; hoc enim in se inhonestum et illicitum est.

Tertio, ergo dico Raziam hic a peccato excusari per ignorantiam inculpatam, qua ignorabat sui occisionem tali casu esse illicitam, imo ipse eam licitam, honestam, nobilem et generosam esse arbitrabatur, ut dicitur vers. 42. Sicut enim olim multi veterum tam philosophorum, quam Doctorum Ecclesiæ, putarunt mendacium quandoque esse licitum, sic idem censuerunt de sui occisione. Hæc enim fuit sententia Stoicorum quam sæpius inculcat Seneca, *epist.* 12, 17, 24, 58, 59, 71, 78. Eamdem indicat Cicero, lib. I, *epist.* 12 et 22, ac Plinius. Eadem fuit sententia aliquorum Hebræorum apud Josephum, lib. XII, cap. V, et lib. XV, cap. VIII. Eadem fuit S. Hieronymi in cap. L *Jonæ*, versus finem, ubi sic ait: « Unde in persecutionibus non licet propria perire manu absque eo ubi castitas periclitatur; » ubi plane indicat quod in periculo castitatis liceat seipsum occidere. Sic S. Ambrosius, lib. III *De Virgin.*, imo medium, et Eusebius, lib. VIII *Histor.* cap. XII et XVII, et Palladius in *Lausiaca*, cap. CL, laudant feminas, quæ se occiderunt ne violarentur. Neque id tribuunt divinæ inspirationi, sed laudant factum tanquam honestum ob talem finem. Simili modo D. Soto excusat S. Apolloniam, lib. V *De Justitia*, *Quæst.* I, art. 5, in fine: Nam se occidere ob patriæ salutem, aut pudicitiæ custodiam non est ita evidens esse malum quin inculpate possit ignorari, et putari esse licitum, uti putarunt viri doctissimi jam citati, quos secutus Cato Romanorum sapientissimus seipsum occidit, ne Cæsari victori se dedens foret ludibrio. Sic ergo et Razias per ignorantiam excusandus videtur a peccato, præsertim quia ipse erat quasi caput senatus, et princeps Israelis; unde ludibria illi ab Antiocho irroganda senatui et toti Israeli irrogata fuissent; maluit ergo mori, quam se totumque Israelem injuriis et ludibrio regis idolatriæ exponere. Adde, potuisse regem fingere Raziam a Judaismo apostatasse, et ad suam idololatriam apostatasse: quæ res multos Judæorum commovisset, ut ejus exemplum sequerentur, et apostatarent. Insuper poterat metuere Razias ne acerbitate tormentorum victus cederet Antiocho, et vere a fide apostataret, quod ingens foisset toti Israeli scandalum. Quare prudenter videbatur sibi facturus, si hæc omnia pericula et damna voluntaria morte abscinderet. Sic in Historiis Judicis apud Hieronymum Osorium, lib. VIII *De Gestis Emman.*, post initium, legimus Joannem Machiadum Lusitanum virum fidelem duos filiolos suos ex pietate occidisse, ut eos periculo Mahometismi, indeque damnationis æternæ eriperet. Jam enim sapiendi erant a Mahometanis, et ab eis in perfidia suaseducendi. Ita Raziam per ignorantiam excusat Lessius, lib. II *De Justitia*, cap. IX, dubio 6, num. 23; idque confirmatur ex eo quod Razias hic a virtute et probitate eximia commendetur, qui utique non se occidisset, nisi id putasset esse licitum, imo honestum et generosum. Unde et exprimens vers. 46, actum fidei et spei in Deum elicuit, « invocans dominatorem vitæ ac spiritus, ut hæc illi iterum redderet » in beata resurrectione.

Supposita hac Raziæ ignorantia heroicus fuit hic ejus actus fortitudinis, quo se pro honore patriæ, et avita religione conservanda occidit, ideoque, vers. 42, de eo dicitur: « Eligens nobiliter mori. » Longe enim difficilius est seipsum occidere, quam necem ab alio illatam sustinere; quare posita ignorantia quod eo casu liceat seipsum occidere, Razias summum fortitudinis actum se non semel, sed tertio feriendo et interimendo elicuit. Natura enim summe amat se suamque

vitam; quare generosissimæ fortitudinis est hunc naturæ affectum transcendere, ac sponte pro Deo vitam ponere.

Hinc discant fideles quam fortiter tormenta et mortem pro fide et pietate inflicta sustinere debeant. Si enim Razias Judæus, obscuram habens resurrectionis fidem et spem, seipsum pro ea occidit, cur non Christianus post Christi aliorumque resurgentium exempla necem pro illo irrogatam ultro amplectatur, cum certus sit se per illam ad beatam et æternam vitam transmitti? Fixum enim est illud Christi oraculum, pariter et promissum: « Qui perdiderit animam (vitam) suam propter me, inveniet eam, » *Matth.* x, 39. Rursum cur non concupiscentiam et carnem suam mortificet, quam per mortificationem credit vivificandam et liberandam in cœlis? mortificatio enim est quasi viva quædam mors, qua homo carnales appetitus in se vivos per serium voluntatis contrariæ propositum abdicat et resecat. Unde hanc resectionem ad vivum sentit, doletque perinde ac si dens sibi evelleretur. Audi S. Ambrosium, lib. III *De Virgin.*, miris elogiis celebrantem S. Pelagiam virginem quindecim annorum, quæ se cum matre et sororibus in flumen injecit, mersitque ne violaretur: « Consertis manibus, tanquam choros ducerent, in medium progrediuntur alveum, ubi unda torrentior, ubi profundum abruptius illo vestigia dirigentes. Nulla pedem retulit, nulla suspendit incessum, nulla tentavit ubi gressum figeret; anxiæ cum terra occurreret, offensæ vado, lætæ profundo. Videres piam matrem stringentem nodo manus, gaudere de pignore, timere de casu; ne sibi filias vel fluctus auferret. Has tibi, inquit, hostias, Christe, immolo, præsules virginitatis, duces castitatis, comites passionis. » Porro Ecclesia has feminas, quo se pro castitate tuenda occiderunt, colit ut martyres, quia ipsæ ad hoc quasi compulsæ fuerant. Unde cum ipse in eo facto non peccaverint secundum moralem æstimationem censentur ab ipsis persecutoribus occisæ, et sic sunt martyres. Si quis idem dicere velit de Razia, non repugnabo.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nicanor, superbe contemnens Deum, invadit Judam et Judæos; Judas, visione Oniæ et Jeremiæ donatus sibi gladium, animatus, animat milites; quare Nicanorem prosternit, ejusque caput et manum muro ex adverso templi suspendit, ac linguam blasphemam dissectam avibus carnibusque projicit. Denique Judæi Deo canunt epinicion, et festum quotannis pro gratiarum actione die 13 Adar celebrandum instituunt.

1. Nicanor autem, ut comperit Judam esse in locis Samariæ, cogitavit cum omni impetu die sabbati committere bellum. 2. Judæis vero, qui illum per necessitatem sequebantur, dicentibus: Ne ita ferociter et barbare feceris, sed honorem tribue diei sanctificationis, et honora eum, qui universa conspicit: 3. ille infelix interrogavit si est potens in cœlo, qui imperavit agi diem sabbatorum. 4. Et respondentibus illis: Est Dominus vivus ipse in cœlo potens, qui jussit agi septimam diem. 5. At ille ait: Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, et negotia regis impleri. Tamen non obtinuit ut consilium perficeret. 6. Et Nicanor quidem cum summa superbia erectus, cogitaverat commune trophæum statuere de Juda. 7. Machabæus autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi a Deo affuturum; 8. et hortabatur suos ne formidarent ad adventum nationum, sed in mente haberent adjutoria sibi facta de cœlo, et nunc sperarent ab Omnipotente sibi affuturam victoriam. 9. Et allocutus eos de Lege et Prophetis, admonens etiam certaminum quæ fecerant prius, promptiores constituit eos: 10. et ita animis eorum erectis, simul ostendebat Gentium fallaciam, et juramentorum prævaricationem. 11. Singulos autem illorum armavit, non clypei et hastæ munitione, sed sermonibus optimis et exhortationibus, exposito digno fide somnio, per quod universos lætificavit. 12. Erat autem hujuscemodi visus: Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum et benignum, verecundum visu, modestum moribus, et eloquio decorum, et qui a puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum; 13. post hoc apparuisse et alium virum, ætate et gloria mirabilem, et magnæ decoris habitudine circa illum; 14. respondentem vero Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, et populi Israel; hic est, qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei. 15. Extendisse autem Jeremiam dextram, et dedisse Judæ gladium aureum, dicentem: 16. Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel. 17. Exhortati itaque Judæ sermonibus bonis valde, de quibus extolli posset impetus, et animi juvenum confortari, statuerunt dimicare et confligere fortiter, ut virtus de negotiis judicaret; eo quod civitas sancta et templum periclitarentur. 18. Erat enim pro uxoribus et filiis, itemque pro fratribus et cognatis, minor sollicitudo: maximus vero et primus pro sanctitate timor erat templi. 19. Sed eos qui in civitate erant non minima sollicitudo habebat pro his qui congressuri erant. 20. Et, cum jam omnes sperarent judicium futurum, hostesque adessent, atque exercitus esset ordinatus, bestiæ equitesque opportuno in loco compositi, 21. considerans Machabæus adventum multitudinis, et apparatum varium armorum, et ferocitatem bestiarum, extendens manus in cœlum, prodigia facientem Dominum invocavit, qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam. 22. Dixit autem invocans hoc modo: Tu, Domine, qui misisti angelum tuum sub Ezechia rege Juda, et interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia; 23. et nunc, Dominator cœlorum, mitte angelum tuum bonum ante nos, in timore et tremore magnitudinis brachii tui, 24. ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum. Et hic quidem ita peroravit. 25. Nicanor autem, et qui cum ipso erant, cum tubis et canticis admovebant. 26. Judas vero, et qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congressi sunt: 27. manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnifice delectati. 28. Cumque cessassent, et cum gaudio redirent, cognoverunt Nicanorem ruisse cum armis suis. 29. Facto itaque clamore, et perturbatione excitata, patria voce omnipotentem Dominum benedicebant. 30. Præcepit autem Judas, qui per omnia corpore et animo mori pro civibus paratus erat, caput Nicanoris, et manum cum humero abscissam, Jerosolymam perferri. 31. Quo cum pervenisset, convocatis contribulibus et sacerdotibus ad altare, accersit et eos qui in arce erant. 32. Et ostenso capite Nicanoris, et manu nefaria, quam extenderat contra domum sanctam omnipotentis Dei, magnifice gloriatus est. 33. Linguam etiam impii Nicanoris præcisam jussit particulatim avibus dari: manum autem dementis contra templum suspendi. 34. Omnes igitur cœli benedixerunt Dominum, dicentes: Benedictus, qui locum suum incontaminatum servavit. 35. Suspendit autem Nicanoris caput in summa arce, ut evidens esset et manifestum signum auxilii Dei. 36. Itaque omnes communi consilio decreverunt nullo modo diem istum absque celebritate præterire: 37. habere autem celebritatem tertia decima die mensis Adar, quod dicitur voce Syriaca, pridie Mardochæi diei. 38. Igitur his erga Nicanorem gestis, et ex illis temporibus ab Hebræis civitate possessa, ego quoque in his faciam finem sermonis. 39. Et si quidem bene, et ut historiæ competit, hoc et ipse velim: sin autem minus digne, concedendum est mihi. 40. Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est, alternis autem uti delectabile: ita legentibus, si semper exactus sit sermo, non erit gratus. Hic ergo erit consummatus.

1. NICANOR, etc., COGITAVIT CUM OMNI IMPETU DIE SABBATI COMMITTERE BELLUM, — quia præsumebat Judæos ob quietem religiosam sabbati a Deo præceptam eo die non pugnaturos, sed permissuros se occidi.

5. AT ILLE AIT: ET EGO POTENS SUM SUPER TERRAM QUI IMPERO SUMI ARMA — in sabbato. Vide hic blasphemum factum, quo se Deo æquat, q. d. Deus in suo cœlo imperet; sed ego impero in terra, jubeoque vos, o Judæi, quos ego coegi mea castra sequi, die sabbati pugnare contra Judam et Judæos confœderatos vestros; qua blasphema Judæorum se sequentium iram accendit, ut illi obedire nollent, ac Dei indignationem in se concitavit, ut a Juda caederetur, truncaretur et suspenderetur. Videbatur enim Deum e

vitam; quare generosissimæ fortitudinis est hunc naturæ affectum transcendere, ac sponte pro Deo vitam ponere.

Hinc discant fideles quam fortiter tormenta et mortem pro fide et pietate inflicta sustinere debeant. Si enim Razias Judæus, obscuram habens resurrectionis fidem et spem, seipsum pro ea occidit, cur non Christianus post Christi aliorumque resurgentium exempla necem pro illo irrogatam ultro amplectatur, cum certus sit se per illam ad beatam et æternam vitam transmitti? Fixum enim est illud Christi oraculum, pariter et promissum: « Qui perdiderit animam (vitam) suam propter me, inveniet eam, » *Matth.* x, 39. Rursum cur non concupiscentiam et carnem suam mortificet, quam per mortificationem credit vivificandam et liberandam in cœlis? mortificatio enim est quasi viva quædam mors, qua homo carnales appetitus in se vivos per serium voluntatis contrariæ propositum abdicat et resecat. Unde hanc resectionem ad vivum sentit, doletque perinde ac si dens sibi evelleretur. Audi S. Ambrosium, lib. III *De Virgin.*, miris elogiis celebrantem S. Pelagiam virginem quindecim annorum, quæ se cum matre et sororibus in flumen injecit, mersitque ne violaretur: « Consertis manibus, tanquam choros ducerent, in medium progrediuntur alveum, ubi unda torrentior, ubi profundum abruptius illo vestigia dirigentes. Nulla pedem retulit, nulla suspendit incessum, nulla tentavit ubi gressum figeret; anxiæ cum terra occurreret, offensæ vado, lætæ profundo. Videres piam matrem stringentem nodo manus, gaudere de pignore, timere de casu; ne sibi filias vel fluctus auferret. Has tibi, inquit, hostias, Christe, immolo, præsules virginitatis, duces castitatis, comites passionis. » Porro Ecclesia has feminas, quo se pro castitate tuenda occiderunt, colit ut martyres, quia ipsæ ad hoc quasi compulsæ fuerant. Unde cum ipse in eo facto non peccaverint secundum moralem æstimationem censentur ab ipsis persecutoribus occisæ, et sic sunt martyres. Si quis idem dicere velit de Razia, non repugnabo.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nicanor, superbe contemnens Deum, invadit Judam et Judæos; Judas, visione Oniæ et Jeremiæ donatus sibi gladium, animatus, animat milites; quare Nicanorem prosternit, ejusque caput et manum muro ex adverso templi suspendit, ac linguam blasphemam dissectam avibus carnibusque projicit. Denique Judæi Deo canunt epinicion, et festum quotannis pro gratiarum actione die 13 Adar celebrandum instituunt.

1. Nicanor autem, ut comperit Judam esse in locis Samariæ, cogitavit cum omni impetu die sabbati committere bellum. 2. Judæis vero, qui illum per necessitatem sequebantur, dicentibus: Ne ita ferociter et barbare feceris, sed honorem tribue diei sanctificationis, et honora eum, qui universa conspicit: 3. ille infelix interrogavit si est potens in cœlo, qui imperavit agi diem sabbatorum. 4. Et respondentibus illis: Est Dominus vivus ipse in cœlo potens, qui jussit agi septimam diem. 5. At ille ait: Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, et negotia regis impleri. Tamen non obtinuit ut consilium perficeret. 6. Et Nicanor quidem cum summa superbia erectus, cogitaverat commune trophæum statuere de Juda. 7. Machabæus autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi a Deo affuturum; 8. et hortabatur suos ne formidarent ad adventum nationum, sed in mente haberent adjutoria sibi facta de cœlo, et nunc sperarent ab Omnipotente sibi affuturam victoriam. 9. Et allocutus eos de Lege et Prophetis, admonens etiam certaminum quæ fecerant prius, promptiores constituit eos: 10. et ita animis eorum erectis, simul ostendebat Gentium fallaciam, et juramentorum prævaricationem. 11. Singulos autem illorum armavit, non clypei et hastæ munitione, sed sermonibus optimis et exhortationibus, exposito digno fide somnio, per quod universos lætificavit. 12. Erat autem hujuscemodi visus: Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum et benignum, verecundum visu, modestum moribus, et eloquio decorum, et qui a puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum; 13. post hoc apparuisse et alium virum, ætate et gloria mirabilem, et magnæ decoris habitudine circa illum; 14. respondentem vero Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, et populi Israel; hic est, qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei. 15. Extendisse autem Jeremiam dextram, et dedisse Judæ gladium aureum, dicentem: 16. Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel. 17. Exhortati itaque Judæ sermonibus bonis valde, de quibus extolli posset impetus, et animi juvenum confortari, statuerunt dimicare et confligere fortiter, ut virtus de negotiis judicaret; eo quod civitas sancta et templum periclitarentur. 18. Erat enim pro uxoribus et filiis, itemque pro fratribus et cognatis, minor sollicitudo: maximus vero et primus pro sanctitate timor erat templi. 19. Sed eos qui in civitate erant non minima sollicitudo habebat pro his qui congressuri erant. 20. Et, cum jam omnes sperarent judicium futurum, hostesque adessent, atque exercitus esset ordinatus, bestiæ equitesque opportuno in loco compositi, 21. considerans Machabæus adventum multitudinis, et apparatum varium armorum, et ferocitatem bestiarum, extendens manus in cœlum, prodigia facientem Dominum invocavit, qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam. 22. Dixit autem invocans hoc modo: Tu, Domine, qui misisti angelum tuum sub Ezechia rege Juda, et interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia; 23. et nunc, Dominator cœlorum, mitte angelum tuum bonum ante nos, in timore et tremore magnitudinis brachii tui, 24. ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum. Et hic quidem ita peroravit. 25. Nicanor autem, et qui cum ipso erant, cum tubis et canticis admovebant. 26. Judas vero, et qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congressi sunt: 27. manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnifice delectati. 28. Cumque cessassent, et cum gaudio redirent, cognoverunt Nicanorem ruisse cum armis suis. 29. Facto itaque clamore, et perturbatione excitata, patria voce omnipotentem Dominum benedicebant. 30. Præcepit autem Judas, qui per omnia corpore et animo mori pro civibus paratus erat, caput Nicanoris, et manum cum humero abscissam, Jerosolymam perferri. 31. Quo cum pervenisset, convocatis contribulibus et sacerdotibus ad altare, accersit et eos qui in arce erant. 32. Et ostenso capite Nicanoris, et manu nefaria, quam extenderat contra domum sanctam omnipotentis Dei, magnifice gloriatus est. 33. Linguam etiam impii Nicanoris præcisam jussit particulatim avibus dari: manum autem dementis contra templum suspendi. 34. Omnes igitur cœli benedixerunt Dominum, dicentes: Benedictus, qui locum suum incontaminatum servavit. 35. Suspendit autem Nicanoris caput in summa arce, ut evidens esset et manifestum signum auxilii Dei. 36. Itaque omnes communi consilio decreverunt nullo modo diem istum absque celebritate præterire: 37. habere autem celebritatem tertia decima die mensis Adar, quod dicitur voce Syriaca, pridie Mardochæi diei. 38. Igitur his erga Nicanorem gestis, et ex illis temporibus ab Hebræis civitate possessa, ego quoque in his faciam finem sermonis. 39. Et si quidem bene, et ut historiæ competit, hoc et ipse velim: sin autem minus digne, concedendum est mihi. 40. Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est, alternis autem uti delectabile: ita legentibus, si semper exactus sit sermo, non erit gratus. Hic ergo erit consummatus.

1. NICANOR, etc., COGITAVIT CUM OMNI IMPETU DIE SABBATI COMMITTERE BELLUM, — quia præsumebat Judæos ob quietem religiosam sabbati a Deo præceptam eo die non pugnaturos, sed permissuros se occidi.

5. AT ILLE AIT: ET EGO POTENS SUM SUPER TERRAM QUI IMPERO SUMI ARMA — in sabbato. Vide hic blasphemum factum, quo se Deo æquat, q. d. Deus in suo cœlo imperet; sed ego impero in terra, jubeoque vos, o Judæi, quos ego coegi mea castra sequi, die sabbati pugnare contra Judam et Judæos confœderatos vestros; qua blasphema Judæorum se sequentium iram accendit, ut illi obedire nollent, ac Dei indignationem in se concitavit, ut a Juda caederetur, truncaretur et suspenderetur. Videbatur enim Deum e

cœlo ad duellandum secum in terra provocasse.

Athei Dueza ma se cum Jovem certamina. Exempla.

Simili fastu Mezentius Atheus apud Virgilium lib. X *Æneid.* detonat :

> Dextra mihi Deus, et telum, quod missile libro,
> Nunc adsint

Quod de Capaneo Statius, lib. II *Thebaidos* :

> Virtus mihi numen et ensis.

Et iterum de Capaneo lib. X :

> Ades mihi dextera tantum :
> Te præses belli, et inevitabile numen
> Te voco, te solum superum contemptor adoro.

Cæneus hastam suam inter Deos numerari jussit, et per illam juramentum concipi ; unde proverbium : « Cænei hasta, » et apud Plutarchum in *Pelopida* Alexander tyrannus hastam, qua Polyphronem occidit, sacram esse voluit, ornavit et quasi Deum sacrificiis, id est divinis honoribus prosecutus est. Sic de Nabuchodonosore ait Habacuc cap. I, 16 : « Propterea immolavit sagenæ suæ, et sacrificavit reticulo, » ubi sagenam et rete vocat ejus vires, arma et exercitus. Hæc enim ipse colebat ut sua numina, quasi quæ ipsi tot gentes subegerant.

TAMEN NON OBTINUIT, — eo quod Judæi ipsi resisterent, nollentque sabbato contra Judam et Judæos pugnare.

Vers. 9. 9. ET ALLOCUTUS EOS DE LEGE ET PROPHETIS, — *q. d.* Proferens sententias ex S. Scriptura quibus Deus Judæis rite se colentibus et invocantibus victoriam promittit, *Deuter.* XXVIII, et alibi.

Vers. 11. 11. SINGULOS AUTEM ILLORUM ARMAVIT NON CLYPEI ET HASTÆ MUNITIONE (utpote quibus jam erant armati et muniti), SED SERMONIBUS OPTIMIS ET EXHORTATIONIBUS. — Certum enim est eos non inermes, sed armatos prodiisse in prælium.

EXPOSITO DIGNO FIDE SOMNIO, PER QUOD UNIVERSOS LÆTIFICAVIT. — Pro ὡς ἦν, id est *per quod*, Romana habent ὅραμα, id est *vera visio*, quæ non tam somnium quam ipsa veritas erat. Sic Homerus, *Iliad.* ϒ, ait : οὐκέτι ὄνειρ, ἀλλ' ἔναρ, id est non somnium inane et falsum, sed solidum et verum. Ex quo quis opinari posset vere Judam oculis suis vidisse Oniam et Jeremiam, ac ab eo realiter accepisse gladium aureum. Verius tamen est contrarium, scilicet hæc omnia per visionem tantum imaginariam objecta fuisse menti Judæ ; hoc enim significat vox ὄνειρον, id est somnium. Deinde quia si vere accepisset gladium, utique eum commilitonibus suis ad eos animandos ostendisset ; quod tamen fecisse non legitur. Ita Sanctez.

Vers. 12. 12. ONIAM QUI FUERAT SUMMUS SACERDOS. — Onias hic, cognomento Sanctus, notus fuerat Judæ ; unde cum ex facie et visu Judas agnovit. Nam Onias ante undecim annos pontifex fuerat, sed a fratre suo Jasone emente Pontificatum ab Antiocho Epiphane extrusus, ac deinde ab Andronico summi sacerdotii ornatus fuerat anno Græcorum 140, ut dictum est cap. IV, 34. Visus est ergo Judas in somnio sibi videre Oniam sanctum, et zelosum Pontificem orantem pro se totoque Israele.

Quæres, an sicut animæ patrum in limbo, sic et animæ in Purgatorio orent pro nobis ? Affirmant Richardus, in IV. dist. XLV. art. 7, *Quæst.* II, ad 3 ; Gabriel, *in Canonem, lectione* LVIII, circa finem ; Joannes de Medina, *Cod. de Pœnit.* tract. de *Orat.* in quæst. specali. Negant S. Thomas in IV, dist. XV, *Quæst.* IV, art. 3, *Quæst.* II, et in II II, *Quæst.* LXXXIII, art. 4, ad 3, et art. 9, ad 2, et art. 11, ad 3 ; Alensis, IV part. *Quæst.* XCII, mem. 1, art. 3 ; Abulensis, *in Matthæum* cap. VI, *Quæst.* LXXXVII ; S. Antoninus, IV part. tit. V, cap. VIII, § 2 ; Sylvester, verbo *Oratio*, § 3 ; Navarrus super cap. *Quando*. Ratio est, quod animæ illæ non cognoscant orationes nostras, quodque sint in carcere ad patiendum pro suis culpis, non ad orandum pro aliis ; unde otiosum et inordinatum videtur eas invocare. Quare Franciscus Victoria, *Relect. de Magia*, num. 17, improbat morem quorumdam, qui in angustiis invocant animas Purgatorii. Sed Alphonsus Mendoza, *Quæst.* VI *scholast.* pag. 846, censet sanctum ac utile esse eas invocare. Nam, inquit, sive quamdiu sunt in Purgatorio orare pro nobis valeant, sive non valeant, certe cum inde exeunt, et in cœlum perveniunt, tunc preces fundunt, ac orant pro iis qui se eis commendaverunt, ac eas suffragiis et precibus juverunt. Adde Angelos, qui animas in Purgatorio visitant et solantur, posse eis preces viventium nuntiare ; nec passio pœnæ eas ab oratione impedit, quia pœnas has magna patientia, humilitate et resignatione sufferunt, Deumque assidue amant et laudant. Utilius tamen certiusque est invocare Sanctos in cœlo cum Deo regnantes, tum quia ipsi preces ad se fusas, Deo revelante, certo cognoscunt ; hoc enim ad eorum *ἐπιστήμην* tum pertinet ; tum quia Deum vident, illique cum in amore et honore ; unde ab eo impetrant quæ volunt ; tum quia sunt in statu beatitudinis, ac regno et gloria cœlesti triumphantes ; unde ad eorum decus pertinet, ut a nobis invocentur nostrisque orationis opitulentur. Vide Franciscum Suarez, lib. I *De Orat. in communi*, cap. X, in fine, ubi ait probabile esse Angelos custodes preces nostras perferre ad animas Purgatorii. Quare si quis eas invocat, inquit, pie credens ab illis audiri, nihil peccabit, quia operatur ex pia credulitate et affectione, et nulli periculo se exponit ; quia licet fortasse non ita sit, neque animæ illæ hujusmodi orationes percipiant, nihilominus oratio ejus in sinum convertatur. Ita fortasse etiam verum est animas illas, saltem cum beatæ fiunt, cognoscere orationes omnes, toto illo tempore ad eas fusas, et eis moveri ad intercedendum in patria pro oratoribus suis. Quapropter, qui in hoc mundo orandi fructum et devotionem senserit, non videtur ab illo revocandus.

13. POST HOC APPARUISSE ET ALIUM VIRUM ÆTATE ET GLORIA MIRABILEM, ET MAGNI DECORIS HABITUDINE CIRCA ILLUM, — legi etiam potest habitudinem, quia in Græco est μεγαλοπρεπέστατον ὑπάρχοντα, excellenti magnificentia undique adornatum, quæ gloria index meritorum erat sanctissimi prophetæ, et gloriæ quæ illi in cœlo debebatur.

14. RESPONDENTEM VERO ONIAM (Hinc videtur quod Judas non agnoverit Jeremiam, utpote ante quadringentos annos vita functum ; ideoque rogarit Oniam sibi notum quisnam esset ille vir adeo augustus et venerabilis, ac Oniam respondisse) : HIC EST FRATRUM AMATOR (Græce φιλάδελφος) ET POPULI : HIC EST QUI MULTUM ORAT PRO POPULO ET UNIVERSA SANCTA CIVITATE, JEREMIAS PROPHETA DEI. — Præ Isaia, Amos, Jona cæterisque Prophetis apparuit Judæ Jeremias, quia ipse ingenti zelo per 45 annos prophetans laboravit pro salute Israelis ad impediendam gentis suæ excidium, quod tamen ob scelerum ejus enormitatem, et eo quod suis oraculis sanisque consiliis auscultare nollet, impedire non potuit quin Jerusalem cum templo a Chaldæis caperetur et cremaretur. Quocirca dura et acerba plurima a Judæis passus fuit Jeremias, quæ in ipsa ejus prophetia explicui.

16. ACCIPE SANCTUM GLADIUM (a sancto Deo, et a me benedictum ut pro sancta ejus Ecclesia, fide, religione, sancta fortitudine depugnes) MUNUS A DEO, IN QUO DEJICIES ADVERSARIOS POPULI MEI ISRAEL. — Non vere et realiter Jeremias dedit Judæ gladium, ut dixi. Fuit enim hoc somnium, et symbolica visio in qua videbatur Judæ, quod a Jeremia acciperet gladium, ut per eum Judas cum sociis ad pugnam animarentur, et conciperent certam victoriæ spem, eo quod Deus cum illis et per illos pugnaret contra impium infidelem et blasphemum Nicanorem. Sic et gladius hic fuit non ferreus, quo in bello homines utuntur ; sed aureus, utpote cœlestis et divinus. Quæ enim Dei sunt, aurea sunt ; aurum enim pretiosissimum et splendidissimum representat nobis Deum, Deique dona augustissima.

Nota *ta gladium sanctum*, id est benedictum. Hic enim mos invaluit, ut duces et milites acciperent ab episcopis et sacerdotibus sua vexilla et arma benedici, tum ut per Ecclesiæ preces et benedictionem efficaciora sint ad victoriam ; tum ad abigendas magicas artes, quibus sæpe hostes ope dæmonis se faciunt invulnerabiles, uti nuper in bello Germanico experti sumus. Sic S. Ludovicus, castra ducturus in terram sanctam, vexillum ab episcopo Parisiensi benedictum accepit. Idem fecere cæteri duces illius expeditionis asseclæ. Sic Italicus, equis curruque suo a S. Hilarione benedictis, in Circensi certamine vicit adversarium suum magicis Marnæ Dei sui artibus utentem. Audi S. Hieronymum in ejus Vita : « Rogatus (S. Hilario) a fratribus scyphum fictilem quo bibere consueverat, aqua jussit impleri, eique tradi ; quem cum accepisset Italicus, stabulum et equos, et aurigas suos, rhedam carceremque repagula aspersit. Mira vulgi expectatio ; nam et adversarius hoc ipsum irridens diffamaverat, et fautores Italici, sibi certam victoriam pollicentes, exsultabant. Igitur dato signo hi advolant, isti præpediantur ; sub horum curru rotæ fervent, illi prætervolantium terga vix cernunt ; clamor fit vulgi nimius, ita ut ethnici quoque ipsi concreparent, Marnas victus a Christo est. »

In Romano cæremoniali exstat benedictio ensis et militis. Habebant etiam Angli olim ritum consecrandi militem : cujus formam Ingulphus in sua Historia describens, ait : « Anglorum erat consuetudo, quod qui militiæ legitime consecrandus esset, vespera præcedente diem suæ consecrationis, ad episcopum, vel abbatem, vel monachum, vel sacerdotem aliquem contritus et compunctus de omnibus suis peccatis confessionem faceret, et absolutus orationibus, et devotionibus, et affectionibus deditus, in Ecclesia pernoctaret. In crastino quoque Missam auditurus, gladium super altare offerret, et post Evangelium sacerdos benedictum gladium collo militis cum benedictione imponeret, et communicatus ad eamdem Missam sacris Christi mysteriis denuo miles legitimus permaneret. »

Idem recenset noster Gretserus, lib. *De Benedictionibus*, cap. XLIX, ubi et ex Baronio recenset Alexandrum II Pontificem misisse vexilla benedicta ad Herimbaldum et ad Wilhelmum comitem Aquitaniæ, quibus ipsi hæreticos et Haraldum Angliæ invasorem profligarunt. Vide eumdem Gretserum, lib. II *De Cruce*, cap. XVIII, ubi ostendit olim integros exercitus in terram sanctam proficiscentes solere a Pontificibus benedici, et cruce signari, indeque expeditiones illas nuncupatas fuisse Crucinatas sive Cruce signatorum. Multæ, inquit, olim expeditiones susceptæ sunt in Palæstinam pro asserenda terra sancta ex Mahometanorum tyrannide, hortatu potissimum et impulsu Summorum Pontificum, Urbani II, Paschalis II, Lucii II, Eugenii III, Clementis III, Cœlestini III, Honorii III, Gregorii IX, ducibus Godefrido Bullonio, Conrado Cæsare, S. Ludovico Galliarum rege, Frederico imperatore, Philippo rege Franciæ, Richardo rege Angliæ, Andrea rege Hungariæ, aliisque fortissimis lectissimisque principibus et heroibus, qui instructissimos exercitus ducebant.

Omnes isti cruce insigniebantur, ut eo fidentius adversus crucis hostes dimicarent, et ad omnia pericula crucis et crucifixi amore promptiores essent. Exstat in Romano Rituali precatio de benedictione crucis dari solitæ proficiscentibus in Palæstinam defendendæ fidei Christianæ et terræ sanctæ recuperandæ gratia. Quin et Constantinus Magnus, signo crucis e cœlis accepto cum hoc lemmate : « In hoc signo vinces, » in labaro crucem insculpi, eamque totis castris præferri jussit, ut iis quasi cœlitus a Deo per crucem

benedictis certam daret spem omnemque victoriæ, uti narrat Eusebius et alii in *Vita constantini*.

Tropologice, nota hic Deum, dum aliquem ad quodpiam officium seligit, eidem dare symbola et instrumenta ad officium illud necessaria et opportuna. Sic S. Paulus per visum apparuit S. Joanni Chrysostomo, eique tradidit librum Evangelii, ut hoc symbolo ipsum ejusdem prædicatorem post se eximium constitueret. Sic S. Joannes Apostolus, volumen oraculorum accipiens ab Angelo, creatus est propheta, ut futura sub Antichristo prædiceret, *Apoc.* x, 9. Sic Moses, *Exodi* IV, vers. 17, per virgam accepit a Deo potestatem faciendi miracula et decem plagas, quibus percussit Pharaonem et Ægyptios. Simili ratione et modo Deus hic Judæe tradidit gladium, ut Nicanorem et impios macturet. Hinc et regibus, cum inaugurantur, datur gladius, ut Ecclesiam, religionem et justitiam propugnent, et scelerates plectant. Hac de causa Josue invadenti Chananæam, Angelus, ut eum animaret, apponit evaginatum tenens gladium quasi illo Chananæos occisurus, Josue v, 13. Sic Jeremias et Ezechiel sæpe minantur Judæis gladium a Deo dandum Nabuchodonosori, ut eorum scelera plectat. Sic Christus Rex regum dicitur habere gladium utraque parte acutum, *Apocal.* I, 16. Quin et Trajanus Imperator præfecto urbis a se creato tradens gladium: « Hoc, inquit, utere pro me, si mea potestate rite fungar; sin autem, eodem utere contra me. »

Allegorice, Rabanus per Jeremium accipit Christum, per gladium aureum S. Scripturam qua Christus diabolum, cum ab eo tentaretur in deserto, prostravit, ne etiamnum hæreticos ejus asseclas per hos ex Ecclesiæ sternit et profligat. Rursum gladius sanctus est mortificatio, qua concupiscentias et vitia carnis, ac spiritus a nobis resecamus, juxta illud Christi: « Non veni pacem mittere, sed gladium, » *Matth.* cap. x, 34. Quocirca Jeremias, cap. XLVIII, vers. 10: « Maledictus, inquit, qui prohibet gladium suum a sanguine. » Jeremias ergo, id est Christus, cuique fideli porrigit hunc mortificationis gladium Dei amore arreum, ut eo trucidet omnes ejus hostes, id est passiones et appetitus naturæ corruptæ, Deo ejusque legi repugnantes.

Vers. 27. 27. PROSTRAVERUNT NON MINUS TRIGINTA QUINQUE MILLIA. — Erravit ergo Josephus, qui numerat tantum novem millia, ac Gorionides, qui 30 millia duntaxat assignat.

Vers. 28. 28. COGNOVERUNT NICANOREM ADESSE. — Gorionides rem paulo aliter narrat lib. III, cap. XXII: « Vidit Judas, inquit, in ipsa pugna Nicanorem habentem in manu sua gladium evaginatum, clamansque, ait: Contra te, o Nicanor. Et cum curreret contra illum in fervoris sui virtute, avertit Nicanor humerum suum, et fugit a facie Judæ, et Judas apprehendit eum, percussitque gladio suo, et dissecuit in duas partes, dejiciens ipsum in terram. »

Porro Judas jussit caput Nicanoris, eque ac manum quam contra templum minabundus extenderat quasi tropheum, non ex arce Sion (quia hanc tenebant hostes), sed ex adverso templi suspendi; linguam vero ejus blasphemam minutim concisam avibus glutiendam objici.

29. FACTO ITAQUE CLAMORE ET PERTURBATIONE (Græce τάραχος, id est strepitu, tumultu, planu) EXCITATA, PATRIA VOCE, (id est Hebræa lingua canentes psalmos Davidicos epinicio et gratiarum actioni deputatos, aut « patria, » id est, generosa viris fortibus et victoribus congruente voce, ait Salianus,) DOMINUM BENEDICEBANT.

34. OMNES IGITUR COELI (id est cœlites, puta Angeli et homines sancti cœlestem vitam in terra agentes) BENEDIXERUNT DOMINUM. — Potius *ei cœli* refer ad « Dominum, » *q. d.* Omnes Judæi benedixerunt Deum, qui cœli est Dominus; unde Græca habent: *Benedixerunt Dominum in cœlum*, scilicet alta voce clamantes in cœlum.

37. HABERE AUTEM CELEBRITATEM TERTIA DECIMA DIE MENSIS ADAR (id est februarii. Illa ergo die quotannis celebratum est festum in gratiarum actionem ob cæsum Nicanorem), QUOD DICITUR VOCE SYRIACA PRIDIE MARDOCHEI, — id est pridie festi sortium quod Mardochæus cum Esther instituit celebrandum die 14 et 15 Adar, ob memoriam liberati Israelis a nece et ab Aman per sortes decreta, *Esther* IX, 17 et 31. Quare jejunium, quod pridie festi sortium Judæis indictum erat per hoc triumphale ob cæsum Nicanorem festum, vel abolitum fuit, vel in aliam diem translatum.

Porro locus hic, ait Ribera, lib. V *De Templo*, cap. XVIII, depravatus est in Latinis; ita enim legendum est: « Habere autem celebritatem tertia decima die mensis (Adar dicitur voce Syriaca) pridie Mardochei dici. » Hoc verum esse constat ex Græcis codicibus emendatissimis, atque inter eos ex Pontificio et ex varietate Lationum; deinde ex sensu ipso, nullam enim vocem Syriacam posuit auctor hujus libri, nisi Adar, et propterea parenthesi usus dixit: « Adar dicitur voce Syriaca; » quod imitatus Josephus similiter addidit: « Mensis Adar, ut nostri nominant. » Non ergo nomen festi indicavit, cum dixit: « Pridie Mardochei dici, » sed tempus. Sic et Salianus, Vatablus et alii.

38. EGO QUOQUE IN HIS FACIAM FINEM SERMONIS, — quia Judæ Esseno qui fuit auctor hujus libri proposuit fuit scribere duntaxat gesta heroica Judæ Machabæi usque ad gloriosum ejus victoriam de Nicanore, et institutum hac de re festum, ut Judæi in Ægypto (ad quos hunc librum scripsit, ut putet ex ejus initio) idem festum ibidem celebrent. Hac de causa in eo librum suum hic finit. Ita S. Thomas.

SIN AUTEM MINUS DIGNE, CONCEDENDUM EST MIHI. — Tacite petit auctor libri veniam non alicujus lapsus, erroris, vel mendacii (quod absit a scriptore hagiographo, qui fuit organum et instrumentum Spiritus Sancti), sed styli et phrasis, si ea cuipiam minus videatur elegans et concinna. Spiritus Sanctus enim ita scriptoribus hagiographis assistebat, itaque eos dirigebat ut nusquam a veritate aberrarent, atque veram omnino sententiam mente concipierent, sed tamen sinebat eos suis verbis, suaque phrasi et stylo eam conscribere. Quare elegantior et pulchrior est stylus Isaiæ, quam sit cæterorum Prophetarum, quia ipse utpote vir nobilis, doctus et elegans studendo elegantiorem stylum imbiberat. Spiritus Sanctus enim in phrasi scriptori suo quasi instrumento sese accommodat. Auctor ergo hic, licet sit elegans et facundus, ex modestia tamen petit sibi ignosci, si « minus digne » (Græce si *exiliter et tenuiter*), id est minus digno, gravi et eleganti stylo, quam historiæ divinæ dignitas, aut eruditæ legentium aures desiderabunt, scripserit (sic S. Paulus vocat se « imperitum sermone, sed non scientia, » I *Corinth.* II), præsertim quia ipse se studio hoc stylo mediocri et mixto usum asserit ob causam quam subdit, dicens:

40. SICUT ENIM VINUM SEMPER BIBERE, AUT SEMPER AQUAM CONTRARIUM EST (appetitui stomacho et sanitati), ALTERNIS AUTEM UTI DELECTABILE; ITA ET GENTIBUS, SI SEMPER EXACTUS SIT SERMO, NON ERIT GRATUS. — Gaudet enim natura hominum varietate, juxta illud:

Amant alterna Camenæ.

Quare gaudent lectores scriptoris varietate styli, ut subinde eum attollat, gravemque et cultum efficiat, subinde eum deprimat levemque et minus cultum politumque exhibeat. Græce est: *Sicut enim vinum solum bibere, similiter autem et aquam purum, contrarium est; vinum autem aquæ mixtum dulcem et delectabilem gratiam perficit* (id est gratam affert gustanti delectationem), *ita et præparatio sermonis* (ut grata quadam temperie et moderatione commixtus sit et concinnus) « delectat auditum legentium, » si ab alio legi audiatur, et oculos, si ab ipsimet legatur, *q. d.* Sicut vinum meracum semper bibere, aut semper aquam purum molestum est, et male sanum; vinum enim nimis calefacit, et inflammat caput et corpus; aqua vero nimis illud frigefacit et phlegmata creat: miscere autem aquam vino, mixtamque bibere suave est et delectabile, atque ac sanum et utile, quia aqua vini calorem et acrimoniam, et vicissim vinum aquæ frigus et cruditatem refrangit et temperat, ac ad gratam quamdam moderationem redigit: sic pariter sermo aut nimis gravis, aut nimis exilis lectoribus ingratus est, affertque tædium; ex utroque vero moderatus et ad temperiem congruam redactus gratus est et jucundus. Sic ego simili de causa in hoc libro mediocri stylo qui gravitatem lenitate temperet usus sum; varietas enim æque ac mediocritas in omnibus rebus cunctis est grata, sapida et delectabilis; alioquin enim omnium in mundo rerum obrepit satietas et fastidium, uti ait Cicero, et experientia quotidiana docet.

HIC ERGO ERIT CONSUMMATUS. — Græce, *erit finis sive consummatio* tam hujus libri, quam totius veteris Testamenti, ut lampada tradamus Christo brevi successuro, qui est finis et scopus, ac perfectio et consummatio Legis et Prophetarum totiusque Testamenti utriusque tam novi, quam veteris.

DE LIBRO TERTIO

MACHABÆORUM.

Hic liber non est Canonicus; suam tamen habet auctoritatem et veritatem parem, imo majorem, quam habeant Livius, Curtius, Florus, Sallustius similesque historici. Exstat Græce in Bibliis Complutensibus et Regiis. Per catachresin vocatur III *Machab.*, quia proprie non tractat gesta Machabæorum, puta Judæ, Jonathæ et Simonis fratrum, sed ea quæ triginta annis ante eos contigerunt : quare ordine chronologico temporis ante librum primum Machabæorum ponendus foret, adeoque ipse non tertius, sed primus vocandus esset.

Narrat enim gesta ab Antiocho Magno (qui fuit pater Antiochi Epiphanis, cum quo Machabæi decertarunt) et Ptolemæo Philopatore, qui post Alexandrum Magnum quartus fuit rex Ægypti, fuitque filius Ptolemæi Evergetis, fratris Ptolemæi Philadelphi. Dictus est Philopator, id est amator patris per antiphrasin; quia ipse occidit patrem, matrem, fratrem, sororem et uxorem, captus libidinis Agathoclea meretricis; ideoque noctes in stupris, dies in conviviis absumebat, ait Justinus lib. XXIX et XXX. Hic Philopator fuit pater Ptolemæi Epiphanis, et avus Ptolemæi Philometoris.

Argumentum ergo hujus libri tertii est narrare gesta Ptolemæi Philopatoris cum Antiocho Magno et cum Judæis. Initio enim recenset famosum illud prælium Antiochi cum Philopatore apud Raphiam peractum anno tertio Olympiadis 140, mirum eodem anno quo Annibal Romanos apud Trasimenum lacum memorabili victoria superavit. Cum enim Philopator intellexisset ademptam sibi esse ab Antiocho Syriam, coactis omnibus suis copiis tam equestribus, quam pedestribus, assumpta secum Arsinoe sorore, contendit ad vicinas usque Babylonias regiones, ubi erant copiæ Antiochi. Commisso acri prælio, cum fortius pugnaretur ab Antiocho, Arsinoe copias obambulans, capillis solutis, cum lacrymis obsecrabat milites, ut sibi opem audacter ferrent, binas victoribus auri minas daturam se singulis promittens. Itaque hostes prælio vinci, multosque capi contigit. Post hæc narratur quemadmodum rex venerit Hierosolymam, cumque intrare Sancta sanctorum obsistentibus Judæis conaretur, ingenti divinæ potentiæ miraculo castigatus, ab ejus loci ingressu deterritus sit. Deus enim, inquit Auctor *lib.* III *Machab.*, « eum audacia elatum flagellavit hinc et inde vibrans eum, ut arundinem a vento, adeoque in solo inutilem, adhuc et membris solutum, nec loqui potentem justo implicatum judicio afflixit: unde et amici timentes ne et vitam deseret, cito cum eduxerunt maximo perculsi timore; ille autem nequaquam resipuit; quum minis autem acerbis recessit. Perveniens vero in Ægyptum non solum in infinitis libidinibus perseverans, sed et blasphemias in templum evomens, « Judæos variis modis exagitavit : nam primum ignominia notari Judæos in Alexandria curavit; deinde cunctos censeri, et in servitutem redigi. Mox diro contra eos promulgato edicto, diligenter in tota Ægypto conquiri, mirisque modis vexatos in Alexandriam perduci, una die ab elephantis, ipsomet rege populoque inspectantibus, interficiendos. Verumtamen præsto eis affuit divina protectio, et non solum ab atrocissimo illo interitu mirabiliter a Deo erepta gens Judæorum est, sed etiam verso regis furore in benevolentiam ab eodem deinceps jucundata, et novo decreto ad favorem ipsorum edito in statum pristinum restituta fuit.

Hæc est summa rerum quæ toto libro III *Machabæorum* fuse enarrantur, eaque consentanea sunt iis quæ de iisdem narrat Josephus, Pausanias, Justinus, Appianus et alii, imo iis quæ de iisdem ante trecentos annos prædixit Daniel, cap. XI, vers. 10. Quocirca hujus libri meminit S. Athanasius in *Synopsi*, et Eusebius in *Chron.*, imo S. Clemens, in lib. *Apostol. Canonum*, canone 84, eum inter libros Canonicos numerat; sed large sumit nomen *Canonicus*, ut complectatur omnes libros qui in Bibliis continentur, quales sunt tertius et quartus Esdræ, ac Oratio Manassis.

Porro liber hic tertius sic orditur : « At Philopator cognoscens ex his qui redierant loca, quæ ipse tenuerat, Antiochum abstitisse. »

DE LIBRO QUARTO

MACHABÆORUM.

Quartus *Machabæorum*, inquit Sixtus Senensis lib. I *Biblioth.*, non longe a fine quem Synopsis S. Athanasii inter apocrypha scripta recenset, historiam continet unius ac triginta annorum, hoc est gesta Joannis Machabæi, qui a devicto Hyrcano cognomen Hyrcani accepit. Hic post Simonem patrem fraude Ptolemæi obtrunctatum gentis suæ Pontificatum una cum principatu obtinuit, statimque adversus patris percussorem eduxit exercitum; deinde cum Antiocho rege Syriæ fœdus junxit : quo defuncto, multas Syriæ urbes vi cepit. Primus omnium Judæorum ducum stipendiis suis militem externum conduxit; tria millia talenta ex Davidis sepulcro effodit : cum Romanis fœdus jam a patre initum renovavit; Antiochum Cyzicenum, Syriæ regem, bello victum fugavit; Samariam Hierosolymitanæ urbis æmulam, post integrum oppugnationis annum captam, solo æquavit, inauctisque in ea torrentibus, ipsas quoque deletæ urbis ruinas et vestigia cuncta aquarum alluvione eustulit, muros Hierosolymitanos vetustate collapsos instauravit. Quibus rebus feliciter exactis, moritur imperii sui anno trigesimo primo, vir triplici nomine, hoc est sacerdotio, principatu et prophetia clarissimus, anno scilicet ante Christi ortum centesimo. In quo quartus et ultimus *Machabæorum* desinit liber. Huic libro suffragatur et consentit Josephus, lib. XIII *Antiq.*; unde nonnulli suspicati Josephum ejus esse auctorem. Sed repugnat stylus qui in Josepho est Græcanicus : in hoc autem, lib. IV *Machab.*, est Hebraicus, et Hebraismis abundat. Verisimile est eum ab incerto auctore ex libro dierum sacerdotii Joannis, de quo in calce primi Machabæorum ita scriptum est : « Cætera sermonum Joannis et bellorum ejus, et bonarum virtutum, quibus fortiter gessit, et ædificii murorum quos exstruxit, et rerum gestarum ejus, ecce hæc scripta sunt in libro dierum sacerdotii ejus, ex quo factus est princeps sacerdotum post patrem suum. » Exstat Græce, indeque in Latinum traductus est; ejus initium est hoc : « Et postquam occisus est Simeon, factus est Joannis filius ejus summus sacerdos pro eo. » Hebræis hic liber quartus æque ac tertius suppositus est.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ IN LIBRIS IV REGUM, I ET II PARALIPOMENON, ESDRÆ, TOBIÆ, JUDITH, ESTHER ET MACHABÆORUM EXPLICANTUR.

Prior numerus paginam, secundus columnam designat : si unicus tantum occurrat numerus, ad præcedentem referri indicio est : sicubi littera M numeri paginæ loco ponatur, in libris Machabæorum quærendum esse signum est.

EX VETERE TESTAMENTO.

EX EXODO.

Cap. III, *vers.* 14. Ego sum qui sum, 286, 2.
XXXII, 6. Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere, 281, 1.

EX NUMERIS.

Cap. XXIV, *vers.* 17. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth, 277, 1.

EX DEUTERONOMIO.

Cap. XXX, *vers.* 4. Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet, 231, 2.

EX JOB.

Cap. IV, *vers.* 11. Tigris perlit, eo quod non haberet prædam, M.
XIX, 9. Spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite, 239, 1.

EX LIBRO PSALMORUM.

Psalm. XIII, *vers.* 5 et 6. Trepidaverunt timore, ubi non erat timor... Quoniam Dominus in generatione justa est, 225, 1, 2.
XXXII, 6. Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum, 355, 1.
XXXVI, 19 et 20. Non confundentur in tempore malo... quia peccatores peribunt, 229, 1.
LXIX, 1. Deus, in adjutorium meum intende : Domine, ad adjuvandum me festina, 209, 2.
CXIII, 2. Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus, ibid.
CXVIII, 120. Anima mea in manibus meis, 397, 1.
CXXV, 1. In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati, 211, 1.
Psalm. CXXV, *vers.* 2. Tunc repletum est gaudio os nostrum : et lingua nostra exsultatione, ibid.
CXXXI, 9. Sacerdotes tui induantur justitiam, 148, 2.
CXXXIII, 1. Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum, 233, 1.

EX ECCLESIASTE.

Cap. I, *vers.* 12. Ego Ecclesiastes fui rex, 270, 1.
VII, 8. Calumnia conturbat sapientem, 277, 1.

EX ECCLESIASTICO.

Cap. XXX, *vers.* 8. Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadet præceps, M.

EX ISAIA.

Cap. XIV, *vers.* 29. De radice enim colubri egredietur regulus, 180, 1, 2.
XLVIII, 1. Audite hæc, domus Jacob, qui vocamini nomine Israel, et de aquis Juda existis, 259, 2.
LXVI, 8. Numquid parturiet terra in die una?... quia parturivit et peperit Sion, 283, 1

EX DANIELE.

Cap. XI, *vers.* 35. Et de eruditis ruent, ut conflentur, et eligantur, et dealbentur usque ad tempus præfinitum, M.

EX AMOS.

Cap. VII, *vers.* 11. In gladio morietur Jeroboam, 40, 2.

EX MICHÆA.

Cap. I, *vers.* 10. In domo pulveris, pulvere vos conspergite, 98, 2.

EX HABACUC.

Cap. I, *vers.* 16. Propterea immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo, M.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX S. MATTHÆO.

Cap. VI, *vers.* 34. Sufficit diei malitia sua, 233, 1.

EX S. LUCA.

Cap. II, *vers.* 1. Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis, 206, 2.
XXII, 25. Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, 240, 2.

EX S. JOANNE.

Cap. IV, *vers.* 17. Bene dixisti, quia non habeo virum, 225, 1.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

Cap. XII, *vers.* 19. Non vosmetipsos defendentes, charissimi, 219, 2.

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Cap. XI, *vers.* 35. Alii autem distenti sunt,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX

RERUM ET VERBORUM

QUÆ IN LIBRIS IV REGUM, I ET II PARALIPOMENON, ESDRÆ, TOBIÆ, JUDITH, ESTHER ET MACHABÆORUM EXPLICANTUR.

A.

Abbir idem est quod potens, fortis, 418, 1.

Abbreviatoris historiæ officium, 507, 2.

Abri vocantur secundus septem fratrum Machabæorum, 526, 2. *Vide* verb. Fratrum Machabæorum.

Abimelech Sichimorum tyrannus a femina occisus, 346, 1.

Abra est nomen commune significans ancillam, non autem proprium aerillæ Judith, 334, 1. ejus etymon, *ibid.*

Abraham eo quod nollet adorare ignem multas afflictiones passus est a Chaldæis, 251, 2. unde probatur fuisse minorem Melchisedecho, 259, 2. Abrahæ actus obedientiæ et oblationis Isaac æstimatus est a Deo esse actus magnæ justitiæ, 431, 2.

Abstinentia a carnibus servata, 523, 1. abstinentia est funis quo ligatur dæmon ne nobis noceat, 379, 1. *Vide* Jejunium.

Abundii et Abundantii (58.) martyrum sacra lipsana sub Gregorio XII Pontifice, ad domum professam Societatis Jesu Romæ translata, 418, 2.

Accubitus veterum forma, 392, 1.

Accusatoribus et accusationibus non facile credendum, 401, 1.

Achabum (contra) sagitta casu jacta ab homine dirigetur a Deo ad eum feriendum, 164, 1, 2.

Achaz, nomen quinti e fratribus Machabæis, 526, 1. *Vide* verb. Fratrum Machabæorum.

Achaz rex Juda omnes filios suos idolo Moloch consecravit, 65, 1. peccavit diffidens Deo et confidens in homine, *ibid.* idolis Damasis erexit altare in templo Hierosolymitano, *ibid.* 2. contemnit Deum et ejus altare, *ibid.* dirait septuus quod dividebat laicos a sacerdotibus ac contemptu, 66, 2. anno 16 ætatis suæ genuit Ezechiam, 72, 1. combussit libros legis, 81, 1, 2. impius sine exemplo, 189, 2.

Achiacharus nepos Tobiæ senioris, 269, 1. ab Amano quotidie insultatur et vitæ diuturnum conjectus, 310, 2; 311, 1.

Achior quis, 271, 2. magnificans potentiam Dei Israel bilosa movet Holofernem, ab eoque morti destinatur, 326, 1, 2. cur cum Hebræi non adhibuerint suis consiliis, 328, 2. ob factum Judith relicta Gentilismo fit Judæus, 349, 2.

Acies instructa dum ad congressum veniunt quid observandum, 486, 1. acies in cœlo visæ immissentis belli prognosticæ, 518, 1, 2.

Acquiescentes Romanis ad magnos honores et opes evehebantur, 451, 1, 2.

Actus externus in se non est liber, sed liberiatem suam trahit ab interno actu bono vel malo, 542, 2.

Adam cur rebus indiderit nomina naturæ earum apposita, 208, 1.

Adar mensis duodecimus et ultimus Hebræorum respondet nostro partim februario, partim martio, 215, 2; 387, 2.

Addus civitas ubi sita, 480, 1.

Admonitiones acerbæ charitate dulcorantur, 23, 2.

Adolescentum conjunctio licet improba ad filiorum protrectionem, non tamen est differenda usque ad ætatem virilem, 270, 1. adolescentes sobrietati studeant, 333, 2.

Ador Phœniciæ urbs a Ptolemæo Dor vel Dora dicta, 493, 1, 2.

Adorari pro diis multi reges voluere, 378, 1, 2.

Adorationis Persicæ ritus, 373, 1.

Adrianus male permittit simulacrorum extrinsecam idolatriæ, 27, 1, 2.

Adulatorum atque hirundinum comparatio, 274, 1.

Adversarii præsepti Judæorum in reædificanda Jerusalem, 224, 2.

Adversis (in) Deo gratias agere est actus heroicæ patientiæ et perfectionis, 274, 1, 2. adversa non movent virum fortem, 305, 2. ostendunt in collectatione virtutem, 421, 2.

Ædificare aliquando idem quod ornare, augere, amplificare, 302, 1.

Ægritudo mentis ægritudinem parit carnis, 377, 1, 2. ægrorum preces et S. Raphael Archangelus, 389, 1.

Ægyptus olim abundabat Judæis, cur, 496, 1, 2.

Æmilius Paulus quando Macedoniam Epirumque Romanis subjecerit, 530, 2.

Æquanimitas Tobiæ senioris erga uxorem sibi multa inproperantem, 284, 1.

Aer pellucidus et luce splendidus apparet candidus, 361, 2. in aere equites visi et armorum sonitus aliaque signa belli prognostica, 518, 1, 2.

Ætas virilis apta conjugio, 270, 1. sed ob certas rationes ea non est exspectanda, *ibid.* 2.

Æternum quandoque non absolutam perpetuitatem, sed respectivam et limitatam significat, 422, 1.

Ætoli primi e Græcis cum Romanis bellarunt, 451, 1.

Affectio animi per sympathiam in corpus sese diffundit, 277, 1, 2.

Affectus excæcat rationem, *ibid.*; 378, 1.

Agapen instituendi ritus et rationi sepultura defunctorum, 228, 1, 2. ejus descriptio prout post Eucharistiam fieri solebat, 328, 2.

Agathocles Syracusas obsidens quomodo in urbe cœnaverit, uti comminator fuerat, 341, 2.

Agesilaus rex Spartæ regatus quæ dos ducem belli maxime exoraret, quid responderit, 438, 1. item interrogatus qua ratione duci pararetur gloria, 457, 1.

Agnus (per) benedictus quæ ratione fugetur dæmon, 208, 1.

Agon quinquennalis, quis, 514, 2. celebrabantur in honorem Hercutis, *ibid.* 2.

Ain tam oculum quam fontem significat, 390, 2.

Alberti ducis Austriæ de duce exercitus dictum, 498, 2.

Albogo oculorum Tobiæ senioris quid mystice significet, 303, 2. quis eum in oculis suis habere dicatur, *ibid.*

Alcimus pseudopontifex fuit apostata et proditor Israelis, 447, 1. hic invidens Judæ pontificatum, eumdem petiit et obtinuit a Demetrio, *ibid.* 1. accusat Nicanorem apud regem, *ibid.* 2. Jerusalem frustra obsidet, 455, 1. murum interjacentem inter atrium sacerdotum et laicorum cur destruxerit, 468, 1. et alia Prophetarum opera, *ibid.*

sed Deus eum punivit paralysi, *ibid.* 2. cur mutaverit nomen suum, cum prius vocaretur Joacim, *ibid.* quo anno mortuus, *ibid.*

Alexander II Pontifex vexilla benedicta misit ad Hermibaldum et Wilhelmum Comitem Aquitaniæ, 563, 2.

Alexander Magnus anno sexto regni sui occiso Dario, monarchiam Persarum transtulit ad Græcos, 412, 1. cur Darium regno privaverit, *ibid.* volnit haberi Jovis filius, *ibid.* 2. An provincias suis distribuerit, *ibid.* fuit speculum vanitatis, 413, 1. cur Apelles eum pinxerit quasi fulmen manu tenentem, *ibid.* ejus cadaver mansit insepultum ad triginta dies, *ibid.* quadraginta millibus veteranorum prostravit Darium multis centenis millibus militum instructum, 426, 1. quantis beneficiis Persas a se victos affecerit, 473, 1. non inulte irrisus fuit ab Arimaza petram abscissam insidente, 545, 2. variæ de eodem gnomæ Philosophorum ad funus ipsius accurrentium, 413, 1. Alexander Magnus muros novæ Alexandriæ ad Tanaim per longitudinem stadiorum sexaginta erexit spatio septemdecim dierum, 244, 1, 2. cur noluerit videre uxorem Darii a se cæsi, 364, 2. ejus superbia, 372, 2.

Alexander Severus ne quid remuneratum relinqueret, munera quæcumque contulisset scriptis diligenter mandabat, 379, 1.

Alexander Veles frater is sui Antiochi Eupatoris necem ulturus Ptolemaidam occupat, 464, 1. cujus filius fuerit, *ibid.* regiis insignibus ornat Jonathan ob auxilium ipsi prostitum, 467, 1.

Alexandria ad Tanaim spatio septemdecim dierum muro sexaginta stadiorum cincta, 244, 1, 2.

Alienigenis cum in urbem vel aulam asciscerentur, solebant Hebræi, Chaldæi et Persæ mutare nomina, et patria sua gentis imbere, 208, 1, 2; 368, 1.

Alleluia, vox laudis, exsultationis et jubili, idem est quod laudate Dominum, 308, 2.

Amolthea quænam fingatur a Poetis, 351, 2.

Aman quidam in Achiacharum et Manassem impius, de quo Græca in libro Tobiæ, quis, 311, 1. Aman et Vasthi dæmonem, carnem et mundum repræsentant, 357, 1. Aman erat stirpe Amalecita, patria Macedo, 371, 1, 2. eum quasi minorem Deum in terra ab omnibus volnit Assuerus adorari, 372, 1. ejus superbia et crudelitas, 373, 2. sortem adhibuit ex superstitione gentilium quæ eum decepit, 373, 2; 374, 1. cur crucem potius quam alind tormentum parari jusserit, 378, 2. omnem ejus vindictam in Ipsummet retorsit Deus, 379, 2. dolores maximos habuit in exaltatione Mardochæi, 380, 1, 2. cur operuerint faciem ejus, 382, 1. ubi suspensus sit, et quomodo, *ibid.* et 2. ejus septuplex catastrophe, 382, 1, 2. cur vocetur Burgæus, 393, 1. erat gente Macedo, 402, 2.

Amantium duorum in continentia et castitate viventium exemplum, 281, 1.

Amasias rex Juda bonus initio regni, 58, 1. permisit tamen exhibitis idololatriam, *ibid.* in senio in eamdem incidit, *ibid.* idque post victos Idumæos, *ibid.* vincit auxilio Dei Idumæos, *ibid.* quod non agnoscit, sed victoria elatus provocat Joam regem Israel ad bellum, 58, 2. juste a Deo punitus, probabiliter tamen post pœnitentiam.

Amathites regio pars est Syriæ et confinis Judææ, 477, 1.

Ambitio Athaliæ punita, 51, 2.

Ambitione interna post in externam erupta respublica Romanorum pessumit, 451, 2; 452, 1. ambitio punita in Timotheo et suis, 545, 2. ambitionis vis, 510, 1. ambitio regnandi nihil non molitur, 370, 2. ambitio est ambitiosum crux, 378, 2.

Ambitiosorum cum pueris papilionem sequentibus comparatio, *ibid.*

Amicorum (8.) effati et perfidi librorum quartus Esdræ, 263, 2. scripsit librum de Tobia contra fœneratores, 266, 2. cur sustulerit ritum veterem parentandi defunctis, 287, 2. S. Ambrosius jussit Ticinenses Ecclesiæ servare depositum contra Imperatoris rescriptum, 510, 1.

Ambrosius Spinola Ostendum obsidens, per septem integros menses dormiens vestes nunquam exuit, 239, 2.

Amestris uxor Xerxis, adeoque Persica, non fuit Esther, 357, 2; 358, 1. ejus crudelitas, *ibid.*

Amicitia gratuitam opem amico egenti præstandam postulat, 492, 2.

Amico (ab) cruciari et affligi durius est quam ab inimico, 241, 1. ab amicis etiam intimis maledicta toleranda, 276, 1, 2. amicis etiam secreta consilia celanda, 305, 1.

Ammonitæ et Moabitæ quomodo non possent introire in Ecclesiam Dei, 260, 1. et in cœtum populi Israel, nisi cum dispensatione, 350, 1.

Amon mortuus est sine pœnitentia ob præfidentiam, 80, 1, 2.

Amoris sedes est jecur, 419, 1.

Amphoræ ne ad convivia importarentur apud veteres Persas lege cautum fuit, 363, 1.

Anacharsis quatuor hausitus arsignans quomodo eos distinguat, *ibid.*

Anael frater Tobiæ senioris quos filios habuerit, 269, 1.

Analogiæ fontis et solis, 390, 2.

Ananiam (per) cujus filium se nominat Raphael angelus, quid intelligatur; varia significat, 289, 1, 2. fuit vere unus ævo Tobiæ vir fidelis et pius Israelita Tobiæ cognitus, 290, 1.

Anchises Veneris se maritum jactavit, 499, 2.

Ancillarum convicia dominis objecta quantum hus excrucient, 289, 1, 2. ancillas honoratas vocant Itali *Camerieres*, 334, 1. ancillæ quibus comitata Esther Darium fratum accessit, mystice quæ, 400, 1.

Andronicus prorex Antiochiæ circumductus per urbem, eodem in hoc loco occiditur ubi occisus fuerat Onias, 516, 2.

Angari dicebantur Persici cursores, unde angariare, 374, 2.

Angæ montes, qui, 321, 1.

Angeli milites Dei, 59, 1. angelorum nomina an sint plura quam illa tria Michael, Gabriel, Raphael, 265, 1. angeli sunt celerrimi, 281, 2. eorum variæ hierarchiæ et ordines, 282, 1. angeli custodes sunt ex infimo ordine, *ibid.* mira eorum dignatio qua dignantur hominum curam gerere, *ibid.* 2. sunt creaturæ ei quasi filii Dei, 290, 1. in se non habent nomina, sed ea tortiuntur ratione ministerii quod inter homines obeunt, 289, 2. angelos custodes esse singulis hominibus deputatos etiam creditum fuit ævo Tobiæ, 290, 1. angelorum proprium est exsiccare, 293, 2. quo sensu nobis conciver et contribules dici queant, 296, 1. angelus custos cuilibet homini ex beneficia præstat quæ Raphas Tobiæ, 304, 1, 2. angeli astant Deo septuplicter, 306, 1. distinguuntur in assistentes et ministrantes, *ibid.* 2. angeli boni signum est si post se relinquat quietem; mali si horrorem *ibid.* angelorum cibus est Deus, 307, 1, 2. Multi angelis apparuere et eos direxere, præsertim virginei, 347, 2. quisnam angelus ille qui direxit Judith ad tantum facinus perpetrandum, *ibid.* præsunt et adsunt angeli sanctis et castis heroica destinantibus, *ibid.* acciuerunt B. Virgini Romæ *Regina cœli, lætare*, 377, 1. angeli pro populo Dei dimicare consueverunt, 486, 1. pro Theodosio Juniore contra Saracenos, *ibid.* 2. eidem B. Virginis ex Palæstina translatorum Lauretum, 504, 1. apparuerunt Judæ Machabæo, 506, 2. et sub specie equi et equitis, ac duorum Juvenum Heliodoro, 510, 2. pro Juda et populo fideli dimicarunt, 545, 1. probabile est eos preces nostras perferre ad animas in purgatorio existentes, 556, 2. angelus est immu-

cibilis, 547, 1. ei nil est impenetrabile, nil impossibile, etc., *ibid.*
Angeli olim ritum habebant consecrandi mensam, 565, 1.
Angeli porta urbis Jerusalem, quæ, 256, 2.
Animas sanctorum detineri in inferno in promptuariis, donec impleatur numerus electorum Dei, est error Vigilantii et Calvini, falsoque impingitur libro quarto Esdræ, 262, 1, 2. animæ quanta sit dignitas, 289, 2. animæ defunctorum vocabant gentiles parentes, 286, 2. animas defunctorum vocabant gentiles parentes, 286, 2. animæ quid de anima in morte sensent Pisto, 418, 1. animæ existimæ de corpore aliquando futura cognoscant, *ibid.* animæ naturaliter ad corpus propendeat, 534, 2. est immortalis: hinc exigit corporis resurrectionem, *ibid.* animæ in purgatorio an orent pro nobis, *ibid.* an sint invocandæ, *ibid.*
Anna uxor Tobiæ senioris maritum increpat, cur, 275, 1, 2.
Annales suos exacte conscripsere Judæi, 208, 1. item Persæ, 370, 1, 2.
Anni Græcorum jura quæ singula Machabæorum acta consignantur, unde initium sumant, 465, 1; 413, 2. duplicitur computantur: ac primo vocantur nunc Judaici, Macedonici, etc.; nunc Syriaci, Chaldaici, etc., 548, 1, 2; 559, 1. annus primus Cyri regis Persarum quis hic intelligendus, 295, 1, 2. anni septuaginta captivitatis Babylonicæ diversimode computantur, 382, 1.
Annona quæ, 244, 2.
Annulo donari a rege apud Persas signum amicitiæ erat, 334, 1.
Ante annum trigesimum ætatis nulli Hebræorum prophetare licet, 8, 2.
Anthropomorphitæ censuerunt Deum habere corpus, 217, 1, 2.
Antichristi types fuit Antiochus Epiphanes, 413, 2.
Antigonus rex Macedoniæ filio ragnati quando castra movent, quid respondeat, 395, 1.
Antiochi a fictis et vitiosis cognominati sunt Soteres, Epiphanes, Cersanii, etc., 418, 2. eorum successio et genitus, 434, 1; 488, 2.
Antiochi Magni filii et nepotes per ducentos annos de Asiæ imperio inter se certarunt, 405, 1, 2, et 406, 1. is victus a Scipione Asiatico, obsidem dedit filium suum Antiochum Epiphanem, 413, 2; 450, 1. contra Romanos in aciem ducit centum viginti elephantes, 451, 1. factus est eis tributarius, *ibid.*
Antiochia, metropolis Syriæ, a Justiniano, dicta Theopolis, sic appellata ab Antiocho, a quo condita, 414, 2. in ea primum sedit S. Petrus, ibique primum fideles appellati sunt Christiani, *ibid.*
Antiochis meretrix Antiochi, cujus causa tumultus, 516, 1.
Antiochistæ collocarunt idolum Jovis Olympii in altari holocaustorum, 433, 1.
Antiochus Epiphanes, id est illustris, vertus Epimanes, id est insanus, cur ita dictus, 418, 2; 506, 1, 2. fuit expressus typus et præcursor Antichristi, 418, 2; 542, 2. hic obses datus Romanis, cum Roma eloquio quando regnare cœperit, *ibid.* his intravit Ægyptum, cur et quando, 414, 1. jussu est per Romanos ex Ægypto recedere, *ibid.* 2. quare in Judæos vicinos castra movit, *ibid.* voluit coli ut Deus, *ibid.* et 416, 1. quibus de causis Judæos sibi suspectos habuerit, et ex illis occiderit octoginta millia, 519, 2. morbus corruptus, 422, 2. sero pœnituit, sed simulate, 541, 1, 2. licet vere pœnituisset, non tamen fuisset exauditus, *ibid.* 2. ubi et quando mortuus, 441, 1; 542, 1, 2. totam ejus stirpem Deus exstulit, 481, 1. cur socer Lysiæ tutorem suum fratrem, 548, 2. cur a Lysia vocetur pater, *ibid.*
Antiochus Eupator pacem cum Judæis init, eamque cito rupturus iterum renovat, 444, 1, 2. vix hominum regnavit, 446, 1, 2. occisus est a Demetrio, *ibid.* Bethsuram deditione capit, 557, 1. superatus bello a Juda cum eo pacem init et honoribus auget, *ibid.* 2.
Antiochus Gryphus Lunæ se maritum jactavit, 429, 2.
Antiochus Sidetes unde ita cognominatus, 488, 2. propter incestum fuit punitus, *ibid.* pacem cum Simone et Judæis inire constitat, eisque ample privilegia concedit, 489, 1, 2. secundo obsidet Tryphonem in Dorum, 490, 1. multa Simoni Machabæo concessa repetit, 490, 2. quomodo Deus fecerit cum ebullire de Perside, 493, 2. de ejus nece variæ sententiæ, *ibid.* et 499, 1. fuit sepultus in templo Nanææ, *ibid.* quo pretextu templum spoliare copias verit, *ibid.* 2.
Anuspasis olim urbs in tribu Manasse, nunc illa est Assur dicta, 448, 1.
Antisemitismi virtutes Tobiæ et Job, 274, 1, 2. idem beatæ Virginis Mariæ et Judith, 347, 1.
Antonius (S.) Patavinus a Pontifice vocatus fuit Arca Testamenti, eo quod totam S. Scripturam callucrit, 201, 2.
Antonius (S.) solus dæmonum conflictum non fugiebat, sed omnes ad duellum provocabat, 456, 1.
Apollo Delphicus quomodo illuserit Pyrrho cum de victoria consuleret, 340, 1. Apollinis fanum in Daphne, 516, 1, 2.
Apollonius dux Cœlesyriæ a Demetrio constitutus, cognominatus est Deus, 467, 2. ejus nominis fuerunt varii, *ibid.* cursus est a Jonatha et Simone, 468, 1, 2. prodidit Seleuco thesauros templi, 512, 1. Apollonius missus ab Antiocho Epiphane ad affligendum Judæos, quis, 559, 1.
Apostolorum Principes cur permiserit Deus indigne a Nerone necari, 458, 1.
Apotheosis, sive inter deos relatio, fiebat olim in funere Regum et Imperatorum, 548, 2.
Aqua scaturiens in areis incubusque collecta durescit, 472, 2. aqua crassa tempore Nehemiæ in ignem versa, 501, 1. aquam sine mixtam bibere cur sanum, 507, 1, 2. aquarum porta urbis Jerusalem versus Orientem a collectione aquarum sic dicta, 237, 1. per aquam lustrandem quomodo fugetur dæmon, 253, 1. per aquam sanificetur tribulatos, unde paradisum illud ex aquis sol, 391, 1.
Aquilinus (S.) pontifex Ebroicensis petivit ab astris loca ut sibi mortalia oculorum lumina clauderet, 378, 1.
Arabes, licet feri et bellatores, tuentur sepulcra patrum et ducum suorum, 233, 2. aquam historice sæpe vocant *carfa*, quod idem est cum flebasco curpar, 262, 1. etiamnum reges ipsorum magnum turbam uxorum habent, 270, 2. Arabes græce vocantur Nomades, quare, 352, 1.
Aræ et templa idolorum a Christianis usque ad tempora S. Gregorii diruebantur; post expiabantur, 433, 1.
Arbaces Medis præfectus cur rebellarit Sardanapalo regi suo, 314, 2. ab Arbace primo Medis rege cæteri nomen suum acceperunt, et cognominati Arbacidæ, 316, 2.
Arca non erat in templo tempore Esdræ, 146, 1, 2. translata sub Manasse vel Amon e templo domum Sellum propter idola, 194, 1. postea in locum restituta a Josia, *ibid.* arca Testamenti an fuerit in secundo templo reædificato post reditum e Babylone, 304, 2; 305, 1. hanc extemplo abstulit et abscondit Jeremias, *ibid.* ejus depositio in monte Nebo, 304, 1, 2. an fuerit inventa cum igne sacro, *ibid.* apparebit in fine mundi, 505, 1.
Architecti cum historico comparatio, 507, 2.
Arcisse in militibus a ducibus eventuales, 341, 1, 2.
Areth dictus sextus frater Machabæorum, 586, 1. *Vide* in *verbo* Fratrum Machabæorum.
Argentifodinæ fuere olim in Hispania feracissimæ, et etiamnum esse testantur aliqui, 450, 1, 2.
Argeotum a bello victis per iter spargi salium cur, 431, 2.
Argumentum libri primi et secundi Machabæorum, 403, 1. item tertii et quarti, 563, 1, 2. 569, 1, 2. argumenta omnia horum librorum quasi in synopsi collecta, 499, 1, 2. argumentum libri Tobiæ, 265. 2. libri Judith, 312, 1.

Ariarathes rex Cappadociæ, 490, 1.
Aristides Sophianus irridens Alexandrum Magnum quomodo ab eo tractatus, 345, 2.
Aristobulus nomen regis primus assumpsit, 493, 1, 2; 495, 2. matrem et fratrem occidit, *ibid.* Aristobulus matricidæ Ptolemæi regis, quis, *ibid.*
Aristotelis sententia de Pygmæis explicatur, 155, 1, 2.
Arma ab alicui ducibus inter deos relata, 564, 1. arma et vocalis hereditandi mos, 565, 1, 2.
Arma spiritualia Judith quibus obtruncavit Holofernem, 331, 2.
Arphaxad rex Medorum qua occasione excuserit jugum Xerxis et Persarum, 316, 1, 2. ejus etymon, *ibid.* an ipse ædificaverit Ecbatanam, et quomodo, *ibid.* 317, 1. expugnatur et jaculis confoditur a Nabuchodonosore, 318, 1, 2.
Arsaces rex Parthorum Demetrium cecidit et cepit, 484, 1, 2.
Arsacæ soror Philopatoris in prælio insigne factum, 563, 1.
Artabanus monet Xerxem in tot copiis suis exultantem, 318, 2.
Artaxerxes, de quo primi *Esdræ*, cap. vi, vers. 14, et cap. xii, quis, 219, 1, 2. Artaxerxes erat nomen commune regum Persarum, 393, 1. ejus etymon, 219, 2; 361, 1. ab Artaxerxe Longimano incipiunt septuaginta hebdomadæ Danielis, 203, 1; 221, 1; 232, 1. cur tumen benevolus fuerit Judæis, 232, 1, 2. cur voluerit Nehemiam esse suum pincernam, *ibid.* quas pœnas ducibus qui delinquissent statuerit, 358, 1. sub eo non contigit historia Esther, 362, 2.
Ars Siam quando a Juda Machabæo obsessa, quando capta, 432, 1, 2.
Asar erat nomen commune regum Assyriorum, 316, 1.
Asarmoth (per) quid significetur, 486, 1.
Asarhaddan, quis, 318, 1.
Asasel idem est quod peccatum, 280, 1.
Ascopera, vox græca, quid significat et unde derivetur, 338, 1.
Asdrubalis præfecti Carthaginis a Scipione obsessa factum, 537, 2.
Asmodeus quis, 279, 1. est dæmon exagitans homines ad libidinem, et liberatos multans, *ibid.* cur vocetur Asmodæus, 280, 1. est rex dæmonum et præses luxuriæ, 282, 2. quibus modis et quamdiu religatus fuerit in deserto, 296, 2; 299, 1.
Aspectus mulierum quam sit periculosus et perniciosus, 329, 1. aspectus virorum mulieribus interdictus, 365, 1, 2.
Aspicere tranquille est quiescere, 380, 2.
Assamonæo (de) an rex olim Mathathias, Machabæi dicti sunt Asamonæi, 464, 2. Asamonæi idem est quod Optimates, *ibid.* eundo et in quo desierit Asamonæorum stirps, 493, 2.
Assidæi qui, 439, 2. an ita dicti ab assiduitate, quam assidui in Dei cultu, *ibid.* an sint idem qui Esseni, *ibid.* fuere adhuc bello, non choro, *ibid.* 2. fuerunt milites belli sacri, *ibid.* et præcipui sub Juda Machabæo, *ibid.* unde vocentur Assidæi, 421, 1. est rex Helmas, *ibid.* 1. fuerunt viri bonacati et primarii in Israel, *ibid.* cum illi sub Alcimo pseudopontifice, 447, 2. de his satisfactum est David, *Psalm.* xviii, vers. 2, *ibid.*
Assuerus nomen commune regum Persarum et Babyloniorum, 214, 1. ejus etymon, *ibid.* Hebraice et Chaldaice idem est quod magnum caput, 283, 2. Assuerus qui cum Nabuchodonosor Niniven destruxit, quis, 314, 1. Assuerus maritus Esther mystice designat Christum, 356, 1; 363, 1. quis ille fuerit, 357, 1. probabiliter fuit Darius Hystaspis, 326, 1. suspicatur Amanum velle Estheram opprimere, cur, 381, 2. erat in tributa propensus, 389, 1. ferox ac cholericus, 399, 2. sed mansuefactus ad aspectum collabentis reginæ, *ibid.* *Vide* Darius Hystaspis.
Assumptio B. Virginis in cœlum mystice representata per assumptionem Estheris ad cubiculum Assueri, 370, 1.
Assyria quomodo sita respectu Judææ, 354, 1.
Assyriorum corruptissimi et impurissimi mores, 345, 2. eorum principes in quantum suam gravitatem servarent, 350, 2. assyriorum regnum defecit, 701, 2.
Astare Deo septuplici ter potest intelligi, 306, 1. non tolum significat esse in cœlis, sed insuper in ministerio quondam principalitatum, *ibid.* 2.
Astarte sive Venus, dea Syrorum, 515, 2.
Astra quando et unde dicantur egredi, 209, 1.
Astergate fuit dea Syrorum, alio nomine Derceto vocata, 552, 2.
Athalia nepotes suos ex ambitione occidit, 49, 1, 2. occiditur circa Galatium, 51, 2. et simum Beuichihila, *ibid.*
Athei duces sua arma facimut numina, 564, 1.
Athenienses capite mulctarunt Themistoclem, cur, 372, 1.
Athersata idem est quod pincerna regis; ejus etymon, 218, 2. ita vocatus est Nehemias, unde, 248, 2. non est nomen Hebraicum, sed Chaldaicum, *ibid.*
Athletæ in Olympicis certaturi coster se servabant, cur, 351, 2.
Atossa uxor Darii Hystaspis eadem videtur cum Hadassa, quæ est Esther, 358, 2; 363, 1, 2.
Atrium sacerdotum et atrium laicorum quomodo distinguebantur, 469, 1.
Attalus Pergami rex moriens populum Romanum scripsit hæredem, 496, 1.
Attila rex Hunnorum S. Lupo quærenti quis esset, respondit se esse flagellum Dei, 341, 2; 421, 2. spe totius orbis obtinendi deseruisse imperium; sed tandem a Deo per feminam occisus est, 346, 2.
Auctor libri I et II Machabæorum, 403, 1, 2. alius est primi, alius secundi, 486, 2; 506, 1, 2. auctor Canonicus ritune dicta alicujus auctoris profani facit ex canonico, 506, 2. auctor libri primi et secundi Esdræ quis, 201, 1, 2. auctor libri Tobiæ est ipse Tobias, 266, 2. libri Esther Mardochæus, 338, 1.
Audacia adversus hostes dos maxime eximens belli ducem, 438, 1, 2.
Audomarus (S.) ægre tulit sibi vitam diu amissam per S. Vedastum esse restitutam, 378, 1.
Augusti Imperatores frugalitas, 363, 2.
Augustini (S.) aureum dogma de senectute et pueritia, 289, 2.
Aulo (de) an tempestive ante casum abdicendum, 382, 2.
Aurelianenses olim in Hispania fuere ferocissimæ; et etiamnum esse multi testantur, 450, 1, 2.
Aurum per iter spargi solitum a bello victis, cur, 431, 2. aurum regis Persarum volucrunt sibi esse proprium, 473, 2. auri libra valet centum aureos, 485, 2. aurum judices corrupti, 516, 2. aurum pretiosissimum representat cœlestis Deum, 565, 1.
Auxilia hæreticorum non quærenda in bello, 177, 1, 2.
Avaritia judicum pedumis se corrumpi sinentium, 316, 2.
Aves fuerunt primum vivens animal creatum a Deo, 202, 2. quibles aves adhuc a Latinis nominantur passeres, 272, 1, 2.
Axioma ducis cujusdam de generoso milite, 457, 2.
Azarias quem se vocat S. Raphael angelus, quis, 259, 1, 2. variæ nominis versiones, *ibid.* Azarias fuit Jesus Christus et Apostoli, 290, 1. apud Hebræos fuit nomen magnum, illesque magnorum regum, principum, pontificum, etc., *ibid.* est nomen non tam proprium quam appellativum, *ibid.* 2. vere ævo Tobiæ fuit Azarias filius Ananiæ, *ibid.*
Azyli origo, 145, 1, 2.

B.

B littera subinde commutatur cum *G*, 394, 1.
Baaras radix a Salomone ostensa an habeat virtutem expellendi dæmonem, et quomodo, 298, 1, 2. olet magnum, *ibid.* varia de ea commenta, *ibid.*
Babylas (S.) martyr sepultus in Daphne, 316, 2.
Babyloniorum regnum incipit a Baladan, 781, 1. Babylonica captivitas cur 70 annis duraverit, 197, 2; 198, 1.
Barchanalia festa quomodo celebrari solita, 522, 1.
Bacchides a Demetrio cum copiis missus contra Judam, 447, 2. Jerosolymam frustra obsidet, 457, 1. ipse contra Judam Machabæum victoria cessit, sed cruenta et pudenda, 456, 1, 2. cante letum Jonathæ decinavit, 459, 1, 2. Bethbesen frustra obsedit cæco Odare duce suo, 460, 2; 461, 1. hinc iram vertit in apostatas Judæos, *ibid.* 2. pacem cum Jonatha facit, 462.
Bagoas nomen commune Persis significans eunuchum, 543, 1.
Bagoas eunuchus nequissimus Alexandri Magni, *ibid.* 2.
Bahes symbolum et omen est victoriæ, 481, 2. ejus etymon, *ibid.*
Balista quod genus armorum, 444, 1.
Baptismus est professio Christianismi et legis Evangelicæ, 340, 2.
Barbarorum omnium vitium commune misceri cum matre, filia, sorore, etc., 343, 2.
Barcaman (ad) occiditur Jonathas cum filiis a Tryphone, 480, 2.
Basilica Græce est domus regis, 377, 1.
Basilii Imperatoris ad Leonem filium insigne monitum, 309, 1.
Basilius (S.) laudatus quod corruptos academiæ Atheniensis mores devitarit, 270, 1.
Beau est civitas Amorrhæorum, 437, 1.
Beatitudo cœlestis per Ecclesiam triumphantem ex sapphiro et smaragdo fabricandam significata, 308, 2.
Beelzebub Deus muscæ, 3, 1, 2.
Beelzebub an sit nomen officii significans præfectum ædificiis, 214, 2.
Belgin (in) unpee portenta in cœlo ostensa, quid præsagitiverint, 319, 1.
Bellatores aliquot eximii, quia procero et valido corpore æque ac animo, 420, 1.
Bello victi spargunt aurum ut effugiant, hostemque insequentem morentur, 431, 2. belli sacri contra Turcas et hæreticos quanta vis, 457, 2. belli ducum magnanimorum aliquot exempla, 474, 2. belli prognostica, 518, 1, 2. bellum irreconciliabile generunt aliqui, 537, 2. tale unusquisque gerit cum Lucifero, carne et mundo, *ibid.* belli causa, superbia et dominandi libido multis extitit, 317, 2; 318, 1.
Belma urbs ad radices montis in quo sita Bethulia, 330, 1.
Benedicti (S.) virga formidabilis dæmoni, 298, 2. in Regula sua quid de hospitibus statuat, 363, 1.
Benedictio portarum et murorum urbium a priscis fieri solita, 235, 1. benedictionis armorum et vexillorum mos et ritus, 565, 1, 2. item Crucis et exercituum, *ibid.* et militum, *ibid.*
Beneficia ingentia duodecim promisit Demetrius Jonathæ, si suas partes sequi vellit, 466, 1, 2. beneficiorum in reges collatorum memoria exacte servata, 379, 1, 2. beneficia septem a Raphaele Archangelo Tobiæ filio præstita, 304, 1.
Benjamin vocabatur una a portis urbis Jerusalem Aquilonem versus, 237, 1.
Bernardus (S.) Clarævallensis mulierem dæmone incubo liberat, 291, 2.
Bersabee sacerdos cur a sacerdotio rejectus, 210, 2. prohibetur comedere de victimis oblatis, *ibid.*
Beth littera hebraica sæpe commutatur cum *mem*, et contra, 218, 1.
Bethbesse civitas tribus Benjamin frustra obsidetur a Bacchide, 460, 2.
Bethdagon cum omnibus idololatris concrematum, 468, 1, 2.
Bethsan postea dicta est Scythopolis, 477, 2.
Bethsura fuit munitio extructa a Juda Machabæo contra Idumæos, 357, 1. Hebraice idem est quod domus rapis, *ibid.* capitur ab Antiocho, 444, 1. quantum distet a Jerosolem. 557, 1.
Bethulia urbs Galilææ ubi sita: Hebraice idem est quod virginitas Dei, 327, 2; 356, 1. licet esset propriis tribus Zabulon, tamen tribus Juda eam sibi vindicavit, 327, 2.
Bias circumcessus ab Ipharate, rogatus quid ea articulo agendum foret, quid responderit, 457, 1.
Bibendum (ad) aliquem cogere est contra naturam, 363, 1, 2. bibere ad sanitatem et ad id cogere est tyrannicum, *ibid.*
Bibliothecæ variæ erectæ, 365, 2.
Bidentalia quæ nominarent Romani, 502, 2.
Blanca (S.) quid filio suo S. Ludovico crebro inculcaret, 270, 2.
Blasphemia Wittakeri dicentis Angelum Raphaelem fuisse mentitum, 289, 1, 2.
Blasphemia punita in Nicanore, 448, 1.
Bolesiaus II. tripliei tumens victoria a Friderico rege Bohemiæ victus, 437, 2.
Bonum significat tam bonitatem et honestatem virtutis, quam jucunditatem et felicitatem, 238, 1. bonum esse inter malos immensi est præconii, 269, 1. bona matrimonii tria, 295, 1, 2.
Bosor erat urbs Moab ultra Jordanem sita in tribu Ruben, 437, 1, 2.
Bosra capita in mari Æneo fusa, præter boves quibus sustentabatur, 443, 1.
Brevilequentia a multis commendata, 506, 2; 507, 1.
Brunichildis peccata et pœna, 51, 2.
Bruno (S.) secessit in montes Carthusiæ, ibique Carthusiensium ordinem instituit, 520, 2.
Bugenes nomen potest sumi vel ut proprium et patronymicum, 394, 1, 2. vel ut appellativum, *ibid.*
Burrumbines unde dicti, 163, 1.

C.

Cadaver Alexandri Magni mansit insepultum ad triginta dies ob Principum dissidia, 413, 1.
Cæciliam (S.) cum S. Valeriano sponso ad castitatem direxit angelus, 347, 2.
Cæcilius Poeta cœvus Judæ, Jonathæ et Simoni Machabæis, 465, 1.
Cæcitas a viris sanctis expetita et amata, 274, 2; 275, 1. illa non turbavit Tobiam seniorem, 276, 1, 2. huic cæcitati naturaliter per fel in Tobia, 303, 1, 2.
Cærorum Deum laudantium exempla, 274, 2; 275, 1.
Cœlibatus commendatur exemplo Judith, 355, 2.
Cœneus hastam suam inter deos numerari jussit, 564, 1.
Cæsar erat nomen commune regum Romanorum, 214, 1.
Caius Caligula voluit coli ut deus, 378, 1.
Cajetani sententia de quibus Elias refutatur, 469, 2.
Calabria dicta est magna Græcia, 394, 2.
Calamitate (in) publica publice orandum ac pœnitendum, 324, 1. ob calamitates olim totus populus pervigilabat in templo, 328, 2. Joiaris signa varia in calamitate fieri solita, 397, 1.
Calendæ unde dictæ, 413, 2.
Calliocymi piscis descriptio, 292, 1. abundat felle quod valet ad allugines ex oculis extergendas, alioque nomine vocatur uranoscopes, *ibid.* est vorax et stolidus. *ibid.* ea cor ipsius fugat dæmones, et qua vi, *ibid.* 2.
Calumnia uxoris turbavit Tobiam seniorem, 277, 2. et auctitas Saram filiam Raguelis, ac S. Monicam, 280, 1, 2.
Calvi dicuntur lunulæ, 51, 2.

Calvitium capitis deformitas, 18, 2. illius ejus causa, 11, 1.
Cambyses Cyri filius fabricam templi a patre permissam impedivit, 214, 2. patre apud Lydos et Massagetas occupato, domi rebus imperii præerat, *ibid.* Chaldaice vocabatur Assuerus; Persice vero Artaxerxes, *ibid.* fuit Judæorum hostis et parricida; quomodo a Deo punitus, *ibid.* 2. monitus a Presaspe uno e charissimis ut peccius biberet quam ingratus fuerit monitori, 381, 1.
Campanum ab Ecclesia benedictæ qua vi fugant dæmonem, procellas et tempestates excitantem, 298, 1.
Candaules rex Sardorum quo pacto occisus a Gyge, 764, 2.
Candelabri aurei effigies cernitur Romæ in arcu triumphali Titi, 305, 1.
Candidas vestes olim induebant in diebus festis et lætis, 384, 2.
Candor cum quo Angeli apparent quid significaret, 547, 1.
Canis Tobiæ præcurrens Doctores exprimit Ecclesiæ, 303, 1.
Cannensis cladis Romanorum quæ causa, 451, 2.
Canoniens auctor citans dicta alicujus profani facit ea canonica, 306, 2.
Cantatrices adhibebantur templo ad laicas cantiones, 211, 1.
Cantores templo adhibebantur ad canendos psalmos, *ibid.*
Capaneus ensem suum numen fecit, 264, 1.
Capillos alicui evellere magnæ est ignominiæ, 261, 2. hos sibi ipsis lacerabant veteres in calamitate constituti, 397, 1.
Capite duci exercitus amputato percellantur milites, probatur exemplis, 349, 2. caput nonnullis hodie ita ornari et attolliunt ut turrigeræ videantur, 397, 2.
Caperiani qui sunt præfecti regionum urbis Romæ, quod munus et auctoritas, 237, 2.
Captivitas prima quinque tribuum Israelis in Assyriam sub Teglathphalasar, 69, 1. multi eam evaserunt, *ibid.* 2. prædicta fuit a Prophetis, *ibid.* captivitas Babylonica tribus Judæ a quo incipiat, 88, 1. secunda captivitas, *ibid.* tertia captivitas, *ibid.* captivitas Hebræorum duplex, 200, 1. de posteriori igitur hic in libro Esdræ, *ibid.* captivitas Babylonica fuit celeberrima et universalis, 326, 2.
Capuanæ delicias perdiderunt Annibalem, 472, 2.
Caput Nicanoris in prælio amputatum, uti et aliorum, contra Jerusalem suspensum, 448, 2.
Carbasinus color est candidus a carbaso, 361, 2. carbasinus color est viridis, *ibid.*
Carbasum est linum miræ tenuitatis et candicans, 362, 1.
Caris Arabice est idem quod Hebraicum *carpas*, sive apium hortense, *ibid.*
Carnem porcinam qui comedere recusant exsarriticantur, 523, 1.
Carnion locus munitus ad quem egressus est Judas, quis, 552, 2.
Carolus Magnus quater Romam adiit, cur, 230, 2. quando creatus et coronatus sit Imperator, *ibid.* Carolus Magnus vesto validoque fuit corpore æque ac animo, 425, 1.
Carpas sonat idem quod viridis, 361, 2.
Carthusiani ex voto abstinentes carnibus mori malunt quam ils vesci, 420, 1, 2; 523, 2.
Casimirus (S.) mori maluit quam virginitatem perdere, 329, 2.
Casleu mensis Hebræorum respondebat nostro novembri, 413, 2; 433, 2. Casleu mensis Hebræorum respondet nostro partim novembri, partim decembri, 231, 1.
Caspbin urbs ubi sita, 552, 1.
Cassidula est parva pera, vel parva cassis, 297, 1, 2.
Castitas vera religionis comes, 414, 1. ea exacte servata, 328, 2. castitatis præses est Raphael archangelus, 292, 2. castitatis conjugum reservatæ exemplum, 284, 1. castitas etiam in conjugio servanda, 296, 2. castitas est finis quo ligatur dæmon ne nobis noceat, 299, 1. castitas mortis prælata, 332, 2; 333, 1. est causa fortitudinis, 357, 2. castitas Judith quam fuerit eximia, *ibid.*
Castor quo pacto e venatorum manibus elapsus, 491, 2.
Castorum præses est S. Raphael archangelus, 272, 2.
Castra sine duce quasi populus sine rege, 349, 1, 2.
Catalogus populi redeuntis e Babylone descriptus ab Esdra quomodo diversus ab eo quem descripsit Nehemias 246, 1, 2. et catalogus donariorum ad fabricam objectorum, *ibid.*
Catastrophe septuplex in tragedia Amani, 335, 1, 2.
Catholici in Anglia, Scotia et Saxonia in quo imitentur Tobiam seniorem, 289, 2.
Cato arenas Libyeas primus ingrediens milites ad se sequendum animavit, 438, 1.
Cato Romanorum sapientissimus quo pacto sepsum occiderit, 561, 2.
Catuli leonum latrante stomacho rugient, 425, 2.
Cauda canis Tobiæ finem bonæ operationis insinuat, 303, 1.
Celeritas dea una ducis, 391, 2.
Cenchreæus dux mortuus, 491, 1. cæditur a Joanne filio Machabæi filio, 492, 1.
Centesimus usura quæ, 241, 1.
Cereos (per) benedictos quomodo fugetur dæmon, 298, 1.
Cethim est Cyprus et Macedonia, 412, 1.
Chaldæus paraphrastes fabulosus, 467, 2.
Chaldæa cur hic vocetur Persis, 569, 2.
Chaldæi milites utebantur purpura ad tegendum vultum, 432, 1. an omnes libros veteris Testamenti cum templo exuserint, 201, 1, 1. solebant alienigenis ac præsertim Hebræis cum in urbem vel aulam asciscerentur mutare nomina, 368, 2.
Characa locus quidam in Judæa munitus, sic dictus a χάραξ, 552, 1.
Charan sive Haran urbs sita in Mesopotamia, 302, 1.
Charitas per catachresin in subinde accipitur pro amore illicibili, 236, 1. charitas Nehemiæ aliorumque ducum et præsidum in cives suos, 242, 1. et Estheris in populum suum, 375, 2. charitas Christi in nos repræsentata per carnem piscis Tobiæ, 303, 2.
Chasida est ciconia vel milvus, 421, 1.
Chasidim vocis interpretatio et significatio varia, *ibid.*
Chaphis pagus vel vicus in Babylone, 223, 1.
Chelidonia herbæ qua hirundines pullorum suorum oculis medentur, 273, 2.
Chelmon urbs quæ, et ubi sita, 330, 1.
Cherem interpretatio varia, 325, 2; 437, 1.
Cherubim erant in altari thymiamatis, sed duo tantum, 437, 2.
Chesed, id est pietas, misericordia, 421, 1.
Cholerici quia celeris ingenii velocisque consilii bello utiles, 418, 1.
Chores quid sit, 281, 1.
Christiana lex vetat jejunium in Dominica ob festi lætitiam, 248, 2.
Christiani nunquam sine armis incedant, 21, (2. in chronologia maxima sententiarum diversitas, 34, 1. chronologiæ canones, 77, 1, 2. Christiani ad Evangelium assurgant reverentiæ causa, 248, 1. quid eis imitandum in afflictione positis, 275, 2; 321, 1. primorum Christianorum frugalitas in convivis, 328, 2. et puritas corporalis, 343, 1. accepto aliquo insigni beneficio in gratiarum actionem canunt: *Te Deum laudamus*, 348, 1. In triduo passionis Christi strepitus edunt, 388, 2. Christiani in angustiis et periculis constituti Dei opem implorent, 457, 2; 458, 1. spolia terrena relinquant, 431, 2. Christiano homini quid dicendum a septem fratribus Machabæis Judæis, 530, 1. mortem pro fide sustinere discant Christiani exemplo Eleazari, 443, 2.
Christus. — *Vide* Jesus Christus.
Chronotaxis Seleucidarum post Alexandrum Magnum in Syria regnantium, 435, 1, 2. Ptolemæorum in Ægypto, 407, 1, 2. Rem Machabæorum qui populo præfuere ut Pontifices et ut Principes, 407, 1, 2; 408, 1, 2. item

Pontificum ab Alexandro Magno usque ad Christum, *ibid.*; 408, 1. 2. chronotaxis Tobiæ seniloris et junioris, 266, 2; 267, 1.
Jubus Angelorum est Deus, 347, 2. cibus a stisenti humectari nequit et corrumpi, 340, 2.
Cidarim sive coronam quam gestabat Esther vocat signum superbiæ, 397, 2.
Cilicio uti pœnitentes, 34, 2. cilicium sive saccus tertium symbolum pœnitentiæ, 231, 1. domat stimulos voluptatis turpis, 332, 2.
Cinere caput aspergere, symbolum est pœnitentiæ, 251, 1. cinis quem mulier oculis inspersa eorum caliginem dispellit, 274, 1. cinis est signum mortis, 356, 2. in cineres ex alto turri præcipitatio quod genus supplicii, 256, 2.
Cinyra instrumentum musicum, quomodo distinguatur a cithara.
Circumcisio erat professio Judaismi et legis Mosaicæ, 349, 2.
Cithara solis magnitudine distinguitur a cinyra, 434, 1.
Civesvita functos precibus juvare honestum et probum, 334, 2. civium selectu prodit qui hostes captos vel capiendos dimittit, 544, 2. civium commodis studuisse duces et præsides exemplo Nehemiæ et aliorum, 242, 1.
Clamantii moda magnis calamitatibus apud Persas, 375, 1. et apud Judæos præsens tempore, 388, 2.
Clemens V, instigante Philippo Pulchro Francise rege, Templarios extinguit, 434, 2.
Clementia Dei in hostes captivos, 182, 1.
Clementia Dei in Judæos legis prævaricatores, 225, 2. justitiæ temperata, *ibid.*
Cleopatra, devicto M. Antonio ab Augusto Cæsare, nec in manus victoris venire, aspidum morsu se necavit, 407, 2. Cleopatra Græce idem est quod decus et gloria patriæ et patris, 466, 2. Cleopatrarum series et origo, *ibid.*
Cleopatra Demetrii senioris uxor marito capto Antiochum ad regnandi conjugium suum invitat, 488, 1, 2, et 489, 1. habuit itaque simul duos fratres viventes maritos, *ibid.* veneno quod filio propinarat necata est, *ibid.* trium Syriæ regum fuit uxor, *ibid.*
Coævi quinam fuerint Esdræ et Nehemiæ, 242, 2. item Esther et Mardochæo, 359, 1, 2. coævi tam e Philosophia quam Poetis, illisque qui fuerint Judæ, Jonathæ et Simoni Machabæis, 485, 1.
Codrus rex sua morte Athenienses victoriam sancivit, 456, 2.
Coeli extrema quænam dicantur. 231, 2.
Cogere ad bibendum est contra naturam, 363, 1. 2. etymologiam, *ibid.* est libertatem adimere, sanitatem ledere, etc., *ibid.*
Collinghamnense monasterium a Danis concrematum, 337, 2.
Colocynthes est cucurbita agrestis, 23, 1.
Columnæ Agrippinæ exstat ecclesia septem fratrum Machabæorum, 535, 2. an etiam eorum reliquiæ, *ibid.*
Color ruber elephantos summopere proritat ad proelium, 442, 1. color viridis mire oculos recreat, 361, 2.
Commiseratio levat miserum miseriam, 284, 2.
Communio hæreticorum fugienda exemplo Judæorum, 213, 1, 2.
Compendia facere magni laboris est et industriæ, 567, 2.
Compendiaria historiæ cum pictore fabricam construendi pingente comparatio, *ibid.*
Compunctionem (per) et lacrymas aDeo exaudiri, 278, 1.
Computus ecclesiasticus Græcorum dupliciter fit, 548, 1.
Concionator opere et non sola voce prosit, 55, 1. sit illuminatus et perseverans, *ibid.* concionator ante concionem quid a Deo facilime deleat, 397, 2.
Concubinæ virgines ad Ochum e sanctum concurrentes quæ, 319, 2.
Concubinarius in complexu concubinæ fulgure sideratur, 296, 2.
Concupiscentia exstinguitur passione Christi, 291, 2. concupiscentiam carnis dum sentis, invoca B. Virginem, 356, 1, 2.
Conditiones fœderis Judæorum cum Romanis inviti, 452, 1, 2.
Conjuges in eodem sepulcro conditi, 284, 1. dormun in continentia et castitate viventium exemplum, *ibid.* Conjuges Christiani sequantur exemplum Tobiæ et Sarræ, 295, 1, 2. quem finem intendere debeant in copula, *ibid.* caste vivant, 296, 2. a mensa ebrietatem, detractionem, etc., arceant, 300, 2. sobrii sint maxime cum generationi vacant, *ibid.* subinde se monito vocant fratres et sorores, cur, 309, 2, 309, 1.
Conjugia cum Chananæis, Judæis vetita, cur; quo pacto permissa, 224, 1. conjugium requirit virilem ætatem, cur, 270, 1, 2.
Conopeum quid, 359, 2.
Conscientia urgente pœna menti culpam in memoriam revocat, 441, 2. conscientia militarium scelerum mitiles facit timidos, 455, 1.
Consiliarii pilares audiendi, 401, 1.
Consilium et constantia omnia edomant, 459, 2. consilium malum consultori pessimum, 461, 2.
Consilio (sine) sapientis nil faciendum, 257, 1.
Constantia Nehemiæ in amando, et populi in fabricando, 238, 1. constantia a Deo petenda est, 330, 2. constantia Mardochæi in resistendo Amano scelestissimo, 377, 2. constantia superandi hostes tam corporis quam animæ, 459, 2. constantia decia quantum in bello rebusque arduis valeat, 474, 2. constantini mirum exemplum in Eleazaro, 523, 1.
Constantinopolis urbs sic dicta a fundatore Constantino, 544, 2. Constantinopolis a triennali Saracenorum obsidione per B. Virginem liberata, 536, 1.
Constantinopolitani cujusdam viri clarissimi filius pauper divinitus exoreum divitum nactus est, 278, 2.
Constantinus Imperator fuit visio validusque corpore atque animo, 425, 1. Dei auxilio sæpe vicit in bello, 426, 2. convocavit omnes Episcopos ad dedicationem templi Jerosolymitani, 434, 1. ab ipso nomen mutavit Constantinopolis, 444, 2. cur in labaro crucem insculpi jusserit, 565, 2. pro eo certarunt Angeli, 545, 2. Constantinus Magnus totas sæpe noctes sine somno traduxit, 319, 1.
Consulere diabolum gravissimum peccatum, 3, 2.
Contentio de principatu causa fuit subjectionis Judææ, 452, 2.
Conti sunt lanceæ oblongæ et hastæ, 393, 1.
Continentia et puritas Sarræ Raguelis filiæ, 284, 1. ejusdem a duobus amantibus exacte servatæ exemplum, 284, 1. continentia per quid melior matrimonialis concubitu, 295, 1, 2.
Conversio omnium gentium ad Christum prædicta a Tobia seniore, 308, 1, 2.
Convicia etiam justis objecta eos exercuerunt, 280, 1, 2.
Convivæ arcenat a mensis ebrietatem, jurgia, detractiones, etc., 300, 2. more veterum, 302, 2. olim in mensa sapientes miscebant sermones, *ibid.* non sunt cogendi ad bibendum, 363, 1.
Convivia sint frugalia more primorum Christianorum, 328, 2. et more primorum Persarum aliarumque gentium, 362, 2. convivium Assueri ad litteram vanæ voluptatis aucupium mystice fuit Eucharistiæ similecrum, 363, 2. conviviorum postridianus dies doloris et pœnitentiæ, 365, 2.
Copulæ conjugalis finis, quis, 296, 1, 2.
Cor est sedes animositatis et audaciæ, 449, 1. cor regis in manu Domini esse, impletum in Cyro, 206, 2. item in Assuero, 399, 2. cor piscis an fugat dæmones, et qua vi, 292, 2
Cornelius (R. P.), auctor horum Commentariorum, filius agricolæ, 415, 2.
Corona (per) altaris quid significetur, 335, 2. cornua superbis augue ac tauris comparatis resecanda, 521, 2.
Corona est insigne proprium regis, 322, 1, 2; 379, 2. qualis esset regum Persarum, 379, 2.
Corporis exercitatio cum immortalitate animæ necessario connexa, 554, 2. corpus labore fatigatum melius reficitur jacendo quam sedendo, 362, 1.
Coreos regis Persarum festus et superbus, 400, 2.
Crapula quam sit improvida, 363, 1. et insana, 363, 1, 2.
Crassus (M.) e templo trahem auream sustulit, 516, 1.
Credendum (quo) temere neque facile, 401, 1.
Crines solebant veteres lacerare in magna calamitate constituti, 397, 1.
Crucem cur insigniretur proficiscentes Palæstinam pro recuperanda Terra sancta, 565, 2. crucis Christi hanno adventus est diabolus, 298, 2. ejus sera mediatio est finis quæ dæmon ligetur, 299, 1. crux apud Persas erat infâme et ignominiosissimo, 378, 2. crux parata Mardochæo data fuit paranti Amano, 382, 1, 2.
Crudelitas et superbia Amani in Mardochæum et Judæos, 373, 2. item Darii Hystaspidis et Xerxis filii Ipeios, 399, 1, 2.
Crystallus quid sit, 390, 2.
Cubere monetam est summæ potestatis, 489, 1.
Culpa (in) superata non superbiendum, 445 1.
Cupidi pro puncto voluptatis se efficiunt mancipia diaboli, 330, 2.
Cupiditatis in homine per peccatum corrupto quanta vis, 516, 1.
Cutellus fatus Tobiæ cæci mystice explicata, 303, 2.
Cyprus Elisæ transformarunt Gentiles in quadrigam solis, 427, 2.
Cyprianus, primum nasgus, sed postea fidelis et martyr, suis incantationibus dæmonem evocat, cur, 279, 2.
Cyrus rex Persarum a Tomyri cæsus, quo anno, 431, 2. ejus tessera belli, quæ, 538, 1. Cyrus primus rex Persarum Judæos Babylone libervit, 204, 1, 2. quo anno factus sit monarcha, *ibid.* et 205, 1. quo anno cœperit regnare, et Babylonem expugnavit, *ibid.* an ut monarcha regnaverit septem annis, *ibid.* erat bellicosissimus et quietis impatiens, *ibid.* verus ejus etymus, *ibid.* unde eumen verti omina cum esse conducentia, *ibid.* et 2. cum ut numen sumus colebant Persæ, *ibid.* exemplum fuit omnium regiarum virtutum, *ibid.* quid de sole sibi in somnis astante somniarit, *ibid.* ex se erat pauper, sed a Deo factus dives, *ibid.* quid significet Hebraice, *ibid.* quid grece, *ibid.* et 206, 1. etymus ejus genuinum est Persicum, *ibid.* fuit typus Christi, *ibid.* cur Deus excitaverit affectum ejus et voluntatem, *ibid.* de eo loquitur oraculum, *ibid.* 2. Deum verum agnovit, *ibid.* 2. laborem suadebat, nec ullum sumebat, nisi pro corpore exercendo, *ibid.* 207, 1. ejus sommium quo invitabatur ut ad deos accenderet, *ibid.* ejus edictum ut Judæi se invicem juvent in reædificando templo, *ibid.* 1, 2. cor veteseit secundum templum tum alias extruxit, ut prius, 218, 1. sua manu agros et hortos excolit, 361, 1. ejus frugalitas, 362, 2.

D.

Darha Syriace est mundare, purificare, justificare, 367, 1.
Dæmonis etymus, 279, 1. dæmones, eorum quos decepcrunt sunt carnifices, *ibid.* 2. dæmon obsidens puellam ab adolescente mago incantatum interrogatus a S. Hilarione, quid responderit, *ibid.* item se provolvens ad genua S. Antonii, *ibid.* alii sunt Persici, Medici, Africi, alii australes, meridionales, etc., 280, 1, dæmon an fugetur per fumum jecoris callionymi, et qua vi, 292, 2. aqui per cumus naturales et humores melancholicos, 293, 2. Quomodo per magos et sagas noceat bestiis et pueris, *ibid.* fuit figuratus per piscem a Tobiæ socium; *ibid.* dæmonis proprium est intricare corpus et animum variis doloribus, scrupulis, etc., *ibid.* 2. quomodo dæmon incubus prolem generet, 294, 1. proprie non amat feminas, sed amorem simulat, cur, *ibid.* 2. dæmones fugantur pulse compagnarum ab Ecclesia bene dictarum 298, 1. an etiam per radicem Dictamni a Salomone celebratam; *ibid.* eis formidabilis est virga S. Benedicti, *ibid.* 2. quibus modis potuerit dæmon reliquiri in deserto, *ibid.* quo pacto ligentur in inferno et egredi nequeant, *ibid.* per Christum qualiter ligatus sit, *ibid.* 2. quibus virtutibus tanquam funibus ligetur, 299, 1. timent vocabulum, patrocinium et exemplum Mariæ, 346, 2. *Vide* Diabolus.
Damascus urbs pulcherrima describitur, 25, 2.
Damascene caput est Syriæ strictu sumptæ, 322, 1.
Daniel cur librum suum conscripserit partim Hebraice partim Chaldaice, 302, 2. fuit familiaris Cyro regi Persarum, ejusque convivæ, 206, 2.
Daphne locus a copia laurorum ita dictus, quis, 545, 1, 2. hic sepultus fuit S. Babylas, S. Ignatius Antiochenus et Onias sanctus occisus, *ibid.*
Darii stirps, 216, 1; 391, 1. Darii stirps duravit ab imperio Persico usque ad Darium Ochum, 216, 2.
Darius rex Persarum, prius dictus Codomus, exercuit cuponam Susis, 412, 1. non fuit ex stirpe regia, ideoque ab Alexandro regno privatus, *ibid.*
Darius Ochus inventor certi supplicii, quo rei in cineres præcipitabantur, 256, 2.
Darius Codomanus ultimus Persarum rex victus ab Alexandro, 258, 1. quot equitum et peditum millia in aciem eduxerit contra Alexandrum, 321, 1.
Darius Hystaspis dedit Judæis facultatem ædificandi templi, 203, 1. vovit fabricare templum, 213, 1, 2. ad ejus annum secundum intermissa fuit fabrica templi, *ibid.* anno ejus sexto pars interior templi perfecta fuit; anno vero tum interiores quam exteriores, 219, 2. cur dicatur rex *Assur*, *ibid.* solebat aquam et terram petere ab iis quos sibi subigere cogitabat, 320, 2. ipse fuit Assuerus maritus Esther, 358, 1. erat rex Persarum atque Medorum, 361, 1. fuit vini labax, 389, 1, 2. ferox et crudelis, 399, 2. vocat se fratrem uxoris suæ Esther, *ibid.* voluit festum Phurim etiam a Persis gentilibus celebrari, 402, 2. — *Vide* Assuerus.
Deus dux Cœlesyriæ. — *Vide* Apollonius.
Davidi promissio facta de regno in ejus posteris continuando fuit conditionata, 122, 2. in aurem ei Deus loquitur, uti amicus amico, *ibid.* somnus quam pro fabrica templi reliquit, 2400 millionos, 127, 1, 2. David non ultra, sed ut prophetæ constituit ordines sacerdotum et Levitarum, 130, 1. ejus prudens politia in re militari, 138, 1, 2. Davidis regis stirps defecit in Jechonia in Babylonem abducto, 191, 2.
Decemviri Romæ habebant jus imperandi alternis diebus, 451, 2.
Decimæ laborum et operum solvendæ, 253, 2. decimam decimarum dabant Levitæ sacerdotibus, *ibid.* cur a laicis dentur sacerdotibus, 259, 2.
Dedicatio solemnis muri Jerusalem quando et quo ritu peracta, 268, 1, 2. dedicationis Ecclesiæ dignitas et solemnitas, 434, 1.
Defendere sumitur pro *condicere*, 319, 2.
Defunctis (pro) orare, pium et honestum est, 334, 2.
Dejectus Mediorum rex potentissimus, 316, 1, 2. ipse ædificavit Echatanam, *ibid.*
Deliciarum postridianus dies doloris et pœnitentiæ 365, 2.
Deliquium animi quod passa est Esther an fuerit verum vel fictum, 399, 2.
Demetrius Seleuci filius Romanis obses datus, quomodo Roma fugiens regnum Syriæ adierit, 440, 1, 2. co-

gnominatus fuit Soter, 447, 2. cur noluerit videre Eupatorem et Lysiam, *ibid.* Judæis quæ et qualis indulserit, 465, 1, 2. occiditur ab Alexandro Veles per auxilium Jonathæ, 466, 2.
Demetrius junior, pacifice in Syria regnans se otio dedit, et regno expulsus fuit, 472, 2. exosum cum habebant milites patrii, cur, 473, 1. fictum Jonathæ datum fefellit, *ibid.* 2. vincitur a Tryphone capta Antiochia, *ibid.* quo anno captus ab Arsace Parthorum rege fuerit, 495, 1.
Depositio arcæ Tabernaculi in monte Nebo per Jeremiam, 304, 1.
Depositum non solum Judæis et Christianis, sed etiam ethnicis familiare, 519, 1.
Derceto dea Syrorum quæ et qualis, de eadem fabula, 552, 2.
Derar et avis libera, puta hirundo, 279, 2.
Descriptiones Jeremiæ prophetæ quænam sint, et an fuerint canonicæ, 303, 1, 2; 304, 1.
Desperatis (cum) pugnare periculosissimum, 432, 2; 477, 2. Desperato humano auxilio adest divinum; 107, 2.
Deus adest in desperatis, tam facile potest suam potentiam, operæ et victoriam applicare paucis quam multis militibus, 426, 1. cur sæpe paucos selegerit, ut multos prosternerent, *ibid.* non juvat nisi comites et collaborantes, 428, 2. cur vetuerit Judæis copiam equorum, 431, 1. Dei vocatio est exspectanda et sequenda, 439, 1. permittit causas secundas suo cursui, 457, 2. et unumquemque mori in suo opere et exercitio, *ibid.* est invocandus in periculis, *ibid.* et 458, 1. quomodo et fidendum, *ibid.* cur permittat viros sanctos in aliqua minora peccata labi, *ibid.* et occidi, *ibid.* 2. ejus symbolum est ignis, 502, 2. subinde castigat peccatores per angelos bonos, 514, 1. suas injurias lenis, sed acriter punit, 518, 2. propter Judæos fideles et sanctos eligit locum Judææ, 519, 2. superbos humiliat et sternit, 458, 1. ejus invocatio remedium ad victoriam obtinendam, 543, 1. Judæ Machabæo in angustiis præsto adfuit, *ibid.* justos conservabat in præliis, nocentes sinebat occidi, 554, 1. Dei quæ sunt, aures sunt, 563, 1. Deus cum quempiam ad officium eligit, dat ei symbola illud necessaria, 566, 1. pro Deo colli voluit Alexander Magnus, 413, 2. et Antiochus Epiphanes, 414, 2. Deo se æquat Nicanor, 563, 1, 2. inter deos relatio fieri solita quando, 548, 2. Deus non vere et proprie, sed metaphorice habet oculos, aures, etc., 217, 1. cur præcepit Judæis ne ducerent uxores Chananæas, 221, 1. prohibet Judæos quærere prosperitatem gentium vicinarum, 235, 1. ejus clementia in Judæos prævaricatores, *ibid.* 2. est amandus super omne amabile, 237, 2. cum parcit peccatoribus, tegere peccata; cum punit, cavere et aspicere, 228, 1, 2. gaudet et delectatur nostra fortitudine in adversis, 248, 2. gaudet diebus festis quod illis a fidelibus magis colatur, pariterque cujit ut diebus die festo gaudeant, *ibid.* vult a nobis sibi serviri in lætitia, 249, 1. aquas in ignem convertit, 258, 2. cur permittat justos affligi, 274, 1, 2; 305, 2. hominis audit linguam, si mundam habeat conscientiam, 278, 1. Dei opera sunt misericordia, vera ac justa, *ibid.* 2. Copit in omnibus actionibus nostris inesse misericordiam, veritatem, et judicium, *ibid.* Deus cur vocetur Orphe, 281, 2. est decus et gloria omnium angelorum et hominum, *ibid.* 2. ejus ergo homines dignatio mira, 282, 2; 283, 1. intellectu et voluntate habendus, 284, 1, 2. semper benedicendus, 287, 1. est invisibilis et per gloriam incomprehensibilis, 290, 1. Dei gratia indigna est quisolum in prosperis et servit, 305, 2. Deus est cibus angelorum, 307, 2. Deo serviendum in veritate, 310, 2. ejus providentia erga Tobiam patrem, 311, 1. ol servi ut orbes et regna, 326, 1. Deus dominatur tam cœlo quam terræ, *ibid.* 2. non adjuvat desides, sed laborantes et pugnantes, 334, 2. hoc probat exemplo Israelitarum communitur, 333, 2. in publica et gravi causa est invocandus, 334, Simeoni ad vindicandum Dinæ stuprum dedit fortitudinem, et obstetricibus mentionibus dimodis, cur, 335, 1, 2. est per essentiam constans, non omnis essentia, 336, 2. mentiri nequit, 342, 1. superbos humiliat, 346, 1. est spiritus purissimus, ideoque amator castitatis et castorum, 351, 2. quam liberalis fuerit erga B. Virginem, 377, 1, 2. est justus supertus iniquitatis judex et vindex, 379, 2. quos velit exaltare prius humiliat, 391, 1. gentes infideles exclusit a gratia et gloria sic tamen ut communem providentiæ suæ curam et gratiam denegarit, 392, 2. in eo solo, qui verum est cordis gaudium, lætandum, 398, 1, 2.
Deuteronomium regis debitoris in inauguratione, 50, 2.
Deterram dare est rima incendi fœderis, 518, 2.
Diabolus musca, 3, 1, 2. significetur per Beniadad, 58, 1. per contemptum vocatur Beelzebub, 43, 1, 2. festum diaboli in exsequiis Lutheri, 47, 2.
Diabolos eorum animosis est pavidus ut formica timidis veroterribilis est ut leo, 547, 2. recte myrmicolion dicitur, *ibid.* diabolos omnes ad duellum provocabat S. Antonius, 456, 1. cum diabolo irreconciliabile bellum gerendum, 547, 2. — *Vide* Dæmon.
Dialecta quid, 379, 2.
Diaria sua exacte conscripsere Judæi, 258, 1. item Persæ, 379, 1, 2.
Dictator Romæ quando crearetur, 454, 2.
Dictatura non erat annua, *ibid.*
Dictatura non solum Judæis et Christianis, sed etiam ethnicis familiare, 519, 1.
Dictis hominum frangi pusilli est animi; fortis autem ea superiore, 441, 2.
Didrachmus argenti sunt duo regales, 515, 1. didrachmus auri sunt duo aurei, *ibid.*
Didymus S. Hieronymi præceptor fuit cæcus, 278, 1.
Dies sortium sive phurim Persis, fuere Judæis dies phurim, 387, 2. mystice dies phurim fuere dies passionis Christi; critique dies judicii, *ibid.*
Digitum elevandi mos unde profluxerit, 482, 1.
Dignatio mira Dei et Angelorum erga genus humanum, 282, 2. et nominatim S. Raphaelis, 289, 1.
Dignitatem quisque sibi optat potius quam fratri, 510, 1.
Dilectio uxoris erga maritum quid præstet, 304, 1, 2.
Diluvium Noe transformatum a gentibus in diluvium Ogygis, 427, 2.
Dionysii (S.) ecclesiam Parisiis dedicavit Christus ipse, 434, 1.
Dioscorus mensis quis, 549, 2.
Disci exercitia quæ, 414, 1. discus solebat per palæstram circumferri, 514, 2.
Divinant subinde mortari, 310, 1.
Divinitatis symbolum est ignis, 502, 2.
Divitiæ sunt postponendæ virtuti, 257, 2.
Divitiæ sunt postponendæ virtuti, 221, 1, 2.
Docendo (in) quis ordo servandus, *ibid.*
Dolor animi erat dolorem corporis, 277, 1. dolor varia signa externa, 397, 1.
Dolus ex natura sua est indifferens, et ex fine quem refertur, malitiam accipit aut bonitatem, 338, 2.
Dominandi libido multis exstitit causa belli, 317, 1.
Dominica (in) ler Christiana vetat jejunium, cur, 243, 2.
Dominica (in) lex Christiana vetat jejunium, cur, 243, 2.
Domus Hebræis significat quemvis locum qui aliquod corpus ambit, 233, 2. domus fortium in urbe Jerosolymitana, quæ, 5, 1, 2.
Domus Dei occultanda, 430, 2.
Dor vel Dora Phœniciæ urbs, *ibid.*
Dotes vidnarum et pupillorum etiam apud ethnicos deponi solitæ, 510, 1.
Drachmæ argenti et julius sive regalis Hispanicus, 515, 1. drachma auri est unus aureus, *ibid.* drachmæ mille argenti ad quantam summam excrescant, 554, 1, 2. drachmæ auri et argenti valor, 203, 2.
Draconarii olim vocabantur qui nunc vocantur vexilliferi, 392, 1.
Draconum sunt insignia et stemmata militum et ducum, 391, 1, 2. dicti sunta videndo, *ibid.* eorum dotes et symbola, *ibid.* dracones etiammum vocantur milites fortissimi, qui, etc., 392, 1.
Jucem nunquam decet cessare aut proiesse sibi aut necesse hostibus, 206, 2. ejus vigilantia quantum prosit, 330, 2. duces multi subditos expilandi sitæ dicti, 242, 1. dum fugunte fugiet totus populus, 243, 2. ad duces dogmatis signo, 379, 1. ducum dotes præcipuæ tres, 391, 2. duces belli præstantes, pauco, sed veteranos inflites religunt ad res magnas, 426, 1. milites a præda cohibent, et in acie armatos continent, 431, 2. duces bello victi, aurum et argentum spernunt ut hostem ipsos insequentem ditentur, *ibid.* eum fortitudine bellica Dei timorem, ullum et pietatem conjungunt, 432, 2. explorant hostium animos an sint meticulosi, 438, 1. ducis audacia hostes perculit, *ibid.* et 2. quis sit veras exercitus dux, *ibid.* ducum inobedientia punita, *ibid.* duci generoso turpe est fugere, 455, 2. pulchrum propatria fortiter pugnando occumbere, 456, 1, 2. talium aliquod exempla, *ibid.*; 457, 1. impossibile est ut Ita semper pugnent et vincant, et unumquem vincatur, *ibid.* milites suos ad ardorem accendant, et eorum mentem explorent, 547, 2. paci initæ, summe laborare debent ut nullitem contineant, 551, 1. duces Antiochi Judaismi infestant, *ibid.* duces alhei sua arma fecere numina, 564, 1. ducum constantia quantum in bello robusque ordinis valeat, 472, 2. declaratur exemplis, *ibid.* ducum insignium stratagema ut ex improviso in hostes irruant, 537, 1. obtenta victoria duces belli spoliam egenos distribuant, exemplo Judæ Machabæi, 538, 1, 2.

E.

Ebræ Abbatissarum suam suarumque castitatem servarat Deum egressum, 387, 2.
Ebrietas mensis arcendis, 300, 2. est malum malitiæ virtutisque inimica, sortem virum rediit iguavum, etc., 344, 1, 2.
Ebrii provos procreant filios, 300, 2. a generatione abstinuerunt, *ibid.* sunt quasi, imo plus quam pueri, 303, 1.
Ebullire de Perside quid sit, 498, 2. ebullire tria significat, 499, 1.
Ecbatana, nomen indeclinabile urbis Medorum, 289, 1. quando vastata, 341, 1. a quo et quando ædificata, 318, 1.
Ecclesia cur pro sanctis veteris Testamenti celebretur festum septem fratrum Machabæorum, 329, 2. quomodo peccatoribus defunctis subveniat suffragiis, 534, 1. omni ratione satagit adjuvare animos fidelium defunctorum, *ibid.* ecclesiam veterem reædificavit Nehemias; novam ædificavit Christus, 230, 1, 2. pro hujus salute ne tutela nil reformidandum, *ibid.* 2. per Ecclesiam quid significetur dum dicitur Ammonitas non posse introire Ecclesiam, 235, 1. Ecclesiæ Catholicæ an nulla agnoscat nomina Angelorum præter tria, 263, 1. utilur quarto libro Esdræ in introitu Missæ, et in officio de martyre, *ibid.* 2. Ecclesia Christiana cœpit in Jerusalem in Sion, de qua vaticinatus est Tobias, 308, 1. repræsentatur per hortum in quo habitum fuit convivium ab Assuero, 364, 1. Ecclesiæ Catholicæ typus fuit Esther 376, 2.
Ecclesiam reprehendit S. Augustinus, quod inscio marito habitum monachæ assumeret, 396, 2.
Edictum Cyri regis Persarum ut Judæi se invicem juvent in reædificando templo, 207, 1.
Edissa sive Madasa eadem est quæ Esther, 368, 1. — *Vide* Esther.
Edomatio morbis facit contumaces, 552, 1.
Eleazar Aaronas an fuerit frater Judæ Machabæi, 443, 1. cor sit vocatus filius Saura, *ibid.* 2. quo fine pugnavit cum elephante, *ibid.* directa intendebat mortem regis, nullipecie suam, *ibid.* ejus elogium, *ibid.* 2. sub elephante quem prosteraverat occubuit, 444, 1.
Eleazarus et septem fratres Machabæi quos carnem porcinam edere nolnerint, exercuciati, 445, 2. magister erat horum septem fratrum, 522, 1. ejus etymon, *ibid.* hic distentus in tympano typus fuit Christi in Cruce distenti, 523, 1. ejus constantia pro observandis Dei legg, *ibid.* et fortitudo in tolerandis tormentis, *ibid.* 2. peccasset mortaliter si porcinam comedisset, *ibid.* quomodo fuerit primitiæ martyrum veteris Testamenti, 1, 2. ejus elogia, *ibid.*
Elemosynæ sex fructus, 284, 2. liberat a morte æterna et sæpe a præsenti, qua ratione. *ibid.* est quasi baptismus, 285, 1. claudit et oppilat quasi os gehennæ, *ibid.* habitu regiam in somnis apparuit S. Joanni Elemosynario, *ibid.* elemosynæ quomodo olim fieri soleront in sepultura defunctorum, et quo ritu, 286, 1, 2. et nunc, *ibid.* prosunt animabus in Purgatorio detentis, *ibid.* et 287, 1. elemosynis quanti sit merita, 289, 1. est finis quo ligatur dæmon, 299, 1. salvit debitum proximo, 305, 1, 2. liberat a morte, et purgat peccata, 284, 2; 285, 1.
Elemosynarius quæ in pauperes conferi, in sinum Dei crefolunda deponi, 284, 2. elemosynarii, licet impii, raro in hac vita castigantur, *ibid.*
Elephantes Indici sunt maximi et robustissimi, longæque Libyes superant, 442, 1, 2. cur iis ostendatur sanguis, vel liquor rubeus instar sanguinis *ibid.* cur iis prisent mero prælio, *ibid.* sunt fortidi, *ibid.* pro cauteris animalibus sunt domiles, *ibid.* cur detur eis vinum ad potandum, *ibid.* elephantes Africani vix sex vel septem armatos portant, 443, 1.
Elias et Joachim idem significant, scilicet *Dei statior* 328, 2.
Elias morte punit Ocherium ob consultum dæmonem, 3, 2. ejus habitus, 4, 1. ignem e cœlo evocat in vindictam injuriæ Dei et sibi illatæ, 5, 1, 2. vult occultare suum raptum, 6, 1. ejus spiritus duplex, 6, 1. ejus triumphus, in curru igneo, 6, 2. quomodo in cœlum vectus, 7, 1. invertum ubi sit, *ibid.* ejus vita jam quinta, *ibid.* 2. an meretur mortis præsentia, 7, 2; 8, 1. quo anno et die raptus, 8, 2. e paradiso scribit litteras ad Joram, 160, 1.
Eliezer pontifex et filius Joachim, 227, 2; 236, 1. Yehlem Ammonitem contra legem gazophylacii præfecit, 260, 1, 2.
Eliseus Propheta quomodo responderit Benadab regem ægrotantem fore sanandum et moriturum, 341, 1. Eliseus prophetavit per annos 66, mortuusque est anno ætatis 106, 9, 3. luce Elisæi, *ibid.* pallium Elisæi et reliquiæ in ædificatione quæ Jeroboam primus vice non divisæ ne superboret, *ibid.* est typus Christi, 12, 2; 21, 2; 22, 2; 33, 1; 36, 2. fuit Nazæreus, 11, 2. Nazæreus qui ei exprobant pueri idololatræ in Bethel, 12, 1. duo pueris maledixit, *ibid.* 2. ejus libertas, 13, 1. recollegit se dum pasites psallit *ibid.* erat necessariis contentus et superflua spernebat, 20, 1. gestabat baculum, *ibid.* 2. ejus pauperias, *ibid.* 1. non communicat inmunditiis, 23, 1. ab aula abstrahitur ut Deo vacet, *ibid.* contemptor terrenorum, *ibid.* contemnit munera, 26, 1. idque cum fructu, *ibid.* 2. absens videt peccata Giezi, 29, 1. Syros percutit cæcitate, 32, 1, 2. excusatur a mendacio, 33, 1. charitas ejus erga inimicos, *ibid.* consilium dedit de Samaria obsessa non tradenda, 34, 2. non acceptavit munera Benadad, 38, 1. pater Israelis, 55, 1. significat se vita functum etiam auxiliatorum Israel, *ibid.* erat et prædicit Joas victoriam contra Syros, *ibid.* 2. fuit 80 annis religiosus, 56, 1. ejus sepulcrum horrent dæmones, *ibid.* 2. ejus ossa mixta ossibus brutorum per Julianum, *ibid.*
Elogium Eleazari Abaron, 433, 1, 2. et Oniæ sancti 516, 2. et Simonis Machabæi, 494, 1, 2; 422, 2.

Elul mensis sextus Hebræorum nostro partim augusto, partim septembri respondet, 214, 1.
Elymais alio nomine dicta est Persepolis, 141, 1.
Emmaus sibi Christus duobus discipulis apparuit, postmodum dicta Nicopolis, quantum distet a Jerusalem, 427, 1. alia est Emmaus juxta Tiberiadem, *ibid.*
Empedocles convivio præfectus postridie reus fuit in judicio, cur, 363, 1.
Encæniorum festum quando et quomodo celebrent Judæi, 433, 2; 437, 1; 544, 1. quid mystice per id significetur, 433, 2. vocabatur Scenopegiæ Caleb, 437, 1.
Energumeni quomodo exorcizandi, 262, 2. dii olim ab Assyriorum rege dabatur puris vel oleum a se beneficium, 298, 1.
Ennius Poeta eumvis Judæ, Jonathæ et Simoni Machabæis, 405, 1.
Enos. — *Vide* Gladius.
Epaminondæ in prælio hasta trajecti responsum, 357, 1.
Ephebi sunt prostituti pueri, 513, 1, 2.
Ephebia est prostibulum pulcherrimorum juvenum, item ganea et popina ad concessandum, *ibid.*
Ephraim, porta una e duodecim urbis Jerusalem, cur sic nominata, 207, 1.
Ephraim, Ephrem et Ephron quomodo distinguantur, 433, 2.
Ephron fuit triplex, 439, 2. Ephron cur expugnata a Juda Machabæo et quando, *ibid.*
Epicœnes idem est quod insanus, 513, 2.
Epiphania vocantur publica festa ob adeptam victoriam, 526, 2.
Epiphanes cur vocetur radix peccatrix, 413, 1, 2. Græce idem est quod illustris, 556, 1, 2. — *Vide* Antiochus Epiphanes.
Episcopus Græce idem est quod superintendens, 253, 2. circumeat, visitet et instruat populum sibi commissum, 324, 1.
Epistatæ Athenis habebant jus imperandi alteris diebus, 451, 2.
Epistolæ Machabæi quando scriptæ, 393, 1. epistola ad libri secundi Machabæorum a Judæis in Judæa, ad alios in Ægypto degentes quando scripta, *ibid.* 1. cur, *ibid.* et 2. quis ejus auctor, *ibid.*; 397, 1, 2. an fuerint an vel non, an habeat auctoritatem S. Scripturæ, 397, 2.
Epistolii mos ad sepulcra et memorias Martyrum, 280, 2. item in sepulcra defunctorum quorum dubia erat vel pietas, *ibid.* 2. subditus per SS. Ambrosium et Augustinum, *ibid.*
Epulæ draconis hodie sunt, 392, 2. epulis et epulonibus quid respondeat, 510, 2. epulæ illæ impiæ per sera etiam tempora immoderate porrigebantur, 518, 1, 2. epulæ apparatæ Judæ et Judææ an fuerit S. Michael, 547, 1. cur apparent in vasis cæreis, *ibid.* epulæ Jerosolymitanæ, quando et quare mutatæ, 551, 1, 2. epulis olim pro stipendio dabatur triticum, sic, 2. epulæ in primo mense non celebrantur Judæi, sed tempore æstivo, cæterum ibi, 552, 1, 2.
Ephraim, porta urbis Jerosolymitanæ, unde ita dicta, 206, 2.
Equus animal luxuriosum, 294, 2.
Error in numeris non spectat ad fidem vel ad bonos mores, 171, 2
Error Pauli Fagii, dicentis librum Tobiæ non esse verum historiam, 265, 2. et Lutheri docentis, quod si uxor se difficiliorem præbeat ad opus conjugale, vocanda sit ancilla, 503, 2.
Esdræ in libro Scripturæ sacræ deperditæ in vastitate Babylonica reclamator vel corrector eum omni turba populi redeuntis in patriam, quid mystice significet, 209, 1. cujus filius fuerit, 280, 2. non fuit Malachias propheta et quæ fuerit occasio hoc aliquibus suspicandi, 291, 1. an fuerit propheta, *ibid.* instinctu divino accepit librum primum Esdræ et alio, *ibid.* 2. an sacram Scripturam restaurarit, *ibid.* eam digessit et correxit, et quas in singulis libris deerant supplevit, 292, 1. inventor est litterarum Hebraicarum, quibus etiammum utimur, *ibid.* 2. quando vixerit, *ibid.* 3. Esdræ quinam Prophetæ convixerint, et quinam sub eodem floruerint tam ex Historicis, Poetis quam Philosophis, *ibid.* legis Mosaicæ erat peritissimus, et inter scribas eminebat, 220, 1, 2. constitutus est visitator Judæorum, 221, 2. et potestatem habuit mortis in prævaricatores, *ibid.* admiratur immensam Dei clementiam in Judæos, 225, 2. ejus pro iisdem ad Deum oratio, *ibid.* confitetur et defert peccatum populi, ejusque personam et peccatum in se suscipit: in quo fuit typus Christi, 227, 1. pro Israelis populo Babylonem adiit, bis in Jerusalem rediit, 230, 2. interpretatur legem populo, 248, 1, 2. an Esdræ ascitos libri primi sit idem cum eo de quo lib. II, cap. xv, 297, 1.
Esdrin unus e Judæ ducibus, 553, 2.
Essæni. — *Vide* Assidæi.
Esther quod mystice significet, 199, 2; 357, 1. quo tempore ejus historia contigerit, 357, 2; 358, 1. est orlunda ex tribu Benjamin, et stirpe regia Saulis, 367, 1, 2. dicta est Hadassa, idem mystice, *ibid.* 368, 1. fuit typus B. Virginis, *ibid.* et 369, 1. Estheris etymus, *ibid.* 2. an ejus nupserit regi infideli, 369, 2. vana ejus jam regiæ obedientia 370, 2. item fortitudo, pietas et charitas, 375, 2. est typus Ecclesiæ, 376, 2. ex primo aspectu regis deliquium animæ passa corruit, 377, 1. prudenter regem secundo vocavit ad convivium, *ibid.* 2. ejus magnanimitas in accusando Amanum præsertim, 381, 2. qua methodo usa ut flecteret regem ad irritandas litteras de Judæis occidendis scriptas, 381, 1, 2. apte comparatur fonti, 399, 2; 391, 1. et soli, *ibid.* unguis ejus animæ puritas, sanctitas, sinceritas, etc., 392, 2. an vere sit deliquium animi passa, 399, 2. ipsa mollicis cum duabus ancillis Israelum Assuerum repræsentat B. Virginem, 404, 1.
Ethniei etiam sua in templo quasi in asylo deponebant, 253, 1.
Eucharistia tanquam funis ligatur duobus ne notis noceat, 299, 1. minuit acerbos incendia, bacillos, lorarum, etc., motus, *ibid.* Eucharistiæ typus fuit convivium ab Assuero antitabum, 383, 2. hanc suscipit peritatem et castitatem valde salungat, 384, 1, 2. in ea Christus ut cibus appetatur, *ibid.* Eucharistia qua substantia panis et vini consumatur, 4, 2. Eucharistiæ symbolum dedit Elisæus, 22, 1.
Evangelium (in) multa dicuntur de Christo quæ vetus fabulosum, 451, 1.
Evangelium (in) nusquam Christum reprehendisse exacta, 278, 1.
Exorcizare significat adjurare, scrutari, etc., 189, 2.
Exorcismi per Persarum optimates regiones Antiochi per literas missæ, 451, 1.
Eunuchi sunt aulæ præfecti, 137, 1. eunuchi olim erant primi in aula regis, eorum emblemata, 138, 1. eunuchorum exercitus, 242, 1, 2; 247, 2. cur duo voluerint insurgere in regem Assuerum, 370, 2; 371, 1.
Eupator dicitur bono et felici patre natus, 441, 2; 492, 1. vel idem est quod bonus pater, *ibid.* — *Vide* Antiochus Eupator.
Eupolemus vocatur generosus filius, 442, 1.
Eurus, vis quinam dicti, *ibid.*
Evaltenis (S.) toto corpore frixa fuit in sartagine, 327, 1.
Evigilatium (ex) aspue ad Judæam omnes fere gentes erant amabæ Judæorum, 294, 1. hunc olim Deus deserat Judæis finitum, *ibid.*
Exaltatio fimbriæ Mardochæi, 388, 1, 2.
Exonerato Jehu, 48, 1, 2. et Josiæ regis, 55, 2; 56, 1.
Excusare clementiam quando dicatur justitia, 275, 2.
Excidium urbis Jerusalem prædictum a Tobia seniore, 208, 1. et Ninives, 319, 1. quando hoc posterius accideriit, 311, 2.
Excitare proprium est Angelorum, uti intricare dæmonum, 299, 2.
Exempla unjorum animant in rebus arduis, 422, 2. exempla aliquot fœminarum martyrum, filios ad martyrium incitantium, 532, 1. et multorum Gentilium pro gloria dimicantium, 450, 2; 457, 1. et militum ex desperatione pugnantium, 477, 2.
Exercitatio militibus necessaria, 551, 1, 2.
Exercitus ab exercitatione nomen accepit, *ibid.* exercitus cervorum duce leone est fortior exercitu leonum duce cervo, 474, 2. exercitus in Terram sanctam missi olim a Pontifice Benedicti soliti, *ibid.* exercitus Theodosii Imperatoris ab Angelo Raphaele Ravennam ductus Joannem tyrannum profligavit, 388, 2.
Exhortationes aliquot matrum filios ad martyrium incitantium, 522, 1.
Exercitia cur energumeni colaphos impingant, ridiculaque simulacra e collo suspendant, 292, 2.
Expeditiones pro Terra sancta recuperanda Christianis cur cruciatæ dicerentur, 548, 2.
Expiatio templi facta per Judam Machabæum, 433, 1, 2.
Expilatores templi puniti, 510, 2; 511, 1.
Exsequi, pro absolvere et perficere aliquid, aliosque illud accurate agere, 307, 1.
Extrema cœli quæ dicantur, 231, 2. extremo gaudii quomodo tactus occupet, ostenditur in Holoferne, 344, 2. item in convivio Assueri, 365, 2.
Exechias tollit materiam superstitionis, 73, 1, 2. contemptum serpentem æneum appellat Nohestan, id est æreulum, *ibid.* secundum Anastasium Nicænum abstulit libros Salomonis de plantis, *ibid.* nullus rex Judæ ei similis in quo, 73, 1. Deus Deo rebellat contra Assyriam, *ibid.* cur vetuerit responderi Rabsaci, *ibid.* 2. Exechias rex cur aquæ fontis Siloe derivarit in puteos urbis Jerusalem, 234, 2.

F

Fabrica templi per novem annos intermissa, quando resumpta, 215, 1, 2. ea perfecta est sub Dario, urbis vero Jerusalem sub Artaxerxe, 216, 2; 219, 1. fabricæ spirituali meritorum in anima ex quibus consistenatur, 229, 2.
Fabula Rabbinica de Josia Elisæ, 4, 1. alia de Ezechia volente occidere filium Manassem, 79, 1. alia de filiabus natis in captivo Prophetæ Dei in Bethel, 85, 2. alia de Elimelech sistente solem, 101, 1, 2. alia de portibus arcam, 119, 2. alia de anima Naboth, 455. Fabula Talmudicorum de piscibus, mure et femina, ac bove mactandis in adventu Messiæ, 262, 2. item Pestarum de Tiburibus, 354, 1, 2. hæc facta et dicta sui ex historia quinam tum Genesis vi, *ibid.* 2. fabularum vocabulo Gelasius cur subinde ab interpretibus imitanguam Græcam et Latinam translationis in S. Scriptura, *ibid.* fabula de solio Salomonis, 301, 2. item Rabbanorum de regina Vasthi, 304, 2.
Fames illius qui olim rex offenam erat cur velaretur, 382, 1. item eorum ad mortem damnatorum ac hodie capite amictendorum, *ibid.*
Fama sæpe major est veritate, 450, 1.
Fames est servior ferro, 323, 2.
Festus hominis quo aliquando assurgat, 322, 2. — *Vide* Superbia.
Fel valet ad dispellendam caliginem oculorum, 274, 1. et nominatim piscis callionymi qui eo abundat, 292, 2. an illud illuminarit oculos Tobiæ, 293, 2. fel mystice est amaritudo tribulationis, qua oculus mentis nebla voluptatis exsuccatas aperit, 294, 1. curavit Tobium a cæcitate naturaliter, 303, 1, 2. fel est sedes iræ et furoris, 442, 1.
Felicitas (S.) septem illorum martyrum mater similis matri septem fratrum Machabæorum, 534, 1. ejusdem præconia, *ibid.*
Festimarum martyrum filios ad sui imitationem incitantium exempla, 523, 1. fœminarum aspectus quam sit periculosus et pernicosus, 339, 1. per fœminas multis perditionis occasi, 345, 1. ipsis Parthorum fœminis et virorum aspectum interdicebant, 365, 1. fœminæ formosæ, illicique silii illecebrosius, *ibid.* fœminæ Judæ et Persicæ cur ungi solitæ, 369, 2. fœminæ sunt philocosmæ, *ibid.* — *Vide* Mulier.
Festi diebus gaudet Deus et Sdeles, cur, 248, 2; 249, 1. festum dati ignis cur instituerint Judæi, 256, 2. festum Phurim quod, et unde sic appellatum, 387, 2. festum illud mystice agunt Sancti, quando, 388, 2. festum *Pridie Mardochæi*, quod, 448, 2. festum Scenopegiæ et Encæniorum quomodo et quando celebrandum, 433, 2.
Fibula aurea fuit ornamentum militare, 485, 2.
Ficulis porta urbis Jerusalem ab arte figulina quam circa eam exercebant sic dicta, 240, 2.
Fideles adsci pro salute animarum nullum laborem detrectent, exemplo Christi, 268, 1, 2. fideli sit nesi obvanit, nisi ex certa Dei præscientia et voluntate, 274, 1. quid et in angustiis posito imitandum, 276, 2. olim sepulchris martyrum panes imponebant, cur, 286, 1, 2.
Fidentium est Deo, sic tamen ut humanis auxiliis non negligantur, 458, 2.
Filii provinciæ quinam dicantur, 202, 1. filii sunt viva imago parentum, 227, 2. quo pacto illos abjecerint Judæi quos ex uxoribus alienigenis susceperant, *ibid.* filiorum decem ac duodecim redundat in parentes, 300, 1. filii sunt lucubus senectutis parentum, 301, 1. filii Tobiæ qui, 354, 1, 2. quid Scriptura sacra per eos intelligat, *ibid.*
Flagellatio per angelos Heliodoro deposito a templo auferre conanti facta, error fuit omnes flagellatione hominum, 518, 2; 511, 1.
Flagellum Dei fuit Attila Hunnorum rex, et alii, 421, 2.
Florentius pater S. Gregorii Turonensis simili modo fuit curatus quo Tobia senior, 302, 2.
Flumina ab exercitu Xerxis fuere sicenta, 354, 1.
Fœdus a Juda Machabæo cum Romanis initum an causa subactionis Judææ, 452, 2. fuit prudenter initum, 458, 1. fœdus init Jonathas cum Sacchide, 461, 2. illud inire cum idololatris quando licitum, quando non, 492, 1, 2. — *Vide* Pax.
Fœtor in elephantis quam gravis, 442, 2.
Fons draconis in urbe Jerusalem cur ita dictus, 234, 2. fontis porta ejusdem quæ, *ibid.* 236, 1. fons juxta Bethuliam in quo se lavit Judith, adhuc exstat, 448, 1. fontis et aquis analogiæ, 399, 2. fons est quasi anima terræ, *ibid.* fons solis mystice representat B. Virginem, 391, 2.
Fornicatio cur nominatim vetita ab Apostolis, gentilibus ad Christum conversis, 253, 1, 2.
Fortitudine (eum) bellica timour Dei, cultus et pietas conjungenda, 432, 2. fortitudo Judæ Machabæi, 433, 2; 436, 1. eam imitati sunt primi gentilium duces, 436, 2; 457, 1. fortitudo passiva fratrum Machabæorum, 520, 1, 2 et seq. et Eleazari, 524, 1, 2. fortitudo est una ex præcipuis dotibus ducis, 561, 2. fortitudo militum consistit in immunitia et justitia, 554, 1.
Forum statui solet in media civitate, cur, 327, 1.
Franciscus (S.) Xaverius molliens Silnensium conversionem mortem obtit, 431, 1.
Franciscus (S.) spe gloriæ futuræ omni pœna delectatur, 278, 2.

Frater fratrem odit et suppantat dum agitur de honore et ambitu, 516, 1. fratres pro imperio certantes, 605, 1, a fratre affligi durius est quam extero, 241, 1. frater subinde usurpatur pro marito, 399, 2.
Fratrum septem Machabæorum historia quando contigerit, angulorum nomina et genus, 526, 1. unde dicti sint Machabæi, *ibid.* ; 404, 1, 2. qua ætate passi, 526, 1. exercitant se se mutuo ad constanter et fortiter patiendum, 527, 2. habuerunt spem vivam resurrectionis et gloriæ æternæ, 528, 1, 2. acre et illustre fuit horum martyrium, ideoque præ aliis sancti veteris Testamenti eorum festum celebratur, 529, 2. eis similis tolerandaque eos stimularint, 530, 1. fuere typus Christi, 530, 1. horum triumphum mire encomia celebrant multi Patres, 531, 1, 2. quotuplo imitandi, *ibid.* singuli fuere veri vates scripti SS. catalogo, 535, 1, 2. exstat eorum ecclesia Coloniæ Agrippinæ, *ibid. primus* fratrum Machabæorum nomine *Machabæus* constanter Antiocho respondet, quisque minas *parvipendet*, 526, 2, 527, 1. diriter cruciatus Antiocho maledicit, *ibid.* *secundus* nomine *Aber* martyr efficitur, *ibid.* 2; 527, 2. *tertius* qui *Hacher* dictus erat ad pœnam postulatus multis tyranno exprobravit, 528, 1, 2. *quartus Judas* appellatus, et *quintus Achas* nomine, cur plus passi quam priores, *ibid.* 2. *sextus Areth* dictus magnitudine animi par, sed humilior exteris, 529, 1, 2. *septimus Jacob* regem alloquitur eique insultat, 532, 2. prædixit salutem Israeli, *ibid.* ejus martyrium cur atrocius quam ceterorum, *ibid.*
Fredericus Bohemiæ rex a Boleslao II, triplici prælio victus, quo pacto eumdem vicerit, 431, 2.
Fructus sex eleemosynæ, 284, 2.
Frugalitas primorum Christianorum in convivii, 328, 2. item primorum Persarum, Cyri et Augusti 363, 2.
Frumentariæ rei præfecti sunt Romæ et alibi, 332, 1.
Frumentum et pabula antequam inchoetur bellum congreganda, 274, 2.
Fugere sæpe idem est quod celeriter abire, 338, 2. fugere turpe est generoso, duci, 455, 2. fugere dum non potest miles, acer et stimulus ad pugnandum, 459, 1.
Furcus cordis pisce callionymi quomodo expulerit dæmonem, 295, 2. aliquid physice efficebat quo fugabatur dæmon, 298, 1. mystice est oratio nostra valori inferiorum, Christi subnixa, 303, 2.
Funes quibus ligandus est diabolus, 299, 1.
Furtum idolorum olim Judæis vetitum, 553, 2. illud committentes milites Judæ an fuerit peccatum mortale, an veniale, 554, 1.

G

Gabaa Hebraice significat terram elivosam et montosam, 324, 2.
Gabriel (S.) Archangelus hominum præsidis præfectus est, 282, 1, 2. Hebraice idem est quod fortitudo Dei, 389, 2. fuit Incarnationis Verbi nuntius et custodum B. Virginis deputatus, 347, 2.
Gaddis, id est acervus vel cumulus frogum, 418, 2.
Galatia sub quod tempus a Romanis subacta, 456, 1.
Galilæa superior quæ, et cur dicatur etiam Galilæa gentium, 269, 1.
Galli olim sapientes suos vocabant Druidas, 220, 1. Galli cum Attalo pugnantes per iter aurum et argentum asportarunt, 431, 2.
Garizitanum templum Jovi hospitali dedicatum, 522, 1.
Gaudentibus de Deo, novam gratiam, vires ac robur suggerit Deus, 249, 1.
Gaudium Domini accipitur et active et passive, 248, 2. gaudium spiritus vitales et animales multiplicat, excitat et acuit, 249, 1. gaudiis sæpe vicina sunt tristia, 341, 1, 2; 365, 2. gaudium beatorum in cœlo repræsentatum per festum Phurim, 288, 1. gaudium imporum breve est, 460, 2.
Gazabar dicitur ærarii, idemque est quod thesaurarius, 207, 2.
Gazara urbs ubi sita, 482, 2. per eam non intelligitur Gazer, 450, 2.
Gedor quæ, et Gedor civitas, ubi sita, 491, 1, 2.
Genealogia Tobiæ scatoris, 269, 1, 2.
Generosi est insidias et pericula præcavere, 560, 2.
Gentiles olim per Judæos bello capti ut recte jussi sint circumcidi, 421, 1. solebant libris sacris Judæorum abuti ad superstitiones suas et ritus gentilitios, 427, 2. profanant sacras historias traducendo eas ad deorum suorum fabulas, *ibid.* varias earum transformationes *ibid.* mollorum pro gloria dimicantium exempla, 456, 2; 457, 1. etiam pretiosa sua in templo deponebant, 510, 1. fingebant reges post mortem in deorum numerum referri, 548, 2. gentilium regum pietas, 221, 2. in adhibitione urbis sacrificabant gentiles Libero patri, cur, 305, 2. quid eos dem portæ et muri sacri erant, *ibid.* gentiles quotnodo manibus suis parentarent, 257, 2. Gentilium matronarum castitatis exempla, 352, 2. Gentiles thyrsos circabant Baccho, 352, 2. sorte quasi divinatione utebantur ad scrutanda occulta et pericula, 374, 1.
Germani (S.) mirus confidentiæ in Deum exemplum, 328, 1.
Germani, cum multa Turcarum millia cecidissent, properare ad spolia dilapsi ab iisdem cæsi, 431, 2.
Germania superior et inferior unde ita nominatæ, 269, 1.
Giesi non suscitavit mortuum, quia inobediens, honoris cupidus et iracundus, 21, 1, 2. non fuit propria abominacio minora petens a Naaman, 28, 2. peccavit simonia mentali, *ibid.* dat et Eliseus quæ suo nomine a Naaman acceperat, 29, 1, 2. lepra punitur et ab Eliseo dijudicatur, *ibid.*
Gigas symbolum rari roboris et fortitudinis, 425, 1. gigantes olim fuere vastissimi et robustissimi, *ibid.* Gigantea a gentilibus transformati in Titanes, 427, 2.
Gimillus quem Jeremias Propheta Judæ Machabæo præsentavit, qualis, 239, 1. datur regibus cum inauguratur, cur, *ibid.* per gladium aureum intelligitur S. Scriptura, *ibid.* gladium sum Capaneus numen fecit, *ibid.* gladius mortificationis adhibendus dum orationi diuque pia virtutum actibus insistimus, cur, *ibid.*
Gloria hujus mundi exilis est et brevis, cœlestis, immensa et æterna, 421, 2. gloriam Dei veram captavit Judas Machabæus, 455, 2. vanam et stolidam primi gentilium duces, 456, 2.
Gloriatio superbis multis exstitit causa belli, 317, 1. ob quam punitur Arphaxad, 318, 1, 2.
Gnidus est Asiæ extrema prope Halicarnassum, 467, 1.
Gnomæ Philosophorum ad funus Alexandri Magni accurrentium, 413, 1. et Græciæ sapientium de brevitate quentis, 383, 1.
Godefridus Bullonius fuit vasto validoque corpore, atque ac animo, 425, 1.
Gorgias unus ex tribus ducibus Antiochi et Lysiæ missis invadit castra Judæ, 430, 1. sed ipsemet a Juda oppressus est, *ibid.* 2.
Græci suis pergræcationibus colebant Bacchum, quem e femore Jovis natum fingebant, 522, 1. Græci olim vocabant suos sapientes Philosophos, 220, 1. Græcorum anni duplicitor computantur, 548, 1, 2.
Græcia sapientium de breviloquentia dicta, 567, 1.
Grammatici olim nuncupabantur, qui litteras versabant et obscuras poetarum sententias explicabant, 220, 2.
Gravissimum in Scriptura aliquando ponitur pro pluribus, 414, 1.
Gregis porta urbis Jerusalem cur ita dicta, 236, 1. hæc erat versus Orientem, *ibid.* 2.
Gregorii II Pontificis Maximi ad S. Germanum Patriarcham Constantinopolitanum epistola, 356, 1.
Gregorius (S.) Turonensis in somnis accepit quomodo patrem suum ægrum curaret, 303, 2

Gregorius de Valentia male sensit Naaman idololatriam ab Eliseo recessisse, 26, 2; 27, 1.
Gregorius (S.) urbs et templa idolorum a Christianis dirui solita, expianda decernit, 433, 1. suo tempore acies in cœlo visæ belli Longobardici prognostica, 518, 1, 2.
Gula destruit virtutes animæ, 90, 2. Gula quam sit improvida, 346, 1, 2. et insana, 353, 1, 2. ordinarie est libidini unita, *ibid.*
Gyges per annulum magicum faciens se invisibilem, occidit Candaulem regem Sardiarum, 364, 2.
Gymnasium quid, quale olim Judæi a vera religione apostatantes Jerosolymis ædificarint, 414, 2; 513, 2.
Gyrum vocat Josephus murum interjacentem inter atrium sacerdotum et laicorum, 469, 1.

H

Hadassa, sive Esther, idem est quod myrtus, 358, 2; 363, 1. videtur esse Atossa mater Xerxis, *ibid.*
Haredes quatuor primarii inter duodecim Alexandri Magni, 413, 1.
Haremus comes est impuritas et libido, 413, 2.
Hæreticis (cum) communicantio fugienda, 213, 1, 2. hæretici sunt hirundines, cur, 274, 1.
Hamada magna urbs primaria Medorum, 390, 1.
Hamani cognatus Nebemme custos urbis Jerusalem constitutus, 246, 1.
Hamanias præfectus palatii regis in monte Sion, *ibid.*
Hannibal quo stratagemate celederit Romanos, 439, 1. hic in Asia copiosa elephantes eduxit, 442, 1, 2. eum Capuano enervarunt et perdiderunt deliciæ, 472, 2.
Harbona eunuchus Assueri, 382, 1.
Hasdrubal cæsus a Romanis quo stratagemate, 439, 1.
Hebe uxor Herculis unde dicta, 514, 1.
Hebræi in Babylone linguam hebraicam corruperunt, 272, 2; 214, 1; 248, 1, 2. morum reditus in Jerusalem fuit tardissimus, 241, 1; 433, 2. utebantur mensibus innatis, 212, 1; 228, 1. Hebræi omnes regiones transmarinas vocant insulas, 412, 1. erant polyonymi, 443, 2. eorum error dicentium ignem sacrum defuisse in secundo templo, 501, 1. nepotes quos libet vocant filios, 217, 1. testa domuum eorum erant plana, 249, 2. cur instituerint festum dati ignis, 258, 2. quot annis habitarint in Ægypto, 326, 1; 455, 2. accepto aliquo insigni beneficio solebant canere psalmum *Confitemini*, etc., 248, 1. jejunium vocant humiliationem, 390, 2.
Hebraicas litteras quibus etiammum utuntur invenit Esdras, 202, 2. an etiam puncta quæ Hebræis sunt loco vocalium, *ibid.*
Hedera cur sacra Baccho, 522, 1.
Helenus Priami filius Troja diversa novam urbem condens vocavit eam Trojam, 216, 1.
Helicocithis peragebatur magi et Persarum reges; unde confecta, 369, 1, 2
Helimodero a Seleuco ad expilandum templum misso apparuerunt Angeli, 510, 2; 511, 1. eumque flagellarunt, 514, 1. ita simplex Osius, *ibid.* 2. reseu se fecit *ibid.*
Heliopolis Ægypti urbs sic dicta a cultu solis, 233, 1.
Heliopolitanum templum a quo constructum, 496, 1, 2.
Heraclius imperator, victo Cosroa Persarum rege, ignis eadem combussit, 490, 2. Heraclius, quia procero validoque corpore æque ac animo, eximius fuit heliator, 425, 1.
Hercules Syrorum ac proprius Tyriorum Deus: unde dictus Tyrius, 415, 1. in ejus honorem celebrabatur agon quinquennalis, *ibid.*
Herodes Ascalonita et nepos ejus Agrippa morbo pediculari afflicti, 543, 2.
Herodotus depravat historiam de cæsis Assyriis sub Sennacherib, 189, 1. item de Pharaone Nechao, 195, 1.
Hieronæ aliquot quæ Judithæ nomen, et cum nomine virtutis imitationem ambiere, 2.

Hieronymi Prado sententia de Cherubinis arcu refutata, 137, 2.
Hilaria (S.), mater S. Afræ martyris, martyr efficitur, 369, 1.
Hilaria (S.), Claudii tribuni et martyris uxor, capta a paganis hilaria emisit spiritum, *ibid.*
Hilarion (S.) recusat acceptare munera in pauperes distribuenda, 26, 1.
Hirundines (per) denotantur garruli et susurrones, 273, 2. cur dicantur aves liberæ, *ibid.* earum stercus, quis siccum, calidum et ureus, naturaliter excæcat, *ibid.* pulli earum excæcati oculantur chelidonia, *ibid.* mira de iisdem, *ibid.* ; 274, 1. mystice sunt adulteres, hæretici ac dæmones, *ibid.*
Hispani in Peru et Mexico urbibus suis indunt nomina urbium Hispaniæ, 219, 1. olim cum orarent, plausum ad manus habebant ut hostes propellerent; et nunc etiam rustici gladiati incedunt, 220, 1. apud Hispanos Mauri non admittuntur ad magistratus, 260, 1.
Hispania (in) olim fuere auri et argenti fodinæ fœcundissimæ, 436, 1, 2. et etiammum ibi esse testantur multi. *ibid.* hanc quomodo subegerint Romani, *ibid.* in ea præclara gessere Scipio Africanus et alii, *ibid.*
Historia Antiochi et Demetrii, 118, 1, 2 et seq. historia septem fratrum Machabæorum quando contigerit, 405, 2. historia Esdræ et Nehemiæ quando contigerit, 202, 1, 2. item historia Judith, 313, 1. et Esther, 357, 2, 368, 1, 2. historia Esdræ etiammum legitur a Judæis decima tertia die mensis Adar, 387, 1.
Historici, cujus est historiæ fabricam construere, cum architecto comparatio, 307, 2. quod sit ejus officium, *ibid.*
Hora idem est quod conticri, laudare, celebrare, 331, 1.
Hollandi urbes vastas obsidentes quo pacto eas ita vallo cingant ut illis succurri nequeat, 244, 2.
Holocaustum propriæ sacrificium quo tota victima cremabatur; lotius nomine pro qualibet hostia, 223, 2.
Holofernes, quis, qualis ac quantus, 320, 1. ejus etymon, *ibid.* captus est amore Judith, 339, 2. amoribus clerius ne vino immersus obdormiatur, 344, 1, 2. fuit natione Persa, 345, 2. Holofernes noster est gula, superbia, avaritia, etc., 346, 2. est typus diaboli cujus caput B. Virgo contrivit, *ibid.*
Homerus Græcorum Salomon Salomoni comma, 91, 1. Homeri Ilias ita minutis litteris scripta fuit, ut tota cortici nucis includeretur, 567, 1.
Homicidium sui ipsius quando licitum, 550, 2; 561, 1.
Homines Christianitin angustiis et periculis constituti Dei opem implorent, 458, 1. — *Vide* Christiani. Hominis proprium est mente cœlum contemplari, quamvis reposita sint despicere, 292, 1. cum hominibus aperversis non conversandum, 296, 2. homini inter peccata undique constricto et nullis omnino sine peccato evadendi effugia patent, quid agendum, 293, 1. hominis fastus quo aliquando assurgat, 322, 2. homo ubi ipse apparens justus et candidus per Tobiam cæcum adumbratus, 303, 2.
Honestas in Scriptura sæpe significat divitias, 354, 1.
Honor parentibus debitus commendatur, 234, 1. honor hujus mundi pupilloni comparatur, 378, 1. nunquam certam tenet viam, *ibid.*
Honores mutant mores, 38, 1, 2.
Honorius imperator cur acstulerit ritum Judæorum, crucem ligneam in contumeliam Amani circumferentium, 389, 1, 2.
Hortus in quo Assuerus convivium suum instituit, representat Ecclesiam, 364, 1.
Hospitalis Jupiter unde sic dictus, 522, 1. eidem templum dedicatum in monte Garizim, *ibid.*
Hostes meticulosi facile vincuntur, 438, 1. hosti dando est fugæ potestas ne clausus ex desperatione pugnet; prohibetur exemplis, 477, 2. hostium animos blasphemando

iritore quam stultam, 543, 2. hostes captos vel capiendos dimittens civium salutem prodit. 544, 2.
Humatio cæsorum nullium. — *Vide* Sepelire, Sepultura.
Humiliatio superborum ne exaltatio humilium est argumentum libr. Esther, 356. 1. exaltatur humilis Mardochæus, humiliatur superbus Aman, 390. 1, 2.
Humilitas et resignatio Moysis, 129. 2.
Humores melancholicos quæ minuunt, infringunt actionem et vexationem dæmonis, 298. 1.
Hemiens Wandalorum rex morbo pediculari fit pœnitus, 540, 2.
Hungari ab astro prosiliunt ad arma, 296. 1.
Hymnum, *Regina cœli, lætare*, nesciverunt Angeli B. Virgini Romæ, 377. 1.
Hypericon infringit actionem et vexationem dæmonis, 540, 2.

I

Idolum Jovis Olympii collocarunt Antiochistæ in altari Dei constorum, 439, 1. idolorum furtum olim Judæis vetitum, 533, 2; 534, 1.
Idololatræ (cum) fœdus inire quando licitum, quando non, 452, 1, 2.
Idumæi primi habuere duces, mox reges, deinde iterum duces, 95, 2. regnum Idumææ non fuit hereditarium, ibid. Idumæi secundus rex Idumææ, *ibid.* Idumæi transgressi in Ammonitas appellantur Judæi, 367, 1. Idumæi generalis Judæorum hostes a Juda Machabæo cæduntur, 544, 2. Idumæi invadere volentes fratres suos Judæos, vocabant se Ammonitas, cur, 326, 1.
Ignatius (S.) episcopus Antiochenus, sepultus secus Daphnem, 545, 2.
Ignatius (S.) cum novem sociis secedens Societatem Jesu instituit, 526, 2.
Ignes in cœlis exultantur ad fallendum hostes, 472, 1, 2. ignem Persæ celebrant ut deum, 502, 1. ignis sacer a sacerdotibus in puteo absconditus, primitus a Deo fuit datus Aaroni, 502, 1. quando missus Nehemiæ fuerit de cœlo, *ibid.* 2. et cur Nehemiæ pro alia sua convivia, *ibid.* Non defuit in secunda templo, 501, 1. mystice repræsentat Spiritum Sanctum, *ibid.* et 2. templum igni fecit rex Persarum, 502, 1. ignis est symbolum Dei et divinitatis, *ibid.* ignis per flammam seu agitatus videtur vivere, 297, 2. præterri solebat regibus et principibus Assyriorum, 322, 1.
Ilias Homeri cortici unius nucis inclusa, 507, 1.
Illuminationes de cœlo quænam hic dicantur, 506, 2.
Immortalitas animæ cum resurrectione corporis necessario connectitur, 364, 2.
Immunitas a tributis alliisque oneribus publicis, a rege Persarum sacerdotibus aliisque templi ministris concessa, 221, 2.
Imperator sedulus et non cessator quid efficiat, 200, 2. Imperatores Romani olim sibi arrogabant et nominabant Romanum Pontificem, 463, 1.
Imperiorum gaudium breve est, 463, 2. impii miraculi Dei narrabant magiæ, 513, 1. imperium conversatio fugiendo, 286, 2.
Impleri ab ore ad os quid significet, 224, 2.
Imperitiæ comes hæresis et falsæ religionis, 414, 1.
Incarnatio Verbi fuit opus maximum divinæ potentiæ et fortitudinis, 347, 2.
Incestus a Deo punitus, 488, 2.
Incubi dæmones, qui, et an tales dentur, 294, 1, 2. Indi Brachmanes olim vocabant suos sapientes gymnosophistas, 220, 1, 2. Indorum reges etiamnum multas uxores habent, 370, 2. Indi etiamnum in præliis utuntur elephantis, cur, 442, 2.
India Orientalis, quando et quomodo aperta sit Vasco Gamæ, 288, 1.
Indignatio indignantem non sinit quiescere, 379, 2.
Inferno (in) probabile est esse vermes corporeos, 363, 2.
Infidelibus (cum) perversisque hominibus non conversandum, 286, 2.
Infirmitas humana etiam strenuissimos et pertissimos artis suæ aberrare facit, 457, 1, 2.
Injustitiæ justus judex et vindex est Deus, 379, 2. Injustitiæ illius quem rex honorare voluisset, quæ, *ibid.*
Insulæ ab Hebræis vocantur omnes transmarinæ regiones, 412, 1.
Interpretes qui scripserunt in librum Esther, 359, 2.
Interregna fugiendo in libris *Regum*, ut chronologia servetur, 63, 1. ponendum in Israele, *ibid.* 2.
Intricare proprium est dæmonum, ut extricare sanctorum Angelorum, 292, 2.
Ira non sinit iratum quiescere, donec vindictam sumat, 379, 2.
Irrisio uxoris turbavit Tobiam seniorem, 277, 2.
Irrisor Alexandri Magni punitus, 543, 2.
Israel nomitur pro Juda et Benjamin; alias pro decem tribubus quæ a Juda et Benjamin schisma fecerunt, 200, 1. his dispersis, Israelis nomen remansit in Juda, *ibid.* Israel Hebraice idem est quod *dominabitur Deus*, vel *dominans Deus*, 283, 2.
Israelitæ reliquiæ captivitate junxernat se Judæ, 86, 2. Iteli multas voces accipiunt a Græcis, 304, 2.
Italicus quo pacto in Circensi certamine adversarium sumum vicerit, *ibid.*
Itaque qualis particula, et quid significet, 316, 1.
Itinerariorum præses et patronus S. Raphael Archangelus, 282, 2.

J

Jacob, nomen septimi Machabæorum fratrum, 228, 1. *Vide in voc.* Fratrum Machabæorum.
Jaddo pontificalibus indutus occurrit Alexandro Magno, 257, 1. fuit Pontifex sub Dario Codomano et Alexandro, *ibid.* 2.
Jafo eadem est quæ Joppe, 435, 1.
Jamnia a Juda Machabæo exusta quantum distet a Jerusalem, 353, 1. hic millies Judæi delubra idolorum expiarunt, *ibid.*
Janitorum templi magna dignitas, 138, 1.
Januarius (S.) qua ratione coronam martyrii adeptus sit, 271, 1.
Jason filius Eleazari, quem Judas Romam misit, quis, 432, 1.
Jason pseudopontifex frater Onix sancti. — *Vide* Jesus sive Jason.
Jatur quid significet, 226, 1.
Jecur piscis callionymi an vere fugarit dæmonem ex domo Raguelis, 292, 2. in jecore est sedes amoris et concupiscentiæ, 294, 2; 419, 1.
Jeddus. — *Vide* Jaddo.
Jehova transformavit gentiles in Jovem; ejus ruinæ deductum, 354, 1; 457, 2.
Jehu bis unctus in regem Israel, 41, 2. dissimulat se unctum ne periculum vitæ incurrat, 41, 1. est vindex Dei, 42, 2. jubens occidi 70 filios Achab non peccavit, 45, 1. fuit probus ante regnum, 46, 1. executor a peccato, ejus mendacium de colendo Baal, 46, 1, 2; 47, 1. ejus mira cæcitas, 48, 1, 2. præmium occisionis Baalitarum a Deo et datur per Elisæum, non per Jonam, *ibid.* 2. punitur propter idololatriam vitulorum. *ibid.*
Jejunio armata oratio quam potens apud Deum, 223, 1, 2. jejunium in Dominica vetat lex Christiana, cur, 248, 2. publicum et solemne est symbolum pœnitentiæ, 251, 1. est finis quo ligatur dæmon, ne nobis nocet, 279, 1. salvit debitum sibi, 305, 1, 2. melius quam muro tuetur, 324, 2. etiam a Judæis et Turcis observatum, 332, 2. jejunium multis feminæ innumeros stravit exercitus Assyriorum, 342, 1. jejunio Esther sibi decorem populo libertatemque, Amano crucem comparavit, 370, 1. quanta fuerit efficacia, 382, 2. jejunium vocant Hebræi humiliationem. 396, 2.
Jeremiæ Prophetæ descriptiones quænam dicantur, 503, 1, 2. multi ejus libri periere, 504, 1. an ipse tulerit arcam in montem Nebo, *ibid.* ejus vaticinium de arca non revelanda quando impletum, 505, 1. cur ipse præ aliis Prophetis apparuerit Judæ Machabæo, 505, 1. non vere et resilter traditi Judæ gladium, *ibid.*
Jerusalem nomen Angeli interpretatur magnitudo Dei, 203, 1.
Jerusalem cur Sesac invaserit, 435, 1.
Jerusalem olim vocabatur et erat urbs sancta, cur, 236, 1. duodecim habebat portas, ad singulas mundi plagas quatuor, et quænam illæ, *ibid.* 2. 237, 1. erat in suos vicos distributa, *ibid.* ad eam incolendam maxima pars plebis delecta, 253, 1. de Jerusalem terrestri cœlesti vaticinatur Tobias, 308, 1, 2. Jerusalem frustra videbitur a Bacchide et Alcimo, 455, 1. quomodo Deus nos velit eam esse sanctam, 465, 2. et Antiochus Sc. tes, 489, 1. quomodo sancta, 508, 1.
Jesabel vana animositas in morte, 43, 1, ejus stymon a stercore. *ibid.*
Jesu Christi typus Eliseus, 42, 1, 2. et Isaias, 78, 2. et Josias, 85, 1.
Jesus Christus dedicavit ecclesiam S. Dionysii Parisiis, 434, 1. Christus moriens vicit ipsum mortem, diabolum, etc., 456, 2. est vera arca novi Testamenti, 505, 1. est consummatio legis et Prophetarum, 507, 2. a Patre unxus in carnem ut ecclesiam veterem labantem restauraret, et in novam transformaret, etc., 230, 1. fuit sanctus sanctorum, et sapiens sapientium, *ibid.* cultum laborem, aut periculum pro Ecclesiæ et animarum salute detrectavit, *ibid.* 2. spe future resurrectionis et ascensionis gloriose sustinuit crucem, 275, 2. post fel, favosel mella gustavit, 281, 1. ipse est Azarias, id est adjutor Dei, 290, 1. ipsius figura fuit piscis qui ad Tobiam de flumine ascendit, 294, 1; 303, 2. item Tobias ipse Patrem ciamitans, 294, 1. quatuor Christus ligaverit diabolum, 298, 1. ei omnes gentes et reges serviverunt, 319, 2. instituens Eucharistiam repræsentatus fuit per Assorum instituentem sacrum illud convivium, 363, 2; 364, 1. nil negare potest B. Virgini quasi matri suæ, 377, 1, 2. passionis ejus dies fuere dies plurim. 389, 1. Jesus mei in ore, melos in aure, jubilus in corde, 508, 2.
Jesus sive Jason, Onix sancti frater ejus ejectus, Pontificatum invasit, 413, 2. fuit dux Judæorum ad gentilismum apostatandum, *ibid.* similiter Pontificatu extrusus fuit a Menelao, 509, 1. subsit trecentas didrachmas pro sacrificio Herculis, 515, 1. extrusus est Pontificatu per Menelaum, 516, 2. sed mortuo Epiphane redeuns ex Ammonitide, Jerosolymam invadit, sed expellitur, 519, 1. quod Spartas confugerit, minor in exsilio vitam finit, et ejus cadaver sepultum non fuit, *ibid.* 2.
Jesus filius Josedec populi e Babylone in Jerusalem reducis dux in ecclesiasticis, 212, 1.
Joachaz rex Israel erat impietate exhalutem Israeli dandam non suo sed filii tempore, ejus fortitudo, 55, 1.
Joakim, licet major natu, non potuit or a populo fratri Joachaz in regno Judæ, 56, 1, 2. et Pharaone Nechao rex constituitur nomine Joachaz, 57, 1. ejus scelera, *ibid.* 2. Differentia inter Joachim et Joachin, 88, 2. Joakim a Chaldæis capitur, solvitur, eorumque rebellans occiditur, 197, 1. stigmata in honorem idolorum inventa in ejus cadavere. *ibid.*
Joannes (S.) Apostolus volumen oraculorum ab Angelo accipiens, creatus est Prophetæ, 566, 1. in Apocalypsi sæpe alludit ad librum quartum Esdræ, 264, 1, 2. fuit unctos II. Virginis, 247, 2, quomodo in ultima cœna Christi in ejus pectore recumberit, 362, 1.
Joannes Calvinus quomodo a Deo punitus, 540, 2.
Joannes Hyrcanus auctor libri primi Machabæorum, 488, 1, 2; 498, 2. fuit Prophetæ, 493, 2. primus Israeli annis triginta et uno, pacemque cum vicinis colnit, 486, 2; 492, 2. fuit filius Simonis Machabæi, quem proinde miris elogiis exornat, 485, 2. dux et Pontifex Israelis constituitur; Cendebæum cædit, 492, 1. quam feliciter auspicatus sit summi principatum, *ibid.* cur cognominatus sit Hyrcanus. *ibid.* 2. ejus gesta prosperum, *ibid.* 369, 1, 2.
Joannes Machabæus Lucilianus quo fine duos suos filiolos occiderit, 567, 2.
Joannes (S.) Eleemosynarius quo pietatis ergo bat, eo pium a Deo recipiebat. 265, 1. ei in somnis apparet eleemosyna habita virginis, *ibid.*
Joanni (S.) Chrysostomo apparuit S. Paulus tradens ei librum Evangelii. 365, 1.
Joas rex Juda in inauguratione accipit Deuteronomium, 51, 1, 2. juste privat sacerdotes receptura pecunia propter negligentiam, et injustitiam, 52, 2. ob idolatriam a Zacharia arguitur, quem ideo occidit, 53, 1, 2. ejus tempore Carthago conditur, Lycurgus fert leges, et olympiades incipiunt. 54, 1, 2.
Joas regi Israel promittit Eliseus auxilium post mortem, 58, 1. ter tantum percussit terram propter peccata, *ibid.* 2. colnit Deum et simul vitulos, 59, 1.
Job secundus rex Idumææ, 95, 2. Job adhuc vivens cur vocetur beatus, 275, 1, 2. amici ejus Eliphaz, Baldad et Sophar fuere reges, *ibid.* in quibus fuerit similis Tobiæ, 276, 2. erat rex, et corona regia coronabatur, 299, 1.
Joel primus præfectus urbis Jerusalem reædificatæ 235, 1.
Joiada Pontifex juste amovit Abrahum, regnum que dedit Joas suo nepoti, 51, 1. fuit summus sacerdos, *ibid.* ejus elogium. *ibid.*
Jonas Propheta predixit Jeroboamo regi Israel victoriam de urbibus quas Syri abstulerant Israeli, 59, 1. sub quibus et cum quibus prophetaverit, *ibid.* 2.
Jonathan pater Jediæ, 257, 1.
Jonathus filius Mathathiæ cur dictus sit Apphus, sive ex consilii, 419, 2. mortuo Judæ Machabæo principatum suscepit, 438, 2. caso hoste fortunam transmutat, 439, 2. tota Judæa cum sole exoritur Bethbessem munit; obsidetur, et hostes eo ab obsidione sunt liberat, 440, 2; 491, 1. pacem cum Bacchide init, *ibid.* 2. cur eo sibi elegerit in Machabæo, *ibid.* receptus Accaronem, pontificalis vestimenta induit et munus pontificis exercet, 465, 1. fœdus adjuvat Alexandrum contra Demetrium, 466, 2. magnis donis gratiam Demetrii initi, 472, 1. instructus copiis Syriacis varias urbes expugnat, 479, 2. solus adiem inclinatam restituit; victoriam de eo etiam recuperavit 474, 1. occiditur cum filiis ad Ascalonem a Tryphone, cur, 480, 2. quo anno. *ibid.*
Joppe hodie vocatur Japha; Turcis, Zapha, 321, 1.
Joppen filius Jacobæ portum ædificandum expiliavit Machabæus, 485, 1. unus Judæ dicitur, *ibid.* pro ea solvit centum talenta, 490, 2.
Joram rex Israel licet impietate exhalutem Israeli dandam non suo sed filii tempore, ejus fortitudo, 55, 1.
Joram rex Israel licet infidelis, effecit vitli placere Domini, 34, 2. jurat se occisurum Eliseum. *ibid.* statim pœnitet cum remittit de Eliseo cura. *ibid.*
Jordanis ordinis S. Dominici secundus generalis cur a Deo in navi submergi permissus. 453, 1.
Josaphat zelus, reformatio Judicum, et victoria precibus obtenta, 162, 1, 2. unicum ejus peccatum. 163, 1.
Josedec fuit frater senior Esdræ, 212, 2. dicit pontificatum Babylone mortuo successisse filius Jesus, *ibid.*
Josephus a Constantino Magno comes creatus quod Scy

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

topoli inter Arianos solus orthodoxus esset, 270, 1.
Josephus ridicula narrat de fonte aquarum ab Eliseo sanatarum, ei non inpia, 9, 2. multa falsa suis historiis interserit, 492, 1. errat dicentia, voluisse tantum, ne non utilius perfodisset sacrilegium, non videtur res digna supplicio, 542, 2.
Josiæ nomen prædictum 327 annis ante natividatem, 81, 1. sacerdotes qui idolis sacrificarant prohibet Deo sacrificare, 84, 1. simitis etiu extirpandis idolis nullus, 86, 1. ejus temeritas in bello contra Pharaonem punita, *ibid.* et 2. pia nomina ejus filiis, non frustra, 89, 2. occisus a Pharaone tempore pacis publicæ 193, 2. idque propter inobedientiam 195, 2. pertarunt threni de ejus morte compositi, *ibid.*
Juda regnum potius regno Israelis, 57, 2.
Judæa Asiæ et Ægypti reliquas fere partes dissecuit, 407, 2. Judææ regiones transmarinas vocant Judæi Celtiim, 412, 1. Judæa est montuosa et præcipua, adeoque equitibus impervia, 431, 1. quomodo fuerit a Romanis subacta, 452, 2. est Syriæ pars vel appendix, 232, 2. ejus clima est calidum et siccum, ita ut incolæ nocturnis tectis frigidum aerem capiant, 249, 2.
Judæis Deo abjecti irrevocabiliter, 70, 1. malunt se morti offerre quam culturæ quietem sabbati violare, 420, 1. multi apostatæ cur impietati Antiochi pinphanis se conformarint, 403, 2. a quo potestatem acceperint idololatriam sequendi, et in Judæam inducendi, *ibid.* quot millia in exilio Jerusalem per Titum occisa, quot capta sint, 427, 1. quid per expansionem librorum legis velint, *ibid.* 2, 428, 1. contra præceptum Judæorum hostis conficientes cadantur, 437, 1. 438, 2. cornua pacta cum Romanis inita, 452, 1. 2. Judæi appellate morbo Judæ crescunt cornua, 458, 2. quanta beneficia contulerit Judæis Demetrius rex, 465, 1. 2. Judæorum ortus falso a Justino descriptu, 478, 1. 2. equites non leguntur habuisse nisi tempore Joannis filii Simonis, 492, 1. pro exsendo schismate nonnulli se mutuo, 496, 1. 2. sparsi sunt per totum orbem, 506, 2. quomodo in eos sæviverit Antiochus Epiphanes, 849, 2. quam vilipendantur a Nicanore, 537, 1. iis prohibitum erat pugnare in sabbato, 538, 1. Judæos remeantes in Babylone constituit Cyrus vectigales Judæis redeuntibus in Jerusalem, 207, 1. quo anni tempore discesserinte Babylone, 212, 1. cur jactis templi fundamentis fleverint, *ibid.* 2. nolentium Samaritis fabricare, cur, 213, 1. 2. cur non accesserint Samaritas apud Cyrum sibi laventem, quod fabricam templi impedirent, 214, 1. licet e Babylone liberi, manserint tamen Cyro et Persis vectigales, 215, 1. 221, 2. cur vaticinantes doctores sopherim, 226, 1. celebrarint cum gentilibus amicitiam inire et conjugia, 225, 1. jurant se abjecturos uxores alienigenas, et ex iis natas proles, ut Deo et legi obsequantur, 227, 1. eorum matrimonia cum alienigenis an sint irrita, *ibid.* 2. una manu operantur; altera gladium tenent, 239, 1. crebro totum corpus ablnebant, imo vestes et lectos, *ibid.* 2. apud eos frequens fuit usura centesima, 241, 1. prohibentur lugere et fiere in festo Neomeniæ, 248, 2. decimas solverunt non solum agrorum, sed et laborum et operum suorum, 253, 2. scribebant olim exacte suos annales et diaria, 258, 1. quomodo recenter e captivitate reversi anni fuerint resistere Holoferni, 323, 1. numerus redeuntium e captivitate Babylonica, *ibid.* 2. in singulis urbibus majoribus loco templi habebant synagogam, 328, 1. quomodo solerent jejunare, 332, 2. in quantum abhorrerent a consortio gentilium, 338, 1. quam essent puritatis corporalis amantes, 343, 1. utebantur mensibus lunaribus, non solaribus, 387, 1. etiamnum decima tertia die mensis Adar legunt historiam Esther, *ibid.* pridie festorum suorum solebant jejunare, 388, 2. et clamores precibus miscere, *ibid.* et solaria conscendere, 397, 1.
Judas, quartus septem fratrum Machabæorum. — *Vide in verbo* Fratres Machabæorum.
Judas Essenus auctor libri secundi Machabæorum, 459, 2. qualis vir fuerit, 497, 1, 2. est auctor canonicus, adeoque citatus dicta ab Jasone fuisse ex canonicis, 500, 2. hemiliter de sequenti, 507, 1, 2. quod fuerit ejus propositum, 507, 1, 2. parit sibi ignosci, cur, *ibid.*
Judas Machabæus unde sic dictus, 384, 2; 421, 1. fuit e tribu Levi, non Juda, 404, 2. ipse et posteri ejus a populo electi sunt duces et principes, non reges, *ibid.* quando et inditum fuerit hoc cognomen Machabæus, 418, 2. et cur, 422, 2; 425, 1. fuit primogenitus patri suo, 432, 2. bellicus a patre moribus natus, *ibid.* an oleo unctus in ducem, idque Jerusolymæ, 425, 1. fuit procer et vasto corpore, adeoque illo ævo fortissimus, *ibid.* fuit leo, Judæque Jacob patriarchæ filius victoriis, viribus ac robore superior, *ibid.* 2. ejus manus directa ad salutem Israelis, *ibid.* studio, quem Apollonio Duci Antiochi extorserat, cæsi sunt, 426, 1. cum paucis [illegible] nocentibus percussit et occidit Seron secundum [illegible] in finem, *ibid.* et 2. aciem instruens, cum diversorum ordines, ac cuilibet unum e fratribus [illegible], 428, 2. ejus fortitudo, ac resignatio in Deum [illegible], *ibid.* in exit castra Georgiæ et opprimit, 430, 1. cur pugnare nullos haberet equites, 431, 1. quo pacto semper victorum obtinuerit excepto ultimo prælio, *ibid.* ejus prudentia militaris in cohibendo milite a spoliis, *ibid.* 2. ejus pietas æque ac solertia, 432, 2. quando ceperit arcem Sion, 433, 1. cur non consuluerit Deum per oraculum Ephod, 433, 1. purgat ac dedicat templum ab idololatriis pollutum, *ibid.* 2. festum Enæniorum celebrat, *ibid.* 2. ejus providentia et charitas 438, 1, instar fulminis circumibat, debellando Judæorum hostes, 438, 1. pugnat cum Nicanore et vincit, 448, 1. an occiderit eum duellando, *ibid.* in memoriam illius victoriæ sem veræ unum festum instituit, *ibid.* 2. nec omnis quæ de Romanis audiebat erant vera, 450, 1. prudenter cum Romanis fœdus fecit, 452, 1, 2. et licite, *ibid.* fuit typus Christi, 455, 1; 456, 2. licet longe impar fato, non tamen fugit, 455, 2. vel vincere vult, vel generose mori, *ibid.* sed pro Dei religione, 456, 1. instar leonis cum paucis plurimos invasit, *ibid.* eamque cædit, Judæ et sociorum fugæ, *ibid.* 2. cecidit non tam ex vulnere, quam expugnandi cælendique labore, *ibid.* mors ejus fuit et gloriosa, 457, 2. sed duntaxat annis præbuit dux Israeli, 458, 1, 2. quo anno occubuerit, *ibid.* vocatur ab aliquibus sanctus, eumque catalogo adscribunt mense octobri, *ibid.* quomodo decimus fuerit, 520, 2. cur secesserit in desertum, *ibid.* Judæ exercitum socorum in egenos charitas, 533, 2. pro ipso precatorunt Angeli, 545, 1, 2. Jasonem incendit, cur, 572, 1. purgatorium credidit, hinc scribendi jubet pro peccatis mortuorum, 574, 1. Timotheum vincit et capit, 552, 2. et multas civitates, 553, 1. ejus celeritas in pervadendo civitates, *ibid.* subinde habuit etiam equites, *ibid.* 2. arcuatis armis spiritualibus invadit castra Antiochi Eupatoris et cædit, 556, 2; 557, 1. contra Antiochum Eupatorem pugnaturus se suosque Dei beneplacito committit, 560, 1. fuit religione et pietate Assidæus, 560, 1, 2. an uxorem duxerit, *ibid.* nil habebat proprium, *ibid.* utrum et vere apparuerint Onias et Jeremias, 564, 1.
Judices monentur juste judicare, 160, 2. judices pecuniis corrupti, 516, 2. judicibus olim, uti etiammum, adjungebatur assessor juris legumque peritus, 255, 2.
Judiciaria porta urbis Jerusalem, quæ, et quare ita vocaretur, 237, 1, 2. eadem vocabatur Vetus, cur, *ibid.*
Judicia Dei abyssus multa, 80, 2.
Judicium Deus cepit luesse omnibus sectionibus nostris, 278, 1. judicii extremi dies erit dies sortium, 388, 1.

Judith qui significet mystice, 199, 1, 2. ipsa vincens Holofernem repræsentat divam Virginem vincentem diabolum, 313, 1. quando contigerit ejus historia, *ibid.* 314, 1, 2; 315, 1. quanis fuerit femina, quantisque elogiis celebrata a SS. Patribus, 315, 2. vocis Judith etymon, 331, 1, 2. ejus genealogia, 332, 1. ex qua tribu orunda, *ibid.* silentium amat et solitudinem, *ibid.* 2. carnem jejuniis et cultio domat, *ibid.* fuit typus B. Virginis, 333, 2. prudenter unum secretum celat, 334, 1. arma ejus spiritualia quibus obtruncavit Holofernem, *ibid.* 2. fuit e tribu Simeon, 335, 1, 2. lamlat zelum Simeonis in vindicando Dinæ stupro, non modum, *ibid.* 2. an licite potuerit Holofernem illicere ad summ amorem, 336, 1. non est in facto suo libidinis accusanda, *ibid.* novo et inaudito more castitatem suam et vitam civium suorum defendit se ornando, 337, 1. cur secum ancinam detulerit, 338, 1. an fuerit mentita imponendo Holoferni, *ibid.* et 2. ambiguitate verborum illudit Holoferni, 341, 1, 2. quomodo excusetur a mendacio, *ibid.* quam potens fuerit ejus peroratio coram Holoferne, 342, 2. quo fine petierit copiam egrediendi ad orationem quandocumque vellet, 343, 1. Holofernem obtruncat, 346, 1, 2. ejus elogia, *ibid.* fuit directa ab Angelo ad tantum facinus perpetrandum, 347, 2. decus fortitudinis sæ et victoriæ ascribit Deo, 348, 1. fuit umbra ac typus B. Virginis, *ibid.* et 356, 1. ejus prudentia et solertia bellica, 349, 1, 2. ejus castitas quam eximia, 351, 2. fuit prophetica et scriptrix sacræ Scripturæ, 353, 1, 2. quanto tempore in viduitate permanserit, 355, 2. a Patribus habetur sancta, cujus festum Æthiopica Ecclesia celebrat quarta die mensis Elul, 356, 1. Judithæ nomen et eum nomine virtutis imitationem anabivere multæ heroinæ et reginæ, *ibid.* et 2. quomodo adorarit Holofernem, 373, 2.
Judith Augusta Ludovici Pii Imperatoris uxor, monasterium ipsa sibi velum imposuit, 356, 2.
Judith filia Caroli Calvi Francorum regis nupsit Anglorum regi, *ibid.*
Judith regina Poloniæ, conjux Boleslai regis, *ibid.*
Judith regina Hungariæ, Henrici Imperatoris filia, insigne regno pulsa, *ibid.*
Judith uxor Hermanni Comitis, *ibid.*
Judithæ Saxoniæ Ducis filia, *ibid.*
Juditha famula S. Elisabethæ miraculis clara, *ibid.*
Juditha Parthena quando et quomodo diem extremum obierit, *ibid.*
Julius Cæsar fuit vasto validoque corpore æque ac animo, 425, 1. multos validosque hostes ambiebat, 455, 2. ejus tessera belli, 538, 1.
Jupiter Hospitalis unde ita dictus, 532, 1. Jovis Olympii bolum collocatum fuit in altari holocaustorum, 433, 1. eique dedicatum fuit templum, 522, 1. et Jovi Hospitali in Garizim, *ibid.*
Jupiter Stator, unde, 101, 2.
Juramentum Judæorum valde arduum de abdicandis uxoribus et prolibus alienigenis, 227, 1.
Jus alternis diebus imperandi habebant Strategi in Græcia, Epistatæ Athenis. Decemviri Romanæ, 431, 2. jus nominandi Romanum Pontificem Imperatoribus adeptum, in Episcopos et Cardinales translatum, 463, 1.
Justitia adversus Deo gratias agunt : necessitate probantur, 274, 1, 2. eorum oratio clavis est coli, 278, 1. agunt dies plurim sive sortium; quando, 388, 1. justo nil malli obvenit nisi ex certis Dei præscientia et voluntate ad eum vei a vitiis purgandum, vel in virtute perficiendum, 278, 1. justus quacumque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, 435, 1.
Justitia (S.) quomodo Asmodæum se ad amorem allicientem imperarit, 279, 2.
Justinianus [illegible] Jacobum [illegible] quæ non vastat.
Justinus (S.) sepeliendo corpus S. Laurentii martyrium adeptus est, 273, 1.
Justitia locum cedendo clementiæ, eam in se commutat, 235, 2.
Jutta. — *Vide* Juditha.

K

Kadestim vocantur pueri spurci et scelerati, 513, 1.
Kephirim nomen loci ita dicti a copia villarum, 243, 1.
Ki particula apud Hebræos diversimode sumitur 123, 1.
Kinnor et *cinyrum* et *citharam* significat, 436, 1.
Ku Persice idem est quod princeps, 266, 1.

L

Labor a Cyro rege Persarum commendatus, 266, 2.
Lacedæmones licet jussi noluerunt adorare Xerxem, cur, 372, 2. Lacedæmonii quid juventutem docerent, 456, 2. etiamnum cum Turca certant, arcemque suam a Turcis liberam servant, 476, 1. pro libertate omni ævo certarunt, *ibid.*
Lacæna clypeum filio imponendo quid intenderit, 457, 1.
Lacones. — *Vide* Lacedæmonii.
Laconismus, sive breviloquentia, signum est animi silentii et meditabundi, 507, 1.
Lætitia facit hilares, et celeres, 249, 1.
Lampades accensæ sive ignes præferebantur regi 422, 1, 2.
Lapides (per) ignitos quid intelligatur, 513, 2.
Lasthenes tutor Demetrii junioris Syriæ præfectus, 472, 1.
Latina lingua a Gothis cum Gothica commixta peperit Hispanicam, Italicam, Francicam, 214, 1.
Lectio sacræ Scripturæ est funis ad ligandum dæmonem ne nobis noceat, 293, 1. lectio deri solebat post convivium, 328, 2.
Lector styli varietate delectatur, 587, 2.
Leges Dei vocantur justitiæ et justificationes, 415, 2. lex de observando sabbato quo casu non obligaret, 420, 1, 2. legum patriarum exercio concitat populos ad seditionem, 427, 1.
Legio Thæbæorum martyrum, duce S. Mauritio, cur non restituerit Maximiano Imperatori, 420, 1.
Leones quia impavidi, clausis oculis in venabula et enses irruunt, 347, 2. leoni comparatur Judas Machabæus, cor, 425, 2. leonum catuli latrante stomacho reginæ, *ibid.* per leones thronum Salomonis stipantes quinam mystice intelligantur, 347, 2, 3. leones potius quam ad leænes damnari optaverant virgines, 358, 1, 2.
Leonidas cum trecentis innumeras Xerxis copias cecidit, 426, 1. vincendo occumbere malnit quam fugiendo vitam servare, 457, 2. interrogatus a variis quid responderit, *ibid.*
Levitæ bis numerati a diversa ætate incipiendo, 329, 1. ex dispensatione Dei sacrificans, 185, 1, 2. celebrant magnificentiam et beneficentiam Dei recensendo omnia quæ Deus pro Hebræis gessit in Ægypto et Chanaan, 251, 1. terram possidere non poterant, sed tantum ex ea fructuum decimas accipere, 253, 2. dabant decimam decimarum accerdotibus, *ibid.*
Lex Christiana vetat jejunare die Dominica, cur, 248, 2. lex dicitur aligando, et quomodo ligat hominem, 298, 2. legis Persarum ne quis non vocatus interius atrium regis ingrediatur, causa 375, 1, 2.
Liber legis inventus tempore Josiæ, quis sit, 1, 2. exemplaria legis exstabant multa apud Judæos, *ibid.*
Liber primus Esdræ et Nehemiæ sunt protocanonici, cur, 499, 2. Tobiæ vero Esther, Judith et Machabæorum deuterocanonici, *ibid.* tertius et quartus Esdræ sunt apocryphi, 500, 1; 501, 1, 2. liber Nehemiæ sub dicitur secundus Esdræ, 500, 1. primi Esdræ auctor est Esdras

secundi Nehemiæ, *ibid.* liber quartus Esdræ a multis SS. Patribus subinde citatur quasi canonicus, 291, 1. nihilominus est apocryphus, *ibid.* 2. liber primus Esdræ continet liberationem Judæorum e Babylone per Cyrum; Nehemiæ remeditationem Jerusalem, *ibid.* 1. liber tertius Esdræ majoris est auctoritatis quam historiæ Livii, Sallustii, etc., 292, 1. cur aliqui eum asserant canonicum? tertii ordinis, *ibid.* 2. de quarto plus est difficultatis, variaque contra ejus auctoritatem objiciuntur, *ibid.* et 2. non est Thesbi ad Jeum, 293, 2. cur ei etiam subtrahatur concedendi auctoritas, *ibid.* fuit scriptus ante Apocalypsim S. Joannis, quid ad eum alludit, 294, 1. quis ejus sit auctor incertum, *ibid.* 2. fuit scriptus in captivitate Babyonica, 295, 2.

Liber Tobiæ licet olim habitus et ab aliquibus Patribus pro non canonico, jam tamen est canonicus, 295, 1. ejus argumentum, *ibid.* 2. est historia, non comedia, ut aliqui eum scripta, *ibid.* 295, 1. fuit in Assyria, *ibid.* quis sit ejus auctor, *ibid.* 2. canonem hunc scripserunt, *ibid.*

Liber Judith et canonicus, Chaldaico scriptus, 312, 1. ejus argumentum et partes, *ibid.* et 2.

Liber primus et secundus Machabæorum apud Hebræos non sunt canonici, cur 402, 1. negat tertius et quartus ut omnibus admittit Ecclesia, *ibid.* libri primi quinam auctor, *ibid.* et 2. liber secundi, *ibid.* 466, 2; 500, 2; 556, 1. utriusque idem est argumentum, 403, 1; 500, 2. liber primus complectitur gesta armorum civiliter exercita, 403, 1. utrique exstitit Hebraice, *ibid.* 2. librorum Machabæorum ordo et connexio, 409, 1, 2. per librorum legis expansionem quid intenderint Judæi, 427, 2. liber Deuteronomii nihilobris ad bellum omnibus lege solutus, 538, 1. liber tertius non est canonicus, habet tamen suam auctoritatem, 568, 1. ordine chronologico ponendus foret ante primum, *ibid.* ejus argumentum, *ibid.* quo sensu S. Clemens eum canonicum nominat, *ibid.* liber quarti argumentum, 590, 1. est liberii auctoris, *ibid.*

Liberalitas Nehemiæ in cives suos, 242, 1. et Tobiæ senioris, 269, 2.

Liberationes (in) Judæorum facta per Cyrum significata fuit liberatio humani generis per Christum, 203, 2. et liberatio Christianorum ab ethnicis oppressorum; item animæ fidelis, *ibid.*

Libertas arguendi regem in sacerdotibus. 179, 1, 2.

Libidinosi sponsi Saræ ponit, 282, 1. idque propter effrenam libidinem, 294, 1, 2. libidinosum designabant veteres pingendo mulum vel mulam, *ibid.* libidinosus miles fulgure sideratus, 296, 2.

Libido sibi ardet, abundant peccata, 236, 2. quantum grassaretur apud Persas et Assyrios, 334, 2. monstrum habuerat sine gula, 365, 1. est insolentiæ reque ac fastidiosa et curiosa, 370, 2. libido comes falsæ religionis et hæresis, 414, 1.

Libra auri valet centum aureos, 495, 2.

Librarii apud Persas qui, 384, 2.

Libri Esther argumentum et auctor, 357, 1, 2. ultima libri septem capita sunt Scriptura canonica, 390, 1.

Lignum olei varie a variis interpretatum, 249, 2.

Lilium puritatis et virginitatis symbolum, 362, 2.

Linguæ (ex) Hebrææ cum Chaldæa commixtione orta est lingua Syro-Hebræa, vel Chaldæo-Hebræa, 214, 1. lingua latina cum Gothica commixta peperit Hispanicam, Italicam, Francicam, *ibid.*

Lipsana SS. Abundii et Abon inutili ad domum professam Societatis Jesu Romæ translata, 418, 2. SS. septem fratrum Machabæorum requiescunt in templo S. Petri ad Vincula Romæ, 529, 2; 595, 2. et Colonia Agrippinæ, *ibid.*

Litaniæ antiquitas, 168, 1. litaniæ in libro Judith attribuuntur, 334, 2.

Litaræ et decreta regum Persarum erant olim irrevocabilia, 334, 1.

Litera Hebraicæ *beth* et *mem* sunt labiales, adscripsi, sæpe una pro alia substituitur, 218, 1.

Lobus rebellat regi suo Joramo, 109, 1.

Locus quartus Esdræ, cap. IV. vers. 35, de animabus sanctorum in promptuariis detinendis donec impleatur numerus electorum explicatur, 292, 1, 2. item quidam vr. vers. 49, ubi dicitur Deus diu quidem sæculum mundi conservasse duas animas, etc., *ibid.* item cap. VII, etc. *ibid.* et seq.

Longanimitas Romanorum in damnanda Hispania, 453, 2. ex superantur omnes hostes tam corporis quam animæ *ibid.*

Loqui voce patria in his libris quid sit, 353, 2.

Lorum consuli Romanus quis hic intelligatur, 149, 2.

Lucius piscis quis, 492, 1.

Ludovici (S.) morientis pietas, 56, 2.

Ludovicus (S.) his movit in Terram sanctam, idque maximus fuit ac posteris quale duderit monitum, 230, 2. S. Ludovicus castra ducturus in Terram sanctam vexillum ab Episcopo Parisiensi benedictum accepit, 309, 1.

Ludovicus (S.) Pius Imperatoris Caroli Magni filius et successor, 357, 2.

Ludus diaboli est saltatio et chorea, 295, 1.

Lunatio una, sive unus per zodiacum cursus, unum constituebat mensem apud Hebræos, 228, 1.

Lupo (S.) Trecensi Episcopo roganti Attilam Hunnorum regem Italiam et Galliam vastantem quinam esset? respondit esse flagellum Dei, 321, 2. S. Lupus quid respondent Attilæ dicenti se esse flagellum Dei, 341, 2.

Lutherus solemnes habuit cœnas quas ab omnibus diabolis, 47, 2. Lutheri dogma, quod si uxor difficilior sit ad opus conjugale, vocetur ancilla, 305, 2.

Lux bellum symbolum est et causa, 225, 2.

Luxuriosi dedili regno privati, 472, 2.

Luxuria spiritus nobilissimus, ideoque robur et vires effundit et exhaurit, 353, 2. — *Vide* Libido.

Luxuriosum veteres designabant pingendo mulum vel mulam, 294, 2.

Lycurgus suis legibus ad miram pollitiam evexit Spartiatas, 476, 1. docuit eos pertium contracte ac presse loquendi, 507, 1.

Lysias tutor Antiochi Eupatoris vocatur frater a rege, cur, 548, 2 quantum exercitum paret contra Judam, 547, 1. Ptolemenses indignantes fœdus cum Judæis mirum sedat, 557, 2.

Lysias Eupatoris rector cur pacem cum Judæis bellumque contra Philippum suadeat, 444, 2.

Lysimachus anno fratre Menelao Pontifice creatus, 516, 1. a populo occiditur, *ibid.* 2.

Lysimachus rex Macedoniæ ob stilum se hostibus tradidit, haustaque aqua quid exclamarit, 330, 2.

M.

Macarius (S.) Romano Raphael angelus specie viatoris se ducem obtulit, 288, 2.

Maccabi idem est quod percussor, occisor, 496, 1.

Macedonia quando et per quem a Romanis subacta, 459 2.

Macha quid significet, 288, 2.

Machabæi unde sic dicti, 404, 1. Machabæus est ibid: quod exstinctor et occisor hostium, *ibid.* variæ vocis etymus, quod alio nomine vocati sunt Assamonæi, et unde, *ibid.* 2. prognati sunt ex tribu Levi et Phinees Pontificis, 422, 1. pugnabant pedites, nec habebant equites, quare, 434, 1. tempore Machabæorum nullus fuit Prophetæ in Israel, 493, 1. Machabæorum martyrum acta. — *Vide in verbo* Fratrum. *Machabæus* vocabatur primus ex septem fratribus Machabæis. — *Vide in Verbo* Fratrum Machabæorum.

Machiavelli error, 37, 1.

Machir tertius fratrum Machabæorum, 526, 1. — *Vide in verbo* Fratrum Machabæorum.

Machæus oppidum in confinio tribuum Benjamin et Ephraim, 463, 2.

Machabæ urbs ubinam, et quid significet, 439, 1. hujus sæviebant Joannem Machabæum, sed non inulte, *ibid.*

Magi quis ratione per cornu herbæ et signum illum nominant pueris et bestiis, 293, 1.

Magnanimitas Nehemiæ, 242, 1. et Estheris in acerrimo Amanum præsentem, 381, 2. ducem in bello rebusque artibi quantum valeat, 474, 2. magnanimitas Eleazari senis, 524, 1, 2.

Maharbal profectus e quinam quid Hannibali Romam petere lardanti, improperaret, 369, 1.

Majestas regia mire perrexit accedentes ad eum, 399 2.

Majorum exempla animant in rebus arduis, 422, 2.

Maxent. id est Macedonia, ubi dicta a Gethis, 412, 1.

Malachias (S.) Hiberniæ Episcopi memorabile exemplum, 269, 2. in quo fuerit æmulator Tobiæ senioris, 271, 2.

Maledicta et maledicta etiam ab intimis amicis patienter ferenda, 276, 1. multum cruciant dominas ab ancillis objecta, 288, 1, 2.

Malina et Tharsus Ciliciæ civitates cor tumultuentur, 510, 1.

Malum diversimode sumitur, 233, 1. malum in auctorem recidit; probatur exemplis, 379, 2; 382, 2. mala hujus vitæ contemnenda fiducia futurorum bonorum, 424, 2.

Manasses Ididæus cum luxu potuit in templo 78, 1. occidit salam, *ibid.* occidit argentes suum imperatorem, 79, 2. ejus etymon factis quadrat, *ibid.* abductus in Babylonem a Merodach Baladan, *ibid.* ejus tempore neglectus Deimalus, 81, 1, 2. Manasses idem est quod oblivio, 335, 2. Manasses quidam, de quo in libro Tobiæ Græca narrantur quod ab impio Amam fuerit in discrimen vitæ conjectus, quis, 341, 1. sub Manasse rege Judæ an contigerit historia Judith, 342, 1. Manasses uxoratus Judith, quis, 332, 1.

Mandata Nabuchodonosoris Holoferni data, 326, 1, 2.

Manducatio est actio vitalis qua cibos ex ore in stomachum trajicitur, 307, 1, 2.

Manduch vocantur fercula quæ quisque apponuntur singulatim, 369, 1.

Manustuprus quis vocatur, 534, 2.

Manus aliquando significat favorem et operationem, 221, 1. manu sancta manu solet dari files unctus, 224, 1. symbolum est opis et auxilii, item directionis et protectionis, 234, 2. manus multo juncta illico opus ingens perficiunt, 244, 1. in manibus periculum esse, quidnam, 297, 1.

Marcianus quomodo ad imperium et thorum S. Pulcheriæ servetis Theodosii pervenerit, 373, 1.

Marmoclasi etymon, 361, 1. ex qua tribu et stirpe oriundus, *ibid.* 2. ejus cognomen avum, *ibid.* quibus de causis Judæorum adorare Assam, 372, 1. an potuisse ethice dissimulare, 373, 1. magnus ejus constantiæ et zelus in Deum, 377, 2. primevis et abjectus, post factus est regni administer et patronus, 380, 1; 385, 1, 2. cur Deus eum voluerit evehi ad tantam dignitatem, *ibid.* est auctor libri Esther, 388, 1. fuit vicarius regis 1539; 1, 2. nominum quod sonuisse fertur ipse a Deo promissum, 390, 1. ejus exsilium, eorum ex rerum eventu Dei instinctu cognovit, 393, 2.

Margaritæ in Lotharingia purificantur per columbas, 36, 1.

Maria (S.) mater Dei monuit Musam virginem ut a India et jocis abstineret, 281, 1. Maria vincens diholum figurata per Judith vincentem Holofernem, 313, 1; 333, 2; 346, 2. innumeras dæmonum phalanges prostravit et dire prostravit: est virgo et mater Dei, atque una trino cognomine gaudet, *ibid.* ejus formas intuentes excitavit ad castitatem, *ibid.* Mariæ vocabulum, patrocinium et exemplum fiducia dæmones, 347, 1. classis in cubiculo jejunia observans Deum pro omnibus reconciliatione meruit Augustinum paris per oraculum exsipere, *ibid.* figurata fuit per thronum Salomonis, *ibid.* 2. quale et nomen Mariæ, 348, 1, 2. Maria est decus, gloria et exultatio non tantum Jerusalem, sed totius orbis, 351, 2. Constantinopolitæ a triennali Saracenorum obsidione liberavit, 356, 1. sed maxime quasi vera Judith defendit Bethuliam, *ibid.* et omnes virgines, cunas, ea est Virgo virginum, quasi clientes suos protegit, *ibid.* est vera Esther quæ ubi ullis suis protegit peccatores et afflictos ad se confugientes, 368, 2. est hilaritas Sanctorum, *ibid.* fuit Esther in Assumptione sua et coronatione, 376, 1. item in pulchritudine, modestia, verecundia, etc., *ibid.* est virga aurea per quam Deus toti humano generi offensa remeditatus est, 377, 1. illi quasi matri suæ Christus nil negare potest, *ibid.* est quasi stella Jacob radiis suis universum mundum illuminans, 383, 1. est fons salis, 391, 2. est vera Esther quæ Assuerum, id est Deum iratum, cum duabus ancillis adit, 490, 1.

Maria (S.) in templo presentata inter virgines consocias angelice exit, 310, 2. ejus ad Jesum Angelis ex Palæstina Lauretum translata, 394, 1.

Maria (S.) Magdalena quomodo Christi ad mensam accumbentis pedes retro stans lavare potuerit, 333, 1.

Marius (S.) et Martha quo pacto martyrii coronam adepti sint, 271, 1, 2.

Marius (C.) quomodo Sylle reipublicam Romanam invadenti se opponere copias collegerit, 449, 2

Marsus Deus gentilicus, 305, 1

Martyres olim certamen patientia, 459, 2. martyres quid excitarit ad tormenta omnia sustinenda et contemnenda, 275, 2. martyrium sine sanguine est triplex, 271, 2. martyrium est actus nobilissimus, adeoque nobilior pugna et vita, 420, 1. martyrium Eleazari senis, 524, 1, 2. et septem fratrum Machabæorum, 526 et sequ. martyrium varii exstitit, 531, 2; 532, 1.

Maspha una in confinio tribus Benjamin et Judæ, alia in tribu Gad, alia in tribu Ruben, 427, 1, 2.

Mater septem fratrum Machabæorum a variis diversimode nominatur, 526, 1; 530, 1. miris elogiis celebratur a SS. Patribus, 530, 1, 2. exhortatur filium natu minimum, 531, 1, 2. quas genere mortis consumpta sit, 535, 1, 2. tantum filios ad martyrium excitantium exemplo, 531, 2; 533, 1. nonnullis pro ingenii gaudio examinatur, *ibid.*

Maternus (S.) resuscitator baculo S. Petri, 21, 1.

Matthanæ nomen familiare in Sedecianis, 197, 2.

Matthathias fuit ex tribu Levi sacerdos primæ classis ex stirpe Joarib, 418, 1, 2. 422, 1. factus est pontifex et dux a Deo eum eligente, 418, 1. ad eum spectabat expessere Pontificatum et ducatum populi, *ibid.* tam ex designatione Dei, electione populi, quam jure successionis et propinquitatis, *ibid.* successorem sibi designavit filium suum Judam Machabæum, *ibid.* plangebat ejus de vastatione templi et Jerosolymæ processit ex zelo religionis, *ibid.* 2. quo jure virum qui jam jure cæperat occiderit, 419, 2. mira ejus in hac cæde animositas et fortitudo, *ibid.* ipse heros inclytus qui quæ filios suos heroes effecit, *ibid.* interpretatus est legem sabbati certo casu non obligare, 420, 2. moritur et filios animat ad arris certamina, quæ eis cum Antiocho imminebant, 422, 2. quando exortus sit, *ibid.* et 423, 1. an ex vulnere in bello accepto, *ibid.* cum fuisse sacerdotem consentiunt omnes; sed pontificum fuisse negant aliqui, affirmant alii, *ibid.* 2. et in pontificatu æque ac ducatu successit Judæ, deinde Jonathas, inde Simon, *ibid.* cur dictus sit Abaran, id est fortis eruum, 443, 1. delicentibus legitimis hæredibus ad eum devolvitur Pontificatus, 517, 1, 2.

Matrimonia Judæorum cum alienigenis an sint irrita, 227, 2. ea dissolvit Esdras, cur, *ibid.* cur non sint differenda usque ad ætatem virilem, 270, 1. matrimonii bona sunt tria, et quis finis, 295, 1, 2. matrimonium Estheris cum Assvero an licitum, 369, 2.
Mauri apud Hispanos non admittuntur ad magistratus, 260, 1.
Media, sive regnum Medorum Hebraice est *Madai*, 218, 1.
Meditatio crucis et passionis Christi est finis quo ligetur dæmon ne nobis noceat, 299, 1.
Melito (S.) quomodo a matre ad martyrium incitatus, 551, 2.
Mem littera Hebraica sæpe subtilitatur pro *beth*, et contra, 218, 1.
Memnon conditor urbis Susan, 361, 1.
Mendum in libro *Paralipom.* correctum, 171, 2.
Menelaus callide Jasonem fratrum suum exclusit sacerdotio, 513, 2. emit pontificatum, licet ad eumdem inhabilis, *ibid.* amotus est a sacerdotio per fratrem suum Lysimachum, 416, 1. juridice contra eum proceditur; sed judices pecunia corrupit, *ibid.* 2. jussus est ex alta turri in cineres præcipitari, 556, 1, 2. idque justa talionis pœna, *ibid.*
Mensa (in) veteres sérios et sæpientes miscebant sermones, ne sobrietati studebant, 302, 2. mensæ panum propositionis effigies cernitur Romæ in arcu triumphali Titi, 505, 1.
Mensium Hebræorum ordo et nomina, 228, 1.
Mensuræ rerum omnium in templo a sacerdotibus asservandæ ad vitandam fraudem, 129, 2.
Mentium bonarum est timere culpam ubi non est, 276, 1. mens quæ inter peccata ita constringitur, ut sine peccata avidere nequeat, quid facere debeat, 293, 2.
Merces operariis statim danda, 286, 1.
Metlinum aiunt per dæmonem incubum esse progenitum, 294, 1.
Mesopotamia sic dicta, quia in medio duorum fluminum sita, 457, 2.
Mesoromsa des Persis est sol, 370, 1.
Metamorphoses variæ a gentibus factæ, 427, 2.
Methilus Macedonicus quum fuerit secreti sui tenax, 395, 1.
Metus justus Tobiæ senioris de hædo furtivo; et S. Satellitis de pane sibi divinitus oblato, 276, 1. metus subitus parit in militibus inconstantiam, infidelitatem, etc., 453, 1.
Mezentius athens arma sua numina fecit, 561, 1.
Michael (S.) Archangelus dedicavit ecclesiam suam in monte Gargano, 434, 1. fuit Israelis protector, 547, 1. precibus oblationibusque fidelium præest, 282, 1, 2. nomen Michael sonat idem quod *quis ut Deus*, 289, 1. olim erat protector Synagogæ, uti nunc Ecclesiæ, 347, 2.
Milites sancti Dei robore instructi facile prosternunt multos tanto robore destitutos, 426, 1. militis Chaldæi et Persæ stebantur purpura ad tegendum vulnera, 432, 1. resolutio et desperatio facit milites imperterritos, *ibid.* 2. eorum fiducia unitum valet ad victoriam, 435, 1. in acie primum locum ambiunt, cur, 433, 2. multi de castris se subtrahunt et Judam deserunt, 455, 1. impossibile est ut semper vincant et nunquam vincantur, 457, 1, 2. miles generosus optat mori in prælio, *ibid.* 2. militum Judæ charitas, 538, 1. militis parta victoria arma sua vestiebant thyrsis, 544, 1. militum animi ante certamen explorandi, et ad ardorem excitandi, 547, 2. a rapinis et criminibus abstineant, 553, 2. pacem non amant, cur, 551, 1, 2. quomodo exercitandi sunt, *ibid.* de milite generoso axioma, 455, 2. milites præpropere ad spolia diripi cunduntur, 431, 2. Militum templi origo, 434, 1. videntur fuisse Levitæ, *ibid.* 2. ad horum similitudinem instituti sunt Jerosolymitani equites, et quando, *ibid.*
Minæ Dei certæ et efficaces sunt, hominum superbo et vanæ, 353, 2.
Misericordiæ tam spiritualis quam corporalis opera, 271, 1, 2. hanc cupit Deus inesse omnibus actionibus nostris, 278, 1. quam sit homini necessaria 305, 1, 2.
Missio ignis sacri de cœlo facta Nehemiæ quando contigerit, 500, 2.
Mithra vox Persica solem significat, 337, 1, 2. Mithræus ut Deum colebant Persæ, 402, 2. est fascia byssina gemmis et bracteolis aureis tremulisque collucens, 337, 1.
Mithri dicitur a Mithes, id est major, 297, 2.
Mithridatis etymon significatio, *ibid.* Mithridates victus a Romanis aurum sparsit, objectaque gaza regis insequentes effugit, 434, 2.
Mna est quasi libra auri, 495, 2.
Moabitæ sicuti non poterant introire in Ecclesiam Dei, 259, 1, ita nequeam eorum populi Israel, nisi cum dispensatione, 350, 2
Modestia Judith devicto Holoferne, 348, 1.
Modiu vicus juxta Diospolim unde fuerunt Machabæi.
Modus quos pauci multos vincere possint, 455, 1, 485, 1.
Monachus quem sæpe nigellus puer ab oratione abducebat, virga S. Benedicti percussus, decidens in oratio manuit immobilis, 298, 2.
Monotam cudere summæ est potestatis, 489, 2.
Monica (S.) an ancilla vocata meritoria valde fuit affecta, 289, 2. Monebat uxores ut se meritorum ancillas existimarent, 301, 2.
Monita duodecim Tobiæ patris ad filium, 283, 1, 2 et seq. et aliorum Sanctorum moriturorum ad filios et posteros, *ibid.* item Basilii Imperatoris ad Leonem filium, 300, 1. et Raguelis ad Saram filiam, 301, 1, 2. monita D. Hieronymi ad viduam, 332, 2. monitis ducis exercitui victus crescit et animus, 547, 2.
Montibus (in) præruptis unus valet decem hostibus resistere, 323, 1, 2.
Morbo pediculari punitorum exempla, 540, 2.
Mori vel vincere nihilibus est acer stimulus ad pugnandum, 459, 1. mori in senectute bona, prospera ac pacifica extremum hujus vitæ bonum. 311, 1.
Morituri subinde divinant, 310, 1.
Mors omni loco exspectanda, 296, 2. mors gloriosa est, pugnando pro fide, lege et Deo occumbere, 428, 2; 430, 1. mors ducit ad veram vitam, 455, 1. mors est quasi longus somnus, 5 4, 2. ita vocatur maxime ob spem resurrectionis, *ibid.*
Mortificatio est quasi viva quædam mors, 562, 1, 2. est gladius sanctus, *ibid.* mortificationis gladius adhibendus dum oratioui, prædicationi, aliisque piis operibus insistitur, 319, 1.
Mortui ob scelera possunt puniri, 86, 1.
Mosen transformarunt gentiles in Minoen, 427, 2. per virgam accepit potestatem faciendi miracula, 569, 1.
Molessses rex Tunetanus coram Carolo V, humi sedens prandebat, 343, 1.
Mulier Holda consulitur in reprehensione virorum, 81, 2. mulieris cujusdam a petulante dæmone, incredibili libidine vexatæ, per S. Bernardum liberatæ exemplum, 294, 2. mulierum aspectus quam sit periculosus et perniciosus, 339, 1. mulieres Persicæ sunt cæteris pulchriores, 364, 2. — Vide Femina.
Multa paucis completi magni viri est, et ingenii, 307, 1.
Mulus, licet sterilis, tamen ardet libidine, 294, 2. mulorum alius genus in Cappadocia et Syria quod parit et procreat, *ibid.*
Mundo (in) vivant Sancti ut in exsilio, 309, 1. mundana quam sint instabilia et vana, 382, 2. mundi fallacia, *ibid.* in mundo nulla re lætandum, 398, 2. in mundo plausus sæpe vertitur in planctum, 459, 1.
Mores domus sanctæ interioris qui, 468, 1. mori cavitatis illius Ecclesiæ erant sacri, 236, 1, 2. mores urbis Jerusalem quando tempore sparsi fuerint renovandi, 214, 2. quando et quo ritu dedicati, 238, 1.

Musach sabbati est conopæum regium cui rex insidebat, dum sacris intererat, 66, 1.
Musam virginem quid nonnuerit D. Virgo, 231, 1.
Musica instrumenta mentes Sanctorum in Deum elevant, 15, 1, 2.
Myrmecoleon quale animal, 547, 2.
Myrtus est myrtus etiamsi sit inter urticas, 269, 2; 328, 1. est lucrorum pulcherrima, 328, 1. est symbolum lætitiæ et hilaritatis, *ibid.* 2.

N.

Naaman leprosus a Deo humiliatur, 25, 2. famulorum suorum pater, *ibid.* convertitur ad Deum per sanctitatem Elisæi, 26, 2. excusatur ab idololatria, 27, 1, 2. et a scandalo, *ibid.* fit fidelis non Judæus, 28, 1.
Nabo erat nomen idoli Chaldæorum, 318, 1. Nabo urbs nobilis sita in tribu Ruben, unde Nabuthæi, 459, 1.
Nabuchodonosor nomen est Babyloniorum sive Chaldæorum, 314, 2. et commune fuit regibus Chaldæorum, 317, 2. quid significat Hebraice, 318, 1. Nabuchodonosor qui misit Holofernem, quis, 314, 2; 317, 1, 2. videtur gente et origine fuisse Babylonius, 318, 1. vocatur Assyrius ut distinguatur ab altero, *ibid.* vincit Arphaxad et victoria tumet, *ibid.* non fuit Xerxes, *ibid.* 2. ejus mandata Holoferni data, 328, 1, 2. quantus fuerit ejus terror, 322, 1. Deo ac divinitati bellum indicit, ipseque vult haberi et coli ut deus, 372, 2. sed falso, 326, 2. voluit solus ut deus coli, 392, 2.
Nabuchodonosor Magnus ille Chaldæorum quando se fecerit monarcham, 314, 2. non est hic qui misit Holofernem cum exercitu, 313, 1. quo sensu dicatur Babylonem condidisse, 317, 1. voluit adorari in statua ut deus, 372, 2.
Nævius Poeta cœvus Judæ, Jonathæ et Simoni Machabæis, 405, 1.
Nanea dea Gentilium quæ, 499, 1.
Naphal est regio, provincia, 502, 1, 3.
Naphta est genus bituminis liquidi, 502, 1, 2.
Nathinæi, templi servi, qui et quales fuerint, 210, 1.
Natura hominum varietate gaudet, 567, 2.
Nazaræi sui ævi religiosi eorum alebant, ac vino et sicera abstinebant, 488, 1.
Nebo mons, ex quo Moyses moriturus vidit Terram sanctam, 504, 1. in eodem fuit deposita arca Testamenti, *ibid.*
Necessitas probat justum, 274, 2.
Nehemias ter missus fuit in Judæam a rege Persidis, 500, 1, 2. quando et missus fuerit ignis de cœlo, *ibid.* 2. cur ei præ aliis cœvis suis missio illa contigerit, *ibid.* bibliothecam exstruxit, 505, 2. Nehemiæ quinam synchroni et cœvi fuerint tam ex Prophetis quam Philosophis, etc., 202, 1, 2; 228, 1, 2. cur multi putarint Nehemiam Esdræ socium esse alium ab eo qui est auctor libri secundi Esdræ, 210, 2. verius est fuisse eumdem, *ibid.* quis hic et quotus fuerit, *ibid.* fuit pincerna Artaxerxis, *ibid.* [illegible] Christi, *ibid.*, 230, 1. ter Babylonem vel Persidem adit; ter in Jerusalem redit, licet grandævus et senex, eamque ingenti labore et zelo reædificavit, *ibid.* 2. est auctor libri secundi Esdræ, 229, 2. fuit e tribu Levi, *ibid.* 1. cur Artaxerxi fuerit tam charus, 232, 1. Deum orat ut regem sibi benevolum et postulationi suæ annuentem reddat, 233, 2. item ne pœnam imponentibus et in culpa persistentibus condonet, 238, 1. ejus in patiendo lenitas, et in animando constantia, *ibid.* 2. cur noluerit accipere annonam a civibus Jerosolymitanis quibus præerat, 241, 2. ab Artaxerxe fuit constitutus dux Jerusalem per annos duodecim, *ibid.* ejus continentia, charitas ac liberalitas in cives suos, *ibid.*; 215, 1. non manuit duodecim annis in Jerusalem, *ibid.* magnus et magnificus tam dux, *ibid.* 2. criminantur eum quod se velit regem facere, 243, 1. ejus magnanimitas, *ibid.* 2. quo pacto Deum orat ut inimicos suos castiget, *ibid.* an potuerit videre Jaddo Pontificem, 257, 2. vidit eum puerum, sed non Pontificem, *ibid.* non vidit Darium Codomannum, 258, 1.
Neomagenses cives catholici deprehendentes veteratorum quorumdam hæreticos urbe expulerunt, 438, 1.
Neomenia erat solemnitas primæ diei mensis apud Judæos, 445, 2.
Nephtali (ex) urbe prognati fuere plures Christi discipuli et Apostoli, 269, 1. in Græco vocatur Thesbe, cujusque patria Tobiæ et Eliæ, *ibid.*
Nephtar interpretatur purificatio, unde, 502, 1, 2.
Nicanor contra Judam cum copiis missus pacem cum eo init; sed monitus a rege ut Judam caperet, cæsus et capite truncatus est, 447, 2. blasphemat templum, legem et Deum, 449, 1. ejus lingua blasphema minutim concisa, *ibid.* sui et suorum strages per Judam facti quinta, 448, 2. quam vilipendat Judæus, 537, 1. quo animo erga Judam Machabæum esset, 569, 1, 2. cur susserit Judæ ut uxorem duceret, *ibid.* se Deo æquat, 559, 1, 2.
Nicomedes (S.) sepeliendo corpus S. Feliculæ Martyris coronam martyrii adeptus est, 273, 1.
Nicopolis quænam sit, et quantum distet a Jerusalem, 427, 1.
Ninive metropolis Assyriorum, 309, 1. ejus excidium prædicitur a Tobia, 310, 1, 2. sæpius fuit vastata, *ibid.* quando contigerit excidium ejus de quo Tobias, *ibid.*
Nitivitæ licet pœnitentes, timen excidium non evaserunt, cur, 310, 2.
Nisan mensis Hebræus respondet nostro martio, 548, 2.
Noadia pseudoprophetissa subornata a Sanaballat contra Nehemiam, 244, 1.
Nocere olim regebat accusativum, 331, 1.
Nomades, qui et Arabes, unde sic dicti, 552, 1.
Nomina propria in *Paralip.* differunt a nominibus quæ in aliis libris ponuntur, 95, 1. verluntur etiam in significata latina, 107, 1.
Nomina septem fratrum Machabæorum ex Josephi editione Græca, 536, 1. nomina sunt quasi omina rei naturam, virtutem aut proprietatem aliquam præsentem aut futuram significantia, 208, 1, 2. nomina mensium Hebræorum, 228, 1.
Nopaz quid proprie significet, 472, 1.
Novantibus libros Machabæorum e canone expungentibus, quid respondendum, 450, 1.
Nova caput sequitur, quam verum sit, liquet in Amano, 379, 2.
Nubes in Scriptura vocatur latibulum et quasi vestimentum Dei, 290, 1. per nubem Deus passim apparebat Moysi, et Raphael Angelus Tobiæ, *ibid.*
Numa Egeriæ se maritum jactavit, 499, 2.
Numantini in Hispania per quatuordecim annos obsessi noluerunt Romanis reconciliari, 537, 2.
Numenius legatus a Simone Machabæo ad Romanos, 459, 1, 2.
Numerus omnium filiorum Israel qui cum Jesu et Zorobabel in Jerusalem redierunt, 209, 2.
Nuph quam multa significat, 502, 2.
Nuptiæ sic peragantur ut Deus non offendatur, 300, 2. nuptiarum die ac nocte conjuges sobrietati studeant, *ibid.*

O.

Obedientia rara Estheris reginæ et imperatricis, 370, 2. obedientia Abrahæ quanti a Deo æstimata, 421, 2.
Objectiones variæ contra auctoritatem libri quarti Esdræ, 262, 2; 263, 1.
Observantia regularis potior est sanitate et vita, 420, 2.
Obsessis nil atrocius accidit quam sitis, 350, 2.

Matrimonia Judæorum cum alienigenis an sint irrita, 227, 2. ea dissolvit Esdras, cur, *ibid.* cur non sint differenda usque ad ætatem virilem, 270, 1. matrimonii bona sunt tria, et quis finis, 295, 1, 2. matrimonium Estheris cum Assvero an licitum, 369, 2.
Mauri apud Hispanos non admittuntur ad magistratus, 260, 1.
Media, sive regnum Medorum Hebraice est *Madai*, 218, 1.
Meditatio crucis et passionis Christi est finis quo ligetur dæmon ne nobis noceat, 299, 1.
Melito (S.) quomodo a matre ad martyrium incitatus, 551, 2.
Mem littera Hebraica sæpe subtilitatur pro *beth*, et contra, 218, 1.
Memnon conditor urbis Susan, 361, 1.
Mendum in libro *Paralipom.* correctum, 171, 2.
Menelaus callide Jasonem fratrum suum exclusit sacerdotio, 513, 2. emit pontificatum, licet ad eumdem inhabilis, *ibid.* amotus est a sacerdotio per fratrem suum Lysimachum, 416, 1. juridice contra eum proceditur; sed judices pecunia corrupit, *ibid.* 2. jussus est ex alta turri in cineres præcipitari, 556, 1, 2. idque justa talionis pœna, *ibid.*
Mensa (in) veteres sérios et sæpientes miscebant sermones, ne sobrietati studebant, 302, 2. mensæ panum propositionis effigies cernitur Romæ in arcu triumphali Titi, 505, 1.
Mensium Hebræorum ordo et nomina, 228, 1.
Mensuræ rerum omnium in templo a sacerdotibus asservandæ ad vitandam fraudem, 129, 2.
Mentium bonarum est timere culpam ubi non est, 276, 1. mens quæ inter peccata ita constringitur, ut sine peccata avidere nequeat, quid facere debeat, 293, 2.
Merces operariis statim danda, 286, 1.
Metlinum aiunt per dæmonem incubum esse progenitum, 294, 1.
Mesopotamia sic dicta, quia in medio duorum fluminum sita, 457, 2.
Mesoromsa des Persis est sol, 370, 1.
Metamorphoses variæ a gentibus factæ, 427, 2.
Methilus Macedonicus quum fuerit secreti sui tenax, 395, 1.
Metus justus Tobiæ senioris de hædo furtivo; et S. Satellitis de pane sibi divinitus oblato, 276, 1. metus subitus parit in militibus inconstantiam, infidelitatem, etc., 453, 1.
Mezentius athens arma sua numina fecit, 561, 1.
Michael (S.) Archangelus dedicavit ecclesiam suam in monte Gargano, 434, 1. fuit Israelis protector, 547, 1. precibus oblationibusque fidelium præest, 282, 1, 2. nomen Michael sonat idem quod *quis ut Deus*, 289, 1. olim erat protector Synagogæ, uti nunc Ecclesiæ, 347, 2.
Milites sancti Dei robore instructi facile prosternunt multos tanto robore destitutos, 426, 1. militis Chaldæi et Persæ stebantur purpura ad tegendum vulnera, 432, 1. resolutio et desperatio facit milites imperterritos, *ibid.* 2. eorum fiducia unitum valet ad victoriam, 435, 1. in acie primum locum ambiunt, cur, 433, 2. multi de castris se subtrahunt et Judam deserunt, 455, 1. impossibile est ut semper vincant et nunquam vincantur, 457, 1, 2. miles generosus optat mori in prælio, *ibid.* 2. militum Judæ charitas, 538, 1. militis parta victoria arma sua vestiebant thyrsis, 544, 1. militum animi ante certamen explorandi, et ad ardorem excitandi, 547, 2. a rapinis et criminibus abstineant, 553, 2. pacem non amant, cur, 551, 1, 2. quomodo exercitandi sunt, *ibid.* de milite generoso axioma, 455, 2. milites præpropere ad spolia diripi cunduntur, 431, 2. Militum templi origo, 434, 1. videntur fuisse Levitæ, *ibid.* 2. ad horum similitudinem instituti sunt Jerosolymitani equites, et quando, *ibid.*
Minæ Dei certæ et efficaces sunt, hominum superbo et vanæ, 353, 2.
Misericordiæ tam spiritualis quam corporalis opera, 271, 1, 2. hanc cupit Deus inesse omnibus actionibus nostris, 278, 1. quam sit homini necessaria 305, 1, 2.
Missio ignis sacri de cœlo facta Nehemiæ quando contigerit, 500, 2.
Mithra vox Persica solem significat, 337, 1, 2. Mithræus ut Deum colebant Persæ, 402, 2. est fascia byssina gemmis et bracteolis aureis tremulisque collucens, 337, 1.
Mithri dicitur a Mithes, id est major, 297, 2.
Mithridatis etymon significatio, *ibid.* Mithridates victus a Romanis aurum sparsit, objectaque gaza regis insequentes effugit, 434, 2.
Mna est quasi libra auri, 495, 2.
Moabitæ sicuti non poterant introire in Ecclesiam Dei, 259, 1, ita nequeam eorum populi Israel, nisi cum dispensatione, 350, 2
Modestia Judith devicto Holoferne, 348, 1.
Modiu vicus juxta Diospolim unde fuerunt Machabæi.
Modus quos pauci multos vincere possint, 455, 1, 485, 1.
Monachus quem sæpe nigellus puer ab oratione abducebat, virga S. Benedicti percussus, decidens in oratio manuit immobilis, 298, 2.
Monotam cudere summæ est potestatis, 489, 2.
Monica (S.) an ancilla vocata meritoria valde fuit affecta, 289, 2. Monebat uxores ut se meritorum ancillas existimarent, 301, 2.
Monita duodecim Tobiæ patris ad filium, 283, 1, 2 et seq. et aliorum Sanctorum moriturorum ad filios et posteros, *ibid.* item Basilii Imperatoris ad Leonem filium, 300, 1. et Raguelis ad Saram filiam, 301, 1, 2. monita D. Hieronymi ad viduam, 332, 2. monitis ducis exercitui victus crescit et animus, 547, 2.
Montibus (in) præruptis unus valet decem hostibus resistere, 323, 1, 2.
Morbo pediculari punitorum exempla, 540, 2.
Mori vel vincere nihilibus est acer stimulus ad pugnandum, 459, 1. mori in senectute bona, prospera ac pacifica extremum hujus vitæ bonum. 311, 1.
Morituri subinde divinant, 310, 1.
Mors omni loco exspectanda, 296, 2. mors gloriosa est, pugnando pro fide, lege et Deo occumbere, 428, 2; 430, 1. mors ducit ad veram vitam, 455, 1. mors est quasi longus somnus, 5 4, 2. ita vocatur maxime ob spem resurrectionis, *ibid.*
Mortificatio est quasi viva quædam mors, 562, 1, 2. est gladius sanctus, *ibid.* mortificationis gladius adhibendus dum oratioui, prædicationi, aliisque piis operibus insistitur, 319, 1.
Mortui ob scelera possunt puniri, 86, 1.
Mosen transformarunt gentiles in Minoen, 427, 2. per virgam accepit potestatem faciendi miracula, 569, 1.
Molessses rex Tunetanus coram Carolo V, humi sedens prandebat, 343, 1.
Mulier Holda consulitur in reprehensione virorum, 81, 2. mulieris cujusdam a petulante dæmone, incredibili libidine vexatæ, per S. Bernardum liberatæ exemplum, 294, 2. mulierum aspectus quam sit periculosus et perniciosus, 339, 1. mulieres Persicæ sunt cæteris pulchriores, 364, 2. — Vide Femina.
Multa paucis completi magni viri est, et ingenii, 307, 1.
Mulus, licet sterilis, tamen ardet libidine, 294, 2. mulorum alius genus in Cappadocia et Syria quod parit et procreat, *ibid.*
Mundo (in) vivant Sancti ut in exsilio, 309, 1. mundana quam sint instabilia et vana, 382, 2. mundi fallacia, *ibid.* in mundo nulla re lætandum, 398, 2. in mundo plausus sæpe vertitur in planctum, 459, 1.
Mores domus sanctæ interioris qui, 468, 1. mori cavitatis illius Ecclesiæ erant sacri, 236, 1, 2. mores urbis Jerusalem quando tempore sparsi fuerint renovandi, 214, 2. quando et quo ritu dedicati, 238, 1.

Musach sabbati est conopæum regium cui rex insidebat, dum sacris intererat, 66, 1.
Musam virginem quid nonnuerit D. Virgo, 231, 1.
Musica instrumenta mentes Sanctorum in Deum elevant, 15, 1, 2.
Myrmecoleon quale animal, 547, 2.
Myrtus est myrtus etiamsi sit inter urticas, 269, 2; 328, 1. est lucrorum pulcherrima, 328, 1. est symbolum lætitiæ et hilaritatis, *ibid.* 2.

N.

Naaman leprosus a Deo humiliatur, 25, 2. famulorum suorum pater, *ibid.* convertitur ad Deum per sanctitatem Elisæi, 26, 2. excusatur ab idololatria, 27, 1, 2. et a scandalo, *ibid.* fit fidelis non Judæus, 28, 1.
Nabo erat nomen idoli Chaldæorum, 318, 1. Nabo urbs nobilis sita in tribu Ruben, unde Nabuthæi, 459, 1.
Nabuchodonosor nomen est Babyloniorum sive Chaldæorum, 314, 2. et commune fuit regibus Chaldæorum, 317, 2. quid significat Hebraice, 318, 1. Nabuchodonosor qui misit Holofernem, quis, 314, 2; 317, 1, 2. videtur gente et origine fuisse Babylonius, 318, 1. vocatur Assyrius ut distinguatur ab altero, *ibid.* vincit Arphaxad et victoria tumet, *ibid.* non fuit Xerxes, *ibid.* 2. ejus mandata Holoferni data, 328, 1, 2. quantus fuerit ejus terror, 322, 1. Deo ac divinitati bellum indicit, ipseque vult haberi et coli ut deus, 372, 2. sed falso, 326, 2. voluit solus ut deus coli, 392, 2.
Nabuchodonosor Magnus ille Chaldæorum quando se fecerit monarcham, 314, 2. non est hic qui misit Holofernem cum exercitu, 313, 1. quo sensu dicatur Babylonem condidisse, 317, 1. voluit adorari in statua ut deus, 372, 2.
Nævius Poeta cœvus Judæ, Jonathæ et Simoni Machabæis, 405, 1.
Nanea dea Gentilium quæ, 499, 1.
Naphal est regio, provincia, 502, 1, 3.
Naphta est genus bituminis liquidi, 502, 1, 2.
Nathinæi, templi servi, qui et quales fuerint, 210, 1.
Natura hominum varietate gaudet, 567, 2.
Nazaræi sui ævi religiosi eorum alebant, ac vino et sicera abstinebant, 488, 1.
Nebo mons, ex quo Moyses moriturus vidit Terram sanctam, 504, 1. in eodem fuit deposita arca Testamenti, *ibid.*
Necessitas probat justum, 274, 2.
Nehemias ter missus fuit in Judæam a rege Persidis, 500, 1, 2. quando et missus fuerit ignis de cœlo, *ibid.* 2. cur ei præ aliis cœvis suis missio illa contigerit, *ibid.* bibliothecam exstruxit, 505, 2. Nehemiæ quinam synchroni et cœvi fuerint tam ex Prophetis quam Philosophis, etc., 202, 1, 2; 228, 1, 2. cur multi putarint Nehemiam Esdræ socium esse alium ab eo qui est auctor libri secundi Esdræ, 210, 2. verius est fuisse eumdem, *ibid.* quis hic et quotus fuerit, *ibid.* fuit pincerna Artaxerxis, *ibid.* [illegible] Christi, *ibid.*, 230, 1. ter Babylonem vel Persidem adit; ter in Jerusalem redit, licet grandævus et senex, eamque ingenti labore et zelo reædificavit, *ibid.* 2. est auctor libri secundi Esdræ, 229, 2. fuit e tribu Levi, *ibid.* 1. cur Artaxerxi fuerit tam charus, 232, 1. Deum orat ut regem sibi benevolum et postulationi suæ annuentem reddat, 233, 2. item ne pœnam imponentibus et in culpa persistentibus condonet, 238, 1. ejus in patiendo lenitas, et in animando constantia, *ibid.* 2. cur noluerit accipere annonam a civibus Jerosolymitanis quibus præerat, 241, 2. ab Artaxerxe fuit constitutus dux Jerusalem per annos duodecim, *ibid.* ejus continentia, charitas ac liberalitas in cives suos, *ibid.*; 215, 1. non manuit duodecim annis in Jerusalem, *ibid.* magnus et magnificus tam dux, *ibid.* 2. criminantur eum quod se velit regem facere, 243, 1. ejus magnanimitas, *ibid.* 2. quo pacto Deum orat ut inimicos suos castiget, *ibid.* an potuerit videre Jaddo Pontificem, 257, 2. vidit eum puerum, sed non Pontificem, *ibid.* non vidit Darium Codomannum, 258, 1.
Neomagenses cives catholici deprehendentes veteratorum quorumdam hæreticos urbe expulerunt, 438, 1.
Neomenia erat solemnitas primæ diei mensis apud Judæos, 445, 2.
Nephtali (ex) urbe prognati fuere plures Christi discipuli et Apostoli, 269, 1. in Græco vocatur Thesbe, cujusque patria Tobiæ et Eliæ, *ibid.*
Nephtar interpretatur purificatio, unde, 502, 1, 2.
Nicanor contra Judam cum copiis missus pacem cum eo init; sed monitus a rege ut Judam caperet, cæsus et capite truncatus est, 447, 2. blasphemat templum, legem et Deum, 449, 1. ejus lingua blasphema minutim concisa, *ibid.* sui et suorum strages per Judam facti quinta, 448, 2. quam vilipendat Judæus, 537, 1. quo animo erga Judam Machabæum esset, 569, 1, 2. cur susserit Judæ ut uxorem duceret, *ibid.* se Deo æquat, 559, 1, 2.
Nicomedes (S.) sepeliendo corpus S. Feliculæ Martyris coronam martyrii adeptus est, 273, 1.
Nicopolis quænam sit, et quantum distet a Jerusalem, 427, 1.
Ninive metropolis Assyriorum, 309, 1. ejus excidium prædicitur a Tobia, 310, 1, 2. sæpius fuit vastata, *ibid.* quando contigerit excidium ejus de quo Tobias, *ibid.*
Nitivitæ licet pœnitentes, timen excidium non evaserunt, cur, 310, 2.
Nisan mensis Hebræus respondet nostro martio, 548, 2.
Noadia pseudoprophetissa subornata a Sanaballat contra Nehemiam, 244, 1.
Nocere olim regebat accusativum, 331, 1.
Nomades, qui et Arabes, unde sic dicti, 552, 1.
Nomina propria in *Paralip.* differunt a nominibus quæ in aliis libris ponuntur, 95, 1. verluntur etiam in significata latina, 107, 1.
Nomina septem fratrum Machabæorum ex Josephi editione Græca, 536, 1. nomina sunt quasi omina rei naturam, virtutem aut proprietatem aliquam præsentem aut futuram significantia, 208, 1, 2. nomina mensium Hebræorum, 228, 1.
Nopaz quid proprie significet, 472, 1.
Novantibus libros Machabæorum e canone expungentibus, quid respondendum, 450, 1.
Nova caput sequitur, quam verum sit, liquet in Amano, 379, 2.
Nubes in Scriptura vocatur latibulum et quasi vestimentum Dei, 290, 1. per nubem Deus passim apparebat Moysi, et Raphael Angelus Tobiæ, *ibid.*
Numa Egeriæ se maritum jactavit, 499, 2.
Numantini in Hispania per quatuordecim annos obsessi noluerunt Romanis reconciliari, 537, 2.
Numenius legatus a Simone Machabæo ad Romanos, 459, 1, 2.
Numerus omnium filiorum Israel qui cum Jesu et Zorobabel in Jerusalem redierunt, 209, 2.
Nuph quam multa significat, 502, 2.
Nuptiæ sic peragantur ut Deus non offendatur, 300, 2. nuptiarum die ac nocte conjuges sobrietati studeant, *ibid.*

O.

Obedientia rara Estheris reginæ et imperatricis, 370, 2. obedientia Abrahæ quanti a Deo æstimata, 421, 2.
Objectiones variæ contra auctoritatem libri quarti Esdræ, 262, 2; 263, 1.
Observantia regularis potior est sanitate et vita, 420, 2.
Obsessis nil atrocius accidit quam sitis, 350, 2.

Obstetrices mentientes acceperunt a Deo domos, sed non propter mendacium, 285, 2.
Occidere seipsum quam ob causam liceat, ob quam non, 561, 1, 2. longe hoc est difficilius quam alcem ab alio 561, 2. illatam sustinere,
Occisores sui ipsius aliquot laudantur, excusantur alii, 561, 1, 2.
Ochozias rex Israel cadit, 2, 1. ejus lapsus significat lapsum hæreticorum, ibid. percutitur morte ob consultum dæmonem, 2, 2.
Oculus benignus gratiæ et favoris signum est et symbolum, 217, 1. oculos quomodo Deo Scriptura sacra attribuat, ibid. 1, 2. ad oculorum caliginem dispellendam valet cinis cum melle; item fel et stercus fricatum, 274, 1.
Odares unus e ducibus Bucchidis a Jonatha Machabæo cæsus, 461, 1.
Œconomis in aula regia prima dignitas, 270, 2.
Ogygis diluvium pro diluvio Noæ, 427, 2.
Olea symbolum est pacis, 560, 1.
Oleum (per) benedictum sancti Anachoretæ olim expellebant dæmones, 298, 1.
Olla in qua elixabantur carnes martyrum, qualis, 527, 1.
Olla in qua elixabantur carnes martyrum, qualis, 527, 1.
Olympiadum initium, 62, 1. omnes historiæ ante Olympiades incertæ, ibid.
Olympius Jupiter. — Vide in verbo Jupiter.
Onias tertius cognomento Sanctus interfectus est anno quinto Antiochi, 418, 1. immediate ante Mathathiam pontificatum cessit, 509, 1.
Onias junior profugiens Heliopolim ibi factus est pontifex novi templi, 518, 1; 509, 1.
Onion templum, ante sic dictum, 518, 1.
Onyx describitur, 180, 2.
Orantes qua de causa soleant scharis contendere, 197, 1.
Orare pro defunctis pium est et utile, 651, 2.
Oratio Jonchæ regis Israel exauditur pro salute Israel danda, non sui, sed filii tempore, 55, 1. orationis communis utilitas, 168, 1.
Oratio armata jejunio quam potens apud Deum, 323, 1, 2. orationi aliisque pis operibus dum insudamus, altera manu gladius mortificationis tenendus, 239, 1. oratio justi clavis est cœli, 2, 2. 1. orationis fructus, 220, 2. ab oratione dæmon abducit monachum, 298, 2. oratio est fumis quo figitur dæmon ne nobis noceat, 299, 1. oratio nostra aliquid potest apud Patrem, cur, 305, 1. solvit debitum Deo, ibid. debet armari duabus alis eleemosynæ et jejunii, ibid. et 2. orationis et pœnitentiæ publicæ vis ac usus, 325, 1. longius vulnerat quam sagitta, ibid. 2. oratio Judith Holofernem prostravit, 334, 2. oratio et constantiam obtinet, debet armari pœnitentia, labore et mortificatione carnis, ibid. oratio Estheris et Mardochæi quanta fuit efficacia, 385, 2.
Ordo in docendo servandus, 221, 1, 2. ordinem doctori olim pro stipendio datantur quatuor oboli, 436, 2.
Ornatus mulierum viris est periculosus et pernicious, 339, 1. ornatus mulieres sunt studiosæ, 359, 2. ornatus illius quem rex honorare voluisset, qualis, 379, 2.
Oron mons quantum distet ab Ecbatana, 317, 1.
Orontes fluvius interfluit Antiochiam, 444, 2.
Orthonias urbs in quam fugit Typhon quæ, et ubi sita, 490, 2. hanc Antiochus Sidetes deditione cepit ac in ea Typhonem interfecit, 491, 1.
Os mensuram denotat, cur, 234, 2. ab ore usque ad os impleri quid sit, ibid.
Ose rex Israel permittit suos subditos ire ad templum Jerosolymitanum, 69, 1.
Otio dediti regno privantur, 472, 2.
Ottomanni nunc sunt flagellum Dei, 421, 2.
Ovum significat spem et fiducium, 303, 1.

P.

Pacem cum Nicanore fecit Judas Machabæus, 447, 2. et cum Romanis, 452, 1, 2. et Jonathas cum Bacchide, 461, 2. Simon cum Spartiatis, 485, 2. pacem petunt Judææ contulit Simon Machabæus, 486, 2. pacem fecit Lysias cum Judæis, 557, 2. et Nicanor cum Juda, 560, 1. pax Hebræis omne beneficium omnesque bonum significat, 452, 1.
Pacis Judæorum cum Romanis initia, 452, 1, 2.
Palæstinam (in) pro recuperanda Terra sancta quinam expeditionem susceperint, 365, 2.
Palathæ sunt massæ carnearum seu ficuum aridarum, 338, 1.
Palma natura sua sursum nititur contra deprimentis nisum, 481, 2.
Pannes sepulcris olim imponi solebant, cur, 286, 1. ii in Hispania etiamnum offerantur in sepultura, ibid. 2. olim per panem benedictum Sancti dæmone liberabant energumenos, 298, 1.
Panorini Philosophus convus Judæ alisque Machabæis, 465, 1.
Panico tumultu Syri solvunt obsidionem Samariæ, 36, 1, 2. Paralipomenon libri continent acta regum Juda non Israel, 29, 1. auctor librorum Esdræ, ibid. et 2. aliquos præcipuos auctoris Paralip. ibid. not. mendum in iis correctum, 171, 2.
Paradisus est quasi alter sol, 395, 1.
Parentandi ritus more veteri ferendo epulas ad sepulcra martyrum sublatus, cur, 286, 2.
Parentes qui filios Deum timere docuere, 270, 2. parentes ægri honorandi, 284, 1. quales filios educare debeant, 295, 2. parentum laus et honor, est filiorum, 299, 1. eptent filios post se relinquere, quare, 301, 1.
Parius est marmor candidum et insula Paro, 362, 2.
Parricidiorum aliquot exempla ob incestum Cleopatræ, 488, 2.
Parthenium quale numen, 361, 2.
Parthenopææ feminis convivia et virorum aspectum interdicunt, 363, 1.
Passer subinde pro quolibet ave ponitur, 273, 2.
Passiones animi consilio et patientia debellandæ, 450, 2. passionis Christi seria meditatio est fumus quo figitur dæmon ne nobis noceat, 299, 1. passio animi per sympathiam redundat in corpus, 277, 1, 2.
Pastophoria erant cubicula sacerdotum annexa templo, 422, 2.
Pastores seduli curent salutem Ecclesiæ et animarum exemplo Christi et Nehemiæ, 230, 2.
Pater familias erat sacerdos in ordine ad immolationem agni paschalis, 185, 2.
Pathar Hebraice, Chaldaice, etc., quid significet, 562, 1, 2.
Patientiæ exempla duo sunt Tobiæ et Job, 275, 1. patientiæ actus heroicus est in adversis Deo gratias agere, ibid. ejus præmium est et coronis ut novam passionem provocet, 276, 1. patientiam probat tentatio et tribulatio, 305, 2.
Patria voce loqui quomodo intelligendum, 531, 1.
Paucis multa complecti magni viri et profundi ingenii, 597, 1.
Pauli Fagii Lutherani error, dicentis librum Tobiæ non esse veram historiam, 265, 2.
Paulus (S.) Apostolus fuit Azarias, 200, 1.
Pauperes quomodo juvandi, 284, 2. in pauperes quæ conferuntur non perennt danti, ibid. in pauperes olim ad æpen convocatos quid erogaretur, 286, 1, 2. pauperes in quo se solari queant, 287, 2.
Parimenta (in) prandebant et cænabant Persæ, 362, 2.
Paxillum (per) intelligitur modica firmitas, symbolice principes et magistratus e gente Judaica, 234, 1, 2.
Peccatum Ochoziæ morte punitum, 2, 2. peccatum duorum quinquagenariorum ignis de cœlo punitum, 4, 1, 2. peccatum puerorum exprobrantium Elisæo calvitiem, 19, 2. idololatria regum Israel, 15, 2. peccatum Giezi lepra, 29, 1, 2. schisma Samariæ fame, 34, 1. incredulitas ducis in Samaria morte, 36, 1, 2. peccata Benadad regis Syriæ morte, 38, 1, 2. Achabi morte filiorum, 45, 1. idque congrue in cophinis ad exemplum aliorum, ibid. Jezabellis peccata 43, 2. Athaliæ parricidia et ambitio, 50, 1. Joas regis Juda peccata, 53, 1, 2. Joas regis Israel, 55, 1. Amasiæ idololatria, 58, 1. confidentia in homine regis Achaz, 65, 1. idololatria tribus Juda, 73, 2. et perfidia Sennacherib, ibid. annua præfidentia, 89, 1, 2. peccatum Joas regis Juda gravissime punitur, 175, 1, 2. blasphemia Sennacherib, 189, 1, 2. inobedientia Josiæ, 195, 2.
Peccata nostra Deus punit citra condignum, 278, 1. peccata abundant ubi aridet libido, 280, 1. nulla sunt, nec fuerunt, nec esse poterunt sine superbia, 285, 2. inter peccata ita constructo ut nullus omnino sine peccato evadendi aditus pateat, quid agendum, 293, 2. ob peccata urbes et regna pereunt, 326, 1. peccatum non est peccata superandum, sed virtute, 360, 2.
Peccatorum preces parum valent apud Deum, 298, 2. cum iis non conversandum, ibid. peccatoribus Dei vindicta imminet, 326, 1. peccatores subinde castigat Deus per Angelos bonos, 511, 1.
Pecuniæ summa 2100 millionum a David Salomoni relicta ad templum ædificandum, 127, 1, 2. cui Salomon multa addidit, 128, 2.
Pecuniæ aufert corruptæ, 516, 2.
Pedicularis morbus. — Vide Phthiriasis.
Pedibi pro stipendio olim dabantur duo oboli, 436, 2.
Pelagiæ (S.) ex cuno matre et sorore in flumen injicientis elogium, 348, 1. S. Pelagiæ virginis ac meretricis cum pœnitent dispositum factum memorabile, ibid.
Pelæus jactavit se maritum Thetidis, 490, 1.
Peloponnesiorum ad conflictum, quid uxori ut vitæ suæ exteret obsecrasti, respondent, 457, 1.
Penitentiæ (in) præcipue vacandum est operibus charitatis, cur, 272, 1.
Penuria sæpius quam pugna consumit exercitum, 533, 2.
Peregrinis olim ab Hebræis aliisque gentibus mutatum nomen proprium in aliud gentis cui inserebantur, 208, 1, 2. peregrinus ab hostibus invasus per S. Raphaelem liberatus, 284, 2. peregrini ante quam peregrinentur, et post edent templum, Deumque invocent exemplo Tobiæ et aliorum, 303, 1.
Perfectus est qui in adversis Deo gratias agit, 274, 2.
Perillus in bovem æneum quem Phalaridi suggesserat, primus injectus fuit, 589, 2.
Persæ solum ut numen suum colebant, 203, 2. terram et aquam a se subjugatis petebant in signum servitii, 529, 2. fodinam apud eos habebant feminam aliquam intactam relinquit, 343, 2. etiam matribus et filiabus parcebantur, ibid. peculium earum aiunt, 345, 2. Persarum principes quam essent gravitatis et majestatis amantes, 358, 1, 2. prandebant et cænabant in pavimento, 362, 2. principum Persarum frugalitas, ibid. apud eos lege cautum erat ne ampliorem ad convivia importarentur, 363, 1. ipsarum legos permittebant regem semel in anno metiari, 364, 2. Persicæ mulieres sunt ceteris pulchriores, ibid. Persæ sorores suas ducebant in uxores, ibid. aiunt in uxores feri, 365, 2. solebant aliquando, cum in urbem vel aciem accurrerentur, mutare nomina, 368, 2. Ipsis ascribitur unguenti et ungendi usus, 369, 2. Persicæ mulieres plus æquo sunt ornatus studiosæ, ibid. nefas est apud Persas regem in convivio quidquam abnuere, 377, 2. egregium eorum institutum de excitando rege ad negotia regni invigilandum, 379, 1. exacte in annalibus et diariis conignabant beneficia in reges suos collata, ibid. Persarum regum series, 202, 203. habebant ceptum summos principes et consiliarios, 234, 2. eorum pietas, ibid. habebant vinum e Syria advectum, 238, 2. mira eorum superstitio de non bibenda alia aqua quam ex Choaspe fluvio, 239, 1. hyemem transigunt Babylone, ver Susis, æstatem Ecbatanis, 361, 1. ante cibum de modestia, ante potum de temperantia disputabant, 252, 2. sub specie majestatis regis persona occultine, 305, 1, 2. reges Persarum voluerunt adorari ut dii, 372, 2; 379, 2. quidam ex iisdem ministris appellabantur regis aures et oculi, ibid. regis litteræ et decreta erant irrevocabilia, 384, 1. magnum imo divinum majestatem pro se ferebant, 400, 2. annulo donari a rege signum erat amicitiæ, 384, 1. Persarum regum aurum voluerunt sibi esse proprium, 479, 2. quinado singulis suis uxoribus civitates attribuerunt, 516, 1. Persæ milites utebantur purpura partim ad ornatum, partim ad tegendum vulnera, 532, 1. Persæ igneum colebant ut deum, 503, 1. plura templa igni extruxerunt, ibid.
Persepolis eadem est civitas quæ Elam sive Elymais, 540, 1.
Persicus Mercelonum rex a Romanis in triumphum ductus, 450, 2.
Petasus diversa significat, 514, 1.
Petroselinum unde sic dictum, 363, 1. melius nascitur inter petras, ibid.
Petrus (S.) sibi ecclesiam dedicavit Londini in Anglia, 428, 1.
Phœnix fuit nomen commune Ægyptiorum, 214, 1.
Phathohia jurisperitus constitutus ab Artaxerxe ut cum Nehemia causas litesque populi dijudicaret, 265, 2.
Philippi II Hispaniarum regis regia gravitas percellebat accedentes ad eum, 399, 2.
Philippi patris Alexandri Magni, de duce belli sententia, 488, 1, 2.
Philippus Pulcher rex Franciæ unde sic cognominatus, 368, 1. Philippo Pulchro Franciæ rege instigante, extincti sunt Templarii, 434, 2.
Philonis error dicentis stirpem Salomonis defecisse in Ochozia, 50, 1.
Philosophi coævi Judæ et Simoni Machabæis, 465, 2. plurimi, qui audita Alexandri Magni morte ad fumos accurrerant, gnomæ, 488, 1.
Phthiriasis, sive morbi pediculoris causa et effectus, 549, 1. quinam ea puniti, ibid.
Phul cum Arbace capit Niniven et dividit monarchiam Assyriorum, 62, 2. vocatur in auxilium a Manahem, ibid.
Phur an sit vox Hebræa, an Persica, 236, 2. idem est quod sors, a qua dictum est festum Phurim, ibid. et 2.
Phurim dies Persis fuere Judæis dies phurium, 387, 2. mystice anni dies passionis Christi, et dies judicii, 388, 1.
Pietas Judæ Machabæi, 431, 1. pietas regum gentilium, 227, 2. et primorum Christianorum, 228, 2. item Judithæ, 348, 1. et Estheris, 375, 1.
Pigmenta (S.) in cæcitate Deo gratias agit, 274, 2.
Pii V Pontificis laus, 162, 2. qui aliquando principes frustrantur eventu, quia impiorum opera stimulat, 169, 2.
Pii in adversis consiliis excitantur et roborantur, si cogitent Deum delectari nostra fortitudine et gaudio in adversis, 258, 2.
Piscium porta Jerusalem quare sic appellaretur, 237, 1. piscis Tobiæ quis, 291, 2; 292, 1. pisces amant aquam dulcem, adeoque in fluviis sæpe reperiuntur marini,

292, 2. piscis per Tobiam occisus diabolum significat, 299, 1. et Christum, *ibid.*; 303, 2.
Plato quid censuerit de anima in morte corporis, 319, 1.
Plautus sæpe vertitur in planctum in hoc mundo, 449, 1.
Plautus poeta coævus Judæ, Jonathæ et Simoni Machabæis, 465, 2.
Pœnitentia etiam non stabili placatur Deus, 155, 2.
Pœnitentiæ definitio, 237, 1. includit spem remissionis peccati, *ibid.* seria Deum laudat et glorificat, 228, 1. pœnitentiæ publicæ vis et usus, 324, 1. pœnitentia Judith qualis, 332, 2.
Pœnitentes, quia ficti, non exauditi, 511, 1, 2. pœnitentium qualis debeat esse tensus et cordis, pudor et contritio, 225, 1, 2. non pœnitet qui non habet spem veniæ, 227, 1. pœnitentia tria symbola, 251, 1.
Poetarum de Titanibus fabulæ, 354, 1, 2. item de sole, 391, 1. poetæ coævi Judæ et Jonathæ Machabæis, 465, 2.
Polenta est farina hordeacea, 338, 1.
Pollex, digitus sic dictus quod cæteris virtute polleat, 482, 1. eo elevato vel suppresso, solebant prisci victoriam alicui annuere vel ebonere, *ibid.*
Polluto templo per necem Zachariæ, desinunt oracula, 175, 2.
Polygamia olim apud reges usitata; etiammum Turcis, Arabibus, Indis familiaris est, 370, 2.
Pompeius quomodo Judæam Romanis subjecerit, 452, 2. ejus tessera belli, quæ, 538, 1.
Pontificatus Judæorum deficientibus legitimis hæredibus devolutus est ad Mathathiam, 317, 1, 2.
Pontifices erant 24, sive Principes sacerdotum quibus unus summus Pontifex præerat, 131, 1, 2.
Pontifices in lege veteri erant milites, 425, 1, 2.
Popilius (P.) legatus Romanus cur ad Antiochum Epiphanem missus, 414, 2.
Populus nil ita ad seditionem concitat ac legum patriarum et religionis avitæ eversio, 427, 1. populus fidelis et pius vilipenditur ubi sacerdotes vilipenduntur, 428, 1.
Porcinam carnem edere recusantes excarnificantur, 523, 1, 2. eam edere in lege veteri fuit set peccatum mortale, *ibid.*
Porta vallis duplex fuit in Jerusalem, 234, 1, 2. erant in ea portæ duodecim, 236, 2. portæ gentibus erant sacræ, *ibid.* 1. portæ, quod per eas onera importentur et exportentur, sic dictæ, 261, 1. aliud etymon, *ibid.*
Portenta in aere per angelos effecta tempore Antiochi Epiphanis, 518, 1, 2. item cum Titus obsideret Jerosolymam, et Longobardi invaderent Italiam, *ibid.* item in Belgio quid portenderint, 519, 1. an fiant naturaliter, *ibid.*
Posidonius Philosophus coævus Judæ aliisque Machabæis, 465, 2.
Potestates angelicæ imperium suum in dæmones exercent, 282, 2.
Præceptum militare est confligere cum hoste in terra hostili, 477, 1.
Prædestinationi dum insistitur, altera manu gladius mortificationis tenendus, cur, 239, 1.
Prælatio quid in Christo et Nehemia imitandum sit, 230, 2.
Prælium est res periculosissima, 457, 2.
Præputii reductio cujus rei symbolum, 414, 1.
Præsidia (post) divina, adhibenda quoque sunt humana, 428, 2.
Præsumptio sui ipsius nocua, 328, 1.
Prævaricari in Scriptura est rebellare et rebellionem concitare, 474, 1.
Presbyter vocatur senior, sive sacerdos, sive laicus, 328, 1.
Priscilla Mardochæi, festum apud Judæos, 448, 2.
Primitiæ martyrum novi Testamenti fuit S. Stephanus; veteris Eleazarus, 524, 1, 2.
Principes patrum sunt principes familiarum, 207, 2. principes salutem Ecclesiæ sedulo curant, 237, 1. animum suum nemini, aut paucis aperiant, 505, 1. populus sibi commissos circumeant et visitent, exemplo Eliachim, 234, 2. principibus Assyriorum solebat præferri ignis, 392, 1, 2. principes noctu vigilent, exemplo Assueri, 379, 1. magnorum potentiam et insolentiam non metuant, exemplo Estheris, 381, 2. accusatoribus non facile credant, 401, 1. princeps bonus subditos amat quasi filios, 443, 1. eis fidat potius quam externis, exemplo Alexandri Magni, 473, 1.
8, 1, 2.
Principium officii, 473, 1.
Privilegia tria quæ Tobias senior accepit a Salmanasar rege, 270, 2.
Probi cur affligantur, 305, 2; 306, 1.
Proci rivales sæpe se mutuo occidunt, 294, 2.
Proficiscentes in Terram sanctam cur cruce insigniantur, 565, 2.
Prophetæ habentur insani ab idololatris, 42, 1.
Prophetarum ultimi fuerunt Zacharias et Malachias; nulli fuerunt tempore Machabæorum, 433, 1.
Prophetiæ donum majus est conscribere sacros libros ex Deo quam futura prædicere, 201, 1.
Proseuchæ erat locus orationis et concionis apud Judæos, 328, 2; 330, 2.
Prostratio signum est humilitatis, cur, 335, 1.
Providentia Dei quomodo Israeli consulnerit, 493, 1. providentia est prima dos regis ad rite gubernandum, 216, 1. providentia divina erga Judæos in templi restauratione; 217, 1. item erga Tobiam et Saram, 278, 2. et erga Tobiam patrem fugientem excidium Ninives, 311, 1. providentia Dei erga Estherem, 390, 1, 2; 391, 1.
Provinciæ filii quinam dicerentur, 220, 1. per Provinciam olim intelligebatur Babylonia, sicut nunc per Urbem, Roma,
Proximo non faciendum quod tibi fieri nolles, 236, 1.
Prudentiæ propriæ non innitendum, 287, 1. prudentia belliea Judithæ, 349, 1, 2. prudentia est prima dos regis ad rite gubernandum, 216, 1. prudentia militaris in cohibendo milite a spoliis, 431, 2.
Psalmus nonus et quadragesimus tertius quando compositi. 118, 1. non omnes psalmos composuit David, sed Asaph etiam aliquos, 184, 2.
Ptolemæo (a) Lagi rege Ægypti cæteri vocati sunt Ptolemæi, 393, 1.
Ptolemæorum qui post Alexandrum Magnum in Ægypto regnarunt series, 407, 1, 2.
Ptolemæus Abobi dux in campo Jericho, occisor Simonis Machabæi, 492, 1, 2.
Ptolemæus Macer, quis: cur dignitate sua et vita spoliatur, 544, 1, 2.
Ptolemæus Philometor rex Ægypti, Syriam Alexandro eripere sibi eripere satagit, 471, 1. sed justo Dei judicio amisit Ægyptum, *ibid.* 2. ejus etymon, *ibid.*
Ptolemæus Philadelphus e Judæa septuaginta Interpretes evocavit, 565, 2.
Ptolemæus Philopator quis, et unde ita cognominatus, *ibid.*
Ptolemæus Physcon vel Evergetes crudelis et incestus, 489, 2. dicebatur frater et maritus, et gener Cleopatræ, *ibid.* corpus filii sui in membra divisum matri inter epulas misit, *ibid.* fratri inhiberi defuncto in regno successit, 30, 1.
Ptolemenses indigne ferentes Antiochum Eupatoris cum Juda pacem iniisse sedat Lysias, 557, 2. erant Judæorum hostes, *ibid.*
Publicitas a gentilibus matronis morti prælata, 322, 2. et a virginibus Christianis, 337, 2. pœnitentia cum similine duellans depicta, 231, 2; 352, 1.
Puella pro castitate servanda quantum sobrietati studere debeant, 338, 2.
Puerilis papiliones insequentibus comparantur appetentes honorem hujus mundi, 378, 1. pueri et puellæ quadam

tormentorum acerbitate et varietate superarunt martyres viros, 533, 1, 2.
Puerilia sit senilis, senectus puerilis, 269, 2.
Pugna cum resolutis et desperatis periculosissima, 422, 1.
Pulchritudo Judithæ Holofernem excitavit ad luxuriam: B. Virginis, eam inhantes ad castitatem, 346, 1.
Pullæ hirundinum versantes inter parentum stercora nocturno helidonia, 273, 2.
Pulsus campanæ ab Ecclesia benedictæ quomodo fugat dæmones procellas excitantes, 298, 1.
Purgatio templi per Judam Machabæum facta, 495, 533, 497, 1. contigit ante mortem Antiochi Epiphanis, 541, 1, 2.
Purgatorium credidit Judas Machabæus et Judæi tam priscí quam moderni, 554, 2. idem astruitur, *ibid.*; 287, 2. ab ejus cruciatibus liberat sacrificium, 554, 2; 555, 1. in purgatorio existentes animæ an invocandæ, 564, 2.
Purificatio apud veteres fiebat per sulphur et ignem, 502, 2.
Puritas est comes veræ religionis, 414, 1. puritas Saræ Raguelis filiæ, 281, 1. puritas corporis admonet puritatis animæ, 343, 1.
Purpura marina fit ex succo conchillorum marinorum, 432, 1. ex qua fit ex violis allisque herbis pallet, *ibid.* purpura Tyria est ardens et quasi ignea, *ibid.* purpura apud Romanos, alia erat consularis, alia regia, 481, 2.
Puppis versis dicebantur templa igni extructa, 507, 1.
Pyrrhus rex, primus contra Romanos in Lucania elephantes eduxit, 442, 2.

Q.

Quadrati geometrici omnia latera sunt æqualia, 317, 1.
Quia aliquando sumitur ut sit particula redundans; aliquando pro *tamen*, 295, 1.

R.

Ra, id est malum, tam pravitatem et malitiam, quam tristitiam et afflictionem significat, 228, 1.
Rabbinorum de Vasthi obscena commenta, 364, 2. item de Aman, 372, 1; 378, 2; 380, 2.
Reges civitas metropolis ac regia Mediorum, 278, 2. ubi sita, 289, 1. an iterum duæ civitates appellate eodem nomine, 300, 1. quid significet Græce et Hebraice, *ibid.*
Ragael pater Saræ laudatus quod vitia filiæ suæ eam patienti non celarit, 296, 2.
Raphael Angelus, quis et qualis: ejus etymon, 281, 1, 2. est Dei medentis virariæ et minister curationis, *ibid.* de eo est Missa pro ægrotantibus et peregrinantibus in Romano Missali, *ibid.* mystice est Jesus Christus, 282, 1. ex qua hierarchia sit, *ibid.* est præses agrorum et liberorum, *ibid.* 2. non fuit custos Tobiæ, *ibid.* est præses castitatis et castorum tutelaris, *ibid.* et 347, 2. item viarum et viatorum, 288, 1, 2. mullis se vice ducem obtulit, *ibid.* quo sensu sit Israelita, *ibid.* et 289, 1. mira ejus dignatio ac demissio, *ibid.* an dicendus se esse Azariam Ananiæ Magni filium verum dicat, *ibid.* 2. fuit typus Christi et Apostolorum, 290, 1. est rex Angelorum, et propheta, *ibid.* 2. cur vocarit se Azariam, se cum Tobia comederit et biberit, 293, 1. ipse fugavit Æmonem non solum ex domo Raguelis, sed ex tota Media, *ibid.* an recte potuisset se vocare Nephtalitam, 296, 1. quomodo religarit Asmodæum in deserto, 298, 2. ejus septem beneficia quæ præstitit Tobiæ, 304, 1. est unus e primis angelis qui proxime assistunt Deo, 306, 1. quomodo dicat se astare Deo, *ibid.* 2. vere non comedit, 307, 1. ipsi ab aliquibus assignatur decus victoriæ Judith, 347, 2.
Raphaim erant gigantes vastissimi et robustissimi, 355, 2.
Razias qualis vir, 560, 2. trina ma, e se confecit, *ibid.* an occidendo se peccarit, *ibid.* et seq. excusatur a peccato per ignorantiam, 561, 2. hac supposita, heroicus fuit ejus actus, *ibid.*
Redditus Hebræorum e Babylone in Jerusalem fuit lætissimus, 211, 1.
Reges non invadant sacra 179, 2. reges qui multos habent æmulos omnia tuto timent, 233, 1. secretum suum et animum nullis aut paucis pandant, 303, 1. eorum consilia, præsertim de subjugandis aliis regibus, sint secreta, 329, 1. eis olim lampades accensæ sive ignes præferebantur, 329, 1. reges Persarum aliarumque gentium per cortinas loquuntur et dant responsa, 330, 2. neque se conspici sinunt, 805, 1, 2. reges multi ut dii adorari volucre, 372, 2. reges nocta vigilent, maximisque reipublicæ negotiis invigilent, 379, 1. acta sua recognoscant et relegant, *ibid.* non metuant magnorum potentiam, sed premant et exterent, 381, 2. regum majestas percelli accedentes ad eam, 399, 2. regum cor est in manu Domini, *ibid.* reges prisci nonnulli votebant haberi quasi dii terrestres ac proinde cum deabus conjugia inire, 429, 1, 2. regibus, cum inaugurantur, datur gladius, cur, 505, 1, 2. a gentilibus referebantur in numerum deorum, 548, 2. rex ille contra quem dimicarunt Judæi quis intelligendus, 498, 1.
Regina aliquot quæ Judithæ nomen et cum nomine virtutis imitationem æmulatæ, 336, 1, 2.
Regiones Judæorum hic vocantur provinciæ ultra Taurum montem sitæ, quas Antiochus coactus fuit cedere Romanis, 451, 1.
Regna terrena parvipendenda, 279, 2. regnum Assyriorum definit in Assarhaddon, 193, 1, 2. in Merodach incipit regnum Chaldæorum, *ibid.*
Regnandi libido nihil non molitur, 378, 2.
Reis qui olim ad mortem ducebantur, velabantur oculi, cur, 382, 1. ac hodie capite muletandis, *ibid.*
Relatio inter deos fiebat olim in funere Regum et Imperatorum, 548, 2.
Religio observata, felicia regna, neglecta facit infelicia, 177, 2. religionis veræ comes est puritas et castitas; falsæ, impuritas et libido, 414, 1. religio si vera et orthodoxa, expedit ut sit una in regno aliquo; si falsa, expedit esse plures, 415, 1. religio potior est caudidæ et vitæ, 420, 1. religionis avitæ eversio concitat populum ad seditionem, 427, 1. religio sepulcri quanta, 233, 2.
Religiosus magnæ virtutis potest versari in aula, 14, 1. religiosi mali et se et aulas perdunt, *ibid.* 2. religiosus debet se omnibus accommodare, 22, 2. religiosi pro salute animarum sint solliciti exemplo Christi et Nehemiæ, 230, 1, 2. antequam peregrinentur templum adeant, 303, 1.
Reliquiæ. — *Vide* Lipsanæ.
Remedia efficacissima victoriam obtinendi, 545, 1.
Remissius agere hic quid significet, 352, 1.
Reges sunt sedes concupiscentiæ, 419, 1.
Resolutio facit milites imperterritos, animosos, etc., 432, 2.
Resolutis (cum) hostibus pugnare periculosum, *ibid.*
Resurrectio corporis cum immortalitate animæ necessario conuexa, 554, 2. plenissima est omnis eleganliæ, pulchritudinis et gloriæ, *ibid.*
Rhodocus quidam hostibus arcana prodit, 357, 1.
Ritus consecrandi et benedicendi vexilla et arma Ducum, 563, 1, 2. et consecrandi militem, *ibid.* ritus parentalis ferendo epulas ad sepulcra defunctorum sublatus, cur, 286, 2. ritus adorationis Persicæ, 373, 1. ritus Judæorum crucem igneam in contumeliam Amani circumferentium, cur sublatus, 389, 1, 2.
Roma quando condita, 63, 1. Roma olim et nunc est in suos vices distributa, 237, 2.
Romani negarunt Judæis potestatem necis in prævaricatores, 221, 2. eorum disciplina vetus de annona ad usum totius anni in plerisque oppidis condenda, 333, 2. Romanorum Judicum in reum feralis sententia, 88 1, 2,

Romani quo stratagemate victi in Annibale, 428, 1. cur Galatæ belle appetiverint, 450, 1. quomodo subegerint Hispaniam, *ibid.* 2. et Carthaginem, *ibid.* 2. et Macedoniam cum rege Perse, *ibid.* item Antiochum Magnum, 451, 1. et Græcos, *ibid.* in periculis crebrant unum dictatorem, alias duos consules, et quæ tunc essent Horum munia, 481, 2. eorum cladis Cannensis quæ causa, *ibid.* apud primos Romanos nulla erat invidia, sed in posteris, *ibid.* quibus modis rempublicam magnam fecerint, 452, 1. cur gentium ira et gaudia non mutarent, 458, 1, 2. leges suæ et Græcæ scribebant in tabulis æreis, cur, *ibid.* eos perdidere græcanicæ delicias, 472, 2. scribunt Ptolemæo Physcone ac crudelitatem quam in Judæos exerat, 489, 2. et alia. 490, 1. eorum nomen erat formidabile apud omnes, *ibid.* supplicium facile aderant; quæ fuit causa eorum potentiæ, 548, 2.

Romulo (a) fundatore dicta est Roma, 519, 2. ibi primo statuit centum Senatores, 451, 2.

Roph. id est medicus, etc., 206, 1.

Ror Hebraice et Chaldaice est caput. 206, 1.

Rupertus visione cæleste ad sacerdotium invitatus, 23, 1.

Rustici Hispani non arant nisi gladio accincti, 259, 1.

S

Sabbati violatio pœnita per captivitatem Babylonicam, 197, 1. sabbati summa veneratio, 207, 1. sabbati summa apud Judæos religio, 470, 1. eo die pugnare Judæos illicitum, *ibid.*

Sacerdotes in lege veteri erant nullius, 425, 1. cur eis additus fuerit et pontificatus, 45 d. erat quasi Dominos interpretandis ovilius et bobus Dei immolandis, *ibid.* sacerdotes, avidi gloriæ et Jodæ æmuli, exsurgunt, 526, 2. duces, avidi gloriæ et Jodæ æmuli, exsurgunt, 526, 2. cur divisi per Chaldæos altari ignem sacrum abscondant, 502, 1, 2. sacerdotium erant viginti quatuor classes, 522, 2. sacerdotes novæ legis versantur circa corpus Christi in Eucharistia consecrandum, 425, 2. dicti est ipse mediator et pax, *ibid.* sacerdos Deum et Typicum induitus mystice representabat Christum, 210, 2. a sacerdotes in cura Ecclesiæ et animarum imitentur Christum et Nehemiam, 230, 2.

Sacerdotium in lege veteri erat rude et carnale, 425, 1. novæ legis est longe sublimius et sanctius, *ibid.* 2.

Sachan idem sonat quod habitare, 281, 2.

Sacra vasa quando licuit distrahere, 93, 2.

Sacrificium pro defunctis sanctum est ac pium quantumplurimum, 351, 2.

Sage quomodo per certas horas et signa malefici pereant, 203, 1.

Sal mixtum cinericio, cur, 215, 1. sal olim semina mixta cum lacrimis alebant despicere solitos, *ibid.*

Salarii vii Romæ a sale nomen accepit, 472, 2.

Salariani dictum est a sale, 215, 1. salarium et stipendium militare dictum a sale, 472, 2.

Salisburgi præsepe opes suas ex sale colligit, 465, 1.

Salmanasar quando decem tribus duxerit in Assyriam, 206, 2; 269, 1, 2.

Salomon quando potuerit instituere plum magnum templum ejusque dedicationem, quando non? 228, 1. an ædificare sacrificantur exercitui dæmonum per ministros horum, *ibid.* ejus thronum duodus leonibus superimpositis ornatus creditur, 517, 2. de solio ejus fabula, 551, 2. Salomon sapientissime imitatus est Magnum, 595, 2.

Salomonis libri de proverbiis etc., scribuntur ex Ezechiæ, ex emulum Amarsiæum Nicopsum, 32, 1, 2. secunda Salomonis uuctio fuit publica, 140, 1.

Salus metonymice capitur pro victoria, 475, 2. Hebræus significat omne beneficium et bonum, 448, 1. solus beatis prædicta, 533, 1. salutem eveuit prodit, qui inedes captos vel capiendos dimittit, 544, 2.

Salvum conductum petit Nehemias ab Artaxerxe et impetrat, cur, 234, 1.

Samaritanorum stolida et stulta idololatria, 70, 2. eorum incantantis, *ibid.*

Samaritas perpetuos Judæorum hostes cur Judæi solucrint habere socios in reædificatione templi, 218, 1. corruperunt consiliarios Cambysis ut templi fabricam impedirent, *ibid.* 2. 214, 1.

Samsonem transformarunt gentiles in Herculem, 427, 2. concussis columnis cur domum everterit, 443, 2. per suum Dalilam effeminatus fuit et spoliatus fortitudine, 506, 1.

Sanaballat Horonites alius a Sanaballat socero Manassis primi Pontificis Samaritanorum, 234, 2; 261, 2.

Sancti relinquat manera, 20, 1, 2. vident absentia, 29, 2. etiam mortui nos juvant, 55, 1.

Sancti cur permittantur a Deo affligi, 275, 1, 2; 305, 2. hi in universo Deo gratias agunt, 27), 2. spes gloriæ futuræ eis est allunctus ad virtutem, 275, 2. pro beneficiis malefica acquirunt ab amicis, 276, 1. olim per pauca aut olcum a se benedictum ab energumenis expellebant dæmones, 298, 1. in mundo tanquam in exilio versant et moriantur, 309, 1. sanctis quibusdam eximia Deus lucem et fulgorem affluxit, 337, 2. eorum gaudium in cœlo est festum Pluvium, 388, 1. in die judicii inimicos suos gladius punient, *ibid.* 2. sancti pro pœnis pugnant, 428, 1. possident cœlum consilio, terram patientia, 450, 2. eos invocare tutius est quam animas in purgatorio, 564, 2.

Sanctificare, pro rem sanctam offerre sumitur, vel etiam pro rem sanctam ostendere, 259, 1.

Sanctimonialis quædam oculos sibi eruisse misit ad adolescentem specie oculorum suorum captum, 275, 1.

Sanctiones et leges Dei vocantur justitiæ et justificationes, cur, 415, 2.

Sancto (in) et Sancto sanctorum quænam collocata fuerint, 437, 1, 2. Sanctum sanctorum vocatur ædes, *ibid.*

Sanzais cur ascenderetur elephantis in prælio hominum, 442, 1. sanguinis ejus et potus Judæis sub pœna mortis vetitus, 346, 2.

Sanitatem (ad) bibere et ad id cogere tyrannicum est, 963, 2. et insana, *ibid.*

Sapiens qui cupit esse, paret se ad videndum, 270, 1. sapientes sunt in proprias cavatiuni, 274, 1, 2. sapientia stat in consilio, 275, 1.

Sara Hebraice idem est quod dominus et domina, 279, 2. quam ægre tulerit convicia et ab ancilla objecta, 280, 1, 2. ærumnæ tribulatio quid impetrarit a Deo, *ibid.* 2. ejus continentia et pudor, *ibid.* 281, 1. an habuerit Agarem in usum, 224, 1. cur eam tot speciosi ambierint, nec posteriores sapuerint exemplo priorum, 296, 2. 2.

Sarais pater Eadrus, occisus in exitio Jerusalem, 200, 2; 228, 2.

Sardanapalus ab Arbace Medo præfecto obsessus, cur, 314, 2. filios suos mori in Euphrate quam ut hostem effugerent, 317, 2.

Sarcago in qua olim martyrum corpora frigebantur, qualis, 549, 2.

Sarcophagus idem est qui Zorobabeli, 297, 2.

Satar vel recipere, etc., 268, 2.

Saturus (S.) generaliter Hunnorici regis Arriani, ab urbe sollicitatus ad Arianismum quid responderit, 276, 2.

Scalpturi sententiæ fabricam templi intermissam falso usque ad secundum annum Darii Nothi refutatur, 218, 1, 2.

Scenopegiæ festum quomodo dictum festum Encæniorum, 437, 1. propriæ erat festum Tabernaculorum, *ibid.* — *Vide* Festum.

Scriptum (per) Assueri mystice representata B. Virgo, 377, 1.

Scribæ (Hebraice sopherim) ab scribendo scribunt Judæi epistolam, 496, 1, 2.

Scipio Romæ cur ita appellatus, 361, 1.

Scipio Africanus ejusque pater et patruus præclara gessere in Hispania, 450, 2.

Scipionis Asiatici contra Antiochum Magnum victoria quanta, 451, 1.

Scribæ quinam olim dicerentur, et quod eorum officium, 229, 1, 2; 384, 2.

Scriptura sacra a mendo defenditur contra aliquos doctores Catholicos, 160, 1, 2. Scriptura sacra quomodo Deo det oculos, aures, etc., 217, 1. subinde se conformat sensui vulgi, 231, 2; 299, 1. quid ei sufficiat in recensendo ulicujus genealogiam, 332, 1. sæpe lumen et flumen combinat, 390, 1. ejus lectio est fumis quo dæmon figetur ne nobis nocent, 399, 1. Scriptura sacra per gladium aureum denotata, 566, 1. cur in his libris narret eorum Ptolemæi Macri, 544, 2.

Scythopolis, quæ et Bethan, ubi sita, 477, 2.

Seahharon sonat idem quod cui est fortitudo, 443, 2.

Sebastianus (S.) quo difficultate S. Marcum et Marcellinum vacillantes in fide corroboravit, 530, 1.

Secreto (a) prædet felix rei exsecutio, 395, 1.

Sedecias nomen suum accepit a Nabuchodonosor, qui antea vocabatur Mathanias, 89, 2. juste ab eodem damnatur, 90, 1.

Seditionem (ad) sibi ita conciliat populus ac legum patricarum et religionis avitæ aversio, 437, 1.

Seleucidarum post Alexandrum Magnum in Syria regnantium series, 405, 1, 2.

Seleucus annis duodecimo a morte Alexandri regem Asiæ ad fecit, *ibid.* et 413, 2. condidit Antiochiam, 441, 2.

Seleucus Philopator dolo Heliodori occisus, 413, 2; 509, 2. fuit filius Antiochi Magni et frater senior Epiphanis, *ibid.* beneficus in templum Jerosolymitanum, *ibid.*

Sella est quasi sedile sedentis in equo, 279, 2.

Semma sacerdos de vico Dalaie, 213, 1. pretio subornatus a Sanaballat ut Nehemiam populo exosum redderet, *ibid.* 2.

Senatores Romani purpura toga ornabantur, 451, 2. Senatorum numerus varius, *ibid.*

Senatus olim erat consilium senum, 521, 1.

Senectus pretium, non naufragium vitæ superioris esse debet, 522, 2. senectus debet esse puerilis, et puerilis senilis, 209, 2. in senectute plena, pia ac honorata mors extremum hujus vitæ bonum, 311, 1, 2.

Sennacherib perfidia punita, 78, 2. cum exercitu non periit, quin servatus ad majores plagas, 189, 1. cur a filiis interfectus, 190, 1.

Sensus est sapientia et prudentia, 523, 1, 2.

Sepelire debent carnalia corpora, 553, 2. sepelicudo corpora martyrum protestamur fidem et spem resurrectionis, virtutique Sanctorum et Martyrum magnus defertur honos, 273, 1.

Sepher idem est quod liber, 413, 1.

Septuaginta interpretes nequeunt esse auctores Græcæ editionis libri Machabæorum, 404, 1.

Sepulcrum a Simone Machabæo in Modin ædificatum quale, 491, 1. duravit usque ad tempora S. Hieronymi, *ibid.* sepulcrorum reverentia et cura quanta, 280, 2. sepulcra vetustissima apud omnes gentes gravis injuria et infamia habita fuit, *ibid.* ea etiam tuentur Arabes, licet feri et barbari, *ibid.* sepulcro in eodem sepulti conjuges, 285, 1. sepulcra ducum conjugum ab invicem separata divinitus conjuncta, *ibid.* sepulcris veteres panes imponebant, cur, 286, 1, 2.

Sepultura est ultimum misericordiæ officium naturæ debitum, 272, 2. per eam protestamur fidem et spem resurrectionis, ac virtuti Sanctorum et Martyrum magnus defertur honos, 273, 1. et inanimato aliqui martyres affecti, *ibid.* sepeliri humana caruit Jasou Judæ succi frater, 519, 2. eum negligere vel negare diam hosti apud gentiles erat ignominia, 553, 2.

Seraphini proxime assistunt Deo, 382, 1.

Series principum regum Persarum, 393, 1; 393, 1. et Pontificum Judæorum a captivitate Babylonica ad Alexandrum Magnum, 393, 1, 2. et aliquot regum Macedonum, 316, 1.

Series Seleucidarum in Syria, 405, 1, 2. Ptolemæorum in Ægypto, 407, 1, 2. item Machabæorum qui populo præfuere et Pontifices et ut Principes, *ibid.* item Pontificum ab Alexandro Magno usque ad Christum, 448, 1, 2. et Cleopatrarum, 460, 2.

Sermo ex gravi et exili moderatus, lectoribus gratus est, 567, 2.

Servi sive mancipia cur dicantur corpora, 301, 1.

Servientes Deo sunt inexpugnabiles, 325, 1.

Servitutis (in) signum petebant Persæ aquam et terram, 330, 2.

Saveri Sulpitii error historiam Judith ad tempora Artaxerxis Ochi referentis, 343, 2.

Scili quadraginta faciunt quadraginta florenos Brabantiæos sive francos Gallicos, 212, 1. siclus valet quatuor julios vel quatuor reales Hispanicos, 466, 1.

Signa in aere belli imminentis prognostica, 318, 1, 2. — *Vide* Portenta. *Signorum* tubæ cur ita dictæ, 422, 2.

Silentii vis et exempla, 305, 1. silentium a S. Hieronymo viduis commendatum, 325, 2.

Simeonem quomodo laudet Judith quod vindicarit stuprum Dinæ sororis, 335, 1, 2.

Similitudo inter adulatores et lumdines, 274, 1. item inter papilionem et honorem hujus mundi, 278, 1.

Similtarra vocatur gladii breves et recurvi Turcarum, 545, 2.

Simonis Machabæi filii elogium, 422, 2. fuit ei quarto genitus, *ibid.* ejus sepotum Hyrcani et Aristobuli contentio de principatu causa fuit subactionis Judææ, 452, 2. dux creatur et pontifex, lustique per septem annos, 489, 1. redimit Jonathum fratrem captum a Tryphone, *ibid.* in Modin ædificavit sepulcrum patri et fratribus, 491, 1. arcem montis Sion cepit et communivit, 492, 2. Joppen portum commodissimum constituit, 495, 1. sub eo fuere aures Israelis sæculi, *ibid.* 2. ejus progenies præfuit Israeli usque ad Herodem sub quo natus est Christus, 486, 2. summus ejus potestas in Israelem, *ibid.* cur tam magnifice laudetur in his libris præ Juda et Jonatha, *ibid.* 2. filios suos loco suo constituit, 492, 1. occisus est a Ptolemæo Abubi, *ibid.* 2. quo anno, et quot præfuerit Israeli, *ibid.*

Simeum reges etiammum per certimes loquuntur et responsa dant, 350, 2. neque se conspici sinunt, 365, 1, 2.

Sion arx quando a Juda Machabæo obsideri cepta, quando capta, 432, 2; 433, 1.

Sitis acrius cruciat quam fames, 550, 2. sitî ubi laboratur, laboratur et fame, 549, 2.

Sobrietas convivis ac conjugibus maxime nuptiarum die ac alias, dum generationi vacant, commendata, 300, 1, 2. per hanc Judithi obtruncavit caput Holoferni, 345, 1; 349, 2.

Sol bis miraculose stetit non ter, 101, 1, 2. Solis equi qui et quale, 84, 1, 2. ablati a Josia, *ibid.* sol, ita dictus eo quod solus lucrat, 270, 1. solem ut numen colebant Persæ, 295, 2. sol radiis suis quasi mitra coronatur, 337, 1, 2. cur vocetur oculi et terræ filius, 354, 1. solis et fontis symbolum, 390, 2. est quasi oculus cœli, *ibid.* deeadem Poetarum figmenta, 391, 1. est signum gaudii et prosperitatis, *ibid.* ad solem orientem respicere audiet, 467, 2.

Solaria consecudere olim solebant orantes, cur, 397, 1.

Solio (de) Salomonis fabula, 551, 2.

Solitudo siduarum dos, eisque commendatur, 530, 2.

Solicitudo Dei et Angelorum pro homine, 293, 2.

Somnium Cyri regis Persarum de sole sibi in somnis astante, 205, 2. aliud quo invitabatur ut ad deos ascenderet, 207, 1. aliud de Dario, 216, 1. somnium Mardochæi fuit ei a Deo immissum, quale illud sit, 390, 1. somnium Olympiadis matris Alexandri Magni de dracone, 392, 1. somnii Mardochæi explicatio, 393, 1, 2. somnium Juda Machabæo de Onia et Jeremia sibi apparentibus, 564, 1.
Somnus est quasi mortis mors, 551, 2.
Sopher idem est quod Rabbi, 231, 1.
Sopherim vocabant Judæi suos doctores, etc., 230, 1, 2.
Sors quid sit, 373, 2; 374, 1. sortium festum sive Phurim mystice et ad litteram, 387, 2; 388, 1. per sortes duxi Mardochæi et Aman accipiur populus fidelis et infidelis, 397, 1, 2.
Spada Medis est canis, 205, 1.
Spartani quomodo legatos Darii Hystaspis terram et aquam petentes exceperint, 320, 2.
Spartiatæ, qui et quales, 476, 1. an sint progenati ex Abraham per Cetturam, 477, 1. — *Vide* Lacedæmonii.
Spei Abbatis per quatuor annos cæci morientis anima specie columbæ evolavit in cælum, 975, 1.
Sperare subinde pro *timere* accipitur, 347, 1.
Spes gloriæ futuræ est stimulus ad virtutem, 275, 2. spes venia est necessaria in pœnitentibus, 227, 1.
Spiritus oris, hoc est, dictum et justum, 355, 1.
Spiritus S. in die Pentecostes super Apostolos sedens, per ignem sacrum Nehemiæ missum representatus, 501, 1, 2. quomodo assisteret scriptoribus Hagiographis, 567, 1.
Spoliis devicti hostis inhiare multis damnosum fuit, 431, 2. spolia terrena relinquere debent Christiani, *ibid.*
Stadium continet centum viginti quinque passus, 434, 2. est octava pars milliaris Italici, 532, 1. conflaet centum viginti quinque passus, *ibid.*
Stercus hirundinis an habeat vim excæcandi, 275, 2. stercus frigidum valet ad caliginem oculorum dispellendum; secus calidum, 474, 1.
Stergulinii porta urbis Jerusalem cur sic nominata, 233, 2; 237, 1.
Stigmata insita in honorem idolorum inventa in cadavere Joakim, 197, 1.
Stipendium unde dictum, 426, 2. pro stipendio olim dabantur pedili duo oboli, equiti drachmæ, ordinario ductori quatuor oboli, *ibid.*
Stirps Antiochi Epiphanis fanditus exsecta, 481, 2.
Stratagema natura sua indifferens et ex fine ad quem refertur, malitiam accipit aut bonitatem, 338, 2.
Strategi in Græcia habebant jus imperandi alternis diebus, 451, 2.
Stratodes adulator Athenis quid promulgarit, 545, 1.
Strepitus silebant Judæi precibus miscere, et etiammum Christiani in tridno passionis Christi, 388, 2.
Suffitus ab exorcista adhibendi energumeno, 222, 2. suffitu jecoris callionymi fugavit Raphael dæmonem, 293, 1.
Suillæ non comedendæ præceptum exacte servatum, 270, 2. — *Vide* Porcina caro.
Superbi humiliantur a Deo, 346, 1. sternuntur et fulminantur, 389, 1, 2. declaratur exemplo Aman, *ibid.*
Superbia nascitur ex nimia potentia, 170, superbia sub initium omnis peccati, 255, 2. hominem in decorum reddit et ignobilem, *ibid.* multis fuit causa belli, 317, 1, 2. punita fuit in Arphaxad, 518, 1, 2. est mera inanitas quæ hominem facit quasi titanem, 322, 2. superbum quiescere non sinit, 379, 2. superbia Chosroæ regis Persarum, 400, 2. superbia punita, 542, 1, 2.
Superbiens de culpa quam superat, quasi sub hoste quem prosternit, moritur, 444, 1.
Supplicibus injuste vexatis facile aderunt Romani, 549, 2. supplices olim tenebant genua ejus cui supplicabant, 881, 2.
Susa urbs regia regum Persarum ita dicta a liliorum copia, cur vocetur Castrum, 231, 1; 361, 1. ubi sita, et quis eam condiderit et auxerit, *ibid.*
Susan Hebraice est filium, 361, 1.
Symphorianus (S.) audiens matrem clamantem moriyr efficitur, 532, 1.
Symphorosa (S.) e capillis suspensa filios ad sui imitationem et martyrii æmulationem incitat, 531, 2. fuit similis matri Machabæorum fratrum, *ibid.*
Synagogam habebant Judæi loco templi in urbibus majoribus, 238, 2. hanc habitantibus extra Jerusalem erat instar templi, 238, 2.
Syriæ pars vel appendix est Judæa, 358, 2. Syriæ stricte sumptæ caput est Damascus; quas provincias complectatur, 322, 1.
Syrorum dea Astarte sive Venus, 513, 2. deus eorum erat Hercules Tyrius, 515, 1. illorum reges singulis urbibus suis quomodo civitates attribuerent, 516, 1. Syri pacibus abstinent, cur, 559, 1. quomodo solerent prædatores sacrilegos et scelestos plectere 558, 1.

T.

Tacos idem est quod sapor, *etc.*, 214, 2.
Tabernaculi depositio in monte Nebo per Jeremiam facta, 564, 2. an fuerit repertum cum igne sacro sub Nehemia, *ibid.* 2; 565, 1.
Talenta centum auri, si Attica, faciunt sexcenta millia aureorum; si Hebræa, duplo amplius, 480, 1. talentorum decem millium valor, 374, 1, 2.
Talionis pœna punitus Jason Oniæ frater, 516, 1. et Menelaus pseudopontifex, 558, 1, 2. item Typhon rex Syriæ, 491, 1.
Tamerlanes fuit flagellum Dei, 421, 2.
Tanaïten dæmones, *etc.*, significat, 354, 2.
Tarquinius rex Romanorum quo astu Gabinos sibi subegerit, 356, 2.
Tecta apud Hebræos erant plana, ut in iis sub die ambulare possent, 249, 2.
Temperantia conivis, atque conjugibus præsertim, dum generationi vacant, commendatur, 350, 2. est virtus feminarum, 343, 1. de ebrietate triumphavit in Judith, 352, 1. temperantia priscorum Persarum, item Cyri et Augusti, 362, 2. hodie apud nonnullos in ploguam porciuam inguiviem abit, 362, 1, 2. temperantiæ observatæ exempla, 523, 1, 2.
Templa varia a Christo et Sanctis dedicata, 434, 1. templa idolorum olim usque ad tempora S. Gregorii dirnebantur; post expiabantur, 433, 1. templi militum origo, 434, 2. templum Heliopolitanum in Ægypto constenatum, 496, 1. templum Isidis a rege Persiæ ædificatum, 502, 1. templorum expiationes puniti, 511, 2. templum Jerosolymitanum Jovi Olympio, Garizimanum Jovi Hospitali dictum, 521, 2; 522, 1. a templi reædificatione Judæi arcent Samaritas, cur, 213, 1, 2. ab ea superseditur, 214, 1. prius templum erat hoc secundo duplo altius, 218, 1.
Templarii erant milites sacri, 163, 1. templi idea a Deo Davidi data et explicata, 135, 2. Templariorum institutio, munus et extinctio, 434, 2.
Tenebræ tristitiæ sunt causa et symbolum, 224, 1, 2.
Tentatio patientiam probat et virtutem, 505, 2. tentationem carnis dum sentis, invoca B. Virginem, 356, 1, 2. tentatione ingruente quid agendum Christiano, 534, 2; 538, 2.
Terram (in) Sanctam proficiscentes olim cruce signabantur, 565, 2. terram et aquam præbere, est servire, 320, 2. terra varia habet nomina, 354, 2.
Tesseræ belli variorum ducum, 538, 1.
Testamenti veteris spiritus vindictam, non veniam precatur occisoribus, 175, 1.
Thais est hircus, etc., 418, 2.
Thales præceptor Anaximandri floruit sub Cyro rege Persarum, 206, 1.
Thallus est ramus ex oleo arbore, 560, 1.
Thalmudicorum fabulæ de piscibus, mare et femina, et bove mar'andis in adventu Messiæ, 202, 2.
Tharsis nepos Japhet: unde quodvis mare vocatum est Tharsis, 321, 2.
Tharsus et Mallus Ciliciæ civitates rebellant Antiocho, 516, 1.
Thebæi martyres duce S. Mauritio cur Maximiano Imperatori non restiterint, 529, 1.
Thebais regio superioris Ægypti, quæ, 295, 2.
Thecla nuper in Japone heroina, quomodo filios ad martyrium excitarit, 513, 1.
Themagoras ab Atheniensibus capite mulctatus, cur, 373, 1.
Theodoretus pene exanimis sanatus per baculum S. Macedonii, 31, 1.
Theodosii Imperatoris exercitus ab Angelo Raphaele Beveniam ductus, 268, 2. cur restituerit ritum Judæorum crucem igneam in contumeliam Annæi circumferentium, 389, 1, 2. cum Theodosio Imperatore pulsus contra hostes pugnarunt SS. Joannes et Philippus Apostoli, 480, 2.
Theodosio (pro) Juniori pugnarunt Angeli contra Saracenos, *ibid.* et contra Eugenium, 545, 1.
Theopolis metropolis Syriæ eadem est quæ Antiochia, 444, 2. — *Vide* Antiochia.
Tiopi quinam dicti fuerint, 514, 2.
Thomas (S.) calvus et cæcus, 11, 2.
Thomas (B.) Morus cum per plures annos Cancellarium Angliæ egisset, rem tamen suam et annuum censum non auxit ad aureos ducentos, 242, 1.
Thebæ ubi Nephtali patria Tobiæ et Eliæ, 269, 1.
Thrasones gloriosi multa mentiuntur, 391, 2.
Thrasus suggerens Busiridi ut hospites suos immolaret Jovi, primus immolatus fuit, 382, 2.
Tirreni Jeremiæ de morte Josiæ pepercrunt, 195, 2.
Thronus Salomonis duobus leonibus stipatus, mystice explicatus, 317, 2.
Thus vino immixtum sensus habetat, 442, 2.
Thyreis vestiebant milites arma sua pœna victoria, 544, 1. thyrsus est ramus palmarum, vel hasta ex frondibus, præsertim ex vite vestita, quam gentiles in sacris Bacchi quatiebant, 352, 2.
Tiberius Cæsar rogatus cur sua consilia cum amicis non communicaret, quid responderit, 305, 1.
Tigris fluvius e quo prodiit piscis Tobiam invadens, 291, 1, 2.
Timothei et eorum 20 millium cædes, 545, 2. in potestatem Judæ venit, 553, 1.
Tisri mensis Hebræorum respondet nostro septembri, 548, 1, 2. Tisri mensis Hebræorum respondet nostro partim septembri, partim octobri, 212, 1.
Titanes et filiorum ejus fabulæ, 354, 1, 2. titanes unde dicti, *ibid.* Titan est epithetum solis, cur, *ibid.* multi derivant a Tit, id est lutum, vel a τείνω *ibid.* Titanes erant gigantes robustissimi, *ibid.*
Titis est terra ex qua prodisse solem et lunam fabulantur Poetæ, 234, 2.
Tob, id est bonus, 552, 1, 2.
Tobias quid significet mystice, 199, 1. hebraice significat bonitatem Dei, 266, 2. vel, *bonum meum Deus*, *ibid.*
Tobias senior qua anno ætatis captivus ductus sit in Assyriam, quando excæcatus, et quot annis vixerit, 266, 2. natus est anno quinquagesimo Oziæ, mortuus quadragesimo Manassis, 267, 2. ejus genealogia, 268, 1, 2; 269, 1. est auctor libri Tobiæ, eumque bis scripsit, 269, 1. ejus patria, *ibid.* quando captus, *ibid.* ejus constantia et virtus inter idololatras, *ibid.* 2. virtutes ejus septem ante conjugium, *ibid.* ac totidem post illud, 270, 1. fuit quasi sol Israelis, 264, 1. tria ejus privilegia a Salmanasar rege accepta, *ibid.* 2. ejus opulentia et liberalitas, *ibid.* 271, 1. fuit confessor et voto martyr, *ibid.* 2. quinquie ejus honores, *ibid.* 1, 2. an fuerit vere excæcatus, 273, 2. est patientiæ exemplum, 275, 1, 2. in adversis non murmurat, sed Deo gratias agit, *ibid.* 2. mensis ejus de hædo furtivo junctus, 278, 1. in quibus fuerit similis Jobo, *ibid.* 2. turbatur irrisione, non excitatur, 477, 1, 2. manita duodecim ad filium, 283, 1, 2. ejus sepultura, 284, 1. filius ejus credidere fidelis singulis hominibus esse angelos custodes deputatos, 280, 2. an fuerit excæcatus planeque cæcus, 294, 1. Tobias cæcus quid mystice significet, 302, 2. prophetat de excidio Jerusalem per Nabuchodonosor faciendo, et de Ecclesia Christiana per Christum erigenda, 307, 1. item de conversione gentium ad Christum, *ibid.* et 2. an naturaliter futura præviderit, 310, 1. de qua Ninives perditione loquatur, incertum, *ibid.* 2.
Tobias junior quo anno natus, quo mortuus, 307, 1, 2. quomodo uxorem suam vocet sororem, 295, 2. quantum temporis insumpserit eundo in Rages et redeundo, 302, 2. fugit ex Ninive in Medjam, 311, 1. quando mortuus ubique sepultus, *ibid.* 2. an viderit excidium Ninives, *ibid.*; 312, 1.
Tobias genus Sichemiæ hodie Nehemiæ, 244, 2.
Tobias servus Ammonites quis, 234, 2. fuit gazophylacio præfectus, sed præfectura expulsus, cur, 260, 2.
Tomyris, regina Scytharum, quo strategemate Cyrum occiderit, 481, 2.
Tonsura religiosorum a Nazaræis, 11, 2.
Tormenta enumerantur summatim a septem fratribus Machabæis tolerata, 529, 2; 530, 1.
Trabem auream e templo sustulit Marcus Crassus, 510, 1.
Tranquille aspicere est quiescere, 503, 2.
Transformationes variæ Gentilium, 427, 2.
Transfugarum suspecta est fides, adeoque non sunt consiliis adhibendi, 328, 2.
Transmontanos Itali vocant qui trans Alpes habitant, 113, 1.
Transylvani cum prius Turcos occidissent, spoliis onusti ab iisdem cæsi, 421, 2.
Tribulationis amarities per amaritiem felis denotata quid præstet, 224, 1. tribulatio patientiam et virtutem probat, conservat, auget et perficit, 505, 2.
Tribus Judæ fuit omnium nobilissima, imo regia, 209, 2. quo jure sibi vindicaret multas urbes aliarum tribuum, 328, 1.
Triclinium quid significet, 383,
Tripudii et choreæ definitio, 281, 1.
Trofilia facit homines mestos, pusillanimes et tardos 249, 1. alterant spiritus vitales, nectar et gravat, *ibid.* capit victus et gangit, 345, 1, 2.
Trogloditæ sunt Æthiopes vicini Ægypto, 125, 1, 2. de iis scribens Aristoteles fallitur, *ibid.*
Typhon ex Syria victus ab Antiocho fugiens, aurum et argentum dispersit, 491, 2. hic existens tutor Antiochi filii Alexandri Velis, factus est ejus tutor, 474, 1. ejus perfidia, dolus et insidiæ, 477, 2; 480, 1. cur et quo anno occiderit Jonathan cum filiis, 480, 2. solus hic exstitit qui ultrasit se in seriem Seleucidarum Asiæ regum, 481, 1. occidit ab Alexandro Sedete, *ibid.* in urbe Orthosiade, 490, 2.
Tsara est tribulata ac misera, 260, 1, 2.
Tubæ *sigaceum* quare sic dictæ, 432, 2. tubæ et armorum sonitus e curbo auditus, 318, 2.
Tubicinzi populi, qui et unde dicti, 552, 2.
Tummim Hebraice significat perfectiones; quid mystice, 219, 2.
Turci, Constantinopoli capta, ibi sedem regni sui fixit, 317, 2. Turcæ quomodo etiammum jejunent, 332, 2. magnam habent turbam uxorum, 370, 2. Turca, obtenta insigni de hostibus victoria, in pomperes liberalis, 508, 2.

cum Christianis facile init pacem, et facile rumpit, 549, 1.
Turris centum cubitorum, sive Meah, quæ, 296, 2.
Tympanum quod genus tormenti, 522, 2.
Typus Christi fuit Judas Machabæus, 455, 1; 456, 2. et Eleazarus et tympano distentus, 583, 1. et septem fratres Machabæi, 533, 1. typus Christi in quo fuerit Esdras, 227 t. et Nehemias, 230, 1. et Tobias junior illuminans patrem, 294, 1. typus B. Virginis fuit Judith, 318, 1; 323, 2; 346, 2; 551, 1. typus Christi fuit Assuerus instituens magnum illud convivium in Susan, 363, 2. typus B. Virginis fuit Esther, 368, 2; 370, 1; 385, 1. item typus B. Virginis est virga seu sceptrum Assueri, 372, 1.
Typus Antichristi fuit Antiochus Epiphanes, 414, 2; 542, 2.
Tyrus Hebraice dicitur sor, 432, 1. in Tyro fit purpura ex succo conchyliorum marmorum, *ibid.* in Tyro celebratur Hercules : unde ictus Tyrius, 515, 1.

U.

Unguendi et unguendi usus Persis ascribitur, 369, 1.
Ungulæ priores equis sunt loco manuum armatarum, 310, 2.
Ur sive Uea potest capi ut nomen proprium urbis, velut appellativum, 251, 1, 2.
Urbes fundandæ ubi aer bonus et aquæ salubres, 9, 2. earumque portæ et muri, a priscis Benedici solitæ, 296, 1, 2. unde mos profluxerit eas dedicandi, 258, 2. urbibus propter peccata inferitur excidium, 336, 1, 2.
Uriel nomen Angeli idem sonat quod ignis, aut lux Dei, 263, 1.
Urim Hebraice significat illuminationes, aliaque mystice, 210, 2.
Usura centesima, quæ, 241, 1. fuit illa frequens apud Judæos, *ibid.* usuræ semisses, trientariæ et unciales, *ibid.* usura est contra justitiam commutativam, ideoque restituenda eumdem pro modo danti, *ibid.*
Uxor infidelis quantum noxia, 40, 2.
Uxores et proles abdicantur ut Deo ejusque legi obsequaris, 227, 1, 2. uxor prudens datur a Deo, 273, 2. cum viro suo est una caro, 285, 1, 2. uxor quomodo sit mariti sui soror, 290, 2. ad uxorem mœsta, 301, 1, 2. quomodo in conjugio se gerere debent, *ibid.*

V.

Vanitatis speculum Alexander Magnus, 413, 1.
Varietas in scribendo delectat, 507, 2.
Vasa quæ Nebuchodonosor abstulerat e templo, quæque remittit Cyrus, fuere quinque millia quadringenta, 207, 2.
Vasco Gamm qua ratione aperta sit India orientalis, 238, 1.
Vasthi regina, quæ : ejus etymon, 364, 1, 2. an teneatur obedire jussioni regis Assueri, *ibid.* honeste et pudice detractavit mariti temulenti inhonestum sui coram principibus ostentationem, *ibid.* et 365, 1.
Vaticinium Tobiæ de Jerusalem terrestri et cœlesti, 308, 1. vaticinium Jeremiæ de arca fodienda et aliis non revelandis quando impletum, 504, 1, 2.
Venenum vitam finivit Cleopatræ Demetrii Soteris uxor, 488, 2. et Ptolemæus Macer, 544, 2.
Venus in Syria tam dea quam dea, 28, 1.
Veritas insit omnibus nostris actionibus, 278, 1, 2. in veritate Domino servire quid sit, 310, 2.
Vermes corpereos qui carnes demortuorum rodant esse in inferno probabiliter astruitur, 355, 2.
Versiones variæ loci cujusdam obscuri ex Nehemiæ cap. v, vers. 18, 242, 2.
Veteres olim existimabant numina adversus hostes arma tulisse, 425, 1, 2.
Vexilla et arma ducum mortuorum solita, cur, 565, 1, 2.
Vexillarii in bello olim vocabantur Draconarii, 392, 1.
Vias Dei sunt Dei ordinationes, consilia, decreta, etc., 378, 1. earum præses est S. Raphael Archangelus, 288, 1.
Victorum princeps et dux est S. Raphael, *ibid.*
Victi aperunt aurum ut effugiant, et hostem insequentem superentur, 471, 2.
Victoria non sit nisi præcesserit pugna, 422, 1. victoriam sæpe obtinent pauci de multis, 426, 1. est donum Dei, 432, 1. ex parte, Christiani exsunt : *Te Deum laudamus*, *ibid.* ad victoriam multum valet militum fiducia et hostium diffidentia, 438, 1. non a numero militum, sed a favore Dei pendet, 544, 2. victoriæ Judæ Machabæi admirandæ et cœlestes, 553, 1, 2. victoriam subinde auferat animus vel paucorum scelus, 554, 1. victoria Judith de Holoferne allegorice representat victoriam B. Mariæ de diabolo, 313, 1. victoria a Deo postulanda, 324, 1, 2.
Vitæ clientii et solitudinis sint amantes, 332, 2. carnem cilicio obarmeat, *ibid.* pudicitiam suam quomodo servare debeant, *ibid.* et 533, 1.
Vigilantia in bello dure requisita, 239, 1, 2; 501, 2. apud Persas et alios in pretio habita, 379, 1, 2.
Vigiliarum nocturnarum antiquitas, 358, 2.
Vincere semper in bello ut nunquam vincaris est impossibile, 457, 1, 2.
Vindicta Numinis celer in perfidos, exemplo Ptolemæi Philometoris, 471, 1, 2. et impiissimæ stirpis Antiochi Epiphanis, 481, 1 : et in incestos, 448, 1, 2. item in Trypheonem homicidam, 491, 1. et Jasonem pseudopontificem, 516, 1. vindicta in auctorem suum retorta, 370, 2.
Vinum datur elephantis ad potandum, cur, 442, 2. epotum a teneris alioque animalibus facit eos feroces et furiosos, *ibid.* vinum meracum semper bibere molestum est et male sinum, 567, 2. miscendum est aqua, *ibid.*
Violatio sepulcrorum apud omnes gentes fuit gravis injuria et infamia, 233, 2.
Vir et uxor sunt una caro, 284, 1. virum bonum et probum cur sinat Deus affligi, 305, 2. viri fortes cur gloriosum mortem ingloriæ vitæ anteponant, 456, 2.
Virga S. Benedicti formidabilis dæmoni, 298, 2. virga aurea Assueri representat B. Virginem, 377, 1.
Virgines utriusque sexus votum Deo castitatem servantes non nisi in orthodoxa fide reperies, 414, 1. virgines concives ad Quiam sanctum concurrentes, quales, 510, 2. virgines sunt quasi soles quidam micantes, 337, 2. earum pudicitiam tueri solent sese deturpando, *ibid.* virgines quasi clientes suos protegit B. Virgo, 350, 1, 2.
Virginitas exacte servata ac præ morte electa, 523, 2.
Viridis color mire recreat oculos, 362, 1.
Virili ætati congruit conjugium, cur, 270, 1.
Virtutes septem Tobiæ sciscitis ante conjugium, 269, 2. totidemque post illud, 270, 1. virtutes antistrophæ Job et Tobiæ, 276, 2. virtus pluris æstimanda quam divitiæ, 287, 2. virtutes septem quibus tanquam funibus ligandus dæmon, 299, 1. virtus sine adversario marcet, 305, 2. virtus omnis est a Deo petenda, 336, 2. virtus extulit priscos Judæos, alias gentibus invisos, 367, 1. virtus in adversis resplendet, 431, 2; 432, 1. per virtutem in lib. *Machabæorum* intelligatur validus exercitus, 444, 1. virtus propria efficacissimum remedium victoriam obtinendi, 545, 1.
Vita longa in omnis potius mors est quam vita, 378, 2; 418, 2.
Vitiis (de) superatis superbientes, sub hoste prostrato succumbunt, 444, 1.
Vocatio Dei exspectanda et sequenda, 439, 1.
Volso (M.) missus a Romanis Galatas vicit, 450, 1.
Voluptas omnis, etiam conjugii, quam sit anceps et instabilis, 296, 3. cupidos efficit mancipia diaboli, 330, 2. voluptates hujus mundi spernendæ, exemplo Estheris, 398, 1, 2.
Vox *patria* quæ, 527, 2.
Vulgus censet astra per diem suis oculis abscondi, e quibus per noctem prodeant, 239, 1.
Vultus. — *Vide* Facies.
Wenceslao (pro S.) cum Ladislao duellante pugnavit Angelus, 545, 1, 2.
Wittikeri blasphemia dicentis Angelum Raphaelem fuisse mentitum, 289, 1, 2.

X.

Xanticus mensis Hebræorum respondet nostro aprili, 549, 1.
Xerxes contra Græcos duxit in aciem undecies centena millia militum, a quibus victus pene solus fugere coactus est, 219, 1. optime fuit affectus in Judæos, *ibid.* ut vitæ suæ consulat aquam putridam bibit, 223, 1. sub eo probabilius videtur contigisse historia Judith, 219, 1. cur tantopere benevolus fuerit Judæis, 314, 1. etiam suis contemptui fuit, *ibid.* quantum intumuerit copiis suis, 317, 2. admonetur superbiæ ab Artamene rege, 318, 2. tantas copias in Græciam induxit, ut vix ad potum flumina satis fuisse dicantur, 554, 1. ejus etymon, 361, 1. ipse contemplans suas copias cur lacrymatus sit, 368, 1, 2. ejus crudelitas, 399, 2.

Z.

Zabdiel Arabs obtruncat Alexandrum Velex, 472, 1.
Zelotypia est suspicax mali et rivalium, 381, 2.
Zelus Josaphat pro religione et aliorum regum Christianorum, 163, 1.
Zelus indiscretus in Ecclesia reprehensus, 307, 2. zelo quam sit efficax, ut instar ignis omnia superet et consumat, 419, 1. zelus purgat facinus, illudque sanctificat et sacrificat, *ibid.* 2.
Zorobabel, cur ita vocatus; ac postea appellatus Sassibassar : horum etyma, 206, 2. fuit dux populi in Jerusalem reducis e Babylone in Politicis, 209, 1. exstitit Darii causa reædificationis templi, 215, 2. ad quæstionem : *Quid unet omnium fortissimum?* respondet esse *veritatem* 268, 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX

MATERIARUM MORALIUM

QUÆ IN HIS COMMENTARIIS CONTINENTUR,

ET QUÆ AD EVANGELIORUM DOMINICARUM, AC FESTORUM ET FERIARUM NONNULLARUM PER ANNUM ACCOMMODATARUM, VERBA IN USUM ET GRATIAM CONCIONATORUM ADAPTANTUR.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DOMINICA I ADVENTUS.

ERUNT SIGNA IN SOLE ET LUNA. Signa tempore Judæ Machabæi et Antiochi Epiphanis, II *Machab.* cap. v, 1 et 4.

VIDEBUNT FILIUM HOMINIS VENIENTEM. Christus in secundo adventu sortes impiorum in hac vita exantlantium commutabit, *Esth.* cap. IX, 26.

Judici extremi dies erit dies Phuræ, id est sorthum, *ibid.*

CŒLUM ET TERRA TRANSIBUNT. Mundana quam sint instabilia, vana et fallacia, *Esth.* cap. VII, vers. 18; I *Mach.* cap. I, vers. 8; cap. IX, 15. itaque in nulla re mundi lætandum, *Esth.* cap. XIV, vers. 18.

DOMINICA II ADVENTUS.

JOANNES IN VINCULIS. In ea conjectus erat, quod Herodem incestus arguisset, incestus Cleopatræ et Antiochi Sedetis multorum parricidiorum causa, I *Machab.* cap. XV, vers. 1.

Porro potentia et insolentia magnarum non est metuenda, sed premenda et coërcenda. *Esth.* cap. VII, vers. 6.

PAUPERES EVANGELIZANTUR. Pauperes quomodo juvandi, et in quo se solari queant, *Tob.* cap. IV, vers. 7 et 23. paupertas præstat divitiis, *ibid.* vers. 23.

ECCE, QUI MOLLIBUS VESTIUNTUR IN DOMIBUS REGUM SUNT. Patet in mula Assueri Persarum regis, in cujus conspectum antequam mulieres admitterentur, integro anno ornari, exceli, oleo myrrhino ungi, variisque pigmentis et aromatibus uti debebant, *Esth.* cap. II, vers. 9 et 12.

Porro antici temperiæ ante casum se ab ista abducunt, *ibid.* cap. VII, vers. 10. mollis educatio et remissa fere contumaces, II *Machab.* cap. XII, vers. 14.

DOMINICA III ADVENTUS.

EGO VOX. Quam potens sit vox piorum, I *Paral.* cap. XIV, vers. 5.

IN NATIVITATE DOMINI.

ET ECCE ANGELUS DOMINI STETIT JUXTA ILLOS. Angelorum mira dignatio erga genus humanum, *Tob.* cap. III, vers. 25. sunt creaturæ et quasi filii Dei, *ibid.* cap. V, vers. 3. sunt nobis concives et contribules, *ibid.* cap. VII, vers. 7. adstant Deo septupliciter, et distinguuntur in assistentes et ministrantes, *ibid.* cap. XII, vers. 15.

NOLITE TIMERE: ECCE ENIM EVANGELIZO VOBIS GAUDIUM MAGNUM. Angeli boni apparentis signum est si primo horror incutiatur, deinde consolatio et lætitia ingeratur; mali, si contrarium eveniat, *Tob.* cap. III, vers. 17. — *Vide* v. Angelus.

ERAT LUX VERA. Christus per quem lux et veritas facta est, adumbratus per Pontificem pontificalibus, in quibus erat Urim et Tummim, indutum, *Esdræ*, cap. II, vers. 63.

VERBUM CARO FACTUM EST. Christus a Patre fuit missus in carnem, ut consolaretur lugentes in Sion. II *Esdræ*. Argum. Incarnatio Verbi fuit opus maximum divinæ potentiæ et fortitudinis, *Judith*, cap. XIII, vers. 20.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI.

VOCATUM EST NOMEN EJUS. Pia nomina filiis danda ut admoneantur pietatis, IV *Reg.* cap. XXV, vers. 17. nomina sunt quasi omina rei naturam, victutem aut proprietatem aliquam præsentem aut futuram significantia, *Esdr.* cap. I, vers. 8. Deus dans alicui nomen, simul dat rem eodem nomine significatam, ut in nominibus Angelorum patet, *Tob.* cap. V, vers. 18.

Jesus. Jesus est mel in ore, melos in aure, jubilus in corde, *Esth.* cap. V, vers. 14. *Vide notata in Indice, Rerum verb.* Jesus Christus.

IN FESTO S. STEPHANI.

ECCE RELINQUETUR VOBIS DOMUS VESTRA DESERTA. De excidio Jerusalem per Nabuchodonosor faciendo calicinatus est Tobias senior. *Tob.* cap. XIII, vers. 11.

IN FESTO S. JOANNIS APOSTOLI.

QUI ET RECUBUIT IN CŒNA SUPER PECTUS EJUS. Quomodo S. Joannes in ultima cœna Christi in ejus pectore quasi in sinu recubuerit, patet ex accubitus forma, quæ olim convivæ mensæ accumbebant, *Esth.* cap. I, vers. 6.

Porro S. Joannes fuit custos B. Virginis Deiparæ, *Judith*, cap. XIII, vers. 20.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

ET HÆC VIRGO ERAT. Viduarum monita præclara et dotes, *Judith*, cap. VIII, vers. 3.

Porro viduarum typus et exemplum fuit Judith, Proœm. et cap. VIII, vers. 3.

REVERSI SUNT IN GALILÆAM. Galilæa alia inferior, alia superior; hæc quoque dicitur Galilæa gentium, et Samaria, *Tob.* cap. I, vers. 1.

IN EPIPHANIA DOMINI.

ECCE MAGI AB ORIENTE VENERUNT. Christo servierunt omnes reges et gentes terræ, *Tob.* cap. XIV, vers. 9. magi quo modo per certas herbas et signa malefici vocarint bestias et infantibus, *Tob.* cap. VI, vers. 8.

ACCIENS AUTEM HERODES REX TURBATUS EST. Reges qui sibi suoque spici formidant multosque habent æmulos, omnia tuta timent, *Nehem.* cap II, vers. 2. ac præsertim peccatores urgente mala furtorum, libidinum aliorumque scelerum conscientia, I *Mach.* cap. VI, vers. 4; et cap. IV, vers. 6.

Porro Herodes hic et nepos ejus Ascalonita morbo pediculari affecti fuere. II *Mach.* cap. IX, vers. 9.

SCRUTAMINI AB EIS. Sapiens consilia, a sapiente perquirat, neque sine consilio aliquid temere audendum, *Tob.* cap. IV, vers. 19.

CLAM VOCATIS. A secreto pendet felix rei exsecutio, *Tob.* cap. XII, vers. 7; *Judith*, cap. VIII, vers. 33.

Porro Principis animus nemini ad penetralia cognitus esse debet, *Tob.* cap. XII, vers. 5; *Judith*, cap. II, vers. 2.

DISCITE AB EIS. Reges et principes non nimis uni consiliario confidant, sed plures audiant si veritatem scire velint, nec faciles sint in credendo, quod multis damnosum fuit, *Esth.* cap. XVI, vers. 6.

UT ET EGO VENIENS. Fraudulenter mentitur Herodes amico ficto non credendum, exemplo Holofernis et Judith, aliorumque, *Judith*, cap. XI, vers. 1 et seqq.

Porro dolosi sæpe cadunt in laqueos quos aliis pararunt, malumque recidit in auctorem, uti contigit Amano et aliis, *Esth.* cap. VII, vers. 6.

OSTULABANT ET MURMURABANT. Sancti refutant munera hominum et ambiunt divina, IV *Reg.* cap. V, vers. 16.

AURUM, THUS. Aurum reges Persarum solucrunt sibi esse proprium, I *Mach.* cap. XI, vers. 58. aurum pretiosissimum et splendidissimum repræsentat nobis Deum, ejusque dona augustissima. II *Machab.* cap. XV, vers. 16. *Vide notata in Indice rerum, verb.* Aurum.

Thus vino immixtum cur olim daretur elephantis ad bibendum, I *Machab.* cap. VI, vers. 34.

NE REDIRENT. Cor regum est in manu Dei, *Esdr.* cap. I, vers. 2, et *Esth.* cap. IV, vers. 11.

PER ALIAM VIAM. Viæ Dei sunt Dei ordinationes, consilia, decreta, actiones et opera, *Tob.* cap. III, vers. 2. viarum præses est S. Raphael Archangelus, *ibid.* cap. V, vers. 5.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

CUM FACTUS ESSET JESUS ANNORUM DUODECIM. Puerilia sit senilis, et senectus puerilis, *Tob.* cap. I. vers. 4. qualiter puerii a parentibus educandi, et ab infantia instituendi, *ibid.* et *Tob.* cap. VI, vers. 22. filiorum laus et honor est honor et laus parentum, *ibid.* cap. IX, vers. 10. adolescentes sobrietati studeant, *Judith*, cap. VIII, vers. 6.

IN MEDIO DOCTORUM. Doctores Ecclesiæ exprimit canis Tobiæ junioris ex Media domum redeundi præcurrens, *Tob.* cap. I, vers. 2. doctoris perfecti insania implevit Esdræ, *Esdræ*, cap. VII, vers. 9.

PATER TUUS ET EGO DOLENTES. Parentes solliciti pro salute filiorum, *Tob.* cap. I, vers. 10. et cap. II, vers. 10. et cap. IV et seqq. filii sunt baculus senectutis parentum, *Tob.* cap. V, vers. 4.

IN HIS QUÆ PATRIS MEI SUNT OPORTET ME ESSE. Dei vocatio exspectanda, ac deinde sequenda est, I *Mach.* cap. V, vers. 62.

SUBDITUS. Qui Deo obediens est, obedientes habet subditos, IV *Reg.* cap. II, vers. 12. obedientia quam sit Deo grata, I *Mach.* cap. II, vers. 52. et *Esther*, cap. II, vers. 20.

INOBEDIENTIA a Deo punita, I *Mach.* cap. V, vers. 56.

CONSERVABAT OMNIA IN CORDE SUO. Secretum, utpote a quo pendet felix rei exsecutio, celandum, *Tob.* cap. XI, vers. 7; *Judith*, cap. VIII, vers. 33.

DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

NUPTIÆ FACTÆ SUNT. Nuptiæ Estheris, utpote fidelis cum Assuero infideli, an fuerint licitæ, *Esth.* cap. II, vers. 16. nuptiæ sic peragantur, ut Deus non offendatur, *Tob.* cap. IX, vers. 12. nuptiæ conversæ in luctum, I *Mach.* cap. IX, vers. 4. uxor prudens datur a Deo, *Tob.* cap. III, vers. 7. quomodo sit mariti sui serva, *ibid.* cap. VII, vers. 15. et [illegible] cap. VI, vers. 12 [illegible] quem fluens interdebeant in copula, *Tob.* cap. VI, vers. 22. sobrii sint, maxime dum generationi vacant, *ibid.* cap. IX, vers. 22. *Vide notata in Indice Rerum, verb.* Conjuges, Uxor.

VINUM NON HABENT. Ut hic Deipara e benignitate est imporum miseria, sic et ipsa erga nos est mire clemens et misericors, protegitque et recipit peccatores ac justos afflictos ad se confugientes, *Esth.* cap. II, vers. 7. est virga aurea per quam Deus toti generi humano omnibus reconciliatus est, *ibid.* cap. V, vers. 2. illi quasi matri sue Christus nil negare potest, *ibid. Vide Indicem Rerum, verb.* S. Maria mater Dei.

AQUAM VINUM FACTAM. Ex aqua olim tempore Nehemiæ factus est ignis, II *Mach.* cap. II, vers. 22. et 34. porro aqua est tribulationis, adversitatis et mœroris signum, *Esther*, cap. X, vers. 6.

VINUM PONIT. Vinum meracum semper bibere, quis nimis calefaciat et inflammat corpus, male sanum est, ideoque miscendum aqua, II *Mach.* cap. XV, vers. 40. olim illud ad potandum dabatur elephantis, I *Mach.* cap. VI, vers. 34.

ET CUM INEBRIATI. Ebrietas a mensis arcenda, *Tob.* cap. IX, vers. 12. [illegible] mater malitiæ, virtutisque inimica, fortem virum reddit ignavum, *Judith*, cap. XII, vers. 18. ebrii sunt quasi, imo plus quam porci, *Esth.* cap. I, vers. 8.

DOMINICA III POST EPIPHANIAM.

VIDE, NEMINI DIXERIS. Dona Dei quæ pertinent ad excellentiam personæ occultanda sunt, IV *Reg.* cap. II, vers. 3.

DOMINE, PUER MEUS. Herus paterno affectu sit erga famulos, exemplo Naaman Syri, IV *Reg.* cap. V, vers. 13. servi cur dicantur corpora, *Tob.* cap. X, vers. 10. in servitutis signum petebant Persæ aquam et terram, *Judith*, cap. II, vers. 5.

IN TENEBRAS EXTERIORES. Tenebræ sunt tristitiæ causa et symbolum, *Esdræ*, cap. IX, vers. 8. in inferno probabile est esse vermes corporeos qui carnes damnatorum rodant, *Judith*, cap. XIV, vers. 21.

DOMINICA IV POST EPIPHANIAM.

IPSE VERO DORMIEBAT. Quasi de tempestate nihil sciret. Sic justus in tribulationibus et adversis manet immobilis et constans; imo Deo gratias agit et laudat, *Tob.* cap. II, vers. 12 et seq. nihil et accidit mali, nisi disponente Domino, *ibid.* porro adversa non movent virum fortem, *Tob.* cap. XII, vers. 13. sed ostendunt in collectatione virtutem, I *Mach.* cap. II, vers. 52. itaque in arctis et periculis constituti illico Dei gratiam et opem imploremus, I *Mach.* cap. IX, vers. 7. et 18.

DOMINE, SALVA NOS, PERIMUS. Deus cur immittat hominibus etiam justis et sanctis tribulationes et afflictiones, *Tob.* cap. II, vers. 12. et cap. XII, vers. 13; I *Mach.* IX, 18.

QUID TIMIDI ESTIS? Bonarum mentium est timere culpam, ubi non est culpa, *Tob.* cap. II, vers. 20. at conscientia mala scelestas timides facit, castigat et pulsat, I *Mach.* cap. VI, vers. 12. et cap. IX, vers. 6.

FACTA EST TRANQUILLITAS. Nempe post tempestatem, post nubila phœbus, *Tob.* cap. III, vers. 22.

DOMINICA V POST EPIPHANIAM.

VENIT INIMICUS EJUS. Satan quomodo per magos et sagas mediantibus certis herbis et maleficii signis nocerat bestiis et infantibus, *Tob.* cap. VI, vers. 8. ejus proprium est intricare corpus et animam variis scrupulis, concupiscentiis et peccatis, ut fiat ejus et gehennæ præda, *ibid.*

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

QUID HIC STATIS OTIOSI? Otio dediti regno privantur, I *Mach.* cap. XI, vers. 38. Deus non juvat desides, sed comantes et collaborantes, *Judith*, cap. IV, vers. 13, et I *Machab.* cap. III, vers. 55.

VOCA OPERARIOS. Operariis statim sua merces danda, *Tob* cap. IV, vers 12.

As oculus tuus. Oculi feminarum quam sint illecebrosi, *Judith*, cap. x, vers. 14. oculus benignus, gratiæ et favoris est symbolum, *Esdr.* cap. v, vers. 5. ad oculorum caliginem dispellendam valet cinis cum felle, *Tob.* cap. II, vers. 11.

Multi sunt vocati. Vocatio Dei exspectanda et sequenda, I *Mach.* cap. v, vers. 62.

Paucі vero electi. Judæos quasi fœdere Deus elegit ad gratiam et gloriam, a quibus infideles excludit, ita tamen ut communem providentiæ suæ cursum et gratiam eis non denegarit, *Esth.* cap. x, vers. 12.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Et a voluptatibus vitæ. Voluptas omnis hujus mundi quam sit incerta et instabilis, *Tob.* cap. VII, vers. 11. ejus damna, *Judith*, cap. VII, vers. 12. sunt spermentes exemplo Estheris, *Esth.* cap. XIV, vers. 15. cupiditate quanta vis, II *Mach.* cap. IV, vers. 29. duriciarum pœnitentiarum dies, est dies doloris, *Esth.* cap. I, vers. 19, et I *Mach.* cap. IX, vers. 41.

In tempore tentationis recedunt. Tentatio patientiam et virtutem probat, *Tob.* cap. XII, vers. 13.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Cæcus quidam sedebat. Cæcorum cæcitatem amantium et expetentium, Demonis laudantium exempla, *Tob.* cap. II, vers. 14. cæcitas cordis, *ibid.* cap. XI, vers. 14. cæcitatem mentis sustinent Judæi sub age studiosima nocturi Christi, quorum typus est Tobias excæcatus, *ibid.*

Clamabat. Clamandi mos in calamitatibus apud Persas, *Esth.* cap. IV, vers. 1. item apud Judæos tempore precum, *ibid.* cap. IX, vers. 21.

FERIA IV CINERUM.

Cinere caput aspergere symbolum pœnitentiæ, *Nehem.* cap. IV, vers. 1. est signum mortis, *Judith*, cap. IX, vers. 14. in cineres peccipatio certum genus supplicii, II *Mach.* cap. XIII, vers. 5.

Cum jejunatis. Jejunio armata oratio quam potens apud Deum, *Esdr.* cap. VIII, vers. 21. illud vetat lex ebreicham in Dominica, *Nehem.* cap. VIII, vers. 10. est funis quo ligatur dæmon, *Tob.* cap. VIII, vers. 2. multo quam murus tuetur, *Judith*, cap. IV, vers. 11. *Vide Indicem rerum, verb.* Jejunium.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. A terrenis cupiditatibus cor evacuandum ut gratia impleatur, IV *Reg.* cap. IV, vers. 8.

Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Quæ divitiæ nobis sint consectandæ, *Tob.* cap. IV, vers. 10 et 20.

FERIA V POST CINERES.

Vide notata Dominica III post Epiphaniam.

FERIA VI POST CINERES.

Benefacite his qui oderunt vos. Exemplum Tobiæ patris, *Tob.* cap. II, vers. 22. et cap. IV, vers. 3.

Estote ergo perfecti. Perfectus est qui in adversis Deo gratias agit, *Tob.* cap. II, vers. 14.

Cum ergo facis eleemosynam. Eleemosyna ob amorem Dei faciendi, IV *Reg.* cap. IV, vers. 4. eleemosyna liberat a morte æterna et sæpe a præsenti; oppitat quasi os gehennæ; est quasi baptismus, *Tob.* cap. IV, vers. 7 et seqq. habita reginæ apparuit S. Joanni Eleemosynaria, *ibid.* vers. 12. est funis quo ligatur dæmon, *ibid.* cap. VIII, vers. 3. solvit debitum proximo cap. XII, vers. 8.

Eleemosynarius quæ in pauperes conferi, in annum Dei custodienda deponit, *Tob.* cap. IV, vers. 8. eleemosynarii impii caro a Deo in hac vita castigantur, *ibid.* vers. 11. *Vide Indicem Rerum, verb.* Eleemosyna.

DOMINICA I IN QUADRAGESIMA.

Ductus est Jesus in desertum. Solitudinis lata et commendatio, *Judith*, cap. VIII, vers. 3. silentii via et exempla, *Tob.* cap. XII, vers. 7.

Ut tentaretur. Tentatio virtutem probat et patientiam, *Tob.* cap. XII, vers. 13. tentationes carnis cum sentis, invocq B. Virginem, *Judith.* cap. XVI, vers. 31. tentatione ingruente quid agendum Christiano. II *Machab.* cap. VII, vers. 4, et cap. VIII, vers. 36.

Postea esuriit. Sobrietatis commendatio, *Tob.* cap. IX, vers. 12. per hanc Judith obtruncavit Holofernem, *Judith*, cap. XII, vers. 9. sobrietas priscorum tam Persarum quam Romanorum, *Esth.* cap. I, vers. 7. sodis in pluquam porcinum ingluviem abit, *ibid.* est funis quo ligatur dæmon ne nobis nocet, *Tob.* cap. VIII, vers. 3. ebrietas quam dæmonia et insana, *Tob.* cap. XIX, vers. 12; *Judith*, cap. XV, vers. 14; *Esther.* cap. I, vers. 8.

Tentator. Diabolus per pisces a Tobia occisum repræsentatur. *Tob.* cap. VI, vers. 5. ejus proprium est intrare corpus et animum variis scrupulis, *ibid.* per Christum quodammodo ligatus est, *Tob.* cap. VIII, vers. 3. eorum animosis est pavidus ut formicæ; timidis vero terribilis est ut leo, II *Mach.* cap. II, vers. 11. *Vide notata in Indice Rerum, verb.* Dæmon.

Angeli ministrabant ei. Angeli distinguuntur in ministrantes et assistentes, *Tob.* cap. XII, vers. 15. sunt cœlestium, et instar fulguris et cœlo in terram dilabuntur, *Tob.* cap. III, vers. 25. nil illis impenetrabile aut impossibile, II *Mach.* cap. III, vers. 9. post tentationem consolatio, *Tob.* cap. III, vers. 23.

FERIA II.

Exercitus enim, etc. In operibus misericordiæ tam corporalis quam spiritualis vires et opes suas exhausit Tobias senior, ut ait, *Tob.* cap. I, vers. 19 et 20. misericordiam Deus vult esse omnibus actionibus nostris, *ibid.* cap. III vers. 2. quam sit homini necessaria, *ibid.* cap. XII, vers. 8.

Unus ex fratribus meis dixerit. *Vide notata Feria IV post Cineres, et Indicem Rerum, verb.* Eleemosyna, Pauper. In pauperes quæ conferuntur non pereunt dauli, *Tob.* cap. IV, vers. 10. pauperum curator est Deus, *ibid.* vers. 7.

FERIA VI.

Sabbatum est. Sabbati apud Judæos summa veneratio, *Nehem.* cap. XIII, vers. 19; I *Mach.* cap. II, vers. 37, et II *Mach.* cap. VIII, vers. 26.

DOMINICA II IN QUADRAGESIMA.

Et ecce vox de nube. Nubes est quasi vestimentum Dei, quod in nube se absconderet et loqueretur, responsa dans ex propitiatorio, *Tob.* cap. V, vers. 18.

FERIA III.

Qui se exaltaverit humiliabitur, et qui se humiliaverit exaltabitur. Exempla sunt Mardochæi vita et abjectus exaltatus, et Aman superbus humiliatus. *Esth.* cap. VI, et VII.

FERIA V.

Dic ut sedeant. Honores hujus mundi appetentes comparantur pueris papiliones insequentibus, *Esth.* cap. V, vers. 13.

In regno tuo. Ambitio regnandi nihil non molitur, *Esth.* cap. II, 21. est ambientium crux, *ibid.* cap. V, 13. ejus vis, II *Machab.* cap. IX, 29. *Vide Indicem Rerum, verb.* Ambitio.

Indigebatur purpura. Purpura apud Romanos, alia erat consularis, alia regia. I *Machab.* cap. VIII, 14.

INDEX MATERIARUM MORALIUM. 607

FERIA V.

Epulabatur quotidie splendide. Mors in alis gulæ, IV *Reg.* cap. X, vers. 40. convivæ arcent a mensa ebriolatem. *Tob.* cap. IX, 12. sint frugales more veterum, *Esth.* cap. I, 7. loca sunt cognati libere ad sanitatem, quod est tyrannicum, *ibid.* vers. 8. *Vide Indicem Rerum verbo Convivæ.*

Epulandi mos ad sepulcra et memoriæ martyrum; item in sepultura defunctorum, quorum dubia erat salus per SS. Ambrosium et Augustinum sublatus, *Tob.* cap. IV. 18.

Et nemo illudebat. A pauperе qui faciem suam avertit, ab eo etiam faciem suam avertet Deus, *Tob.* cap. IV, vers. 7.

SABBATO.

Vivendo luxuriose. Luxuriosus per malum designatur, *Tob.* cap. XI, vers. 17. libido ubi ardet, abundant peccata, *Tob.* cap. III, vers. 8. est insatiabilis, fœtidosus ac curiosus, *Esth.* cap. II, vers. 19. quantum sit unita cum ira, *ibid.* cap. I, vers. 11. comes est falsæ religionis, *Mach.* cap. I, vers. 15. *Vide Indicem Rerum, verbo Libido, Luxuria.*

DOMINICA III IN QUADRAGESIMA.

Erat Jesus ejiciens dæmonium. Dæmon quomodo fugatus ab energumenis, *Tob.* cap. VI, vers. 8. dæmonis elyma, *ibid.* cap. III, vers. 8. ligatur virtutibus septem, *ibid.* cap. VIII, vers. 3.

In Beelzebub ejicit dæmonia. Consulere diabolum crimen est gravissimum. Impii miraculis Dei adversantur mere, II *Machab.* cap. IX, vers. 1.

Regnum divisum desolabitur. Ad seditionem populos concitat legum patriarum et religionis avitæ eversio, I *Machab.* cap. III, vers. 29. regus et urbes ob peccata pereunt, *Judith*, cap. V, vers. 17. in regno expellit esse unam religionem, I *Machab.* cap. I, vers. 34.

FERIA IV.

Honora patrem tuum et matrem tuam. Honor parentibus debitus commendatur. *Tob.* cap. IV, vers 3. parentes quibus et honor, sed inus filiorum, *ibid.* cap. IX vers. 10.

Fornicationem. Fornicatio ab Apostolis nominatim fugi vetitis gentilibus ad Christum conversis, *Tob.* cap. IV, vers. 13. fornicem in ipso amplexu concubinæ a Deo fulgure sideratı exemplum, *ibid.* cap. VII, vers. 11.

Blasphemiæ. Blasphemia punita in Nicanore, I *Mach.* cap VII, vers. 34 et 46 perro convicia et contumelia etiam turbant justos et sanctos, *Tob.* cap. III, vers. 1 et 9.

FERIA V.

Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare. Christus nullum laborem pro animarum salute detrectavit, uti olim Nehemias et Esdras pro Israelis bono, *Nehem.* Argument. Item, Eliachim sacerdos circuivit omnem Israel: quod imitentur Episcopi, Prælati, Principes et alii fidelies zeloti, *Judith.* cap. IV, vers. 11, et *Nehem.* Argum.

FERIA VI.

Erat autem ibi fons. Fontis et solis analogia, *Esther*, cap. I, vers. 6. fons est quasi oculus terræ, *ibid.*

Da mihi bibere. Ab inhibendum aliquem cogere est contra naturam et tyrannicum, *Esth.* cap. I, vers. 8.

Adorabunt Patrem in veritate. Deo serviendum est in veritate, *Tob.* cap. XIV, vers. 10. hanc Deus cupit inesse omnibus cœtus actionibus, *ibid.* cap. III, vers. 2.

Spiritus est Deus. Deus est spiritus purissimus, *Judith*, cap. XV, vers. 11.

SABBATO.

Mulierem deprehensam in adulterio. Mulierum aspectus quam sit periculosus et pernicionus. *Judith*, cap. X, vers. 14. mulieres formosæ illæque nihil illecebrosius, *Esther*, cap. I, vers. 11. feminæ sunt philocosmæ, *ibid.* cap. II, vers. 12. *Vide Indicem Rerum*, verb. Mulier, Femina.

DOMINICA IV IN QUADRAGESIMA.

Quinque panes hordeacei. De tribulatis primarium Christianorum, *Judith*, cap. VI, vers. 21. item primicum Persarum, ac Cyri et Augusti. *Esth.* cap. I, vers. 7.

Fugit iterum in montem ipse solus. De solitudine, *Judith*, cap. VIII, vers. 3. Christus eur montes convendere, *Esther*, cap. XIV, vers. 5.

FERIA II.

Zelus domus tuæ. Zelus quam sit efficax, et instar ignis omnia consumat, I *Machab.* cap. II, vers. 24.

FERIA III.

Justus judicium judicate. Judicium cupit Deus iustum omnibus actionibus nostris, *Tob.* cap. III, vers. 2. judices peconia corrupti, II *Machab.* cap. IV, vers. 50.

FERIA IV.

Et lavavit lutum super oculos ejus. Christus suliva sua et lato limicem oculos cæci nati, figuratus per Tobiam illuni glaniinantem Tobiam patrem per fel, *Tob.* cap. XI, vers. 9.

FERIA VI.

Lazarus amicus noster dormit. Mors in Scriptura vocatur omnibus ob spem resurrectionis, II *Machab.* cap. XII, vers. 44.

Resurget. De resurrectione corporis, *ibid.*

DOMINICA PASSIONIS.

Quis arguet me de peccato? Inter peccata ita contendere et nullos omnino absque peccato evadendi adhibe pacem qui agendum, *Tob.* cap. VI, vers. 2. in fine. *Vide Judicem Rerum. verbo Peccatum.*

Nonne benedicimus nos qui Samaritanus es tu? Contumeliæ patienter ferendæ exemplo Job et Tobiæ, *Tob.* cap. II, vers. 15 et seqq.

FERIA II.

Facta sunt encænia. Festum Encæniorum quando et quomodo celebrarent Judæi: illud mystice agunt Sancti in cœlo, I *Machab.* cap. IV, vers. 52, et II *Machab.* cap. I, vers. 9, et cap. X, vers. 6.

Ut manifestentur opera Dei. Opera Dei revelare honorificum est; celare periculosum, *Tob.* cap. XII, vers. 7.

Fecca ores Deus non audit. Peccatorum preces parum valent apud Deum, *Tob.* cap. IV, vers. 18.

FERIA III.

Festus Judæorum Scenopegia. Festum Scenopegiæ apud Judæos quale, II *Machab.* cap. I, vers. 9.

DOMINICA PALMARUM.

Passionis Christi dies fuerunt dies plurim et plrurim, *Esth.* cap. IX, vers. 26.

Passionis Christi seria meditatio est funis quo ligatur dæmon, *Tob.* cap. VIII, vers. 3.

Christus patiens per piscem Tobiæ adumbratur, *ibid.* cap. VI, vers. 8, et cap. IX. vers. 14. Spe futuræ resurrectionis et ascensionis gloriosæ sustinuit crucem, *ibid.* cap. II, vers. 18. Christus imiriens vicit ipsam mortem, cujus typus Judas Machabæus, I *Mach.* cap. IX, vers. 18.

Et super vestimenta mea miserunt sortem. Sors quid sit, *Esth.* cap. III, vers. 7. Per sortes duas Mardochæi et

Annus accipitur populus fidelis et infidelis, *Esth.* cap. x, *Vide Judicem Rerum*, verbo Sors.

Crucifixerunt eum. Christi in cruce distenti typus fuit Eleazarus, II *Machab.* cap. vi, vers. 18. et septem fratres Machabæi, *ibid.* cap. vii, vers. 40.

Consummatum est. Christus est consummatio legis et Prophetarum, II *Mach.* cap. xv, vers. 40.

Vinum cum fylle mixtum. Per fel quid denotetur, et ad quid valeat, *Tob.* cap. vi, vers. 9. Christus post fel gustavit mella et favos, *ibid.* cap. iii, vers. 22.

Et velaverunt eum. De velanda facie cui rex offensus erat, reliqua ad mortem damnatis olim, ac etiamnum capite multatis, *Esth.* cap. vii, vers. 8.

FERIA VI IN PASSIONE CHRISTI.

Jesus autem tacebat. Ad blasphemias tacendum. IV *Reg.* cap. xix, vers. 36.

Pater, ignosce illis. Spiritus novi Testamenti opere pro inimicis, II *Paralip.* cap. xxiv, vers. 22.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

Resurrexit, Resurrectionem corporis exigit anima immortalis, II *Machab.* cap. xii, vers. 44.

FERIA II.

Castellum nomine Emmaus. Hoc postea a victoria Titi ob captam Jerusalem dictum est Nicopolis, I *Machab.* cap. iii, vers. 40.

Te solus peregrinus. Itinerantium præses et patronus est S. Raphael Archangelus, *Tob.* cap. iii, vers. 25. antequam peregrinentur, Deum invocent ut iter ipsorum prosperet, *ibid.* cap. xii, vers. 7.

Nos autem speravamus. Spes gloriæ futuræ est stimulus ad virtutem, *Tob.* cap. ii, vers. 18.

Aperiebat nobis Scripturas. Lectio S. Scripturæ est fumus quo fugatur dæmon ne nobis noceat, *Tob.* cap. viii, vers. 3. olim etiam fiebat post convivium, *Judith.* cap. vi, vers. 21.

DOMINICA II POST PASCHA.

Ego sum Pastor bonus. Vigilantiæ in belli duce requisita exemplo Nehemiæ et aliorum. *Nehem.* cap. iv, vers. 22. hujus symbolum sunt dracones, *Esth.* cap. x, vers. 7. porro Princeps bonus subditos amat ut filios, I *Machab.* cap. vi, vers. 17. et nocte vigilat, ac publicis negotiis invigilat, *Esth.* cap. v, vers. 1.

Ponit animam pro ovibus. Christus pro Ecclesia et animarum salute nullum laborem aut periculum, nec ipsam mortem detrectavit, quod notent Episcopi, Prælati. Principes, etc. Argumento in Nehem. *Vide Judicem Rerum*, verbo Dux, Princeps. Pro exstituenda morti se opposuerunt etiam matronæ gentiles, *Judith*, cap. viii, vers. 6. et aliæ virgines Christianæ, *ibid.* cap. x, vers. 4. illem Religioni et voto licet postponere vitam, II *Mach.* cap. vi, vers. 23.

DOMINICA III POST PASCHA.

Mundus autem gaudebit. Mundi gaudia quam sint instabilia et vana, *Esth.* cap. vii, vers. 10. gaudium impiorum breve, I *Machab.* cap. ix, vers. 56. extrema gaudii luctus occupat, *Judith*, cap. xii, vers. 18, et *Esth.* cap. i, vers. 19.

Tristitia vestra vertetur in gaudium. Id contigit Mardochæo, Estheri totique populo Judæorum, *Esth.* cap. viii, porro lætandum in solo Deo, *Neheм*, cap. ix, vers. 10; *Esther*, cap. xiv, vers. 18. gaudium Domini duplex, *Nehem.* cap. ix, vers. 10. tristitia facit homines mœstos, pusillanimes et tardos, *ibid.*

IN LITANIIS.

Propitius interpretabar. Deus non semper prima vice dat quod petitur, sed vult cupius rogari, IV *Reg.* cap. ii, vers. 13.

IN FESTO PENTECOSTES.

Spiritus Sanctus non statim post resurrectionem datus Apostolis, sed eam expectarunt, hujusque mysterii figura, IV *Reg.* cap. ii, vers. 10.

In Pentecoste vacandum operibus charitatis, *Tob.* cap. ii, vers. 1. S. Spiritus in specie ignis super Apostolos sedens, repræsentatus per ignem sacrum Nehemiæ missum, II *Mach.* cap. i, vers. 22. quomodo astiterit scriptoribus hagiographis, ita ut nusquam a veritate aberrarent, *ibid.* cap. xv, vers. 38.

DOMINICA SS. TRINITATIS.

Data est mihi omnis potestas. Deus dominatur tam cœlo quam terræ, *Judith*, cap. v, vers. 23.

Ecce ego vobiscum sum. Dei mira erga homines dignatio, *Tob.* cap. iii, vers. 25. Deo duce facile est concludi multos in manus paucorum, I *Mach.* cap. iii, vers. 18. Judæ Machabæo præsto adfuit, II *Mach.* cap. x, vers. 28, et cap. xiii, vers. 10 et seqq.

DOMINICA I POST PENTECOSTEN.

Estote misericordes. Misericordiæ tam spiritualis quam corporalis opera. *Tob.* cap. i, vers. 19. quam sit homini necessaria, *ibid.* cap. xii, vers. 8. *Vide Judicem Rerum*, verbo Misericordia, Eleemosyna.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Eucharistiæ typus fuit convivium ab Assuero institutum, *Esther*, cap. i, vers. 8. in eo Christus ut cibus apponitur, *ibid.* est finis quo ligatur diabolus, minuitque iracundiæ, luxuriæ, etc., impetus, *Tob.* cap. viii, vers. 3. *Consule Judicem Rerum*, *verbo* Eucharistia.

In me manet, et ego in illo. Hujus commixtionis Elisæus dedit symbolum, IV *Reg.* cap. iv, vers. 34.

DOMINICA II POST PENTECOSTEN.

Uxorem duxi. Uxores et filii sunt abdicandi, ut Deo obsequamur, *Esdræ*, cap. x, vers. 8.

DOMINICA III POST PENTECOSTEN.

Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente. Angeli et Sancti in cœlo festum agunt Encœnlorum de peccatore pœnitente, I *Mach.* cap. iv, vers. 33.

DOMINICA V POST PENTECOSTEN.

Non occides. Occisio sui ipsius quando licita, quando non, II *Machab.* cap. xiv, vers. 44. exempla aliquot eorum qui seipsos occiderunt, quorum aliqui laudantur, excusantur alii, *ibid.*

Omnis qui irascitur fratri suo. Ira non sinit iestum quiescere donec vindictam sumat. *Esther*, cap. vi, vers. 4. frater fratrem odit et supplantat dum agitur de honore et ambitu, II *Machab.* cap. iv, vers. 29.

DOMINICA VII POST PENTECOSTEN.

Attendite a falsis prophetis. Hæreticorum communicatio fugienda, *Esdræ*, cap. xiv, vers. 3. sunt hic undies, *Tob.* cap. ii, vers. 14.

Quid hoc adeo de re? Fama sæpe major est veritate, ne rem plus justo adauget vel detorquet, I *Mach.* cap. viii, vers. 1.

DOMINICA VIII POST PENTECOSTEN.

Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis. Prudentia hujus sæculi exercet, IV *Reg.* cap. v, vers. 29

DOMINICA IX POST PENTECOSTEN.

Non relinquent lapidem super lapidem. Similiter de excidio Jerusalem per Nabuchodonosor vaticinatus est Tobias, *Tob.* cap. xiii, vers. 8.

INDEX MATERIARUM MORALIUM.

DOMINICA X POST PENTECOSTEN.

Qui in se confidebant. Qui sibi ipsi magnus, sanctus et justus apparet, habet albuginem in oculis suis, *Tob.* cap. xi, vers. 14.

Propitius esto mihi peccatori. Confessio ac pœnitentia quas ex amore servili procedit, non exauditur a Deo, II *Mach.* cap. ix, vers. 13. oratio justi clavis est cœli, *Tob.* cap. iii, vers. 1. orationis fructus, *ibid.* cap. iii, vers. 16, et cap. xii, vers. 8.

Qui se exaltat humiliabitur. Idque exemplo Amasi, *Esth.* cap. vi, vers. 7 et seqq. et Antiochi Epiphanis, II *Mach.* cap. ix. et Arphaxad, *Judith*, cap. i, vers. 5.

Qui se humiliat exaltabitur. Exaltatæ humilis Mardochæus, *Esth.* cap. vi, vers. 7, et cap. viii, v. 2. 15.

DOMINICA XII POST PENTECOSTEN.

Inturbidens olium et vinum. Olium charitatis erogando non minuitur, IV *Reg.* cap. iv, vers. 5.

DOMINICA XIV POST PENTECOSTEN.

Nonne anima plus est quam esca? Animæ quanta sit dignitas, *Tob.* cap. iii, vers. 25. quid de ea censuerit Plato, *ibid.* cap. xiv, vers 5. *et* Immortalis, II *Machab.* cap. xii, vers. 44. *Vide Judicem Rerum*, verbo Animæ.

Hinnire Dei, etc. Regna terræ parvipendenda, IV *Reg.* cap. xxiii, vers. 29.

DOMINICA XVI POST PENTECOSTEN.

Primos accubitus. Accubitus veterum forma, *Esther*, cap. i, vers. 6.

Omnis qui se exaltat, humiliabitur. *Vide notata Dominicæ X post Pentecosten.*

FERIA IN QUATUOR TEMP. SEPT.

Hoc genus non ejicitur nisi in oratione et jejunio. His medlis Tobias et Sara liberati sunt ab Asmodæo, *Tob.* cap. viii, vers. 3.

DOMINICA XVII POST PENTECOSTEN.

Diligies Dominum Deum tuum. Deus est amandus super omne amabile, *Esdræ*, cap. x, vers. 8. semper in memoria, intellectu et voluntate habendus, *Tob.* cap. iv, vers. 6, et benedicendus, *ibid.* vers. 20.

DOMINICA XIX POST PENTECOSTEN.

Ecce prandium meum paravi. Convivium Assueri mystice fuit S. Eucharistiæ simulacrum. *Esth.* cap. i, vers. 8.

DOMINICA XXI POST PENTECOSTEN.

Misertus Dominus. Clementia Dei in Judæos legis prævaricatores, *Esdræ*, cap. ix, vers. 12, et 15.

Oportuit misereri conservi tui. Commiseratio levat misero miseriam, *Tob.* cap. iv, vers. 7.

DOMINICA XXII POST PENTECOSTEN.

Non est tibi cura de aliquo. Pietas facit humana non curare, II *Paralip.* cap. xviii, vers. 6. sacerdotes opponentes se Oziæ regi volenti sacrificare, laudati, II *Paralip.* cap. xxvi, vers. 18.

DOMINICA XXIII POST PENTECOSTEN.

In medios erogaverat omnem substantiam suam. Deus juvat in desperatis, *Reg.* cap. vi, vers. 29. potest quis peccare confidendo medicis, *Paralip.* cap. xvi, vers. 12.

DOMINICA XXIV POST PENTECOSTEN.

Videbunt Filium hominis. Judicii extremi dies, erit dies Surdum, *Esther.* cap. ix, vers. 6.

IN CONCEPTIONE B. MARIÆ.

Genuit Manassen. Manasses occidit arguentes impietatem, IV *Reg.* cap. xxi, vers. 16.

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

Tu es Petrus. Deus dans alicui nomen, simul dat rem eodem nomine significatam, ut patet in nominibus Angelorum, *Tob.* cap. v. vers. 18.

Ædificabo Ecclesiam meam. Ecclesiam tam militantem quam triumphantem ædificavit Christus, Arg. in *Nehem.* Ecclesia Catholica an nulla agnoscat nomina Angelorum præter tria, *Esdræ*, 263, 1. capit in Jerusalem in Sion, de qua vaticinium Tobiæ, *Tob.* cap. xiii, vers. 11. ejus typus fuit hortus in quo habitum fuit convivium Assueri, *Esther*, cap. i, vers. 8. et ipsa Esther, *Esther*, cap. iv, vers. 16. cui præ Sanctis veteris Testamenti celebret festum septem fratrum Machabæorum, II *Mach.* cap. vii, vers. 18. *Vide Judicem Rerum*, verbo Ecclesia.

CONVERSIO S. PAULI

Judicantes duodecim tribus Israel. Monantur judices ut juste judicent, I *Paralip.* cap. xix, vers. 6.

Centuplum accipiet. Sic Valentinianus imperium accepit propter confessionem Christi. IV *Reg.* cap. v, vers. 19.

IN FESTO S. MATTHIÆ.

Venite ad me, omnes qui laboratis. Christus est Azarias, id est adjutor Dei ad illuminandum et salvandum homines cæcos, cujus typus fuit Raphaël Archangelus ad Tobiam cæcum illuminandum missus, *Tob.* cap. v, vers. 18.

Surgite a me. Exempla animant in rebus arduis, I *Mach.* cap. ii, vers. 64, et II *Mach.* cap. vii, vers. 28.

Sors cecidit super Matthiam. De sorte ejusque significatione et definitione, *Esth.* cap. iii, vers. 7.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. VIRGINIS.

Missus est Angelus Gabriel. Fuit hic nuntius Incarnationis Verbi et en-todiæ B. Virginis deputatus, habetque nomen a fortitudine, *Judith*, cap. xiii, vers. 20. hominum precibus præfectus est, *Tob.* cap. iii, vers. 25.

Et nomen Virginis Maria. Quale sit nomen Maria, *Judith*, cap. xiii, vers. 25. illud timent dæmones, *ibid.* vers. 10.

Ave, gratia plena. Quando fuerit gratia et pulchritudo B. Virginis, *Judith*, cap. xiii, vers. 10. hujus typus fuit Esther ob pulchritudinem admirata super omnes mulieres, *Esther*, cap. ii, vers. 17. porro clausa in cubiculo, orationibus, jejuniis ac gemitibus pro reconciliatione mundi obsecrans Deum, meruit Angelem pacis paranyphum exclpere, *Judith*, cap. xiii, vers. 10.

Ecce concipies. B. Virgo est virga aurea per quam Deus offensus humano generi reconciliatus est, *Esther*, cap. v, vers. 2. est stella Jacob, *ibid.* cap. viii, vers. 15. et fons solis, *ibid.* cap. x, vers. 6. *Vide Judicem Rerum*, verbo S. Maria.

IN FESTO S. MARCI.

Nolite portare, etc. Elisæus solis necessariis contentus, IV *Reg.* cap. iv, vers. 10.

Neminem per viam salutaveritis. Sic Giezi jussus nullum salutare, IV *Reg.* cap. iv, 29.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Mulier in civitate peccatrix. Libido ubi ardet, abundant peccata, *Tob.* cap. iii, vers. 8. quantum grassetur apud Assyrios et Persas, *Judith*, cap. xii, vers. 10. est insatiabilis, *Esther*, cap. ii, vers. 19. mulieri formosa illicique nihil illecebrosius, *ibid.* cap. i, vers. 11. vanitas mulierum stibio se pingentium, *ibid.* vers. 11.

OLEO CAPITI NUM NON UNGERE. Ungere te et unguentis tuis Persis adscribitur, *Esth.* cap. II, vers. 12.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS.

Assumpta B. Virgo in cœlum, ejusdemque coronatio figurata per ductionem Esther ad cubiculum regis Assueri, *Esth.* cap. II, vers. 16.

IN FESTO EXALTATIONIS S. CRUCIS.

Christi in cruce exiens æger fuit Ezechias in tempore detentus, II *Mach.* cap. VI, vers. 14. et sequens Pentec. Machabæi, *ibid.* cap. XV, vers. 30. crucis Christi homo adjuratus est Aubeine, *Tob.* cap. VIII, vers. 3. mus arcæ signandi professores in Terra sancta, II *Machab.* cap. XV, vers. 18.

IN FESTO S. MICHAELIS.

S. Michaeli præbus filiolum petenti, *Tob.* cap. III, vers. 25. cruciatus profectibus cum draconis assumit nomen humilitatis, nempe : *Quis ut Deus?* *ibid.* cap. V, vers. 4. dedicavit ecclesiam suam in monte Garzano, I *Machab.* cap. IV, vers. 59. filii Israelis protegens, II *Mach.* cap. VI, vers. 9, et cap. XII, vers. 22.

ANGELI CUSTODES PUERIS PIISQUE PATENT. *Vide notata in Sanctitate Dominæ et Judicem Rerum, verbo* Angelus.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Sancti in cœlo agunt festum Encæniorum de peccatore pœnitentiam agente, I *Machab.* cap. IV, vers. 32. pro pia pugnant, *ibid.* cap. III, vers. 19. eos invocaturus est ei utilius quam animas in Purgatorio existentes, II *Mach.* cap. XV, vers. 12. quando agant festum Phasin, *Exod.* cap. IX, vers. 26. *Vide Judicem Rerum, verbo* Sancti.

BEATI PAUPERES SUNT. Sancti possident cœlum consilio, terram patientia, I *Mach.* cap. VIII, vers. 3. societas inter homines angelicam vitam ducentes, et inter angelos, IV *Reg.* cap. VI, vers. 17.

BEATI QUI PERSECUTIONEM PATIUNTUR. Sancti cur permittantur a Deo affligi, *Tob.* cap. II, vers. 12. et cap. XII, vers. 13. et I *Machab.* cap. IX, vers. 18. in adversis Deo gratias agunt, *ibid.* cap. II, vers. 14.

BEATI MISERICORDES. Eleemosynarum merces, IV *Reg.* cap. IV, vers. 5. *Vide Judicem Rerum, verbo* Misericors, Eleemosyna.

BEATI CUM MALEDICENTES VERBIS. Sancti pro beatificis maledicta recipiunt, etiam ab amicis, *Tob.* cap. II, vers. 22. maledicta patienter ferunt, *ibid.* et cap. III, vers. 9. patientiæ exempla duo Job et Tobias, *Tob.* cap. II, vers. 12. patientiæ passionesanimi ulciscitur ipse, I *Machab.* cap. VII, vers. 3. justus quicunque omnia pernecessitatus fuerit, sin refrigerio erit, *ibid.* cap. IX, vers. 18.

IN COMMUNI APOSTOLORUM.

Apostoli habiti insani, uti olim Prophetæ Dei habebantur stulti, IV *Reg.* cap. X, vers. 5.

IN COMMUNI MARTYRUM.

Vide Judicem Rerum, verbo Martyrium, Martyres.

IN COMMUNI DOCTORUM.

Doctor est curruscus aurium, IV *Reg.* cap. II, vers. 12. Vos estis sal terræ. Sale sapientiæ condiuntur et fecundantur orbis terrarum, IV *Reg.* cap. II, vers. 21.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

De solemnitate et dignitate Dedicationis Ecclesiæ, I *Machab.* cap. IV, vers. 59. Christus ipse, aliique Sancti variæ ecclesias dedicarunt, *ibid.* ritus dedicandi aures et portas urbium, *Nehem.* cap. XII, vers. 27.

IN TEMPORE BELLI.

Angeli milites Dei fortissimi et innumeri, IV *Reg.* cap. VI, vers. 16. Syri ad Elisæum excitate parcunt, IV *Reg.* cap. VI, vers. 8.

Potest Deus mille modis hostes pellere, IV *Reg.* cap. VII, vers. 6. Deus auxiliatur in re desperata, II *Paralip.* cap. XX, vers. 12.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPILLA ALFONSINA
U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta antes de la última fecha abajo indicada.

BS1145
L3
v.4
1891 85392
AUTOR
LAPIDE, Cornelius A.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS